Digitized by Google

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
LVIII
H
16
NAPOLI

XLVIII
#
16

Digitized by Google

NOVA
BIBLIOTHECA
MANVSCRIPTORVM
LIBRORVM

R. P. PHILIPPI LABBEI, Biturici,
Societatis IESV Presbyteri.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ MANVSCRIPT. LIBRORVM

TOMVS PRIMVS.

HISTORIAS, CHRONICA, SANCTORVM, SANCTARVMQVE VITAS,

Tranſlationes, Miracula, Stemmata Genealogica, ac ſimilia Antiquitatis, præſertim Francicæ, monumenta, nunc primùm ex MSS. variarum Bibliothecarum Codicibus eruta copioſè ac plena manu repræſentans.

Operâ ac ſtudio PHILIPPI LABBE, BITVRICI, SOCIET. IESV PRESBYTERI.

D. D. D.

Illuſtriſſimo Viro NICOLAO FVCQVETIO, Regio in Pariſienſi Senatu Procuratori, & ſummo Gallici Ærarij Præfecto.



PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum, ET GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.

M. DC. LVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI



Illuſtriſſimus vir Nicolaus Foucquet
Generalis in ſupremo regnj Senatu
Procurator; ſummus regij ærarij
Præfectus; V. Comes Melodunenſis, &c.

C. le Brun Pin. — P. Poilly sculp.

NAPOLI

AMPLISSIMO,

ILLVSTRISSIMOQVE VIRO,

D. D.

NICOLAO FVCQVETIO,

REGIO IN SVPREMO SENATV PROCVRATORI, ET SVMMO GALLICI ÆRARII PRÆFECTO,

PHILIPPVS LABBE, è Societate IESV.

QVOD *effigiem tuam noua hæc Bibliotheca præfert*, VIR ILLVSTRISSIME, *vetuſtas illas Romanorum imitatur, in quibus*

Deorum Virorúmque illuſtrium dedicatas imagines, vel ad ornamentum, vel ad præſidium collocare mos erat. Et illæ quidem, quò plures oſtentabant effigies, hoc ornatiores cenſebantur: noſtra hæc ad ſplendorem omnem tuo vniùs vultu contenta eſt; & ab vnius merito mauult, quàm à multorum turba decorari. Neque verò gratificari ſe tibi hoc facto putat, aut fortunæ tuæ ambitioſiùs blandiri; ſed neceſſarium honoris gratíque animi officium perſoluere.

Honorem, inquam, tibi Bibliothecæ omnes debent, qui inter tot tantáque Senatus, Ærarii, Regni negotia, quorum pondus ſuſtines, à librorum ſtudio nonpotes ac ſuauiſsima conſuetudine diuelli. In illis occupationibus

voluptas

voluptas tibi ſumma Bibliotheca tua eſt; quò antiquior voluptas, eò ſuauior. Neque enim eorum more feciſti, qui Bibliothecas tum demum extruunt, cùm earum vſu interdictum ſibi vident; & libros quodammodo profanant, dum eorum pompam ambitioni potiùs, quàm eruditioni, ſeruire iubent. Pars tibi ampliſsimi patrimonij Bibliotheca fuit: neque fortunæ tuæ filia, ſed mater potiùs, creatríxque dicenda eſt. Scilicet talem illa te librorum omnium vſu ac diuturna meditatione finxit, qualem te Senatus & ſumma regni munera expetebant, qualem ſummo Reip. bono experiuntur: Neque immemor gratiæ in illo dignitatis faſtigio fuiſti. Eam enim quæ te maximis honoribus auxerat, de-

lectu librorum exquiſitiſsimo auxiſti, quorum dubitent periti, an multitudinem magis, an præſtantiam admirentur: ſic vt nullæ priuato tibi delitiæ Bibliotheca tua majores fuerint, nullæ in hoc dignitatis gradu diuitiæ maiores.

Quòd verò ad Collegii quoque noſtri Bibliothecam peruenit beneficentiæ tuæ fructus: hoc demum grati animi officium eſt, quo defungi vtcumque huius muneris publica nuncupatione geſtimus. Non ingratum tibi Bibliotheca munus accedet, neque agendis pro Bibliotheca gratiis intempeſtiuè prouiſum. Exilis hæc quidem & nominè tuo minimè digna: ſed tamen nomen illud, qualiſcumque eſt, feret longiſsimè: &, dum curioſi ex

omni orbe terrarum aduenæ Fucquetianam munificentiam intelligent ex Pariſienſi noſtra Bibliotheca, quam frequentes inuiſunt: noua hæc in omnes ſparſa populos, eiuſdem gloriam ſplendorémque nominis vbique reſonabit. Non quo huiuſmodi prædicatione indigeant virtutes tuæ, quarum laus longè latéque in populos omnes per ſeſe diffunditur. Narrant illi, quo parente ſis ortus, quantæ ſanctitatis auctoritatíſque viro, quanto ſanctiorum regni conſiliorum oraculo, quàm charo Regibus noſtris, quàm ſapienter, quàm integrè, quàm fortiter primis togæ muneribus & in Prouinciis & in vrbe perfuncto. Fratres enumerant tuos, quorum enumerare virtutes honoréſque,

præ infinita copia non poſſunt. Geſtos à te Magiſtratus, ſummas affinitates, potentiam, amicitias, auctoritatem apud Principem, gratiam apud populum, ſingillatim omnia commemorant. Sed quod propriè tuum eſt, id mirantur impenſiùs, tantum poteſtatis cum tanta modeſtia, ſingularem conſtantiam cum eximia facilitate, ſummam morum ſuauitatem ſumma grauitate temperatam: mitiſſimum ingenium, ſed acerrimum; actuoſum & efficax, ſed vbique tranquillum. Prædicant integritatem illam, quâ populo æquè ac Regi carus effectus es; illam fidem, cui Reipubl. theſauri duo crediti ſunt, Leges & Ærarium: quæ duo cùm à te vno tam caſtè audiunt támque feliciter

tractari, priſcam Romanorum conſuetudinem laudant, qui coniuncta volebant eadem; & Senatuſconſulta, cùm perſcripta eſſent, in Ærarium ſeruanda deferebant.

Non erit ergo neceſſe doceri à nobis exteras gentes, qui ſis, ſed qui ſimus; hoc eſt quàm inſigniter tuis deuincti beneficiis, quàm eorum memores, quàm nullis vnquam officiis effecturi, vt non ſumma quæque tibi debeamus. Cuius profeſsionis monumentum hoc è multis vnum extare per me Societas noſtra voluit. Alij ſingulares tibi libros, partim honoris ergo, partim referendarum gratiarum nuncupent: nos ne oblata quidem Bibliotheca, ſatis à nobis factum, vel meritis tuis, vel officio noſtro, ſtudió-

que ducemus. Vale VIR ILLVSTRISSIME *&* PRÆSTANTISSIME, *ac me Tui præ cæteris cultorem ſtudioſiſſimum atque amantiſſimum amare perge.*

Scribebam Lutetiæ Pariſiorum in Collegio Claromontano Societatis IESV Kalendis *Maijs anni à nato Chriſto* CIↃ. IↃC. LVII.

IN EDITIONEM
BIBLIOTHECÆ NOVÆ
LIBRORVM MANVSCRIPTORVM
PRÆFATIO.

PROMISSAM tandem exoluimus fidem, Eruditi Lectores, Deóque Optimo Maximo conatibus noſtris feliciter aſpirante, ac ſedato per Gallias ciuilium armorum furore, in apertam lucem prodire incipiunt duo priores Tomi Nouæ Bibliothecæ Manuſcriptorum Librorum. Quod huius inſtitutum, quis finis ſit, ac methodus, ex præmiſſo ante quinquennium noſtro Antiquarum Lectionum Specimine quiuis diſcere potuit. Ne quis tamen eorum, qui in illud Specimen nondum inciderunt, de nobis conqueri, operámque noſtram meritò deſiderare poſſit, paucis ecce rem omnem aperire placet, & noſtræ huic Bibliothecæ tantiſper præludere.

Nouam Manuſcriptorum Codicum, qui in Pariſienſibus præſertim Eruditorum Virorum cimeliarchiis hactenus deliteſcunt, Bibliothecam inſtitui poſſe ante aliquot annos in animum induxi meum, cámque ſat commodè quatuor in partes diſtribui; Hiſtoricam ſcilicet ac Chronologicam, Biblicam ac Theologicam, Epiſtolicam ac Diplomaticam, Technicam denique ſiue Philologicam, addita Coronide Poëticâ. Quia verò habetur nunc apud eruditos omnes Hiſtoriæ, præſertim Gallicæ, ac veteris mediique æui Chronicorum potiſſima ratio, ab ea parte incipiendum eſſe iudicaui; vt in aliis poſtea non diſſimili opera ac iuuandæ reipublicæ literariæ ſtudio noſtra qualiſcumque deſudet induſtria.

Chronica itaque varia, antiqua, noua, primæ, mediæ, poſtremæque ætatis, vitas Sanctorum Sanctarúmque, virorum illuſtrium elogia, Geſta Pontificum, Abbatum Catalogos, Necrologiorum excerpta, ſimiliáque ad illuſtrandam præcedentium ſæculorum Hiſtoriam monumenta, quà mea, quà amicorum ſolerti dili-

gentiâ vndequaque conquiſiui, deſcripſi pleraque propriâ ipſe manu, emendaui, recenſui, interpunxi, prælo tandem ſubieci, vt ex præmiſſo ſingulis Tomis Indice locupletiſſimo intelligi poteſt: Quo ſæpe tædio, quo labore noſtro id omne perfectum ſit, conſcius egomet mihi ſum: quo verò fructu atque emolumento, voſmet vſu ipſo ac lectione percipietis, cùm tria quatuórve pro recepto hactenus more præfatus fuero.

Primum eſt: nulli me in hoc opere addictum eſſe nationi: non Francorum duntaxat Hiſtoricos Chronographóſque ſectari, vt Clariſſimi Pithœus, Frehetus, Ducheſnij; non Germanorum, vt Piſtorius, Reuberus, Vrſtiſius; non Alemannorum vt Goldaſtus; non Anglorum vt Sauilius atque Cambdenus; non Hiſpanorum, Italorum, Bohemorum, Hungarorum, Polonorum, Batauorum, Normannorum, vt quidam alij: ſed ex omnibus omnino Chriſtiani orbis Prouincijs gentibúſque ea demum ſelegiſſe, quæ nondum ex MSS. codicibus eruta prodierunt in publicam lucem. Illud tamen diſſimulare nec poſſum, nec debeo, longè plura ac fermè omnia quæ in Priori Volumine continentur, ad Gallicam Hiſtoriam ſpectare, & in ſecundum Tomum, tam multa ex ijs, quæ Aquitaniam illuſtrare poſſunt, à nobis fuiſſe comportata, vt nouum Rerum Aquitanicarum Corpus meritiſſimo iure debuerit inſcribi.

Alterum eſt, non mei modò inſtituti eſſe edita iam ab alijs & ſæpiùs prælum experta in vnum veluti corpus cum paucis imprimum emergentibus necdum vulgatis compingere, & Bibliothecarum pluteos repetitis editionibus onerare: quod alij ſibi faciendum iuſtis de cauſis cenſuerunt. Omnia itaque, quæ hîc proferuntur, aut numquam lucem viderunt profundiſſimis conſepulta tenebris & cum puluere tineiſque in membranis luctantia; aut ſi quæ hactenus publici iuris facta ſunt, ea longè ampliora, inſigniora, emendatiora, & in aliam planè formam mutata cernuntur ad Manuſcriptorum codicum fidem denuò exacta, correcta, locupletata. Vnum tamen alterúmve libellum excipimus, qui aut breuiſſimi vnam alterámve pagellam vix ſuperant, aut ſaltem rariſſimi ſunt, nec ipſis ſat cogniti eruditioribus viris. Quòd autem ad Lemouicenſe Concilium ſpectat, paullo poſt obitum Roberti Pij Francorum Regis anno MXXXI. celebratum, quod in ampliſſimis Collectionis Regiæ voluminibus veluti mari magno immerſum in paucorum hactenus manus notitiámque venerat, illud iterum cum MS. Bibliothecæ Thuanæ codice contulimus, & ad illuſtrandas res Aquitanicas quibuſdam aliis Conciliis coniungendum eſſe cenſuimus.

Tertium,

Tertium, reſecuiſſe me atque expunxiſſe in quibuſdam prolixioribus Chronicis, puta Virdunenſi, Malleacenſi, Vezeliacenſi, Rothomagenſi, ac ſimilibus, inepta quædam, vulgaria, Doctiſque prorſus inutilia, centies iam in idoneis ſcriptoribus aliiſque ad nauſeam vſque repetita, ſimiliáque nugamenta ad Hiſtoriam nihil conducentia; aut certè, quod peius eſt, innumerabilibus referta mendis: neque annorum rebus vacuorum ſpatia ad majorem oſtentationem reliqui, ne quibuſdam ſimilis viderer, qui præ inopia meliorum ciborum crambem recoctam, vt aiunt, aut inanes cucurbitas conuiuis ſuis apponere non verentur. Certè ſi vel vnum Malleacenſe, quod dicitur, ſeu San-Maxentianum Chronicon, vt in membranis deſcriptum eſt, integrum perfectumque publicare ſtatuiſſem, nullo fructu magnóque ementium ſumptu, decumani vnius duorúmque voluminum paginas implere potuiſſem. Quid verò ſi Malleacenſe, Virdunenſe, Vezeliacenſe, Rothomagenſe, Ademarianum, ac ſimilia ſuperaddere placuiſſet? cætera omnia, quæ, vt Comici verbis vtar, non modio, neque trimodio, ſed toto horreo repenſa ſunt & liberali manu congeſta, longiùs fuiſſent ablegãda: nec vllus in vtroque noſtro volumine remanſiſſet locus præſtantiſſimis quibuſque opuſculis, quæ quo breuiori ſtringuntur gyro, eò plura ſæpe complectuntur ad rerum olim geſtarum intelligentiam adjumenta.

Μὴ νεμέσα βαιοῖσι· χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ.

Ne parua aſpernere: ſua eſt quoque gratia paruis.

Quartum, neque hîc omnia probare me, quæ ab illis, quos vulgamus, Auctoribus afferuntur in medium, maximè quæ ad priora Æræ Chriſtianæ ſæcula, & Vitas Sanctorum primæ mediæque nonnunquam ætatis à recentioribus Hiſtoricis deſcriptas, aut certe recentatas pertinent. Noui enim in iis, vbi & quando, liceat Satyrici verſum vſurpare,

—— Sonet vitium percuſſa, malignè
Reſpondens, viridi non cocta fidelia limo.

Neque tamen in omnia, quæ minus arridebant, aut meritò mendi ſuſpecta videri poterant, cenſuram exercere decreui: nimis enim longum id fuiſſet permoleſtúmque legentibus negorium. Quamquam, vt id obiter moneam, quædam anſulis ad emendationem corrupti textus interdum incluſerim; quædam in margine, ſed parciùs & perpaucis, annotauerim; quibuſdam locis deſperatiſſimis aſteriſcos adſcripſerim. Reliqua veſtræ, Lectores beneuoli, diligentiæ atque ingenioſo acumini examinanda, corrigenda, probanda permittere

volui. Quod mearum partium fuit, quæ in veteribus codicibus, aut eorum apographis inueni, bona fide repræſentaui; αὐτοχειρὶ omnia fermè exaraui; ſingula non vulgari ſtudio conquiſita recenſui; atque ex plurium exemplarium, vbi ſuppetebant, collatione identidem emendaui. Quod ſi quamplurimis probæ notæ atque exquiſitæ fidei opuſculis permixta quædam deterioris commatis occurrant, feret indulgentiùs, quiſquis fatum id eſſe Maximarum Bibliothecarum non neſcierit, quæ vt ſcitè alicubi Magnus Annalium Eccleſiaſticorum conditor annotauit, ſimiles ſunt *ſagenæ miſſæ in mare & ex omni genere piſcium congreganti*. Veſtrum ergo erit ſedulos piſcatores æmulando, bonos in vaſa colligere, malos verò foras protrudere, hoc eſt ſingula ad ſeueriorem amuſſim exigere, ſinceris & omni veritatis pondere ſubnixis vti frui, reliqua calculo veſtro ac præiudicio damnare: quod nos ipſi abundè præſtitimus in Chronico noſtro Hiſtorico-Technico, quod Typis Regijs excuſum, & in IV. Tomos diſtinctum, Deo fauente, propediem Hiſtoriæ ſtudioſis offeremus.

Quod reliquum eſt, valete, eruditiſſimis iuxta atque humaniſſimis viris, quorum opera ac beneficio codices MSS. ad nos peruenerunt, quibus in hac editione ad exitum promouenda plurimùm adiuti ſumus, mecum gratiam habete, & ſiquid ipſi in membranis veteribuſque chartis occultum premitis, ad ſequentium Tomorum abſolutionem profuturum ἀφθόνως depromite. *Sapientia abſconſa & Theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Eccleſiaſtici cap. xx. v. 32.

SYLLABVS EORVM QVÆ IN TOMO I. NOVÆ BIBLIOTHECÆ MANVSCR. LIBRORVM CONTINENTVR.

SECTIO PRIMA.

ANTIQVIORVM SCRIPTORVM ALIQVOT Selecta monimenta.

I. DEſcriptio Conſulum; ex quo primùm ordinati ſunt, ſiue integri Faſti Conſulares, quos IDATIANOS docti viri hactenus appellarunt, ab anno vrbis Conditæ CCXLV. vſque ad annum CCCCLXVIII. Chriſtianum, à Palilibus eiuſdem Romanæ vrbis MCCXXI. *Ex Codice MS. Bibliothecæ Collegij Claromont. Pariſienſis Societ. IESV, in quo poſt Euſebij Chronicon Latinè à S. Hieronymo redditum & Idacij Aquiſtanienſis in Gallæcia Epiſcopi ad illud Chronicon Appendicem, ab anno Æræ Chriſtianæ* CCCLXXIX. *ad annum eiuſdem* CCCCLXXI. *continentur Faſti Conſulares, quos Idatio vindicauit qui non minimam eorum partem anno huius ſæculi* XIX. *edidit in hac vrbe R. P. Iacobus Sirmondus, & de ijs iſta præmiſit in Præfatione ad Lectorem :* Nec verò minor, vt ſpero, erit gratia Faſtorum Conſularium, quos Chronico adiecimus, Idatianóſque iam alibi nominauimus: non tam, quòd in eodem codice Idatii Chronico ſubiiciebantur; quàm quòd rerum & verborum in vtroque opere affinitas & cognatio, epocharúmque & temporum par obſeruatio, totius denique ſcriptionis color idem ac genius, eundem vtriuſque auctorem fuiſſe ſatis oſtendant; tametſi auctoris nomen nullum præferat Inſcriptio, quæ his verbis ibi concepta eſt: DECLARATIO, lege DESCRIPTIO, CONSVLVM, EX QVO PRIMVM ORDINATI SVNT. Etſi porro in exemplari noſtro procedebant hi Faſti ad ſecundum vſque Anthemij Conſulatum, hoc eſt ad ea tempora, in quibus Idatij Chronicon deſinit, atque à primis orſi Conſulibus omnia exinde ad eum vſque annum paria Conſulum percenſebant: Nobis tamen, dum aliud

conſilium dies proferat, ſatius in præſens viſum eſt, eam duntaxat partem edi, quæ & ab antiquariis minùs fuerat deprauata, & memorabilium rerum varietate atque fructu tibi acceptior, iucundiórque fore videbatur. Hæc ille. *Quod verò ſummus ille vir vſque ad obitum præſtare tenuit, hoc ego plurimorum pulſatus precibus, ac prope conuiciys, publicare aggreſſus ſum, Integróſque Faſtos Idatianos hactenus capite pedibusque truncos, Lectoribus ex eodem noſtro Codice MS. repræſentaui, additis ad oram vtriuſque columnæ annis ab vrbe condita ex Varroniana ſupputatione, & caſtigatis pleriſque antiquariorum ſiue exſcriptorum erroribus. Addidi quoque, ſed diuerſo à cæteris charactere, omiſſos, interdum eorundem potius quam Idatij culpa Conſules geminos, quia id à me poſtulare videbatur & argumenti ratio, & Lectorum major opportunitas.* A pagina prima ad 15.

II. Viri Clariſſimi TIRONIS PROSPERI Aquitani Chronicon integrum, ab Adamo ad Romam captam à Genſerico Vandalorum Rege, anno Chriſtianæ æræ CCCCLV. Vrbis conditæ MCCVIII. in duas Partes tributum.

Prima pars ab ortu rerum ad mortem Valentis cum Annotatione Conſulum à Baptiſmo Chriſti Domini, *nunc primum edita eſt ex pluribus codicibus calamo exaratis atque inter ſe comparatis.* pag. 16

Auctarium de variis Hæreſibus, necnon diuerſæ Lectiones ex quibuſdam libris MSS. collectæ. pag. 44

V. C. Proſperi Tironis Aquitani Chronicorum Pars altera, dicta vulgo Conſularis, ab anno vitæ Chriſtianæ CCCLXXIX. ad CCCCLV. *Auctior atque emendatior in pluribus quàm quæ antea publicata eſt.* pag. 46

Lectiones variæ in Marij Auenticenſis Epiſcopi Chronico: ſed admodum paucæ, nec valdè, ſi vnam alterámque excipias, neceſſariæ. pag. 55

Eiuſdem alteriúſve PROSPERI Chronicon, quod non per Conſules, ſed per annotatos in margine Imperatorum annos procedit. *Editionem Pithœanam multis in locis emendatam ex collatione MSS. codicum exhibuimus hic quoque, vt vno veluti conſpectu omnia, quæ Proſpero tribui ſolent ad rem Hiſtoricam ſpectantia, Lector inueniat.* pag. 56

De Proſpero nihil modò ijs addam, quæ Sirmondus noſter diſputauit Hiſtoriæ Prædeſtinatianę capite quinto, vnum tamen hic non deſinam admonere deceptos fuiſſe quamplurimos, etiam eruditiſſimos viros, qui Proſperum arbitrati ſunt Hieronymiano duntaxat Chronico Appendicem adtexuiſſe. Certum quippe eſt multíſque veterum teſtimoniis comprobatum ab initio rerum exorſum ad ſua vſque tempora vno veluti filo ac tenore Chronicam Epitomen perduxiſſe. Teſtatur id Victor Aquitanus in Præfatione Canonis Paſchalis ad Hilarum vrbis Romæ Archidiaconum, poſtea Papam: *Cuius Euſebij tenorem vir venerabilis Proſper ſecutus hiſdem Chronicis hæc eadem egregia breuitate compoſuit, vt eorum initium à Mundi inchoaretur exordio.* Idem aſſerit, vt recentiores omittam, Gennadius Maſſilienſis in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 84. *Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone Scholaſticus, & aſſertionibus neruoſus, multa compoſuiſſe dicitur: ex quibus ego Chronica illius nomine prætitulata legi, continentia à primi hominis conditione,*

iuxta diuinarum ſcripturarum fidem , vſque ad obitum Valentiniani Auguſti, & captiuitatem vrbis Romæ Genſerico Vandalorum Rege factam. Legi, &c. Plura, ſi permiſerit Deus, ſuggeret Bibliotheca Vniuerſalis Chronologica.

III. Sancti ISIDORI Hiſpalenſis in Bætica Epiſcopi Hiſtoriæ Regum Gothorum, Vandalorum, & Sueuorum longè auctiores & emendatiores hactenus editis. *Ex optimæ notæ membraneo codice Collegij Claromontani Pariſienſis Societatis IESV, in quo Auctoris Anonymi de rebus geſtis Conſtantini Magni, ex Chronicis incertis de rebus Zenonis & Anaſtaſij Imperatorum Orientis, necnon Theoderici Oſtrogothorum Regis: Item ex alijs Chronicis de rebus Iuſtiniani Auguſti & deinceps vſque ad Carolum Martellum, &c.* Illud porrò debuerant obſeruare Typographi Hollandi, qui nuperrimè, cum noſter hic Tomus à tribus annis inchoatus ſub prælo laboraret, Tres illas Hiſtorias cum Hugonis Grotii collectione Rerum Gothicarum emiſerunt in lucem, non ex codice vllo MS. Bibliothecę Batauicæ, ſed ex Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Societatis IESV τῦ μακαρείτου qui ex hoc noſtro codice illud deſcripſerat. pag. 61

IV. Chronicon VIRDVNENSE, à quibuſdam minùs rectè cognominatum Flauiniacenſe, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ vndecimi præſertim ſæculi Theſaurus incomparabilis, Auctore HVGONE primùm Monacho Abbatiæ Sancti Vitoni Virdunenſis, tum Abbate Monaſterii Sancti Petri Flauiniacenſis in Ducatu Burgundiæ. *Ex ipſo Auctoris Apographo MS. quod ſeruatur in Bibliotheca Collegij Claromontani Pariſienſis Societ. IESV.*

Prima pars ab anno primo Ærę Chriſti ad annum eiuſdem milleſimum ſecundum, ſeclyſis conſultò quamplurimis vulgaribus & inutilibus laciniis aliunde tranſcriptis, quas nemo cordatus atque induſtrius Hiſtorię Eccleſiaſticę indagator merito vnquam iure deſiderabit. pag. 75

Chronici Virdunenſis Hugonis Flauiniacenſis Abbatis Pars altera, ab anno Æræ Chriſtianæ milleſimo ſecundo ad eiuſdem annum milleſimum centeſimum ſecundum. pag. 159

Analecta quædam monumentorum Cœnobii eiuſdem S. Petri Flauiniacenſis, *deſcripta ex ſchedis R. P. Iacobi Sirmondi Soc. IESV Preſb.* quibus illuſtrari poſſunt, quę dicuntur in ſequenti Catalogo Abbatum, quęque præcedenti Chronico fuerunt identidem inſperſa pag. 769

Series Abbatum Flauiniacenſis Monaſterii, principio ac fine mutila, quantum deſcribi potuit ex membrana maximam partem detrita, quæ prępmittitur Chronico eiuſdem HVGONIS, quod excuſum fuit ſupra, *ex Codice MS. Collegij Pariſienſis Societatis IESV.* pag. 791

Cæterum ignotus Sigeberto Gemblacenſi, Honorio Auguſtodunenſi, Henrico Gandauenſi, Trithemio Spanheimenſi, Sixto Senenſi, Poſſeuino, Bellarmino, Miræo, alijſque ſcriptorum Eccleſiaſticorum Collectoribus noſter hic Hugo non aliunde agnoſci commodiùs poteſt, quàm ex hoc ipſo Chronico, vbi de Richardo & Rodulfo S. Vitoni Abbatibus, & de ſuis cum Nortgaudo Auguſtodunenſi Epiſcopo, ſubiectiſque ſibi Flauiniacenſibus Monachis, per aliquot annos concertationibus, plura per otium leges, fruſtra hic fuſiùs à me ac moroſiùs deſcribenda.

SECTIO SECVNDA.

Anonymorum Chronica Breuia duodetriginta nunquam antea Typis commiſſa cùm aliquot alijs auctioribus & emendatioribus.

I. CHronicon duplex Monaſterii S. ALBINI ANDEGAVENSIS, primum ab anno DCCCCXXIX. ad MCC. Alterum à præcedente nonnihil diuerſum, ab anno DCCLXVIII. ad MCVI. *Ex pluribus apographis inter ſe collatis deſcriptum, cum Addendis è codice Petauiano, & alijs MSS.* pag. 273. Neque enim, vt monui, omnia illa Andegauenſia Chronica eodem ſunt filo contexta: nec alienum fuerit hic apponere, quæ ex ſchedis quibuſdam Peireſcianis memini me aliâs obſeruare.

In Codice MS. Abbatię S. Albini Andegauenſis tempore Hugonis Abbatis circa annum 1156. conſcripto ante S. Ambroſii libros Epiſtolarum aliáque opuſcula, duo Chronica extabant, quorum prius ab Exordio Mundi ad obitum Ludouici Craſſi continuatum erat, annumque 1137. Poſterius ab anno 929. ad annum 1174. deductum eodem ſemper charactere & atramento. Annuatímque deinceps diuerſo charactere continuatum vſque ad annum 1200.

Inter libros Epiſtolarum S. Ambroſii & alia eiuſdem opuſcula quædam folia vacantia Vitam S. Giraldi Monachi S. Albini continebant per Lectiones diſpoſitam. Ad calcem additum erat ſcriptum Hugonis de Clerijs de Majoratu & Seneſcalia Franciæ à P. Sirmondo editum, ſed non ita corruptum. Item Membrana titulorum ſepulcralium Rotberti Abbatis prædeceſſoris dicti Hugonis in fragmenta librarij opera diſſecta principium calcémque codicis tenebat.

Prioris Chronici hoc erat initium: PRIMA ætas in exordió ſui continet creationem mundi, &c. In fine verò pro MCXXXIII. (ſcribendum reor MCXXXVII.) Ludouicus filius Philippi an. 30. obiit.

II. Aliud Chronicon ANDEGAVENSE, *deſcriptum ex codice MS. Vindocinenſis Sanctæ Trinitatis Cœnobij*, ideóque à quibuſdam eruditis viris, qui eò vſi ſunt, dictum VINDOCINENSE cum Appendice ab vno vel pluribus addita, ab anno Chriſti DCLXXVIII. ad MCCLI. pag. 283

Verba quæ mediam occupant paginam 289. de Fulcone Rechino: In Monaſterio noſtro Andegauenſi Sanctæ Trinitatis, ſicut præcepit, eſt honorabiliter ſepultus, *ſuadere videntur deſcriptum fuiſſe Andegauis Chronicon illud, ſed non perſuadebunt omnino ijs, qui Cœnobium illud, de Aquaria dictum, in burgo Andegauinæ vrbis ſitum, norunt Vindocinenſi tanquam capiti membrum adhæſiſſe: ideóque à Vindocinenſis Abbatiæ Monacho verba illa potuiſſe non immeritò vſurpari. Per me ergo licet, aut Vindocinenſe dicatur ad maiorem a præcedentibus diſtinctionem, aut ſaltem Aquarianum Andegauenſe. Hoc verò non omittendum, ſcripta fuiſſe Chronica illa, cùm partium ſtudia feruerent & Andegauenſes odio furerent in Francos, vt ex quibuſdam periodis omnino manifeſtum apparet, præcipuè verò pagina 286. vt ad marginem annotaui*: Hugonis, qui & ipſe poſtea factus eſt Pſeudo-Rex ſimul cum Roberto, &c.

III. Chronicon AQVITANICVM incerti Auctoris ab anno DCCCXXXIV. ad MXXV. quod ab aliis dicitur Fragmentum Chronicæ Lemouicenſis. *Ex pluribus apographis Frontoniano, Sirmondiano, Labbæano, Beſlyano, Peireſ-*

ciano, alij, que deſcriptis iam à pluribus annis ex codice MS. Bibliothecæ Memmianæ. pag. 291

IV. Chronicon breue AVTISSIODORENSE ab anno MV. ad annum MCLXXIV. *Ex Apographo R P. Iacobi Sirmondi Soc. IESV.* pag. 292

Addidimus pagina 405. Appendicem iſtius Autiſſiodorenſis Chronici ab anno MXXXIII. ad MCXC. *Ex alio MS. codice locupletiori* deſumptam.

V. Excerpta aliquot ex CHRONICO MS. Abbatiæ S. BENIGNI DIVIONENSIS adſcripto in margine Cyclorum Paſchalium. pag. 293

VI. Chronicon Cœnobii S. PETRI CATALAVNENSIS ad Matronam in Campaniâ, ab anno MIX. ad annum MCCXXIII. *Neque enim plura occurrerunt in codice chartaceo R. P. Iacobi Sirmondi, ex quo deſcripſi* pag. 296

VII. Chronologi Anonymi, qui ſub Alexandro Seuero Romanorum Imperatore anno Chriſtianæ æræ CCXXXVI. vixiſſe dicitur, Libellus, ſiue Chronicon DE DIVISIONIBVS ET GENERATIONIBVS GENTIVM in Sectiones XX. diſtributum, cum Prefatione, illique præfixo Indice. *Ex MS. codice Collegij Claromontani Pariſienſis Societ. IESV.* pag. 298

Henricus Caniſius Nouiomagus Tomo IV. Antiquæ Lectionis pag. 578. & ſequentibus edidit Collectionem Hiſtoricam Chronographicam ex Anonymo, qui ſub Alexandro Seuero Imperatore vixit, Idacio, Thoromacho, vt vocat, alijſque, Collectore Gallo quodam, quem Carolo Magno ſupparem fuiſſe apparet. Huius primam partem ex noſtro MS. codice quamquam pluribus maculis, quod ad nomina propria ſpectat, inquinato, in nonnullis licebit, in ipſa etiam eius Præfatione, emendare. Quis enim ſtabulum illud Augiæ purgare poſſit?

VIII. CLAVDII Chronologi, quem TAVRINENSEM in Subalpinis Epiſcopum fuiſſe non temere ſuſpicamur, qui anno DCCCXIV. ſcribebat, breuis Chronica, iuxta Hebraicam ſacrorum Codicum veritatem, nunquam hactenus in lucem edita. *Vnicum duntaxat illius Apographum habuimus ex veteri Codice, illudque non integrum.* pag. 309

De Claudio Taurinenſi Epiſcopo, eiúſque ſcriptis, partim editis, partim nondum in lucem emiſſis, proprius erit diſſerendi locus Parte ij. Bibliothecæ Vniuerſalis Chronologicæ.

IX. Chronicon DOLENSIS Cœnobij, ſiue Abbatiæ B. Mariæ Burgi Dolenſis ad Angerem fluuium, incerto auctore, ab anno DCCCCXVII. ad annum MCCCXLV. cum Appendice recentiori manu longo pôſt interuallo exarata ab anno MCCCCLIX ad MDL. *Ex Codice membraneo MS. quem mihi vtendum dedit V. C. Dominus Bolacre des Marés Generalium Regij apud Bituriges Theſauri Iudicum Præſes Meritiſſimus: excuſum fuit ante aliquot annos in noſtris Miſcellaneis Curioſis, nunc autem auctius prodit ope alterius MS. Codicis.* pag. 315

Delátus eſt ad me eiuſdem Viri Clariſſimi operâ membraneus alter codex de Miraculis B. MARIÆ DOLENSIS, ab eiuſdem celeberrimi Monaſterij Religioſo, iam olim conſcriptus, in quo, licet initio careat, pluſquam ducenta reperiuntur Magnæ Matris erga ſibi deuotos amorem ac miſericordiam haud dubiis argumentis conteſtantia, ex quibus nonnulla, quæ cæteris eminere & ad rem Hiſtoricam propiùs pertinere videbantur, ſelecta appoſuimus. pag. 319

X. Catalogus PRÆSVLVM EBORACENSIVM in Anglia à S. Paulino

vſque ad Thomam Geraldi ſucceſſorem. *Ex Codice MS. in quo leguntur Epiſtolæ Iuonis Carnotenſis Antiſtitis.* pag. 322

XI. Chronicon ENGOLISMENSE, multorum manibus ac ſæpe verſatum, ab anno Incarnati Verbi DCCCXIV. ad DCCCCXCI. *Ex codice MS. Conciliorum Gallicanorum Bibliotheca Tillianæ.* pag. 323

XII. Chronicon FISCANENSIS in Caletenſi pago celeberrimi Monaſterij ab anno primo Chriſti ad annum MCCXX. reſectis vulgaribus quibuſdam & imperiti Amanuenſis negligentiâ ad epochas Chronicas vitioſiſſimè illigatis, vt ſæpe decem, viginti, aut plurium etiam annorum immanibus parachroniſmis vel metachroniſmis à recto veritatis tramite aberrent. *Ex veteribus membranis quæ penes me ſunt.* pag. 325

Veteres autem illæ membranæ Fiſcanni, aut apud Vvallemontenſe Cœnobium, primùm exaratæ, delatæ ſunt Brennaeum ad Vidulam, vbi quæ ſequitur, dicta à nobis BRENNACENSIS APPENDIX, dubio procul omni deſcripta eſt, diuersâ prorſus manu à præcedentibus. pag. 327.

Catalogus Abbatum Fiſcanenſium ab anno circiter æræ Chriſtianæ milleſimo, quo florebat magna ſanctitatis opinione S. Vvillelmus, *ex veteribus Schedis exſcriptus, & deductus ad noſtram vſque ætatem.* pag. 329

XIII. Chronica Regum Francorum breuiter digeſta, Anonymo Auctore, qui ſub Rege Carolo Caluo ſcribebat ante menſem Septembrem anni DCCCLV. quo Lotharius Imperator obiit. *Ex MS. codice, quem expreſſimus, vt cum edito in Ducheſniana collectione comparare quilibet per ocium poſſit.* pag. 330

Hiſtorica quædam excerpta *ex veteri MS. Stemmate Genealogico Regum Franciæ.* pag. 331

XIV. Breue Chronicon LEMOVICENSE, ſiue Aquitanicum, ab anno Domini DXXXVIII. ad annum MXXXVII. *Ex Bibliotheca Memmiana.* pag. 332

XV. Chronicon LEODIENSE dictum, iam olim à Viro perquam erudito, *deſcriptum ac defloratum ex codice MS. Bibliothecæ S. Victoris ad muros vrbis Pariſienſis*, omiſſis duntaxat inutilibus ab anno CCCC. ad MCXXXII. ſunt autem Chronicæ illæ notæ ad marginem Cyclorum Dionyſianorum adſcriptæ ab anno Incarnati Verbi XXXVIII. ad annum MCCCLXXXI. in principio Sacrorum Bibliorum. Quia verò priores periochæ, anno quadringenteſimo antiquiores, aberrant à regulis probatæ Chronologiæ, merito iure fuerunt prætermiſſæ. Quę verò ſequuntur annum MCXXXII. neglectæ quoque fuerant, quòd plurimis eſſent lacunis interciſæ. Re tamen poſtea melius perpensâ, quaſdam ex iis ſelegimus minùs iniuriâ temporum detritas, vide paginas 334. & 405.

XVI. Excerpta ex Chronico S. VICTORIS MASSILIENSIS, ad Cyclos Paſchales pro more Monachorum mediæ ætatis adſcripto, ab anno DXXXIX. ad annum MDLXIII. *Ex Apographo V. C. Nicolai Claudij Fabricij Peireſcij, in ſupremo Senatu Aquiſextiano Senatoris.* pag. 339

XVII. Chronicon breue Sancti VINCENTII METENSIS, ab anno DXI. quo obiit Magnus Clodoueus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, vſque ad annum MCCLXXIX. *Ex MS. codice eiuſdem Clariſſimi apud Mediomatricos Monaſterij.* pag. 344

XVIII.

XVIII. Chronicon duplex Cœnobij Sancti MICHAELIS de Monte ſiue Tumbâ, dicti in Periculo Maris, in finibus Normannorum ac Britonum, in quibus multa ad Minorem Britanniam & ad Andegauenſem prouinciam ſpectantia continentur. *Ex Chartis veteribúſque loci illius inſtrumentis ab aliquot annis collecta.*

Primum ab anno CCCCXCIV. ſeu VID. (ſic enim legendum, non DVI) vſque ad annum MCLIV. pag 347

Alterum eiuſdem Montis Chronicon, quod iure ARMORICVM, aut ANDEGAVENSE dixeris, ab anno CCCCXXI. ad annum MLVI. pag. 349

Addidimus ſeriem Chronologicam ABBATVM celeberrimi illius Monaſterij de Monte Sancti Michaëlis in periculo Maris, à Maynardo, quem ex Fontanellenſi Cœnobio euocatum Ricardus I. Dux primum præfecit Abbatem, vſque ad XXVIII. Robertum Iolиueti, ſiue ab anno DCCCCLXVI. vſque ad annum MCCCCXI. pag. 350

XIX. Breuis Hiſtoria COMITVM PROVINCIÆ ex familia Comitum Barcinonenſium, à morte Gilberti, ſiue à Raymundo Berengarij, qui vulgo, *Cap d'Eſtoupes* dicebatur, vſque ad Carolum Andegauorum Comitem, & vtriuſque Siciliæ Regem. *Ex Archiuo Nicaenſis vrbis deſcribendam curauerat ante plures annos V. C. Nicolaus Petreſcius,* pag. 353

XX. Romanum iter Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini PETRI DE COLVMBARIO S. R. E. Cardinalis, Oſtienſis & Veletrenſis Epiſcopi, qui ab aliis dicitur PETRVS BERTRANDVS Iunior, miſſi Auenione à ſummo Pontifice Innocentio VI. ad coronationem & inunctionem CAROLI IV. Imperatoris Romanorum factam die ſacro Paſchæ anni MCCCLV. eiuſque Româ Auenionem reditus. *Ex codice MS. communicato à V. C. Antonio de Vyon Domino d'Herouualſuis in literatos omnes meritis virtutibúſque commendatiſſimo.* pag. 354

XXI. Chronicon breue REMENSE à Chriſto nato ad annum ſalutis MCXX. *deſcriptum ex veteribus membranis quæ penes me ſunt ex ampliori aliquo volumine decerptis.* pag. 358

Remenſe alterum, illúdque breuiſſimum Chronicon, ab anno DCCCXXX. ad annum DCCCCXCIX. pag. 362

Auctarium FLODOARDI, in quo Sigloardi Remenſis Canonici Rhythmus de morte Fulconis Remenſis Archiepiſcopi à Winemaro interempti, & quædam alia. *Ex codice Igniacenſis in Campaniâ Remenſi Ordin. Ciſtercienſis Cœnobij*, qui continet Breuiarium Hiſtoriæ Flodoardi Remenſis Canonici libris duobus cõprehenſum cum Appendice pag. 362

XXII. Chronicon paulò fuſius ROTOMAGENSE ab anno Chriſti primo ad annum vſque MCCCXLIV. Ex quo iis, quę mendoſa ſunt, aut nimis vulgaria, ſolerter ſublatis, ſelegimus quæcumque ad Gallicam ac Rotomagenſem maximè Hiſtoriam ſpectare propiùs viſa ſunt. *Codicem membraneum MS. ex Muſæo Caroli Baroni, Presbyteri Pariſini, commodauit mihi D. Antonius de Vyon d'Herouual in ſuprema Regiarum Rationum Curia Auditor Antiquitatum noſtratium ſtudioſiſſimus.* pag. 364

XXIII. Breuis ad SIGEBERTI Gemblacenſis Monachi Chronicon Appendix, ab anno MCXIII. quo obiit ipſe Sigebertus, vſque ad annum MCLXII. quo ad ſuperos migrauit Samſon Remenſis Archiepiſc.

vir ſcientia & ſanctitate clarus. *Ex Apographo veteris Codicis.* pag. 390

XXIV. De Ordine Vallis Scholarivm in Diœceſi Lingonenſi: Qualiter, à quibus, & quo tempore, ſacer Ordo Vallis Scholarium ſub Regula S. Auguſtini ſumpſit habitum : *Ex noſtro Apographo collato cum alio MS. codice.* pag. 391

XXV. Chronicon Vezeliacense, ab anno Incarnati Verbi dclx. vſque ad mccccxvi. *Ex antiquo Codice MS. Cœnobij Vezeliacenſis in Diœceſi Auguſtodunenſi*, cuius Apographa plurima vidi, atque illud imprimis', quod ſuâ manu deſcriptum ex autographo communicauit nobis V. C. Iacobus Cholet in ſuprema Pariſiorum Curia Cauſarum Patronus eruditiſſimus. Ex eo porrò vulgaria quæque, minùs certè eruditis neceſſaria, ac plerumque mendis grauioribus infecta reſecuimus, quiſquilias ac furfures pro more noſtro ſecreuimus, vt chartæ parceremus ac doctorum tædio: quod vtinam feciſſent, faceréntque, qui obuia quæque nullo delectu vndecunque corradunt, & chartis inutilibus Bibliothecarum pluteos onerant. pag. 394

XXVI. Origo & Hiſtoria breuis Nivernensivm Comitvm, Auctore, vt quidam ſcribunt, Hvgone Pictavino, Monacho Vezeliacenſi, qui vixit circa annum mclx. Alij Anonymum ſcriptorem vocant, qui ſub Ludouico VII. Francorum Rege floruerit. Editum in Miſcellaneis noſtris curioſis pag. 558. Tomi II. recudimus hic ſuo loco, *collatum denuo cum varijs Apographis eiuſdem Codicis antiqui Vezeliacenſis.* pag. 399

XXVII. Chronicon Abbatiæ Sancti Vitoni Virdunenſis, ab anno dcccclii. ad annum mdxcviii. deductum, quo contigit Reformatio prædicti Monaſterii ab Erico Vademontano Virdunenſi Epiſcopo. Incerto Auctore, qui præcipuam habuit Epiſcoporum Virdunenſium atque Abbatum S. Vitoni rationem. *Inter Schedas R. P. Iacobi Sirmondi Societatis IESV repertum.* pag. 400

XXVIII. Breuis Annorum ſumma ab orbe condito, vſque ad annum Caroli Magni Francorum Regis XXII. *Ex codice MS. optimæ notæ V. C. Claudij Hardy in Præfectura Pariſienſi Senatoris Regij poſt Catalogum Romanorum Pontificum.* pag. 404

Sequuntur pag. 405. Appendices Chronicorum Autiſſiodorenſis & Leodienſis, de quibus ſupra ſuis locis.

SECTIO TERTIA.

Autiſsiodorenſium antiquitatum illuſtria quæque monumenta magno ſtudio collecta.

I. Geſta Avtissiodorensivm Epiſcoporum in Prouincia Quartâ Lugdunenſi, ab Anonymis ſcriptoribus diuerſis conſignata temporibus, ac duas in Partes ſeu Tomos diſtributa, Collectore prorſus ignoto.

Prima Pars incipit à S. Peregrino Epiſcopo primo, eóque Martyre, vſque ad Erardum de Liſigniis Autiſſiodorenſem Epiſcopum lxiv. & S. R. E. Cardinalem, à pag. 411. ad 507. cui commiſſ-

mus Monitum illud incerti Exſcriptoris : *Hic deſinit Tomus primus Geſtorum Pontificum Autiſſiodorenſium : Secundus Tomus majori ex parte deſideratur ; prout olim deſcriptus fuerat. Fertur extare Pariſius in Bibliotheca Conſiliarij cuiuſdam, vnde quæ ſequuntur excerpta fuerunt à viro fide digno. Hæc accipe, Lector, præbe animum non indocilem, & rei veritatem percipies.* Nec plura Anonymus ille.

ALTERA PARS, ſeu Tomus II. Geſtorum Pontificum Autiſſiodorenſium, incipit à Guillelmo de Greſſibus LXV. Epiſcopo, hoc initio, quod hoc loco deſcribendum cenſui : *Vetuſtiſſima, laudabiliſque conſuetudo Eccleſiæ Autiſſiodorenſis hactenus habuit à primo ipſius Pontifice, videlicet B. Peregrino, impoſterum Geſta notabilia Pontificum ſingulorum ſedis eiuſdem, poſt ipſorum cuiuſlibet obitum ſcribi & regiſtrari in libro ad hoc proindè, & perſpicaciter ordinato. vt ex eorum recitatione frequenti geſtorum laudes Deo redderentur, ſucceſſoréſque ipſorum per amplius ad actus ſtrenuos incitarentur, ſuorum exempla prædeceſſorum imitantes, &c.* pag. 507

Deſiuit hæc ſecunda Pars in Vitam IACOBI AMIOTI XCVII. Epiſcopi, à Reginaldo Martino eiuſdem Secretario Gallicè ſcriptam, & à Federico Morello Regiorum Profeſſorum Decano Latinè exaratam anno MDCXII. Pag. 521

II. Paſſio Sancti PEREGRINI primi Autiſſiodorenſium Epiſcopi & Martyris. *Ex veteri codice deſcripta pluribus mendis infecto.* pag. 526

III. Vita ſancti AVNARII, ſiue Aunacharii, XIX. Autiſſiodorenſium Epiſcopi & Confeſſoris. *Ex Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Societ. IESV, quod contuli cum veteribus membranis quæ penes me ſunt.* pag. 528

IV. De Eccleſia Sancti GERMANI Autiſſiodorenſis, eiúſque Dedicationibus. *Ex vetuſto Codice MS. Bibliothecæ Petauianæ aliàs deſcripta* pag. 531

V. De Vita & Miraculis S. GERMANI Autiſſiodorenſium VII. Epiſcopi & Confeſſoris Chriſti eximij, Libri duo hactenus à pluribus deſiderati. Auctore HERICO, ſiue Errico, Monacho Autiſſiodorenſi, qui ſex libris eiuſdem S. Germani vitam Latino carmine Heroico cecinit, ante centum & quod excurrit annos Pariſiis à Simone Colinæo excuſam. *Ex codicibus MSS. vetuſtiſſimis B. Mariæ Laudunenſis, & Reomaenſi, necnon membranis quæ penes me ſunt.* pag. 531

Sigebertus Gemblacenſis cap. 104. Libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis huius Erici Monachi meminit, eúmque vitam S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi metrico ſtylo luculenter ſex libellis deſcripſiſſe aſſerit. Floruit ſæculo Chriſti nono, regnante Carolo Caluo Francorum Rege ſaltem vſque ad annum Chriſti DCCCLXXIV. vt fuſiùs docebimus, Deo volente, Parte II. Bibliothecæ Vniuerſalis Chronologicæ.

VI. De Geſtis Abbatum S. GERMANI Autiſſiodorenſis Epiſcopi ab Heldrico qui anno Chriſti nongenteſimo octogeſimo nono præeſſe cœpit vſque ad annum MCCLXXVII. *Auctore Fratre GVIDONE eiuſdem Monaſterij Abbate.* pag. 570

Quis verò fuerit Guido ille Abbas, docet AYMO DE BORDIS Monachus & operarius eiuſdem Eccleſiæ S. Germani Autiſſiodorenſis in cap. XVIII ſiue Appendice ad Hiſtoriam à Guidone ſcriptam. pag. 586

Nec ſilentio prætereundum fuit eiuſdem libelli caput XIX. de Gau-

chero eiuſdem Monaſterij Abbate, qui Guidoni prædicto viſu & auditu præ ſenio debilitato ſubſtitutus eſt anno MCCCIX. & mortuus anno MCCCXXXIII. cuius auctor dicitur Frater ODO DE VAVCEMANI humilis Prior Monaſterii Sancti Germani Autiſſiodorenſis. pag. 589

VII. Hiſtoria SELEBIENSIS Monaſterii, quod fundatum fuit haud procul ab Eboracenſi ciuitate, ad fluuium Vſam, in honorem S. GERMANI Autiſſiodorenſis Epiſcopi, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo nono, Guillelmi nothi ſeu Conquæſtoris vulgò cognominati quarto, cùm à Benedicto Monacho in Angliam, eiuſdem Sancti Germani digitus delatus fuiſſet. Auctore Anonymo quodam Monacho qui ſcribebat anno MCLXXIV. à fundatione illius Abbatiæ centeſimo ſexto Abbatis Gileberti XIV. pag. 594

Rogerus ab Houeden Parte Poſteriore Annalium mihi pag. 751. Meminit Rogerij Selebienſis Abbatis cui anno MCXCV. *defuncto ſucceſſiſſe aſſerit Richardum Priorem.*

SECTIO QVARTA.

Miſcellanea opuſcula ad variam Hiſtoriam ſpectantia.

I. BERNARDI GVIDONIS, Origine Lemouicenſis, Ordinis Prædicatorum, Sanctæ fidei Inquiſitoris, & Epiſcopi, primùm Tudenſis, ac deinde Lutauenſis, Tractatus DE SANCTIS, quorum corpora Lemouicenſem Diœceſim ornant. *Ex codice Bibliothecæ Petauianæ 638. aliàs ante decennium deſcripſimus.* pag. 629

Eiuſdem Bernardi Guidonis de Sanctis Lemouicenſibus extra Diœceſim ſepultis: ſiue Nomina Sanctorum, qui de Lemouicenſi Diœceſi orti ſunt. *Ex eodem* pag. 639

Eiuſdem Epiſcopi Lodouenſis Tractatus de Stephano Obaſinæ fundatore, Gaufrido, Rogerio, & Aubetto; ſiue nomina Virorum, qui humiliter iacent, licet clari ſint multis miraculis in Diœceſi Lemouicenſi. *Ex eodem Petauiano codice cum alio MS. collato.* pag. 637

II. De Inſtitutionibus Ordinis CARTHVSIENSIS; ſiue de S. Brunone, de Landuino, de Petro Franciſco, de Ioanne Tuſco, ac Guigone à Sancto Romano, primis Cartuſiæ Prioribus. *Ex Codice MS. Sancti Remigij Remenſis.* pag. 637

III. Origines CISTERCIENSIS Ordinis incertis Auctoribus ſcriptæ, in quibus inter cætera reperies Epiſtolas Vrbani II. Papæ, Hugonis Lugdunenſis Archiepiſcopi Sanctę Romanę Eccleſiæ Legati, Galterii Cabilonenſis Epiſcopi, Ioannis & Benedicti Cardinalium, Paſchalis II. Papæ. *Ex noſtro codice MS.* quem cum iis quæ hinc inde ſparſa ſunt in Annalibus Ciſtercienſibus curioſus Lector per ocium conferet. pag. 640

IV. Proceſſus Canonizationis Sancti ROBERTI Abbatis Moliſmenſis, ac primi CISTERCIENSIS Ordinis Fundatoris: Id eſt Epiſtola quinque Abbatum ad Honorium III. Papam: Reſcriptum Honorij Papæ ad Lingonenſem & Valentinenſem Epiſcopos & Abbatem

Cluniacenſem: Reſcriptum dictorum Epiſcoporum & Abbatis ad dictum Papam; & Confirmatio Honorii Papæ. *Ex noſtro Apographo Codicis Tricaſſini.* pag. 647

V. De Miraculis B. VIRGINIS MARIÆ Auctore GAVTERIO Monacho Cluniacenſi. *ex duobus codicibus calamo exaratis*, in quibus ſequebatur precioſi Confeſſoris Beati Martini Turonenſis quoddam memoria dignum opus. pag. 650

VI. Charta ſeu Memoriale Priuilegij ODONIS MAIORIS DE CHALO prope Stampas, conceſſi à Rege Francorum Philippo primo. *Ex veteri membranâ, quam mihi vtendam dedit V. C. Antonius de Vyon, Dominus d'Herouual, atque ex Regiſtro* XCVII. *Regij Chartophylacij numero 17.* pag. 655

VII. De Sancto BABOLENO Foſſatenſi Abbate, eiúſque ſacri corporis variis Tranſlationibus. *Ex Archiuis Eccleſiæ ſancti Mauri Foſſatenſis in Caſtro Bagaudarum tranſcripſerat iſta olim Iacobus du Bois Canonicus die iv. Octobris anni MDCII. cum Catalogo Abbatum & Decanorum.* pag. 656

VIII. Elogia aliquot LINGONENSIVM Epiſcoporum, vnius Bajocenſis Antiſtitis, & Iarentonis Abbatis S. Benigni. *Ex veteri Martyrologio Abbatiæ S. Benigni Diuionenſis.* pag. 656

IX. Elogia PHILIPPI Pulchri Francorum Regis, eiúſque filiorum LVDOVICI Hutini, PHILIPPI Longi, & CAROLI Pulchri, Franciæ ac Nauarræ Regum. *Ex Chronico MS. Landulfi de Columna Carnotenſis Canonici ad Joannem Papam* XXII. pag. 659

Poteram, vt ſuo loco monui, præcedentium Franciæ Regum Elogia eodem Auctore exarata hiſce præmittere: verùm mihi longè opportunius viſum eſt ea illis deſcribenda permittere, qui triuialia quæque ac mendoſa abſque delectu chartis illinere geſtiunt.

X. Genealogia breuis Dominorum BELLISMENSIVM. *Ex MS. Codice S. Martini Sagienſis.* pag. 661

XI. Origo Comitum VINDOCINENSIVM. *Ex veteri notitia excerpta.* pag. 661

XII. Tractatus breuis de Proceſſione Reliquiarum S. GENOVEFÆ Virginis, ac Patronæ Pariſienſis, facta anno MCCVI. Auctore Anonymo, qui præſens interfuit. *Ex veteri MS. Codice deſcripta.* pag. 662

XIII. De Miraculo HOSTIÆ à Iudæo Pariſiis, anno Domini MCCXC. multis ignominiis affectæ. *Ex pluribus Schedis calamo exaratis*, quas poſtea contuli cum iis, quę edita reperi in libello Lutetiæ anno MDCIV. apud Federicum Morellum excuſo, hoc titulo: Tractatus Miraculi Bilerani ſuper Sacratiſſimo Corpore CHRISTI à Iudæo confixo anno 1290. poſt Tractatum de Famoſo Miraculo, quod euenit Pariſiis regnante Philippo Pulchro Francorum Rege, in vico Hortorum, ſuper Sacroſancto Chriſti Corpore, ex Archiuis Fabricę S. Ioannis de Grauia, vbi venerabilis illa Hoſtia ſeruatur, fideliter deſumptum: Quem ſi, prius nanciſci licuiſſet, tibi, Lector, non inuidiſſemus. Sed tu interim vide quæ habentur pag. 663

XIV. Epiſtola EVCHERII Epiſcopi, ad FAVSTVM ſeu Fauſtinum Presbyterum Inſulanum, de ſitu vrbis Hieroſolymitanę, atque ipſius Iudææ. *Ex codice Vaticano Vener. Bedæ de Tabernaculo cum ſequentibus Opuſculis mutuatus eſt à 60. & quod excurrit annis R. P. Jacobus Sirmondus: nos ex eius*

Schedis deſcripſimus & edidimus. pag. 665

XV. Prologus Librorum trium ADAMANNI ſeu Adamnani DE LOCIS SANCTIS, de quo Legendus Beda Libro v. Hiſtoriæ cap. xv. & ad calcem libelli de locis ſanctis. *Ex eodem codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ.* pag. 667

XVI. De Oblatione & recitatione Verſuum ARATORIS S. R. E. Subdiaconi. *Ex Codice Vaticano eadem manu qua liber ipſe, & ex alio Remenſi Codice, cuius meminit Sirmondus in notis ad Ennodij Epiſtolam 1. libri IX.* pag. 668

XVII. XVIII. XIX. Fabij Placiadis FVLGENTII PRÆFATIO in Expoſitiones ſermonum antiquorum cum teſtimoniis:

SERVII Centimetro præfixa Epiſtola in Codice Vaticano:

IANVARII NEFOTIANI Epiſtola ſeu Prooemium Epitomes Valerii Maximi Dictorum Factorúmque memorabilium ad Victorem.

SECTIO QVINTA.

Vitæ, Translationes, Miracula, Sanctorum Sanctárumque, hactenus inedita.

I. VIta Beati ADALBERONIS huius nominis II. Epiſcopi Metenſis, Frederici Galliæ Medianæ ſiue Lotharingiæ Ducis ex Beatrice Hugone Magno Francorum Duce genitâ filii nobiliſſimi ac ſanctiſſimi. Auctore Synchrono Anonymo, qui ſe ab ipſo Adalberone in ſucceſſorem Fingenii Scoti & Siuiardi ſucceſſorem, hoc eſt in Abbatem S. Symphoriani Metenſis benedictum aſſerit. *Deſcripſit paullò ante obitum R. P. Iacobus Sirmondus ex codice MS. Viri Clar. CLAVDII HARDY in Præfectura Pariſienſi Senatoris integerrimi ac doctiſſimi. Nos cum ipſo illo MS. Codice antiquiſſimo & optimæ notæ diligenter contulimus, & quædam alia ex eodem repræſentauimus, de quibus deinceps dicendum erit.* pag. 670

II. Epiſtola HILDIVVARDI Epiſcopi Halberſtatenſis ad domnum Adalberonem Metenſem Epiſcopum. *Ex eodem Codice Hardyanæ Bibliothecæ deſcripta.* pag. 682

III. Vita ſancti ADELPHI Confeſſoris Abbatis Montis-Romarici. *Quam ex eodem MS. Codice D. Claudij Hardy deſcripſimus, qui fuit olim Cœnobij S. Symphoriani Metenſis, continétque 1. Vitam S. Clementis, &c. quæ recenſentur* pag. 683

IV. Paſſio & Miracula Beati ANTONINI Martyris, qui paſſus eſt ſub Apamia ciuitate IV. Nonas Septembris. *Deſcripſit R. P. Iacobus Sirmondus ex codice MS. Abbatiæ Sancti Albini Andegauenſis.* pag. 685

V. Vita Sancti APOLLINARIS Valentiæ ad Rhodanum Epiſcopi & Confeſſoris: incerto Auctore, ſed coætaneo *Deſcripſimus ex veteribus membranis, quæ penes nos ſunt, & contulimus cum alio MS. exemplari.*

VI. Vita Sancti AVITI Viennenſis Archiepiſcopi, incerto Auctore qui multa ex ſuperiori vita S. Apollinaris eius fratris tranſcripſit atque in ipſis extremis lineis grauiter lapſus eſt, dum S. Auitum Anaſtaſio adhuc Principe mortuum narrat. *Nos vetus MS. exemplar fideliter expreſſimus.*

VII. Vita ſancti ARIGII Vapincenſis Epiſcopi & Confeſſoris, incerto quidem Auctore, ſed qui videtur fuiſſe coætaneus. *Ex codice MS. Siluiniacenſis Cœnobij pluribus mendis barbariſmiſque inquinato deſcripſit anno 1608. P. Iacobus Sirmondus.* pag. 695

VIII. Vita & Miracula S. DESIDERII Caturcenſis Epiſcopi & Confeſſ. Pag. 699. *Ex MS. Exemplari V. C. Antonij de Vyon Domini d'Herouual in ſuprema Regiarum Rationum Curiâ Auditoris doctiſſimi atque humaniſſimi: ex quo ante annos ſeptem Parte altera noſtrorum Miſcellaneorum Curioſorum poſt Regum Cancellariorumque Franciæ Hiſtorica Elogia Pagina 419. inſignia quædam fragmenta vulgauimus, quibus quaſi promulſide allecti nonnulli ad integram vitam alieno, vt multi cenſuerunt, loco promendam animum appulerunt: verùm tantum abeſt, vt aliis inuideamus, quæ forte fortuna per fas nefáſve ijs occurrunt, vt noſtra etiam liberaliter omnibus communicare parati ſimus. Sed hæc obiter atque ex occaſione tantùm: ſcimus enim quoſdam reperiri tam maligno liuore ſuffuſos, vt aliorum felicitatem limis duntaxat oculis intueantur; cúmque ipſi nihil in eruditos largiri ſoleant aut ægrè admodum, fontes ipſos, ex quibus riui largè dimanant, obturare, aut in ſe duntaxat ſuóſque conuertere moliantur. Ego ſanè ſapientis illud effatum plurimi ſemper feci: Sapientiam, quam ſine fictione didici, ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo: Infinitus enim eſt Theſaurus hominibus.* Sapientiæ vii. numero 13.

IX. Vita S. GERMANI DE ROTA Epiſcopi & Martyris, Eccleſiarum de Flamanuillâ & Carteret in inferiori Normannia inſignis Patroni. *Iuxta Archetypum vetus eiuſdem Eccleſiæ Parochialis de Flamanuillâ, cuius Apographum tradidit mihi R. P. Iacobus Machault Pariſinus Soc. JESV. Presbyter. Verum Hiſtoria hæc, nec ab Auctore coætaneo videtur ſcripta, nec ex omni vſquequaque parte probanda.* pag. 716

X. Vita Sanctę GLODESINDIS Virginis. Auctore Ioanne Monaſterii Gorzienſis Abbate, cum variis eiuſdem ſanctæ Tranſlationibus & Miraculis. *Ex Codice MS. Metenſi.* pag. 724

XI. Vita IOANNIS Gorziæ Abbatis, aliorúmque plurimorum, qui cum eo in eodem Monaſterio, viciniſve locis vixerunt. Auctore coætaneo, ſed Anonymo, eáque maximam partem mutila. *Ex veteri libro in pleriſque locis iam exeſo ac miſerum in modum deformato, cuius Apographum bona fide conati fuimus Lectoribus noſtris repræſentare.* Cætera quæ ad vitam, atque obitum, virtuteſque, ac rectè facta eiuſdem Abbatis pertinent, deſiderantur maximô Hiſtoricæ veritatis detrimento. Inibit maximam à nobis cæteriſque Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis gratiam, qui integram illam vulgauerit ipſe, aut nobis, aliiſve vulgandam tranſmiſerit. pag. 741

XII. Epiſtola conſolatoria, quam ſanctus LEODEGARIVS Heduorum Epiſcopus, poſt obitum germani ſui ſancti GVAYRENI, poſt amiſſos oculos, & labia inciſa, ad Sigradam ſanctiſſimam genitricem ſuam Sueſſionis in Cœnobio Puellarum commorantem direxit. *Exemplar ſubminiſtrauit V. C. Antonius de Vyon D. d'Herouual, numquam ſatis pro ſua humanitate ac beneficentia prædicandus.* pag. 777

XIII. Vita S. MANVÆI Bajocenſis, vt volunt, Epiſcopi, *quam excerpſimus ex Apographo veteris Chartacij à R. P. Iacobo Macaldo Societatis noſtræ ex*

Inferiore Normannia ad nos huc delato. pag. 779

XIV. Vita S. Pipionis Leuitæ & Confeſſoris. *De Lectionibus Officij, quod R. P. Ludouicus Iacob à Sancto Carolo Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo deſcripſit ex veteri codice vrbis Belnenſis in Vaſtinenſi pago, quæ iuris eſt Illuſtriſſimi Domini Achillis de Harlay Comitis de Bellomonte, Libellorum ſupplicum Magiſtri, &c.* pag. 779

XV. Vita ſancti Romarici Abbatis. *Deſcripſi ex codice MS. V. C. Claudij Hardy Senatoris Regij, de quo meminimus ante vitam S. Adelphi eiuſdem S. Romarici Monaſterij Abbatis, & in fine huiuſce.* pag. 781

XVI. Vita Sanctiſſimi ac beatiſſimi Confeſſoris Vvandregisili Fontanellenſis Abbatis, *quam mutuatus ſum ex veteribus membranis, quas à Viro ſibi amiciſſimo ingenio & eruditione præſtanti acceptas nobis exhibuit ſæpe nominatus, ſæpe nominandus, D. d'Herouual, antiquitatis illuſtrandæ ſtudioſiſſimus.* pag. 784

XVII. Series Abbatum Flauiniacenſis Cœnobij, de quâ poſt Hugonis Abbatis Virdunenſe Chronicôn nonnulla præmiſſa ſunt.

XVIII. Epiſcoporum Magalonæ Inſulę, quorum ſedes Subſtantionem ſubinde, ac tandem Peſſulanum in Montem tranſlata eſt, ſeries Chronologica, Auctore Arnaldo de Verdala, Magalonenſi Antiſtite. *Ex veteribus Chartis inter Schedas meas ſat feliciter repertis, quas qui ſeriò contulerit cum Hiſtoria V. C. Petri Garielis, ex hoc quamuis ſterili agello ſpicum aliquod non inutile identidem colligere poterit, ac leui manipulo ditare vel Monaſticam, vel Epiſcopalem Hiſtoriam.* pag. 793

XIX. Priuilegium, ſi tamen ſyncerum, de Archiepiſcopatu de Terracona, ſiue Epiſtola Stephani Papæ Seluę & Ermenrico atque Frodoino Barcinonenſi, &c. Priuilegium quoque eiuſdem Stephani Papæ factum Arnulfo Narbonenſi Antiſtiti de honore Archiepiſcopi, &c. pag. 802

XX. Exemplar Teſtamenti à Beato Remigio Remenſi Archiepiſcopo conditi, longè diuerſi ab eo, quod refert Flodoardus libro 1. Remenſis Hiſtoriæ. *Prodijt quidem nuper Teſtamentum hoc in noua diſquiſitione de Ampulla Remenſi, ſed aliquot mendis deforme, quas ope ſanioris noſtri Apographi ſuſtulimus, vt ex vtriuſque collatione facile quiuis intelliget.* pag. 806

SVMMA PRIVILEGII CHRISTIANISSIMI REGIS.

LVDOVICI XIV. Franciæ & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi Diplomate cautum eſt, ne quis in ipſius regno, aliiſve locis eius ditioni ſubiectis, intra proximos viginti annos à die Impreſſionis perfectæ primæ inchoandos, excudat, vendat, vendendum, excudendumque quouis modo ac ratione curet librum, qui inſcribitur, *Noua Bibliotheca MSS librorum, Tomus primus & ſecundus, in quibus varia ac recondita, tum Chronica, tum Hiſtorica Opuſcula è tenebris eruuntur in lucem*, Opera R. P. PHILIPPI LABBE, è Societate IESV, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon vrbis Exconſulem, aut alios, quibus ipſe conceſſerit, ſub pœnis in Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Lutetiæ Pariſiorum, die 19. Martij anno 1657. ſic Signatum, CRAMOISY.

FACVLTAS R. PATRIS PROVINCIALIS.

EGo CLAVDIVS DE LINGENDES Prouincialis Prouinciæ Franciæ Societatis IESV permitto P. PHILIPPO LABBE eiuſdem noſtræ Societatis Presbytero, vt in lucem edat opus inſcriptum *Bibliotheca Noua MSS. librorum. ſiue Antiquæ Lectiones in IV. Partes tributa, ex varijs MSS Codicibus magno ſtudio collecta, præſertim ad Hiſtoriam & Chronologiam ſpectantes, &c.* In cuius rei fidem nomen meum adſcripſi, die 16 Octobris anni 1651 in Domo Profeſſa Pariſienſi.

CLAVDIVS DE LINGENDES.

Hæc prima Editio perfecta fuit die 15. Maij 1657.

NOVÆ

NOVAE BIBLIOTHECÆ MSS. LIBRORVM PRIMA PARS CHRONOLOGICA ET HISTORICA.

DESCRIPTIO
CONSVLVM
EX QVO PRIMVM ORDINATI SVNT:
SIVE INTEGRI
FASTI CONSVLARES,
QVOS IDATIANOS
DOCTI VIRI HACTENVS APPELLARVNT:

Ex Codice MS. Bibliothecæ Collegij Claromontani Pariſienſis Societatis IESV.

Annos ab Vrbe Conditâ Varronianos ad oram addidimus.

245. BRVTO & Collatino.
246. Publicolâ & Lucretio.
Pulaillo. 247. Publicolâ II. & * Publilio.
248. *Omiſſi Lartius & Exquilinus.*
249. *Omiſſi Valerius & Tubertus.*
250. Publicolâ III. & Lucretio II.
251. Menenio Agrippâ & Poſtumio.
Viſcellino. 252. Tricoſto & * Viſtellino.
253. Aurunco & Flauo.
254. Camerino & Longo.
255. Heluâ & Gemino.
Siculo. 256. Flauo & * Siſulo.
257. Atratino & Augurino.
258. Albo & Cœlimontano.
259. Sabino & Priſco.
Cicurino. 260. Cœlimontano II. & * Viſellino III.
261. Aurunco II. & Virellino.
262. Macerino & Augnrino.
Atratino. 263. Augurino II. & * Atratio.
Fabio. 264. Camerino & * Flauo.
Iulo. 265. * Tullo & Ruſo.
His Conſſ. Romani proceres dicti ſunt.
Fuſo. 266. Nautio & * Ruſo.
267. Tuſco & Sabino.
268. Rutilio & Viſcellino.
269. Fabio & Maluginenſe.
270. Mamerco & Fabio.
Valerio. 271. Fabio & * Voleſio.

272. * Tertullo & Fabio II. Iulo.
273. Sabino & Fuſo.
274. Cincinnato & Fabio III.
275. Rutilio & Fabio IV.
276. Æmilio II. & Æſculino.
277. Lænate & * Publilio. Pulullo.
278. *Omiſſi Tricoſtus & Structus.*
279. Nautio & Publicola.
280. * Mallio & Furio. Manlio.
281. Æmilio & Iulio.
282. Pinario & * Fuſco. Fuſo.
283. Sabino & Capitolino.
284. Æmilio & Valerio.
285. Cœlimontano & Priſco II.
286. Capirolino & Priſco.
287. Æmilio II. & Vibulano.
288. Regilliano & * Fuſco. Priſco.
289. *Omiſsi Capitolinus* III. *& Fabius* II.
290. * Priſco & Albo. Fuſo.
291. *Omiſsi Priſcus & Elua.*
292. Tricipitino & Veturio.
293. Gallo & Camerino.
294. Publicola II. & Sabino.
295. Vibulano & Maluginenſe.
296. Nautio & * Arratino. Augurino.
297. * Publilio & Hilario. Pulullo.
298. Maximo & Virginio.
299. * Rogo & Veturio. Romilio.

Tarpeio. 300. * Capitolino & Varo.
Quintilio. 301. Feſto & * Quinrillo.
302. Lænate & Capitolino.
His Conſſ. Decemuiri creati priores & poſteriores annis II.
305. Barbato & Porito.
306. Herminio & Tricoſto.
307. Macerino & Iulio.
308. Furio & Capitolino.
309. Genucio & Curtio.
His Conſſ. Tribuni Plebis facti tres anno I.
310. *Omiſsi Mugillanus & Atratinus.*
311. Macerino & Capitolino.
312. Vibulano & Helua.
313. Pacilio & Craſſo.
314. Macerino & Lanato.
Menenio. 315. * Mallio & Capirolino.
His Conſs. item Tribuni Plebis III. *ann.* II.
317. Macerino & Fidenate.
318. Maluginenſe & Craſſo.
319. Iulio & Virginio.
320. Capitolino & Camerino.
His Conſſ. item Tribuni plebis III. *ann.* II.
323. Penno & Mentone.
324. Craſſo & Iulio.
325. Tricipitino & Fidenate II.
Penno. 326. Coſſo & * Pœno.
327. Ahala & Mugillano.
His Conſs. item Tribuni plebis IV. *annis* III.
331. Atrarino & Vibulano.
332. Capirolino & Vibulano.
His Conſſ. item Tribuni plebis IV. *ann.* VIII.
341. *Omiſsi Coſſus & Medullinus.*
342. *Omiſsi Ambuſtus & Pacilus.*
343. Mugillano & Rutilo.
ValerioPo- 344. Æmilio & * Ruſtico.
tito. 345. Coſſo & Medullino.
His Conſs. Tribuni plebis IV. *&* VI. *annis* XV.
361. Flauo & Camerino.
362. Potito & Capirolino.
His Conſſ. item Tribuni plebis creati ſunt annis XVIII. *poſtea annis* IV. *nemo curulis Magiſtratus fuit. Item Tribuni plebis* VI.
388. Mamertino & Laterano.
389. Genucio & Curtio.
Caluo. 390. Petico & * Galuâ.
Genucio. 391. Mamertino II. & * Silla.
392. Ahala & Genucio.
Petico. 393. Stolone & * Petino.
394. *Omiſsi Balbus & Ambuſtus.*
Manlio. 395. * Libone & Lænate.
396. Ambuſto & Proculo.
397. * Ruſtico & Capirolino. Rutilo.
398. Ambuſto II. & Lænate.
399. * Potiro & Publicola. Petico.
400. *Omiſsi Ambuſtus* III. *& Capitolinus.*
401. *Deſunt Peticus* IV. *& Poplicola* II.
402. *Deſunt P. Publicola & Rutilus* II.
403. * Roetico & Pœno ſeu Penno. Petico.
404. Scipione & Lænate II.
405. Camillo & Craſſo.
406. Coruino & Lænate III.
407. * Veneco & Torquato. Vennone.
408. Coruino II. & Libone.
409. * Burſone & Camerino. Dorſone.
410. Rutilo & Torquaro II.
411. Coruino III. & Coſſo.
412. Ahala & Rutilo II.
413. Venoce II. & Mamertino.
414. Torquaro III. & * Muſone. Mure.
415. Mamertino & * Seleno. Philone.
416. Camillo & Mœnio.
417. * Feſto & Longo. Pæto.
418. Craſſo & * Dulillo. Duillio.
419. Regulo & Coruino.
420. Albino & Galbino. Veturio &
421. *Deeſt Abſque Conſulibus, ſine Anarchia.* Poſtumio.
422. * Galbino & Coſſo. Caluino.
423. Potito & Marcello.
424. Craſſo & * Venoce. Vennone.
425. Mamertino II. & Deciano.
426. Venoce II. & Scipione.
427. Lentulo & * Silone. Philone.
428. * Libonio & Curſote. Libone.
429. Camillo & Bruto.
430. *Sine Conſs. tum Dictator creatus Papyrius Curſor, & Magiſter Equitum Druſus.*
431. Longo & Ceretano.
432. * Curſote & Rullo. Curuo.
433. Caluino & Albino.
434. Curſore II. & Philone.
435. Papirio & Cæretano.
436. Venoce & Flaccino.
437. Barbulâ & Bubulco.
438. Rutilio & Lænare.
439. Curſote III. & * Lænate II. Philone.
440. Samnite & Longo.
441. Curſore IV. & Bubulco II.
442. Maximo & * Muſone. Mure.
443. Bubulco III. & Barbula.
444. Rullo & Rutilio.
445. *Sine Conſſ. tum Dictator Curſor, & Magiſter Equitum Bubulcus.*
446. Muſone II. & Rullo II.
447. Appio Cæco & * Violente. Volumnio.
448. Tremulo & * Albino. Aruinâ.
449. * Metello & Minutio. Megello.
450. Sempronio & * Fabetio. Auerrione.

Auentinēſi. 451. Lentulo & * Abenteſi.
Dentere. 452. * Dentone & Æmilio.
453. *Sine Conſſ. Coruinus Dictator, & Æmilius Magiſter Equitum menſibus* VI. *deinde fuerunt,*
454. Coruino & Panſâ.
Pæto. 455. * Pætico & Torquato.
456. Scipione & Maximo.
457. Rullo III. & Muſone III.
Volumnio. 458. Claudio II. & * Violente II.
459. Rullo V. & Muſone V.
460. Megello & Regulo.
Caruilio. 461. Curſore & * Maximo.
Bruto. 462. Maximo Gurgite & * Bracho.
Bubulco. 463. Megello II. & * Wlbo.
464. *Omiſſi Ruffinus & Dentatus.*
Coruino. 465. * Maximo & Noctuâ.
Atrina. 466. Tremulo & * Albino.
467. Marcello & Rutilo.
Pæto. 468. Potito & * Petito.
469. Lepido & Cæcina.
Tocca. 470. * Tacio & Dentone.
Domitio. 471. Dolabella & * Maximo.
Luſcino. 472. * Lucio & Papo.
473. Barbula & Philippo.
474. Læuino & Coruncano.
Auerione. 475. * Cauerione & Muſone.
476. Lucinio & Papo.
477. Rufino & Bubulco.
Clepſina. 478. Gurgite & * Clepyno.
479. Dentato & Lentulo.
480. Dentato II. & Merenda.
Canina. 481. Luſcinio & * Cambia.
Capulio. 482. Curſore & * Maximo.
483. Claudio & Clepſinate.
484. *Omiſſi Clepſinas & Blaſio.*
Pictore. 485. Gallo Sabino & * Piſone.
486. Sempronio Sapiente & Rufo.
487. Regulo & Libone.
Perâ. 488. Fabio Pictore & * Pœtâ.
Muſone. 489. Maximo & * Vitulo.
Caudice. 490. * Theudace & Flacco.
491. Maximo & Craſſo.
Megello. 492. * Albino & Vitulo.
493. Flacco II. & Craſſo.
494. Scipione Aſinâ & Duillio.
495. Scipione & Floro.
Calatino. 496. * Catacœno & Paterculo.
Blaſione. 497. Regulo & * Blæſo. [*Regulus.*
498. Wlſone & Decio, *cui ſuffectus.*
Fuluio. 499. * Pætino & Paulo.
500. Scipione & Calatino.
Cæpione. 501. * Capitone & Blæſo.
502. Cotta & Gemino.
Pacilo. 503. Metello & * Papo.
504. Regulo II. & Wlſone.
505. Pulchro & Pullo.
506. Cotta II. & Gemino II.
507. Metello & Buteone.
508. Craſſo & Licinio.
509. Buteone II. & Bulbo.
510. Torquato & Blæſo.
511. Fundulo & Gallo Longo.
512. Catulo & Albino.
513. Torquato & * Catone. Cercone.
514. Centone & Tuditano.
515. * Tuncino & Falcone. Turrino.
516. Graccho & * Falcone. Faltone.
517. *Omiſſi Lentulus & Flaccus.*
518. * Claudio Lentulo & Varo. Cornelio.
519. Torquato & * Volbo. Bulbo.
520. Albino & * Rogo. Caruilio.
521. Maximo & Mathone.
522. Lepido & * Balbulo. Malleolo.
523. Mathone & Maſone.
524. Barbula II. & Pera.
525. Albino & Centumalo.
526. Caruilio & Maximo * Veto. Verrucoſo.
527. Flacco & Regulo.
528. * Maximo Meſſala & Apuſtio. Valerio.
529. Papo & Regulo.
530. Torquato & * Papo. Flacco.
531. Flaminio & * Philone. Philo.
532. Scipione & Marcello.
533. Scipione * Naſica & Rufo. Aſinâ.
534. Catulo & Philone.
535. Paulo & Salinatore.
536. Scipione & Longo. [*eſt Regulus.*
537. Gemino & Flaminio, *cui ſuffectus*
538. Paulo II. & Varrone.
539. Fabio Maximo & Graccho.
540. Fabio Maximo II. & Marcello.
541. Maximo & Graccho.
542. Pulchro & Flacco.
543. Galba & Centumalo.
544. * Lebyino & Marcello. Læuino.
545. Fabio & Flacco.
546. Marcello & Criſpino.
547. Nerone & Salinatore.
548. Metello & * Filone. Philone.
549. Scipione & Craſſo diuite.
550. Cethego & Tuditano.
551. Cæpione & Seruilio.
552. Nerone & Seruilio.
553. Lentulo & Pæto.
554. Galba II. & Cotta.
555. Lentulo & Tappulo.
556. Flaminio & Pæto.
557. Cethego & Rufo.
558. * Porphyrio & Marcello. Purpureone
559. * Feſto & Flacco. Catone.
560. Scipione Africano & Longo.
561. Merula & * Hermo. Thermo.
562. Flaminio & Ahenobarbo.
563. Glabrione & Naſica.
564. Scipione & * Lellio. Lælio.

565. Wlſone & Nobiliore.
CCL 566. Salinatore & Meſſala.
567. Lepido & Flaminio.
568. Albino & Philippo.
569. Pulchro & Tuditano.
570. Pulchro II. & Licinio.
571. Labeone & Marcello.
572. Tamphilo & Paulo.
573. Cethego & Tamphilo.
574. Albino & Piſone.
Acidino. 575. * Acindyno & Flacco.
576. Bruto & Wlſone.
577. Pulchro & Graccho.
578. Scipione & Petilio.
579. Lepido II. & Scæuola.
580. *Omiſſi Albinus & Scæuola.*
581. Albino & Lænate.
582. Lænate & Ælio.
Longino. 583. Craſſo & * Longo.
Mancino. 584. * Macrino & Serrano.
585. Philippo & Cæpione.
586. Paulo & Craſſo.
Penno. 587. Pæto & * Pænino.
588. Gallo & Claudio.
589. Torquato & Octauio.
590. Torquato II. & Longino.
Thalna. 591. Graccho & * Talina.
592. Scipione Naſica & Figulo.
His Conſſ. in horum locum quia vitio creati erant, ſufficiuntur Lentulus & Domitius.
Strabone. 593. Meſſala & * Carbone.
594. Gallo & Cethego.
595. Dolabella & Fuluio Nobiliore.
596. Lepido & Lænate II.
597. Cæſare & Oreſte.
598. Lentulo & Figulo.
599. Naſica & Marcello.
600. Opimio & Albino.
Luſco. 601. Nobiliore & * Lanſeo.
602. Marcello II. & Flacco.
603. Lucullo & Albino.
604. Flaminio & Balbo.
605. Cenſorino & Manilio.
606. Albino & Piſone.
Æmiliano. 607. Scipione * Æmilio & Druſo.
Mummio. 608. Lentulo & * Numieio.
609. Maximo Æmilij & Mancino.
610. Galba & Cotta.
611. Claudio & Metello.
612. Metello II. & Maximo.
613. *Omiſſi Cæpio & Rufus.*
614. Cæpione & Lælio.
615. Lænate & Piſone.
616. Naſica Scipione & Bruto.
617. Lepido Porcina & Mancino.
Sex. Atilio. 618. Philo & * Seruilio.
619. Flacco & Piſone.

620. Scipione Africano & Flacco.
621. Scæuola & Calpurnio.
622. Lænate & Rutilio.
623. Craſſo & Flacco.
624. Lentulo & Perperna.
625. Tuditano & * Anulio. Aquilio.
626. Octauio & Ruſo.
627. Longino & Cinna.
628. Lepido & Oreſte.
629. Hypſæo & Flacco.
630. Longino & Caluino.
631. Metello & Flaminio.
632. Ahenobarbo & Fannio.
633. Opimio & Maximo * Æmilij. Æmiliano.
634. Manilio & Carbone.
635. Metello & Cotta.
636. Catone & Marcio Rege.
637. Metello Diademato & Mutio Scæuola.
638. Geta & Maximo Seruiliano.
639. Scauro & Metello.
640. Balbo & Catone.
641. Metello & Carbone.
642. Druſo & Piſone.
His Conſſ. initium belli Iugurthini.
643. Naſica Scipione & Beſtia Calpurnio.
644. Rufo & Albino.
645. Metello Numidico & Silano.
646. Sulpitio & Scauro.
647. Longino & Mario.
648. Serrano & Cæpione.
His Conſſ. natus eſt Cicero die VIII. Kalendas Maias.
649. Rufo & * Mallio. Manilio.
650. Mario II. & Fimbria.
651. Mario III. & Oreſte.
652. Mario IV. & Catulo.
653. Mario V. & Aquilio.
654. Mario VI. & Flacco.
655. Antonio & Albino.
656. Metello Nepote & Tito Didio.
657. Lentulo & Craſſo.
658. Ahenobarbo & Longino.
659. Craſſo & Scæuola.
660. * Galua & Ahenobarbo. Caluo.
661. Flacco & Herennio.
662. Pulchro & Perperna.
663. Philippo & Cæſare.
664. Cæſare & Lupo.
665. Strabone & Catone.
666. Sylla & Rufo.
667. Octauio & Cinna.
668. Mario VII. & Cinna II. CCCL.
His Conſſ. natus eſt Saluſtius die Kalend. Octobr.
669. Cinna III. & Carbone.
670. Carbone II. & * Scribonio. Cinna IV.
671. Scipione & Norbano.

672. Carbone III. & Mario.
673. Diecula & Dollabella.
674. Sylla & Metello Pio.
675. Vatiâ & Pulchro, *ſiue plenius* Seruilio Vatiâ & Claudio Pulchro.
676. Lepido & Catulo.
677. Bruto & Mamerco.
678. Octauio & Curione.
679. Octauio & Cotta.
680. Lucullo & Cotta.
681. MarcoLucullo & CaſſioLongino.
682. Cn. Lentulo & Gellio.
683. P. Lentulo & Oreſte.
684. Pompeio & Craſſo.
685. Hortenſio & Metello.
• *His Conſſ. natus eſt Vergilius die Id. Octobr.*
686. Marcio Rege & Metello.
687. Piſone & Glabrione.
688. Volcatio Tullo *: omiſit Lepidum.*
689. Cotta & Torquato.
690. L. Cæſare & Figulo.
691. Cicerone & Antonio.
His Conſſ. bellum Catilinæ geſtum eſt.
692. Silano & Muræna.
693. Piſone Frugi & Meſſala Nigro.
694. Afranio & Metello Celere.
695. C. Cæſare & Bibulo.
696. Piſone & Gabinio.
697. Lentulo & Metello Nepote.
698. Marcellino & Philippo.
699. Pompeio II. & Craſſo II.
700. Ahenobarbo & Pulchro.
701. Caluino & Meſſala.
702. Pompeio III. & Metello Scipione.
703. Rufo & Marcello.
704. Marcello & Paulo.
705. Lentulo & Marcello.
706. Cæſare & Seruilio Iſaurico.
707. Caleno & Vatinio.
708. Cæſare III. & Lepido. [*dum.*
709. Cæſare IV. ſolo. *Alÿ addunt Lepi-*
710. Cæſare V. & Antonio.
**** *Vide paullo infrà.*
711. Panſa & Hirtio.
His Conſſ. obiit Cicero die IV. Kal. Maias.
712. Lepido & Planco.
713. Antonio pietate & Iſaurico.
His Conſſ. bellum Iſauricum geſtum eſt, & Iulius Cæſar ex Senatus conſilio deceptus in Curia occiditur à Caſſio & Bruto.
Poſt hunc Octauianus Cæſar Auguſtus appellatur.
Hæc verò, vt vides, Antiquarÿ culpâ non ſuo adſcripta ſunt loco.
Caluino. 714. * Galbino II. & Pollione.
715. Cenſorino & Sabino.
716. Pulchro & Flacco. I.
His Conſſ. obiit Saluſtius die III. Idus Maias.
His Conſſ. Era prima curſus Lunæ inuentus : quæ librarius temerè in ſexennium vſque diſtulit.
717. Agrippa & Gallo.
718. Publicola & Nerua Cocceio?
719. Cornificio & Pompeio Magno.
His Conſſ. bellum Fugitiuorum geſtum eſt.
720. Antonio II. & Libone.
His Conſſ. obiit Cicero interfectus die IV. Kal. Maias. Quæ expungenda nemo non videt.
721. Octauiano Auguſto II. & * Paulo. Tullo.
722. Ahenobarbus & Soſius *extra ordinem infrà poſiti.*
723. Octauiano Aug. III. & * Carbilio Coruinò.
724. Octauiano IV. & Craſſo.
725. Octauiano V. & * Pulchro. X.
726. Octauiano VI. & Agrippa. Apuleio.
His Conſſ. Carthago libertatem à Populo Romano recepit.
727. Octauiano VII. & Agrippa II.
728. Octauiano VIII. & Tauro II.
729. Octauiano IX. & Silano.
730. Octauiano X. & Flacco.
731. Octauiano XI. & Piſone.
732. Æſernino & Aruntio.
Inculcantur hoc loco Celſus & Hiberus.
733. Lollio & Lepido.
734. Apuleio & Nerua.
735. Saturnino & Lucretio. XX.
736. Duobus Lentulis.
His Conſſ. obiit Vergilius die XI. *Kal. Octob.* Lentulo & Cornelio *perperam repetita.*
737. * Fornicio & Silano. Furnio.
738. Scipione & Domitio Ahenobarbo.
739. * Libone & Piſone. Linio.
740. Craſſo & Lentulo.
741. Nerone & Varo.
742. Meſſala & Quirino.
Inſerti temerè Rubellius & Saturninus.
743. Maximo & Tuberone.
744. Africano & Maximo.
745. Druſo & Criſpino. XXX.
746. Cenſorino & Gallo.
747. Nerone II. & Piſone.
748. Balbo & Vetere.
749. Octauiano XII. & Sylla.
750. Sabino & Rufino.
751. Lentulo & Meſſalino.
752. Octauiano XIII. & * Silano. Siluano.

His Conſſ. natus eſt CHRISTVS *die* VIII. *Kal. Ian.*

753. Lentulo & Piſone.

ÆRÆ CHRISTIANÆ *annos deinceps inſcribemus margini, quibus perpetuâ methodo additi anni 753. optatos Vrbis Conditæ annos exhibebunt.*

1. C. Cæſare & Lucio Paulo.
XL. 2. * Vindicio & Varo.
Vinicio. 3. Lamia & Seruilio N. mano.
4. *Omiſſi Ælius Catus & Saturninus.*
Cinna. 5. Magno * Pompeio & Valerio.
6. Lepido & Aruntio.
7. Cretico & Nerua.
8. Camillo & Quintiliano.
9. Camerino & Sabino.
Silano. 10. Dolabella & * Sabino.
11. Lepido & Tauro.
L. 12. Germanico Cæſare & Capitone.
Planco & 13. * Flacco & Silano.
Silio. 14. Duobus Sextis Pompeio Magno & Apuleio.
Druſo. 15. * Bruto & Flacco.
16. Tauro & Libone.
Flacco. 17. * Craſſo & Rufo.
18. Tiberio Cæſare II. & Druſo Germanico II.
19. Silano & Balbo.
Cotta. 20. Meſſala & * Grato.
21. Tiberio Cæſare III. & Druſo Germanico III.
LX. 22. Agrippa & Galba.
23. Pollione & Vetere.
Varrone. 24. Cethego & * Varo.
25. Agrippa II. & Lentulo *Galua.*
26. Getulico & Sabino.
27. Craſſo & Piſone.
28. Silano & Nerua.
Fuſio. 29. * Rufo & Rubellione.

His Conſſ. paſſus eſt Chriſtus die decimo Kalendas Aprilis, & reſurrexit VIII. *Kalendas eaſdem.*

Ad marginem verò hæc fuerunt iam olim adſcripta. *Anno hoc Euangelium docet Saluatorem & Dominum noſtrum tribus annis poſt baptiſmum docuiſſe, ad quem venit triceſimo ætatis ſuæ anno, ſicut in imperio Tiberij Cæſaris habetur adſcriptum. In hoc loco per Conſules error annorum eſt, niſi de Rufo & Rubellione in tertium ordinem Conſulum ſupputatio pertendat.*

30. Vinicio & Longino Caſſio.
31. Tiberio Cæſare IV. ſolo.
LXX. 32. Aruntio & Ahenobarbo.
33. Galba *Libolo* & Sylla.
Priſco. 34. * Perſico & Vitellio *Tulo.*
35. Gallo & Noniano.
36. * Æmiliano & Plautio. Gallieno.
37. Proculo & Nigrino.
38. Iuliano & Aſprenate.
39. Cæſare II. & Cæſiano.
40. Cæſare III. ſolo.
41. Cæſare IV. & * Antonino. Saturnino.
42. Claudio II. & * Largo. LXXX.
43. Claudio III. & Vitellio. Longo.
44. * Criſpo II. & Tauro. Criſpino ſeu Priſco.
45. Vinitio & Coruino.
46. Aſiatico & Silano.
47. Claudio IV. & Vitellio III.
48. Vitellio IV. & Publicola.
49. * Vetiano & Gallo. Verannio.
50. Vetere & Neruiliano.
51. Claudio & Orfito.
52. Sylla & * Carone. XC.
53. Silano & Antonino. Othone.
54. Marcello & Auiola.
55. Nerone & Vetere.
56. Saturnino & Scipione.
57. Nerone II. & Piſone.
58. Nerone III. & Meſſala Coruino.

His Conſſ. Petrus & Paulus paſſi ſunt die III. *Kal. Iulias.*

59. Apfoniano & Capitone.
60. Nerone IV. & Lentulo.
61. * Lacio & Turpiliano. Pæto.
62. Mario & Gallo. C.

His Conſſ. Iudæa capta eſt.

63. Rufo & Regulo.
64. Craſſo & Baſſo.
65. * Helua & Veſtino. Nerua.
66. Teleſino & Paulino.
67. Capitone & Rufo.
68. Italico & Trachalo.

His Conſſ. Nero non comparuit.

69. Galba II. & Tito Rufino.
70. Veſpaſiano II. ſolo.
71. Veſpaſiano III. & Nerua.
72. Veſpaſiano IV. & Tito II. CX.
73. Domitiano II. & Meſſalino.
74. Veſpaſiano V. & Tito III.
75. Veſpaſiano VI. & Tito IV.
76. Veſpaſiano VII. & Tito V.
77. Veſpaſiano VIII. & Domitiano III

His Conſſ. Iudæi peruicti ſunt.

Commodus & Priſcus omiſſi.

78. Veſpaſiano IX. & Tito VI.
79. Tito VII. & Domitiano IV.
80. * Galua & Pollione. Siluano.
81. Domitiano V. & Sabino. CXX.
82. Domitiano VI. & Rufo.
83. Domitiano VII. & Sabino II.
84. Domitiano VIII. & Fuluio.
85. Domitiano IX. & Dolabella.
86. Domitiano X. & Saturnino.

88.

88. Domitiano xi. & Rufo.
89. Fuluio & Arratino.
90. Domitiano xii. & Nerua ii.
91. Glabrione & Traiano.
CXXX. 92. Domitiano xiii. & Saturnino.
Priſco. 93. Pompeiano & * Priſciano.
94. Aſprenate & Laterano.
95. Domitiano xiv. & Clemente.
96. Valente & Vetere.
His Conſſ. exceſſit Domitianus in palatio Romæ.
97. Nerua iii. & Rufo iii.
98. Nerua iv. & Traiano ii.
99. Palma & Senecione.
Frontone. 100. Traiano iii. & * Pontino.
101. Traiano iv. & Pæto.
CXL. 102. * Seueriano & Sura.
Senecione. 103. Traiano v. & Maximo.
Surano. 104. * Suburano ii. & Marcello.
105. Candido ii. & Quadrato.
106. Commodo & Cereali.
107. Sura iii. & Senecione ii.
108. Gallo & Bradua.
109. Palma ii. & Tullo.
Criſpino. 110. Orfito & * Priſciano.
Bolano. 111. Piſone & * Iuliano.
CL. 112. Traiano vi. & Africano.
His Conſſ. perſecutio Chriſtianorum.
Criſpino. 113. Celſo ii. & * Priſciano ii.
Vopiſco. 114. Haſta & * Voluſo.
115. Meſſala & Pedone.
116. Æliano & Vetere.
117. Aproniano & Nigro.
118. Hadriano & Salinatore.
119. Hadriano iv. & Ruſtico.
120. Seuero ii. & Fuluo.
121. Vero ii. & Augure.
122. Auiola & Panſa.
CLX. Pætino. 123. Aproniano & * Paupino.
124. Glabrione & Torquato.
125. Aſiatico & Aquilino.
Ambiguo. 126. Vero iii. & * Ambigulo.
127. Tiriano & Gallicano.
128. Torquaro & Libone.
129. Marcello & Celſo.
Apro. 130. Catullino & * Libone.
131. Ponriano & Rufo.
CLXX. 132. Augurino & * Sergiano.
Seueriano. 133. Hibero & Siſenna.
134. Seuero iii. & Varo.
Pompeiano. 135. * Ponriano & Aquilino Rufo.
136. Commodo & Pompeiano.
137. Cæſare ii. & Balbino.
138. Camerino & Nigro.
139. Antonino ii. & Præſente.
140. Antonino iii. & Aurelio.
141. Seuero & Siluano.
CLXXX. 142. Rufino & Quadrato.

143. Torquato & * Hedore. Herode.
144. Auito & Maximo.
145. Antonino iv. & Aurelio ii.
146. Claro & Senero.
147. Largo & Meſſalino.
148. Torquato & Iuliano.
149. Orfito & Priſco.
150. Glabrione & Vetere.
151. Gordiano & Maximo.
152. Glabrione ii. & * Humillio. CXC.
153. Præſente & Rufino. Omullo.
154. Commodo & Laterano.
155. Seuero & Sabiniano.
156. Silnano & Augurino.
157. Barbaro & Regulo.
158. * Tullo & Sacerdote. Tertullo.
159. Quinrillo & Priſco.
160. Bradua & Vero.
161. Antonino v. & Aurelio Cæſ. duobus Auguſtis.
His Conſſ. orta perſecutione paſſi Polycarpus & Pionius.
162. * Rufino & Aquilino. CC.
163. L. Æliano & Paſtore. Ruſtico.
164. Macrino & Celſo.
165. Orfito & Pudente.
166. Pudente & Pollione.
167. Vero iii. & Quadrato.
In Chronico his Conſſ. paſſos legis: cætera deſunt in noſtro MS.
168. * Aproniano & Paulo. Montano.
169. Priſco & Apollinare.
170. Cethego & Claro.
171. Seuero & Herenniano.
172. Orfiro & Maximo. CCX.
173. Seuero ii. & Pompeiano.
174. Gallo & Flacco.
175. Piſone & Iuliano.
176. Pollione & Apro.
177. Commodo & Quintillo.
178. Orfito & Ruffo.
179. Commodo ii. & Vero.
180. Præſente & * Condiano. Gordiano.
181. Commodo iii. & Burro.
182. Mamertino & Rufo. CCXX.
183. Commodo iv. & Victorino.
184. * Marullo & Æliano. Marcello.
185. Materno & Bradua.
186. Commodo v. & Glabrione.
187. Criſpino & Æliano.
188. Fuſciano & Silano.
189. Duobus Silanis.
190. Commodo vi. & Septimiano.
191. Aproniano & Bradua.
192. Commodo vii. & Pertinace. CCXXX.
193. Falcone & Claro.
194. Seuero ii. & Albino.
195. Terrullo & Clemente.

196. Dextro & Priſco.
197. Laterano & Rufino.
198. Saturnino & Gallo.
199. Anullino & Frontone.
200. Seuero II. & Victorino.
201. Muciano & Fabiano.
CCXL. 202. Seuero III. & Antonino.
203. Plautiano II. & Geta.
204. Chilone & Libone.
205. Antonino II. & Geta II.
206. Albino & Æmiliano.
Caro. 207. * Apto & Maximo.
208. Antonino III. & Geta III.
209. Pompeiano & Auito.
Rufiniano. 210. Fauſtino & * Rufino.
211. Gentiano & Baſſo.
CCL. 212. Duobus Aſpris.
213. Antonino IV. & Balbino.
214. Meſſala & Sabino.
215. Læto & Cereale.
216. Sabino & Anullino.
217. Præſente & Extricato.
218. Antonino & Aduento.
His Conſſ. inſtrumenta debitorum fiſco in foro Romano arſerunt per dies XXX.
219. Antonino II. & Sacerdote.
220. Antonino III. & Comazonte.
221. Grato & Seleuco.
CCLX. 222. Antonino IV. & Alexandro.
223. Maximo II. & Æliano.
Iuliano. 224. * Fabiano & Criſpino.
Fuſco vel Rufo. 225. * Fuſciano & Dextro.
226. Alexandro II. & Marcello.
Balbino, al. Sabino. 227. * Albino & Maximo.
228. Modeſto & Probo.
229. Alexandro III. & Dione.
Clemẽtino. 230. Agricola & * Clemente.
Feliciano. 231. Pompeiano & * Pelligniano.
CCLXX. 232. Lupo & Maximo.
233. Maximo & Paterno.
234. Maximo II. & Vrbano.
235. Seuero & Quintiano.
al. Maximino. 236. * Maximo III. & Africano.
237. Perpetuo & Corneliano.
al Vlpio. 238. * Pio & Pontiano.
239. Gordiano & Auiola.
Sabino. 240. * Albino & Venuſto.
241. Gordiano II. & Pompeiano.
CCLXXX. 242. Attico & Prætextato.
243. Arriano & Papo.
244. Peregrino & Æmiliano.
245. Philippo & Titiano.
246. Præſente & Albino.
247. Philippo II. & Philippo.
248. *Omiſſi Philippus* III. *& Philippus* II.
249. Æmiliano & Aquilino.
250. Decio II. & Grato
251. Decio III. & Decio Cæſare.
His Conſulibus perſecutio Chriſtianorum.
252. Gallo II. & Voluſiano. CCXC.
253. Voluſiano II. & Maximo.
254. Valeriano II. & Gallieno.
255. Valeriano III. & Gallieno II.
256. Maximo & Glabrione.
257. Valeriano IV. & Gallieno III.
258. * Tuſco & Baſſo. al. Fuſco.
His Conſſ. paſſus eſt Cyprianus die XVIII. *Kal. Octobris.*
259. Æmiliano & Baſſo.
260. Sæculare & Donato.
261. Gallieno IV. & Voluſiano.
His Conſſ. hoſtes multi irruerunt in Romaniâ.
262. Gallieno V. & * Fauſtiniano. Fauſtino. CCC.
263. Albino & Dextro.
264. Gallieno VI. & Saturnino.
265. Valeriano * V. & Lucillo. II.
266. Gallieno VII. & Sabinillo.
His Conſſ. captus Valerianus in Perſida.
267. Paterno & Arceſilao.
268. Paterno II. & Mariniano.
269. Claudio & Paterno.
His Conſulibus victi Gothi à Claudio.

Quæ ſequuntur vſque ad obitum Honorij à R. P. Iacobo Sirmondo edita ſunt poſt Idatij Chronicon : nos ad MS. Codicis fidem diligenter exegimus. & quod factum hactenus, annos Æræ Chriſtianæ ſingulis Conſulum paribus præfiximus.

270. Antiochiano & Orfito.
His Conſulibus leuatus Aurelianus Imperator.
271. Aureliano & Baſſo.
His Conſſ. muri vrbis cœpti fieri.
272. Quieto & * Valdumiano. CCCX. Voldumiano.
273. Tacito & Placidiano.
274. Aureliano II. & Capitolino.
275. Aureliano III. & Marcellino.
His Conſulibus occiſus eſt Aurelianus Imper. Cænofrurio, & leuatus eſt poſt dies ... Tacitus Romæ.
276. Tacito II. & Æmiliano.
277. Probo & Paulino.
His Conſulibus occiſus eſt Tacitus Tyana.
278. Probo II. & Lupo.
279. Probo III. & Paterno.
280. Meſſala & Grato.
281. Probo IV. & Tiberiano.
282. Probo V. & Victorino. CCCXX.

283. Caro & Carino.
His Conſſ. occiſus eſt Probus Sirmio.

284. Caro II. & Numeriano.
His Conſſ. magna fames fuit.

285. Diocletiano II. & Ariſtobulo.
His Conſſ. occiſus eſt Carinus Margo, qui ipſo anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat.

286. Maximo II. & Aquilino.
His Conſſ. leuatus eſt Maximianus Imperator ſenior die Kalend. Aprilis.

287. Diocletiano III. & Maximiano.

Ianuario. 288. Maximiano II. & * Anuarino.

289. Baſſo & Quintiano.

290. Diocletiano IV. & Maximiano III.

291. Tiberiano & Dione.
His Conſſ. tenebræ fuerunt inter diem. & eo anno leuati ſunt Conſtantius & Maximianus Cæſares die Kal. Mart.

CCC- 292. Annibaliano & Aſclepiodoro.

XXX. 293. Diocletiano V. & Maximiano IV.

Conſtantio. 294. * Conſtantino & Maximiano.
His Conſſ. caſtra facta in Sarmatia contra Acinco & Bononia.

295. Tuſco & Anulino.
His Conſſ. Carporum gens vniuerſa in Romania ſe tradidit.

296. Diocletiano VI. & Conſtantio II.

V. 297. Maximiano *VI. & Maximiano II.
His Conſſ. victi Perſæ.

298. Fauſto II. & Gallo.

299. Diocletiano VII. & Maximiano VI
His Conſſ. victi Marcomanni.

300. Conſtantio III. & Maximiano III.

301. Titiano II. & Nepotiano.

CCCXL. 302. Conſtantio IV. & Maximiano IV.
His Conſulibus vilitatem ſufferunt Imperatores eſſe.

303. Diocletiano VIII. & Maximiano VII.
His Conſſ. perſecutio Chriſtianorum.

304. Diocletiano IX. & Maximiano VIII.
His Conſſ. depoſuerunt purpuram priuati effecti Diocletianus & Maximianus, & veſtierunt Seuerum & Maximinum. Nam Conſtantius & Maximianus, qui Cæſares fuerunt, eadem hora Augusti nuncupati ſunt die Kal. April.

305. Conſtantio V. & Maximiano V.

306. Conſtantio VI. & Maximiano VI.
His Conſſ. diem functus Conſtantius, & poſtea leuatus eſt Conſtantinus VIII. Kal. Aug.

307. Maximiano nouies & Cõſtantino.
His Conſſ. quod eſt, poſt ſextum Conſulatum, occiſus Seuerus Romæ.

308. Item Maximiano decies & Maximiano VII.
His Conſſ. quod eſt, Maxentio & Romulo, leuatus Licinius Carnunto III. Idus Nouemb.

309. Poſt Conſulatum Decimum & Septimum.
His Conſſ. quod eſt, Maxentio II. & Romulo II.

310. Anno II. poſt Conſulatum Decimum & Septimum.
His Conſſ. quod eſt, Maxentio III. ſolo, diem functus Maximianus ſenior.

311. Maximiano VIII. Conſule.
His Conſſ. quod eſt, Rufino & Voluſiano, diem functus Maximianus iunior.

312. Conſtantino II. & Licinio II. CCCL.
His Conſſ. quod eſt Maxentio IV. ſolo, victus & occiſus Maxentius Romæ ad pontem Muluium.

313. Conſtantino III. & Licinio III.

314. Voluſiano II. & Anniano.
His Conſſ. bellum Cibalenſe fuit die VIII. Idus Octobr.

315. Conſtantino IV. & Licinio IV.

316. Sabino & Rufino.
*His Conſſ. diem functus Diocletianus * Sola die III. Non. Decembr.* Salonæ.

317. Gallicano & Baſſo.
His Conſſ. leuati tres Cæſares, Criſpus, Licinius & Conſtantinus die Kal. Mart.

318. Licinio V. & Criſpo Cæſare.
His Conſſ. tenebræ fuerunt inter diem hora IX.

319. Conſtantino V. & Licinio Cæſare.

320. Conſtantino VI. & Conſtantino Cæſare.

321. Criſpo II. & Conſtantino II.

322. Probiano & Iuliano. CCCLX.

323. Seuero & Rufino.

324. Criſpo III. & Conſtantino III.
*His Conſſ. bellum Hadrianopolitanum die V. Non. Iulias, & bellum Calcedonenſe XIV. Kal. Octob. & leuatus eſt * Conſtantinus Cæſar VI.* Conſtãtius. *Idus Nouemb.*

325. Paulino & Iuliano.
His Conſſ. occiſus Licinius.

326. Conſtantino VII. & Conſtantio Cæſare.
His Conſſ. occiſus eſt Criſpus, & edidit vicennalia Conſtantinus Auguſtus Romæ.

327. Conſtantino & Maximo.
328. Ianuario & Iuſto. [IV.
329. Conſtantino VIII. & Conſtantino
330. Gallicano & Symmacho.
His Conſſ. dedicata eſt Conſtantinopolis die V. Idus Maias.
331. Baſſo & Ablabio.
CCCLXX 332. Pacatiano & Hilariano.
His Conſſ. victi Gothi ab exercitu Romano in terris Sarmatarum die XII. Kal. Maij.
333. Dalmatio & Xenophilo.
His Conſſ. leuatus eſt Conſtans die VIII. Kal. Ianuar.
334. Optato & Paulino.
His Conſſ. Sarmata ſerui vniuerſa gens dominos ſuos in Romaniam expulerunt.
335. Conſtantio & Albino.
His Conſſ. tricennalia edidit Conſtantinus Aug. die VIII. Kal. Aug. & leuatus eſt Dalmatius Cæſar XIV. Kal. Octob.
336. Nepotiano & Facundo.
337. Feliciano & Titiano.
His Conſſ. Conſtantinus Aug. ad cæleſtia regna oblatus eſt XI. Kalend. Iunias. & ipſo anno nuncupati ſunt tres Augusti, Conſtantinus, & Conſtantius, & Conſtans V. Idus Septemb.
338. Vrſo & Polemio.
339. Conſtantio II. & Conſtante.
Acindyno. 340. * Acyndino & Proculo.
His Conſſ. occiſus eſt Conſtantinus iunior.
341. Marcellino & Probino.
His Conſſ. pugna facta eſt cum gente Francorum à Conſtante Aug. in Gallijs. & ipſo anno terræmotus fuit ad Orientem per totum annum præter Antiochiam.
CCCLXXX. 342. Conſtantio III. & Conſtante II.
His Conſſ. victi Franci à Conſtante Aug. ſeu pacati. tractus Hermogenes.
343. Placido & Romulo.
344. Leontio & Saluſtio.
Amantio. 345. * Amentio & Albino.
346. Conſtantio IV. & Conſtante III.
347. Rufino & Euſebio.
348. Philippo & Salia.
His Conſſ. bellum Perſicum fuit nocturnum.
349. Limenio & Catullino.
350. Sergio & Nigriniano.
His Conſſ. Conſtans occiſus eſt in Gallijs à Magnentio. & leuatus eſt Magnentius die XV. Kal. Februar. & Vetranio apud Sirmium Kal. Martiis eo anno. & Nepotianus Romæ III. Non. Iunias. & pugna magna fuit cum Romanis & Magnentianis.
351. Poſt Conſſ. Sergij & Nigriniani.
His Conſſ. bellum Magnentij fuit Morſa die IV. Kal. Octob. & eo anno depoſitus Vetranio VIII. Kal. Ianuar. & leuatus eſt Conſtantius Cæſar Id. Mart. & apparuit in Oriente ſignum Saluatoris die III. Kal. Februar. Luna XXVIII.
352. Conſtantio V. & Conſtantio Cæſ. CCCXC.
353. Conſtantio VI. & Conſtantio II.
His Conſſ. Magnentius ſe interfecit in Gallijs apud Lugdunum die III. Idus Aug. & Decentius frater Magnentij laqueo ſe ſuſpendit XV. Kal. Septemb.
354. Conſtantio VII. & Conſtantio III.
His Conſſ. occiſus eſt Conſtantius Cæſar in inſula Flanona.
355. Arbetione & Lolliano.
His Conſſ. leuatus eſt Iulianus Cæſar die VIII. Idus Nouembres.
356. Conſtantio VIII. & Iuliano Cæſ.
His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ Apoſtoli Timothei die Kal. Iun.
357. Conſtantio IX. & Iuliano Cæſ. II.
His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ ſanctorum Apoſtolorum Andreæ & Lucæ die V. Non. Mart. & introiuit Conſtantius Aug. Romam IV. Kal. Maias, & edidit XXXV.
358. Datiano & * Cæreale. Cereale.
His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim legati Perſarum die VII. Kal. Martij. Ipſo anno terræmotus factus, ita vt ciuitas Nicomedenſium funditus verſaretur die IX. Kal. Septemb. aliæ verò CL. ciuitates partibus vexatæ ſunt.
359. Euſebio & Hypatio.
His Conſſ. natus eſt Gratianus filius Augusti Valentiniani die XIV. Kalend. Maias. & ipſo anno primùm proceſſit Conſtantinopolim Præfectus vrbis, nomine Honoratus, die III. Idus Decemb.
360. Conſtantio X. & Iuliano III.
His Conſſ. dedicatum eſt Conſtantinopoli Dominicum die XV. Kalend. Martias.
361. Tauro & Florentio.

His Conſſ. diem functus Conſtantius Aug. Mopſucrenas in finib. Cilicia Phœnicia prouincia III. *Non. Nouemb. & introiuit Iulianus Aug. Conſtantinopolim die* III. *Idus Decembres.*

CCCC. 362. Mamertino & Neuitta.

363. Iuliano Aug. IV. & Saluſtio.

His Conſſ. occiſus eſt Iulianus Aug. in bello Perſico die VI. *Kal. Iulias. & quia apoſtata à Deo factus eſt Chriſtianorum etiam perſecutor, occiſus eſt, & leuatus eſt Chriſtianiſſimus Iouianus Aug.* V. *Kal. Iulias.*

Varroniano 364. Iouiano Aug. & * Varro.

His Conſſ. receſſit Iouianus Aug. Dadaſtana die XI. *Kal. Mart. & leuatus eſt Valentinianus Aug. apud Niceam die* V. *Kal. Mart. Ipſo anno leuatus eſt Valens Aug. Conſtantinopoli in miliario* VII. *in tribunali à fratre ſuo Valentiniano die* IV. *Kal. April.*

365. Valentiniano & Valente Augg.

His Conſſ. mare vltra terminos ſuos egreſſum eſt die XII. *Kal. Aug. & ipſo anno latro nocturnus hoſtiſque publicus intra vrbem Conſtantinopolim apparuit die* IV. *Kal. Octob.*

Dagalaifo. 366. Gratiano Nob. & * Dalaifo.

His Conſſ. natus eſt Valentinianus iunior filius Augusti Valentiniani die XV. *Kal. Febr. & ipſo anno idem hoſtis publicus & prædo intra Phrygiam ſalutarem, & in Nacolienſium campis ab Auguſto Valente oppreſſus atque extinctus eſt die* VI. *Kal. Iunias. Ipſo anno Auguſtus Valentinianus gentem Alamannicam peruicit.*

367. Lupicino & Iouino.

His Conſſ. in ciuitate Conſtantinopoli Deus grandinem pluit in modum petrarum die IV. *Nonas Iulias. Et ipſo anno leuatus eſt Gratianus Aug. in Galliis apud Ambianos in tribunali à patre ſuo Auguſto Valentiniano die* IX. *Kal. Sept.*

368. Valentiniano II. & Valente II.

His Conſſ. terramotus factus, ita vt ciuitas Nicanorum terra funditus proſterneretur die V. *Idus Octob.*

Nobiliſſimo. 369. Valentiniano * Nob. & Victore.

His Conſſ. opus magnificum ciſterna Conſtantinopolitana completum eſt à Domitio Modeſto V. C. *iterum Præfecto vrbis. quod in prima inchoauerat Præfectura. Agon poſt annos* XVII. *reſtitutus eſt ab Auguſto Valente.*

370. Valentiniano III. & Valente III.

His Conſſ. magna fames fuit in partibus Phrygia. & dedicata eſt ſancta Eccleſia, vbi beati Apoſtoli poſiti ſunt, V. *Idus April.*

371. Gratiano Aug. II. & Probo.

372. Modeſto & Arintheo. CCCCX.

373. Valentiniano IV. & Valente IV.

374. Gratiano III. & * Æquitio. Equitio.

375. Poſt Conſſ. Gratiani III. & Æquitij.

His Conſſ. therma Caroſiana dedicatæ ſunt agente Præfecto V. C. *Vindalonio Magno. Et ipſo anno diem functus Valentinianus ſenior* XV. *Kalend. Decemb. in caſtello Virgitione. & leuatus eſt Valentinianus iunior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in tribunali die* X. *Kal. Decemb. in ciuitate Acinco.*

376. Valente Aug. V. & Valentiniano iuniore Auguſto.

His Conſſ. victi & expulſi ſunt Gothi à gente Hunorum, & ſuſcepti ſunt in Romania pro miſericordia iuſſione Aug. Valentis. Et ipſo anno introiuit corpus Auguſti Valentiniani Conſtantinopolim, V. *Kal. Iann.*

377. Gratiano IV. & Merobaude.

His Conſſ. gens Gothorum, qui pro miſericordia ſuſcepti ſunt, rebellauerunt aduerſus Romanos. ad quos expugnandos ſunt miſſi Comites cum militibus, & pugnauerunt cum Gothis.

378. Valente VI. & Valentiniano II. CCCC-XVI.

His Conſſ. ingreſſus eſt Valens Aug. ab Oriente Conſtantinopolim die III. *Kal. Iun. Et ipſo anno profectus eſt Valens Aug. ex vrbe ad foſſatum die* III. *Idus Iunias. & pugna magna fuit cum Romanis & Gothis miliario* XII. *ab Hadrianopoli, die* V. *Idus Auguſti. Ex ea die Valens Auguſtus nuſquam apparuit. & toto anno per diœceſim Thraciarum, & Scythia, & Mœſia, Gothi habitauerunt ſimul, & eas prædauerunt. deinde vſque ad portas vrbis Conſtantinopolitana venerunt.*

379. Auſonio & Olybrio.

His Conſſ. leuatus eſt Theodoſius Aug. ab Auguſto Gratiano die XIV. *Kal.*

Februar. in ciuitate Sirmio. Ipſo anno multa bella Romani cum Gothis commiſerunt. Deinde victoriæ nuntiatæ ſunt aduerſus Gothos, Alanos, atque Hunos die XV. *Kal. Decemb.*

Ad oram codicis noſtri MS. hæc habentur adſcripta, quæ Sirmondus omiſit: His Conſulibus Theophilus Alexandriæ Epiſcopus ſubiectum Laterculum infra de Paſchæ obſeruatione conſcribit.

380. Gratiano Aug. V. & Theodoſio Aug.

His Conſſ. victoriæ nuntiatæ ſunt amborum Auguſtorum. Et ipſo anno ingreſſus eſt Theodoſius Aug. Conſtantinopolim die XVIII. *Kalend. Decembr.*

381. Syagrio & Eucherio.

His Conſſ. ingreſſus eſt Athanaricus rex Gothorum Conſtantinopolim die III. *Idus Ianuar. Eodem menſe diem functus idem Athanaricus* VIII. *Kal. Februar.*

CCCC-XX. 382. Antonio & Syagrio.

His Conſſ. Theodoſius Aug. corpus Auguſti Valentiniani in ſarcophago depoſuit die IX. *Kal. Mart. Ipſo anno vniuerſa gens Gothorum cum rege ſuo in Romaniam ſe tradiderunt die* V. *Non. Octobr.*

383. Merobaude II. & Saturnino.

His Conſulibus leuatus eſt Arcadius Aug. Conſtantinopoli in miliario VII. *in tribunali à Theodoſio Aug. patre ſuo die* XVII. *Kalend. Febr. Et ipſo anno ingreſſum eſt Conſtantinopolim corpus Conſtantiæ filiæ Auguſti Conſtantini die* II. *Idus Septemb.*

384. Ricomere & Clearcho.

His Conſſ. introierunt Conſtantinopolim legati Perſarum. Ipſo anno natus eſt Honorius nobiliſſimus in purpuris die V. *Idus Septembr.*

385. Arcadio Aug. & Bautone.

386. Honorio nobiliſſimo & Euodio.

His Conſſ. victi atque expugnati, & in Romania captiui adducti gens Greothyngorum à noſtris Theodoſio & Arcadio. deinde cum victoria & triumpho ingreſſi ſunt Conſtantinopolim die IV. *Idus Octobres.*

Valẽtiniano 387. * Valerio III. & Eutropio.

His Conſſ. Quinquennalia Arcadius Aug. propria cum Theodoſio Aug. patre ſuo editionibus ludiſque celebrauit XVII. *Kalend. Feb.*

388. Theodoſio Aug. II. & Cynegio.

His Conſſ. Defunctus eſt Cynegius Præfectus Orientis in Conſulatu ſuo Conſtantinopoli. Hic vniuerſas prouincias longi temporis labe deceptas in ſtatum priſtinum reuocauit. & vſque ad Ægyptum penetrauit, & ſimulacra gentium euertit. Vnde cum magno fletu totius populi ciuitatis deductum eſt corpus eius ad Apoſtolos die XIV. *Kal. April. Et poſt annum tranſtulit eum matrona eius Achantia ad Hiſpanias pedeſtre. Et ipſo anno occiditur hoſtis publicus Maximus tyrannus à Theodoſio Aug. in miliario* III. *de Aquileia die* V. *Kal. Aug. Sed & filius eius Victor occiditur poſt paucos dies in Galliis à Comite Theodoſij Auguſti.*

389. Timaſio & Promoto.

His Conſſ. introiuit Theodoſius Aug. in vrbem Romam cum Honorio filio ſuo die Iduum Iuniarum, & dedit congiarium Romanis.

390. Valentiniano IV. & Neuterio.

391. Tatiano & Symmacho.

392. Arcadio Aug. II. & Rufino. CCCC-XXX.

His Conſſ. Valentinianus iunior apud Viennam eſt interfectus. & leuauit ſe Eugenius tyrannus. poſtmodum Theodoſius Aug. occidit Eugenium.

393. Theodoſio Aug. III. & Abundantio.

394. Arcadio Aug. III. & Honorio Aug. II.

395. Olybrio & Probino.

His Conſulibus receſſit apud Mediolanum Theodoſius Aug.

396. Arcadio Aug. IV. & Honorio Aug. III.

397. Attico & Cæſario.

398. Honorio Aug. IV. & Eutychiano.

His Conſſ. Gildo occiſus.

399. Manilio & Theodoro v. c.

His Conſſ. templa gentilium demolita ſunt, Iouiano & Gaudentio Comitibus.

400. Stelicone v. c. Conſule.

401. Vincentio & Frauito.

402. Arcadio V. & Honorio V. CCCCXL

His Conſſ. Solis facta defectio III. *Idus Nouembres.*

403. Theodoſio & Rumorido.

404. Honorio IV. & * Ariſtone. Ariſtæneto

His Conſſ. bellum ciuile fuit ex III. *Kal. Septembres.*

405. Stelicone II. & Anthemio.
His Conſſ. inter Catholicos & Donatiſtas vnitas facta.
406. Arcadio VI. & Probo.
407. Honorio VII. & Theodoſio Aug. II.
408. Baſſo & Philippo.
CCCC-XLVII. 409. Honorio VIII. & Theodoſio III.
His Conſſ. barbari Hiſpanias ingreſſi.
410. Honorio IX. & Varari quod fuit Tertullo.
411. Theodoſio Aug. IV.
His Conſſ. Conſtantini tyranni in conto caput adlatum eſt XIV. *Kalend. Octobres.*
CCCCL. 412. Honorio IX. & Theodoſio V.
413. Poſt Conſulatum Honorij IX. & Theodoſij V. Lucio Coſ.
His Conſſ. occiſi ſunt Iouinus, Sebaſtianus, Saluſtius. & Heraclianus abolitus eſt.
414. Conſtantio V. C.
415. Honorio X. & Theodoſio VI.
His Conſſ. ſanctus Stephanus primus martyr reuelatur ſancto Presbytero Luciano die VI. *feria, quæ fuit tunc* III. *Non. Decembres in Hieroſolymis ſancto Ioanne Epiſcopo præſidente. & extant ex his geſtis epiſtolæ ſupradicti presbyteri, & ſancti Auiti presbyteri Bracarenſis, qui tunc in Hieroſolymis degebant.*
416. Theodoſio VII. & Palladio.
417. Honorio XI. & Conſtantio II.
418. Honorio XII. & Theodoſio VIII.
419. Monaxio & Plenta.
His Conſſ. ſanctus Ioannes Hieroſolymorum Epiſcopus qui ſuprà, epiſtolam dirigit per Eccleſias orbis terrarum, qua habetur, de ſignis terroribuſque diuinitus perpetratis.
420. Theodoſio IX. & Conſtantio III.
421. Agricola & Euſtatio.
CCCCLX 422. Honorio XIII. & Theodoſio X.
423. Mariniano & Aſclepiodoto.
His Conſſ. Honorius Aug. receſſit Rauennæ.
Hactenus editio Sirmondiana: nos quæ ſequuntur, ex M S. Codice deſcripſimus.
424. Caſtino & Victore.
425. Theodoſio XI. & Valentiniano Cæſ.
426. Theodoſio XII. & Valentiniano II. Aug.
427. * Pierio & Ardabure. Hiero.
428. Felice & Tauro.
429. Florentio & Dionyſio.
430. Theodoſio XIII. & Valentiniano III.
431. Baſſo & Antiocho.
432. Aëtio & Valerio. CCCC-
433. Theodoſio XIV. & Maximo. LXX.
434. Aſpare & Ariobindo.
435. Theodoſio XV. & Valentiniano IV.
436. Iſidoro & Senatore.
437. Aëtio II. & Segiſuulto.
438. Theodoſio XVI. & Fauſto.
439. Theodoſio XVII. & Feſto.
440. Valentiniano V. & Anatholio.
441. Cyro V. C.
442. Dioſcoro: *omiſit Eudoxium.* CCCC-
443. Maximo II. & Paterio. LXXX.
444. Theodoſio XVIII. & Albino.
445. Valentiniano VI. *omiſit Nonium.*
446. Aëtio III. *omiſit Symmachum.*
447. Callepio & Ardabure.
448. Poſtumiano & Zenone.
449. Aſturio & Protogene.
450. Valentiniano VII. & Auieno.
451. Adelphio & Marciano. Sporatio.
452. Herculano & * Patracio. CCCC-
453. Opilione I *omiſit Vincomalum.* XC.
454. Aëtio IV. & Studio.
455. Valentiniano VIII. & Anthemio.
456. Auito Auguſto Conſule.
457. *Omiſſi Conſtantinus & Rufus.*
458. Maioriano Auguſto & Ariouindo.
459. Richimero & qui de Oriente.
460. Magno & Apollonio.
461. * Seueriano & qui de Oriente. Seuerino.
His Conſſ. Maiorianus occiditur, & Seuerus efficitur Imperator.
462. Seuero & Leone Auguſtis. D.
463. Baſilio & * Gadaifo. Felice.
464. Dn. Olybrio.
Seuerus Auguſtus obiit.
Anthemius Romæ Imperator factus eſt. Aduerſum Vuandalos grandis exercitus cum Marcellino Duce dirigitur.
468. Auguſto Anthemio II. Conſule.

Cætera, quæ ſuperſunt, Conſulum Paria, & Poſt-conſulatus Baſilij V. C. diſces, erudite Lector, ex appendice Marij Auenticenſis Epiſcopi ad Chronicon Proſperi, vel ex Chronicis Marcellini Comitis, ac Victoris Tunnuenſis.

VIRI CLARISSIMI

TIRONIS PROSPERI AQVITANI CHRONICON INTEGRVM,

AB ADAMO AD ROMAM CAPTAM A GENSERICO WAND. REGE,

IN DVAS PARTES TRIBVTVM.

PRIMA PARS.

AB ORTV RERVM AD MORTEM VALENTIS,

CVM ANNOTATIONE CONSVLVM

Nunc primùm edita ex variis codicibus calamo exaratis.

ADAM cùm eſſet annorum CCXXX. genuit Seth.
Seth cùm eſſet annorum CCV. genuit Enos.
Enos cùm eſſet annorum CXC. genuit Cainan.
Cainan verò cùm eſſet annorum CLXX. genuit Malaleel.
Porrò Malaleel cùm eſſet annorum CLXV. genuit Iared.
Iared autem cùm eſſet annorum CLXII. genuit Enoch.
At Enoch cùm eſſet annorum CLX. genuit Mathuſalem.
Mathuſalem verò cùm eſſet annorum CXXCVII. genuit Lamech.
Lamech quoque cùm eſſet annorum CXXCVIII. genuit Noë.
Erat autem Noë annorum D. cùm genuit tres filios Sem, Cham & Iapheth.
Poſt annos verò centum, quando genuit Sem, factum eſt Diluuium, cùm eſſet annorum DC.

Ad probandam fidem temporum hæ generationes ab initio retexuntur, quibus annorum adſcriptus eſt numerus. Nam Caim fratricidæ poſteritas non fuit digna cum Dei populo computari. Sed cùm latiùs ſerpente peccato maxima pars bonorum connubiis ſe alienigenarum mulierum miſcuiſſet, crimen illicitæ ſocietatis Diluuio meruit expiari, ſolo Noë iuſto, cum vxore & tribus filiis ac totidem nuribus, ad reparationem humani generis reſeruato.

Fuerunt igitur ab Adam vſque ad Diluuium generationes decem anni MM. CCXLII.

Poſt Diluuium ſuccedunt hæ generationes:

Sem filius Noë, cùm eſſet annorum centum, genuit Arphaxad anno poſt Diluuium ſecundo.

Arphaxad autem, cùm eſſet annorum CXXXV. genuit Cainan.
Et Cainan, cùm eſſet annorum CXXX. genuit Salem.
Deinde Salem, cùm eſſet annorum CXXX. genuit Heber.
Heber quoque, cùm eſſet annorum CXXXIV. genuit Phalec.
Hoc tempore ad perturbandam ſuperbæ turris exſtructionem diuiſæ ſunt linguæ, & per orbem terræ facta eſt gentium diſperſio.

Phalec

Phalec autem cùm eſſet annorum c x x x. genuit Rhagau.
Rhagau quoque cùm eſſet annorum c x x x i i. genuit Seruch.
Seruch verò cùm eſſet annorum c x x x genuit Nachor.
Porrò Nachor cùm eſſet annorum l x x i x. genuit Thare.
Thare autem annorum l x x. genuit Abraham: qui cùm eſſet annorum l x x v. diuino monetur alloquio, vt exeat de terra ſua, & de domo patris ſui, vt transeat in terram Chanaan. Quo tempore promiſſio ad Abraham facta eſt, quòd futurus eſſet gentium pater.
Et inueniuntur ab anno l x x v. Abraham, in quo eſt repromiſſionis exordium, vſque ad Moyſen & egreſſum Hebræ gentis ex Ægypto anni c c c c x x x.
Fiunt itaque à Diluuio vſque ad primum annum promiſſionis m c l x v i. ab Adam verò anni m m m. c c c x x c v i i i.
Abraham nonagenarius ex ancillâ Agar genuerat Iſmaël, à quo Iſmaëlitæ, qui poſtea Agareni, ad poſtremum Sarraceni dicti.
In hoc tempore Abraham fide iuſtificatus, quâ credidit in ſemine ſuo omnes gentes benedicendas, mandatum circumciſionis accepit: quæ vſque ad Natiuitatem D. N. Iesv-Christi promiſſionis corporeum fuit ſignum, quod in ſpirituale ſacramentum veræ cordis circumciſionis tranſiuit.
Abraham anno ætatis ſuæ centeſimo, repromiſſionis autem viceſimo quinto, genuit Iſaac ex liberâ.
Iſaac cùm eſſet annorum l x. genuit geminos: quorum prior Eſaü, qui & Edom, à quo Idumæi.
Hoc tempore apud Argos regnabat Inachus, cuius filia Iu, quam Ægypti Iſidem vocitatam diuino honore coluerunt.
Sequens Iacob, qui poſtea Iſraël, à quo Iſraëlitæ, qui nunc Iudæi.
Erat autem annus repromiſſionis x x c v i.
A primo verò anno Iacob, vſque ad principatum Ioſeph in Ægypto fiunt anni c x x i.
Cuius temporis anno x v. qui eſt promiſſionis c. moritur Abraham annor. c l x x v.
In hæc tempora Niobe, vt Græci perhibent, mixtus eſt Iuppiter, éxque illo concubitu natus eſt Apis, quem Serapin vocant.
Igitur Abraham, Iſaac & Iacob antiquiores Serapide.
Hoc tempore Meſſana, quæ & Mamertina, condita eſt.
Iacob autem agens annum l x x v i i i. deſcendit in Meſopotamiam, & ſeruiuit apud Laban annis v i i.
Iacob cùm eſſet annorum x c i i genuerat Ioſeph, qui cùm eſſet annorum x v i i. venditus eſt à fratribus anno patris ſui Iacob c i x.
Iſaac verò moritur anno ætatis ſuæ c x x c. relinquens filium Iacob habentem annos c x x.
Hoc tempore Memphis ab Api in Ægypto condita.
Ioſeph Dux Ægypti annis x x c. quorum cùm ageretur vigeſimus ſextus, Iacob obiit anno ætatis ſuæ c x l v i i. prophetans de Chriſto & vocatione gentium.
Anno principatus Ioſeph i x. qui erat famis annus ſecundus, ingreſſus eſt Iacob in Ægyptum cum filiis ſuis.
Ipſe autem Ioſeph moritur anno ætatis ſuæ c x. Hebræorum in Ægypto ſeruitutis c l x i v.
Huius ſeruitutis anno x x. Atlas Aſtrologus inſignis habebatur frater Promethei.
Huius ſeruitutis anno l x v. qui eſt repromiſſionis annus c c c l. Aram genuit Moſen, cùm eſſet annorum l x x.
Hoc tempore Epidaurus condita, & templum Apollinis Delphici ab Eriſichthone conditum.
Anno ſeruitutis Hebræorum l x x v i i. primus in Theſſalia regnauit Hæmon.
Anno verò x x c. Phorbas Rhodum obtinuit.
Anno x x c i i. Hercules Antæum luctæ certamine ſuperat.
Anno x x c v i i. primus Trochilus quadrigam iunxiſſe perhibetur.
Anno x c. Xanthus Triopas Leſbon condidit.
Anno c. Cecrops regnauit in Attica, ſub quo in Arce Oliua nata eſt, & ex Mineruæ nomine, quæ Græcè Athena dicitur, Attici Athenæ vocati.

Anno CXIII. Curetes & Corybantes Cnoſſon condiderunt: qui modulatam & inter ſe conuenientem in armis ſaltationem reperiunt.

Moyſes octogeſimum agens ætatis ſuæ annum, impletis ab initio promiſſionis CCCCXXX. dux itineris ab Ægypto Hebræorum gentis efficitur, legem eis in eremo tradens per annos XL.

Hoc tempore Corinthus conditur, quæ priùs Ephyre dicta eſt.

Cuius temporis anno quinto primus apud Hebræos Pontifex conſtitutus frater Moyſis Aaron.

Hoc tempore Apollinis Delphici templum ab Etiſichthone fabricatum.

Huc vſque quinque libri Moyſis continent geſta annorum MMMDCC. ſecundùm LXX. interpretes.

Mortuo Moyſe Dux conſtituitur Ioſue, qui principatum tenuit annis XXVII. & terram Palæſtinorum Iudæis ſorte diſtribuit.

Hoc tempore apud Hebræos Pontificatum ſuſcepit Eleazar.

Poſt mortem Ioſue Hebræos alienigenæ annis octo ſubiectos habent, qui iunguntur temporibus Gothoniel ſecundùm Iudæorum traditionem.

Hac ætate apud Hebræos Pontifex erat Phinees.

Supputantur itaque omnes anni Gothoniel XL. Fuit autem ipſe ex tribu Iuda.

Poſt Gothoniel Hebræi alienigenis ſubiecti fuere annis XVIII. qui copulantur temporibus Aod ſecundùm Iudæorum traditionem.

Supputantur itaque omnes anni Aod Iudicis ex tribu Ephrem octoginta.

In fine huius ætatis Amphion Thebis regnabat.

Debbora cum Barach annis XL. ex quibus ſunt anni XXX. quibus poſt obitum Aod Hebræos alienigenæ habuere ſubiectos. Fuit autem Debbora ex tribu Ephrem: Barach verò ex tribu Nephtalim.

Huius ætatis anno XVII. Ilium ab Ilo conditum.

Gedeon ex tribu Manaſſe annis XL. in quibus ſunt anni VII. quibus Hebræos alienigenæ habuere ſubiectos iuxta Hebræorum traditionem.

Hoc tempore Tyrus condita. Argonautæ his temporibus fuere. Cyzicus hoc tempore condita. Orpheus Thrax clarus habebatur.

Abimelech filius Gedeonis annis tribus.

Hæc & Herculis tempora.

Tholam annis XXVI. *vel* XXII. *ex alio codice.*

Huic ætati adſcribitur bellum Lapitharum & Centaurorum. Priamus poſt Laomedontem regnat. Medea Colchis, Mors Androgei & Minotauri fabula hoc tempus habuerunt.

Iair ex tribu Manaſſe annis XXII.

Hac ætate regnabant Agamemnon Mycenis, Menelaus Lacedæmone.

Horum annorum ſexto Carthaginem Tyrij condiderunt.

Hæc ætas habuit Atreum Argis regnantem, eadem Phædram & Hippolytum.

Iephte annis VI. Eſbon annis VII.

Hoc tempus fuit raptus Helenæ: Bellum Troianum.

Labdon XVIII. aliàs VIII. Cuius principatus anno tertio Troia capta, eiuſdémque Labdon anno octauo Latinis regnat Æneas annis tribus.

Samſon annis XX.

Cuius anno tertio Aſcanius Æneæ filius Albam condidit.

Aſcanius regnat Latinis annis XXXVII. ſeu XXXVIII.

Poſt quem Syluius Æneæ poſtumus filius annis XXVII. aliàs XXIX. à quo Albanorum Reges Syluij appellati.

Heli Sacerdos annis XL.

Mortuo Heli Sacerdote arca Teſtamenti ab alienigenis poſſidetur.

Samuël & Saül annis XL.

Primus Rex Hebræorum Saül ex tribu Beniamin, cuius regni anno nono Latinis regnat Æneas Syluius annis XXXI.

Poſt quem regnat Latinus Syluius annis quinquaginta.

Ab initio principatus Moyſis vſque ad ortum regni Dauid anni CCCCXXXIX.

Dauid ex tribu Iuda primus regnauit annis XL. Quo tempore Abiathar Pontifex clarus habebatur: prophetabant autem Gad, Nathan & Aſaph.

Salomon filius Dauid annis XL. qui templum Hieroſolymis ædificare cœpit, conſummauitque annis octo. Quo tempore Sadoch Hebræorum Sacerdos clarus habebatur.

Anno regni Salomonis XL. Latinis regnare incipit ſextus Albanus Syluius annis XXXVIII.

Roboam annis XVII.

Poſt mortem Salomonis regnum Hebræorum ſeditione diuiſum eſt, vocabantúrque qui in Samaria erant Iſraël, quibus primus regnauit Ieroboam.

Roboam filius Salomonis regnauit in Ieruſalem duabus tribubus ſibi ſubiectis, quæ vocabantur Iuda ab rege Iudæorum ex ſtirpe Iudæ.

Hoc tempore apud Latinos Ægyptus Syluius ſeptimus regnat annis XXIII.

Septimo autem anno regni Ieroboæ Suſachin Rex Ægypti contra Iudæos dimicans templum exſpoliat.

Abia annis tribus. Hebræorum Pontifex Abimelech illuſtris habebatur: prophetabant autem Achias, Sameas, Iemoded, Azarias, qui & Addo, & Anani.

Aſa iuſtus annis XLI.

Ioſaphat iuſtus annis XXV. Prophetabãt apud Hebræos Abdias, Ienozias, Micheas.

Huius regni anno XII. apud Latinos Capys Syluius regnat annis ſeptem. Deinde IX. Compartus Syluius annis quinque.

Ioram annis octo: quo tempore prophetabant Helias & Heliſeus.

Oſias anno vno: Ionadab filius Rechab clarus habebatur.

Gotholia mater annis ſeptem.

Hoc tempore in Græcia Homerus Poëta clarus fuit.

Ioas annis XL. His temporibus apud Hebræos Ioiada inſignis Pontifex erat, qui ſolus poſt Moyſen vixit annis CXXX. Hoc tempore Azarias propheta occiditur: Zacharias quoque propheta à Rege Ioas interficitur.

Latinis XII. Aremulus Syluius annis XIX. poſt quem Auentinus Syluius regnauit annis XXXVII. à quo mons Auentinus: poſt quem XIV. Procas Syluius annis XXVI. poſt quem XV. Amulius Syluius annis XLIII.

Amaſias annis XXIX.

Azarias, qui & Oſias, annis LII.

Huius regni ſextus agebatur annus, cùm Reges Aſſyriorum defecerunt imperio in Medos tranſlato.

Apud Hebræos autem prophetabant Oſee, Amos, Eſaias & Ionas, eùm eſſet annus Oziæ vicecimus primus.

Quadrageſimo verò & nono eiuſdem anno conſtituitur Olympias prima, Eliis agentibus quinquennale certamen, quatuor mediis annis vacantibus. Et hoc certaminis tempus Olympiadem vocauerunt auctore Iphito.

Ioathan annis XVI. Prophetabant Oſee, Amos, Eſaias, & Iohel, qui & Iobeth.

Achaz annis XVI.

Huius regni anno quinto Romulus Româ conditâ regnare orſus eſt.

Eiuſdem autem regni Achaz anno XI. decem tribus gentis Hebrææ, quæ vocabantur Iſraël & erant in parte Samariæ, victæ à Senacherim, qui & Salmanaſar, Rege Chaldæorum, tranſlatæque ſunt in montes Medorum, cùm regnatum eſſet in Samaria annis CCL. Senacherim autem ad cuſtodiendam regionem Iudææ adcolas miſit Aſſyrios, qui æmulatores Iudæorum legis facti, Samaritæ nuncupati ſunt, quod Latina lingua exprimitur Cuſtodes.

Ezechias annis XXIX. ſub quo apud Hebræos prophetabant Eſaias & Oſee.

Romulus primos milites ſumpſit ex populo, & nobiles centum ſenes, quos ob ætatem Senatores, ob curam Patres appellauit.

Eodem tempore Syracuſæ & Catana in Siciliâ conditæ.

Manaſſes annis LV.

Cuius regni initio apud Romanos regnabat Numa Pompilius annis XLI. cùm poſt Romulum regnaſſet Senatus annum vnum.

Ammon annis XII.

Huius regni initio Tullus Hoſtilius Romæ ſeptimumdecimum imperij ſui gerebat annum, regnauítque annis XXXII.

Ioſias annis XXXII. quo regnante Hebræorum Pontifex maximus Chelcias in-

ſignis habebatur, & prophetabant eadem tempeſtate Hieremias & Sophonias & Olda mulier.

Apud Romanos autem regnabat Ancus, qui Oſtiam condidit ciuitatem, regnauitque annis XXIII, poſt quem regnat Tarquinius Priſcus annis XXXVII.

Ioſias Rex Iudæorum cum Nechac Ægyptiorum rege congreſſus occiditur.

Thales Mileſius primus Phyſicus Philoſophus agnoſcitur.

Anno XXI. regni Tarquinij Priſci Maſſilia condita.

Ioachaz menſibus tribus.

Ioachim, qui Eliachim, annis vndecim.

Anno tertio Ioachim Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ Iudæam capit, & in ditionem ſuam redactis plurimis Iudæorum, cùm iam partem vaſorum templi inuaſiſſet, & Ioachim tributarium feciſſet, victor ad patriam rediit.

Ioathan ſeu Ioachin, qui & Iechonias, menſes tres.

In Babylone, Daniel, Azarias, Miſael clari habebantur.

Hunc Rex Babylonius captum ſecum pertrahit ſecundo veniens ad Iudæam.

Sedecias annis XI.

Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum Hieroſolymis captis templum incendit, quod ab initio ædificationis ſuæ permanſerat annos CCCXLII. aliàs CCCCLII.

Captiuitatis Iudæorum anni LXX. qui ſupputantur vſque in ſecundum annum Darij.

Apud Romanos poſt Tarquinium Priſcum regnat Seruius annis XXXIV. cui ſucceſſit Tarquinius Superbus qui regnauit annis XXXV. Huius regni anno XXV. prophetabant apud Hebræos Aggæus, & Zacharias, & Malachias, Pontifice Ieſu filio Ioſedech.

Hoc tempore Pythagoras Philoſophus clarus habebatur.

A Dauid vſque ad LXX. ann. captiuitatis Iudæorum ſupputantur anni DLV.

A ſeptuageſimo anno captiuitatis Iudæorum ſupputantur Darij Regis Perſarum anni XXXIIII.

Cuius regni anno decimo apud Romanos Regij dominatus finis eſt factus: quæ poteſtas apud eos manſit annis CCXL. Hinc apud Romanos à Bruto Conſules eſſe cœperunt, dein Tribuni-plebis ac Dictatores, & rurſum Conſules rempublicam obtinuerunt per annos CCCCLXIV. ſeu CCCCXLIV. vſque ad Iulium Cæſarem.

Xerxes regnat annis XX. filius Darij, quo tempore Sophocles & Euripides clari habebantur. Herodotum quoque Hiſtoriarum ſcriptorem eadem ætas habuit.

Poſt Xerxem Artabanus regnauit menſibus ſeptem.

Artaxerxes annis XL.

Hoc regnante Eſdras Sacerdos apud Hebræos inſignis habebatur, cuius ætate Pontifex maximus fuit Eliachim, aliàs Eliaſib, filius Ioachin filij Ieſu, filij Ioſedech.

Empedocles & Parmenides, Zeno & Heraclitus Philoſophi claruerunt. Tunc etiam Poricides Hiſtoricus, Cratinus Comicus, Ariſtarchus Tragicus extiterunt.

Viceſimo regni Artaxerxis Neemias Hebræus miniſter Regis, concedente domino ſuo, de Babylone venit in Iudæam, & XXXII. anno muros vrbémque reſtituit. Si quis autem LXX. Hebdomadas à Daniele ſcriptas ab hoc tempore numerat, quæ faciunt annos CCCCXC. reperiet eas in regno Neronis expletas, ſub quo obſideri Ieruſalem cœpta, ſecundo poſtea Veſpaſiani anno capitur.

His temporibus Hippocrates Medicus, & Socrates Philoſophus illuſtres fuerunt.

Xerxes menſes duos. Plato naſcitur.

Socdianus menſes VII. In his ſupputatur annus vnus.

Darius cognomento Nothus annis XIX. aliàs XVIII.

Dionyſius in Sicilia tyrannidem exercet.

Romani per legatos iura ab Athenienſibus petierunt, ex quibus XII. Tabulæ conſcriptæ.

Artaxerxes Mnemon Darij & Paryſatidis filius annis XL.

Huius regni anno XV. Galli Senones Romam excepto Capitolio occupauerunt.

Ariſtoteles XVIII. ætatis ſuæ anno Platonis auditor eſt.

Artaxerxes, qui & Ochus, annis XXVI.

Cuius regni initio Camillus Gallos qui Romanis bellum intulerant, ſuperauit.

Eodem tempore Alexander Philippi filius naſcitur.

Demoſthenem quoque Oratorem eadem ætas clarum habuit.

Arſes Ochi filius annis quatuor.

Hoc tempore deſcriptione facta Romæ inuenta ſunt ciuium CLX. millia.

Apud Iudæos Iaddus Pontifex maximus clarus habebatur.

Darius Arſami filius annis ſex.

Quo tempore apud Romanos Conſul Manlius Torquatus filium ſuum, quòd contra imperium in hoſtes pugnauerat, virgis cæſum ſecuri percuſſit.

Hac tempeſtate Alexander Philippi filius regnare orſus, ſexto imperij ſui anno regnum Perſarum ſubuertit, & in Ægypto vrbem Alexandriam condidit.

Appius Claudius cæcus apud Romanos clarus habetur, qui Claudiam aquam duxit, & viam Appiam ſtrauit.

Romani Samnitas ſubiugant.

ALEXANDER poſt finem regni Perſarum regnauit annis ſeptem, qui XXXII. ætatis ſuæ anno apud Babylonem moritur.

Regnum Alexandrinorum naſcitur, quo potitus eſt Ptolemæus Lagi filius annis XL. Hic regni ſui anno quarto Hieroſolymis & Iudæa in ditionem ſuam redactis, plurimos captiuorum in Ægyptom tranſtulit. Tunc Iudæorum Pontifex Onias Iaddi filius clarus habebatur.

Maccabæorum autem Hebræa Hiſtoria hinc Græcorum ſupputat regnum. Verùm hi libri ab Hebræis inter diuinas ſcripturas non recipiuntur.

Romani Marſos & Hernicos & Pelignos ſuperant.

His annis Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Apamiam, Edeſſam, Berœam & Pellam vrbes condidit, in quibus Iudæis quos tranſtulerat ius ciuium dedit. Seleucus Babylonem obtinuit.

XXV. anno regni Ptolomei Iudæorum Pontifex maximus Simon Oniæ filius inſignis erat.

Romæ verò cenſu agitato inuenta ſunt ciuium millia CCLXX.

Pontificatum apud Iudæos ſuſcepit Eleazar frater Simonis, cuius filius Onias ob ætatem pueritiæ non potuerat patri ſuccedere.

Eo tempore à Romanis Beneuentum & Ariminus conditæ.

Ptolomæus qui & Philadelphus annis XXXVIII. Hic Iudæos qui in Ægypto erant, liberos eſſe permiſit, & vaſa Eleazaro Pontifici Hieroſolymorum votiua tranſmittens, diuinas ſcripturas in Græcum ſermonem ex Hebræa lingua per LXX. interpretes transferre curauit, quas in Alexandrinâ Bibliothecâ habuit, quam ſibi ex omni genere litterarum comparauerat.

Argenteus nummus primùm in Vrbe figuratus regni huius anno XIII. Huius regni anno XXIV. Romani Carthaginenſes nauali certamine ſuperant, & centum Libyæ vrbes capiunt.

Iudæorum Pontificatum poſt Eleazarum auunculus eius Manaſſes accepit: poſt quem Onias Pontifex Simonis iuſti filius clarus habebatur, qui conſueta à Ptolomæo tributa non teddens ad iram eum commouit. Verùm Ioſephus vir inter ſuos nobilis legatus à Iudæis ad Ptolomæum miſſus, cùm familiaritatem Regis ob plurima in eum meruiſſet obſequia, Dux Iudææ & finitimarum regionum conſtituitur.

Parthis ab Imperio Macedonum recedentibus primò regnauit Arſaces, vnde Arſacidæ dicti.

Ptolomæus Euergetes annis XXVI.

Huius temporibus Iudæorum Pontifex Simon Oniæ filius clarus habebatur: ſub quo Ieſus filius Sirach Sapientiæ librum compoſuit, quem Panareton vocauit.

Ennius Poëta Tarenti naſcitur.

Rhodo terræ motu concuſſa Coloſſus ruit.

A Romanis XL. fere millia Gallorum cæſa.

Ptolomæus Philopator annis XVII. Iudæi victi & XL. millia armatorum ex numero eorum cæſa.

Romani verò Capuam & Siciliam ſubiugant.

Antiochus Rex Syriæ victo Philopatore per Ptolomæum Iudæam ſibi ſumit.

Ptolomæus Epiphanes annis XXIV. Hic Scopa Principe militiæ deſtinato Iudæam capit, & plorimas Syriæ ciuitates. Secundus liber Machabæorum huius temporis geſta continet.

Hac tempeſtate cùm ab Antiocho per legatos Hannibalem Romani repoſcerent, cui ſe victus à Scipione ſociauerat, idem Hannibal ad Pruſiam Regem Bithyniæ transfugit: & cùm etiam ab eo per Flaminium repoſceretur, tradendúſque eſſet, venenum bibit, & apud Libyſſam Bithyniæ ſepultus eſt.

Cæcilius Poëta Comicus.

Ptolomæus Philometor annis XXV. ſeu XXXV. Huius anno quarto Hyrcanus Ioſephi Ducis Iudææ filius, quum ad Ptolomæum perrexiſſet, honorificè ab eo ſuſceptus eſt. Verùm fratres eius ſeditione contra eum mota magnarum calamitatum Iudææ genti cauſa extiterunt.

Ariſtobulus, natione Iudæus, Peripateticus Philoſophus claruit: qui ad Philometorem Ptolomæum explanationum in Moyſen commentarios ſcripſit.

Eodem tempore Antiochus Epiphanes, cùm de regione Ptolomæorum, quam ſubitò inuaſerat, territus Senatus Romani imperio receſſiſſet, Iudæam venit, ibíque Ieſu & Iaſoni fratri Oniæ Pontificatum tradidit. Quo deinde expulſo Oniam cognomento Menelaum ſucceſſorem ei dedit. Itaque ob Sacerdotij dignitatem orta ſeditione inter Principes ingentium miſeriarum ſemina pullulauerunt.

Samaritæ & Iudæi Alexandriæ Ptolomæo iudicante contendunt de honoribus ex vtraque parte templo ſuo deferendis, & ſuperant Iudæi.

Viceſimo autem eiuſdem regni anno Iudæ Machabæo poſt Alcimi inimici eius interitum Sacerdotium & Principatus omnium Iudæorum fauore decernitur. Qui dignitate ſuſcepta Legatos Romam miſit, & obtinuit decreto Senatus, vt Iudæi amici & auxiliatores Romanorum haberentur. Idem Iudas duces Antiochi, qui legem Iudæorum multa profanitate impugnauerat, de Iudæa expulit, & templum ab idolorum imaginibus emundans patrias religiones poſt triennium ciuibus ſuis reddidit.

Ennius Poëta moritur, ſepelitúrque in monimento Scipionum viâ Appiâ.

Iudas Machabæus triennio Pontificatu geſto dimicans aduerſus Demetrij Duces occiditur.

Terentius Carthaginenſis Comœdiarum ſcriptor moritur.

Pacuuius Tragicus clarus habetur, Ennij Poëtæ ex filia nepos, vixítque Romæ quoad picturam exercuit ac fabulas vendirauit, deinde Tarentum tranſgreſſus propè nonagenarius diem obiit.

Romæ deſcriptione facta inuenta ſunt ciuium CCCXXXII. millia, quo tempore Carthago in ditionem Romanam per Scipionem redigitur.

Ptolemæus Euergetes annis XXIX.

Ionathas Pontifex Iudæorum à Tryphone occiditur, & in Sacerdotium Simon Ionathæ frater adſumitur: cui interfecto ſuccedit filius eius Ioannes, qui contra Hyrcanos bellum gerens Hyrcani nomen accepit, & à Romanis decreto Senatus inter amicos relatus eſt. Idem Samariam obſidione captam ſolo æquauit, quam poſtea Herodes inſtaurans Sebaſten in honorem Auguſti vocari voluit.

Attalus moriens populum Romanum reliquit heredem.

Ptolomæus Phyſcon, qui & Soter, annis XXVII. aliàs XVII.

Huius regni anno octauo Cicero Arpini naſcitur matre Heluiâ, patre Equeſtris ordinis ex regio Volſcorum genere.

Triennio pòſt Cn. Pompeius Magnus oritur.

Septimo decimo autem huius regni anno C. Marius v. Conſul iuxta Rhodanum Cimbros ſuperat, quorum ducentis millibus cæſis LXXX. capit, & de his cum Catulo triumphat.

Iugurtha contra Romanos dimicans capitur.

In Sicilia rurſus bellum ſeruile conſurgit.

Thraces à Romanis victi.

Ariſtobulus filius Ionathæ (Ioannis) Rex pariter & Pontifex, primus apud Iudæos diadematis ſumpſit inſigne. Poſt quem regnauit Iannæus, cognomento Alexander, qui Pontificatum quoque adminiſtrans crudeliſſimè ciuibus præfuit.

Ptolomæus, qui & Alexander, annis VIII.

Syriæ regnabat Philippus, quem Dux Romanus Gabinius cepit, cùm iam ante eum Antiochus in Parthos fugiens Pompeio ſe deinceps tradidiſſet. Ita Syria in Romanam ditionem tranſiuit.

L. Pomponius Bononienſis Atellanarum ſcriptor clarus habebatur.

T. Lucretius Poëta hoc tempore extitit, qui amatorio poculo in furorem verſus propria manu ſe interficit.

Plotius Gallus primus Romæ Latinam Rhetoricam docuit.

Ptolomæus Cleopatræ filius annis VIII.

Saluſtius Hiſtoriarum ſcriptor in Sabinis Amiterni naſcitur.

Deſcriptione Romæ facta inuenta ſunt hominum CCCCLXIII. millia.

P. Terentius Varro vico Atace in Prouincia Narbonenſi naſcitur, qui XXXV. annum agens Græcas literas didicit.

Ptolomæus Dionyſus annis XXX.

Ab huius regni anno ſexto Alexandra, quæ & Selina, vxor Alexandri, Hieroſolymis per nouem regnauit annos: ex cuius ætate Iudæos rerum confuſio & variæ clades oppreſſere. Ac mox per Cn. Pompeium Hieroſolymis captis, templóque vſque ad ſanctorum ſancta reſerato, Iudæi vectigales Romanorum facti. Hyrcano apud eos Pontifice conſtituto, & Antipatro Herodis Aſcalonitæ filio Procuratore Palæſtinæ facto.

M. Porcius Cato Stoicus Philoſophus agnoſcitur.

Quæ de Catilina Salluſtius ſcribit hoc geſta ſunt tempore.

Decimo autem Ptolomæi regnantis anno Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, iuxta Mantuam naſcitur, Pompeio & Craſſo Conſulibus.

Et poſt ſeptem annos Horatius Flaccus Poëta ſatyricus & lyricus Libertino patre Venuſij naſcitur.

Craſſus Conſul cum filio apud Carras capitur.

Pompeius Imperator appellatus Luſitaniam, & quaſdam inſulas in Oceano capit.

Cleopatra annis XXII. ex quibus duo tantùm ſupputandi, quia Romanis continua naſcuntur imperia: quorum deinceps tempora numeranda ſunt à C. Iulio Cæſare, qui primus apud Romanos ſingulare obtinuit imperium, à quo Romanorum Principes appellati Cæſares.

Cæſar Rhenum tranſiens Germanos vaſtat, Gallos ſubigit.

Principium belli ciuilis inter Cæſarem & Pompeium.

Ex hoc loco continua Romanorum adnotantur imperia, & regnat apud eos primus omnium C. Iulius Cæſar.

C. IVLIVS CÆSAR primus annos IV. menſes ſex.

Pompeius victus & fugiens à ſpadonibus Alexandrini Regis occiditur.

Decretum Senatus & Athenienſium ad Iudæos mittitur, qui per legatos amicitiam poſtularunt.

Cleopatra regio comitatu vrbem ingreſſa.

Antonius decernit Quintilem menſem Iulium debere dici, quia in eo natus fuiſſet Iulius.

Caſſius Iudæa capta templum ſpoliat.

Idibus Martijs C. Iulius Cæſar in curia occiditur.

CÆSAR AVGVSTVS qui & Octauianus annis LVI. à quo Reges Romanorum Auguſti appellati.

Ouidius Naſo Pelignis naſcitur.

Cicero in Formiano ſuo ab Herennio & Popilio occiditur.

Antonius aduerſus Auguſtum bellum mouet.

Taberna meritoria trans Tiberim oleum terra erupit, fluxítque toto die ſine intermiſſione, ſignificans Chriſti gratiam ex gentibus.

Antiochus ſuperatus ab Auguſto in amicitiam eius interueniente Senatu redit.

Herodes Antipatri Aſcalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius à Romanis Iudæorum accipit principatum. Cuius tempore Chriſti natiuitate vicina regnum & ſacerdotium Iudææ, quod priùs per ſucceſſiones minorum tenebatur, deſtructum eſt, completa prophetia, quæ per Moyſen ita loquitur: Non deficiet Princeps ex Iuda, neque Rex de femoribus eius, donec veniat ſemen, cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio gentium. In hoc etiam loco Chriſtus, quem Daniel ſcribit, accepit finem. Nam vſque ad Herodem Chriſti, id eſt, Sacerdotes erant Reges Iudæorum qui imperare cœperunt à LXV. Olympiade, & ab inſtauratione templi ſub Dario vſque ad Hyrcanum, & ad CLXXXVI. Olympiadem annis CCCCLXXXIV. in

medio tranſacti, quos Daniel quoque ſignificauit dicens: Et ſcies & intelliges ab initio ſermonis reſpondendi & ædificandi Ieruſalem, vſque ad Chriſti principatum hebdomades ſeptem, & hebdomades LXII. quæ hebdomades LXIX. in quibus Chriſti, id eſt ſacerdotes per vnctionem conſecrati regnauerunt, faciunt annos CCCCLXXXIV. vſque ad Hyrcanum, quo extremo omnium à Parthis capto Herodes Antipatri filius nihil ad ſe pertinentem Iudæam ab Auguſto & Senatu accepit, filijque eius poſt eum regnauerunt vſque ad nouiſſimam Hieroſolymorum captiuitatem, nequaquam ex ſucceſſione ſacerdotalis generis Pontificibus conſtitutis, neque perpetuitate vitæ ſecundùm legem Moyſis ſeruientibus Deo. Ignobiles verò quidam, & alio tempore alij, & nonnulli vnius anni, ſiue modico ampliùs, à Romanis Imperatoribus ſacerdotium emebant. Quæ omnia etiam Propheta Daniel vaticinatur ita dicens: Et poſt hebdomadas ſeptem & ſexaginta duas interibit Chriſma, & iudicium non erit in eo, & templum & ſanctum corrumpet populus Duce veniente; & cædentur in cataclyſmo belli & in conſequentibus: ſuper templum, inquit, abominatio deſolationum, eiúſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem.

Salluſtius diem obiit quadriennio ante bellum Actiacum.

Vinium Maximum Quæſtorem deſignatum agnouit dominus ſuus & abduxit.

Lunæ ſecundùm Romanos curſus inuenitur.

Cleopatra & Antonius ſemet interficiunt, & Ægyptus fit Romana prouincia.

Cæſar Auguſtus appellatur, à quo Sextilis menſis Auguſti nomen accepit.

Auguſtus cùm monarchia offerretur recuſauit.

Auguſtus Calabriam (Cantabriam) & Gallos (Gallæcos) vectigales facit.

Tiberius ab Auguſto miſſus occupauit Armeniam.

Cantabri res nouas molientes opprimuntur.

Auguſtus Caium & Agrippam adoptat in filium.

Tiberius Vindelicos & confines Rætiarum Romanas prouincias facit.

XVII. anno imperij Auguſti cenſu Romæ agitato inuenta ſunt Ciuium Romanorum XLI centena & ſeptuaginta quatuor millia.

XXIV Auguſti imperij anno Tiberius de captis Pannoniis triumphauit.

Eiuſdem imperij anno XXV. Virgilius Brunduſij moritur, & Neapoli ſecundo à ciuitate miliario ſepelitur.

Herodes Samariam olim iam in cineribus ſedentem à fundamentis ſuſcitans in honorem Auguſti Auguſtam, id eſt Sebaſten, appellauit, & in Paneade id, quod Panion vocatur, extruxit. Idem Cæſaream in nomine Cæſaris condidit, quæ priùs Turris Stratonis vocabatur. Idem Hyrcanum, qui olim ſacerdos Iudæorum fuerat, de captiuitate Parthica regreſſum, & filium eius, qui ſacerdotio patris ſucceſſerat, interficit: ſororémque eius, vxorem ſuam, cum duobus filiis propriis, iam adoleſcentulis, & matrem vxoris occiſæ foetum ſuam crudeliſſimè necat. Virum etiam ſororis ſuæ Salomæ interficit, & cùm eam alij tradidiſſet vxorem, etiam ipſum perimit. Scribas quoque & Interpretes diuinæ legis ſimili ſcelere occidit.

Auguſtus Iuliam filiam ſuam in adulterio deprehenſam damnat exilio: Tiberium & Agrippam in filios adoptauit.

Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur.

XLIV. imperij Auguſti anno Quirinus ex conſilio Senatus ad Iudæam miſſus, cenſus hominum poſſeſſionéſque deſcribit.

Eodem anno IESVS-CHRISTVS filius Dei in Bethleem Iudæ naſcitur.

Colliguntur autem omnes anni ab Abrahamexordio vſque ad natiuitatem Chriſti ex Maria duo millia XVIII. ſeu XV.

Herodes cùm Chriſti natiuitatem Magorum indicio cognouiſſet, vniuerſos in Bethleem paruulos iuſſit interfici: ipſe autem biennio pòſt morbo intercutis aquæ, & ſcatentibus toto corpore vermibus miſerè ſed dignè moritur.

In Herodis loco Archelaus ab Auguſto conſtituitur, & Tetrarchæ fiunt quatuor fratres eius Herodes, Antipater, Lyſias, Philippus annis IX.

Tiberius Cæſar Dalmatas Sarmatáſque redigit in Romanam poteſtatem.

Athenienſes res nouas contra Romanos molientes opprimuntur.

Auguſtus cum Tiberio filio ſuo LIII. imperij ſui anno cenſum Romæ agitans inuenit

inuenit hominum nonagies & ter centena & LXX. millia.

Meſſala Coruinus Orator ante biennium quàm moreretur, ita memoriam perdidit, vt vix pauca verba conjungeret.

Archelaus in Viennam vrbem Galliæ relegatur, anno regni ſui IX. poſt quem Herodes Tetrarches fuit annis XXIV.

Tiberius Druſum conſortem regni facit.

TIBERIVS III. annis XXIII. Cuius Imperij anno V. tre-decim vrbes terræ motu corruerunt.

Eiuſdem imperij anno XIV. Pilatus Procurator Iudææ mittitur.

Herodes Tiberiadem & Liuiadem condidit.

Tiberius multos Reges ad ſe per blanditias reuocatos numquam remiſit, regnáque eorum in prouincias vertit.

Ioannes filius Zachariæ in deſerto iuxta Iordanem fluuium prædicans Iudæis, Chriſtum Filium Dei in medio eorum adeſſe teſtatur.

Ipſe quoque Dominus IESVS-CHRISTVS hinc in populos ſalutarem viam adnuntiat ſignis atque virtutibus vera comprobans eſſe quæ diceret.

Druſus Cæſar veneno periit.

Ioſephus circa hæc tempora die Pentecoſtes Sacerdotes Iudæorum primùm commotiones locorum templi & quoſdam ſonitus ſenſiſſe teſtatur: deinde ex adyto erupiſſe vocem dicentium: Tranſmigremus ex his ſedibus.

Scribit idem Ioſephus quod eodem anno Pilatus Præſes ſecreto noctis imagines Cæſaris in templo ſtatuerit.

Computantur itaque in annum XV. Tiberij Cæſaris, ab inſtauratione Templi quæ facta eſt ſub altero anno Darij Regis Perſarum anni DXLVIII. à Salomone autem & prima ædificatione templi anni computati ſunt MLX. à Moyſe & egreſſu Iſraëlis ex Ægypto anni MDXVI. (aliàs XXXVIII.) ab anno repromiſſionis primo anni MDLXXII. ab anno quo natus eſt Abraham anni MMXLVII. à Diluuio autem vſque ad primum annum Abrahæ, anni nongenti XLII. Euſebius vir diſertiſſimus adnumerauit. Ab Adam vero vſque ad Diluuium anni duo millia CCXLII. ſunt ergo omnes anni ab Adam vſque in annum XV. Tiberij Cæſaris anni MMMMM CCCLX. aut CCXXVIII. Anni verò ſecundum Geneſeos ſcripturam & Africani Hiſtorici ſupputationem amplius inueniuntur CXXIX.

Quidam putant Dominum noſtrum IESVM-CHRISTVM XV. anno regni Tiberij Cæſaris id eſt duobus Geminis Conſulibus crucifixum, quo anno ſecundùm indubitabilem Lucæ Euangeliſtæ auctoritatem baptizatum eum eſſe manifeſtum eſt; & Euangelium regni cælorum prædicare cœpiſſe. Secundùm verò Ioannis Euangeliũ feſtiuitati Paſchæ Iudæorum ter Dominum inter fuiſſe cognoſcimus vt appareat tertiũ fuiſſe illud Paſcha quod verus Agnus ſuo ſanguine cõſecrauit.

Proinde Conſules quidem à Manifeſtatione Domini, id eſt à RVFINO GEMINO & RVBELLIO GEMINO Conſulibus inchoamus; ſed tertios ab ijs Conſules Dominicæ Paſſioni adſcribimus, ſequentes quod auctoritas tradidit & ratio.

INCIPIT ADNOTATIO CONSVLVM CVM HISTORIA.

RVFINO GEMINO ET RVBELLIO GEMINO COSS.

VINICIO ET LONGINO.

SVLPICIO ET SVLLA.

Eccleſiæ Hieroſolymorum primus Epiſcopus ordinatus eſt Iacobus, qui habitus eſt frater Domini.

PRISCO ET VITELLIO.

GALLO ET NONIANO.

GALLIENO ET PLAVTIANO.

Pilatus ſacrum theſaurum quem Corban Iudæi vocant in aquæductum Hieroſolymorum expendens ſecundæ ſeditionis præbuit ſemina. Ab hoc tempore innumeræ calamitates Iudæorum gentem oppreſſerunt.

PROCVLO ET NIGRINO.

IVLIANO ET ASPRENATE.

PVBLICOLA ET NERVA.

Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, vt inter cætera ſacra reciperetur, verùm cùm ex conſulto Patrum Chriſtianos eliminari vrbe placuiſſet, Tiberius per edictũ accuſatoribus comminatus eſt mortem.

CÆSARE ET IVLIANO.

Tiberius in Campania moritur.

CAIVS CÆSAR Caligula IV. regnauit annis tribus menſibus decem.

CÆSARE II. ET SATVRNINO.

SATVRNINO II. ET VENVSTO.

TIBERIO ET GALLO.

Hoc tempore Pontius Pilatus in multas incidens calamitates propria ſe manu interfecit.

Caligula cùm ſe in Deos retuliſſet, Petronio Præfecto Syriæ præcepit, vt Hieroſolymis ſtatuam ſuam ſub nomine Iouis Optimi Maximi poneret, ſed etiam per totum orbem Romani Imperij in Iudæorum Synagogis ſtatuæ & imagines & aræ C. Cæſaris conſecrabantur.

CRISPINO ET TAVRO.

Plurimi nobilium à Caio interfecti.

Caius à protectoribus ſuis in palatio occiditur.

CLAVDIVS V. regnauit annis XIII. menſibus VIII. diebus XXVIII. Ipſe eſt Claudius patruus Druſi, qui apud Moguntiacum monimentum habet.

VINICIO ET CORNELIO.

ASIATICO ET SILANO.

PETRVS Apoſtolus cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, vbi Euangelium prædicans XXV. annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat.

TIBERIO II. ET VITELLIO.

Marcus Euangeliſta interpres Petri Ægypto Alexandriæ Chriſtum annuntiat.

Initium Cycli primi.

VITELLIO II. ET PVBLICOLA.

Primus Antiochiæ Epiſcopus ordinatur Euodius.

VERINO ET GALLO.

VETERE ET NERVILIANO.

Cenſu Romæ acto inuenta ſunt ciuium LXVIII. centena & LXIV. ſeu XLIV. millia.

Paſchalis Cycli ratio ab his Conſulibus incipit, per annos XXCIV. & ad eandem legem reuertens.

CLAVDIO ET ORPHITO.

Sub Procuratore Iudææ Cumano in diebus Azymorum tanta eſt Hieroſolymis orta ſeditio, vt in portarum exitu populo corruente XXXIV. millia Iudæorum perierint.

Prophetia Agabi, qui in Actis Apoſtolorum famem in toto orbe futuram dixerat, ſub Claudio expletur.

Thracia huc vſque regnata in Prouinciam redigitur.

SILANO ET SILIO.

TIBERIO III. ET ANTONINO.

SILANO ET OTHONE.

Paulus Apoſtolus apud Felicem Procuratorem Iudææ in defenſionem ſui perorat.

SILANO II. ET ANTONINO.

MARCELLINO ET AVIOLA.

Sub Felice Procuratore Iudææ extiterunt multi qui populum ſua perſuaſione deciperent. Inter quos & Ægyptius quidam pſeudo-Propheta fuit, qui plurimos ſibi adſocians in ipſo magnarum rerum conatu per exercitum Felicis opprimitur, ſecundùm quod in Actibus Apoſtolorum Paulo dicitur. Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies concitaſti & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum.

NERONE ET VETERE.

NERONE II. ET PISONE.

Claudius moritur in Palatio anno ætatis ſuæ LXIV.

NERO VI. regnat annis XIII. menſibus VII. & diebus XXVIII. aut XXX. Huius auunculus fuit C. Caligula.

NERONE III. ET MESSALA.

NERONE IV. ET CORNELIO.

Feſtus ſuccedit Felici, apud quem præſente Agrippa Rege, Paulus Apoſtolus

religionis ſuæ rationem redditurus vinctus Romam mittitur.

Nero tantæ luxuriæ fuit, vt frigidis & calidis lauaret vnguentis, retibúſque aureis piſcaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur.

Pio et Tvrpiliano.

Marbino et Gallo.

Crasso et Basso.

Silvano et Pavlino.

Nero Agrippinam matrem ſuam & ſororem patris interfecit.

Iacobus frater Domini, quem omnes Iuſtum appellabant, à Iudæis lapidibus opprimitur. In cuius thronum Simeon ſecundus adſumitur.

Nero omnes cithara contendens ſuperat.

Celsino et Apvleio.

Ante menſam Neronis fulmen cecidit.

Poſt Marcum Euangeliſtam primus Alexandrinæ Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus Anianus.

Capitone et Rvfo.

Silio Italico et Tvrpiliano.

Silvano et Othone.

Vespasiano et Tito.

Vespasiano II. et Tito II.

Vespasiano III. et Nerva.

Nero in Olympiaco agone coronatur, cerycas, citthariſtas, tragœdos, aurigas vario certamine ſuperans.

Nero vt ſimilitudinem Troiæ ardentis videret, plurimam partem Romanæ vrbis incendit.

Muſonius & Plutarchus Philoſophi inſignes habentur.

Prima persecvtio. Primus Nero ſuper omnia ſcelera ſua etiam perſecutionem in Chriſtianos facit, in qua Petrus & Paulus Apoſtoli glorioſè Romæ occubuerunt.

Poſt Petrum primus Romanam Eccleſiam tenuit Linvs, annis XII. ſiue XIII.

Veſpaſianus Magiſter militiæ ad debellandos Iudæos à Nerone mittitur.

Vespasiano IIII. et Tito III.

Veſpaſianus duobus prælijs ſuperatos Iudæos ad muros compellit.

Antiochiæ ſecundus Epiſcopus ordinatur Ignatius.

Nero cùm à Senatu quæreretur ad pœnam, de Palatio fugiens ad quartum Vrbis milliarium ſemet interfecit.

Vespasianvs VII. regnauit annis IX. menſibus IX. & diebus XXII. ſeu XXIX.

Vespasiano V. et Tito IV.

Poſt Neronem Galba in Iberiâ, Vitellius in Germania, Otho Romæ Imperium arripuerunt: ſed Galba ſeptimo menſe Romæ capite truncatur. Otho apud Bebriacum propriâ manu occubuit. Vitellius à Veſpaſiani Ducibus occiſus in Tiberim proijcitur.

Veſpaſianus apud Iudæam ab exercitu Imperator appellatus, bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiſcitur.

Vespasiano VI. et Tito V.

Titus Iudæa capta & & Hieroſolymis ſubuerſis ſexcentena millia virorum interficit. Ioſephus ſcribit vndecies centena millia fame & gladio perijſſe, & alia centum millia captiuorum publicè venundata. Vt autem tanta multitudo Hieroſolymis reperiretur, cauſam Azymorum feſtum fuiſſe, ob quod ex omni gente Iudæi ad templum confluentes, vrbe quaſi carcere ſunt recluſi; oportuit enim in his diebus eos interfici, in quibus Saluatorem crucifixerant.

Colligitur itaque omne tempus in ſecundum annum Veſpaſiani & nouiſſimam Hieroſolymorum euerſionem à quintodecimo anno Tiberij Cæſaris & ab exordio Euangelicæ prædicationis anni XLII. à captiuitate autem, quam ab Antiocho perpeſſi ſunt, anni CCXXIX. Porrò à Darij ſecundo anno ſub quo rurſum templum ædificatum eſt, anni DLXXX. aut XC. A primâ autem ædificatione templi ſub Salomone vſque ad nouiſſimam eius ruinam quæ ſub Veſpaſiano facta eſt anni MCIII.

VESPASIANO VII. ET TITO VI.

COMMODO ET RVFO.

Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samos, Cilicia, Comagene, quæ ante liberæ ſub Regibus & amicis erant, in prouincias redactæ.

VESPASIANO VIII ET TITO VII.

VESPASIANO IX. ET TITO VIII.

SILVANO ET VERO.

DOMITIANO ET MESSALINO.

DOMITIANO II. ET RVFO II.

Veſpaſianus circa Sabinos in villa propria moritur, anno ætatis LXIX.

TITVS VIII. regnauit annis tribus, menſibus duobus.

Titus Veſpaſiani filius in vtraque lingua diſertiſſimus fuit & tantæ bonitatis, vt cum quadam die recordatus fuiſſet in cœnâ, ſe nihil in illa die cuiquam præſtitiſſe, dixerit; Amici hodie diem perdidi.

DOMITIANO III. ET SABINO.

DOMITIANO IV. ET RVFO III.

Titus Amphitheatrum Romæ ædificauit, & in dedicatione eius quinque millia ferarum occidit.

DOMITIANO V. ET DOLABELLA.

Romanæ Eccleſiæ II. conſtituitur Epiſcopus CLETVS annis XII.

Titus morbo periit in ea villa in qua pater, anno ætatus. XLII.

DOMITIANVS IX. frater Titi iunior regnauit annis XV. menſibus quinque.

DOMITIANO VII. ET RVFO IV.

Domitiani vxor Auguſta appellata.

Domitianus Eunuchos fieri prohibet: Mathematicos, Philoſophos Romana vrbe pellit.

FLAVIO ET TRAIANO.

Domitianus plurimos Senatorum in exilium mittit: de Dacis & Germanis triumphauit.

DOMITIANO VII. ET NERVA

Duo menſes aliter appellati: September, Germanicus; & October Domitianus.

Primus Domitianus Dominum ſe & Deum appellari iuſſit.

Secundus Alexandriæ ordinatur Epiſcopus Abilius.

TRAIANO II. ET GLABRIONE.

Quintilianus Rhetor Calaguritanus Romæ clarus habetur.

DOMITIANO VIII. ET SATVRNINO.

SILVANO ET PRISCO.*

Domitianus prohibuit vites in vrbibus ſeri.

ASPRENATE ET CLEMENTE.

Apollonius Thyaneus & Eufrates Philoſophi inſignes habentur.

Multa opera Romæ facta, in quibus Capitolium, Forum tranſitorium, Diuorum porticus, Iſeum, Serapium, Stadium, Horrea piperata, Veſpaſiani templum, Minerua Calchedoniea, Odium, Forum Trajani, Thermæ Trajanæ & Titianæ, Senatus, Ludus matutinus, Mica aurea, Meta ſudans, & Pantheum.

Domitianus tantæ ſuperbiæ fuit, vt aureas & argenteas Statuas ſibi in Capitolio poni iuſſerit.

DOMITIANO IX. ET CLEMENTE.

Multi nobilium necati, plures in exilium acti.

FVLVIO ET VETERE.

NERVA II. ET RVFO.

SABINO ET ANTONINO.

NERVA III. ET TRAIANO III.

Romæ III. Eccleſiæ præfuit Epiſcopus CLEMENS annis IX.

SENECIONE ET PALMA.

TRAIANO IV. ET FRONTONE.

SECVNDA PERSECVTIO. Secundus poſt Neronem Domitianus Chriſtianos perſequitur: & ſub eo Apoſtolus Ioannes in Pathmum inſulam relegatus Apocalypſin vidit, quam Ireneus interpretatur.

Domitianus eos qui de genere Dauid erant interfici præcepit, vt nullus Iudæorum regni reliquus foret.

TRAIANO V. ET ORPHITO.

Scribit Brutius plurimos Chriſtianorum ſub Domitiano feciſſe Martyrium, inter quos & Flauiam Domitillam Flauii Clementis Conſulis ex ſorore neptem in inſulam Pontiam relegatam, quia ſe Chriſtianam eſſe teſtata ſit.

SENECIONE II. ET SVRA.

Domitianus occiſus in palatio anno ætatis ſuę XXXV.

NERVA X. regnauit annum vnum & menſes quatuor.

TRAIANO VI. ET MAXIMO.

Iuſtus à Tiberiade Iudæorum ſcriptor agnoſcitur.

Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur tertius Cerdo.

Aiunt Apoſtolum Ioannem hoc tempore exilio ſolutum Epheſum receſſiſſe, cùm Senatus decreuiſſet, vt & omnia quæ Domitianus ſtatuerat, in irritum deducerentur.

Nerua morbo periit in hortis Salluſtianis anno ætatis ſuæ LXXII. aliàs XXCII. cùm iam Trajanum adoptaſſet in filium.

TRAIANVS XI. regnauit annis XVIII. & menſibus ſeptem. Trajanus Agrippinæ in Gallijs Imperator factus natus Italicæ in Hiſpania.

SENECIONE III. ET SVRA II.

Terræ motu Aſiæ quatuor & duæ Græciæ Vrbes ſubuerſæ.

Trajanus de Dacis & Scythis triumphauit.

VRBANO ET MARCELLO.

CANDIDO ET QVADRATO.

COMMODO ET CEREALE.

Decreto Senatus, Nerua in Deos relatus.

Romanæ Eccleſiæ IV. Epiſcopus præeſt Euariſtus annis IX.

Ioannem Apoſtolum vſque ad Trajani tempora Ireneus Epiſcopus permanſiſſe ſcribit. Poſt quem Papias Hierapolitanus Epiſcopus, Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus.

SENECIONE IV. ET SVRA III.

GALLO ET BRADVA.

AFRICANO ET CRISPINO.

CRISPINO II. ET BOLENO.

PISONE ET RVSTICO.

Alexandrinæ Eccleſiæ IV. Epiſcopus ordinatur nomine Primus.

TRAIANO VII. ET AFRICANO.

TERTIA PERSECVTIO. Trajano aduerſus Chriſtianos perſecutionem mouente, Simon filius Cleophæ qui in Hieroſolymis Epiſcopatum tenebat, crucifigitur, cui ſuccedit Iuſtus.

Ignatius quoque Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus Romam perductus beſtijs traditur. Poſt quem tertius conſtituitur Epiſcopus Eron.

CELSO ET CRISPINO.

ASTA ET PISONE.

Plinius ſecundus cum quandam prouinciam regeret; & in magiſtratu ſuo plurimos Chriſtianorum interfeciſſet, multitudine eorum perterritus quæſiuit de Trajano quid facto opus eſſet, nuncians ei præter obſtinationem non ſacrificandi & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Chriſto vt Deo, nihil apud eos reperiri. Præterea ad conſerendam diſciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his ſimilia. Ad quæ commotus Trajanus reſcripſit, hoc genus quidem hominum inquirendos non eſſe, oblatos verò puniri oportere.

MESSALA ET PEDONE.

Quintus Romanæ Eccleſiæ præeſt Alexander annis X.

ÆMILIANO ET VETERE.

NIGRINO ET APRONIANO.

Plinius ſecundus Nouocomenſis inſignis Orator dum inuiſit apud Veſuuium periit: & tres Galatiæ ciuitates terræ motu exciſæ.

Poſt Iuſtum IV. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcipit Zachæus,

poſt quem quintus Tobias, cui ſuccedit ſextus Benjamin, ac deinde ſeptimus Ioannes, octauus Matthias, in cuius locum nonus conſtituitur Philippus.

CLARO ET ALEXANDRO.

HADRIANO ET SALINATORE.

HADRIANO II. ET RVSTICO.

SERVILIANO ET FVLVIO.

Hoc tempore Iudæi qui in Libyâ erant & qui in Ægypto, quique apud Cyrenem & Thebaïdem aduerſus cohabitatores ſuos magnas ſeditiones mouent.

Iudæis Alexandriæ rebellantibus Trajanus Imperator Lyſiæ Quieto præcepit vt eos è prouincia exterminaret: aduerſus quos Quietus aciem inſtruens infinita eorum millia interfecit, & ob hoc Procurator Iudææ ab Imperatore decernitur.

Salaminam vrbem Cypri ſubuertere Iudæi.

Traianus in Selinunte, ſiue vt alij ferunt, apud Seleuciam Iſauriæ ciuitatem moritur anno ætatis LXIV. oſſa eius in vrnam auream conlata, & in foro ſub columna poſita, ſoluſque omnium intra vrbem ſepultus eſt.

HADRIANVS XII. regnauit annis XXI. Hic Italicæ in Hiſpania natus, conſobrinæ Trajani filius fuit.

VERO ET AVGVRINO.

AVIOLA ET PANSA.

Senatus Trajanum in Deos refert, & Hadrianus reliqua tributorum vrbibus relaxat, chartis publicè incenſis, plurimóſque ipſis tributis liberos facit.

Hadrianus Iudæos capit ſecundò aduerſus Romanos rebellantes.

PATERNO ET TORQVATO.

GLABRIONE ET APRONIANO.

Bellum geſtum contra Sarmatas.

Romanæ Eccleſiæ VI. Epiſcopatum ſuſcipit Xyſtus annis IX.

Alexandriæ V. Epiſcopus ordinatur Iuſtus.

ASIATICO ET QVINTILLO.

Cephiſſus fluuius Eleuſinam inundauit, quem Hadrianus ponte coniungens Athenis hyemem exegit.

VERO ET AMBIGVO.

GALLICANO ET TITIANO.

Hieroſolymis poſt Philippum conſtituitur X. Epiſcopus Seneca; poſt quem XI. Iuſtus, cui ſuccedit XII. Leui, poſt quem XIII. Ephres, XIV. Ioſeph, XV. Iudas. Hi omnes vſque ad euerſionem quam per Hadrianum Ieruſalem paſſa eſt ex circunciſione Epiſcopi præfuerant.

Terræ-motu Nicomedia ruit & Nicææ vrbis plurima: ad quarum inſtaurationem Hadrianus de publico eſt largitus impenſas.

TORQVATO ET LIBONE.

CELSO ET MARCELLINO.

CATVLINO ET APRO.

PONTIANO ET RVFINO.

Finis cycli primi & ſequentis exordium.

Quadratus diſcipulus Apoſtolorum & Ariſtides noſter Philoſophus libros pro Chriſtiana religione compoſitos edidere.

Serenus Granius vir apprimè nobilis litteras ad Imperatorem miſit, iniquum eſſe dicens clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi & ſine vllo crimine nominis tantum & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minucio Fundano Proconſuli Aſiæ ſcribit ſine objectu criminum Chriſtianos non condemnandos. Cuius epiſtolæ vſque ad noſtram memoriam durat exemplum.

AVGVRINO ET SERGIANO.

TIBERIO ET SILANO.

Romæ VII. Epiſcopus ordinatur Teleſphorus annis XI.

Antiochenæ Eccleſiæ IV. præficitur Cornelius.

SERGIANO II. ET VERO.

POMPEIANO ET ATILIANO.

Alexandrinæ Eccleſiæ VI. præeſt Eumenes.

POMPEIANO II. ET COMMODO.

LÆLIO ET ALBINO.

Iudæi [illegible] arma verſi Palæſtinam depopulati ſunt, tenente prouinciam Tænio Ru[illegible] cui ad opprimendos rebelles Hadrianus miſit exercitum.

CAMERIN[illegible] ET NIGRO.

Baſ[illegible]ides Hæreſiarches in Alexandria commoratur, à quo Gnoſtici. Hoc autem Baſilides diſtabat à Simonis dogmate, quod CCCLXV. cælos eſſe credebat, qu[illegible] n[illegible]mero dierum annus includitur. Vnde etiam quaſi ſanctum nomen com[illegible]nd[illegible]t, quod eſt Abraxas, quia huius nominis literæ ſecundùm ſupputatio[illegible]em G[illegible]æcam eundem numerum complent. Gnoſtici autem à præſumptione ex[illegible]ll[illegible] [illegible] ſcientiæ nominati ſunt, quos quidam Borboritas vocant, quaſi cœ[illegible]ſos [illegible]er nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſterijs exercere dicuntur. [illegible] fabuloſiſſimis dogmata plena figmentis. Animarum ſubſtantiam dicunt D[illegible] eſſe naturam, Deum quoque bonum & Deum malum in ſua perhibentur habere [illegible]trina.

B[illegible]o[illegible]has Dux Iudæorum nolentes ſibi aduerſus Romanum militem ferre [illegible]d[illegible], o[illegible]odis cruciatibus necat. Bellum Iudaïcum, quod in Palæſtina [illegible] rebus Iudæorum poſuit penitus oppreſſis. Ex quo tempore etiam [illegible] Hieroſolymam licentia ablata eſt; primùm Dei nutu, ſicut Pro[illegible] v[illegible]nati ſunt, deinde Romanorum interdictionibus:

ANTONINO ET PRÆSENTE.

H[illegible]eroſolymis primus ex gentibus conſtituitur Epiſcopus Marcus, ceſſantibus his q[illegible] fuerant ex Iudæis.

ANTONINO II. ET PRÆSENTE II.

SEVERO ET SILVANO.

Ælia ab Ælio Hadriano condita eſt, & in fronte eius portæ, quâ Bethleem egredimur, ſus ſculptus in marmore ſignificans Romanæ poteſtati ſubiacere Iudæos.

Hadrianus apud Baias moritur maior LX. annorum.

ANTONINVS TITVS cognomento Pius XIII. cum filijs Aurelio & Lucio regnauit, annis XXII. & menſibus III.

RVFINO ET TORQVATO.

Romæ VIII. Epiſcopus ordinatur Hyginus annis IV.

TORQVATO II. ET HERODE.

AVIOLA ET MAXIMO.

Antoninus pater patriæ appellatur.

Valentinus Hæreſiarches & Cerdo magiſter Marcionis Romam venerunt. Valentinus de natura rerum multa fabuloſa confinxit, adſerens XXX æonas, id eſt ſæcula, extitiſſe, quorum ſit principium Profundum & Silentium, quod Profundum etiam Patrem appellat. Cerdonianus verò duo principia ſibi aduerſantia dogmatizat, dominumque legis ac Prophetarum non eſſe Patrem Chriſti, nec bonum eſſe Deum, ſed iuſtum, patrem verò Chriſti. Ex quibus duorum velut ex coniugio proceſſiſſe perhibet intellectum & veritatem & protuliſſe æonas octo. De intellectu & voluntate proceſſiſſe Verbum & protuliſſe æonas decem. Porrò de Verbo & vita proceſſiſſe hominem, & Eccleſiam protuliſſe æonas duodecim. Itaque VIII. & X. & XII. fieri tricies æonas habentes principium de Profundo & de Silentio. Chriſtum autem à Patre miſſum, id eſt à Profundo, ſpiritale vel cæleſte corpus ſecum attuliſſe, nihil aſſumpſiſſe de Virgine Maria: ſed per illam tanquam per riuum aut per fiſtulam ſine vlla de eadem ſumpta carne tranſiſſe. Negat etiam reſurrectionem carnis, ſolùm per Chriſtum ſpiritum vel animam ſalutem accipere adfirmans. Bonum Chriſtum qui ipſum neque natum ex fœminâ, neque habuiſſe carnem, nec verò mortuum vel quicquam paſſum, ſed ſimul adiſſe paſſionem. Quidam eos in duobus principijs ſuis ita duos perhibent Deos dicere, vt vnus eorum ſit bonus, alter autem malus. Reſurrectionem mortuorum negant, ſpernentes nouum Teſtamentum.

Marcion quoque, à quo Marcionitæ appellati, Cerdonis dogma ſectatus eſt, hoc adijciens, vt non duo tantùm, ſed tria adſereret eſſe principia, vnum ſcilicet bonum, alterum iuſtum, tertium prauum; quamuis tertij principij auctorem

quidam Sirenum quendam potiùs quam Marcionem fuiſſe exiſtiment.

ANTONINO III. ET AVRELIO.

GRATO ET SELEVCO.

Romæ IX. Epiſcopus ordinatur Pius annis XV.

Hoc tempore Iuſtinus Philoſophus librum pro noſtra religione conſcriptum Antonino Imperatori tradidit.

Antiochiæ V. Epiſcopus conſtituitur Heros.

ANTONINO IV. ET AVRELIO II.

LARGO ET MESSALINO.

TORQVATO III. ET IVLIANO.

Alexandriæ VII. Epiſcopatum ſuſcipit Marcus.

ORPHITO ET PRISCO.

GLABRIONE ET VETERE.

GORDIANO ET MAXIMO. CXX.

GLABRIONE II. ET ROMVLO.

PRÆSENTE ET RVFINO.

COMMODO ET LATERANO.

VERO ET SABINO.

SILVANO ET AVGVRINO.

BARBARO ET REGVLO.

Alexandrinæ Eccleſiæ VIII. præfuit Cladion.

TERTVLLO ET SACERDOTE.

Creſcens Cynicus in noſtri dogmatis Philoſophum Iuſtinum à quo ob nimiam gulam præuaricator Philoſophiæ arguebatur, perſecutionem ſuſcitauit, in qua ille glorioſe pro Chriſto ſanguinem fudit.

QVINTILLO ET PRISCO.

VERO II. ET BRADVA.

Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum X. ſuſcipit Anicetus annis X. ſub quo Polycarpus Romam veniens multos ab Hæretico errore correxit.

ANTONINO III. ET AVRELIO III.

P.C. ANTONINI III. ET AVRELII III.

Hieroſolymæ Epiſcopatum poſt Marcum XVII. ſuſcepit Caſſianus. XVIII. Publius. Maximus XIX. deinde XX. Iulianus: ſic XXI. Grajanus. XXII. Symmachus tum XXIII. Caius. XXIV. Iulianus, atque inde XXV. Capito.

Antoninus Pius apud Lorium in villa ſua XII. ab Vrbe milliario moritur, anno vitæ ſuæ LXXII. aliàs LXXVII.

M. ANTONINVS qui & VERVS & L. AVRELIVS COMMODVS XIV. regnauit annis XIX. & menſe vno.

DVOBVS AVGVSTIS.

Hi primitus æquo iure imperium ſimul adminiſtrauerunt cùm vſque ad hoc tempus ſinguli Auguſti fuerint.

RVSTICO ET AQVILO.

LÆLIANO ET PASTORE.

MACRINO ET CELSO.

ORPHITO ET PVDENTE.

PVDENTE II. ET POLLIONE.

Alexandrinæ IX. præfuit Agrippinus.

QVARTA PERSECVTIO. Perſecutione orta in Aſiâ Polycarpus & Pionius fecere martyrium, quorum ſcriptæ quoque feruntur paſſiones.

In Gallia quoque plurimi ob nomen Dei interfecti, quorum vſque in præſentem diem condita libris certamina perſeuerant.

VERO IV. ET QVADRATO.

APRONIANO ET PAVLO.

Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus XI. ſuſcipit Soter annis VIII.

APRONIANO ET PAVLO.

Antiochiæ VI. Epiſcopus ordinatur Theophilus, cuius plurima ingenij opera extant.

PRISCO ET APOLLINARE.

CETHEGO ET CLARO.

Lucius

Lucius Imperator anno regni ſui IX. ſiue vt quidam putant, X. inter Concordiam & Alrinum apoplexia extinctus eſt.

Antonino Imperatori Meliro Aſianus Epiſcopus Apologeticum pro Chriſtianis tradidit.

Apollinaris Aſianus Hierapolitanus Epiſcopus inſignis habetur.

Eodem tempore Dionyſius Epiſcopus Corinthiorum clarus fuit: & Pinytus Cretenſis vir eloquentiſſimus

Hac tempeſtate pſeudoprophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, Monrano auctore, Priſca, Maximillâque inſanis vatibus: nomen errori prouincia Phrygia dedit, quia inuenrores eius illic primitus extiterunr, ibique vixerunt, & nunc etiam in eiſdem partibus populos habent. Aduentum Spiritus Sancti à Domino promiſſum in ſe potius quàm in Apoſtolos fuiſſe aſſerunt: ſecundas nuptias pro fornicarionibus habent, & ideò dicunt eas permiſiſſe Apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat & ex parte propherabat: nondum enim venerat quod perfectum eſt. Hoc autem perfectum in Montanum & in eius Propheriſſas veniſſe delirant, ſacrificia perhibentur habere funeſta. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctorum vulneribus extorquenr, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcenres eum farinæ, panemque inde facienres. Qui puer, ſi mortuus fuerit, pro martyre, ſi autem vixerit, pro maximo Sacerdote.

SEVERO ET HERENNIANO.

Tatianus Hæreticus, à quo appellati Encratitæ, quorum dogma eſt non admittere ad communionem ſuam niſi continentes, & eos qui ſæculo ita renunciauerint, vt propria nulla poſſideant.

Bardeſanes quoque alterius auctor erroris eodem tempore innotuit in Valentini hæreſim ex parte prolapſus.

ORPHITO ET MAXIMO.

SEVERO ET POMPEIANO.

In regione Quadorum exercitu Antonini Imperatoris ſiti oppreſſo, pluuia diuinitus miſſa eſt: cùm è contrario Germanos & Sarmaras fulmina perſequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant litteræ Marci Aurelij grauiſſimi Imperatoris, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum militum precationi imbre conceſſo diſcuſſam conteſtatur.

GALLO ET FLACCO.

PISONE ET IVLIANO.

POLLIONE ET APRO.

COMMODO ET QVINTILLO.

Antoninus Commodum filium ſuum conſortem regni facit.

ORPHITO ET RVFO.

Antoninus cum filio de hoſtibus triumphauit, quos per triennium apud Carnuntum habens ſtatiua caſtra vaſtauerat.

COMMODO II. ET VERO II.

Alexandriæ X. ordinatur Epiſcopus Iulianus.

Antoninus in Pannonia morbo perijt.

COMMODVS XV. regnauit annos XIII.

PRÆSENTE ET BVRRO.

Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus inſignis habetur.

Commodus Septembrem menſem nomine ſuo appellauit.

MAMERTINO ET RVFO.

Thermæ Commodianæ Romæ factæ.

COMMODO IV. ET VICTORINO.

Hieroſolymis XXV. ordinatur Epiſcopus Mormius poſt quem XXVII. Antoninus XXVIII. Valens XXIX. Dachianus XXX. Narciſſus XXXI. Dius XXXII. Germanio XXXIV. alius Nateiſſus.

MARVLLO ET HELIANO.

MATERNO ET BRADVA.

COMMODO V. ET GLABRIONE.

CRISBINO ET HELIANO.

FVSCIANO ET SILANO.

Alexandriæ conſtituitur Epiſcopus Demetrianus, annis XLIII.

Commodus Coloſſi capite ſublato ſuæ imaginis caput iuſſit imponi.

Serapion Antiochiæ Epiſcopus VIII. ordinatur.

DVOBVS SILANIS.

COMMODO VI. ET SEPTIMIANO.

APRONIANO ET BRADVA.

Commodus multos nobilium interficit.

COMMODO VII. ET PERTINACE.

Commodus ſtrangulatur in domo Veſtiliani.

HELVIVS PERTINAX XVI. regnauit menſes ſex, qui cùm major ſeptuagenario Præfectutam Vrbis ageret, ex Senatuſconſulto imperare iuſſus eſt.

Romæ Epiſcopatum ſuſcepit XIII. Victor annis XII. cuius non mediocria de religione extant volumina.

Pertinax obſecrante Senatu, vt vxorem ſuam Auguſtam & filium ſuum Cæſarem faceret, contradixit: ſufficere teſtatus, quòd ipſe regnaret inuitus.

Pertinax occiditur in Palatio ſcelere Iuliani Iuriſperiti, quem poſtea Seuerus ad Pontem Miluium interfecit.

SEVERVS XVII. regnauit annis XVIII. Qui ortus prouinciæ Tripolitanæ oppido Lepti ſolus ex Africa vſque in præſentem diem ex Romanis Imperatoribus fuit: & in honorem Pertinacis Pertinacem ſe cognominari iuſſit.

FALCONE ET CLARO.

SEVERO ET ALBINO.

TERTVLLO ET CLEMENTE.

DEXTRO ET PRISCO.

Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter & Pantænus Stoicus Philoſophus in diſputatione dogmatis noſtri diſertiſſimi habentur.

LATERANO ET RVFINO.

Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus & Theophilus Cæſarienſis; Polycarpus quoque & Bachilus Aſianæ prouinciæ Epiſcopus hæc tempora illuſtrauerunt.

SATVRNINO ET GALLO.

ANVLINO ET FRONTONE.

SEVERO II. ET VICTORINO.

FABIANO ET MVCIANO.

SEVERO III. ET ANTONINO.

Hoc tempore bellum Iudaicum & Samariticum: & Seuerus de nominibus gentium ſubactarum Parthicus, Arabicus, Adiabenicus appellatus eſt.

Quæſtione orta in Aſiâ inter Epiſcopos an ſecundùm legem Moyſis decimaquarta menſis primi Paſcha obſeruandum eſſet, Victor Romanæ vrbis Epiſcopus & Narciſſus Hieroſolymorum, Polycrates quoque & Ireneus, & Bachilus, plurimique Eccleſiarum paſtores, quid eis probabile viſum fuerit literis ediderunt, quorum memoria ad nos vſque perdurat.

GETA ET PLAVTIANO.

CHILONE ET LIBONE.

Romæ XIV. Epiſcopus fit Zephyrinus annis XIV.

QVINTA PERSECVTIO. Perſecutione Chriſtianis facta Leonides Origenis pater glorioſa martyrij morte tranſlatus eſt.

Alexander quoque ob confeſſionem Dominici nominis clarus extitit.

Qua tempeſtate Perpetua & Felicitas pro Chriſto paſſæ ſunt, Nonis Martij apud Carthaginem Africæ in caſtris beſtijs deputatæ.

ANTONINO II. ET GETA.

ALBINO ET ÆLIANO.

APRO ET MAXIMO.

Clemens multa conſcribit.

ANTONINO III. ET GETA III.

Clodio Albino, qui ſe in Gallia Cæſarem fecerat, interfecto Lugduni, Seuerus ad Britannos transfretauit, vbi vt receptas prouincias ab incurſione bar-

barica faceret tutiores, foſſam & aggerem per C XXXII. millia paſſuum à mari ad mare deduxit, & non multo poſt intra Britannias Eboraci moritur.

POMPEIANO ET AVITO.
FAVSTINO ET RVFINO.

ANTONINVS cognomento Caracalla Seueri filius XVIII. regnauit annis ſex.

GENTIANO ET BASSO.
DVOBVS ASPRIS.

Antiochiæ IX. Epiſcopus conſtituitur Aſclepiades: Hieroſolymis verò XXXV. Alexander adhuc viuente Narciſſo, & cum eo pariter Eccleſiam regit.

ANTONINO IV. ET BALBINO.
MESSALA ET SABINO.

Finis cycli ſecundi & initium tertij.

LÆTO ET CEREALE.
SABINO II. ET VENVSTO.

Antoninus interficitur inter Edeſſam & Charras anno ætatis ſuæ XLIII.

MACRINVS XIX. regnat anno vno.

PRÆSENTE ET EXTRICATO.

Antiochiæ X. Epiſcopus ordinatur Philetus.

M. AVRELIVS ANTONINVS XX. regnauit annis tribus.

ANTONINO ET ADVENTO.

Romæ Epiſcopatum ſuſcepit XV. Calliſtus annis ſex.

Macrinus occiditur in Archelaide.

Antoninus Romæ Thermas ſui nominis ædificauit.

ANTONINO II. ET SACERDOTE.
ANTONINO III. ET COMAZONTE.
GRATO ET SELEVCO.

Antoninus Romæ tumultu militari occiditur.

ALEXANDER Mammææ filius XXI. regnauit annos XIII. ſumpto nomine ab Imperatore Alexandro.

Alexander Xerxem Regem Perſarum glorioſè vincit.

MAXIMO ET ÆLIANO.
IVLIANO ET CRISPINO.

Romæ XVI. Epiſcopus creatur Vrbanus annis IX.

Vlpianus Iuriſconſultus inſignis habetur.

FVSCO ET DEXTRO.

Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ.

ALEXANDRO II. ET MARCELLO.
ANIANO ET MAXIMO.
ALBINO ET MAXIMO.

Geminus Presbyter Antiochenus & Hippolytus & Beryllus Epiſcopus Arabiæ Boſtrenus clari ſcriptores habentur.

Antiochiæ XI. Epiſcopus fit Zebenus.

MODESTO ET PROBO.

Alexandrinæ Eccleſiæ XII. præeſt Epiſcopus Heraclas.

Hoc tempore Origenes Alexandriæ clarus videbatur.

ALEXANDRO III. ET DIONE.
GRATO ET SELEVCO.
POMPEIANO ET FELICIANO.
LVPO ET MAXIMO.

Romæ XVII. Epiſcopatum ſuſcepit Pontianus annis quinque.

Alexander apud Mogontiacum tumultu militari occiditur.

MAXIMO ET PATERNO.

MAXIMINVS XXII. regnat annis tribus.

MAXIMO II. ET VRBANO.
SEVERO ET QVINTIANO.
MAXIMINO ET AFRICANO.

SEXTA PERSECVTIO. Maximinus aduerſus Eccleſiarum Sacerdotes perſecutionem mouet.

Maximinus Aquilegiæ à Pupieno occiditur.

GORDIANVS XXIII. regnauit annis ſex.

PERPETVO ET CORNELIANO.

Romæ XVIII. fit Epiſcopus Anterus: poſt cuius vnum menſem XIX. conſtituitur Fabianus, annis XIII.

PIO ET PROCVLO.

GORDIANO ET AVIOLA.

SABINO ET VENVSTO.

GORDIANO II. ET POMPEIANO.

ATTICO ET PRÆTEXTATO.

Gordianus cum Parthorum natione ſuperata victor reuertitur ad patriam, fraude Philippi Præfecti Prætorio haud longè à Romano ſolo interfectus eſt.

PHILIPPVS XXIV. regnauit annis ſeptem.

ARIANO ET PAPPO.

Philippus Philippum filium ſuum conſortem regni facit: primus omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuit.

PEREGRINO ET ÆMILIANO.

PRÆSENTE ET ALBINO.

PHILIPPO II. ET PHILIPPO.

Regnantibus Philippis milleſimus Romanæ vrbis annus expletur.

Philippus vrbem ſui nominis in Achaia condidit.

PHILIPPO III. ET PHILIPPO II.

ÆMILIANO ET AQVILINO.

Alexandriæ XIII. ordinatur Epiſcopus Dionyſius.

Philippus Senior Veronæ, Romæ iunior occiditur.

DECIVS XXV. regnat anno vno & menſibus tribus.

DECIO ET GRATO.

DECIO II. ET RVSTICO.

SEPTIMA PERSECVTIO. Decius cum Philippos patrem & filium interfeciſſet, ob odium eorum perſecutionem in Chriſtianos mouet.

Antonius Monachus naſcitur.

Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo ob martyrium interfecto apud Cæſaream Palæſtinæ & Antiochiæ Babylâ eadem gloria occiſo, Mazabanus & Fabius Epiſcopi conſtituuntur.

Decius cum filio in Abritto, quæ eſt ciuitas Myſiæ, occiditur.

GALLVS & VOLVSIANVS Galli filius XXVI. regnauit annis tribus & menſibus quatuor.

Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum poſt Fabiani glorioſam mortem XX. ſuſcipit Cornelius annis duobus, qui poſt biennium eodem martyrio coronatur.

GALLO ET VOLVSIANO.

VOLVSIANO II. ET MAXIMO.

Nouatus Presbyter Cypriani Romam veniens Nouatianum & ceteros Confeſſores ſibi ſociat, eo quòd Cornelius pœnitentes apoſtatas recepiſſet. Ab hoc hæreſis Nouatianorum ſumpſit exordium, qui ſe propter munditiem quam ſibi ſuperbiſſimè arrogant, Catharos appellari volunt, ſecundas nuptias denegantes, ad pœnitentiam non admittentes.

Antiochiæ XIV. conſtituitur Epiſcopus Demetrianus.

Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet XXI. Lucius menſibus octo. Poſt quem XXII. Stephanus annis tribus. Extant ad vtrumque Cypriani Epiſtolæ.

Gallus & Voluſianus aduerſus Æmilianum res nouas in Mœſia molientem Româ profecti Interamnæ occiſi ſunt.

Æmilianus tertio menſe occupatæ tyrannidis extinctus eſt.

VALERIANVS & GALLIENVS XXVI. regnauit annis XV.

VALERIANO ET GALLIENO.

Cyprianus primùm Rhetor, deinde Presbyter, ad extremum Carthaginenſis Epiſcopus martyrio coronatur.

MAXIMO ET GLABRIONE.

Romæ XXIII. conſtituitur Epiſcopus Xyſtus annis ſeptem.

OCTAVA PERSECVTIO. Valerianus in Chriſtianos perſecutionem mouet.

VALERIANO III. ET GALLIENO II.

Valerianus à Rege Perſarum Sapore capitur, ibique ſeruitute miſera conſeneſcit.

TVSCO ET BASSO.

Valeriano in Perſas ducto, Gallienus noſtris pacem reddidit.

Antiochiæ xv. ordinatur Epiſcopus Paulus Samoſatenus.

ÆMILIANO ET BASSO.

SÆCVLARE ET DONATO.

GALLIENO IV. ET GENTIANO.

Gallieno in omnem laſciuiam diſſoluto, Germani Rauennam vſque venerunt. Alamanni vaſtatis Gallijs in Italiam tranſiere. Græcia, Macedonia, Pontus & Aſia per Gothos depopulatæ ſunt. Quadi & Sarmatæ Pannonias occupauerunt. Germanis Hiſpanias obtinentibus Tarraco expugnata eſt. Parthi Meſopotamiam tenentes Syriam incurſauerunt.

GALLIENO V. ET VICTORINO.

ALBINO ET MAXIMO.

Alexandriæ xiv. Epiſcopus ordinatur Maximus.

Romæ xxiv. præficitur Epiſcopus Dionyſius, annis xi.

GALLIENO VI. ET SATVRNINO.

VALERIANO ET LVCILLO.

Hieroſolymorum Epiſcopatum tenet xxxvii. Hymenæus.

GALLIENO VII. ET SABINILLO.

Paulus Samoſatenus à cunctorum prædicatione deſciſcit, Artemonis hæreſim ſuſcitans, quæ adſerit Chriſtum non ſemper fuiſſe, ſed initium eius, ex quo de Maria natus eſt, prædicat, nec eum aliquid amplius quàm hominem putat. Huius erroris etiam Photinus adſertor fuit qui vehementiore ſtudio, vt ſectatores impietatis huius Photiniani potiùs quàm Pauliani dicerentur obtinuit.

Antiochiæ in locum Pauli xvi. ordinatur Epiſcopus Domnus.

PATERNO ET ARCHESILAO.

PATERNO II. ET MARIO.

CLAVDIVS xxviii. regnat anno vno, menſibus nouem.

CLAVDIO ET PATERNO.

Claudius Gothos Illyricum & Macedoniam vaſtantes ſuperat: ob quæ illi in curia Clypeus aureus & in Capitolio ſtatua aurea collocatur.

ANTIOCHIANO ET ORPHITO.

Claudius Sirmij moritur, cuius frater Quintillus.

Claudius à Senatu Auguſtus appellatus ſeptimodecimo die imperij ſui Aquilegiæ occiditur.

AVRELIANVS xxix. regnat annos quinque, menſes ſex.

VALERIANO ET BASSO.

Antiochiæ xvii. ordinatur Epiſcopus Timæus.

Aurelianus Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum ſuum Gallias recepit.

QVIETO ET VOLDVMIANO.

Zenobia apud Immas haud longè ab Antiochia vincitur, quæ occiſo Odoacto marito Orientis tenebat imperium. In qua pugna ſtrenuiſſimè aduerſus eam dimicauit Pompeianus Dux cognomento Francus.

TACITO ET PLACIDIANO.

Euſebius Laodicenus Epiſcopus inſignis habetur.

Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia præceſſerunt. Ex quibus Tetricus Corrector poſteà Lucaniæ fuit, & Zenobia in Vrbe ſummo honore conſenuit, à quâ hodieque Romæ Zenobia familia nuncupatur.

AVRELIANO ET CAPITOLINO.

Romæ xxv. Epiſcopatum ſuſcepit FELIX annis quinque.

AVRELIANO II. ET MARCELLO.

Aurelianus cum aduerſus nos perſecutionem mouiſſet, fulmen iuxta eum comiteſque eius ruit: ac non multò poſt inter Conſtantinopolim & Heracleam in Cœnophrurio viæ veteris occiditur.

Tacitvs xxx. regnat menſibus ſex, quo apud Pontum occiſo Floria-nvs xxxi. obtinuit imperium regnauitque diebus xxcviii.

Floriano apud Tarſum interfecto Probvs XXXII. regnat annis ſex, menſibus octo, aliàs quatuor.

Probo et Pavlino.

Anatolius Laodicenus Epiſcopus Philoſophorum diſciplinis eruditus plurimo ſermone celebratur.

Inſana Manichæorum hæreſis exorta, Perſâ quodam, qui Manes vocabatur, auctore. Quorum impietates & ſacrilegia ac turpitudines explicare in hoc opere nimis longum eſt. Sufficit enim ſciri quòd duo aduerſa ſibi & coæterna principia & duas boni ſcilicet & mali adſerunt eſſe naturas. De Chriſto nihil ſecundùm veritatem ſentiunt. Cuius natiuitatem ex Mariâ ſecundùm carnem & paſſionem & reſurrectionem ſimulationes dicunt fuiſſe, nec ita, vt prædicantur effecta. Vetus Teſtamentum & Prophetas refutant, ſcripturarúmque illarum non Deum bonum, ſed malæ naturæ principem auctorem opinantur. De nouo Teſtamento ea accipiunt quæ putant apocryphis conſonare. Reſurrectionem carnis negant, nuptias damnant, adulterinos concubitus pro licitis habent, bapriſmum regenerationis nihil conferre exiſtimant. Sacra eorum tam nefanda quàm mores.

Probo II. et Paterno II.

Probo III. et Paterno III.

Messala et Grato.

Antiochiæ XVIII. conſtituitur Epiſcopus Cyrillus.

Romæ XXVI. ordinatur Epiſcopus Eutychianus, menſibus octo, poſt quem Caius XXVII. creatur annis xv.

Probo IV. et Tiberiano.

Probo V. et Victorino.

Alexandriæ XV. Epiſcopus præfuit Theonas.

Probus tumultu militari apud Sirmium in Turri, quæ ferrata vocabatur, occiditur.

Carvs cum filijs Carino & Numeriano XXXII. regnauit, annis duobus.

Caro et Carino.

Caro II. et Nvmeriano.

Carus Narbonenſis cum omni Parthorum regione vaſtata Cochen & Cteſiphontem nobiliſſimas hoſtium cepiſſet vrbes ſuper Tigrin caſtra ponens, fulmine ictus interijt. Numerianus autem cùm ob oculorum dolorem lecticula veheretur inſidijs Apri Soceri ſui occiſus eſt. Porrò Carinus prælio apud Margum victus occubuit.

Diocletianvs XXXIV. regnauit annis xx.

Diocletiano et Aristobvlo.

Maximo et Aqvilino.

Diocletianus in conſortium regni Hercvlivm Maximianvm adſumit. Qui ruſticorum multitudine oppreſſa, quæ ſeditioni ſuæ Bacaudarum nomen indiderat, pacem Gallis reddidit.

Carauſius ſumpta purpura Britannias occupauit.

Diocletiano II. et Maximiano.

Maximiano II. et Ianvario.

Conſtantius & Galerius Maximianus adſumuntur in regnum. Quos Diocletianus vt etiam affinitate conjungeret, Conſtantio priuignam Herculij Theodoram vxorem dedit, Galerio autem filiam ſuam Valeriam tradidit: vtque hæc conjugia firmaret, ambos repudiare vxores ſuas, quas prius habebant, coegit.

Basso et Qvintiano.

Diocletiano III. et Maximiano II.

Tiberiano et Dione.

Hannibaliano et Asclepiodoto.

Diocletiano IV. et Maximiano III.

Primus Diocletianus adorari ſe vt Deum iuſſit, & gemmas veſtibus calceamentiſque inſeri, cum ante eum omnes Imperatores in modum iudicum ſollicitarentur, & chlamyde tantùm purpurea à priuato habitu diſcernerentur.

Constantio et Maximo.

Tvsco et Anvlino.

Romæ XXVIII. Epiſcopatum ſuſcepit Marcellinus annis IX.

Diocletiano V. et Constantio II.

Hieroſolymis XXVII. Zabdas Epiſcopus ordinatur.

Maximiano IV. et Maximiniano II.

Favsto et Gallo.

Veturius Magiſter militiæ Chriſtianos perſequitur.

Finis Cycli tertij, quartique principium.

Diocletiano VI. et Maximiano V.

Constantio III. et Maximiano III.

Thermæ Diocletianæ Romæ & Carthagine Maximianæ ædificatæ.

Hieroſolymis XXXVIII. Epiſcopus præfuit Hermon.

Antiochiæ XIX. conſtituitur Epiſcopus Tyrannus.

Alexandrinæ Eccleſiæ XII. poſt Theonam ordinatur Epiſcopus Petrus, qui poſtea perſecutionis anno nono glorioſè martyrium perpetrauit.

Titiano et Nepotiano.

Constantio IV. et Maximiano IV.

Diocletianus & Maximianus Auguſti ingenti pompa Romæ triumpharunt antecedentibus currum eorum Narſei conjuge, ſororibus, liberis, & omni prædâ, quâ Parthos ſpoliauerant.

Diocletiano VII. et Maximiniano VI.

Nona persecvtio. Decimonono anno Diocletiani, menſe Martij in diebus Paſchæ Eccleſiæ ſubuerſæ ſunt.

Diocletiano VIII. et Maximiano VII.

Secundò anno perſecutionis Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram depoſuerunt.

Galerivs XXXV. biennio ſolus imperium tenuit mox cum alio annis ſex.

Constantio V. et Maximiano V.

Romæ XXIX. Epiſcopus conſtituitur Euſebius: poſt cuius ſeptimum menſem xxx. Eccleſiam tenet Melchiades annis tribus.

Constantio VI. et Maximiano VI.

His Conſulibus Timotheus Romæ pro Chriſto paſſus eſt x. Kal. Iulias. Maximinus & Seuerus à Galerio Maximiano Cæſares facti.

Conſtantius XVI. Imperij ſui anno diem obijt in Britannia Eboraci. Poſt quem filius eius Constantinvs ex concubina Helena procreatus regnum inuadit. Cuius regni initio quartus jam perſecutionis annus agebatur.

Constantivs XXXVI. regnauit annis xxx. menſibus decem.

Diocletiano IX. et Constantino.

Maxentius Herculij & Maximiani filius à Prætorianis militibus Romæ Auguſtus appellatur.

Seuerus Cæſar à Galerio Maximiano contra Maxentium miſſus Rauennam ſecundo imperij ſui anno interficitur.

Diocletiano X. et Maximiano VII.

Licinivs à Galerio Carnunti Imperator factus.

Herculius Maximianus à filia Fauſta detectus, quòd dolum Conſtantino pararet, viro eius, Maſſiliæ fugiens occiditur.

Postconsvlatvm X. et VIII.

Quirinus Epiſcopus Sciſcianus cum ſocijs glorioſè pro Chriſto interficitur.

Item ann. II. post x. et viii. Coss.

Galerius Maximianus moritur xxi. Imperij ſui anno, quod partim Cæſar, partim Auguſtus exegit.

Romæ XXXI. ordinatur Epiſcopus Silueſter annis xxii.

Maximiano VIII. et Licinio.

Maximinus perſecutione in Chriſtianos facta cum iam à Licinio puniendus eſſet, apud Tarſum moritur anno imperij ſui ſexto.

Constantino II. et Licinio II.

CONSTANTINO III. ET LICINIO III.

Alexandriæ XVII. ordinatur Epiſcopus Achillas.

Maxentius iuxta pontem Milujum à Conſtantino ſuperatus, occiditur.

VOLVSIANO ET ANIANO.

Hieroſolymæ XXXIX. conſtituitur Epiſcopus Macarius.

CONSTANTINO IV. ET LICINIO IV.

Pax noſtris à Conſtantino reddita.

Diocletianus haud procul à Salonis in villa ſua Spalato moritur.

SABINO ET RVFINO.

Criſpus & Conſtantinus filij Conſtantini, & Licinius adoleſcens Licinij Auguſti filius ex ſorore Conſtantini, Cæſares appellantur. Quorum Criſpum Lactantius erudiuit vir omnium ſuo tempore eloquentiſſimus: ſed adeò in hac vita pauper, vt plerumque etiam neceſſarijs indiguerit.

GALLICANO ET BASSO.

LICINIO V. ET CRISPO.

CONSTANTINO V. ET LICINIO CÆS.

Licinius Chriſtianos de palatio ſuo pellit.

CONSTANTINO IV. ET CONSTANTINO CÆS.

Baſileus Amaſiæ Ponti Epiſcopus ſub Licinio martyrio coronatur.

Alexandriæ XVIII. ordinatur Epiſcopus Alexander.

CRISPO II. ET CONSTANTIO II.

Arius Presbyter, ab Alexandro Epiſcopo de Alexandrina Eccleſia eiectus, multos ſuæ impietati ſociat, prædicans Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non eſſe vnius eiuſdémque naturæ, aut, vt expreſſiùs dicitur, eſſentiæ: vtpote creaturam; Spiritum verò ſanctum creaturam creaturæ, ideſt ab ipſo Filio creatum. Ad quam perfidiam coarguendam Synodus trecentorum decem & octo Epiſcoporum in Nicæam vrbem Bithyniæ congregata omnes hæreticorum machinas Homouſij oppoſitione deiecit.

PROBIANO ET IVLIANO.

SEVERO ET RVFINO.

Conſtantius Conſtantini filius Cæſar factus.

CRISPO III. ET CONSTANTINO III.

Licinius Theſſalonicæ occiditur.

PAVLINO ET IVLIANO.

Criſpus filius Conſtantini & Licinius iunior Conſtantiæ Conſtantini ſororis & Licinij ſuperioris filius interfecti.

CONSTANTINO VII. ET CONSTANTIO.

Vicennalia Conſtantini Nicomediæ acta & ſequenti anno Romæ edita.

CONSTANTINO II. ET MAXIMO.

Hucuſque Hiſtoriam perduxit Euſebius, Pamphili Martyris contubernalis. Poſt hæc Hieronymi Presbyteri ſuccedit auctoritas.

Drepanam Bithyniæ ciuitatem in honorem Luciani Martyris ibi conditi Conſtantinus inſtaurans, ex vocabulo matris ſuæ Helenopolin nuncupauit.

IANVARIO ET IVSTO.

Donatus agnoſcitur à quo per Africam Donatiſtæ, qui primùm propter ordinatum contra voluntatem ſuam Cæcilianum Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum ſchiſma fecerant, obijcientes ei crimina non probata, & maximè, quòd à Traditoribus Diuinarum ſcripturarum fuerat ordinatus. Sed poſt cauſam conuictam atque finitam pertinaci diſcordia in hæreſim tranſierunt definientes propter Cæciliani crimina, ſeu vera, ſeu quod magis apparuit, falſa, Eccleſiam Chriſti in toto orbe terrarum contagione communionis extinctam in ſola Donati parte ſupereſſe. Audent etiam rebaptizare Catholicos, cùm Eccleſiæ Catholicæ placuerit, nec in ipſis hæreticis, baptiſma commune reſcindere.

Antiochiæ poſt Tyrannum XX. ordinatur Episcopus Vitalis: poſt quem XXI. Philogonus: cui ſucceſſit XXII. Paulinus: poſt quem XXIII. fuit Euſtathius. Quo in exilium ob fidem truſo vſque in præſentem diem Eccleſiam Ariani obtinuerunt.

CONSTANTINO VIII. ET CONSTANTINO CÆS. IV.

Con-

CONSTANTIO III. ET SYMMACHO.

Alexandriæ XIX. ordinatur Epiſcopus Athanaſius.

BASSO ET ABLABIO.

Hieronymus naſcitur.

PACATIANO ET HILARIANO.

Romæ XXXII. ordinatur Epiſcopus Marcus, menſibus octo. Poſt quem XXXIII. ordinatus eſt Iulius annis XVI. menſibus quatuor.

Edicto Conſtantini Gentilium templa ſubuerſa ſunt.

Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt.

Conſtans filius Conſtantini prouehitur ad regnum.

DALMATIO ET XENOPHILO.

OPTATO ET PAVLINO.

CONSTANTIO ET ALBINO.

Conſtantinus cum liberis ſuis honorificè ad Antonium Monachum litteras mittit.

NEPOTIANO ET FACVNDO.

Tricennalibus Conſtantini Dalmatius Cæſar appellatur.

Nazarij Rhetoris filia Eunomia Chriſtiana Virgo in eloquentia patri coæquatur.

Euſtachius Conſtantinopolitanus Presbyter innoteſcit, cuius induſtria Hieroſolymis martyrium conſtructum eſt.

Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus in Arianum dogma declinauit.

FELICIANO ET TITIANO.

Conſtantinus cum bellum pararet in Perſas, in Ancyrone villa publica iuxta Nicomediam moritur, anno ætatis ſuæ LXVI. poſt quem tres liberi eius ex Cæſaribus Auguſti appellantur.

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS & CONSTANS XXXVII. regnat annis XXIV. menſibus quinque, diebus duodecim.

VRSO ET POLEMIO.

Dalmatius Cæſar, quem patruus Conſtantinus conſortem regni cum filijs reliquerat, factione Conſtantij patruelis occiditur.

Iacobus Niſibenus agnoſcitur ad cuius preces ſæpe vrbs diſcrimine liberata eſt, cum oppugnaretur à Sapore Rege Perſarum.

CONSTANTIO II. ET CONSTANTE.

Ex hoc tempore impietas Ariana Conſtantini Imperatoris fulta præſidio, exilijs, carceribus, & varijs afflictionum modis primùm Athanaſium, deinde omnes non ſuæ partis Epiſcopos perſecuta eſt.

ACYNDINO ET PROCVLO.

Conſtantinus bellum fratri inferens iuxta Aquilegiam Alſæ occiditur anno imperij ſui XXIII.

MARCELLINO ET PROBINO.

Audæus in Syria agnoſcitur, à quo Hæreſis Audæana.

CONSTANTIO III. ET CONSTANTE II.

Hermogenes Magiſter militiæ Conſtantinopolim tractus à populo ob Epiſcopum Paulum, quem Regis imperio & Arianorum factione pellebat.

Macedonius artis plumariæ in locum Pauli ab Arianis Epiſcopus ſubrogatur, à quo hæreſis Macedoniana, cuius dogma eſt, Patrem quidem & Filium vnius diuinitatis eiuſdemque ſubſtantiæ confiteri; ſed Spiritum Sanctum dicens creaturam.

Paulus crudelitate Præfecti Philippi, nam fautor Macedonij partium erat, & Arianorum inſidijs ſtrangulatur.

PLACIDO ET ROMVLO.

Maximinus Treuerorum Epiſcopus clarus habebatur, à quo Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus cùm à Conſtantio quæreretur ad pœnam, honorificè ſuſceptus eſt.

LEONTIO ET SALVSTIO.

Sapor Perſarum Rex Chriſtianos perſequitur.

CONSTANTIO IV. ET CONSTANTE III.

Athanaſius ad Conſtantis literas Alexandriam regreditur.

AMANTIO ET ALBINO.

POST CONS. AMANTII ET ALBINI.

RVFINO ET EVSEBIO.

Quadrageſimus Maximus poſt Macarium Hieroſolymorum Epiſcopus moritur, poſt quem Ariani Eccleſiam inuadunt.

PHILIPPO ET SALIA.

Romanæ Eccleſiæ XXXIV. Epiſcopus ordinatur Liberius, quo in exilium nono Epiſcopatus ſui anno ob fidem truſo, omnes Clerici iurauerunt, quòd nullum alium ſuſciperent. Verum cùm Felix ab Arianis fuiſſet in Sacerdotio ſubſtitutus, plurimi perjurauerunt: & poſt annum reuerſo in vrbem Liberio, cum Felice ejecti ſunt.

LIMENIO ET CATVLINO.

Magnentio apud Auguſtodunum arripiente imperium, Conſtans haud longè ab Hiſpaniâ in caſtro, cui Helena nomen eſt, interficitur, ob quam rem turbatâ republicâ, Vetranio Murſæ, Nepotianus Romæ Imperatores facti.

SERGIO ET NIGRIANO.

Nepotiani caput pilo per Vrbem circumlatum.

Vetranioni apud Naiſſum à Conſtantio Regium inſigne detractum, & Magnentius Murſæ magna Reipublicæ clade ſuperatus eſt.

POST. CONS. SERGII ET NIGRIANI.

Gallus, qui & Conſtantius, Conſtantij patruelis, Cæſar factus.

CONSTANTIO V. ET CONSTANTIO CÆS.

CONSTANTIO VI. ET CONSTANTIO CÆS. II.

CONSTANTIO VII. ET CONSTANTIO CÆS. III.

Magnentius Lugduni in palatio propria manu ſeipſum interficit, & Decentius frater eius, quem ad tenendas Gallias Cæſarem miſerat, apud Senonas laqueo vitam finiit.

Gallus Cæſar ſollicitatus à Conſtantio patruele, cui in ſuſpicionem ob regiam indolem venerat, in Iſtria occiditur.

Paulinus & Rhodanus Galliarum Epiſcopi in exilium ob fidem truſi.

Euſebius quoque Vercellenſis Epiſcopus & Lucifer Calaritanæ Eccleſiæ, & Mediolanenſis Eccleſiæ Dionyſius Epiſcopus, Pancratiúſque Romanus Presbyter, & Hilarius Diaconus diſtantibus interſe ab Arianis & Conſtantio dãnantur exilijs.

ARBETIANO ET LOLLIANO.

Iulianus frater Galli Mediolani Cæſar appellatur.

CONSTANTIO VIII. ET IVLIANO CÆS.

Antonius Monachus centeſimo anno ætatis ſuæ in eremo moritur, ſolitus multis ad ſe venientibus de Paulo quodam Thebæo miræ beatitudinis viro plurima memorare.

Hilarius Pictauienſis Epiſcopus factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, reliquorumque qui cum illo erant Arianorum, in Phrygiam pulſus libros de noſtra religione compoſuit.

Reliquiæ Timothei Apoſtoli Conſtantinopolim inuectæ.

Sarmata, Amathas, & Macarius diſcipuli Antonij inſignes habentur.

Liberius Epiſcopus Romanus in exilium mittitur.

CONSTANTIO XI. ET IVLIANO CÆS. II.

Oſſa Andreæ Apoſtoli & Euangeliſtæ Lucæ Conſtantinopolim inlata.

Paulinus Treuerorum Epiſcopus in Phrygia exulans moritur.

DATIANO ET CEREALE.

Synodus apud Ariminum & Seleuciam Iſauriæ facta, in qua antiqua Patrum fides decem primùm Legatorum, dehinc omnium proditione damnata eſt.

EVSEBIO ET HYPATIO.

Gratianus, qui poſtea Imperator factus eſt, naſcitur.

Hilarius Epiſcopus cùm apud Conſtantinopolim librum pro ſe Conſtantio porrexiſſet, ad Gallias redijt.

Omnes penè Eccleſiæ toto orbe ſub nomine pacis & Regis, Arianorum conſortio polluuntur.

Gallia per Hilarium Ariminenſis perfidiæ dolos damnat.

CONSTANTIO X. ET IVLIANO III.

Conſtantius Mopſocrenis inter Ciliciam Cappadociámque moritur.

IVLIANVS XXXVIII. regnat annis duobus & menſibus octo.

Iuliano ad idolorum cultum conuerſo blanda perſecutio fuit, illiciens magis quàm impellens ad ſacrificandum. in quâ multi ex noſtris voluntate propriâ corruerunt.

TAVRO ET FLORENTIO.

Georgio per ſeditionem populi incenſo, qui in loco Athanaſij ab Arianis fuerat ordinatus, Anathaſius redijt.

Euſebius & Lucifer Epiſcopi de exilio reuertuntur, è quibus Lucifer, adſcitis alijs duobus Confeſſoribus, Paulinum Euſtathij Epiſcopi Presbyterum, qui ſe nunquam hæreticorum communione polluerat, in parte Catholicâ Antiochiæ Epiſcopum facit.

Prohæreſius Sophiſta Athenienſis lege data, ne Chriſtiani liberalium diſciplinarum doctores eſſent, cùm ſibi ſpecialiter Iulianus concederet, vt Chriſtianos doceret, Scholam ſponte deſeruit.

MAMERTINO ET NEVITTA.

Æmilianus ob ararum ſubuerſionem Doroſtori à Vicario incenditur.

IVLIANO III. ET SALVSTIO.

Eccleſia Antiochiæ clauſa: & grauiſſima imminentis perſecutionis procella Dei voluntate ſopita eſt. Nam Iulianus in Perſas profectus, noſtrum Dijs ſuis poſt victoriam ſanguinem vouerat, vbi à quodam ſimulato perfuga ad deſerta perductus cum fame & ſiti magnam partem exercitus perdidiſſet, occiſus eſt.

IOVIANVS XXXIX. regnauit menſes VI aliàs VIII.

IOVIANO ET VARRONIANO.

Synodus à Meletio & ſuis Antiochiæ facta: in qua Homouſio Anomæóque rejecto medium inter hæc Homoiouſion Macedonianum dogma vindicauerunt.

Iouianus cruditate ſiue odore prunarum moritur.

Poſt quem VALENTINIANVS Tribunus Scutatiorum apud Nicæam Auguſtus appellatus, fratrem Valentem Conſtantinupoli in communionem regni adſumit.

VALENTINIANVS & VALENS XL. regnauerunt annis XIV. menſibus quinque.

VALENTINIANO ET VALENTE.

GRATIANO ET DAGALAIPHO.

Apollinaris Laodicenus Epiſcopus multimoda religionis noſtræ ſcripta componit. Qui poſtmodum à fide Catholica deuiauit, condens hæreſim, quæ ipſius nomine nuncupatur: & cuius hic error eſt, vt aſſerat IESVM ſolum carnem ſine animâ ſuſcepiſſe, vel animam vitalem tantùm, non etiam rationalem, quoniam ipſum Verbum vim mentis impleuerat. Ipſam autem carnem non de Maria adſumptam, ſed verbi aliquid in carnem fuiſſe conuerſum.

Procopius, qui aliud Conſtantinopolim tyrannidem inuaſerat, apud Phrygiam Salutarem extinctus eſt, multis partium eius cæſis atque proſcriptis.

Romanæ Eccleſiæ XXXV. ordinatur Epiſcopus Damaſus, annis XVIII.

Hoc tempore fuit ſecundum ſchiſma, Vrſicino Antipapa, quod eo per collectam Romæ Synodum ejecto durauit menſibus ſex, anno Domini CCCLXIX. *Hæc ex libri margine.*

Valens ab Eudoxio Arianorum Epiſcopo baptizatus noſtros perſequitur.

LVPICINO ET IOVINO.

GRATIANVS Valentiniani filius Ambianis Imperator factus.

Hilarius Epiſcopus Pictauenſis moritur.

VALENTINIANO II. ET VALENTE II.

VALENTINIANO N. P. ET VICTORE.

VALENTINIANO III. ET VALENTE III.

Athanaricus Rex Gothorum in Chriſtianos perſecutione commota plurimos interficit, & de proprijs ſedibus in Romanum ſolum expulit.

Euſebius Vercellenſis Epiſcopus moritur.

Conſtantinopoli Apoſtolorum martyrium dedicatur.

Lucifer Calaritanus Epiſcopus moritur, qui cum Gregorio Epiſcopo Hiſpaniarum & Philone Libyæ, numquam ſe Arianæ miſcuit prauitati. Sed dum vigorem iuſtitiæ erga correctionem eorum, qui ceſſerant, non relaxat, ipſe à ſuorum communicatione deſciuit.

GRATIANO ET PROBO.

MODESTO ET ALINTHEO.

Didymus Alexandrinus multa de noſtro dogmate per notarios commentatur, qui poſt quintum Natiuitatis ſuæ annum luminibus orbatus, elementorum quoque ignarus fuit.

VALENTINIANO IV. ET VALENTE IV.

Eunomius diſcipulus Aëtij Conſtantinopoli agnoſcitur, à quo hæreſis Eunomiana, quæ Filium Patri non conſubſtantialem dicit eſſe, ſed ſimilem. Cuius error eſt diſſimilem adſerere Patri Filium & Filio Spiritum Sanctum.

GRATIANO III. ET EQVITIO.

POST CONS. GRATIANI ET EQVITII.

Quia ſuperiore anno Sarmatæ Pannonias vaſtauerunt, ijdem Conſules permanſere.

Poſt Auxentij ſeram mortem Mediolani Ambroſio Epiſcopo conſtituto omnis ad fidem rectam Italia conuertitur.

Aquilegienſes Clerici quaſi chorus beatorum habentur.

Valentinianus ſubita ſanguinis eruptione, quæ Græcè apoplexia vocatur, Brigitione moritur.

Poſt quem GRATIANVS adſumpto in imperium VALENTINIANO fratre cum patruo Valente regnat.

Valens legem dedit, vt Monachi militarent, nolentes fuſtibus necarentur.

VALENTE V. ET VALENTINIANO.

Photinus in Galatia moritur, à quo Photinianum dogma inductum, Paulo Samoſateno & Artemone, de quibus ſupradictum eſt, conceptum auctoribus.

GRATIANO IV. ET MEROBAVDE.

Alamannorum multa millia apud Argentariam oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani cæſa.

Gens Hunnorum Gothos vaſtat, qui à Romanis ſine armorum depoſitione ſuſcepti rebellant.

VALENTE VI. ET VALENTINIANO II.

Superatis Romanis Gothi funduntur in Thracia.

Valens de Antiochia exire compulſus ſera pœnitentia noſtros de exilio reuocat.

Lacrymabile bellum in Thracia, in quo deſerente Equitum præſidio Romanæ legiones vſque ad internecionem à Gothis cæſæ ſunt. Ipſe autem Valens, cùm ſagitta ſaucius fugeret, & ad dolorem nimium ſæpe equo laberetur ad cuiuſdam villæ caſam deportatus eſt. Qua perſequentibus barbaris incenſa cum eodem domo, ſepultura quoque caruit.

AVCTARIVM DE VARIIS HÆRESIBVS, NECNON, DIVERSÆ LECTIONES EX ALIIS CODICIBVS MSS. COLLECTÆ.

PAG. xxv. Quidam ferunt anno xviii. Tiberij IESVM-CHRISTVM paſſum, & argumentum huic rei ex Euangelio aſſumunt Ioannis, in quo poſt quintumdecimum annum Tiberij Cæſaris triennio Dominum prædicaſſe intelligitur. Sed quia vſitatior traditio habet Dominum noſtrum xv. anno Tiberij Cæſaris duobus GEMINIS Conſulibus crucifixum, nos ſine præiudicio alterius opinionis ſucceſſiones ſequentium Conſulum à ſuis Conſulatibus ordi-

mur, manente adnotatione temporum quæ cuiuſque imperium habuit.

Incipit Adnotatio Conſulum à Paſſione D. N. I. C. cum hiſtoria.

SVFICIO GEMIÑO ET RVBELLIO GEMINO.

Pag. xxvi. C. Cæſar Caligula IV. regnauit annis tribus, & menſibus decem, Cæſare II. & Saturnino. Saturnino II. & Venuſto. Tiberio & Gallo. Hoc tempore Pontius Pilatus in multas incidens calamitates propria ſe manu interficit. C. Caligula cum ſe in Deos, &c.

Pag. xxxi. Valentinus Hæreſiarches & Cerdo Magiſter Marcionis Romam venerunt. Valentinus rerum naturæ duo dixit eſſe principia, Profundum ſcilicet & ſilentium à quibus XXX. orta ſunt ſæcula. Profundum autem Patrem eſſe Chriſti, qui ſpiritale vel cæleſte corpus habuerit, nihilque de natura Matris Virginis adſumpſerit, ſed per ipſam tanquam riuus ſine carnis humanæ veritate tranſierit. Reſurrectionem quoque carnis negant, ſpiritui tantum vel animæ promittunt ſalutem. Cerdo quoque duorum principiorum, id eſt vnius boni & alterius mali adſertor fuit, & Patrem Chriſti Deum eſſe legis ac Prophetarum negauit. Chriſtum ipſum neque natum ex fœmina, neque habuiſſe carnem, nec verè paſſum, nec verè mortuum dixit. Reſurrectionem etiam carnis refutans & Teſtamentum vetus ſpernendum eſſe decernens.

Pag xxxiii. Cataphryges à Prouincia Phrygia nominati ſunt, quia illic primitus extiterunt, ibique vixerunt, à quibus prædicabatur Spiritus Paracletus promiſſus à Domino in ipſos potius quàm in Apoſtolos adueniſſe. Secundas nuptias pro fornicatione condemnant, quas ideo dicunt Apoſtolum permiſiſſe, quia ex parte prophetabat: nec adhuc erat doctrina perfecta, quam per Montanum & Priſcam ac Maximillam Spiritus Sanctus reuelauit. Hi perhibentur ſacramenta habere funeſta de anniculi infantis ſanguine, quem crebris compunctionibus de toto corpore eius extrahunt & farina vinoque miſcuerint.

Pag. eadem Tatianus hæreticus agnoſcitur, à quo appellati Encratitæ nuptias damnant, pareſque eas fornicationi & omni turpitudini eſſe definiunt, nec recipiunt in conſortium, vel marem, vel fœminam conjugio vtentem. Prolationes quaſdam ſæculorum de fabulis Valentini ſequuntur. Saluti primi Hominis contradicunt. Bardeſanes alterius hæreſeos Princeps innoteſcit, qui Bardeſanes cum aliquandiu in fide fuiſſet inſignis, poſtea in Valentini tranſiuit errores, quamuis non omnia ipſius ſecutus ſit.

Pag. xxxv. Romæ XVI. Epiſcopus creatur Vrbanus annis ix. His temporibus Sabellius fuiſſe perhibetur. Cuius error eſt, vt in Trinitate Diuina, quem nominat Patrem, eundem Filium, eundem adſerat Spiritum Sanctum. Vnde impietatis iſtius impoſtores merito etiam Patropaſſiani vocantur, qui hoc ſentientes paſſionem D. N. I. C. quam pro humani generis ſalute pertulit, Patri conuincantur adſerere. Vlpianus, &c.

Pag. eadem Hoc tempore Origenes Alexandriæ clarus videbatur. Hic qui per multam eloquij facultatem peruerſa quædam eſt conatus adſtruere condens libros quorum eſt titulus περὶ ἀρχῶν in quibus præter multa ſacræ doctrinæ aduerſa etiam de commutatione hoc totius rationalis creaturæ adſerit, quòd non ſolùm impiorum hominum animæ, ſed ipſe quoque Diabolus longa purificatione reuocandus ſit in ſuæ originis dignitatem, ſuccedentibus ſibi ſemper reuolutionibus de bonis ad mala & de malis ad bona. Quia hæc alternatio non poſſit non eſſe perpetua & viciſſim vt de miſeris beati & de beatis miſeri.

Pag. xxxvi. Nouatum ſectantes Nouatiani appellantur. Ipſi autem ſe Catharos vocari volunt propter munditiam, quam ſibi ſuperbiſſimè arrogant. Secundas nuptias non admittunt. Reconciliationem pœnitentibus negant.

Pag. xxxvii. Hæc hæreſis prius Artemonis fuit, ſed efficaciore verſutiâ Paulus in ea obtinuit principatum, accedente poſtea præuaricatore Photino factum eſt, vt diſcipuli eorum Photiniani quàm Pauliani celebriùs nuncupentur. Hos baptizari in Eccleſia Catholica Synodus Nicæna conſtituit. Vnde credendum eſt eos regulam baptiſmi non habere.

Pag. xxxviii. Inſana Manichæorum hæreſis exorta. Manichæus Manes quidam auctor dementiſſimi dogmatis fuit, apud quos duo principia prædicantur, boni ſcilicet & mali: quorum naturæ aduerſæ ſibi & coæternæ ſemper extiterunt, de

quorum compugnantiâ prodigioſas fabulas & mendacia vana commenti ſunt, promittentes diſcipulis ſuis purgationem per ſacrilega ſacramenta, in quibus nihil eſt niſi execrabilis turpitudo confœderationis obſcenæ. Teſtamentu m vetus non recipiunt, corrumpentes per omnia Euangelicam veritatem.

Pag. XL. Arius Patrem & Filium & Spiritum Sanctum negans vnius eſſe naturæ, vel vt expreſſiùs dicamus, eſſentiæ, ita vt Filius Patre minor, Spiritus autem Sanctus Filio etiam habeatur inferior. Ad cuius perfidiam coarguendam Synodus CCCXVIII. Epiſcoporum in Nicæa vrbe Bithyniæ congregata omnes hæreticorum machinas Homouſii oppoſitione dejecit.

Pag. eadem. Donatus agnoſcitur, à quo per Africam Donatiſtæ ſunt: qui propter Cæcilianum Carthaginis Epiſcopum, quia ipſis renitentibus ordinatus eſt, in ſchiſma diuiſi ſunt, principe & auctore Donato, objicientes Cæciliano quædam crimina, quorum nullum probarunt. Vnde peruicacia ſua etiam hæretici facti ſunt, baptizatos in Catholica rebaptizantes, & in Trinitate Deitatis vnam quidem ſubſtantiam confitentes, ſed Filium non æqualem Patri & Spiritum Sanctum minorem Filio ſentientes. In quam impietatem illos alius Donatus, qui ab illo tertius fuit, impuliſſe dicitur, Antiochiæ, &c.

Pag. XLI. Audæani ſunt ab Audæo quodam cognominati, quos & Anthropomorphitas vocant, quia Deum humanæ imagini credunt eſſe conformem: in quibus etiam illud arguitur, quod Paſcha Chriſtianum Iudaicâ perhibentur obſeruantiâ celebrare.

Pag. XLII. Macedonianis Macedonius fuit auctor erroris, quos Græci Pneumatomachos, eo quòd Spiritui Sancto Deo confitendo repugnent. Nam de Patre & Filio rectè ſentiunt quòd vnius ſunt eiuſdemque ſubſtantiæ, ſed hoc de Spiritu Sancto nolunt credere, creaturam eum eſſe dicentes. Quidam hos Semi-Arianos vocant, quod in hac quæſtione ex parte cum illis ſint, ex parte nobiſcum.

Pag. XLIII. Apollinatis peruerſitas hoc primùm deuiauit errore, vt Dominum IESVM CHRISTVM diceret humanam carnem ſine anima ſuſcepiſſe, quia vitam & regimen corpori Deitas ipſa præbuerit. Ex hoc refutatus confeſſus eſt illi carni animam non defuiſſe, ſed mentis officia Verbi virtute completa. Ad vltimum ipſam Chriſti carnem partem quandam Verbi dixit fuiſſe, quæ naturam Diuinam habuerit, non maternam.

Pag. XX Hunc tertio anno regni eius Babylonius Nabuchodonoſor ſuperat, & cum Iudæa terra in ditionem redigit ac tributarium facit. Quo tempore Daniel, Ananias, Azarias, Miſael in Babylone clari habebantur regnante Romæ Tarquinio Priſco, qui regnauit annis XXXVII. Ioachim, qui & Iechonias, menſibus tribus, &c.

V. C. PROSPERI
TYRONIS AQVITANI
CHRONICORVM PARS ALTERA AB ANNO Æræ Chriſtianæ CCCLXXIX. ad CCCCLV.

Auctior atque emendatior in pluribus quàm quæ antea vulgata eſt.

HVCVSQVE Hieronymus Presbyter ordinem præcedentium digeſſit annorum. Nos quæ conſecuta ſunt adjicere curauimus.

Igitur Valente à Gothis in Thraciâ concremato GRATIANVS cum fratre VALENTINIANO XLI. regnat annos ſex.

AVSONIO ET OLYBRIO.

Gratianus poſt mortem patrui Theodoſium Theodoſij filium in conſortium aſſumit Imperij, eique regnum tradit Orientis.

Ea tempeſtate Priſcillianus Epiſcopus de Galleeia ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſim nominis ſui condidit.

GRATIANO V. ET THEODOSIO.

Ambroſius Epiſcopus pro Catholicâ fide multa ſublimiter ſcribit.

SYAGRIO ET EVCHERIO.

Martinus Epiſcopus Turonorum Galliæ ciuitatis multis miraculis clarus habetur.

ANTONIO ET SYAGRIO.

Finis Cycli quarti & exordium quinti.

Athanaricus Rex Gothorum apud Conſtantinopolim quintodecimo die quàm fuerat ſuſceptus, occiditur.

MEROBAVDE II. ET SATVRNINO.

Arcadius Theodoſij Imperatoris filius Auguſtus appellatur.

RICIMERE ET CLEARCHO.

Honorius Theodoſij filius naſcitur.

Romanæ Eccleſiæ XXXVI. poſt Damaſum SIRICIVS præfuit Epiſcopus annis XIV.

In Britanniâ per ſeditionem militum Maximus Imperator eſt factus: quo mox ad Gallias transfretante, Gratianus Pariſiis Merobaudis Magiſtri militum proditione ſuperatus, & fugiens, Lugduni captus atque occiſus eſt.

Maximus Victorem filium ſuum conſortem regni facit.

VALENTINIANVS XLII. regnat cum Theodoſio annis VII.

ARCADIO ET BAVTONE.

Hoc tempore Hieronymus Presbyter in Bethleem toto iam mundo clarus habitat, egregio ingenio & ſtudio vniuerſæ Eccleſiæ ſeruiens.

Priſcillianus in Synodo Burdigalenſi damnandum ſe intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit, auditúſque Treuiris, ab Euodio Præfecto Prætorio, gladio addictus eſt, cum Eucrocia Delphidij Rhetoris conjuge & Latroniano aliiſque erroris conſortibus.

Burdigalæ quædam Priſcilliani diſcipula, nomine Vrbica, ob impietatis pertinaciam per ſeditionem vulgi lapidibus extincta eſt.

HONORIO N. P. ET EVODIO.

CCCLX. VALENTINIANO III. ET EVTROPIO.

THEODOSIO II. ET CYNEGIO.

Maximus tyrannus à Valentiniano & Theodoſio Imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide ſpoliatus indumentis Regijs, ſiſtitur, & capite damnatur: cuius filius Victor eodem anno ab Arbogaſte Comite eſt interfectus in Gallijs.

TIMASIO ET PROMOTO.

Ithacius & Vrſacius Epiſcopi ob necem Priſcilliani, cuius accuſatores fuerant, Eccleſiæ communione priuantur.

VALENTINIANO IV. ET NEOTERIO.

TATIANO ET SYMMACHO.

ARCADIO II. ET RVFINO.

Valentinianus ad vitæ faſtidium nimiâ Arbogaſtis Magiſtri militum auſteritate perductus, laqueo apud Viennam perijt.

Arbogaſtes Magiſter exercitus, mortuo Valentiniano, cuius exitu gratulabatur, Eugenium in Gallijs Imperatorem facit.

THEODOSIVS XLIII. cùm iam per XIV. regnaret annos, regnat cum Arcadio & Honorio filijs annos tres.

THEODOSIO III. ET ABVNDANTIO.

Honorium pater ſuus Theodoſius in eodem loco, vbi quoque fratrem eius Arcadium Cæſarem fecerat, Principem conſtituit XVII, (ſeu potius VII. tantùm) ab vrbe milliario, eùm horâ tertiâ tenebræ ſunt factæ.

ARCADIO III. ET HONORIO II.

Ioannes Monachus, Anachoreta clarus habebatur, qui ornatus prophetiæ gra-

tiâ, Theodoſium conſulentem de euentu belli, quod aduerſus Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit.

OLYBRIO ET PROBINO.

Theodoſius Eugenium tyrannum vincit & perimit.

Auguſtinus Beati Ambroſii diſcipulus multa facundiâ doctrináque excellens, Hippone regio in Africâ Epiſcopus ordinatur.

Hoc tempore Claudianus Poëta inſignis habetur.

Theodoſius Imperator Mediolani moritur.

ARCADIVS XLIV. cùm iam regnaſſet annos XII. regnat cum HONORIO fratre annos XIII.

ARCADIO IV. ET HONORIO III.

CCCLXX. CÆSARIO ET ATTICO.

HONORIO IV. ET EVTYCHIANO.

Romanæ Eccleſiæ XXXVII. Epiſcopatum tenet ANASTASIVS annis IV.

MALLIO THEODORO V. C. COS.

Cum hoc Conſulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox honore ablato damnatus, & vita exutus eſt.

STILICONE ET AVRELIANO.

Gothi Italiam, Alarico & Radagaiſo ducibus ingreſſi.

VINCENTIO ET FRAVITO.

Ioannes Conſtantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus Epiſcopi clari habebantur: ſed vtrumque obſcurauit diſcordia, quæ eo vſque proceſſit, vt Ioannes à Theophilo oppreſſus Pontum in exilium pergere cogeretur; cùm tamen communionem eius maxima pars Epiſcoporum, Romani Pontificis exemplum ſecuta, ſeruauerit.

ARCADIO V. ET HONORIO V.

Pollentiæ aduerſum Gothos vehementer vtriuſque partis clade pugnatum eſt.

Romanæ Eccleſiæ XXXVIII. præeſt Epiſcopus INNOCENTIVS annis XIV.

THEODOSIO AVGVSTO ET RVMORIDO.

HONORIO VI. ET ARISTÆNETO.

STILICONE II. ET ANTHEMIO.

Radagaiſus in Tuſcia, multis Gothorum millibus cæſis, ducente exercitum Stilicone, ſuperatus & captus eſt.

ARCADIO VI. ET PROBO.

Vandali & Alani Gallias, trajecto Rheno, pridie Kalendas Ianuarias ingreſſi.

CCCLXXX. HONORIO VII. ET THEODOSIO II.

Conſtantinus in Britanniâ tyrannus exoritur & ad Gallias tranſit.

BASSO ET PHILIPPO.

Arcadius Imperator Conſtantinopoli moritur.

HONORIVS XLV. cum THEODOSIO fratris filio regnauit annis XV.

HONORIO VIII. ET THEODOSIO III.

Vandali Hiſpanias occupauerunt.

Attalus Romæ Imperator factus, qui mox priuatus regno Gothis cohæſit.

FLAVIO VARANE V. C. COS.

Roma à Gothis Alarico Duce capta: & ob hoc ſolus fuit Orientalium partium Conſul, quod & ſequenti anno obſeruatum eſt.

THEODOSIO AVGVSTO IV. COS.

Conſtantinus per Honorij Duces, Conſtantium & Vlphilam, apud Arelatenſe oppidum victus & captus eſt: cuius filium Conſtantem in Hiſpaniâ regnare orſum, Gerontius Comes, in Maximum quendam tyrannidem transferens, interemerat.

HONORIO IX. ET THEODOSIO V.

Maximo in Hiſpania regno ablato vita conceſſa, eò quòd modeſtia humilitáſque hominis, affectati Imperij inuidiam non merebatur.

Gothi Rege Athaulfo Gallias ingreſſi.

Eodem tempore Heros vir Sanctus & Beati Martini diſcipulus, cùm Arelatenſi oppido Epiſcopus præſideret; à populo eiuſdem ciuitatis, inſons, & nulli inſimulationi obnoxius pulſus eſt; inque eius locum Patroclus ordinatus, amicus & fami-

familiaris Conſtantij Magiſtri militum, cuius per ipſum gratia quærebatur: quæ res inter Epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum materia fuit.

LVCIO V. C. COS.

Huius collega in conſulatu Heraclianus fuit, qui nouarum in Africâ rerum reus, & honorem amiſit & vitam.

Burgundiones partem Galliæ propinquam Rheno obtinuerunt.

Iouinus & Sebaſtianus fratres in Gallijs regno accepto perempti ſunt.

Hac tempeſtate Pelagius Britto dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti, Cæleſtio & Iuliano adjutoribus exerit, multóſque in ſuum errorem trahit; prædicans, vnumquemque ad iuſtitiam voluntate propriâ regi, tantúmque accipere gratiæ, quantum meruerit: quòd peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, non etiam poſteros eius obſtrinxerit, vnde & volentibus poſſibile ſit omni carere peccato: omnéſque paruulos tam inſontes naſci, quàm primus homo ante præuaricationem fuit; nec ideò baptizandos vt peccato exuantur, ſed vt Sacramento adoptionis honorentur.

CONSTANTIO V. C. COS.

Attalus Gothorum conſilio & præſidio tyrannidem reſumit in Gallijs.

HONORIO X. ET THEODOSIO VI.

Attalus à Gothis ad Hiſpanias migrantibus neglectus, & præſidio carens, capitur, & Conſtantio Patricio viuus offertur.

Athaulfus à quodam ſuorum vulneratus interijt, regnúmque eius Vvallia, peremptis, qui idem cupere intelligebantur, inuaſit.

THEODOSIO VII. ET PALLADIO.

Placidiam Theodoſij Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quámque Athaulfus conjugem habuerat, Vvallia pacem Honorij expetens reddit; eiúſque nuptias Conſtantius promeretur.

Romanæ Eccleſiæ XXXIX. Epiſcopatum ſuſcipit ZOSIMVS, annis tribus: quo tempore Pelagianis iam à Papa Innocentio prædamnatis, Afrorum vigore, ac maximè Auguſtini Epiſcopi induſtria & ſcientia reſiſtebatur.

CCCXC. HONORIO XI. ET CONSTANTIO II.

Honorius Romam cum triumpho ingreditur, præeunte currum eius Attalo, quem Liparæ viuere iuſſit exulem.

HONORIO XII. ET THEODOSIO VIII.

Hoc tempore Conſtantius ſeruus Chriſti ex Vicario Romæ habitans, & pro gratiâ Dei deuotiſſimè Pelagianis reſiſtens, factione eorumdem multa pertulit, quæ illum ſanctis Confeſſoribus ſociauerunt.

Concilio apud Carthaginem habito CCXIV. & amplius Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Synodi decreta perlata ſunt, quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.

Valentinianus Conſtantij & Placidiæ filius naſcitur ſexto Nonas Iulias.

MONAXIO ET PLINTA.

Romanæ Eccleſiæ XL. Epiſcopatum agit BONIFACIVS annis IV.

Hoc tempore fuit tertium ſchiſma, Eulalio Antipapa per Honorium Cæſarem ejecto, quod durauit annis duobus.

Conſtantius Patricius pacem firmat cum Vvalliâ, datâ eidem ad inhabitandum ſecundâ Aquitaniâ, & quibuſdam ciuitatibus confinium Prouinciarum.

THEODOSIO IX. ET CONSTANTIO III.

Conſtantius ab Honorio in conſortium regni aſſumitur.

Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis ſuæ XCI. pridie Kalendas Octobris.

AGRICOLA ET EVSTATHIO.

Conſtantius Imperator moritur.

HONORIO XIII. ET THEODOSIO X.

Hoc tempore exercitus ad Hiſpanias contra Vandalos miſſus eſt, cui Caſtinus Dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum, inepto & injurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate auertit. Nam ille periculoſum

ſibi, atque indignum ratus, cum ſequi, quem diſcordem, ſuperbientémque expertus eſſet, celeriter ſe ad portum Vrbis, atque inde in Africam proripuit: idque Reipublicæ multorum laborum, & malorum ſequentium initium fuit.

MARINIANO ET ASCLEPIODOTO.

Placidia Auguſta à fratre Honorio pulſa, ad Orientem cum Honoriâ & Valentiniano filijs proficiſcitur.

Romanæ Eccleſiæ XLI. præſidet Epiſcopus CÆLESTINVS annis IX.

Honorius moritur, & regnum eius Ioannes occupat, conniuente, vt putabatur, Caſtino, qui exercitui Magiſter militum præerat.

THEODOSIVS XLVI. Romanorum Imperium tenet annis XXVII.

CASTINO ET VICTORE.

Hoc tempore Exuperantius Pictauus, Præfectus Prætorij Galliarum, in ciuitate Arelatenſi militum ſeditione occiſus eſt; idque apud Ioannem inultum fuit.

Theodoſius Valentinianum amitæ ſuæ filium Cæſarem facit, & cum Auguſtâ matre ad recipiendum Occidentale mittit Imperium: Quo tempore Ioannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello repoſcit, ad defenſionem ſui infirmior factus eſt.

THEODOSIO XI. ET VALENTINIANO CÆSARE.

Placidia Auguſta & Valentinianus Cæſar mira felicitate Ioannem Tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt; datâ veniâ Aëtio, eò quòd Chuni, quos per ipſum Ioannes acciuerat, eiuſdem ſtudio ad propria reuerſi ſunt. Caſtinus autem in exilium actus eſt, quia videbatur, Ioannem ſine conniuentia ipſius regnum non potuiſſe præſumere.

Valentinianus decreto Theodoſij Auguſtus appellatur.

Arelas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum eſt, donec imminente Aëtio non impuniti abſcederent.

THEODOSIO XII. ET VALENTINIANO AVGVSTO II.

Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à Tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur: quod facinus ad occultam iuſſionem Felicis Magiſtri militum referebatur, cuius impulſu creditus eſt etiam Titus Diaconus, vir ſanctus, Romæ pecunias pauperibus diſtribuens interemptus.

CCCC. HIERIO ET ARDABVRE.

Bonifacio, cuius intra Africam potentia gloriáque augebatur, bellum ad arbitrium Felicis (quia ad Italiam venire abnuerat) publico nomine illatum eſt Ducibus Mauortio & Gallione & Sinoce, cuius proditione Mauortius & Gallio, dum Bonifacium obſiderent, interempti ſunt: móxque ipſe à Bonifacio doli detectus, occiſus eſt.

Exinde gentibus, quæ vti nauibus neſciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare peruium factum eſt, bellique contra Bonifacium cœpti in Sigiſuultum Comitem cura tranſlata eſt.

Gens Vandalorum ab Hiſpania ad Africam tranſit.

FELICE ET TAVRO.

Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus nouum Eccleſiis molitur errorem inducere, prædicans, Chriſtum ex Mariâ hominem tantùm, non etiam Deum natum, eique diuinitatem collatam eſſe pro merito: cuius impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Epiſcopi induſtria & Papæ Cæleſtini repugnat auctoritas.

Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupauerant, Aëtij Comitis armis recepta.

FLORENTIO ET DIONYSIO.

Felice ad Patriciam dignitatem prouecto, Aëtius Magiſter militum factus eſt.

Agricola Pelagianus, Seueriani Epiſcopi Pelagiani filius, Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Sed actione Palladij Diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Autiſiodorenſem Epiſcopum vice ſuâ mittit, & deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigit.

THEODOSIO XIII. ET VALENTINIANO III.

Aëtius Felicem cum vxore Paduſiâ & Grunitum Diaconum, cùm eos inſidiari ſibi præſenſiſſet, interimit.

Auguſtinus Epiſcopus per omnia excellentiſſimus moritur v. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetus obſidentium Vandalorum in ipſo dietum ſuorum fine reſpondens, & glorioſè in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeuerans.

BASSO ET ANTIOCHO.

Congregata apud Epheſum plus ducentorum Synodo Sacerdotum Neſtorius cum hæreſi nominis ſui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum errori ſuo iuuabanr dogma, damnatur.

Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatus à Papa Cæleſtino Palladius primus Epiſcopus mittitur.

ÆTIO ET VALERIO.

Romanæ Eccleſiæ XLII. præficitur Epiſcopus XYSTVS annis VIII. totius vrbis pace & conſenſione mirabili.

Bonifacius ab Africâ ad Italiam per Vrbem venit, acceptâ Magiſtri militum dignitate: qui cùm reſiſtentem ſibi Aëtium prælio ſuperaſſet, paucos poſt dies morbo extinctus eſt.

Aëtius verò cum depoſitâ poteſtate in agro ſuo degeret, ibíque eum quidam inimici eius repentino incurſu opprimere tentaſſent, profugus ad Vrbem atque illinc ad Dalmatiam, deinde per Pannonias ad Chunos peruenit; quorum amicitia auxilióque vſus, pacem Principum & ius interpolatæ poteſtatis obtinuit.

THEODOSIO XIV. ET MAXIMO.

Colliguntur omnes anni vſque ad Conſulatum Theodoſij XIV. & Maximi.

A XV. Tiberij anno & Paſſione Domini, anni CCCCVI.

Ab inſtauratione Templi ſub Dario, anni DCCCCLIV.

Ab Olympiade primâ & Iſaiâ Prophetâ, anni MCCX.

A Salomone & primâ ædificatione templi, anni MCCCCLXVI.

A Moyſe & Cecrope Rege Atticæ, anni MDCCCCXC.

Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni MMCCCCL.

A Diluuio autem vſque ad Abraham, anni MLXXI.

Ab Adam verò vſque ad Diluuium, anni MMCCXLII.

Sunt itaque ab Adam vſque ad tempus ſupraſcriptorum Conſulum quinquies mille DCCLXIII.

ASPARE ET AREOBINDA.

THEODOSIO XV. ET VALENTINIANO IV.

Pax facta cum Vandalis, datâ eis ad inhabitandum, per Trigetium, Africæ portione, Hippone, III. Idus Februarij.

Eodem tempore Gundicarium Burgundionum Regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtinuit, pacémque ei ſupplicanti dedit; quâ non diu potitus eſt, ſi quidem illum Chuni cum populo ſuo, ac ſtirpe deleuerunt.

ISIDORO ET SENATORE.

Gothi pacis placita perturbant & pleraque municipia vicina ſedibus ſuis occupant, Narbonenſi oppido maximè infeſti. Quod cùm diu obſidione & fame laboraret, per Litorium Comitem ab vtroque periculo liberatum eſt. Siquidem per ſingulos equites binis tritici modijs aduectis, ſtrenuiſſimè & hoſtes in fugam verterit, & ciuitatem annona impleuerit.

AETIO II. ET SIGISVVLTO.

Bellum aduerſus Gothos Chunis auxiliantibus geritur.

In Africa Genſericus Rex Vandalorum intra habitationis ſuæ limites volens Catholicam fidem Ariana impietate ſubuertere, quoſdam noſtrorum Epiſcopos (quorum Poſſidius & Nouatus ac Seuerianus clariores erant) eatenus perſecutus eſt, vt eos priuatos iure Baſilicarum ſuarum, etiam ciuitatibus pelleret, cùm ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus cederet.

Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium Principem Conſtantinopolim proficiſcitur, filiámque eius in matrimonium accipit.

Per idem tempus quatuor Hiſpani viri, Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychianus, dudum apud Genſericum merito ſapientiæ ac fidelis obſequij, cari clarique habebantur: quos Rex vt copulatiores ſibi faceret, in Arianam perfidiam tranſire præcepit. Sed illi hoc facinus conſtantiſſimè reſpuentes, excitato in rabidiſſimam iram Barbaro, primùm proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis ſupplicijs excruciati, ad poſtremum diuerſis mortibus interempti, illuſtri martyrio mirabiliter occubuerunt.

Puer autem Paulillus nomine frater Eutychiani & Paſchaſij pro elegantia formæ atque ingenij admodùm Regi acceptus, cùm à profeſſione atque amore Catholicæ fidei nullis minis deturbari poſſet, fuſtibus diu cæſus, & ad infimam ſeruitutem damnatus eſt; ideò, vt apparet, non interfectus, ne de ſuperata ſæuitia impij Regis etiam ætas illa gloriaretur.

Eodem anno piraticam Barbari fœderatorum deſertores exercuerunt.

THEODOSIO XVI. ET FAVSTO.

Hoc quoque anno ijdem piratæ multas Inſulas, ſed præcipuè Siciliam vaſtauere.

Aduerſùm Gothos in Galliâ quædam proſpere geſta.

THEODOSIO XVII. ET FESTO.

Litorius, qui ſecundâ ab Aëtio Patricio poteſtate Chunis auxiliaribus præerat, dum Aërij gloriam ſuperare appetit, dúmque Aruſpicum reſponſis, & dæmonum ſignificationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit; fecitque intelligi quantum illa, quæ cum eodem perijt, manus prodeſſe potuerit, ſi potioribus conſilijs, quàm ſua temeritate vti maluiſſet; quando tantam ipſe hoſtibus cladem intulit, vt niſi inconſideranter prælians in captiuitatem incidiſſet, dubitandum foret, cui potiùs parti victoria adſcriberetur.

Hac tempeſtate Iulianus Eclanenſis, iactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimodâ arte fallendi, correctionis ſpeciem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidijs Xyſtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit; & ita omnes Catholicos de rejectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primùm ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius detruncauiſſet.

Per idem tempus Intricus reipublicæ noſtræ fidelis & multis documentis bellicis habebatur.

Pax cum Gothis facta, cùm eam poſt ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum, humiliùs, quàm vnquam antea popoſciſſent.

Aëtio rebus, quæ in Gallia componebantur intento, Genſericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, XIV. Kalendas Nouembris Carthaginem dolo pacis inuadit, omnéſque opes eius, excruciatis diuerſo tormentorum genere ciuibus, in ius ſuum vertit; nec ab Eccleſiarum deſpoliatione abſtinens, quas & ſacris vaſis exinanitas & Sacerdotum adminiſtratione priuatas, non iam diuini cultus loca, ſed ſuorum iuſſit eſſe habitacula; in vniuerſum captiui populi ordinem ſæuus, ſed præcipuè nobilitati & religioni infenſus; vt non diſcerneretur, hominibus magis, an Deo bellum intuliſſet. Hanc autem captiuitatem Carthago ſubijt anno poſtquam Romana eſſe cœperat DLXXXV.

VALENTINIANO AVGVSTO V. ET ANATOLIO.

Defuncto Xyſto Epiſcopo, quadraginta ampliùs diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, mirabili pace atque patientia, præſentiam Diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aëtium & Albinum amicitias redintegrantem Galliæ detinebant; quaſi ideò longè eſſet abductus, vt & electi meritum, & eligentium iudicium probaretur. Igitur Leo Diaconus legatione publicâ accitus, & gaudenti patriæ præſentatus XLIII. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.

Genſericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuntio de Sebaſtiani ab Hiſpaniâ ad Africam tranſitu, celeriter Carthaginem redit; ratus periculoſum ſibi ac ſuis fore, ſi vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuiſſet. Verùm ille amicum ſe magis, quàm hoſtem videri volens, diuerſa omnia apud Barbari animum, quàm præſumpſerat, reperit; eáque ſpes cauſa illi maximæ calamitatis, & infeliciſſimæ mortis fuit.

CYRO V.C. CONSVLE.

Theodoſius Imperator bellum contra Vandalos mouet, Ariobindâ, & Anaxillâ, atque Germano Ducibus cum magna clade directis; qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri, quàm Africæ præſidio fuere.

DIOSCORO V. C. ET EVDOXIO.

Chunis Thraciam & Illyricum ſæua populatione vaſtantibus, exercitus, qui in Siciliâ morabatur, ad defenſionem Orientalium Prouinciarum reuertitur.

Cum Genſerico autem à Valentiniano Auguſto pax confirmata, & certis ſpatijs Africa inter vtrumque diuiſa eſt.

In Genſericum de ſucceſſu rerum etiam apud ſuos ſuperbientem quidam optimates ipſius conſpirauerunt; ſed molitione detectâ, multis ab eo ſupplicijs excruciati atque extincti ſunt: cúmque idem audendum etiam ab alijs videretur, tam multis Regis ſuſpicio exitio fuit, vt hac ſui curâ plus virium perderet, quàm ſi bello ſuperaretur.

MAXIMO II. ET PATERIO.

Hoc tempore plurimos Manichæos intra Vrbem latere diligentiâ Papæ Leonis innotuit: qui eos de ſecretis ſuis erutos, & oculis totius Eccleſiæ publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudinem damnare fecit & prodere; incenſis eorum codicibus, quorum magnæ moles fuerant interceptæ. Quæ cura viro ſancto diuinitus, vt apparuit, inſpirata, non ſolùm Romanæ vrbi, ſed etiam vniuerſo Orbi plurimùm profuit. Siquidem confeſſionibus in Vrbe captorum, qui Doctores eorum, qui Epiſcopi, quive Presbyteri, in quibus Prouincijs, vel ciuitatibus degerent, patefactum ſit; multique Orientalium partium Sacerdotes induſtriam Apoſtolici Rectoris imitati ſunt.

THEODOSIO XVIII. ET ALBINO.

Hoc anno Paſcha Domini IX. Kalendas Maij celebratum eſt; nec erratum eſt, quia inde XI. Kalendarum Majarum dies Paſſionis fuit, ob cuius reuerentiam Natalis Vrbis Romæ, ſine Circenſibus tranſiit.

Attila Rex Hunnorum Bledam fratrem & conſortem in regno ſuum peremit, eiúſque populos ſibi parere compellit.

VALENTINIANO VI. ET NONIO.

AETIO III. ET SYMMACHO.

CALLEPIO ET ARVABVRE.

POSTHVMIANO ET ZENONE.

ASTVRIO ET PROTOGENE.

Hoc tempore Eutychiana hæreſis exorta eſt, auctore Eutyche quodam Presbytero, qui apud Conſtantinopolim Monaſterio celeberrimo præſidebat, prædicans IESVM-CHRISTVM Dominum noſtrum, Beatæ MARIÆ Virginis filium, nihil maternæ habuiſſe ſubſtantiæ, ſed ſub ſpecie hominis ſolam in eo Verbi Dei fuiſſe naturam. Ob quam impietatem à Flauiano eiuſdem Vrbis Epiſcopo, quia corrigi noluit, condemnatus eſt. Sed fidens amicitiâ regiâ & Aulicorum fauore, ab vniuerſali Synodo ſe popoſcit audiri, annuente Imperatore Theodoſio, qui ob huius cauſæ retractationem omnes Epiſcopos iuſſit Epheſum conuenire.

In quo Concilio Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus primatum ſibi vindicans, abſoluto Eutyche in Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum damnationis ſententiam tulit: reclamante Hilaro Diacono Eccleſiæ Romanæ, qui vice ſancti Leonis Papæ cum Iulio Epiſcopo Puteolano à ſede Apoſtolicâ fuerat deſtinatus. Nam cùm omnes Epiſcopi in Concilio conſtituti, vi & metu Comitum, vel militum, quos Dioſcoro Alexandrinæ Vrbis Epiſcopo attribuerat Imperator, compellerentur huic hæreſi accommodare conſenſum, memoratus Diaconus inter toruitæ pericula conſtitutus, voce contradictionis emiſſâ, cùm in eius propter hoc perniciem ſæuiretur, relictis illic omnibus ſuis, latenter abſceſſit, vt præfato Papæ, vel ceteris Italiæ Sacerdotibus, qualiter ibi Catholica Fides fuerat violata, ſuâ delatione promeret.

Sanctus verò Flauianus, inter manus eorum, à quibus in exilium ducebatur, glorioſo ad Chriſtum fine tranſiuit.

VALENTINIANO VIII. ET AVIENO.

Theodoſio Imperatore diem functo & Chryſaphio præpoſito, qui amicitiâ Principis malè vſus fuerat, interempto, MARCIANVS conſenſione totius exercitus ſuſcepit regnum; vir grauiſſimus, & non ſolùm reipublicæ, ſed etiam Eccleſiæ perneceſſarius.

Huius edictis Apoſtolicæ ſedis auctoritatem ſecutis, Synodus Epheſina damnatur, & apud Calchedonem celebrari Concilium Epiſcopale decernitur, vt correctis venia mederetur, & pertinaces cum hæreſi depellerentur.

Placidia defuncta eſt quinto Kalendas Decembris.

MARCIANO AVGVSTO ET FLAVIO ADELFIO.

Attila poſt necem fratris, auctus opibus interempti, multa vicinarum ſibi gentium millia cogit in bellum, quod Gothis tantùm ſe inferre, tanquam cuſtos Romanæ amicitiæ denunciabat. Sed cùm tranſito Rheno ſæuiſſimos eius impetus multæ Gallicanæ vrbes experirentur, citò & noſtris & Gothis placuit, vt furori ſuperborum hoſtium conſociatis exercitibus repugnaretur. Tantáque Aëtij Patricij prouidentia fuit, vt raptim congregatis vndique bellatoribus viris, aduerſæ multitudini non impar occurreret. In quo conflictu quamuis neutris cedentibus inæſtimabiles ſtrages commorientium factæ ſint; Chunos tamen eò conſtat victos fuiſſe, quòd amiſſâ prœliandi fiduciâ, qui ſuperfuerant, ad propria reuerterunt.

HERCVLANO ET SPORATIO.

Attila redintegratis viribus, quas in Gallia amiſerat, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil Duce noſtro Aëtio ſecundùm prioris belli opera proſpiciente; ita vt ne cluſuris quidem Alpium quibus hoſtes prohiberi poterant, vteretur; hoc ſolum ſpei ſuis ſupereſſe exiſtimans, ſi ab omni Italiâ cum Imperatore diſcederet. Sed cùm hoc plenum dedecoris & periculi videretur, continuit verecundia metum, & tot nobilium Prouinciarum latiſſimâ euerſione credita eſt ſæuitia & cupiditas hoſtilis expleta: nihilque inter omnia conſilia Principis ac Senatus, Populique Romani ſalubrius viſum eſt, quàm vt per legatos pax truculentiſſimi Regis expeteretur.

Suſcepit hoc negotium cum viro Conſulari Auieno, & viro Præfectorio Trigetio, beatiſſimus Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem ſciret nunquam piorum laboribus defuiſſe. Nec aliud ſecutum eſt quàm præſumpſerat fides. Nam tota legatione dignanter acceptâ, ita ſummi Sacerdotis præſentiâ Rex gauiſus eſt, vt & bello abſtineri præciperet, & vltra Danubium promiſſâ pace diſcederet.

OPILIONE V.C. CONSVLE.

Synodus Calchedonenſis peracta, Eutyche Dioſcoróque damnatis: omnes autem qui ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata vniuerſaliter fide, quæ de Incarnatione Verbi ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam per ſanctum Papam Leonem prædicabatur.

Attilâ in ſedibus ſuis mortuo, magna primùm inter filios ipſius certamina de obtinendo regno exorta ſunt; deinde aliquot gentium quæ Chunis parebant, defectus ſecuti, cauſas & occaſiones bellis dederunt, quibus ferociſſimi populi mutuis incurſibus contererentur.

Apud Gothos intra Gallias conſiſtentes, inter filios Theodorici Regis, quorum Thoriſmodus maximus natu patri ſucceſſerat, orta diſſenſio eſt: & cùm Rex ea moliretur, quæ & Romanæ paci, & Gothicæ aduerſarentur quieti, à germanis ſuis, quia noxijs diſpoſitionibus irreuocabiliter inſtaret, occiſus eſt.

AETIO ET STVDIO.

Inter Valentinianum Auguſtum & Aëtium Patricium, poſt promiſſa inuicem fidei Sacramenta, poſt pactum de conjunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt; & vnde fuit gratia caritatis augenda, inde exarſit fomes odiorum, incentore (vt creditum eſt) Heraclio Spadone, qui ita ſibi Imperatoris animum inſincero famulatu adſtrinxerat, vt eum facilè in quæ vellet impelleret.

Cum ergo Heraclius ſiniſtra omnia Imperatori de Aëtio perſuaderet, hoc vnum creditum eſt ſaluti Principis profuturum, ſi inimici molitiones ſuo opere præoccupaſſet. Vnde Aëtius, dum placita inſtantiùs repetit, & cauſam filij com-

motiùs agit, Imperatoris manu & circunſtantium gladijs crudeliter confectus eſt: Boërhio Præfecto Prætorio ſimul petempto, qui eidem multâ amicitiâ copulabatut.

Valentiniano VIII. et Anthemio.

Mortem Aëtij mors Valentiniani non longo pòſt tempore conſecuta eſt, tam imprudenter non declinata, vt interfector Aëtij amicos armigeróſque eius ſibimet conſociatet; qui concepti facinoris opportunitatem diſſimulanret aucupantes egreſſum extra Vrbem Principem, & ludo geſtationis intentum inopinatis ictibus confoderunt; Heraclio ſimul, vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine Regiâ ad vltionem tanti ſceleris accenſo.

Vt autem hoc parricidium perpetratum eſt, Maximvs, vir gemini Conſulatus, & Patriciæ dignitatis, ſumpſit Imperium: qui cum periclitanti Reipublicæ per omnia profuturus crederetut, non ſerò documento quid animi haberet probauit; ſi quidem interfectores Valenriniani non ſolùm non plecterit, ſed etiam in amicitiam receperit, vxorémque eius Auguſtam, amiſſionem viri lugere prohibitam, intta pauciſſimos dies in conjugium ſuum tranſire coëgerit.

Sed hâc incontinentiâ non diu potitus eſt: nam poſt alterum menſem nunciato ex Africâ Genſetici Regis aduentu, multiſque nobilibus, ac popularibus ex Vrbe fugientibus, cùm ipſe quoque, datâ cunctis abeundi licentiâ, trepidè vellet abſcedere, ſeptuageſimo ſeptimo adepti Imperij die à famulis Regijs dilaniatus eſt, & membratim dejectus in Tiberim ſepulturâ quoquę caruit.

Poſt hunc Maximi exitum confeſtim ſecura eſt multis digna lacrymis Romana captiuitas, & Vrbem omni præſidio vacuam Genſericus obtinuit, occurrenre ſibi extra portas ſancto Leone Epiſcopo; cuius ſupplicatio ita eum Deo agente leniuit, vt cùm omnia poteſtatis ipſius eſſent, traditâ ſibi ciuitate; ab igne tamen & cæde atque ſupplicijs abſtineretur.

Per quatuordecim igitur dies ſecurâ & liberâ ſcrutatione omnibus opibus ſuis Roma vacuata eſt, multáque millia captiuorum, prout quique, aut ætate, aut arte placuerunt, cum Reginâ & filiabus eius Carthaginem abducta ſunt.

Eodem anno Paſcha Dominicum die VIII. Kalendas Maij celebratum eſt. pertinaci intentione Alexandrini Epiſcopi, cui omnes Orientales conſentiendum putauerunt, quamuis Sanctus Papa Leo XV. Kalendas Maij potiùs obſeruandum proteſtaretur. Extant eiuſdem Papæ Epiſtolæ ad clementiſſimum Principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis ſollicitatæ euidenter patefacta eſt, & quibus Eccleſia Catholica inſtrui poteſt, quòd hæc perſuaſio ſtudio vnitatis & pacis tolerata ſit potiùs quam probata; nunquam deinceps imitanda, vt quæ exitialem attulit offenſionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem.

In Codice quo vſus ſum, nonnullæ etiam hac in parte occurrerunt diuerſæ Lectiones: ſed non tanti viſæ ſunt momenti, vt nos vel tantillum hic remorari debeant. Pluſculæ ex collatione Auguſtani Proſperi ab Henrico Caniſio editi ſedulis Lectoribus poterant exhiberi. Verùm quæ in eo codice Conſulatum Valentiniani VI. ac Nonij ſequuntur, & ſtylo ipſo diſcrepant à Proſpero, & Vrbem captam à Genſerico Vandalorum Rege excedunt, qui tamen finis Proſperi Aquitani Chronico auctoribus Gennadio Maſſilienſi & Victore Tunnonenſi præſcribi debet. Ipſa certè Chronici illius concluſio ex Auguſtanæ Bibliothecæ membranis publicata, non pertinet ad Vrbem captam à Genſerico, quam reſpexit Gennadius, ſed ad regni Vandalici excidium, quod multò poſt Gennadium accidit.

Collecta ergo omnis ſumma annorum ab Adam vſque ad Vandalorum perditionem fiunt anni quinquies mille ſeptingenti triginta tres.

At de Proſpero conſulant eruditi aureolum opuſculum R. P. Iacobi Sirmondi τοῦ μακαρίτου de Hiſtoriâ Prædeſtinatianâ capite 5.

De Mario vero, Lauſanenſi, ſiue Auenticenſi, vt creditur, Epiſcopo, Chronici ſeu Appendicis ad Proſperi Chronicon, adjectæ auctore, quæ R. P. Petrus Franciſcus Chiffletius præfatur Pagina 210. Tomi primi ſcriptorum Franciæ ab Andreâ Ducheſnio editorum. Nos Marianum illud Chronicon eiuſque Auctarium cum MS. codice diligenter contulimus & pauca hæc duntaxat obſeruauimus. Pag 211. & leuatus eſt Seuerus Imperator Rauennæ: & lineâ vltimâ, in Laureto. Pag. 212. extrema, Symmachus Patricius Rauennæ. Pag. 213. Beliſarius Sactoſancta loca, Iuſtiniano Auguſtó præſentauit. Pag. 214. Narſete & Cholo-

rhacarius ſemper. Pag. 215. Magnacharius, Alboënus, Longobardi. Pag. 216. Cabillonno & in Auctario eadem paginâ: Gothi Recaredo Rege intendente ad Fidem Catholicam reuertuntur. Phocas nobilium multos interemit. Pag. 217. cum auiâ ſua Brunechilde, deinde camelo impoſita, multis ſui ſpectaculum præbuit, &c.

EIVSDEM ALTERIVSVE

PROSPERI CHRONICON,

EDITIO PITHOEANA EMENDATA multis in locis, ex collatione Codicum MSS.

GRATIANVS I. IGITVR Valente à Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano regnat annos ſex. Hic paruulum fratrem habens regni conſortem, probatæ ætatis virum Theodoſium in ſocietatem regni aſciſcit. Hic Gratianus valde religioni fauens & Eccleſiis per omnia promptus fuit.

Martinus Turonenſium Epiſcopus Apoſtolicis virtutibus inſignis habetur.

II. Theodoſius in Orientis partibus laſſam Rempublicam reparauit.

III. Maximus Tyrannus in Britannia à militibus Imperator conſtituitur.

IV. Incurſantes Pictos & Scotos Maximus ſtrenuè ſuperauit.

Priamus quidam regnat in Francia, quantum altiùs colligere potuimus.

V. Ambroſius libros contra Arrianorum perfidiam luculentiſſimos ad Gratianum Auguſtum ſcribit.

VI. Maximus in Gallias transfretauit, & conflictu contra Gratianum habito, eundem fugitantem Lugduni interfecit.

THEODOSIVS I. Theodoſius annis XI.

Maximus timens Orientalis imperij principem Theodoſium, cum Valentiniano fœdus inijt.

Apud Treueros Manichæi deprehenſi, ſummo Maximi ſtudio exterminati.

II. Iuſtina mater Valentiniani Arrianis fauens in Ambroſium, & omnem Mediolanenſem Eccleſiam diuerſa iniuriarum genera congerit.

Reliquiæ Geruaſij & Protaſij Martyrum ab Ambroſio primum Mediolani repertæ.

Hymni Ambroſij compoſiti, qui numquam ante in Eccleſijs Latinis, modulis canebantur.

III. Maximus indignum ducens contra Eccleſiæ ſtatum agi, locum irrumpendi quod cum Valentiniano iunxerat fœdus, inuenit. Valentinianus veritus imminentem jam ceruicibus ſuis Tyrannum, ad Theodoſium confugit.

Hæc putantur tranſlata ex Margine.

Honorius & Arcadius XXXII. CCCC.

Theodoſius & Iohannes. XXV. & XXIII.

Valentinianus & Martianus. III. CCCC. XXV.

Auguſtinus Mediolani Rhetoricam adprime docens, omiſſis ſcholis ad fidem rectam conuertitur, cùm ante Manichæus fuiſſet.

IV. Theodoſius cum exercitu ad Italiam tranſgrediens, Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit.

Iuſtina, quæ Eccleſias vexauerat, ne regnum cum filio reciperet, morte præuenta eſt.

Immane Theſſalonicæ geſtum facinus extincti populi, egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religioſus eluit.

V. Hæreſis Apollinariſtarum ab Apollinare cæpta.

Arriani qui totum pæne Orientem, atque Occidentem commaculauerant, edicto glorioſi principis Eccleſijs ſpoliantur, quæ Catholicis deputatæ ſunt.

Iohannes

Ioannes Ægyptius Monachus, qui ob vitæ puritatem prophetiæ gratiam à Domino meruit, inſignis habetur. VI.

Poſt Damaſum Romanæ Eccleſiæ regimen XXXVI. Syricius ſuſcepit.

Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus, & poſt hunc Theophilus Epiſcopi conſtituuntur.

Ieroſolimis poſt Cyrillum Ioannes Eccleſiam recipit.

Apud Antiochiam defuncto Meletio ſubſtituitur Flauianus.

Ingens inter noſtros contentio oborta, quod ſcilicet Epiſcopi, qui ab hæreticis depulſi fuerant, nollent his ab Imperatore deiectis, alios, quam ſe, ſubſtitui ſacerdotes.

Terribile in cælo ſignum, columnæ per omnia ſimile apparuit.

Apud Alexandriam templa deſtructa, in quibus Serapis antiquiſſimum & notiſſimum templum, quod quaſi quædam columna ruentem ſuſtinebat idololatriam. VIII.

Valentinianus Viennæ ab Arbogaſte Comite ſuo extinguitur: in cuius locum tyrannidem Eugenius inuadit. IX.

Ad vindicandam Eugenij tyrannidem Theodoſius in Italiam tranſgreditur, aperto Dei fauore conſpirantibus in idipſum elementis. X.

Eugenio ſuperato, Theodoſius XI. regni ſui anno diem obit.

Arcadius & Honorius XXXII. annis.

Conſtantinopolis eminentem iram Dei, igne ſuper nubem terribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conuerſa ſubterfugit. ARCADIVS ET HONORIVS.

Rufinus Boſphoritanus cum ad ſummam militiæ perueniſſet, præferri ſibi Stiliconem non ferens; ab eodem interficitur, Hunnorum, quo fulciebatur, * præſidio ſuperato. I.

Claudianus Poëta admiratione dignus habetur. * auxilio.

Gildo Africa in rebellione commota, conſueta Romanis ſtipendia ſubtraxit. II.

Prudentius Lyricus Poëta noſter, Hiſpanus genere, illuſtre ingenij ſui robur exercet.

Stilico Magiſter militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit, Africa ad priſtinum ius redacta. III.

Romanæ Eccleſiæ cathedram XXXVII. Innocentius tenet.

Toto orbe Romano antiquæ ſuperſtitionis templa deſtructa. IV.

Paulinus, Nolanus poſtmodum Epiſcopus, admirabili exemplo venditis omnibus, cum eſſet Dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.

Ioannes Conſtantinopolites Epiſcopus dictis factiſque clareſcit. V.

Martinus poſt egregie actam vitam corpore exuitur.

Pelagius veſanus doctrina execrabili Eccleſias commaculare conatur. VI.

Contentio ex doctrina Origenis ſynodum apud Alexandriam mouit, cuius extitit ſententia, vt extra Eccleſiam fieret quicunque ſupradicti viri opera probauiſſet. VII.

Solis facta defectio. VIII.

Auguſtinus plurima libris innumerabilibus diſſerit.

Seuerus ex diſciplina ſancti Martini eius vitam tribus explicat libris. IX.

Sæua Italiæ barbarici motus tempeſtas incubuit. Si quidem Radagaius Rex Gothorum Italiæ limitem vaſtaturus tranſgreditur. Ex hoc Arriani, qui Romano procul fuerant orbe fugati, barbararum nationum, ad quas ſe contulere, præſidio erigi cæpere. X.

Multis ante vaſtatis vrbibus, Radagaius occubuit: cuius in tres partes per diuerſos Principes diuiſus exercitus, aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Inſigni triumpho exercitum tertiæ partis hoſtium, circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico vſque ad internecionem deleuit. XI.

Arcadius Orientis Imperium gubernans vitam explet, paruum admodum Theodoſium filium Imperij ſucceſſorem relinquens. XII.

Celeſtinus XXXVIII. Romanam Eccleſiam gubernauit.

Diuerſarum gentium rabies Gallias dilacerare exorſa, immiſſu quam maxime Stiliconis indigne ferentis filio ſuo regnum negatum. XIII.

Vticæ in foro Traiani terra diebus ſeptem mugitum dedit. XIV.

Inter alia multum reipublicæ Stiliconis morte conſultum eſt, qui ſaluti Imperatoris tendebat inſidias.

Neſtorius Conſtantinopolites Epiſcopus ad hæreſin quæ in Chriſto Deum ab homine ſeparat, vertitur.

XV. Ioannes Comes Africæ occiſus eſt à populo.

Proculus Maſſilienſis Epiſcopus clarus habetur, quo annuente, magna de ſuſpecto adulterio Remedij Epiſcopi quæſtio agitatur.

* inualetudine.

Hac tempeſtate præ * valitudine Romanorū vires funditus attenuatę Britanniæ.

XVI. Saxonum incurſione deuaſtatam Galliarum partem Wandali atque Alani vaſtauere: quod reliquum fuerat, Conſtantinus tyrannus obſidebat.

Hiſpaniarum partem maximam Sueui occupauere.

Ipſa denique orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdiſſime patuit.

XVII. Conſtantinus tyrannus occiditur.

XVIII. Rurſum alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant, Alpes tranſgredientibus.

XIX. Iouinus tyrannidem poſt Conſtantinum inuadit.

Induſtria viri ſtrenui, qui ſolus tyranno non ceſſit, * Dardani, Atauulfus, qui poſt Alaricum Gothis imperabat, à ſocietate Iouini auertitur.

* Conſule notas noſtras ad Olympiodorum.

Saluſtius quoque & Sebaſtianus occiſi.

Valentia nobiliſſima Galliarum ciuitas à Gothis effringitur, ad quam ſe fugiens Iouinus contulerat.

XX. Ingens in Gallijs fames.

Aquitania Gothis tradita.

Patroclus Arelatenſis Epiſcopus infami mercatu ſacerdotia venditare auſus.

Heraclianus Comes Africæ, qui in Romanæ vrbis reparationem ſtrenuum exhibuerat miniſterium, noua quædam molitus interimitur.

XXI. Placidia ſoror Imperatoris diu captiua, poſtea etiam regis vxor, rege fraude ſublato, Conſtantij connubio copulatur.

XXII. Gothi, cum ſe iterum, Atauulfo perempto, mouiſſent, Conſtantij repelluntur occurſu.

a XXIII. [a] Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtino * accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa.

* Oſſellianus in codice alia manu: ab Auguſtino bene male intellecto.

[b] Tricesimus nonus Xiſtus Romanam Eccleſiam regit.

[c] * Solis hoc anno facta defectio.

Faramundus regnat in Francia.

b XXIV. [d] Signum in cœlo mirabile apparuit.

XXV. Maximus tyrannus Hiſpaniarum dominatum vi obtinet.

c XXVI. [e] Honoratus, Mineruius, Caſtor, Iouianus ſingulorum monaſteriorum Patres in Gallijs florent.

* Ita & in alio: altera editio Scaligerana.

d XXVII. [f] Conſtantio dignitas Imperij ab Honorio * delata, qua vix octo menſibus vſus, interijt, Valentiniano * octo annorum filio derelicto.

e XXVIII. * anni.

f XXIX. [g] Maximus tyrannus de regno deijcitur, ac Rauennam perductus ſublimem ſpectaculorum pompam triecennalibus Honorij præbuit.

* V. notas ad Olympiodorum.

g XXX. [h] Placidia cum inſidias fratri tenderet, deprehenſa eſt, & Roma * in exilium relegata.

* Romam exilio.

[i] Honorius Rauennæ defunctus.

h XXXI. i XXXII. Nullo iure debitum Ioannes ex Primicerio Notariorum regnum ſumit, qui vulneratum multis cladibus reliquit Imperium.

THEODOSIVS I. Theodoſius annos XXVII.

Placidia ad Theodoſium auxilium precatum mittit.

Sigiſuuldus ad Africam contra Bonifacium properauit.

II. In Gallijs Exuperantius præfectus à militibus interficitur.

Muro Carthago circumdata, quæ ex tēpore quo vetus illa deſtructa eſt, ſanctione Romanorum, ne rebellioni eſſet, munimento murorum non eſt permiſſa vallari.

Ioanne ab exercitu Orientis victo & perempto, Rauenna deprædatione vaſtata eſt.

Aëtius Gaudentij Comitis à militibus in Gallijs occiſi filius, cum Chunnis Ioanni opem laturus, Italiam ingreditur.

Valentinianus Romæ Imperator factus. III.
Arelas à Gothis per Aëtium liberatur. IV.
Placidia tandem illata optato regno. V.
Clodius regnat in Francia.
Caſſianus compertas in Ægypto vitas patrum doctrináſque & regulas, libris ad plurimos datis * exprimit. VI. * Exponit, C S V.
Aëtius Ihutungorum gentem delere intendit. VII.
Viginti ferme millia militum in Hiſpanijs contra Vvandalos pugnantium cæſa: Vvandali in Africa transfretantes ingentem, lacerata omni prouincia, Romanis cladem dedere. VIII.
Conſulatu Aëtius edito, Bonifacium, qui ab Regina accitus ex Africa fuerat, declinans, ad munitiora conſcendit. IX.
Aſperitas nimij frigoris etiam ſaluti plurimorum pernicies extitit.
Bonifacius contra Aëtium certamine habito percuſſus, victor quidem, ſed moriturus abſcedit.
Cum ad Chunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, poſt prœlium ſe Aëtius contuliſſet, impetrato auxilio ad Romanum ſolum regreditur. X.
Gothi ad ferendum auxilium à Romanis acciti.
Germanus Epiſcopus Autiſiodori virtutibus & vitæ diſtrictione clareſcit.
Aetius in gratiam receptus. XI.
Rugila Rex Chunnorum, cum quo pax firmata, moritur: cui Bleda ſuccedit.
Gallia vlterior Tibatonem principem rebellionis ſecuta, à Romana ſocietate diſceſſit. à quo tracto initio, omnia pæne Galliarum ſeruitia in Bagaudam conſpirauere. XII.
Bellum contra Burgundionum gentem memorabile exarſit; quo vniuerſa pæne gens cum Rege per Aëtium deleta. XIII.
Capto Tibatone & cæteris ſeditionis partim principibus vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquieſcit. XIV.
Theodoſianus liber omnium legum legitimorum Principum in vnum collatarum hoc primum anno editus. XV.
Siluius turbatæ admodum mentis, poſt militiæ in Palatio exactæ munera, aliqua de religione conſcribit.
Eccleſiæ Romanæ X L. Leo ſuſcepit principatum. XVI.
Pacatis motibus Galliarum Aëtius ad Italiam regreditur. XVII.
Deſerta Valentinæ vrbis rura, Alanis, quibus Sambida præerat, partienda traduntur.
Britanniæ vſque ad hoc tempus varijs cladibus euentibuſque * latæ, in ditionem Saxonum rediguntur. XVIII. * uexatæ.
Alani, quibus terræ Galliæ vlterioris cum incolis diuidendæ à Patricio Aëtio traditæ fuerant, reſiſtentes armis ſubigunt, & expulſis dominis terræ poſſeſſionem vi adipiſcuntur. XIX.
Sabaudia Burgundionum reliquijs datur cum indigenis diuidenda. XX.
Carthago à Wandalis capta cum omni ſimul Africa lacrymabili clade & damno, Imperij Romani potentiam deiecit. Ex hoc quippe à Wandalis poſſidetur. XXI.
Thracia Chunnorum incurſione concutitur. XXII.
Bleda Chunnorum Rex Attilæ fratris fraude percutitur: cui ipſe ſuccedit. XXIII.
Noua iterum Orienti conſurgit ruina, qua ſeptuaginta non minus ciuitates Chunnorum deprædatione vaſtatæ, cum nulla ab Occidentalibus ferrentur auxilia. XXIV.
Meroueus regnat in Francia. XXV.
Eudoxius arte medicus, praui ſed exercitati ingenij, in Bagauda id temporis mora delatus, ad Chunnos confugit.
Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus & Hilarius Arelatenſis egregia vitam morte conſummant. XXVI.
Hæreſis nefaria à quodam Archimandrita commota, cui fauorem præbens Theodoſius obijt, ſeptem ſuper viginti annis in imperio exactis. Cui Martianus ſubſtituitur. XXVII.
Placidia quoque poſt irreprehenſibilem * conuerſationem hoc anno vitam exple- * conuerſionem.

* Imperauit, filio viceſimum quintum annum in * ipſo conſummante.

VALENTINIANVS ET MARTIANVS. I.

Valentinianus & Martianus.

Hac tempeſtate valde miſerabilis reipublicæ ſtatus apparuit, cum ne vna quidem ſit abſque barbaro cultore prouincia: & infanda Arianorum hæreſis, quæ ſe nationibus barbaris miſcuit, catholicæ nomen fidei toto orbe * diffuſa præſumat.

Attila Gallias ingreſſus, quaſi iure debitam poſcit vxorem: vbi graui clade inflicta & accepta, ad propria recedit.

* Diffuſa.

II. Plurima hoc anno ſigna apparuerunt.

Inſperata in Gallijs clade accepta furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu ſolo territi, præſidio nudauere.

III. Synodus Calchedonenſis, vbi Eutiche Dioſcoroque damnatis, omnes, qui ſe ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata vniuerſaliter fide, quæ de incarnatione verbi ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam per ſanctum Papam Leonem prædicabatur.

Attila in ſedibus ſuis mortuo, magna primum inter filios ipſius certamina de obtinendo regno exorta ſunt: Deinde aliquot gentium, quæ Chunnis parebant, defectus ſequuti, cauſas & occaſiones bellis dederunt, quibus ferociſſimi populi mutuis incurſibus contererentur.

IV. Inter Valentinianum Auguſtum & Aëtium Patricium poſt promiſſæ inuicem fidei ſacramenta, poſt pactum de coniunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt: & vnde fuit gratia charitatis augenda, inde exarſit fomes odiorum, incentore, vt creditum eſt, Heraclio ſpadone, qui ita ſibi Imperatoris animum inſincero famulatu aſtrinxerat, vt eum facile in quæ vellet, impelleret. Cum ergo Aëtius placita inſtantius repetit, & cauſam filij * communis agit, Imperatoris manu & circunſtantium gladijs crudeliter confectus eſt, Boëtio Præfecto prætorij ſimul perempto, qui ei multa amicitia copulatus erat.

* Communis, aliàs commonis.

V. Mortem Aëtij mors Valentiniani non longo poſt tempore conſecuta eſt, tam imprudenter non declinata, vt interfecti Aëtij amicos armigeroſque eius ſibimet ſociaret: Qui concepti facinoris opportunitatem diſſimulanter aucupantes, egreſſum extra vrbem Principem, & ludo geſtationis intentum, inopinaris ictibus confoderunt, Heraclio ſimul, vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine regia ad vltionem tanti ſceleris accenſo.

Vt autem hoc parricidium perpetratum eſt, Maximus vir gemini Conſulatus & Patriciæ dignitatis ſumpſit Imperium. Qui cum periclitanti reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non ſero documento quid animi haberet, probauit: ſic quidem, vt interfectores Valentiniani non ſolum non plecteret, ſed etiam in amicitiam reciperet, vxorémque eius Auguſti amiſſionem viri lugere prohibitam intra pauciſſimos dies in coniugium ſuum tranſire cogeret. Sed hac incontinentia non diu potitus eſt. Nam poſt alterum menſem nunciato ex Africa Genſerici regis aduentu, multíſque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, eum ipſe quoque, data cunctis abeundi licentia, trepide vellet abſcedere, à famulis Reginæ dilaniatus & membratim deiectus in Tyberim, ſepultura quoque caruit.

Poſt hunc Maximi exitum, confeſtim ſecuta eſt multis digna lacrimis Romana captiuitas, & vrbem omni præſidio vacuam Genſericus obtinuit, occurrente ſibi extra portas ſancto Leone Epiſcopo: cuius ſupplicatio ita eum, Deo agente, leniuit, vt cum omnia in poteſtate ipſius eſſent, tradita ſibi ciuitate, ab igne tamen & cæde, atque ſupplicijs abſtineret. Per quatuordecim igitur dies ſecura & libera ſerutatione omnibus opibus ſuis Roma vacuata eſt: multaque milia captiuorum, prout quique aut ætate, aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus eius Carthaginem abducti ſunt.

Quædam alia ſubijciuntur in Codice MS. Abbatiæ S. Victoris ad muros Pariſienſes, ſed ad rem noſtram non pertinent.

SANCTI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI

HISTORIÆ

GOTHORVM, VANDALORVM, SVEVORVM,

Longè auctiores & emendatiores hactenus editis.

Ex Codice MS. Collegij Claromontani Pariſienſis Societ. IESV, in quo incerti Auctoris de rebus geſtis Conſtantini Magni, ex Chronicis incertis de rebus Zenonis & Anaſtaſij Imperatorum, necnon Theodorici Regis: Item ex alijs Chronicis de rebus Iuſtiniani Auguſti & deinceps vſque ad Carolum Martellum, &c.

INCIPIT DE LAVDE SPANIÆ SANCTI ISIDORI.

OMNIVM terrarum quæquæ ſunt ab occiduo vſque ad Indos, pulcherrima es, ô ſacra ſemperque fœlix principum gentiúmque mater Spania. Iure tu nunc omnium regina prouinciarum, à quâ non Occaſus tantùm, ſed etiam Oriens lumina mutuat. Tu decus atque ornamentum orbis, inluſtrior portio terræ: in quâ gaudet multum ac largiter floret Geticæ gentis glorioſa fœcunditas. Merito te omnium vbertate gignentium indulgentior natura ditauit. Tu baccis opima, vuis proflua, meſſibus læta, ſegete veſtiris, oleis inumbraris, vite prætexeris. Tu florulenta campis, montibus frondua, piſcoſa littoribus. * Tu ſub mundi plaga gratiſſimâ ſita, nec æſtiuo ſolis ardore torreris, nec glaciali rigore tabeſcis, ſed temperatâ cæli Zonâ præcincta Zephyris felicibus enutriris. Quidquid enim arua fecundum, quidquid metalla pretioſum, quidquid animantia pulchrum & vtile ferunt, parturis. Nec illis amnibus poſthabenda, quos clara ſpecioſorum gregum fama nobilitat. Tibi cedet Alpheus equis, Clitumnus armentis: quamquam volucres per ſpatia quadrigas Olympicis ſacer palmis Alpheus exerceat, & ingentes Clitumnus iuuencos Capitolinis olim immolauerit victimis. Tu ſuperfuſis fecunda fluminibus, tu aurifluis fulua torrentibus. Tibi fons equi genitor. Tibi vellera indigenis fucata conchylijs ad rubores Tyrios inardeſcunt. Tibi fulgurans inter obſcura penitorum montium lapis iubare contiguo vicini ſolis accenditur. Alumnis igitur & gemmis dites & purpuris, rectoribus pariter & dotibus Imperiorum fertilis: ſic opulenta es principibus ornandis, vt beata pariendis. Iure itaque te iampridem aurea Roma caput gentium concupiuit, & licet te ſibimet eadem Romula virtus primùm victus ſpoponderit, denuò tamen Gothorum florentiſſima gens poſt multiplices in orbe victorias certatim rapuit & amauit, fruiturque hactenus inter regna, inſulas & opes largas, imperij felicitate ſecura.

* *Ita: omnia animalia conuenire Galliæ quàm Hiſpaniæ nemo videns negauit.*

DE ORIGINE GOTHORVM ET GESTIS,
Sancti Iſidori Epiſcopi.

GOTHORVM antiquiſſimam eſſe gentem *certum eſt*, quorum originem quidam de Magog Iaphet filio ſuſpicantur à ſimilitudine vltimæ ſyllabæ & magis de Ezechiele Prophetâ id colligentes : Romani autem editi eos magis Getas, quàm Gog & Magog appellare conſueuerunt. Interpretatio autem nominis eorum in lingua nuſtra dicti, quod ſignificatur fortitudo. Et re vera : nulla enim gens in orbe fuit, quæ Romanum Imperium adeò fatigauerit. Iſti ſunt enim, quos etiam Alexander vitandos pronunciauit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. Per multa quippe retro ſæcula Ducibus vſi ſunt, poſtea Regibus, quorum *oportet* tempora per ordinem curſim exponere, & quo nomine, actúque regnauerint, de Hiſtorijs libata retexere.

Anno ante Æram conditam duodecimo. Dum pro arripiendo reipublicæ imperio Conſul Pompeius & Caius Cæſar arma ciuilia commouiſſent, Gothi ad præbendum Cneo Pompeio auxilium in Theſſaliâ aduerſus Cæſarem pugnaturi venerunt. Vbi dum Æthiopes, Indi, Perſæ, Medi, Græci, Scythæ, ac reliquæ Orientis gentes vocatæ aduerſus illum dimicaſſent, iſti præ cæteris ei fortiùs reſtiterunt : quorum Cæſar copiâ & virtute turbatus fertur fugam meditaſſe, niſi nox prælio finem dediſſet.

Ærâ ducenteſimâ nonageſimâ quartâ, anno Imperij Valeriani & Galieni primo, Gothi deſcenſis Alpibus, quibus inhabitabant, Græciam, Macedoniam, Pontum, Aſiam, atque Illyricum vaſtauerunt. Ex quibus Illyricum & Macedoniam quindecim fermè annis tenuerunt. Deinde à Claudio Imperatore ſuperati ſedes proprias repetunt. Romani autem Claudio Auguſto pro eo, quòd tam fortiſſimam gentem à finibus reipublicæ remouiſſet, in foro aureum Clypeum, in Capitolio auream ſtatuam collocauerunt.

Æra ducenteſima ſeptuageſima ſecundâ, anno viceſimo ſexto Imperij Conſtantini, Gothi Sarmatorum regionem adgreſſi copioſiſſimis ſuper Romanos irruerunt agminibus, vehementi virtute cuncta gladio & deprædatione vaſtantes. Aduerſus quos idem Conſtantinus aciem inſtruxit, ingentique certamine vix ſuperatos, vltra Danubium expulit. De diuerſis gentibus virtutis gloriâ clarus, ſed de Gothorum victoriâ amplius glorioſus. Quem Romani, acclamante Se-
* prom. natu, publica laude proſecuti ſunt, quod * patriam reipublicæ reformauerit.

Æra quadringenteſima ſeptima, anno quinto Imperij Valentis primus Gothorum gentis adminiſtrationem ſuſcepit Athanaricus regnans annos tredecim. Qui perſecutione crudeliſſimâ aduerſus Fidem commotâ voluit ſe exercere contra Gothos, qui in gente ſua Chriſtiani habebantur. Ex quibus plurimos, qui idolis immolare non adquieuerunt, martyres fecit. Reliquos autem multis perſecutionibus adflictos, dum præ multitudine horreret interficere, dedit licentiam, imò magis coëgit de regno ſuo exire, atque in Romanorum migrare prouinciam.

Æra quadringenteſima quintadecimâ, anno tertiodecimo Imperij Valentis,
* in. Gothi * *in Iſtrum* aduerſus ſemetipſos in Athanarico & Fridigerno diuiſi ſunt alternis ſe cædibus populantes. Sed Athanaricus Fridigernum Valentis Imperatoris ſuffragio ſuperans, huius rei gratiâ Legatos cum muneribus ad eundem Imperatorem mittit, & Doctores propter ſuſcipiendam Chriſtianæ Fidei regulam poſcit. Valens autem à veritate Catholicæ Fidei deuius, & Arianæ hæreſis peruerſitate detentus, miſſis Hæreticis Sacerdotibus, Gothos perſuaſione nefandâ ſui erroris dogmatis aggregauit, & in tam præclaram gentem virus peſtiferum ſemine pernicioſo transfudit : Sicque errorem, quem recens credulitas ebibit, tenuit, diúque ſeruauit. Tunc Gulfilas eorum Epiſcopus Gothicas literas condidit, & ſcripturas noui ac veteris Teſtamenti in eandem linguam conuertit. Gothi autem ſtatim vt literas & legem habere cepérunt, conſtruxerunt ſibi dogmatis ſui Eccleſias, talia iuxta eundem Arium de ipſa diuinitate documenta te-

nentes : vt crederent Filium Patri majeſtate eſſe minorem, Spiritum autem ſanctum, neque Deum eſſe, neque ex ſubſtantiâ Patris exiſtere; ſed per Filium creatum eſſe in vtriuſque miniſterium * dedito, & amborum obſequio ſubditum. Aliam quoque Patris ſicut perſonam, ſic & naturam aſſerentes, aliam Filij, aliam denique Spiritus Sancti. Vt jam non ſecundùm Sanctæ ſcripturæ traditionem vnus Deus & Dominus coleretur, ſed iuxta idololatriæ ſuperſtitionem tres Dei venerarentur. Cuius blaſphemiæ malum per diſceſſum temporum, Regúmque ſucceſſu, annis ducentis tredecim tenuerunt. Qui tandem reminiſcentes ſalutis ſuæ, renunciauerunt inolitæ perfidiæ, & per Chriſti gratiam ad vnitatem Fidei Catholicæ peruenerunt.

* deditum.

Æra quadringenteſima ſextadecima, anno quartodecimo Imperij Valentis, Gothi, qui in primis Chriſtianos à ſedibus ſuis expulerant, rurſus ipſi ab Hunnis, cum Rege ſuo Athanarico expulſi ſunt: tranſitoque Danubio fluuio Valentis Imperatoris *poteſtati* ſeſe non depoſitis armis tradunt, Thraciam ad inhabitandum accipiunt: ſed vbi viderunt ſe opprimi à Romanis contra conſuetudinem propriæ libertatis, ad rebellandum coacti ſunt, Thraciam ferro incendijſque depopulantur, deletóque Romanorum exercitu ipſum Valentem iaculo vulneratum in quandam villam fugientem ſuccendunt. Et meritò, vt ipſe ab eis viuens temporali cremaretur incendio, qui tam pulchras animas ignibus *æternis* tradiderat. Iouenerunt autem eo prœlio Gothi Confeſſores priores Gothos, quos dudum propter fidem à terrâ ſuâ expulerunt, & voluerunt eos ſibi ad prædæ ſocietatem conjungere. Qui cùm non acquieuiſſent, aliquanti ſunt interfecti, alij montuoſa loca tenentes & refugia ſibi qualiacumque conſtruentes, non ſolùm perſeuerauerunt Chriſtiani Catholici, ſed etiam in concordiâ Romanorum, à quibus dudum excepti fuerant, permanſerunt.

Æra quadringenteſima nonadecima, anno Imperij Theodoſii Hiſpani tertio; Athanaricus cum Theodoſio ius amicitiámque diſponens, mox Conſtantinopolim pergit, ibíque quintodecimo die, quàm fuerat à Theodoſio honorabiliter ſuſceptus, moritur. Gothi autem proprio Rege defuncto, aſpicientes benignitatem Theodoſii Imperatoris inito fœdere Romano ſe Imperio tradiderunt.

Æra quadringenteſima vigeſimâ, anno Imperij Theodoſii quarto, Gothi patrocinium Romani fœderis recuſantes Alaricum Regem ſibi conſtituerunt, indignum iudicantes Romanæ eſſe ſubditos poteſtati, eóſque ſequi, quorum iampridem leges imperiúmque reſpuerant, & de quorum ſe ſocietate prœlio triumphantes auerterant.

Æra quadringenteſima triceſima ſeptima, anno Imperij Honorij & Arcadij quarto, Gothi in Alarico & Radagaiſo diuiſi, dum ſemetipſos in duabus partibus regni varijs cædibus lacerarent, ob excidium Romanorum concordes effecti conſilium in commune conſtituunt, paríque intentione ad deprædandas quaſque regiones Italiæ adinuicem diuiduntur.

Æra quadringenteſima quadrageſima tertia, anno Imperij Honorij & Arcadij decimo, Rex Gothorum Radagaiſus genere Scytha, cultu idololatriæ deditus, barbaricæ immanitatis feritate ſæuiſſimus cum ducentis armatorum millibus Italiæ partes vehementi vaſtatione adgreditur, ſpondens in contemptum Chriſti Romanorum ſanguinem dijs ſuis libare, ſi vinceret. Cuius exercitus ab Stilicone Duce Romano in montuoſis Tuſciæ locis circumcluſus, fame potiùs, quàm ferro conſumptus eſt. Ipſe poſtremum Rex captus & interfectus eſt.

Æra quadringenteſima quadrageſima ſeptimà, anno Imperij Honorij & Arcadij quintodecimo, extincto Radagaiſo, Alaricus conſors regni, nomine quidem Chriſtianus, ſed profeſſione hæreticus, dolens tantam multitudinem Gothorum à Romanis extinctam in vindictam ſanguinis ſuorum, aduerſus Romam prœlium agit, obſeſſamque Imperij arcem impetu magnæ cladis irrumpit: ſicque Vrbs cunctarum gentium victrix Gothicis triumphis victa ſuccubuit, eiſque capta ſubjugatáque ſeruiuit. Tantùm autem Gothi clementes ibi extiterunt, vt votum antea darent, quòd ſi ingrederentur Vrbem, quicumque Chriſtianorum in locis Chriſti inuenirentur, * in vaſtationem Vrbis non mitterentur. Poſt hoc igitur votum adgreſſi Vrbem, omnibus & mors & captiuitas indulta eſt, qui ad ſanctorum limina confugerunt. Sed & qui extra loca Marty-

* immolatos ſe noſque eſſe ſinerent.

rum erant, & nomen Chriſti & ſanctorum nominauerunt, & ipſis ſimili miſericordia pepercerunt. In reliquis autem, & ſi præda hoſtium patuit, feriendi tamen immanitas refrænata eſt. Incurſantibus autem in illâ vaſtitate per Vrbem Gothis, dum quidam potens virginem conſecratam & ætate prouectam reperiſſet: eámque honeſtè admoneret, vt ſi quid apud ſe auri argentique eſſet, proferret, illa fideli conſcientiâ quod habuit protulit. Cumque ille vaſorum formam & pulchritudinem ex illa antiqua Romanorum opulentiâ miraretur, Virgo ait; Hæc vaſa, quæ mihi de ſacrario Apoſtoli depoſita ſunt, præſume, ſi audes, ego ſacra hoſti dare non audeo. Ille ad nomen Apoſtoli magno pauore perterritus, Regi hoc nuncium refert. Qui confeſtim reportare omnia ad ſacrarium Beati Petri Apoſtoli ſummâ cum reuerentiâ iuſſit, dicens; Cum Romanis geſſiſſe bellum, non cum Apoſtolis. Redit igitur Virgo reuerentiſſimis officijs honorata, redeunt & cum illâ omnes, qui ei ſe ſociauerunt ſuper capita ſua vaſa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes, exertis vndique iuſſu Regis ob defenſionem armatorum cuſtodijs. Concurrunt vndique ad voces canentium de latibulis agmina Paganorum, qui dum Chriſtianos eſſe ſe fingunt, etiam & ipſi calamitatis excidium euaſerunt. Hac tempeſtate Gothi Placidiam, Theodoſii Principis filiam, Arcadij & Honorij Imperatorum ſororem cum ingenti auro Romæ capiunt, adeptíſque multis opibus Romanorum tertia die Incenſa euerſáque in partibus vrbe diſcedunt. Inde conſcenſis nauibus, cùm ad Siciliam exiguo ab Italiâ freto diuiſam tranſire diſponerent, infeſto Marte periclitati, multum exercitum perdiderunt. Quibus tanta fuit gloria de Romanæ vrbis obtentu, vt in eius comparatione nihil mali paſſos tempeſtate illa arbitrarentur, damna naufragij euentu victoriæ compenſantes. Mors Alarici confeſtim ſecuta, viceſimooctauo anno regni defuncti in Italia.

Æra quadringenteſima quadrageſima octaua; anno Imperij Honorij & Arcadij ſextodecimo, Alarico poſt captam Vrbem defuncto, Araulfus Gothis Italiæ regno præficitur annis ſex. Iſte quinto regni anno de Italia recedens Gallias adijt, Placidiam Theodoſii Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, coniugem ſibi aſſumpſit. In quo prophetia Danielis à quibuſdam creditur eſſe completa, qui ait filiam Regis Auſtri conjungendam Regi Aquilonis, nullâ tamen de germine eius ſobole ſubſiſtente. Sicut eidem in conſequentibus Propheta ſubijcit dicens: nec ſtabit ſemen eius. Nullus enim de vtero illius extitit genitus, qui patris in regnum ſuccederet. Araulfus autem dum relictis Gallijs Spanias peteret, à quodam ſuorum apud Barcinonem inter familiares fabulas iugulatur.

Æra quadringenteſima quinquageſima quarta, anno Imperij Honorij & Arcadij viceſimo ſecundo, poſt Araulfum Gothis Sigericus Princeps electus eſt. Qui dum ad pacem cum Romanis eſſet promptiſſimus, mox à ſuis eſt interfectus.

Æra & anno quo ſupra, Vallia Sigerico ſuccedens tribus annis regnum tenuit, belli causâ Princeps à Gothis effectus, ſed ad pacem diuina prouidentia ordinatus. Mox enim vt regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit. Placidiam ſororem eius, quæ à Gothis Romæ capta fuerat, ei honorificè reddidit promittens Imperatori propter rempublicam omne certamen implere. Itaque ad Spanias per Conſtantium euocatus Romani nominis cauſa cædes magnas Barbaris intulit: Wandalos Silingos in Bæticâ omnes bello extinxit. Alanos qui Wandalis & Sueuis potentabantur, adeò cecidit, vt extincto Atace Rege ipſorum pauci, qui ſuperfuerunt, oblito regni nomine Gunderici Regis Vvandalorum, qui in Gallicia reſederant, ſe regimini ſubjugarent. Confecto igitur Vallia bello Spaniæ, dum inſtructa nauali acie Africam tranſire moliretur, in freto Gaditani maris grauiſſimâ tempeſtate effractus, memor etiam illius ſub Alarico naufragij omiſſo nauigationis periculo Gallias repetit, datâ ei ab Imperatore ob meritum victoriæ ſecundâ Aquitaniâ, cum quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum vſque ad Oceanum.

Æra quadringenteſima quinquageſima ſeptima, anno Imperij Honorij & Arcadij viceſimo quinto, Valliâ Rege defuncto Theodericus ſuccedit in regnum annis triginta tribus, qui regno Aquitanico non contentus pacis Romanæ fœdus recuſat, municipia Romanorum vicina ſedibus ſuis occupat; Arelas nobiliſſimum Galliæ oppidum oppugnatur, à cuius obſidione, imminente virtute Aëtij

Roma-

Romanæ militiæ Ducis non impunitus abſcedit. Remoto igitur Valentiniani Imperatoris iuſſu à ſua poteſtate militari Aëtio, dum Theudericus Narbonenſi vrbi diutinâ obſidione ac fame eſſet infeſtus, rurſus à Litorio Romanæ militiæ Duce, Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem, cùm primùm res proſperas aduerſus Gothos geſſiſſet, denuò dæmonum ſignis Aruſpicúmque reſponſis deceptus bellum cum Gothis imprudenter inijt, amiſſóque Romano exercitu, miſerabiliter ſuperatus interijt. Fecitque intelligi quantum illa quæ cum eodem perijt multitudo, prodeſſe potuerit, ſi fide potius quàm fallacibus dæmoniorum oſtentis vti maluiſſet. Pacem deinde Theodericus cum Romanis inijt: denuò aduerſus Hunnos Galliarum prouincias ſua depopulatione vaſtantes, atque vrbes plurimas euertentes, in campis Catalaunicis, auxiliante Aëtio Duce Romano aperto Marte conflixit: ibique præliando victor occubuit. Gothi autem dimicante Turiſmundo Theoderici Regis filio adeò fortiter congreſſi ſunt, vt inter * priorem prœlium & poſtremum trecenta ferme millia hominum proſtrarentur. Multa eodem tempore cæli & terræ ſigna præceſſerunt, quorum prodigijs tam crudele bellum ſignificaretur: nam adſiduis terræ motibus factis à parte Orientis Luna fuſcata eſt: à Solis occaſu ſtella Cometes apparuit, atque ingenti magnitudine aliquandiu fulſit: ab Aquilonis plagâ cælum rubens ſicut ignis aut ſanguis effectus, permiſtis per igneum ruborem lineis clarioribus in ſpeciem haſtarum rutilantium deformatis. Nec mirum, vt in tam ingenti cæſorum ſtrage diuinitus tam multa ſignorum demonſtraretur oſtenſio. Hunni autem vſque ad internecionem pæne cæſi cum Rege ſuo Attilâ, relictis Gallijs in Italiam fugiunt, aliquantis ciuitatibus interruptis: qui & ibi, partim fame, partim cæleſtibus plagis percuſſi. Miſſo inſuper à Martiano Imperatore exercitu forti plagâ cæduntur, affectique nimiùm ſedes proprias repetunt: ad quas Rex eorum Attila, mox vt remeauit, occubuit. Statimque inter filios eius de obtinendo regno magna ſunt exorta certamina: atque ita Hunni, qui tot cladibus antea diminuti fuerant, rurſus mutuis ſe gladijs conciderunt. In quibus mirum illud eſt, vt dum omne prœlium detrimentum habeat populorum, iſti vice verſa cadendo proficiant. Sed proinde quia in diſciplinam Fidelium poſiti ſunt, ſicut populus gentis Perſarum: virga enim furoris Domini ſunt, & quoties indignatio eius aduerſus fideles procedit, per eos flagellantur, vt eorum afflictionibus emendati à ſæculi cupiditate & peccato ſemetipſos coërceant, & de cœleſtis regni hæreditate poſſideant. Adeo autem hæc gens horrida eſt, vt cùm famem in bello fuerit paſſa, venam tangat equi, & ſic excludat hauſto ſanguine famem. * priori.

Æra quadringenteſima nonageſima, anno primo Imperij Martiani, Toriſmundus filius Theoderici prouehitur ad regnum anno vno. Qui dum in ipſius Regni vix exordijs feralis ac noxius hoſtilia inſpiraret, multáque ageret inſolentius, à Theoderico & Friderico eſt fratribus interfectus.

Æra quadringenteſima nonageſima primâ, anno ſecundo Imperij Martiani, Theudericus poſt fraternam necem in regnum ſuccedens imperat annis tredecim. Qui pro eo quòd Imperatori Auito ſumendi Imperialis faſtigij cum Gallis auxilium præbuiſſet, ab Aquitania Hiſpanias cum ingenti multitudine exercitus, & cum licentiâ eiuſdem Auiti Imperatoris ingreditur. Cui cum magnâ copiâ Rex Sueuorum Rectiarius occurrens duodecimo Aſturigenſis vrbis milliario, apud fluuium, qui Vrbicus appellatur, inito mox certamine ſuperatus eſt, cæſis ſuorum agminibus, aliquantis captis, plurimiſque fugatis, ipſe poſtremùm Rex telo ſaucius fugit, præſidióque ſuorum carens ad locum Portucalem capitur, Regique Theodorico viuus offertur. Quo perempto, multis, qui de priori certamine ſuperfuerant, ſeſe tradentibus, aliquantis nihilominus trucidatis, regnum pæne deſtructum eſt, finitúmq; Sueuorum. Occiſo Rectiario Theodericus è Gallicia ad Luſitaniam victor ſuccedens, dum Emeritenſem vrbẽ deprædari molitur, ſanctæ Eulaliæ Martyris oſtentis perterretur, & cum omni protinus exercitu diſcedit, Gallias repetit: mox deinde partem Rex exercitus Duce Cemilâ ad Bæticam prouinciam mittit: partem aliã ſub Sunerico & Nepotiano Ducibus ad Galliciã dirigit, qui Sueuos apud Lucũ ſæua deprædatione vaſtauerunt. In Gallijs autẽ Agrippinus Comes & ciuis, Ægidio Romano æmulus, vt Gothorũ mereretur auxilia Narbonam tradidit Theuderico. Poſt aliquot legati Sueuorum à Remiſmundo Rege miſſi ad Theudericũ venerunt

pacem amicitiámque poſcentes. Similiter Theodericus ad Remiſmundum remittit, cum armorum adjectione vel munerum, directâ etiam & coniuge, quam haberet. Sallamnem quoque legatum denuo Theodericus mittit ad Remiſmundum, qui reuerſus ad Gallias Theodericum ab Eurico fratre ſuo reperit interfectum.

Æra quingenteſima quarta, anno Imperij Leonis Octauo, Euricus pari ſcelere, quo frater, ſuccedit in regnum annis decem & ſeptem. In quo honore prouectus & crimine, ſtatim legatos ad Leonem Imperatorem dirigit. Nec mora, partem Luſitaniæ magno impetu deprædatur. Inde Pampilonam & Cæſar-auguſtam miſſo exercitu capit, ſuperiorémque Hiſpaniam in poteſtate ſua mittit: Tarragonenſis etiam prouinciæ nobilitatem, quæ ei repugnauerat, exercitus irruptione euertit. In Gallias autem regreſſus Arelarum & Maſſiliam vrbes bellando obtinuit, ſuóque regno vtramque adjecit. Iſte quodam die congregatis in colloquio Gothis tela, quæ omnes habebant in manibus, à parte ferri vel acie, alia viridi, alia roſeo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri ſpeciem aliquandiu non habuiſſe mutatam *comperit*. Sub hoc Rege Gothi legum inſtituta ſcriptis habere cœperunt: antea tantùm moribus & conſuetudine tenebantur. Obijt Arelato Euricus morte propria defunctus.

Æra quingenteſima vigeſima primâ, anno decimo Imperij Zenonis, Eurico mortuo Alaricus filius eius apud Toloſenſem vrbem Princeps Gothorum conſtituitur regnans annis viginti & tribus. Aduerſus quem Hluduicus Francorum Princeps Galliæ regum affectans, Burgundionibus ſibi auxiliantibus, bellum mouit, fuſiſque Gothorum copijs, ipſum poſtrémum Regem apud Pictauos ſuperatum interfecit: Theudericus autem Italiæ Rex, dum interitum generi ſui comperiſſet, confeſtim ab Italiâ proficiſcitur, Francos proterit, partem regni, quam manus hoſtium occupauerat, recepit, Gothorúmque iuri reſtituit.

*Æra 545. Anno ſeptimodecimo Imperij * Anaſtaſij, Geſalicus ſuperioris Regis filius ex concubinâ creatus Narbonæ Princeps efficitur regnans annis quatuor, ſicut genere viliſſimus, ita infelicitate & ignauiâ ſummus. Denique dum eadem ciuitas à Gundehado Burgundionum Rege direpta fuiſſet iſte cum multo ſui dedecore & cum magnâ ſuorum clade apud Barcilonam ſe contulit. Ibi moratus quouſque regni faſcibus à Theoderico fugæ ignominiâ priuaretur. Inde profectus ad Africam Wandalorum ſuffragia poſcit, quo in regnum poſſet reſtitui, qui dum non impetraſſet auxilium, mox de Africa rediés metu Theoderici Aquitaniam petijt, ibíque anno vno deliteſcens in Spaniam reuertitur, atque ab Ebbane Theoderici Regis Duce duodecimo à Barcilonâ vrbe milliario, commiſſo prælio in fugam vertitur, captúſq; trans flumen Druentium Galliarum interijt: ſicque prius honorem, poſtea vitam amiſit.

Æra quingenteſima quadrageſima nona, anno vigeſimo primo Imperij Anaſtaſij, Theodoricus iunior, cùm iamdudum Conſul à Zenone Imperatore Romano creatus fuiſſet, peremptóque Odoacre Rege Oſtrogothorum, atque deuicto fratre eius Onoulfo & trans confiniam Danubij effugato, decem & octo annis in Italia victor regnaſſet, rurſus extincto Geſalico Rege Gothorum Hiſpaniæ Regnum quindecim annis obtinuit, quod ſuperſtiti Amalarico nepoti ſuo reliquit. Inde Italiam repetens aliquandiu omni cum proſperitate regnauit: per quem etiam Regiæ vrbis dignitas non parua eſt reſtituta, Muros namque eius iſte redintegrauit: cuius rei gratiâ à Senatu inauratam ſtatuam meruit.

*quarta. *Iuſtini 9. Æra quingenteſima ſexageſima * ſexta, anno Imperij Iuſtiani (fortè Iuſtiniani) primo, * regreſſo Italia Theodorico Amalaricus nepos eius annis quinque regnauit: qui cùm ab Ildeberto Francorum Rege apud Narbonam prœlio ſuperatus fuiſſet, Barcinonam trepidus fugit, effectúſque omnium contemptibilis ab exercitu iugulatus interijt.

Æra quingenteſima ſexageſima nona, anno Imperij Iuſtiniani ſexto, poſt Amalaricum Teudix in Spaniâ creatus in regnum annis decem & ſeptem, qui dum eſſet hæreticus, pacem tamen conceſſit Eccleſiæ, adeò vt licentiam daret Catholicis Epiſcopis in vnum apud Toletanam vrbem conuenire: & quæcumque ad Eccleſiæ diſciplinam neceſſaria extitiſſent, liberè licentérque diſponere. Eo regnante dum Francorum Reges cum infinitis copijs in Spanias conueniſſent, & Tarraconenſem prouinciam valdè popularent, Gothi Duce Theudiſclo obicibus Hiſpaniæ interclusis Francorum exercitum multâ cum admiratione victoriæ proſtraue-

runt. Dux idem prece atque ingenti pecuniâ ſibi obiectâ vicem fugæ hoſtibus reſiduis vnius diei noctíſque ſpatio præbuit. Cætera infelicium turba, cui tranſitus collati temporis non occurrit, Gothorum petempta gladio concidit. Poſt tam felicem ſucceſſum victoriæ tranſuectum inconſultè Gothi geſſerunt. Denique dum aduerſum milites, qui Sepram oppidum pulſis Gothis inuaſerant, Oceani freta tranſiſſent, idémque caſtrum magnâ vi certaminis expugnaſſent, adueniente die Dominico depoſuerunt arma, ne diem ſacrum prælio funeſtarent. Hac igitur occaſione reperta, milites repentino incurſu adgreſſum exercitum mari vndique terráque concluſum adeò proſtrauerunt, vt ne vnus quidem ſupereſſet, qui tantæ cladis exitium præteriret. Nec mora præuenit mors deinde Principem. Vulneratur enim à quodam in palatio, qui jamdudum dementis ſpeciem, vt Regem deciperet, ſimulauerat. Finxit enim arte inſaniam, perfodítque Principem: quo vulnere ille proſtratus occubuit, indignantémque animam exhalauit. Fertur autem inter effuſionem ſanguinis conjuraſſe *homines ſuos*, ne quis interficeret percuſſorem, dicens, congruam militis recepiſſe viciſſitudinem, quod & ipſe priuatus Ducem ſuum ſollicitatum occiderat.

Æra quingenteſima octuageſima ſexta, anno Imperij Iuſtiniani vigeſimotertio, interempto Teudi, Teudiſclus Gothis præficitur regnans anno vno, *menſibus ſeptem*. Qui dum plurimorum potentum connubia proſtitutione publicâ macularet, & ob hoc inſtrueret animum ad necem multorum, præuentus, pati conjuratorum manu inter epulas iugulatur, confoſſiíſque extinguitur.

Æra quingenteſima octuageſima ſeptimâ, anno Imperij Iuſtiniani vigeſimo quarto, extincto Teudiſclo, Agila Rex conſtituitur regnans annis quinque. Iſte aduerſus Cordubenſem vrbem prœlio mouens, dum in contemptu Catbolicæ religionis beatiſſimi Martyris Sacircli iniuriam inferret, hoſtiúmque ac iumentorum horrore ſacrum ſepulchri eius locum vt profanator pollueret, inito aduerſus Cordubenſes certamine pœnas dignas Sanctis inferentibus meruit. Nam belli præſentis vltione percuſſus, & filium ibi cum copiâ exercitus interfectum amiſit, & Theſaurum omnem cum inſignibus opibus perdidit, ipſe victus ac miſerabili metu fugatus Emeritam ſe recepit. Aduerſus quem interjecto aliquanto temporis ſpatio Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripiens, dum exercitum eius contra ſe Hiſpalim miſſum virtute militari proſtraſſet, videntes Gothi proprio ſe euerti excidio, & magis metuentes, ne Spaniam milites auxilij occaſione inuaderent, Agilanem Emeritæ interficiunt, & Athanagildi ſe regimini tradiderunt.

Æra quingenteſima nonageſima ſecunda, anno Imperij Iuſtiniani viceſimo nono, occiſo Agilane, Athanagildus regnum, quod inuaſerat, tenuit annis quatuordecim. Hic cùm iamdudum ſumptâ tyrannide Agilanem regno priuare conaretur, militum ſibi auxilia ab Imperatore Iuſtiniano popoſcerat, quos poſtea ſubmouere à finibus regni molitus non potuit: aduerſus quos huc vſque conflictum eſt frequentibus antea prælijs cæſi: nunc verò multis caſibus fracti ac finiri. Fidem Catholicam occultè tenuit. Deceſſit autem Athanagildus propriâ morte Toleti, vacante regno menſibus quinque.

Æra ſexcenteſima quinta, anno * Imperij Iuſtini minoris, poſt Athanagildum * primo.
Liuua Narbone Gothis præficitur regnans annis tribus. Qui ſecundo anno poſtquam adeptus eſt principatum Leuuigildum fratrem ſuum, non ſolùm ſucceſſorem, ſed & participem regni ſibi conſtituit, Spaniæque adminiſtratione præfecit; ipſe Galliæ regno contentus: ſicque regnum duos capit, cùm nulla poteſtas patiens conſortis ſit. Huic autem vnus tantùm annus in ordine temporum reputatur, reliqui Leuuigildo fratri adnumerantur.

Æra ſexcenteſima ſeptimâ, anno * Imperij Iuſtini minoris Leuuigildus adep- * tertio.
to Hiſpaniæ principatu, ampliare regnum bello & augere ſtatuit. Studio quippe exercitum concordantem fauore victoriarum multa præda reſortitus eſt. Cantabros namque iſte obtinuit, Aregiam iſte cepit, Sabaria omnis ab eo deuicta eſt. Ceſſerunt etiam armis illis plurimæ rebelles Spaniæ vrbes. Fudit quoque diuerſo prælio militem, & quædam caſtra ab eis occupata dimicando recepit. Ermenigildum deinde filium impetijs ſuis tyrannizantem obſeſſum exſuperauit. Poſtremò bellum Sueuis intulit, regnúmque eorum in iura gentis ſuæ mirâ cele-

ritate tranſmiſit. Spaniâ magnâ ex parte potitus: nam antea gens Gothorum anguſtis finibus arctabatur. Sed offuſcauit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique perfidiæ furore repletus in Catholicos perſecutione commota plurimos Epiſcoporum exilio relegauit, Eccleſiarum reddıtus & priuılegia tulit, multos quoque terroribus in Arianam peſtilentiam impulit, pleroſque ſine perſecutione illectos auro rebúſque decepit. Auſus quoque inter cætera hæreſeos ſuæ contagia etiam rebaptizare Catholicos, & non ſolum ex plebe, ſed etiam ex Sacerdotalis ordinis dignitate, ſic vt Vincentium CæſarAuguſtanum de Epiſcopo Apoſtatam faceret, & tanquam de cælo in infernum proijceret. Extitit autem & quibuſdam ſuorum pernicioſus, nam quoſcumque nobiliſſimos ac potentiſſimos vidit, aut capite truncauit, aut proſcriptos in exilium egit. Fiſcum quoque primus iſte locupletauit, primúſque ærarium de rapinis hoſtiúmque manubijs auxit, *primúſque inter ſuos regali veſte opertus ſolio reſedit. Nam ante eum & habitus & conſeſſus communis vt genti, ita & Regibus erat.* Condidit autem ciuitatem in Celtiberiâ, quam ex nomine filij ſui Recapolim nominauit. In legibus quoque ea, quæ ab Eutico inconditè conſtituta videbantur, correxit, plurimas leges prætermiſſas adijciens, pleraſque ſuperfluas auferens. Regnauit autem annis decem & octo, defunctus propriâ morte Toleti.

* *quarto.* Æra ſexcenteſima vigeſima quarta, anno * tertio Impèrij Mauricij Leuuigildo defuncto, filius eius Recaredus regno eſt coronatus, cultu præditus religionis & paternis moribus longè diſſimilis. Namque ille irreligioſus & bello promptiſſimus: hic fide pius, & pace præclarus. Ille armorum artibus gentem imperio dilatans; hic glorioſus eandem gentem Fidei tropheo ſublimans. In ipſis enim regni ſui exordijs Catholicam Fidem adeptus totius Gothicæ gentis populos inoliti erroris labe detersâ ad rectæ fidei cultum reuocat. Synodum deinde Epiſcoporum ad condemnationem Arianæ hæreſis ex Spaniæ & Galliæ prouincijs congregat, cuius conſilio idem religioſiſſimus Princeps interfuit, geſtáque eius præſentia ſua & ſubſcriptione firmauit, abdicans cum omnibus ſuis perfidiam quam huc vſque Gothorum populus Ario docente didicerat, & prædicans trium perſonarum vnitatem, Deum Filium à Patre conſubſtantialiter genitum eſſe, Spiritum Sanctum inſeparabiliter à Patre Filióque procedere & eſſe amborum vnum ſpiritum, vnde & vnum ſunt. Egit exinde glorioſè bellum aduerſus infeſtas gentes fidei ſuſceptæ auxilio. Francis enim ſexaginta ferè millium armatorum Gallias irruentibus, miſſo Claudio Duce aduerſus eos glorioſè triumphauit. Et certè nulla vnquam in Hiſpanijs Gothorum victoria vel major, vel ſimilis extitit. Proſtrati ſunt enim & capti multa millia hoſtium: reſidua exercitus pars præter ſpem in fugam verſa Gothis poſt tergum inſequentibus vſque in regni ſui finibus cæſa eſt. Sæpe etiam & lacertos contra Romanas inſolentias & irruptiones Vaſconum mouit, vbi non magis bella tractaſſe quàm potiùs gentem quaſi in palæſtræ ludo pro vſu vtilitatis videtur exercuiſſe. Prouincias autem, quas pater prælio conquiſiuit, iſte pace conſeruauit, æquitate diſpoſuit, moderamine rexit: *Multi quoque aduerſus eum tyrannidem aſſumere cupientes, detecti ſunt, ſuæque machinationis conſilium implere non potuerunt.* Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantámque in vultu gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem geſſit, vt in omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum amoribus ſui attraheret, adeò liberalis, vt opes priuatorum & Eccleſiarum prædia, quæ paterna labes fiſco adſociauerat, iuri proprio reſtauraret: adeò clemens, vt populi tributa ſæpe indulgentiæ largitione laxaret. Multos etiam ditauit rebus, plurimos ſublimauit honoribus: opes ſuas in miſeris, theſauros ſuos in egenis recondens: ſciens ad hoc illi fuiſſe collatum regnum, vt eo ſalubriter frueretur. Bonis initijs bonum finem adeptus. Fidem enim rectæ gloriæ, quam initio regni percepit, nouiſſimè publicâ confeſſione pœnitentiæ cumulauit, & fine pacifico tranſit, *quintodecimo anno Toleti.*

* *xıx.* Æra ſexcenteſima triceſima nona, anno Imperij Mauritij ſeptimo * decimo, poſt Reccaredum Regem regnat Liuba filius eius annis duobus: ignobili quidem matre progenitus, ſed virtute & indole inſignitus, quem in primo flore adoleſcentiæ Witteticus ſumptâ tyrannide innocuum regno dejecit, præciſáque dextra occidit anno ætatis vigeſimo ſecundo.

Æra ſexcenteſima quadrageſima prima, anno Imperij Mauritij vigeſimo, extincto Liuuane Wittericus regnum, quod viuente illo inuaſerat, vindicat annis ſeptem. Vir quidem ſtrenuus in armorum arte, ſed tamen expers victoriæ. Namque aduerſus militem Romanum prælium ſæpe molitus nihil ſatis gloriæ geſſit, præter quod milites quoſdam Sagontiæ per Duces obtinuit. Hic in vitâ plurima illicita fecit, in morte autem, quia gladio operatus fuerat, gladio perijt. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit: inter epulas enim prandij coniuratione quorundam eſt interfectus, corpus eius viliter exportatum eſt atque ſepultum.

Æra ſexcenteſima quadrageſima octaua, anno Imperij Focatis ſexto, * Gundemarus poſt Vvittericum regnat annis duobus. Hic Vaſcones vna expeditione vaſtauit: alia militem Romanum obſedit: morte propria Toleti deceſſit. * vitt.

Æra ſexcenteſima quinquageſimâ, anno Imperij Heraclij ſecundo, Siſebutus poſt Gundemarum Regali faſtigio euocatur, regnans annos octo, menſibus ſex. Qui initio regni Iudæos ad Fidem Chriſtianam promouens æmulationem quidem habuit, ſed non ſecundùm ſcientiam. Poteſtate enim compulit, quos prouocare Fidei ratione oportuit. Sed ſicut ſcriptum eſt, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus adnuntiatur, in hoc gaudeo & gaudebo. Fuit autem eloquio nitidus, ſententia doctus, ſcientia litterarum ex parte imbutus; in bellicis quoque documentis ac victorijs clarus. Aſtures enim rebellantes, miſſo exercitu in ditionem ſuam reduxit *per Ducem ſuum Richilanem*: Rocceones montibus arduis vndique conſeptos per Duces reuicit. De Romanis quoque præſens bis feliciter triumphauit, & quaſdam eorum vrbes pugnando ſibi ſubiecit, adeò poſt victoriam clemens, vt multos ab exercitu ſuo hoſtili prædâ in ſeruiturem redactos pretio dato abſolueret, eiúſque Theſaurus redemptio eſſet captiuorum. Hunc alij proprio morbo, alij immoderato medicamenti hauſtu aſſerunt interfectum, relicto Reccaredo filio paruulo, qui poſt patris obitum Princeps paucorum dierum morte interueniente abijt.

Æra ſexenteſima quinquageſima nona, anno Imperij Heraclij decimo, glorioſiſſimus Suinthila gratia diuina regni ſuſcepit ſceptra. Iſte ſub Rege Siſeburo Ducis nactus officium Romana caſtra perdomuit, Roccones ſuperauit. Poſtquàm verò apicem faſtigij Regalis conſcendit, vrbes reſiduas, quas in Hiſpanijs Romana manus agebat, prælio conſerto obtinuit, auctámque triumphi gloriam & præ cæteris Regibus felicitatem mirabilem reportauit, totius Spaniæ infra Oceani fretum Monarchiam regni primus idem potitus, quod nulli retro Principum eſt collatum. Auxit & eo prælio virtutis eius titulum duorum Præfectorum obtentus, quorum alterum prudentia ſuum fecit; alterum virtute ſibi ſubiecit. Habuit quoque & initio Regni expeditionem contra incurſus Vaſconum Tarraconẽſem prouinciam infeſtantium, vbi adeò montiuagi populi terrore aduentus eius perculſi ſunt, vt confeſtim quaſi debita iura noſcentes remiſiſſent, licet expeditis ad precem manibus ſupplices ei colla ſubmitterent, obſides darent, Ologicus ciuitatem Gothorum ſtipendijs ſuis & laboribus conderent, pollicentes eius regno ditionique parere, & quidquid imperaretur efficere. Præter has militaris gloriæ laudes plurimæ in eo Regiæ maieſtatis virtutes, fides, prudentia, induſtria, in iudicijs examinatio, ſtrenua in regendo regno cura, præcipua circa omnes munificentia, largus erga indigentes & inopes, miſericordia ſatis promptus erat, vt non ſolùm Princeps populorum, ſed etiam pater pauperum vocari ſit dignus.

Huius filius Riccimirus in conſortium regni adſumptus pari cum patre ſolio collætatur: in cuius infantia ita ſacræ indolis ſplendor emicat, vt in eo & meritis & vultu paternarum virtutum effigies prænotetur, pro quo otandus eſt cæli atque humani generis rector, vt ſicut extat conſenſu patrio *ſupra* ſocios, ita poſt longæuum parentis imperium ſit & regni acceſſione digniſſimus.

Comparatis igitur Gothorum Regum temporibus ab exordio Athanarici Regis vſque ad quintum glorioſiſſimi Suinthilani Principis annum regnum Gothorum per annos ducentos quinquaginta ſex, Domino fauente, reperitur eſſe porrectum. *In editis nulla facta Suinthilæ eiuſque filij Riccimiri mentione hæc clauſula habetur*: Hi ſunt anni Gothorum Regum ab exordio Athanarici Regis vſque ad iſtum Siſebutum anni ducenti quinquaginta vnus æra DCLXVI. *Sequitur in noſtro eodem codice MS.*

CAPITVLATIO, Gothi de Magog Iaphet filio orti, & eum Scytbis vnâ probantur origine ſati, vnde nec longè à vocabulo diſcrepant, demutatâ enim ac detractâ Litetâ Getæ quaſi Scythæ ſunt nuncupati. Hi igitut Occidentis glacialia iuga inhabitantes quæque ſunt ardua montium eum cæteris gentibus poſſidebant: quibus ſedibus impetu gentis Hunnorum pulſi Danubium tranſeuntes Romanis ſe dederant : ſed dum iniurias eotum non ſuſtinerent, indignati arma ſumunt, Thraciam irruunt, Italiam vaſtant, obſeſſam vrbem capiunt, Gallias aggrediuntur, patefactiſque Pytenæis montibus Spanias vſque perueniunt, ibique ſedem vitæ atque imperium locauerunt. Populi natura pernices, ingenio alactes, conſcientiæ iutibus freti, tobote corpotis validi, ſtaturæ procetitate atdui, geſtu habitúque conſpicui, manu ptompti, duri vulneribus, iuxta quod ait Poëta de ipſis.

Mortem contemnunt laudato vulnere Getæ,

Quibus tanta extitit magnitudo bellorum, & tam excelleos glotioſæ victoriæ vittus, vt Roma ipſa victrix omnium populorum ſubacta captiuitatis iugo Geticis triumphis accederet, & domina cunctarum gentium illis vt famula deſeruiret.

Hos Europæ omnes tremuere gentes, Alpium eeſſere obices, Vandalica & ipſa crebto opinata barbaries non tantùm ptæſentia eorum extetrita, quàm opinione fugata eſt. Gotbotum vigore Alani extincti ſunt, Sueui quoque hactenus intra inacceſſos Spaoiarum angulos coarctati etiam nunc eotum armis periculum finis experti ſunt : & tegno, quod deſidioſo torpote tenuerant, turpiori nunc diſpendio caruerunt : quamquam tenuiſſe hucuſque valdè mirum ſit, quo ſine experimento defenſionis carere potuerunt. Sed quis poterit tantam Geticæ gentis dicete virium magnitudinem? Quandoque dum multis gentibus vix ptecum cauſam & munerum tegna reliquerit. His tamen libertas magis de congreſſione quàm de petita conrigit pace; Atque vbi ſeſe neceſſitas bellandi oppoſuit, vires eos potius adhibuiſſe quàm pteces. Portò in armorum artibus ſatis ſpectabiles ſunt, & non ſolùm haſtis, ſed & iaculis equitando confligunt; nec equeſtri tantùm prœlio, ſed & pedeſtri incedunt. Veruntamen magis equitum præpeti curſu coofidunt : vnde & Poëta : Getes, inquit, quod pergit equo. Exercere enim ſe ſe telis ac ptælijs ptæludere maximè diligunt, ludotum certamina vſu quotidiano gerunt : ac ſolâ tantùm armorum experientiâ huc vſque carebant, quod claſſica bella in mari gerere non ſtudebant. Sed poſtquam Siſebutus Princeps regni ſumpſit ſceptra, ad tantæ fælicitatis vittutem prouecti ſunt, vt non ſolum terras, ſed etiam ipſa maria ſuis armis adeant, ſubactique ſeruiant illis Romani milites, quibus ſeruire tot gentes & ipſa Spania vidit.

INCIPIT VVANDALORVM HISTORIA
S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi.

ÆRA quadringenteſima quarta, ante biennium irruptionis Romanæ Vtbis, excitatæ per Stiliconem gentes Alanotum, Sueuorum, & Wandalorum, transiecto Rheno Gallias irruunt, Franeos ptoterunt, directóque impetu ad Pyrenæos vſque perueniunt : cuius obice pet Didymum & Verunianum Romanos nobiliſſimos ac potentiſſimos fratres ab Spaniâ tribus annis repulſi pet circumjacentes Galliæ ptouincias vagabantur : ſed poſtquam ijdem fratres, qui priuato ptæſidio Pyrenæi clauſtra tuebantur ob ſuſpicionem tyrannidis inſontes & nulla culpa obnoxij à Conſtantio Cæſate interfecti ſunt, memoratæ gentes Spaniarum prouincias irrumpunt.

Æra quadringenteſima quadrageſima ſexta, Vandali, Alani, & Sueui Spanias oceupantes, neces vaſtationéſque ctuentis diſcutſibus faciunt, vrbes incendunt, ſubſtantiam direptam exhauriunt, ita vt humanæ caroes vi famis deuorarentur à populis : edebant filios ſuos matres, beſtiæ quoqoe motientium gladio fame ae peſte cadaueribus adſuetæ, etiam in viuotum efferebantur interitum : atque ita quatuor plagis pet omnem Spaniam ſæuientibus Diuinæ iracundiæ pet Prophetas inſetipta olim prænunciatio adimpletur.

Æra quadringenteſima quadrageſima nona, poſt plagarum diram perniciem, quibus Spania cæſa eſt: tandem barbari ad pacem ineundam Domino miſerante conuerſi, ſorte in poſſeſſionem ſibi eius prouincias diuidunt: Galliciam enim Sueui occupant, Alani Luſitaniam & Carthaginenſem prouincias, Wandali autem cognomine Silingi Bæticam ſortiuntur. Spani autem per ciuitates & caſtella reſidua plagis afflicti barbarorum dominantium ſe ſeruituti ſubijciunt.

Primus autem in Spaniâ Gundericus Rex Wandalorum ſucceſſit regnans in Galliciæ partibus annis decem & octo. Qui dum rupto fœdere pacis Sueuorum, Balearicas Tarraconenſis prouinciæ Inſulas deprædatur, deinde Carthagine Spartatiâ verſâ cum omnibus Vvandalis ad Bæticam tranſit, Spalim deſtruit factâque cæde in direptionem mittit. Qui cùm auctoritatem Regiæ poteſtatis ipſius *in Eccleſiam ciuitatis* extendiſſet, mox Dei iudicio in foribus templi dæmonio correptus interijt.

Æra quadringenteſima ſexageſima ſeptimâ, Geſſericus frater Gunderico ſuccedit in regno annis quadraginta. Qui ex Catholico effectus apoſtata in Arianam primus fertur tranſiſſe perfidiam. Hic de Bæticæ prouinciæ littore cum Vvandalis omnibus eorúmque familijs ad Mauritaniam & Africam trajecit. Imperator non valens ſubſiſtere pacem mittit, & partem Africæ, quam Vvandali poſſederant, tanquam pacifico dedit, conditionibus ab eo ſacramenti acceptis, ne quid vltra inuaderet. Ille autem de cuius amicitia iam nihil ambigebatur, violata ſacramenti religione, Carthaginem dolo pacis inuadit, omnéſque opes eius excrutiatis diuerſo tormentorum genere ciuibus in ius proprium vertit. Deinde Siciliam deprædatur, Panormum obſidet, Arianam perfidiam per totam Africam intromittit, Sacerdotes Eccleſiæ pellit, Martyres plurimos efficit, & iuxta prophetiam Danielis demutatis myſterijs Sanctorum Eccleſias Chriſti hoſtibus tradidit: nec iam Domini cultus loca, ſed ſuorum eſſe habitacula iuſſit. Aduerſus quem Theodoſius minor Orientis Imperator bellum parauit: quod ad effectum non venit. Hunnis enim Thracias Illyricúmque vaſtantibus, exercitus ad Vvandalos miſſus ad defendendos Thraces Illyrianóſque à Siciliâ reuocatur. Majorianus autem Imperator de Italia Spanias veniens, cùm in Carthaginenſi prouincia aliquantas naues ſibi ad tranſitum aduerſus Vvandalos præparaſſet, eas de littore Carthaginenſi commoniti Vvandali per proditores atripiunt: ſicque Majorianus à ſua intentione fruſtratus in Italiam reuertitur, atque à Ricimere fraude circumuentus occiditur. Quo comperto Geſſericus non contentus ſolis Africæ vaſtationibus, nauibus aduectus Romam ingreditur, direptiſque per quatuordecim dies opibus Romanorum relictam Valentiniani, & filias eius, cum multis millibus captiuorum ſecum tulit, mox Carthaginem redijt, & per Legatos ab Imperatore poſtulatâ pace Valentiniani relictam Conſtantinopolim remittit, quarum vnam ex filiabus ſuis filio ſuo Hunerico iure matrimonij copulauit: ſicque poſt multarum prouinciarum clades Chriſtianorúmque ſpolia atque neces, moritur regni ſui anno quadrageſimo.

Æra quingenteſima prima, Poſt Geſſericum Hunericus * Gunderici filius regnat annis ſeptem, menſes quinque, habens in conjugio Valentiniani filiam, quam pater eius ex Româ cum matre captiuam abduxerat: qui & ipſe Ariano ſuſcitatus furore Catholicos per totam Africam atrocior patre perſequitur, Eccleſias tollit, Sacerdotes & ſacri ordinis Clericos exilio mittit: Monachos quoque atque Laïcos quatuor circiter millia exilijs durioribus relegauit, Martyres fecit, Confeſſoribus linguas abſcidit, qui linguis abſciſſis perfectè vſque ad finem locuti ſunt. Tunc Lætus Neptenſis ciuitatis Epiſcopus, quem contagij labes Ariani veneni maculare non potuit, victor repente cælos obtinuit. Hunericus autem inter innumerabiles ſuarum impietatum ſtrages, quas in Catholicos exercuerat, octauo regni ſui anno, vt Arius pater eius, interioribus multis effuſis miſerabiliter vitam finiuit. * ita MS.

Æra quingenteſima qnartadecimâ, Hunerico ſuccedit Guntamundus, regnans annis duodecim, qui ſtatim Eccleſiæ pacem reformans Catholicos ab exilio reuocauit.

Æra quingenteſima vigeſima ſexta, Guntamundo mortuo, Tranſemundus regnat annis viginti ſeptem, menſibus quatuor. Iſte Arianâ inſaniâ plenus, Ca-

tholicos inſectatur, Eccleſias claudit, Sardiniam exilio ex omni Africana Eccleſia centum viginti Epiſcopos mittit. Carthaginenſis Epiſcopus in noſtro dogmate claruit. *Apud Carthaginem moritur.*

Æra quingenteſima quinquageſima tertia, poſt Tranſammundum Hilderis Hunnerici filius, ex Valentini Imperaroris filia genitus, regnat annos ſeptem, menſes rres. Iſte Sacramento à deceſſore Tranſamundo obſtrictus, ne Catholicis in regno ſuo Eccleſias aperiret, *aut priuilegia reſtitueret. Qui priuſquam regnaret, ne religionem Sacramenti violaret, præcepit Sacerdotes Catholicos ab exilio reduci & Eccleſias aperiri.* Quem Gilimer aſſumptâ tyrannide, regno priuat, & cum filijs carceris cuſtodiæ mancipat.

Æra quingenteſima ſexageſima, Gilimer regnum cum tyrannide ſumit, multos nobilium Africæ prouinciæ crudeliter extinguens, *& multorum ſubſtantias* auferens. Aduerſus quem Iuſtinianus Imperator incitatione Læti Epiſcopi, qui ab Hunerico Vvandalorum Rege Martyr fuerat factus, exercitum cùm Beliſario Magiſtro militum Duce mittit; initóque idem Beliſarius prœlio Gunthimetum & Gebarnundum Regis fratres primo prœlio ſuperatos interficit. Deinde ipſum Gilimetum in fugam vertit, Africam capit nonageſimo ſeptimo Vvandalorum ingreſſionis anno. In ipſo autem Beliſarij occurſu, priuſquàm congreſſus fieret, Gilimer tyrannus Hildericum Regem cum quibuſdam generis eius ac affinibus occidit. Beliſarius autem Gilimerum tyrannum capit, eúmque cum diuitijs ex rapinis prouinciarum Africæ conquiſitis Conſtantinopolim Iuſtiniano Imperatori ducit: ſicque regnum Vvandalorum cum populo ſuo atque ſtripe deletur, Æra quingenteſima ſexageſima tertia, quod permanſit centum tredecim annis à Gunderico Rege, vſque ad Gilimeri interitum. Explicit Hiſtoria Vvandalorum.

INCIPIT SVEVORVM HISTORIA
A S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo ſcripta.

ÆRA quadringenteſima quadrageſima ſexta, Sueui Principe Hermerico cum Alanis & Vvandalis ſimul Spanias ingreſſi ſunt, atque omnem Galliciam cum Vvandalis occupant. Vvandalis autem in Africam tranſeuntibus Galliciam ſoli Sueui ſortiti ſunt, quibus præfuit in Spanijs Hermericus annis triginta duobus. Galliæ autem in parte prouinciæ regno ſuo vtebantur, quos Hermericus aſſidua vaſtatione deprædans, tandem morbo oppreſſus pacem eis fecit. Reccilanem filium ſuum in regnum ſubſtituit. Qui cum magna parte exercitus miſſus Andebotum Romanæ militiæ Ducem cum multis copijs ad Singilium Bæticæ prouinciæ fluuium, inito bello proſtrauit, magnis eius auri argentique copijs occupatis. Inde Emeritam obſeſſam ingreditur atque obtentam proprio regno aſſociat. Hermericus autem pater eius per annos ſeptem diuturno languore affectus interit.

Æra quadringenteſima ſeptuageſimâ, Hermerico defuncto, Rechila filius eius regnat annis octo, qui poſt obitum patris Spali obtentâ Bæticam & Carthaginenſem prouincias in ſuam poteſtatem redigit, atque inde Emeritæ ſub cultu, vt fertur, gentilitatis vitam finiuit.

Æra quadringenteſima octuageſima ſexta, Rectiarius Rechilæ filius Catholicus factus ſuccedit in regnum annis nouem. Hic accepta in conjugio Theoderici Regis Gothorum filia, initia regni auſpicatus Vaſconias deprædatur. Mox ad Theodericum ſocerum ſuum profectus Cæſar-auguſtanani regionem remeans Gothis auxiliantibus vaſtat, Tarraconenſem prouinciam quæ Romano Imperio deſeruiebat, inuadit, *irruptáque per dolum Ilerdenſi vrbe egit ibi magnam captiuitatem*, Carthaginenſes regiones, quas Rechila pater eius Romanis reddiderat, in prædam mittit. Ad vltimum dum Theodericus Rex Gothorum Spaniam ingreditur, inito prœlio aduerſus eum primò fugatur, deinde captus occiditur.

Æra quadringenteſima nonageſima quinta, extincto Rectiario, Sueui, qui remanſerant in extremâ parte Galliciæ, Maldram Aſſilæ filium ſibi Regem conſtituunt.

ſtituunt. Mox bifariè diuiſi, altera pats Frantanem, altera pars Maldram Regem appellant. Nec mora Franrane mortuo, Sueui cum Maldrâ pace initâ pariter Luſitaniam deprædantur.

Æra quadringenteſima nonageſima octaua, Maldrâ interfecto, inter Frumarium & Remiſmundum oritur de regni poteſtate diſſenſio; ſed Frumarins cum manu Sueuorum, quam habebat, Flauienſis vrbis conuentum graui euerrit excidio: Remiſmundus autem vicina ſibi parirer Arigenſium & Lucenſis conuentus maritima populatus eſt.

Æra quingenteſima ſecunda, Frumario mortuo, Remiſmundus omnibus Sueuis in ditionem ſuam regali iure vocaris pacem cum Gallecis reformar, legatos fœderis ad Theodoricum Regem Gothorum mitrir, à quo eriam per legaros, & arma & conjugem, quam haberet, accepir. Inde ad Luſitaniam tranſit, Conimbricam pace deceptam diripit. Olyſipona quoque ab eo occuparur ciue ſuo, qui illis præerat, tradente Luſidio. Huius tempore Ajax natione Galata effectus apoſtata Arianus inrer Sueuos regis ſui auxilio hoſtis Carholicæ Fidei & Diuinæ Trinitaris emerſit. De Gallicana Gothorum regione hoc peſtiferum virus afferens, & roram gentem Sueuorum lethali tabe inficiens.

Multis deinde Sueuotum Regibus in Arianâ hæreſi permanentibus, tandem Regiam poteſtarem Theodemirus ſuſcepit: qui confeſtim Arianæ impietaris errore deſtructo, Sueuos Carholicæ fidei reddidit, annirenre Martino Monaſterij Dumienſis Epiſcopo fide & ſcientia claro. Cuius ſtudio & pax Eccleſiæ ampliara eſt, & mulra in Eccleſiaſticis diſciplinis Gallicíæ regionibus inſtituta.

Poſt Theodemirum Miro Sueuorum Princeps efficirur, regnans annis tredecim. Hic bellum ſecundo regni anno contra Romanos Roceones inrulit, deinde in auxilium Leuuigildi Gothorum Regis aduerſus rebellem filium ad expugnandam *Spalim* venir, & viræ terminum clauſit.

Succedir huic Euboricus filius in regnum: quem adoleſcentem Audica ſumpta tyrannide regno priuar, & Monachum factum in Monaſterio damnat. Pro quo non diu dilara eſt ſenrentia. Nam Leuuigildus Gorhorum Rex Sueuis mox bellum inferens, obtenro eodem regno Audicam deijcir, arque detonſum, poſt regni honorem, presbyteri officio mancipauit. Sic enim oportuit, vt quod & ipſe Regi ſuo fecerat, rurſus idem congruenti viciſſitudine pateretur. Regnum aurem Sueuorum delerum in Gothos transfertur, quod permanſiſſe centum ſeptuaginra annis ſcribirur. Explicit Hiſtoria Sueuorum.

Quæ ſequitur in eodem Codice membranaceo Collegij Claromontani Pariſienſis Societatis IESV, *Origo Conſtantini Magni Imperatoris*: Item ex libris Chronicorum: *Excerpta Hiſtorica de Zenone & Anaſtaſio Imperatoribus, ac Theodorico Oſtrogothorum in Italia Rege*, iam pridem fuerunr in lucem edita à viro clariſſimo Henrico Valeſio IC. poſt Ammiani Marcellini Hiſtoriarum libros cum doctiſſimis obſeruationibus publicatos, anno 1636.

CHRONICON
VIRDVNENSE,
A quibuſdam dictum
FLAVINIACENSE,
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
VNDECIMI PRÆSERTIM SÆCVLI,
Theſaurus Incomparabilis.

Auctore HVGONE, primùm Monacho Sancti Vitoni Virdunenſis, tum Abbate Sancti Petri Flauiniacenſis in Burgundiâ.

Ex ipſo Auctoris Autographo MS. quod ſeruatur in Bibliothecâ Collegij Claromontani Pariſienſis Soc. IESV, nunc primùm prodit.

PARS PRIMA.
AB ANNO PRIMO ÆRÆ CHRISTI AD MILLESIMVM SECVNDVM.

Secluſis conſultò quamplurimis inutilibus & vulgaribus Lacinijs, quas nemo cordatus merito deſiderabit.

ANNO à mundi conditione quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo octauo, ab vrbe autem conditâ ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, anno ſecundo cycli decemnouennalis, Indictione quartâ, concurrente quinto, Epactâ vndecimâ, Feriâ primâ, Lunâ decimatertiâ, IESVS-CHRISTVS Filius Dei in Bethleem Iudæ naſcitur, anno Cæſaris Auguſti quadrageſimo ſecundo & Herodis Regis Iudæorum trigeſimo primo, Catullo & Quintiliano Conſulibus. *Natalis Christi*

Anno à Chriſti natiuitate tertio, Auguſti quadrageſimo quinto, Herodes trigeſimoquarto regni ſui anno, cùm Chriſti natiuitatem Magorum indicijs cognouiſſet, vniuerſos Bethleem paruulos iuſſit interfici, & ipſe anno ſequenti ſcaturientibus toto corpore vermibus miſerabiliter moritur regni ſui anno trigeſimo ſexto. *Herodes mors.*

Anno ab Inc. Dom. xv. à mundi conditione quinquies milleſimo ducenteſimo

Auguſti obitus. Tiberius Imp. Baptizatur Chriſtus à Ioanne.

decimo tertio, Auguſtus ſeptuageſimo ſexto ætatis ſuæ anno moritur; cui ſuccedens Tiberius regnauit annis viginti duobus. Huius anno xv. factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto & Dominus IESVS trigeſimo ætatis ſuæ anno iam peracto, anno decimoquinto Tiberij baptizatur à Ioanne, ſub altero Herode Iudæorum Rege, octauo Idus Ianuarij, quod fuit ſeptimâ feriâ, indictione tertiâ, Lunâ decimaquintâ, & ipſe (Ioannes) anno ſequente, capite truncatur.

Paſsio Chriſti.

Anno igitur à mundi conditione 5232. ab vrbe conditâ 784. ab Incarnatione Domini 33. ipſe IESVS-CHRISTVS Dei filius, pro ſalute mundi, venit ad paſſionem, anno XVIII. Tiberij Cæſaris, octauo Idus Aprilis, quintâ feriâ, Lunâ decimaquartâ, Gaio Cæſare quater & Iunio Saturnino Conſulibus, anno cycli Decennoualis decimotertio, & typico Paſcha cum Diſcipulis celebrato traditur à ſuo diſcipulo Iudæis in nocte, & circa mane ducitur ad Pilatum, traditur militibus, & flagellis cæſus, ſputis illitus, geſtans purpureum veſtimentum & coronam ſpineam in capite, ducitur ad crucifigendum ſeptimo Kalendas Aprilis, Lunâ decimaquintâ, & ſextâ feriâ aſcendit Crucem pro mundi ſalute. Terræ motus factus eſt in toto mundo, & Solis facta eſt defectio, ita vt etiam ſtellæ viſæ ſint in cælo, ſextâ horâ, in nonâ parte arietis. Reſurrexitâ mortuis quinto Kal. Aprilis, Luna decima ſeptima.

Reſurrectio.

Conuerſio S. Pauli.

Anno Dominicæ Incarnationis XXXIV. ſecundùm Latinos, qui à Ianuario annum incipiunt, cùm pergeret Damaſcum, à Chriſto de cælo vocatus eſt. Secundùm Hebræos autem, quia Martio anni ſumunt initium, eodem anno paſſionis Domini vndecimo menſe VIII. Kalend. Februarij.

Caius Imp.

Anno D. I. XXXIX. Gaius regnauit annis IV. menſ. IX. diebus VIII. His ergo menſibus ſi addamus ſex, qui ſuperfuerunt LVI. anno Octauiani, erunt menſes XVI. Ex quibus quatuor detractis annus integer Romanorum hoc in loco inſerendus videtur.

Pilati mors.

Anno XLIV. Pilatus manu ſua perimitur.

Claudius Imp.

Anno XLV. Claudius regnat annis XIII. menſ. VII. diebus XXVIII. Addamus itaque his octo dies, & erunt triginta ſeptem, id eſt annus & ſex dies, qui his temporibus adnumerandus videtur.

S. Iacobi mors. Herodis mors.

Anno XLVII. Iacobus frater Ioannis decollatur, Petrus in carcerem mittitur. Herodes ab Angelo percutitur. Paulus & Barnabas ſegregantur in prædicationem Euangelij.

Non cohærent quæ de annis SS. Petri & Pauli diſputat.

Anno XLVIII. Paulus & Barnabas aſcenderunt Hieroſolymam, vt ipſe ſcribit ad Galaras: Poſt annos inquit quatuordecim aſcendo Hieroſolymam. Recenſeatur ergo numerus annorum. Scimus Petrum XXV. annis Romæ vrbis Epiſcopalem tenuiſſe carhedram. Sequitur ergo, vt ſecundo anno Claudij eum Romam veniſſe credamus, qui erat à Paſſione Domini decimus quintus, quo anno & Paulus venit. ... poſt annum à Paſſione Domini XIV. & hac ſupputatione inuenimus Paulum eodem anno Paſſionis Domini ad fidem veniſſe. Quatuordecim igitur & viginti quinque, fiunt triginta nouem, qui erat annus à Paſſione Domini, quando Petrus & Paulus paſſi ſunt, quia ſecundo anno Neronis Paulus vinctus miſſus eſt, & vndecim annis Petro conjunctus pro fide decertauit, & duodecimo cum eo paſſus eſt.

S. Stephani mors.

Poſtquam igitur Deus & Dominus noſter IESVS-CHRISTVS hominem quem fecerat morte ſuâ à morte liberauit æterna, & captiuitatem noſtræ carnis, quam reſuſcitarat à mortuis, inuexit cælis, eodem anno pro confeſſione veritatis lapidatus protomartyr Stephanus occubuit, menſe quinto, tertia die menſis, quod eſt quarto Nonas Auguſti, & diſperſa eſt Eccleſia fidelium, quæ erat Hieroſolymis, vt verbum ſalutis, quod miſſum erat Iudæis, & reſpuerant, gentes ſuſciperent. Dum ergo Apoſtoli & ipſorum ſequaces Diſcipuli quaqua poſſunt demigrant, Petrus deſcendit Antiochiam, & per ſeptem annos Antiochenam fundauit & rexit Eccleſiam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ Chriſtiani. Hinc ſecundo anno Claudij, Vinicio Cornelio Aſiatico & Siluano Conſulibus, Romam venit, & qui poſt Chriſtum & per Chriſtum caput eſt corporis Eccleſiæ, Romanis arcibus vexillum intulit prædicationis diuinæ. Ibi fundata Eccleſia Euangelium Chriſti Romanis annunciauit, & prædicando, prædicationémque

S. Petrus Romam venit.

ſignis confirmando vigintiquinque annis ipſius vrbis papatum tenuit. Mirabatur Roma, quod non didicerat, vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate venerati debere : ſed frequenti miraculorum atteſtatione ad vltimum didicit vnicæ Trinitati corda & colla ſubmittere.

Deſtinauerat autem idem primus Paſtor & Apoſtolus Petrus totius occidentis terras vomere verbi proſcindere, ſemina doctrinæ ſulcis mentium credere, vt poſſet manipulos frugum centuplicato fœnore in areâ Domini venientis reconſignare, & eligens viros in fide probatos, potentes in opere & ſermone, patientes in tribulatione, longanimes in ſpe, eruditos in omnibus quæ fecit Dominus IESVS, direxit vrbi Metenſium ſanctum Clementem Romanæ reipublicæ Patricium, ſuum verò diſcipulum, & ſanctum Manſuetum inclyta Scottorum progenie generatum fide & doctrina præcipuum vrbi Tullenſium, Remis etiam dixerit ſanctos Sixtum atque Sinicium, Catalaunis ſanctum Memmium, Treuetis quoque, quæ & Metropolis & vna de Primatibus Galliarum & ei vicinæ Coloniæ ſanctos miſit Eucharium, Valerium atque Maternum. Cum his & alij multi fuerunt, qui Occidentales tenebras veri ſolis clareſcente radio ab eodem Principe Apoſtolorum miſſi diſpulerunt, & nomen Chriſti quod nedum in locis illis ſplenduerat, fide & magnanimitate prædíti populo incredulo prædicauerunt. Ipſe Romæ Verbum Dei docebat, & murum infidelitatis impulſu Euangelij quatiebat, turrémque confuſionis & idololatriæ piæ confeſſionis & credulitatis deijciebat ariete : ibi ſe opponens & continens obicem, vbi violentior hoſtis incubuerat, cuius ſubuertere, Chriſto duce, nitebatur tyrannidem.

S. Petrus mittit prædicatores.
Clemens Met. Manſuetus Tull. Sixtus Rem. Memmius Cat. Eucharius Treu. Valerius. Maternus.

Ad tanti igitur Paſtoris ſolatium, & prædicationis augmentum, Paulus poſt multa viarum, laboris & inediæ pericula vinctus Romam mittitur anno Neronis Cæſaris ſecundo ab Incarnatione Domini LXI. à Paſſione XXVIII. Indictione IV. Siluano & Paulino Conſulibus, non quod Iudæi & Gentiles ita voluerint, ſed quia Chriſtus, vt alter eſſet alteri ſolatio, ita præordinauit & voluit. His tonitrui filijs quis repugnaret ? Quis obſiſteret ? Simon erat ille Magus, qui ſolus veritati repugnare videretur, cui ſe poſt triumphum Apoſtolorum & ſuæ dejectionis & inauditæ ſuperbiæ opprobrium reſpirare licuiſſet, ſola illi ſua vexatio, ne talia vlterius præſumeret, intellectum dediſſet. Sed quia Magus obijt & damnatus in profundo putei abyſſi, vt Nero ſperabat, non reſurrexit, deſtitutum ſe idem Nero videns ſolatio tam fidelis amici, Apoſtolos Domini, hunc crucis ſupplicio, illum damnauit ſententiâ capitali tertio Kalendas Iulij, quintâ feriâ, Lunâ vigeſima tertiâ, ab Incarn. anno LXXII. à Paſſione XXXIX. Veſpaſiano ſepties, & Tito ſexies Conſulibus Olympiade CCXII.

Error in numeris & Coſſ.
Simon Magus.
Mors Apoſt. Petri & Pauli.

Poſt Petrum ab ipſo Petro conſecratus Eccleſiam regendam ſuſcepit Clemens Epiſcopus, vt ipſe Beatus Clemens teſtatur de ſe in Epiſtolâ Iacobo Fratri Domini miſsâ, dicens : Clementem inquit, hunc vobis ordino Epiſcopum, cui ſoli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado qui mihi ab initio vſque ad finem comes in omnibus fuit, ac pro hoc veritatem totius meæ doctrine agnouit.

Clemens Papa.

Quid autem contra hoc ſentiendum ſit, quod ſunt nonnulli ; qui conantur aſtruere poſt Petrum ſuſcepiſſe Linum gubernacula Romanæ Eccleſiæ & Lino Cletum ſucceſſiſſe, videamus : Dicit Ioannes Papa ſcribens vniuerſis Epiſcopis per Galliam & Germaniam : Si Petrus Princeps Apoſtolorum adjutores ſibi adſciuit Linum & Cletum, non tamen poteſtate Pontificij, ligandi vel ſoluendi normam eis tradidit, ſed ſucceſſori ſuo Clementi, qui ſedem Apoſtolicam poſt eum & poteſtatem Pontificalem tradente ſibi Beato Petro tenere promeruit. Linus & Cletus miniſtrabant exteriora, Princeps autem Apoſtolorum Petrus verbo & orationi inſiſtebat. Et poſt pauca : Linum & Cletum nihil vnquam legimus egiſſe ex Pontificali miniſterio poteſtatiuè, ſed quantum eis à Beato Petro præcipiebatur, tantum agebant.

Verba Ioannis Papæ.

Linus igitur natione Italus, regionis Tuſciæ, patre Herculano, ordinatus à Petro ſedit Romæ, Petro ipſo viuente, annis vndecim, menſibus tribus, diebus duodecim. Cletus etiam natione Romanus de regione Vico Patricij, patre Æmiliano, ordinatus à Petro, ipſo viuente ſedit annis duodecim, menſe vno, diebus vndecim. Inter Cletum ergo & Clementem computantur dies viginti.

S. Linus.
S. Cletus.

Suſcepit igitur, vt dictum eſt, Sacerdotale officium Clemens tertius à Petro eo

S. Clemens.

viuente, natione Romanus, de regione Cœliomonte, patre Fauſto: ſedit annos vndecim, menſes duos, dies duos anno Dominicæ Incarn. LXX. Imperij quoque Neronis XI. Veſpaſiano quinquies & Tito quater Conſulibus. Non fuit ex tunc & nunc in omni Romanorum Pontificum catalogo, qui in vitâ ſuâ vigintiquinque annis functus Sacerdotio ipſo annorum numero æquipararetur Pontifici primo. Hic igitur Beatus Pontifex Petri inſtitutus regimine, cui ſemper adhæſerat & eius indiuiduus comes fuerat, poſtquam Simonis Magi deliramenta cognouerat & ſpreuerat, quod magiſter ſuus inceperat, deſtinare ſcilicet orbi occiduo prædicatores veritatis idoneos, quatenus lux prædicationis gentibus ſplenderet, vt perficeret, omnimodis procurabat.

S. Dionyſius Par. Hinc eſt quod ſanctum Dionyſium deſtinauit Galliarum populis, qui prædicando & prædicationi miraculis fidem dando Pariſius, Domino ducente peruenit, ſocios ei quamplures adhibuit, viros in lege diuina exercitatos, genere nobiles, ſermone facundos, fide præcipuos, & gratia Dei plenos.

S. Sanctinus Meld. & Virdun. Ep. Ex his fuit ſanctus Sanctinus Meldenſium & Virdunenſium Paſtor primus, qui egregiæ nobilitatis ortus natalibus, cum præfato Galliarum Apoſtolo, fines petijt Galliæ, futurus lucerna fulgens in Eccleſiâ, quæ non occultaretur modio, ſed luceret omnibus ſuperimpoſita candelabro. Tradidit enim patrum memoria eum vnum fuiſſe de ſeptuaginta duobus Diſcipulis, & in cœnâ deputatum fuiſſe, vtraquam lauandis pedibus & manibus Diſcipulorum præberet, & linteum pararet Saluatori.

Sanctus itaque Dionyſius, vt venit Pariſius per diuerſas partes ſuos direxit ſocios, ad dolos diaboli deſtruendos & populos Domino acquirendos. Sanctinus igitur quia præeminebat prudentiâ & pudicitiâ à Beatiſſimo Dionyſio electus ſummum accepit Sacerdotium, & conſecratus in Epiſcopum diuinitus conſtituitur in lucem populis gentium.

S. Antoninus. Cui etiam ad ſolatium laboris & officij præfatus Dionyſius Antoninum dedit virum ſanctum & bonum, in quo declarauit Dominus ingens beati Sanctini meritum per egregiæ & inſolitæ operationis miraculum, vt patebit in poſterum. Et quia decreuerat Dominus mirificare ſanctum ſuum, dirigitur à Beato Dionyſio

Carnotum. Carnotum, cum præfato ſocio ſuo, ad illuminandum populum, qui ſedebat in tenebris & vmbra mortis, quia ei Sol iuſtitiæ non luxerat, neque ſplenduerat ei lux veritatis. Quo Beatus hic perueniens dolebat populum idololatriæ eſſe deditum, & armatus fide ſanctæ Trinitatis contemnens ſuperuacuam ſectam Principum terræ & minas eorum, prædicabat IESVM turbis incredulorum. Fundebatur prædicatio iuncta virtutibus & præluſtratus gratia diuina feroces gentilium mentes ſalutari miteſcebat doctrinâ. Factúmque eſt cooperante ei diuinâ clementiâ, vt Carnotenſes viam Domini agnoſcerent, & lene iugum Domini ſubjectis voluntatum humeris ferre non detrectarent. Quod Beatus Dionyſius animaduertens, & gratiam virtutis diuinæ collaudans, ipſúmque plurimum in opere

Meldenſis prædicationis valere perpendens, Meldenſium ciuibus paſtorem & doctorem inſtituit. Non quòd iam tunc Meldenſes viam veritatis agnoſcerent, quia omnes tenebantur adſtricti laqueis idololatriæ, ſed vt per fidelem ſeruum ſuum dignaretur illis Dominus aperire portas iuſtitiæ, quas ingreſſi credendo ipſius diuinitatem & humanitatem, confiterentur nomini eius, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Beatus itaque Sanctinus paratus ad omnia pro Saluatoris nomine ſuſtinenda, nec reformidans gentilium furentium minas & verbera, eandem vrbem aggreſſus, quia in Domino erat fiducia eius, inſtabat prædicationibus, rigabat mentes audientium aquis de mente IESV manantibus, & ſic inſtans opportunè, importunè, docebat eos Iouem deſpicere, Saturnum, Mercurium & Neptunum & omnia dæmonum non deorum portenta abijcere, ſtatuas confringere, & quia in eis non aliqua diuinitas, ſed omnis ineſſet falſitas & ludificatio dæmoniacæ doctrinæ, euidenti indicio demonſtrabat. Nec poterant gentes ad hoc quidquam contradicere, cùm nouitati verborum atteſtaretur magnitudo ſignorum; & noua faceret, qui noua prædicaret. Vnde factum eſt, vt & ipſi ſuſciperent verbum Domini, & paſtorem doctorémque ſuum Beatum virum, quem aliquando expoliatione, irriſione, & abjectione dignum iudicauerant, nunc venerarentur & excolerent, ip-

ſius manibus gauderent baptiſmo ablui, & chrlſmate ſancto inungi. Humilia-
batur Gallicus cothurnus ſubſtratus ſancti viri pedibus, & Gallorum ceruicoſitas
diuinæ dudum veritatis ignara ad baptiſmum & confeſſionem nominis Chriſti
humiliata deuotè conuolabat. Deijciebantur aræ dæmonum, & à nouo adoptio-
nis populo Eccleſia ædificatur, & à beato Sanctino in honore Dei conſecratur.

Domitianus tunc Romani Imperij tenebat inſignia, luxuriæ deditus, auaritiâ Domitianus
anxius, opere crudelis, qui majeſtatem imperialem nimia crudelitate polluerat. Imp.
Qui velut leo impaſtus ſanctorum ſanguinem ſitiens, ſecundam poſt Neronem in
Chriſtianos perſecutionem excitauit, & per quindecim annos, quibus indebitè
Romanum imperium tenuit, ita rempublicam attriuit, vt nullus illo crudelior in
omni Romanorum Imperatorum inueniatur numero. Ad comprobandam erga
Deorum culturam ſuam ſacrilegam deuotionem quinto anno regni ſui templum
ſine lignorum ammixtione conſtruxit, quod Pantheon appellauit. Tantâ elatus
eſt ſuperbiâ, vt Deum ſe & dominum appellari iuſſerit. Hic audiens famam Beati
Dionyſij in deſtruendis idolis, & populis ad Chriſtum conuertendis, lictores in S. Dionyſius.
Gallias miſit, qui eum inuentum & comprehenſum aut idolis ſacrificare coge-
rent, aut diuerſis ſupplicijs affectum occiderent. Quos vbi beatus Dionyſius fines
Pariſiorum appropinquare comperit, Sanctinũ & Antoninum ad ſe accerſiri man-
dauit, quibus prædicationis tradens officium, ammonuit vt in fide firmi perſiſte-
rent, & vt quantocyus Romam properantes, à Præſule ſedis Apoſtolicæ coope-
ratores verbi & doctrinæ expeterent, quia in meſſe multa ſationis dominicæ ope-
rarij perpauci eſſent, qui ſemen verbi ſulcis mentium crederent, præſertim cùm
& ipſe iam ad gaudia Domini ſui feſtinaret, & mercedem laboris & oneris à ſuo
Domino ſibi dari præoptaret.

Conſummato igitur per martyrij palmam beato Dionyſio, anno ab Incarnatio-
ne Domini XCVII. à Paſſione autem LXIV. ætatis autem eius anno XC. Imperij
Domitiani Cæſaris ineunte XVI. Sanctinus & Antoninus præceptis Magiſtri
obtemperantes, cùm perſecutionis procellâ detonante prædicando de loco ad lo-
cum cogerentur ſecedere, venerunt in fines Galliæ Belgicæ, & præduce gratiâ
diuinâ, quocumque veniebant, Chriſti loquebantur magnalia. Vrbs erat poſita
in confinio Neuſtriæ & Auſtraſiæ, Virdunum nomine, quam antiqui & etiam Virdunum.
moderni vrbem Clauorum conſueuerunt appellare. Etymologiam autem nomi- Vrbs Clauorum.
nis huius, quod eſt vrbs Clauorum, ipſa nobis, quæ ſola præteritarum rerum ha-
bet ſcientiam, ſignauit antiquitas, quòd ſcilicet ob id ita ſit appellata, quòd la-
pidibus præmaximis ferro plumbóque compactis & conſertis ingenti curâ & ſtu-
dio ſit extructa. Cur autem vocata ſit Verodunum, cùm diutius in ſcripturis quæ-
ſiſſemus, hoc ſolùm nobis occurrere potuit, quòd cum delectum militum per Gal-
lias Iulius ageret, Verolus quidam prædictam vrbem oppugnatam in fœdus re- Verolus.
cepit, à quo & nomen ſumpſit, vt vocaretur Verodunum quaſi Verolidunum,
ſicut & ab Auguſto Edua vocata eſt Auguſtodunum. Poſtea verò o, litterâ mutatâ
in e, dicta eſt Veredunum, vt teſtatur Fortunatus. Moderni verò à viridantibus
pratis, vel quòd, quaſi ſemper vireat, dicunt eam Virdunum, quaſi viride dunum.
Has autem omnes conjectiones Æthicus in Coſmographiâ excludens, in Itine- Æthicus.
rario mundi, vocat eam Virodunum, ob virorum fortium induſtriam longè la-
téque celebratam. Situs vrbis ipſius ipsâ ſui poſitione delectabilis, quàm præter-
fluit Moſa fluuius ipſa ſui fertilitate, & viridantium pratorum gramineâ planitie
iocundus. Gens vrbis ipſius effera, cultui dæmonum dedita, totius veritatis igna-
ra. Nullus ad eam veritatis præco venerat, cùm vrbes in circuitu poſitas diuinus
iam ſplendor irradiaſſet.

Ad hanc ergo vrbem cum ſocio perueniens Beatus Sanctinus, & videns omnes Sanctinus
inhabitantes idololatriæ deditos, & abſque Deo vero humi proſtratos, precaba- Ep.
tur Deum attentiùs, vt populo ſedenti in regione vmbræ mortis lumen oſtenderet
veritatis. O oratio Deo grata & ſpecioſa! ſpecioſa inquam, facta eſt & ſuauis in
conſpectu gloriæ ſummi Dei. Hæc ſubuecta geminis alis dilectionis Dei videlicet
& proximi libero volatu cælos petijt & in conſpectu Saluatoris facta eſt vt thus
miri odoris. An non facta eſt fumus boni odoris, cùm de manu Angeli tenentis
thuribulum aſcendat fumus aromatum, quæ ſunt orationes ſanctorum, & in Apo-
calypſi viginti quatuor ſeniores ſtant in conſpectu throni, tenentes phialas aureas

plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. Sed iam Orationis huius fructum videamus.

Tres columbæ. Iam ab oratione vterque ſurrexerat, cùm ecce vident in vnâ arbore, quæ ramis opaca & altitudine procera, ſed cultibus dæmonum erat profanata, quia videlicet ibi gentiles ruſticani Faunis & Satyris vota ſoluebant, & ſacra celebrabant, tres conſediſſe columbas ſignificantes vtique diuinæ eſſe voluntatis ipſo in loco trinum & vnum Dominum prædicari. De Dei ergo ſiſi miſericordiâ, cuius tanta in futuros adoptionis filios præuidebant beneficia, ipſi intimo cordis affectu multimodas egerunt gratias, & vt in ſeruis ſuis glorificaretur, prece poſcebant humillima.

Eccleſia S. Petri. Locus igitur, in quo ad Dominum præmiſſa fuit oratio, mons erat ſitus ad Septemtrionalem plagam vrbis, qui in ſuo cacumine ex tunc geſtat Eccleſiam Apoſtolorum Petri & Pauli nomine & meritis ab ipſo viro Dei dedicatam. Quæ conſecratio facta eſt anno Incarnati Verbi XCVIII. videlicet XIII. Domitiani Cæſaris anno, Trajano ſepties & Maximo Conſulibus. In quâ etiam atrium benedixit, & cœmeterium Virdunenſis Eccleſiæ eſſe conſtituit, vbi ipſe domnus cum ſucceſſoribus ſuis Præſulibus ſanctis, exceptis his, qui ſibi dicatas Eccleſias corporali illuſtrant præſentiâ, vel qui eas ædificauerunt, aut ædificatas quondam & ſuis temporibus dirutas reparauerunt, ſedem habent requietionis. Quod qualiter de ipſo eius ſacratiſſimo corpore acciderit cùm videlicet proprij laboris in vrbe Meldenſi curſum conſummauerit, ſequens ſermo ſuo in loco declarabit.

Beatus itaque Sanctinus videns populum ciuitatis multum idololatriæ errore cæcatum, præuidens etiam in ſpiritu oſtium magnum & euidens ſibi apertum in Domino, deliberauit cum ſocio aliquantulum remorari in loco ipſo. Non erat hoc tranſgredi præcepta magiſtri; ſi & iſtos lucrifacere, & mandata magiſtri ſui fideliter poſſet adimplere. Ponens ergo ſpem ſuam in Domino, & ſe illi committens, corde contrito & humiliato progreditur ad Populum, replicat IESV-CHRISTI Euangelium. Mirantur in eo vilitatem habitus, dignitatem vultus, ſermonis facundiam, miraculorum efficaciam. Nec tamen poſſunt audire, quòd debeant dæmonum cultus abijcere, figuras Deorum ſuorum aureas, argenteas marmoreas, gypſeas & ligneas confringere, & aras ſubuertere. Quis referat quoties ab ipſis cæſus, quoties injuriatus, quoties ab vrbe ſemi-viuus projectus ſit? Solus hoc nouit inſpector internorum qui quia fuit teſtis pœnarum & laborum factus eſt militis ſui pius remunerator & largitor præmiorum. Augebatur tamen numerus credentium, & de die in diem meritis ſeruorum ſuorum multiplicabatur Eccleſia fidelium, error gentilium deſtruebatur, & fides ſancta vbique docebatur, gratia baptiſmi condonabatur, & in credentes Spiritus Sancti chariſmata multiplicabantur. Felix Eccleſia tanti paſtoris regimine digna; illuſtrabatur enim miraculis atque doctrinis. Omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret. Qui etſi inutiatus eſt dum prædicaret Chriſtum, libenter tolerabat illata ſibi tormenta, opprobria & irriſiones malorum, vt quos perſecutores patiebatur, filios faceret, & domino redderet animas, quas diabolus conabatur auferre.

Cumque iam Domini diſponente clementiâ plures ex his, qui aliquando fuerant vaſa iræ in interitum, fierent vaſa miſericordiæ per baptiſmi ſacramentum, videns Eccleſiam fidelium in eo eſſe, vt proficere iam ipſa per ſemetipſam poſſet, & timens ne ſi aliquanto diutius ibi remoraretur, injunctæ ſibi obedientiæ legatio caſſaretur, confortatis in Domino fratribus, & ſuum reditum maturius promittens affuturum, valedicens eis, & commendans eos Domino, illis eum perſequentibus cum lacrymis, Romam profectus eſt. Et venientes in Italiam, Antoninus validâ febre correptus eſt, in cuius obſequijs beatus Sanctinus per aliquot dies immoratus, conſilio & conſenſu eiuſdem beati Antonini, ne præceptio beati Dionyſij quacumque occaſione impediretur, peragere cœptum iter diſpoſuit. Et ſufficienter exenijs & honeſtis linteis principi domus derelictis petijt, & per dominum obteſtatus eſt, vt ſi Antoninus conualeſceret, exinde illi abundantiſſimè miniſtrarent: ſi verò vitâ decederet, honeſtiſſimè ſepeliretur: & ſic iter, quod cœpit, peragere ſtuduit.

S. Antoninus. Et cùm iam Sanctinus fines Romanorum contigit, Antoninus vitâ deceſſit. Quem Princeps domus retentis omnibus, quæ ſibi commendata in eius obſequijs

quijs fuerant, carabuli ſui, in quo animalia eius iacebant, axes leuauit, & in foſſam vbi ſtercora & vrinæ animalium defluebant, eum proiecit, & deſuper axes remiſit. Quæ omnia beatus Sanctinus cùm iam intraſſet fines Romanorum per Spiritum Sanctum cognouit, & cum magnâ feſtinatione reuerſus ad domum, in quâ Antoninum iacentem dimiſerat, flens & dolens peruenit, & principem domus interrogauit: Vbi eſt, inquiens, Antoninus frater meus cariſſimus. Is autem fictis gemitibus ac ſuſpitijs ſimulata mœſtitiâ: Mortuus eſt, inquit: quem de mihi à te commiſſis honeſtiſſimè ſepeliui. Cui Sanctinus: Mentiris, ait, filj diaboli, in ſterquilinium eum proiecisti virum ſanctum & iuſtum. Et nunc veni mecum ad carabuli locum, in quem proieciſti eum. Is autem timore perculſus, non eſt auſus reniti quin cum eo veniret ad locum, vbi eum proiecerat. Et leuantes inde axes, Sanctinus cum lacrymis voce magnâ clamauit dicens: Antonine frater in nomine Domini Noſtri I. C. pro cuius nomine & amore paſſus eſt glorioſus Martyr Dionyſius, ſurge & perficiamus ſimul obedientiam, quam idem glorioſus paſtor & magiſter noſter communiter nobis præcepit. Et ſtatim Antoninus ſtercore obuolutus ſurrexit. Quem beatus Sanctinus de carabuli foſſâ extraxit, & diligentiſſimè lauit, & mundis ac honeſtis veſtibus induit. Sicque offerentes Domino ſacrificium laudis, cum totâ mentis intentione & lacrymarum compunctione, Euchariſtiâ corporis & ſanguinis Chriſti participati ſunt. Et accipientes cibum confortati ſunt. Et iter cœptum aggredientes Romam auxiliante Domino peruenerunt. Iámque beato Clemente Martyrio coronato in eadem ſede poſt Anacletum quartum à beato Petro Euariſtum Pontificem conſecratum inuenerunt, cui per omnia, ſicut beatus Dionyſius iuſſerat, actus & martyrij eius ordinem narrauerunt.

[illegible] | S. Antonini.

Beatus Sanctinus, dum occupatione itineris & prædicatione Virdunenſis nouellæ plantationis & infirmitate ſocij ſui retardaretur, Euariſtum Papam nono iam anno Pontificantem inuenit, à quo etiam cum debito honore ſuſceptus & loco maximæ venerationis habitus, replicuit laboris aſſumpti cauſam magiſtri ſui beati Dionyſii eſſe obedientiam, in conſummatione curſus eius Gallicanam Eccleſiam magnam pati prædicatorum penuriam, ſe ob hoc miſſos aduenisse, vt verbi miniſtros aliquos mitteret Eccleſiæ. Hæc magiſtrum vltima ſibi dediſſe mandata, vt conſummationis ſuæ Romano Pontifici innoteſceret ordinem, & vt ipſe, cuius erat Eccleſiis prouidere, operarios dirigeret ad excolendam Dominicæ ſationis agriculturam. Vnde cùm beatus Pontifex gratularetur in Domino & ad agenda, quæ petebantur ſe ſupra ſe votis omnibus extenderet, moramque in faciendo pati neſciret, decreuit tamen ſanctum virum aliquandiu ſecum retinere ad conſolationem ſui & recreationem laboris & itineris. At ipſe paucis diebus apud eum remoratus, inter grata mutuæ confabulationis ſolamina, quid etiam per eos diuina egerit gratia, & quomodo nouella Virdunenſis fructificaret Eccleſia, humiliter referebat. Vnde ille Domino ex intimo cordis affectu gratias agens ſocios ei & cooperatores verbi tres viros probatæ auctoritatis dedit, quorum nomina & ſi non habemus in ſcriptis, quia tamen miſſi ſunt, non tacetur. Nouimus tamen beatum Maurum Presbyterum, qui ei ſucceſſit in Pontificatus ordine, ex eorum collegio & numero fuiſſe.

S. Euariſtus. | S. Maurus.

Interea Eccleſia fidelium, quæ erat apud Virdunum, creſcebat & confortabatur, & Doctorem ſuum deuotis & ipſa deuotione ſuſpenſis animis præſtolabatur. Iam ad eos fama de reſuſcitatione defuncti peruenerat, quæ res eos in fide Domini & amore magiſtri vehementiùs accenderat. Pius quoque pater, dum rememoratur ſuſpenſos ad ſuum reditum filiorum animos, Meldenſium ſcilicet & Virdunenſium; ſex enim anni iam pene euoluti erant à paſſione B. Dionyſij, & ſextus ipſe annus fuit Octauus Pontificatus beati Euariſti, benedictione poſtulatâ & acceptâ, Meldim redire deliberat. Ne tamen nouos adoptionis filios quos Chriſto per aquam baptiſmatis Virduni regenerauerat, inuiſitatos præteriret, illò quantociùs iter accelerat, vt relictis, illic ſocijs, quos ab Apoſtolicâ ſede perceperat, ipſe Meldim rediret, & ſuas oues, quibus paſtor & rector inſtitutus fuerat, regeret. Cúmque Virduni aduenisset, à Fratribus deuotè ſuſcipitur, à ciuibus contra ſpem paſtor eligitur, & ne eis præeſſe dedignaretur, magnates quique & vulgus promiſcuū rogant, & impetrant. Gaudet pater de numero centupli-

caro filiorum, lætatur in deuotione ciuium, & quod rogabarut implere non moratur. Præparatur Eccleſia regenerandis nouis fidelium populis, regenerantur plures manibus ſancti Antiſtitis lauacro ſalutari. Deſtruuntur templa dæmonum & delubra, deijciuntur idola, & quia prima non ſufficiebat, noua ædificatur Eccleſia, mirâ ciuium deuotione & induſtriâ: Quâ acceleratâ præparantur dedicationi neceſſaria, & à Beato Pontifice in honore Dei Genitricis & Virginis conſecratur anno Dominicæ Incarnationis centeſimo quarto, quæ erat à Paſſione beati Dionyſii ſeptimus, Gallo & Braduâ Conſulibus, Olympiade ccxx. & mater Eccleſia in quâ ſit ſedes Epiſcopalis conſtituitur.

S. Sanctini obitus. His expletis, plebem monet & diligentius inſtruit documentis ſalutaribus, firmans eos benedictionibus, & ſic Meldim regreditur: vbi prædicationi & ſanctis operibus inſiſtens, cùm cognouiſſet imminere diem vocationis ſuæ, litteras exhortatorias & conſolatorias direxit filijs Virdunenſis Eccleſiæ, in quibus, quia prope eſſet vocatio eius, & quod amplius faciem eius non eſſent viſuri prædixit, & vt Maurum Presbyterum virum in fide Catholicum & doctiſſimum ſibi ſucceſſorem eligerent, monuit & præcepit. Illi primo viſo nuntio cum litteris gaudebant, & conſolabantur ſe mutuò in reſpectu paterno. Vbi verò de Paſtoris reſolutione & ſua deſtitutione facta eſt mentio, fit ſtatim clamor & luctus omnium. Vox erat vna dolentium. Dolebant enim, quia amittebant patrem cariſſimum, paſtorem mitiſſimum, & vi doloris attritâ & depreſſâ acie mentis cogitare vix poterant, quia mors ei via ad patriam, vbi finis laborum & retributio præmiorum æternorum: vnde eis tantò meliùs opitulari & ſubuenire valeret, quantò viciniùs Deo, cui ſeruierat, in quo ſperauerat, quem confeſſus fuerat, depoſito corporis onere adhæreret. Fides quidem flere prohibebat, ſed gemitum extorquebat affectus. Illic ergo poſitus nos humillimos ſeruos ſuos hic orantes exaudiat, Eccleſiam inter mundi turbines fluctuantem ſibi commiſſam ſuo labore ad id, quod eſt, prouectam, regat & protegat, filiorúmque preces & lacrymas Dei patris omnium conſpectui offerat.

Legitur ſanè in antiquioribus eius geſtis, quòd cùm Meldis tedijſſet, Tyrannum increpauerit, qnòd res Eccleſiæ diripuiſſet, & ob id illum irâ præcipiti feruidum, gladio adactum beatum virum vitæ tranſmiſiſſe perpetuæ. Apparet etiam nunc in ipſo viri beatiſſimi capite, ſicut relatum eſt ab his, qui viderunt, & oſſa eius ſanctiſſima contrectauerunt, ſectio gladij materialis ira, vt media pars capitis, ipſa videlicet pars anterior, in quâ poſitæ ſunt feneſtræ oculorum, non habeatur cum reliquo corpore, & quaſi gladio ſecta & diuiſa videatur pars poſterior ab anteriore. Qualiter ergo ſeruum ſuum Dominus ad ſe euocauerit, ipſe nouit, qui eum prælegit ante ſæcularia tempora; nos credimus, quia etſi eius animam gladius perſecutionis non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit, quia totius vitæ eius excurſus iugis fuit cum Principe mundi conflictus. Aſciuit autem ſibi Dominus hunc ſanctum Pontificem poſt mulra laborum pericula, poſt innumera bonorum operum exercitia, in vrbe Meldenſi, quinto Kalendas Octobris regnante terris Principe Trajano, &c.

S. Antoninus. Sepultus eſt ſanè condigno honore fidelium in Eccleſiâ ſancti Petri quam ipſe à fundamentis ædificauerat, quæ quidem à ſancto Antonino, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſerat, ampliatâ, atque in honore ipſius magiſtri ſui dedicata eſt, vbi multis annis intra ſepta ſepulcri theſaurus cæleſtis deliruit. Nouiſſimè diuinâ reuelatione repertum & elenatum mirâ exultatione cinium & confluentium populorum, ſacratiſſimum corpus eius ad propitiandum Dominum miſeris mortalibus ſuper altare in cæleſti propitiatorio ab Epiſcopis honorificè repoſitum eſt, vbi per ſuccedentium annorum volumina ab excubitoribus diligenter ſeruarum & honorificè, permanſit vſque ad tempora Ludouici Imperatoris, Lotarij æquè Imperatoris filij, Domino ſanctum ſuum mirificante ſignis & prodigijs innumerabilibus. Poſt hæc, quia ſic Dominus voluit, tranſlatum eſt & Virduni in Eccleſiâ ſancti Petri locatum, & in ſcrinio argenteo reconditum, vbi meritis eius & precibus exuberant beneficia diuina vſque in hodiernum diem. Rexit autem poſt eum Meldenſem Eccleſiam Beatus Antoninns annis multis & virtutum operibus inſignis migrauit ad Dominnm pridie Kalendas

S. Maurus. Octobris. Virdunenſem verò ſuſcepit Eccleſiam regendam Maurus Presbyter

vit honeſtæ vitæ & per cuncta laudabilis. *Sequuntur quamplurima paſſim obuia, ac mendoſè digeſta de Romanis Pontificibus atque Imperatoribus, cum Donatione Conſtantini, & pluribus alijs ad rem noſtram nihilo magis pertinentibus.*

Virdunenſis Eccleſia longo rerum infortunio preſſa & oppreſſa iacebat, & Pontificem longo tempore deſtituta Eccleſiæ cathedra piâ ſedulitate requirebat, & meritò, per trecentos enim quadraginta & eo amplius annos, ab obitu ſcilicet beati Sanctini, tres tantummodò in eâ vrbe Epiſcopos fuiſſe, Maurum videlicet, Saluinum, & Atatorem, priorum Patrum ſignauit auctoritas. (*Maurus. Saluinus. Atator.*) Verum ibi pluriores Epiſcopi fuerint, quorum nomina & actus obliuio deleuerit, vel ſcriptorum raritas neglexerit, aut etiam feruor perſecutionis Epiſcopos ſubſtituere vetuerit, nos ignoramus, quia nec vſpiam inuenire valuimus. Maximè cum etiam horum trium ſanctorum præfatorum corpora, quonam ſepulta fuiſſent, & quo fine ad Dominum migraſſent, iuniores & moderni hodiéque neſcirent, niſi beato Agerico, qui poſt longa tempora, videlicet poſt ſucceſſiones quinque Pontificum, ipſe ſextus eis ſucceſſerat, tam pretioſa ſymbola reuelatione nocturnâ per Angelorum officium dignatio declaraſſet Diuina. (*S. Ageric.*) Narrauerunt autem de beato Mauro poſteri illi, qui interfuere tranſlationi, quæ à beato Agerico tunc temporis facta eſt, & poſteriores ſcriptis ad noſtram vſque notitiam tranſmiſerunt, beatum Maurum diuerſis ſuppliciorum generibus affectum veritati teſtimonium perhibuiſſe, & pro fide Chriſti Martyrium occubuiſſe, ſicut ipſi in defuncto videre, & necdum ſoluto corpore ſancti pijs oſculis dulcia vulnera contrectauere. Beatus tamen Agericus & tēporis illius fideles memoriam illius ſub nomine & honore martyris celebrari non inſtituerunt, quæ hodiéque ſub nomine Confeſſoris veneratur.

Nunc quid de Beato Pulchronio, quem Virdunenſis ciuitas meruit habere rectorem, in ſcripturis inuenerimus, & fidelium veraci relatu didicerimus; (*S. Pulchronius.*) Chriſti Domini protegentis & edocentis nos adjutorio, breuis & lucida perſequatur oratio.

Igitur imperantibus Honorio & Theodoſio iuniori, qui Valentinianum Conſtantij & Placidiæ filium conſortem fecit imperij, natus eſt in vrbe Trecaſsinâ beatus Pulchronius Chriſtianis parentibus ex familiâ Eccleſiæ. Natiuitatis verò eius primordia cæleſtibus auſpicijs diuina inſigniuit clementia. Reuelatum eſt enim parentibus eius ante longa conceptionis tempora, quòd talem habituri eſſent filium, qui eſſet ſanctæ Dei Eccleſiæ lucerna lucens ante Dominum, & in tempore opportuno fieret iracundiæ Dei reconciliatio, & furoris eius placatio. Erant autem parentes eius religioſi, & gratiâ inter ſuos nominatiſſimi, fide pleni, eleemoſynis dediti, domus ſuæ curam habentes, familiam piè iuſtéque regentes, in mandatis & iuſtificationibus Dei incedentes, & pauperum & peregrinorum officioſi ſuſceptores, Eccleſiarum ſtudioſi amatores, quibus meritò, quantùm ad humanum modum præſtitum ſit, vt tantum ac talem haberent filium. Natus igitur puer ſacramentis cæleſtibus initiatus eſt, & in baptiſmate Pulchronius nominatus eſt, ſiue Polichronius. O dignum præſagium nominis, quod ſi in Græco reſoluere velis, interpretatum ſonat Ciuitas temporis. Et quid hoc ſignatur vocabulo, niſi quod puer hic ſanctus hoc eſſet futurus in opere, quod ſignabatur ex nomine. Nam ſi referas ad tempus vitæ eius, cum bella cuncta perderent, Ciuitas temporis illius factus eſt, cum ad tuitionem & munimentum omnium Deo adhærere prædeſtinatus eſt. Ciuitas temporis factus eſt, cùm ad colligendas & conſeruandas credentium animas Pontifex conſtitutus eſt. Ablactatus eſt & decurſâ balbutientis infantia hebdomadâ litteris traditus, prima earum tentabat addiſcere rudimenta. Quarum elementis breui datis memoriæ, feſtinabat iam ad altiora conſcendere. Datus ergo vacationi ſapientiæ hauriebat fontes doctrinæ, tardus eloquio, clarus ingenio. Iam verò pueritiæ annis ad ſimilitudinem Patriarchæ Iacob domui ſimpliciter exactis, cùm iam ingrederetur nutantis adoleſcentiæ biuium, poſitus in conuerſatione ſcholari, non vel ætatis, vel coæqualium illecebris cedens, perdidit pudicitiam: ſed tanquam ſibi à Domino commiſſum ſeruauit integrum ſignaculum caſtitatis. Erat tunc temporis in eadem vrbe Tricorum Beatus Lupus morum probitate celebris, ſanctitatis dote inſignis, pietate laudabilis, patientia mirabilis, ſapientiâ conſpicuus, caritate diffuſus, ſpe longanimis, fide prædicabilis, grauitate venerabilis, (*S. Lupus Trecenſis Epiſc.*) per zelum iuſtitiæ erectus erga delinquentes, per compaſſionem proximus, in aduerſis patientiſſimus, in proſperis cautus, in quo omnis laus ſecurè canitur.

Hilarius Arelat. Archiep.

Hic.in ſæculo annis ſeptem cum vxore ſuâ Piminiolâ, ſancti Hilarij Arelatenſis Archiepiſcopi ſorore conuerſatus, Lirinenſe cœnobium expetijt, vnde raptus ad Pontificatum eandem grauitatem morum, eandem humilitatis & vilitatis ſectabatur continentiam, locato ſibi in proſpectu vrbis Monaſterio, vbi cum his, qui ſecum aderant, diuinis intendebat theorijs. Huic Beatus Pulchronius in Monaſterio erudiendus à parentibus traditur, Magiſtri cœpit imitator exiſtere, & quæ eum facere videbat, ad eadem ſe modis, quibus poterat, informare. Erat in vultu alacritas, in ſermone grauitas, in obediendo ſagacitas, in obſequendo humilitas, in deferendo ſedulitas, verecundia in vultu, reuerentia in inceſſu, dulcedo in voce, conſtantia in actione. Lætabatur B. Lupus de profectu diſcipuli, gaudebant & parentes de induſtria & propoſito filij. Erant eius condiſcipuli ſub inſtitutione præfati Patris, Seuerus poſtea Treuerorum ſanctus Epiſcopus, Albinus quoque Caralaunenſis, & ſanctus Æmilianus; ſanctus quoque Auentinus, poſtea Trecorum Epiſcopus, cum alijs quampluribus, qui omnes gratiâ Dei innumeris claruere miraculis. Electus autẽ Sacerdos communi voto & laude cleri ac populi Presbyterij honorem accepit, & moribus adornauit: tum à ſancto Lupo deuotis Virdunenſis vrbis ciuibus aſſignatur & Pontifex conſecratus, mira omnium deuotione & gratia ſtuduit pietatis augere opera, qui Pontificali auctus erat infulâ. Cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis præſtabat auditum, & omnia virtutum incommoda verbi virtute fugabat. Super dæmones quoque tantam conſequutus erat à Domino poteſtatem, & vt legitur in vitâ beatiſſimi Lupi, tanta in eo vigebat gratia curationum, vt ſolo iuſſu dæmones ab obſeſſis fugaret corporibus, & ad primum vocis eius imperium omnis eorum tenebroſa poteſtas euaneſceret, & vigor omnibus membris refunderetur. Teſtatur hoc & alius quidam præfati beati Lupi ſcripto virtutes replicans, & diſcipulorum eius memoriam faciens, qui huius quoque beati Patris noſtri meminit in hæc verba: Horum, inquit, vnus fuit beatus Polochronius vrbis Clauorum Epiſcopus, cuius vitam ſanctitate plenam numero virtutum inſignem, miraculorum patratio oſtẽdit, quibus claruit pluſquàm credibile ſit. Nam miſeris, quos dira vexabat conditio furoris, vt aſtringerentur ferreis hominum catenis, precibus ſuis impetrabat à Domino remiſſionem furoris, vt ſolo eius iuſſu & dæmones pellerentur cum armis ſuis virulentis, & laruarum lemurúmque carerent phantaſiis. Nec ſolum in talibus, ſed & in diuerſis fulſit horum ſimilibus, quæ libellus de vitâ eius ſcriptus pleniùs elucidat ſcire volentibus. Hæc ſunt ſanctitatis beati viri teſtimonia, quæ vbique & tunc in vitâ ſuâ, & nunc poſt obitum eius, celebrat, veneratur, & prædicat ſancta Dei Eccleſia. Tantis vir Domini virtutum clarus inſignijs, ita in ſe omnium prouocauerat affectum, vt à Regibus & Pontificibus, diuitibus quoque & mediocribus deuotione nimia veneraretur. Beatum dicebant omnes populum tanti Pontificis regimine protectum, & plebes vrbium vicinarum de ſocijs ſancti viri, de diſcipulis ſcilicet beati Lupi ſibi præoptabant dari Epiſcopum: Treuirenſis autem metropolis, cùm non haberet Pontificem, ſanctum ſuſcepit Seuerum, eximiæ ſinceritatis virum, verbo & doctrina clariſſimum, qui cum beato Germano Antiſſiodorenſi, quia beatus Lupus ſenio excuſabatur, miſſus eſt Britanniam inſulam ſecundò à Pelagiana hæreſi verbi virtute reuocare. Catalaunenſis verò ciuitas ſanctum elegit Albinum, quem hodiéque lætatur habere patronum. Dum ergo tantorum virorum prædicatione & induſtriâ Gallicana floreret Eccleſia, anno ab Incarnatione Domini CCCCL. Marciani Principis, qui ſucceſſerat Theodoſio iuniori, anno primo, inualuit perſecutio & rabies Hunnorum, Valentiniano ſepties & Abiano Conſulibus. Computantur autem à Vandalicâ irruptione vſque ad annum illum, quo ſub regibus Bleda & Attila Hunnorum per Gallias diffuſus eſt exercitus ſecundùm fidem hiſtoriarum anni quadraginta quinque, hoc modo: Anno enim principatus Honorij decimoquarto Vandalorum rabies efferbuit & Honorius poſtea regnauit ſexdecim annis: poſt quem Theodoſius iunior regnauit annis viginti ſeptem, & ſucceſſit ei Marcianus Imperator, cuius primo Imperij anno Hunni Gallias occuparunt. Cum itaque Vandali à Gallijs receſſiſſent; & rumor exijſſet Hunnos in Gallias velle prorumpere, Gallicarum vrbium populi, qui erant reſidui, diffidentes viribus ſuis ſe illis poſſe reſiſtere, quorum barbaries iam eos potenter terruerat, munitiſſima expetierunt loca, quibus ſe tutari poſſe credebant ad-

Seuerus Treu. Albinus Catal. Æmilianus Auentinus Tr.

Attila.

uerſus tremenda diſcurſantium hoſtium agmina. Dum igitur hoc timore omnis nutaret Belgica, beatus Pulchronius propter peccata populi inhabitantis præuidens ac prænoſcens maximam Galliæ partem euerſum iri, holocauſta medullata offerebat pro omnibus ſibi commiſſis, ne forte Dominum labijs honorarent & corde longè poſito manibus irritarent, fidémque verbo tenus præferentes actionibus abnegarent. Suadebat flammas peccatorum eleemoſynis redimere & crimina confeſſione ac pœnitentia digna abſtergere. *Pluribus pergit explicare Belgicæ deprædationem, Aureliæ obſidionem, victoriam Aetij in Mauriaco campo, Attilæ fugam Aetij & Valentiniani cædem, ſucceſſiones Imperatorum & Pontificum Romanorum, vſque ad Zachariæ & Stephani II. tempora, & ſimilia, quæ tutius ex alijs ſcriptoribus repeti poſſunt. Iis verò pauca inſerta, aut ad marginem adſcripta, quæ non pigebit annotare.*

Beatus Pulchronius, vrbis Clauorum Epiſcopus, curſu vitæ conſummato diſceſſit pridie Kalendas Maij & migrauit ad Dominum. Corpus eius in Eccleſia ſancti Amantij in honore dicata ſepultum eſt, licet à multis adſtipuletur timore hoſtium ſepultum eum iuxta viam publicam, quia in ipſis bellorum tumultibus raptus ſit, ne videret exterminium ciuitatis & populi, & poſtea ref eſcentibus bellis ſupereum ædificata ſit Eccleſia à viris timoratis, vnde poſtea euolutis aliquot annis nutu diuino leuatum ſit ſacratiſſimum corpus eius, & in Eccleſia ſancti Petri, vt ſanctum decuit, honorificè reconditum. Succeſſit ei Beatus Poſſeſſor, & de quo certum habemus, quia placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus. Obijt & ipſe menſe Decembri, die primo, & in Eccleſia ſancti Petri ſepultus. De ſancta eorum memoria hoc in Patrum ſcriptis inuenimus, quod eorum merita Deo fuerint grata, & inter ciues ſanctorum ipſi fuerint connumerati. Celebratur dies Tranſlationis annuatim celebri memoriâ quarto Nonas Maij. S. Pulchronius. S. Poſſeſſor.

Philippus Virdunenſis Epiſcopus viguit, cui ſucceſſit Euantius vir ſanctus, qui cum ſancto Priſco Lugdunenſi, & Artemio Senonico & Remigio Bituricenſi, & alijs ſanctis Epiſcopis, Syagrio quoque Eduenſi, viginti capitula roborauit, cui ſucceſſit Verus, cuius Diaconus fuit ſanctus Deſiderius Eduenſis, & ei ſucceſſit Domnolus in redimendis captiuis ſtrenuus, eique ſucceſſit Æthetius tempore Heraclij Imperatoris.

Tempore Mauricij Imperatoris, Pontificatum Romanæ Eccleſiæ tenente Papa Gregorio, anno nono, conſtructio Cœnobij Flauiniacenſis in caſtro prænominato facta eſt à domno Widrado: & Magoaldus Abbas ordinatus eſt anno ab Incarnatione Domini DCI. Anno primo Theoderici Regis, qui erat ab Incarn. DCVI. Focæ vero Imperatoris tertius, idem domnus Theodoricus teſtamenrum domni Widradi de caſtro ſeu cœnobio Flauiniaco ſigillo ſuo confirmauit, factum & corroboratum apud Sinemurum, ſecundo poſt tranſitum ſancti Gregorij anno primo ſcilicet Papatus Sauiniani præſidente Lugdunenſi Eccleſiæ Secundino Archiepiſcopo. Fundatio Mon. Flauiniacenſis. Magoaldus Abba.

Anno Incarnat. DCLI. vndecimo Kalendas Maj ordinatio domni Widradi Abbatis, cùm locum Flauinianum LVIII. Magoaldus Abbas rexiſſet. Vuidradus Abbas.

De Francorum verò Regibus hæc deinceps ſubjunguntur mendis grauioribus ſparſim infecta.

ANNO ab Incarnatione Domini CCCCXLVI. Indictione XIV. Epacta nona, Concurrente primo, Pontificatus domni Leonis anno ſecundo, in Francorum terra Reges regnare cœperunt; & primus eorum nomine Clodio regnauit annis viginti. *In margine hæc habentur*: Tempore Theodoſii Marcomirus genuit Faramundum, Clodio filius eius, Merouingus filius, Childericus, &c. Clodio.

Deinde Childericus filius Merouei expulſo Ægidio Duce Romanorum de regno atque interfecto regnum inuadit anno ab Incarn. Dom. CCCCLXVI. & regnauit annos viginti quatuor, qui genuit filium ex Biſina Toringorum Reginâ, nomine Clodoueum, virum bellicoſiſſimum & potentiſſimum, imprimis gentilem, poſtea Chriſtianum. Childericus.

Childerico igitur defuncto Clodoueus ſucceſſit. Anno quinto regni eius Syagrius, Ægidij Romanorum Ducis filius, apud ciuitatem Sueſſionicam ſedem habebat, ſuper quem Clodoneus irruit. At ille eliſum cernens exercitum ſuum ad Alaricum Gothorum Regem curſu veloci Toloſam perlabitur. Sed Alaricus accepit Regis nuncijs cum intentatione minatum, vt Gothorum mos eſt pauere, Clodoueus.

Syagtium vinctum legatis tradidit. Quem Clodoueus cuſtodiæ mandari præcepit, regnóque eius accepto eum clam gladio feriri iuſſit. Remorum tunc Ec- *S. Remigius.* cleſiam Beatus regebat Remigius, qui factus eſt à Domino populo iam ferè deſperato in tempore iracundiæ reconciliatio. Poſt vindictam enim ſcelerum, quæ facta eſt à Domino cæde Galliarum, Wandalorum primò, deinde Hunnorum perſequente crudelitate, miſericordiam cæli diſtillarunt, dum ad mitigandum furorem altiſſimi Remigium mundo Pontificem protulerunt.

Gundebaudus. Gundebaudus tunc regnabat in Burgundiâ Gundiochi Regis filius, qui fuit de genere Athanarici perſequutoris. Habuit Gundiochus & alios filios, Godegiſclum, Chilpericum & Godemarum. Gundebaudus Chilpericum fratrem ſuum interfecit gladio, vxorem eius ligato ad collum lapide aquis immerſit, duos eo- *S. Crotildis.* rum filios gladio trucidauit, duas filias exilio condemnauit. Harum ſenior Sedeleuba ſe Domino mutatâ veſte dicauit: minor Crothildis nominabatur. Hæc quæſita eſt à Clodoueo Rege Francorum, vt ſibi eam traderet Gundebaudus patruus eius. Quod cùm ille negare non auderet, venientes Franci acceperunt eam à Gundebaudo. Conſilio autem Aredij ſui reminiſcens Gundebaudus mali, quod fecerat, quia videlicet patrem, matrem & fratres Chrotildæ interfeciſſet, & timens, ne ſi Crotildis præualeret, mortem parentum vindicaret, poſt eam miſit exercitum qui baſternam & theſauros retentant; puella leuata in equum à Francis ad Clodoueum dirigitur, quam regali aſſumens honore in matrimo- *Theodericus.* nium perfecto dilexit amore. Habebat iam tunc Clodoueus filium de concubina, nomine Theodericum, qui regnauit poſt eum annis viginti tribus. Habuit & alios tres filios ex Crotilde Clodomerem, Childebertum, & Clotarium, qui poſt eum regnauerunt. Defuncto autem Gundebaudo regnum Burgundiæ Sigiſ- *Sigiſmundus.* mundus filius eius obtinuit, habuitque vxorem filiam Theoderici Regis Italiæ. Qua mortua aliam duxit, & prioris conjugis filium nouercæ inſidijs iuſſit interfici, Nam ſopitum vino filium dormire poſt meridiem iuſſit. Cui dormienti orarium ſub collo poſitum eſt, & ſub mento ligatum, & ſic trahentibus ad ſe inuicem pueris duobus ſugillatus eſt. Sed iam ſerò pœnitens ſuper cadauer exanime ruit flens amariſſimè, & in Monaſterio Sanctorum Agaunenſium, quod ipſe miro opere à fundamentis conſtruxerat, per dies multos veniam petens, & pſallentium chorum inſtituens Lugdunum redijt, vltione diuinâ è veſtigio ſubſequente. Huius filiam Theodericus Clodouei filius vxorem accepit.

Crotildis itaque regina, cùm eſſet Chriſtianiſſima, & Clodoueus fanaticis vteretur legibus, moneretúrque frequentius ab ea, vt idola vana negligeret, & Deum verum agnoſceret, in cuius manu eſt cor regum, & omnium diſpoſitio *Clodouei baptiſmus.* poteſtatum, acquieſcere noluit, donec bello contra Alamannos ſuſcepto, compulſus confiteri neceſſitate, quod prius negauerat voluntate. Cùm enim exercitus eius ad internecionem vſque cæderetur, inuocato nomine IESV Filij Dei, quem prædicabat Crotildis, victoriam obtinuit. Quod cùm domi veniens vxori narraſſet, illa clam accerſito beato Remigio Remorum Archiepiſcopo ſuadet vt Regi verbum ſalutis inſinuet. Quod cùm faceret, erat enim egregiæ ſcientiæ, & Rhetoricis adprimè imbutus ſtudijs, diuina præduce gratia, Rex credidit, & cum exercitu baptizatus eſt XV. anno regni ſui, Albino V. C. Conſule, Incarnat. Dominicæ anno DII.

Burgundiones Ariani. Burgundiones tunc Arianorum ſectam tenentes habitabant circa Ararim & circa Rhodanum, qui fluunt iuxta vrbem Lugdunenſem, quibus præerant Gundebaudus & Godegiſilus fratres. Godegiſilum Gundebaudus interfecit, & ipſe cùm moneretur à ſancto Auito Viennenſi Archiepiſcopo, vt confiteretur Chriſtum filium Dei & Spiritum Sanctum æqualem Patri, erat enim Arianus, clam vt chriſmaretur, expetijt. Sed illo adhortante, ne formidaret Rex ſeditionem populi, neque erubeſceret in ſæcula regnantem in ſæculo confiteri, ipſe hac ratione confuſus vſque ad vitæ exitum in ſua inſaniâ perdurauit, cui Sigiſmundus ſucceſſit.

Clodoueus itaque cùm eſſet armis ſtrenuus, & in fide ſancta nominatiſſimus, & videret Gothos, quorum erat Princeps & Rex Alaricus, & dominatio eorum vltra Ligerim, Arriana peſte & peruerſitate corruptos, vellétque, vt ſuperatis eis cum diuino auxilio terra redigeretur ditioni ſuæ, commotum exercitum

Pictauis, vbi Rex Alaricus morabatur, direxit. E contrario Alaricus cum ſuis decimo ab vrbe milliario obuiam venit aduerſarijs, & confligentibus eis in Campania Voglanenſe victoriam Clodoueus de Arrianis obtinuit. Alaricum cum plurima Gothorum manu interfecit, regnúmque eius à mari Tyrrheno & Ligere fluuio vſque ad montes Pyrenæos & mare Oceanum occupauit, theſaurósque eius à Tolosa auferens, ſecum Pariſius aduexit. Per idem tempus ab Anaſtaſio *Anaſtaſius Imp.* Imperatore codicillos pro Conſulatu accepit, & coronam auream, & tunicam blatteam, ex quâ die Conſul & Auguſtus eſt appellatus. Cùm ergo moraretur Pariſius, & cogitaret adjungere ditioni ſuæ regnum Sigeberti propinqui ſui, cuius regni ſedes Colonia ciuitas erat, quem etiam in bello contra Alaricum adjutorem fidelem habuerat, doloſè egit miſſis nuncijs ad Theodericum ipſius filium Sigiberti, qui pro patre, quia pater contra Alamannos pugnans percuſſus in geniculo claudicabat, bello præfato interfuerat, vt filius patrem in tentorio meridie dormientem, quaſi regnum ipſius poſſeſſurus, immiſſis perſequutoribus interficeret. Cùm ergo quaſi gratulabundus de morte patris nuncios Clodoueo mitteret, vt adſe fideles ſuos dirigeret, qui de Theſauris patris, quod placeret oculis eius afferrent, Clodoueus iterum doloſè egit, vt dum ille venientibus nuncijs patris theſauros oſtendit, dum inclinis arcellulæ manum vt cuncta ſcrutetur immittit, vnus bipennem cerebro eius illideret. Et ſic quæ in patrem egerat, is recepit. Quod audiens Clodoueus ad eundem locum venit, & quaſi, qui eſſet innoxius à ſanguine parentum ſuorum, populo ſatisfecit, & in Regem conſtitutus eſt. Quod quarundam ciuitatum habitatores indignè ferentes contra eum ſi fuiſſet poſſibile, niſi ſunt rebellare. Inter quos ciues Virdunenſis oppidi de- *Virduni defectio.* fectionem atque duellionem contra eum dicuntur meditati. Clodoueus poſt hæc Charaticum Regem, & filium eius, propinquos ſuos dolis circumuentos cepit, vinctos totondit, & patrem quidem Presbyterum, filium verò Diaconem ordinari fecit. Sed ſentiens quòd ſibi cæſariem ad creſcendum niterentur laxare, vtroſque iuſſit capite plecti, regnúmque eorum cum theſauris & populis adquiſiuit.

Audita autem defectione Virdunenſium, & ratus non eſſe procraſtinandum in talibus, viribus vndecumque coactis, cum validâ manu militari ad eandem vr- *Virduni obſidio.* bem venit, injuriæ gratiâ vlciſcendæ. Cuius muros corona militum obambit, aggeres ſtruit, aſpera complanat, & quæque vrbi capiendæ commoda ordinat, portis cuſtodias admouet, & ne quis tutè exeat, magno ſtudioſóque conamine prohibet. Quo in tempore Firminus Epiſcopus eiuſdem ciuitatis miræ ſanctitatis *Firminus Ep.* vir diem clauſit vltimum. Hic Tullenſi territorio ortus, & ciuitati Virdunenſium, poſt ſanctum Poſſeſſorem Paſtor conſtitutus, quantæ ſanctitatis fuerit, quàm ſollicitas excubias ſuper gregem ſibi creditum cura peruigili exercuerit, quàm pius in ſubditos, quàm terribilis erga reprobos fuerit, teſtantur miracula, quæ ad ſepulcrum eius ſæpe numero fiebant. Inuenitur etiam ſcriptum in geſtis, quòd eius inſtinctu populus Virdunenſis deſciuerit. Obijt autem menſe Decembrio, die ſecundo, anno quantum colligere poſſumus, ab Incarn. Dono D IV. imperante Anaſtaſio anno, XIV. tertio conuerſionis Clodouei anno, Atheo V. C. Conſule, Pontificatum Romæ agente beato Papa Symmacho, & ſoluta obſidione ſepultum eſt corpus eius ſacratiſſimum ad dexteram altaris beati Petri Apoſtolorum Principis, vbi per multa tempora delituit theſaurus hic delectabilis, à tempore ſcilicet Clodouei, vſque ad tempus Othonis magni. Verùm ad rem redeamus.

Obſeſſi ergo, cùm, vt diximus, clauſi tenerentur viribúſque diffiderent, & *S. Euſpicius.* mortuo Epiſcopo nullus putaretur aptus reperiri, qui preces populi conuenienter allegaret coram Principe irâ feruente, omnes in vnam coiere ſententiam, vt ſanctum virum Euſpicium, qui ſub titulo Presbyteratus in eadem vrbe degebat, ad Principem mitterent miſerorum ciuium preces allegantem, & eius miſericordiam deprecantem. Is autem Domino miſericordiâque plenus ſuorum ciuium poſtulata non renuit, ſed in eo confidens, qui dixit diſcipulis ſuis; Cum ſteteritis ante Reges & Præſides nolite cogitare qualiter, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini, ad Principem, vt petebatur, ire diſpoſuit. Cúmque ſe humiliter coram Rege terræ proſtrauiſſet, ab eo reuerenter ſurgere, & cauſam aduentus ſui dicere eſt iuſſus. Tum ille ad eum his fertur verbis vſus: Nobiliſſime, inquit, omnium, & pijſſime Regum penè vniuerſo peruulgata tua

bonitas eſt ſæculo per quam bonitatem tuam te obſecro, vt patienter me audias meorum ciuium preces allegantem, & tuam miſericordiam deprecantem. Emerſit quidem inter nos quorundam improbitas hominum, quæ & multorum maculauit imperitiam, & iuuenum ſuſtulit ſtultam protetuiam Et quidem tua digni ſumus animaduerſione, nec diffitemur: ſed obſecro propter Dominum interim ſubtrahantur culpis debita ſupplicia, & porrigatur immeritis clementia. Nec abhorreret à victoriâ tuâ noſtra perſuaſio, quia cùm victor ſis hominum, paſſionis quoque propriæ fortior eris triumphator, ſi malueris patientiæ vires exercere, quàm ſanguine ciuium tuum fœdare triumphum. His Rex auditis, & vi dictorum, grauitatéque viri perſpectâ, cœpit vigor animi eius manſueſieri, & amaritudo fellis dulcorari. Dei vtique nutu id agente, cuius fortitudini immania cedunt, & dura ſatiſcunt. Denique tactus diuino nutu Rex adeò eſt affectus, vt petitioni eius aſſenſum præberet & veniam ciuibus, quamuis ingratis, tribueret, vt impleretur de eo illud Sapientis: Hanc quoque, inquit, vidi ſub ſole ſapientiam, & probaui maximam: Ciuitas patua, & pauci in eâ viri. venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extraxítque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio. Inuentúſque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberauit vrbem ſapientiâ ſuâ. Igitur viro Dei ordinante, & manum Regis tenente, repagula portarum reduci viſa ſunt, & portæ aperiri. Sed & Clerus procedere eſt ordinatus, Regem eum laudibus & Deo dignis cantilenis ſuſcepturus, per quas, & domino ſuæ liberationis offerret tripudium, ac Principi ſedulitatis ſuæ deuotum monſtraret obſequium. Rex itaque poſtquam irâ refrigeratâ per famulum eius ſe ſenſit immani ereptum piaculo, gratias in Eccleſia Deo reddidit, & ciuibus principali indulgentiâ datâ, ad curanda iuxta morem epulis regalibus corpora ſeſe conuertit, quibus biduo indulgens, & recreatum exercitum poſt laborem videns, ad alia paria negotia curanda ducere volens, virum Dei ſanctum Euſpicium ſuis aſpectibus præſentari iuſſit, & vt vrbi, cuius ſubuentor extiterat, quámque ab imminente periculo eripuerat, paſtorali ſollicitudini præeſſet, admonuit, & admonendo petiuit. At vir Dei non immemor verborum, quibus dicitur: Quanto magnus eſt, humilia te in omnibus, & coram Domino inuenies gratiam, oblatum honorem, vel potius onus Sacerdotij humiliter recuſauit, immo præſcius breuitatis vitæ ſuæ, quæ poſtmodum terminanda erat, vt ei alter ſuccederet, cedere libuit. Tunc Rex euocata protinus in vnum fidelium multitudine, vt de conſtituendo paſtore ſententiam in medium proferrent præcepit. *Videntur verò hic deeſſe electio & res geſtæ Sancti Vitoni.*

Clodoueus itaque Ranacharium Regem, cuius regni ſedes erat Cameracus ciuitas, parentem ſuum dolo manu propriâ interfecit, & fratrem eius Racharium. Dederat autem traditoribus eius ornamenta quædam, non aurea, ſed ærea & deaurata. Poſt mortem verò domini ſui cognoſcentes proditores aurum, quod à Rege acceperant, non verum, ſed adulterinum, & cum hoc Regi dixiſſent, reſpondiſſe fertur Rex: Meritò tale aurum accipit, qui Dominum ſuum ad mortem propria voluntatate perducit. Tertius igitur frater eorum, propinquus & ipſe Clodouei, apud Cynomannicam ciuitatem iuſſu ipſius interfectus eſt. Quibus mortuis omne regnum eorum & theſauros accepit, interfectíſque & alijs multis Regibus, & proximis parentibus ſuis, quos ſuſpectos habebat, vt ei regnum auferrent, regnum ſuum per totas Gallias dilatauit. Obijt apud Pariſiorum vrbem anno Dom. Incarn. C XVIII. regni ſui anno trigeſimo, ætatis quadrageſimo quinto, ſepultúſque eſt in baſilica Sanctorum Apoſtolorum, quam conſtruxerat. Præſidebat tunc Romanæ Eccleſiæ Hormiſda Papa, Iuſtinus Anaſtaſij ſucceſſor imperabat in republicâ.

Aberrat calculus.

Regnum igitur Clodouei quatuor eius filij æqua inter ſe lance diuidunt, Theodericus, Clodoueus, Childebertus, & Clotharius. Sedes regni Theoderici Metis ciuitas fuit, Clodoueus Aurelianis, Childeberti Pariſius, Clotharij Sueſſionis. Habebat iam tunc Theodericus filium, Theodebertum nomine, elegantem & vtilem, & filiam, quam accepit vxorem Amalaricus Rex Hiſpaniæ Alarici filius, qui apud Barcinonam à Francis occiſus eſt. Inter Theodericum & Childebertum contentio magna ſemper fuit, quæ multas vrbes afflixit. Fuit enim Theodericus ingenioſus & callidus, poſtmodum verò cum fratre fœdus inijt, & dato ſacta-

Diuiſio [illegible].

ſacramento, vt nullus contra alium moueretur, obſides ad inuicem acceperunt. Sedorto iterum inter Reges ſcandalo, obſides dati filij Senatorum ſeruitio publico ſunt addicti. Nam quicumque eos cuſtodiendos acceperunt, ſeruos ſibi fecerunt. Tempore Clotharij & Childeberti ſanctus Auitus & ſanctus Carilephus ab Aruernis de Monaſterio Menate egreſſi Miciacenſe Cœnobium, quod ſanctus Maximinus, frater ſancti Vironi, fundauerat, expetierunt, & ei ſe ſubdiderunt. S. Auitus. S. Carilephus.

Croroldis verò Regina poſt mortem viri ſui monebat filios mortem patris, & matris, & fratrum vlciſci. Quam ob cauſam illi Burgundias appetunt, Sigiſmundum Gundebaudi filium, & Godemarem prœlio vincunt. Clodomeris Sigiſmundum dum ad Monaſterium ſanctorum Agaunenſium fugeret captum cum vxore & liberis interfecit. Godomaris terga vertens latuit, & reſumptis viribus regnum Burgundiæ tenuit. Auitus verò Abbas Monaſterij Aurelianenſis prædixit Clodomeri, quod Sigiſmundo fecerat, idenridem ipſum eſſe paſſurum. Cúmque Veſerontiâ Franci cum Burgundionibus bellum iniſſent, Clodomeris capite truncatus eſt, deceptus ab auxilijs Theodorici Regis Italiæ, cuius filiam Sigiſmundus vxorem habuit: qua etiam defuncta, aliam, vt prætaxauimus duxit. Cúmque Crotildis filios Clodomeris vnico affectu diligeret, inuidia ductus Childebertus Clotarium ad necem puerorum incitauit. Cúmque Pariſius conueniſſent quaſi pueros in regno patris ſublimaturi Clotharius doloſè ſuſceptis eis à matre, Theodaldum & Guntharium occidit, tertius Clodoaldus in Clericum tondetur: ad cuius ſepulcrum virtutes fiunt. Theodericus ad direptionem Aruernici territorij feſtinans Sigiualdum cum omni familia illic commigrare præcepit; qui pluta mala peregit, & ipſe poſtea malè perijt. Tale autem excidium regioni eidem Rex præfatus intulit, vt neque minoribus natu, neque majoribus quidquam proprij relictum ſit, præter terram ſolam, quam barbari ſecum ferre non poterant. Eduam quoque obſedit, & omnino deprædatus eſt. S. Maximinus. Clodomeri mors. S. Clodoaldus.

Beato igitur Vitono in gaudio Domini aſſumpto, & pro fidelitate paucorum & lucro ſupra multa & perpetua bona conſtituto, Deſideratus ſucceſſit in Epiſcopalem curam multa vigilantia egentem, ſollicitudinum angoribus circumſeptam. Theodericus enim cùm eſſet pertinacis & mali animi & pro diſſenſione inter ſe & fratrem ſuum multas, vt prædiximus, vrbes afflixiſſet, & Deſideratus ipſe poſt multa ſibi illata damna, exilia, ærumnas, injurias, iam ad libertatem Domino iubente rediſſet, & apud Virdunum, vt diximus, Epiſcopatus fungeretur officio, fuerat enim in ſæculo nobiliſſimus, habens vxorem & filium, nomine Syagrium. Sed à Syrivaldo quodam apud præfatum Regem incuſatus, non ſolùm ſpoliatus rebus verùm etiam fuerat ſupplicijs affectus, cùm tonſuratus poſtea & electione cleri & populi Virdunenſi fuiſſet prælatus Eccleſiæ, Theodericus perpetuas retinens erga eum inimicitias, quia non conſentiret prauis eius operibus, ciuitatem eum habitatoribus vehementer attriuit. Superuenit inſuper diuino iudicio fames valida inualido ciuitatis populo, quâ attenuati in afflictione nimiâ erant poſiti. Et cùm ipſe de rebus ſuis per Theodericum remanſiſſet extraneus, nec haberet ex populo, qualiter indigentes & deſtitutos ciues ſuos conſolaretur, dolebat & triſtabatur. Deſideratus.

Defuncto autem Theoderico anno regni ſui vigeſimo tertio, ab Incarnatione Domini DXLI. cùm Theodebertus filius eius regnum ſuſcepiſſet, & contra voluntatem Childeberti & Clotarij in regno à ſuis leudibus eſſet ſtabilitus atque firmatus, & poſtmodum à Childeberto maximis muneribus muneratus, in filium eſſet adoptatus, magnum ſe & præcipuum in omni bonitate oſtendit. Erat enim regnum cum iuſtitia regens, Sacerdotes venerans, Eccleſias munerans, pauperes releuans, & multa multis beneficia piâ & dulciſſimâ voluntate accommodans, tributa etiam, quæ ab Eccleſiis in Aruerno ſitis fiſco reddebantur, clementer indulſit. Habebat vxorem Deuteriam, & filiam iam adultam, ſed Deuteria timens, ne ſe relicta, filiam ſibi Rex in conjugium aſſumeret, in baſternâ eam poſitam indomitis bobus conjunctis apud Virdunum de ponte præcipitauit, quæ in ipſo flumine ſpiritum reddidit. Deſideratus itaque bonitatem & clementiam Theodeberti Regis erga omnes cernens, cum iam populus dilaberetur, & ciuitas quaſi in ſolitudinē redigeretur, ad Regem ſe contulit, miſeriam populi lacrymabilem deplorauit, petitione benignâ animum regium inflexit, vt de theſauris ſuis miſerans calamitati obſtaret, famem cohiberet, populum pereuntem retineret, & commodata per gratiam Theodebertus.

periculo ſuperato cum gratia Dei hominúmque ſuſciperet. Acceperat enim à Theodado Italiæ Rege Theoderici ſucceſſore cum patruo ſuo Childeberto quinquaginta aureorum millia pro compoſitione mortis filiæ ſororis Clodouei, quæ fuerat copulata præfato Theoderico in matrimonium, & eo defuncto contra natales ſuos ſeruo nupſerat, & quia mater indignata moto contra eam exercitu ſeruum peremerat, filiámque ad domum reduxerat, illa irata venenum in calice, quo mater erat communicatura, poſuit, erant enim Arriana detenti perfidia, quo hauſto mox mater mortua eſt, & ob hoc indignati Itali, eâ abjectâ, prædictum Theodadum Regem conſtituerunt, à quo ſuccenſo vehementer balneo incluſa, inter diros vapores pauimento corruens, mortua eſt. Quamobrem & Theodebertus Italiam peruaſit, ſed quia exercitus eius diuerſis febribus vexabatur, Ducem cum parte exercitus ibi dimiſit, qui omnem Italiam ditioni eius ſubdidit, atque Siciliam, & theſauros innumerabiles ei direxit. Magna enim felicitas Regis in his omnibus fuit, quia timuit Dominum, & Sacerdotes & Eccleſias eius venerabatur. Audita igitur petitione Virdunenſis Epiſcopi, Rex annuit, motus ad miſericordiam, & ſeptem millia ſolidorum ei tradens, conditionem adſcripſit, vt eo tenore partiretur indigentibus, quatenus hoc auxilio victo famis dominio ſua ſibi cum gratia redderentur ex numero. Quæ Pontifex accipiens per ciues ſuos erogauit, vnde & negotiatores facti vſque hodie clari habentur. Cúmque hoc ſolatio docti in melius experimento periculi mediocritatis optimæ ſcientia profeciſſent, & procul reſpicere proximum bonum eſſe didiciſſent, pecuniam alacriter recollegerunt, & Epiſcopo magnæ gratiæ mediatore Regi cum votiuis gratiarum præconijs obtulerunt. Rex vt aduertit ſubleuationem, vidit lætæ deuotionis magnanimitatem, & colligens Regium & pecuniæ dominantem animum indulſit eis, ad præpotentem cumulum boni nominis, & ad memoriam laudabilem tunc præſentis & futuræ generationis. Syagrius autem Deſiderati Epiſcopi filius poſt mortem Theoderici reminiſcens iniuriarum patris, quas paſſus eſt à Theodorico inſtigante & accuſante Syrivvaldo

Syagrius. ſumptis comitibus venit ad villam proprietatis eius in Diuionenſi territorio ſitam, cuius nomen Floriacus, & mane facto, cùm eſſet nebula condenſa, domum ingreſſi, vnum amicorum eius interfecerunt, putantes ipſum eſſe Syrivvaldum. Sed cùm cognouiſſent ipſum non fuiſſe, iteratò domum circumdantes effoſſo pariete interfecerunt eum. Actum eſt hoc poſt mortem Deſiderati Epiſcopi.

Verùm vt ad ſuperiora redeamus, & miſericordiam Dei vberem erga ſuam imaginem ſubtilius indagemus, prouidentia diuina diſpoſitum habens de fonte miſericordiæ Eccleſiæ Virdunenſi ſuccurrere, & ſupradictis innumerabilibus calamitatum infortunijs periclitanti manum auxilij ſubrogare, die & tempore quo voluit, de altiſſimo ac ſereniſſimo bonitatis ſuæ conſilio, hanc viam nouæ ſalutis inuenit, vt Angelum ſanctum mitteret de excelſo cælorum habitaculo, qui parentibus futuram ex miſericordia vnius pueri natiuitatem denuntiaret, terminum, quo id fieri deberet, indiceret, nomen, quo cenſeretur, aptaret. Nimirum propter nimiam dilectionem, qua ſuam in homine diligebat imaginem, condoluit miſeris mortalibus graue iugum à primo patre portantibus, & generali miſericordia populum hunc, quem ſpecialiter peccata obtriuerant, reſtaurauit. Tetigit pius, & conturbauit, ac paterno verbere liuorem inflixit, poſtea reſpiciens mirabili remedio procurauit. Venit ergo conſilij diuini legatus, protulit imperium, promulgauit edictum, & prælecti pios parentes alloquens miſerandis ciuibus cornu ſalutis erexit. Poſt triennium, inquit, expectatio dilata probabitur, filius ipſe Agericus vocabitur. Indicium eſt potioris ac ſuperexcel-

S. Agericus. lentis apud Dominum priuilegij à Domino titulum nominis vel poni, vel mutari. Magnum ergo donum, magna gratiæ dignatio, magna fiducia promiſſorum. Non poteſt irritari, quod de tribunali Regis æterni cælesti legato euangelizante dictatur. Agericus, inquit, vocabitur. Abuſiuum nomen, nec ſcripturarum paginis hærens, ſed quanto ignotius apud homines, tanto dignius diuinitati, & quantò acceptius Domino tantò commodius homini. Nulli profectò poteſt eſſe ambiguum, quod nunc quoque oblita ſui non ſit lingua cœlorum, & quod ſcriptura cæleſtis in perpetuum teneat, quod cælum in terra deſcripſit. Ergo terra non reprobet, quod cælum probet. Naſcitur infans poſt triennium: lingua parentum expectatio porrigitur in effectum, fit gratus in croceis, in cunabulis dulcis.

Tranſgreditur hebdomadam infantiæ ſuccreſcens ad officium linguæ: fit puer incremento, puer innocentia, naturam tenellam indoles prælucida perornabat: Angelus quippe, qui eum prænunciauerat, præſto ei ad cuſtodiam ſemper erat. Datus puerulus vacationi ſapientiæ, iungitur contubernio ſcholaſticorum, baurit fontes ſophiæ, inundantia ſemper vbera ſugit, voluptates internas & chariſmata meliora ſedulus æmulatur. Doctor enim interior, qui eum imbuerat, cum ætatis ſucceſſu indicia virtutum eius clara monſtrabat, præſcitus ante vtetum, ſanctificatus in vtero, ſanctimoniam & magnificentiam in ſanctificatione Domini augebat. Amabatur ab omnibus, inuidias & detractiones omnium gratiæ prætorantis ſublimitate vincebat. Tranſiuit in eadem vrbe Virdunenſium proficiens ad perfectam vſque incrementotum ætatem, virtutem virtuti adijciens, & ſtigmata paſſionis IESV in corpore ſuo portans, currebat per viam mandatorum Domini cum gaudio inenarrabili. Iam enim triginta annos habens in ipſa ciuitate Virdunenſi ductus eſt ad Eccleſiam ſancti Petri, florebátque in atrijs domus Domini, vt palma, & vt Cedrus in Libano totam domum bonis odoribus reſpergebat. Prouexerat eum morum ſpecioſitas, & in gradu Leuitico famulabatur Antiſtiti, cùm ecce clerus & populus ad honorem Sacerdotij promouere eum expetentes ad eandem eum Eccleſiam perduxerunt, & cum gaudio & præconijs gratiæ inibi ordinari fecerunt. Omnes autem quaſi ex vno ore cantabant: Exaltaui electum de plebe mea: oleo ſancto meo vnxi eum, quia à Chriſto Domino erat electus vt oleo ſpiritualis gratiæ eſſet fouendus. Contigit interea Deſideratum re & nomine officio cum vita defungi, & ſucceſſorem idoneum cathedra Eccleſiæ viduata requirebat. Non multum quod aderat quæritur, nec diu ſententia melior ignorantiæ nocte differtur. Omnes in vnum coeunt, omnes viri in electione incumbunt, omnes ordinari ad Pontificatus infulas Agericum depoſcunt. Tentat vnus reſiſtere pluribus, multum ſe excuſando laborat, ſed roborante Domino præualuit ſententia cleri & populi. Dominus enim ad munimen vrbis præualidæ reparandum, ad cornu ſalutis contra malitiam erigendum, cooperabatur in populo. Tribus enim poſt tonſuram peractis annis à plebe Virdunenſium rapitur & in Eccleſia maiori ſanctæ Dei genitricis perducitur, & ab Epiſcopis Epiſcopus conſecratur. Suſcepit ad regendas oues Domini paſtoralem virgam, & non tyrannum ſe ouibus exhibuit, ſed ex veritate paſtorem. Non patiebatur, vt terra ſua contra ſe clamaret, & cum ea ſulci eius deflerent, ſed impiger inſtabat culturæ Domini, vt opere redderetur, quod nomine fatebatur. Habebat fidelem ante oculos aduocatum Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM iuſtum, eique ſe ſuoſque ſupplicatione aſſidua committebat. Holocauſta medullata offerebat pro omnibus, ne fortè labijs honorarent Dominum, & corde longè poſito manibus irritarent, fidémque verbo tenus profitentes actionibus abnegarent. Circumſpectis ſemper leonem inſidiantem orationibus allidebat, flãmas tentationum eleemoſynis redimebat, virtutum apothecas humilitatis arce ſeruabat. Terrebat hoſtes prædicationibus, vitia occulta proferebat in lucem, & tela mortifera inimici doctrinæ potentis acumine perfringebat, ſempérque ſeipſo robuſtior per IESVM Regem & Sacerdotem magnum vndique triumphabat. Nimirum vitabat & perhorrebat aliquatenus cõmittere, vnde teſtimonio conſcientiæ accuſatus ſub vmbra & folijs cogeretur effugere. Semper pauidus, ſemper ſollicitus, dum curã debitam ſuſceptis ouibus impendebat, victo hoſte, & liber vitijs ſeruitio iuſtitiæ ſe hilariter mancipabat. Loquebatur ſæpius & litteris & verbis cum præcone ſuo Angelo ſancto, conſilióque ipſius geſta precioſi Domino fidelis athletæ mittebat, talenta ſibi data ſæpius numerabat, ne fortè plus accipiens minus in lucro redderet & ſerò pœnitẽs obnoxius tenebris pauper & nudus vinculis traderetur. Fecit etiã ſigna, quæ cum poſſint cum reprobis haberi cõmunia, ille probabiliter ſimplici oculo, lucido corpore fecit, ouiũ ſuarum & totius mundi neceſſitate cõpulſus. Iuſto enim & ſancto Domino populo exaſperanti irato elementis pro eo cõtra inſenſatos pugnantibus receſſerunt nubes, aër incãduit, terra exaruit, viror herbarũ emarcuit aqua fontiũ venas dereliquit. Sicq; ſecedentibus elementis mũdus deſolatus elãguit. Vitioſitas enim vſu nutrita, niſi duro molliatur verbere, ad notitiã ſui redire dureſcit. Vnde factum eſt, vt tribus annis ſubtracta benedictione pluuiarum, cælum ſuper eos extenderetur, vt ferrum. Pertulerunt primum annum expectantes, ſecundũ deſperantes, in tertio defecerunt. Cùmque inter ſe nullum inueniſſent conſiliũ,

tandem prævaricatores ad corda quodammodo oblita redeuntes, concurrunt ad Pontificem, paſtorem inclamant, vt propitiaret Dominum peccatis iratum, remoueret vindictam, impetraret veniam, & creſcentes terras colonis morientibus reformaret. Flexit ſanctum generalis neceſſitas, & commune periculum communi oratione tolli conſuluit. Itaque triduanum ieiunium indixit, litanias per Eccleſias Domini fieri, crucem ad miſericordiſſimam Domini memoriam ferri, vt qui paſſus eſt pro peccatoribus Chriſtus propitiaretur eis ſanctorum interceſſionibus. Indixit hoc & iuſſit, & primus quod iuſſerat fecit. Egrediuntur indifferenter excalciati, cinere & cilicio obuoluuntur, inclamant miſerationem ſanctorum ad propitiationem Domini, tundunt pectora, lacrymas fundunt, ne Dominus iudicia faciens in operibus manuum ſuarum comprehenderet peccatores. Igitur prima Litaniarum die Paſtor ipſe cum ouibus gradiens, in præſentia concurrentium, oculos conuertit ad cælum, in corde ſuo quieſcentem ad miſericordiam commouit Dominum, & ſubito nubibus denſis obumbrato aëre fluxerunt aquæ. Sicque per triduum illis defluentibus pluuijs terra vigorem, herbæ virorem, fontes fluorem, arbores vitam, & mundus plenam recepit abundantiam. Nec latuit homines, viderunt & admirati ſunt, quanta de Paſtore ſancto apud Dominum cura conſtitit. Nam cum ſub nudo aere graderentur, omnéſque aquis deſcendentibus perfunderentur, ipſi Dominus in pluuia vmbraculum fecit. Hac & illac, vbi iuſſa aqua cecidit, ipſum ab aqua tangi prohibuit, qui omnia, quæcumque voluit fecit.

Cùm ergo iuxta conſuetudinem paſtoralem limina Eccleſiæ principalis ſanctæ Mariæ tereret, quidam Ioannes nomine membris ſolutus, neruis aridus, mortuus viribus, animâ ſubſiſtente, linguæ tantum officio præualens, vocibus, quas enerues habebat, Epiſcopum exorauit, dicens: Obſecro ſancte Dei, vt habeas in me miſericordiam. Cui Sacerdos flexus quodammodo & cum infirmo infirmatus reſpondit. Quid tibi vis faciam? Ad hæc languidus: Vt miſerearis mei, ait. Tunc Sacerdos in Domino ditiſſimus pauca de loculis protulit, & infirmo de plenitudine boni cordis exhibuit. Nam carnis ſuſtentaculum tribuens, dedit ſimul corporis ſolidamentum. Aridus quoque cum fide Chriſti ſuſcepit dona Sacerdotis, & cum eodem munere meruit ſanitatem recipere. His & huiuſmodi indicijs clarificante Domino ſeruum ſuum, cœpit manifeſtum eſſe omnibus, quòd ſanctus Agericus Chriſti eſſet alumnus. Tanta quippe virtutum copia de illo exibat, vt ſi quis infirmus eulogias de manu eius ſuſciperet, protinus ſanitatem reciperet. Cum ergo præfata baſilicæ calcaret limina, & ex more ſtudijs.....alibus operam daret, benignitatem oſtendit miraculi magnitudine. In ipſo enim ingreſſu mulierculam, Theteſcindem nomine, obuiam habuit, quæ baculo regente cæco viam quæſitabat errore, & ducem ſequebatur animum oculorum deſolatione. Qui ſtatim ſimplici Crucis medicamine tenebras quindecim annorum effugauit, & lucem diu abſentem luce fideli reſplendens protinus reparauit. Radiauit virtus per Crucem, radiauit & per Pontificem. In Pontifice regnabat pietas, in Cruce poteſtas. Nec pietas quicquam profeciſſet, niſi in fide Crucis præualuiſſet. Poteſtas enim tanta fuit in Cruce, vt non ſolùm fœminæ vultum illuſtraret orbatum, ſed lucem indeficientem per totum effunderet mundum. Poſtquam enim lux mundi pependit in Cruce, mundi climata reſplenduerunt non ſequente nocte. Nox diaboli regnum perdidit, dies Crucis obtinuit principatum. Hinc eſt quod ſanctus Epiſcopus tantùm præualuit, quia lucem per fidem Crucis & dilectionem in corde nutriuit. Signum Crucis ſuper oculos orbatæ fœminæ poſuit, quia Spiritus Sanctus in digito per virtutem Crucis fuit. Quid plura? Gaudet mulier, miratur ſolem, tenebras execratur, veneratur medicum, adorat Dominum in rerum diuerſitate mirabilem, quæ confuſionem prius tantummodo nouerat, & noctem. Ita Dominus per verum Iſraëlitam illuminauit hanc fœminam, populúmque admirantem excitauit ad laudem & gloriam ſuam.

Alio tempore cùm vidiſſet miſericordiæ amator, pietatis cultor, ſollicitus ouium paſtor quandam puellam, Childuidem nomine, à ſpiritu maligno raptam atque peruaſam, condolens miſeriæ, memórque officij, aſcendit protinus ex aduerſo, oppoſuit ſe murum furenti inimico, & oſtendens ſe vnum de illis canibus,

de quibus dicitur, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo, miſeræ medicatem linguam auxilij, hoſti & peruaſori dentes exeruit imperantis & domini, & latrans voce dominica, quæ mitis & patiens non clamauit, neque audita eſt in plateâ, perterruit ſemper tumidam nequitiam, & imaginem Dei, quæ ancillabatur violenter non domino, reddit liberam. Poſtquam enim dixit; Præcipio tibi ſpiritus immunde, vt exeas ab ea, & amplius non introeas in eam, ille percuſſus virtute omnipotentiæ, projectus eſt in terram abyſſum ſedis ſuæ, in igneâ ſpumâ, quam puella euomebat oſtendens, quo camino, quo clibano clandeſtino miſeram poſſidebat adurens. Illa manſuefacta ſéque ipſam cognoſcens laſſabunda ſubſedit, & perdita graſſantis interius inimici armatura mitis, & omnibus facta miraculo, amplius ſe ipſa pauitando miratur. Habere ſe incipit, quæ habebatur, & paulisper ſpiritu purgata extraneo ſpiritum naturæ recolligit: Remittit ſeruus Domini de ſeruitio maligno liberatam, & legitimo domino vniuerſorum, quod ſeruus mendax & ab initio homicida abſtulerat, ſeruire præcepit. O Deus potentiſſime, victorioſiſſime, miſericordiſſime reddant tibi ſerui tui potentes, quod habent ab te victorioſi & miſericordes: téque & omnia ſemper habebunt.

Hactenus ſequuti ſumus Dominum, quaſi per terram gradientem, deſcribentes, prout datum eſt, ſanctum ſuum famulum in caducis corporibus pietatis & miſericordiæ opera exercentem: jam nunc nos eleuare cogit ſpiritus viuificans volubilem rotam ſcripturæ & ſpirituale miraculum penna corporea & viſibili denotare. Beatus enim Agericus Apoſtóli præceptum in corde ſeruans, & opere complens, dicentis: ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, contigit vt iaceret intempeſto cuiuſdam noctis memor Domini in ſtratu ſuo, & tunc ſecretò ſuaui ac dulci voluptate meditationibus ſanctis igneſcens, ipſius quoque corporis pondus ſpiritus lenitate excedens, ſubitò lumen, quod ante ipſum ardebat, extinctum eſt, & remanſit peruigil ac ſobrius, non viſu, non auditu, non vllo ſenſu, vel carnalium obſtaculo impeditus. Cúmque totus ſecum totum ſe Deo extenderet, & anima ſancta corpore graui preſſa in Dominum ſe ſpeculando dilataret, aſcendente eo ad ſuperna ex deſiderio, familia ad eum ſuperna deſcendit, & multitudo Angelorum domus eius ſanctitudinem penetrauit & perluſtrauit. Refulgebat cella accubitalis ſanctorum Angelorum ſplendoribus, & quot miniſtri gloriæ, tot lumina gloriarum, canebant hymnos cum conciui & contubernali ſuo, & inenarrabiles Domino dominorum glorioſo in ſanctis harmonias reſonabant. Hauriebat ille ac deguſtabat ſuauitatem vaſe fragilis corporis ampliorem, nec munera Domini ſuperundantia caro infirma comprehendere vel continere valebat. Laudabatur ab Angelis ſanctis gratia Dei & miſericordia in ſanctos eius eius & reſpectus in electos illius. Cúmque tot gaudia in conſpectu Epiſcopi chorea cœleſtis exhiberet ad profectum, ſupplendúmque totius ſanctæ Eccleſiæ præſidium, ſanctos anteceſſores ſuos Epiſcopos Maurum, Saluinum, Aratorem, ille Sanctorum ſenatus reuelauit, quorum erant in ſuo collegio animæ, corpora verò terræ credita in ignorantiâ celabantur. Hæc munera, hæc tam precioſa ſymbola cæleſtes conciues hoſpiti ſuo & conciui in munificentia reliquerunt, qui multis ante eum annis Virdunenſem Eccleſiam rexerunt, & conjuncti Domino conjuncti quoque fuere ſepulcro. Igitur poſt viſitationem tam mirabilem, cùm lux & Angeli cœlo ſe recepiſſent, illi qui cubiculo ſimul inerant, tanto attoniti miraculo penè exanimes redditi ſunt ſtupore diuino. Quibus ſanctus Domini fortiſſima increpatione prohibuit, ne vlli hominum hæc dicendo publicarent, quamdiu ipſe in huius vitæ curriculo permaneret. Lærata ſunt ergo Sanctorum corpora auro obryzo precioſiora, & in Eccleſiâ, vbi ſedem habuerunt requietionis, ſancti Petri Apoſtoli nomine à beato Sanctino conſecrata honorabiliter & ſanctiſſimè ab ipſo viro Dei pridie Nonas Septembris ſunt ordinata, & dies tranſlationis & reuelationis eorum per ſuccedentia tempora celebritatis annuæ eſt honore inſignita. Quorum merita ad ſepulchra illorum oſtendunt frequentia miracula. Nos ergo eo iam meliore via ſuſcepto, jam ad patriam felicitatis æternæ perducto, ſecutè de tam glorioſa miſeratione ad laudem Domini & præconium ſerui ſui fidelis fideliter & deuota humilitate placeret aliquantulum declamare. Denique ille placens & adhærens Domino in regione viuorum nobis exemplum reliquit, auxilium impendit in regione mortuorum, vt & nos noſtra ad normam

M iij

iuſtitiæ informemus opera, & de iuſtis operibus proferamus verba. Orabat ſine intermiſſione, vt impleret præceptum Domini: Oportet ſemper orare, & non deficere. Quomodo autem non deficiens orabat? Quia Dominum ſanctis precibus ſanctiſque operibus benedicebat, quemadmodum Dauid de ſe ipſo dicebat: Benedicam dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Et Tobias ad filium: Omni, inquit, tempore benedic Dominum, & reliqua. Sicut enim malis operibus fidem negamus, ſic è contra bonis operibus adſtruimus, & bene Dominum orat, qui prece aut bono opere proximum ædificat. Quia autem, ſicut paſtores illi Euangelici ſuper gregem vigilabant, ita iſte orationibus Domino acceptis cuſtodiæ commiſſorum inſtabat, ideo meruit ab Angelis viſitari, & mortalis adhuc luce cæleſtium perfrui. Et ſicut illi gloriam in excelſis Domino, & pacem bonæ voluntatis hominibus annunciabant, ita iſti Dominum in ſuo ſancto Pontifice glorificabant. Quomodo etiam illi ad ſalutem mundi deſignauerant natiuitatem Chriſti, ita iſti ad ſalutem Eccleſiæ Sanctorum corpora monſtrauerunt. Igitur ab Angelis, ab animabus ſanctis, à nobis etiam in corpore minimis decanteturgloria Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, qui eſt benedictus in ſæcula. Hæc ad gloriam Dei & commonitionem audientium dixiſſe ſufficiat, hinc redeamus ad cauſam.

Anno centeſimo quinquageſimo ſeptimo poſt obitum ſancti Martini, ſanctus Eufronius Eduenſis Epiſcopus Turonicus ſedit regnante Clothario. Hic defuncto Ariberto in ſedem eius Sigebertum induxit.

Theodebaldus. Theodeberto igitur Rege ad ſuperna demigrante, Theodebaldus filius eius ſucceſſit, valdè iniquus & mali ingenij, qui obijt ſeptimo anno regni ſui. Regnum eius Clotharius accepit. Childebertus quoque Pariſius obijt: & ſic Clotharius monarchiam obtinuit. Hic Clotharius ſororem ſuam Anſberto in matrimonium iunxit, & genuit Arnoldum, Arnoldus Arnulfum Epiſcopum Metenſem, Arnulfus Anchiſen qui & Anſegiſus, Auſegiſus Pippinum, Pippinus Carolum. *Ansbertus*

Clotarij mors. Eo tempore Clotharius filium ſuum Cramnum contra ſe rebellantem, & res nouas molientem, cùm prius captus fuiſſet & ligatus, iuſſit igne comburi. Poſthæc Clotharius pro peccatis ſuis ad limina ſancti Martini properauit, vnde rediens Compendio villa obijt anno ab Incarnatione Domini DLXVII. ætatis ſuæ anno XCV. anno regni ſui quinquageſimo primo, & regnum eius quatuor filij eius inter ſe diuiſerunt. Chilpericus regnum patris obtinuit ſedem habens Sueſſionis.

In margine additur: ſub quo paſſus eſt ſanctus Præiectus martyr & Pontifex Aruernorum interfectus à ſuis ciuibus, anno ab Incarnat. Dom. DLXXX. & ſucceſsit ei Auitus qui præfuit non plenis annis quindecim, & ei ſanctus Bonitus ſucceſſit.

Aribertus regnum Childeberti, ſedem habens Pariſius: Guntramnus regnum Clodomeris, ſedem habens Aurelianis: Sigebertus regnum Theodorici, ſedem habens Mettis. Hunni Gallias experierunt, quo Sigebertus vicit, fugauit, & pòſt cum eis pacem inijt. Chilpericus interea Remenſem vrbem & alias vrbes de regno Sigeberti inuaſit, vnde bellum ciuile inter eos fuit. Sigebertus Sueſſionem oppugnat, Theodebertum Chilperici filium capit, & exilio relegat, ipſum ſuperat, & vrbes recipit. Poſt annum filium ei reddit, & pacem firmat. Guntramnus in Burgundia regnans fuit vir bonus, & eleemoſynis deditus. Sigebertus verò videns, quod Aribertus & Guntramnus viles vxores acciperent, Brunam, quæ & Brunichildis dicitur, filiam Athanagildi Regis Hiſpaniæ, vxorem accepit, cuius conſilio multa mala & ſanguinis effuſio in Franciâ facta ſunt. Chilpericus quoque ſororem eius Gachiliſſindam vxorem duxit, relinquens Fredegundem, & alias vxores, quas habebat, quam poſtea fracto iuramento, quod habuerat ad Gothos, ne eam de regno deponeret, ſugillare fecit, & ſic Fredegundem recepit, quæ poſtmodum crudeliſſimam vitam digna morte finiuit. Hic Nerone pejor, & Herode, Eccleſias Dei vaſtauit, & multos Sanctorum interfecit: deſcriptiones grauiſſimas in toto regno ſuo fecit, quas cum ferme per omne regnum percepiſſet, qui ferebat, à Lemouicinis interceptus, peremptus eſt, & deſcriptiones combuſtæ. Ab hoc etiam peremptus eſt Hector Maſſiliæ Patricius, cùm ab eo ſanctus Præjectus iniuſtè ante ipſum delatus eſſet, & cauſam delati probare, vt dixerat, nequiuiſſet.

Anno ab Incarnatione Domini D L X V I. Sigebertus regnare cœpit & regnauit annis quatuordecim: Guntramnus quoque Langobardos regno ſuo irruentes tanta cæde perdomuit, vt ex omni exercitu illorum quadraginta tantùm Italiam redirent. Poſt hæc Chilpericus & Sigebertus conſilium ineunt, vt Guntramnum interficiant, & regnum eius accipiant. Sed Domini voluntate mutati conſilio Sigebertus ſuper Chilpericum irruit, qui fugit Tornacum, & ille Pariſius venit, vbi correptus à ſancto Germano Pariſienſi, vt deſiſteret fratrem perſequi, audire noluit. Cui Epiſcopus dixit; ſcriptum: Qui parat fratri ſuo foueam, prior incidit in eam. Veniens autem Victuriaco omnes Neuſtraſios in deditionem recepit, & ibi dolo interfectus eſt à duobus pueris, qui etiam deprehenſi interfecti ſunt, & ſic Chilpericus regnum recepit. Obijt autem Sigebertus anno regni ſui decimotertio, ætate quadragenaria, & regnabat Childebertus filius eius pro eo anno D L X X X I I. Indictione X V. Brunichildis Pariſius ſub cuſtodia cum filio Childeberto detinebatur: ſed puer in pera per feneſtram dimittitur, & Mettim à Gundebaudo Duce in regno patris ſublimatur. Brunichildis verò iuſſu Chilperici Rotomagum exilio damnatur anno primo regni Childeberti: Eo anno tranſiit ſanctus Germanus Pariſiorum Epiſcopus, & Regnamundus ſucceſſit. Chilpericus itaque filium ſuum Meroueum Pictauis cum exercitu direxit, qui relicta ordinatione patris adjuncto ſibi Guntramno Boſone Duce Rotomagum petijt, & Brunichildem in conjugium accepit. Quod audiens Chilpericus Rotomagum venit, & poſt paucos dies aſſumpto Merouco Sueſſionis redijt, & non multò pòſt propter conjunctionem Brunichildis ſuſpectum habens ſpoliatum omnibus cuſtodiæ mancipauit. Qui dum in cuſtodia detineretur tonſoratus eſt, mutatáque veſte Presbyter ordinatur, & fugiens Eccleſiam petijt ſancti Martini apud vrbem Turonicam, vbi hæc geſta ſunt. Latuit in eadem baſilica per duos menſes; & poſthæc ad Brunichildem redijt, & ab Auſtraſiis receptus non eſt. Cum ergo in Remenſi Campania latitaret doloſè captus ab Atrebatenſibus, & timens ne patri redderetur, ſocium monuit vt irrueret ſuper eum. Quo facto adueniente Rege, mortuus inuentus eſt.

Sigebertus. Guntramnus. Chilpericus. Childebertus. S. Germanus. Merouei.

His diebus apud Conſtantinopolim cum amentia mortuo Iuſtino Tiberius Imperator factus eſt largus in eleemoſynis. Quinto anno Childeberti magna Chriſtianorum perſequutio in Hiſpanijs facta eſt. Dyſentericus quoque morbus Gallias præoccupauit, quo ingraueſcente, Chilpericus adultos iam tres filios vno anno perdidit: quartus, qui ſuperfuit, nomine Clodoueus, carceri mancipatur, & factione matris cultro à patre perimitur. Childebertus Rex ſororem ſuam Hermenigildo Wiſigothorum Regis filio tradidit, cuius hortatu & Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi prædicatione ad fidem Chriſti conuerſus eſt. Poſt Tiberium Mauricius accepit imperium, à quo Childebertus quinquaginta millia ſolidos auri accepit, vt Langobardos Italia pelleret. Intrauit ergo Italiam & omnes ditioni eius ſe ſubdiderunt, cum quibus & amicitiam firmauit, & glorioſè inde reuerſus eſt. Cùm ergo placitum & conuentum multorum Virduni habere debuiſſet, & beatum Agericum, de quo agitur, dilectionis & venerationis amplexibus honoraret, eum opſonijs neceſſarijs grauari non patiens, remouit ſeruitij neceſſitatem, & placitum tranſtulit ad ciuitatem Mettenſem. Címque conſequenti tempore per vrbem feciſſet tranſitum, & à ſancto Pontifice benigna eſſet ſuſceptus dulcedine, humanitas quoque hoſpitalis ei exhiberetur cum omni cura & ſollicitudine, in ipſo feruore Regiæ ſeruitutis accedens ad eum Oeconomus rerum ſuarum vniuerſalis; Et ſi alia, inquit, Domine prouidendo abundamus, vinum vt majeſtati regiæ decet, exhibere non poſſumus, quia præter vas medium, quod tonna vulgariter dicitur, nihil habemus. Tunc vir Dei in re corporea anguſtiatus, ſed corde in Domino dilatatus: Noli, ait, deſperatione langueſcere, ſed affer mihi de eodem liquore: potens eſt Deus triſtitiam paruitatis noſtræ in gaudium abundantiæ commutare. Dixit, & allato ſibi vino paululum ſorbuit, & ad cælum oculos ſubleuans, Domine, inquit, oro vt fiat ipſius vini amplificatio: Cúmque ipſius præcepto refudiſſet illud in vaſe ſupradicto, cœpit vinum copioſè miniſtrari, cœpit copioſè affluere, & quantò ampliùs vacuabatur ad libitum bibentium efferendo, tantò magis augebatur creatoris iuſſu & virtute redundando. Poterat namque iſtud omnipotens, qui de aqua vinum fecerat in Cana Galilææ,

Tiberius. Mauricius.

poterat & de vino vinum facere ſincera verbi petentis & indubia fide. Quid plura? Biberunt vt Galli, nec erat menſura in erogando. Multis diebus vas illud vinarium conari ſunt vacuare, & quodammodo vina infundere videbantur, dum effuſioni inſtarent. Creſcebat modica benedictio multis vorantibus, & Domino imperante modum naturæ ſuperabat. Ad vltimum finito ſeruitio, nec imminuto vino, Rex miraculo ſtupefactus, Epiſcopo humiliatus Dominum in ipſo veneratus Regiam oſtendit largitatem, & qui virtutis vinum biberat, vineas & poſſeſſiones ex amore & deuotione Epiſcopi Eccleſiæ obtulit, quas & vſque hodie priuilegio & deinceps auctoritate ſtabili poſſedit. Sanè virtutis vinum per Præſulem ſanctum à Domino virtutum Regi & comitibus propinatum corda deuota populi adeo tunc temporis lætificauit, vt in loco, quo copia ex benedictione profluxerat, altare conſtituerent, quatenus huiuſmodi ſigno ſæcula ventura noſcerent, cuius meriti excellentia beatus Agericus apud Dominum in gloria æterna fulgeret. Quidam valde nobilis, cùm pro ſuis ſceleribus à Rege vita priuari debuiſſet, precibus beati Antiſtitis ſaluatus eſt: vnde dedit ille Virdunenſi Eccleſiæ Alodium ſuum & ſcripto roborauit.

Guntramnus Boſo. Guntramnus Boſo Dux cum exoſus Reginæ haberetur, cœpit per Epiſcopos & Proceres diſcurrere, & veniam deprecari. Nam cùm eſſet Childebertus iuuenis Reginam conuicijs & improperijs laceſſebat, vnde & à Rege iuſſus eſt perſequi, qui cùm ſe cerneret in diſcrimine poſitum, Virdunum petijt, putans per beatum Agericum, qui pater Regis erat ex lauacro ſe poſſe ſaluari, pro quo Epiſcopus interceſſurus ad regẽ properat. Quod cùm rex negare nequiret, ait: Veniat & datis fideiuſſoribus in præſentia patrui mei exequatur iudicium. Adductus ergo & armis nudatus & coram Rege proſtratus à terra iuſſus eſt ſurgere, & ſancto Sacerdoti vſque ad præſentiam Guntramni eſt commiſſus. Poſthæc Childebertus cum matre, ſorore, & conjuge in occurſum patrui feſtinat. Quibus coniunctis præſentatur & Guntramnus Boſo abſque vllius defenſione, quia ſic conuenerat ſanctus Epiſcopus: Epiſcopus verò remanſit. Sed cum ille pro diuerſis facilitatibus culpabilis iudicaretur, ad manſionem Epiſcopi confugit. Quo cùm eum interfectores inſequerentur, & ille à viro ſancto auelli ſe non pateretur, nuncij etiam ad Regem miſſi ab Epiſcopo interceſſores Abbates & Clerici non audirentur, iuſſu Guntramni injectus eſt ignis domui illi, vt ſi Epiſcopus egredi nollet, pariter concremaretur. Quod audientes Clerici, vi effracto oſtio Sacerdotem eijciunt. Miſer autem ille, cùm ſe videret flammis vrgeri, domúmque egredi tentaret, ſuſceptus ab

Bertefredus. hoſtibus interfectus eſt: quod multum Sacerdos doluit. Cùm autem quidam de regni primoribus de morte Regum, patrui ſcilicet & nepotis, tractaſſent, & deprehenſi interficerentur, quidam eorum Bertefredus nomine ad vrbem Virdunenſium confugit. Quo inſequentibus aduerſarijs domum Eccleſiæ, in qua erat Epiſcopus, in quam & ille confugerat, exercitu vallant, & aſcendentes ſuper tectum tegulis & maretijs tecti illidentes interfecerunt illum cum tribus pueris. Multum ex hoc doluit ſanctus Epiſcopus, quòd non ſolùm eum defenſare non potuit, verùm etiam locum, quo orare conſueuerat, vbi & pignera Sanctorum multa aggregauerat, humano ſanguine pollui vidit. Multa verò Childebertus munera miſit, vt à mœrore reuocaret, ſed conſolari non potuit. Verum diuturnæ amaritudinis mœrore grauiter ægrotare cœpit, præſertim autem Guntramni filios ſecum retinens quotidie fleret illos ſibi ſoli relictos orphanos.

Tranſibat aliquando hic ſanctus per ciuitatem Laudunenſium, & ecce obuiam ſibi fuit quidam manicis ſtrictus & compedibus, cui tortore præeunte carcer aperiebatur obſcurus. Ibat ſed magis impellebatur infelix vagitibus plateas implens & lacrymis omnes, quos offendebat, ad auxilium vlulatu, & gemitu prouocabat. Talis eſt peccatorum redditio: ſera ſemper pœnitentia tormento ſuſcipitur, & illecebræ voluptatum aſperis & amaris exitibus puniuntur. Cùmque miſerabilis miſericordem aſpiceret virum, petiuit, vt potuit, ſibi refugium, & vt ei impenderet orationis ſuffragium. Audiuit miſericordia, & Pontifex tactus dolore & compaſſione intrinſecus, conuenit tortorem multa prece ſupplici poſtulatione, vt flecteretur & propitiaretur miſero indulgentiæ lenitate. Abnegauit, & repulit, nec eum aliquatenus audire conſenſit. Illius flagitia & facinora animum Iudicis infrænabant, ne flecteretur miſericordia. Petijt ſecundò & tertiò, repulſus eſt, tripli-

triplicauit precem, & auditus non eſt. Quid faceret pietas? Quô ſe verteret? Homo hominem neque cogere neque precari valebat, & pietas nihilominus increſcebat. Itaque conuerſus ad Dominum porrexit vota in cælum: cucurrit ad miſericordiæ fontem ſæpius expertum, orans, vt miſero eſſet in auxilium & ſolueret iuſſio inuiſibilis & omnipotens, quod deſpexerat iudex ſuperbus & inſolens,

Audijt omnipotens, ſubitóque ligamina ſoluit,
Vincla cadunt, & nemo patet qui vincula ſoluat,
Nulla manus, vis nulla, Dei niſi iuſſio ſummi.

Cúmque hoc iudex obſtupefactus aſpiceret, confuſus & timore correptus, corruit ad pedes ſancti inobedientiæ compede vinctus, petens iam & implorans ſibi veniam, quam noluerat impendere proximo poſtulanti. Indulget vincto per culpam ſoluto per veniam tantum gratiam poſtulans, qua ſoluatur. Ita Dominus operatus in ſeruum, illum reatu, illum indulgentia liberauit.

Hæc pauca diuinæ virtutis miracula per virum ſanctum nobis monſtrata, nos pro modulo noſtro litteris indicibus poſteris ad notitiam ſalutis annotauimus, & digitum Dei, per quem oppreſſa Ægyptus, per quem ejectus eſt inimicus, per quem menſura fidei, per quem diuiſio chariſmatum eſt diuinorum in his operatum adoramus. Exteriora, quia ſunt viſibilia, quaſi faciem huius Patris noſtri publicam decorámque pingentes, & coloribus verborum ignobilium informantes. Sed ſi cum ſudoribus & labore vix peruenimus ad oſtium, id eſt ad comprehenſionem exteriorum, quid de interioribus faciemus? Quomodo clauſa & abſcondita penetrabimus? Nimirum ipſe Dei ſeruus in hoc maximè & ſollicitè ſeruiuit Domino, quia vocem eius medullitus obaudiuit: quia Euangelio promulgante percepit. Tu, inquit, cùm oraueris, intra in cubiculum & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Quid igitur mirum, ſi arcana eius nequimus agnoſcere, qui extra oſtium compellimur excubare? Nimirum detrimenti cauſam deputabat, ſi vel amicus ſecreta ſua cognoſceret. Legerat Ezechiam Regem in hoc ſibi Dominum placabilem improuidè offendiſſe, quòd nuncijs Babylonis theſauros ſuos & aromatum cellas inuentûs & reprehenſus eſt oſtendiſſe. Timebat & ſollicitus inuigilabat, ne ſi hoſtis inſidias, oſtiariâ ſegniter ſoporatâ, domum eius irrumperet, ſomno mortis obrutus negligentia deperiret. Quapropter ſeruabat cor ſuum omni cuſtodia, & templum Dei ſanctum in ſe illæſum illibatúmque conſeruans, & permundans, varijs bonorum operum floribus adornabat. Concurrebat enim populus & ciuitas tota quotidie confluebat, vt de Sanctuario Dei per ipſum oracula ſalutis, ſicut antiquus populus per Moyſen & vitæ reſponſa perciperent. Sacerdos ipſe ſummus tam pro ſe quàm pro commiſſis hoſtias Domino ſæpius immolabat, & legem Dei ad faciendum eam de cathedra Eccleſiæ prædocebat. Ita veſtibus Aaron precioſis, & ſanctis ſpirituali lege perfungens, Domini Chriſti vicarius ſeipſum hoſtiam ſanctam Domino placentem offerebat pro populi ſalute, in adquiſitione laudis æternæ. Hunc talem tam gloriæ ſingularis heredem Dominus ipſe reddebat, qui eum & antequam naſceretur prælegerat, qui cum per ſe per miniſtros claros domus ſuæ, & cum eo omni tempore erat, & frequentibus concurſibus viſitabat. Hos faſces, hæc inſignia vrbis æternæ, hanc ciuicam coronam Ieruſalem ſupernæ, quomodo poteſt filius hominis vermis apprehendere?

Cùm ergo vir Dei dies ſuos virtutibus omni ſtudio impleret, & lucrum bonum de commiſſis ſibi talentis bono Domino fideliter congregaret, hoſpitalitatis officiũ iuxta Apoſtoli præceptũ ſollicitus exhiberet, contigit ſemel ſibi Clericũ Fortunatum nomine ſuperueniſſe. Cum enim eſſet idẽ Fortunatus in Italia, in vrbe ſcilicet Rauennâ, & nimium oculorũ dolorem pateretur, venit ad quoddam Monaſterium in Fortunatus. eadẽ vrbe intra muros in honore ſanctorum Ioannis & Pauli, & viſum eſt illi, vt de oleo lampadis ante altare ardentis oculos ſuos liniret ſub nomine ſancti Martini. Quod vt fecit protinus meritis ipſius oculorum ſalutẽ recepit. Qui flagrans deſiderio viſendi ſepulcrum beati Martini de Italia venit in Galliã, & fuit iter illius per Virdunũ. Quem Epiſcopus, cui lex Canonica iubet omnes ſuſcipere, benignè ſuſcepit, humanè ſeruiuit, & viſcera ſuper eũ totius ſanctitatis & pietatis pro cõſuetudine ſua bona patefecit. At ille remunerationẽ cogitans pro ſeruitute ſuſceptà cùm voto expleto Pictauim rediens ibi habitaret cõſecratus in Presbyterũ, & poſt in eiuſdẽ vrbis Epiſcopũ, & eſſet doctus arte Grãmatica, cõpoſuit ibi carmẽ in laude ipſius Hexametris comptum & Pentametris verſibus, quos hîc ſubjungere operæ preciũ duximus:

Vrbs Virduna, breui quamuis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Major in anguſto præfulget gratia gyro,
Agerice, tuus, quæ magis auxit honor.
Plurima magnarum fudiſti ſemina laudum,
Quæ matura operæ fertilitate meres.
Tempore præſenti victum largitus egenis,
Vnde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis arcani reſeras penetralia paſtor:
Non ſolùm dapibus, paſcis & ore greges.
Templa vetuſta nouas, precioſiùs & noua condis,
Cultior eſt Domini te famulante domus.
Egregios fontes ſacri baptiſmalis exples,
Tam pia diuino fonte repletus agis.
Candida ſincero radias hæc aula ſereno:
Et ſi ſol fugiat, hic manet acta dies.
Ad noua templa auidè concurrunt vndique plebes,
Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te ſolamen inops meruit, te nudus amictum
Et ſolus cunctis potus & eſca manes.
Felix, qui meritis æternæ lucis amator,
Tempora nunc modico non moritura paras.
Phœbus vt elatum ſuſpendit in æthera curſum,
Purus & igniferum ſpargit vbique iubar:
Effuſis radijs totum ſibi vendicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenet.
Sic Præſul ſplendore animi cum ſole coruſcas,
Ille ſuis radijs fulget, & ipſe tuis.
Agerice ſacer, cuius ſermone colente
Eccleſiæ ſegetes fertilitate placent.
Terrenis ſterilis rebus, fœcunde ſupernis,
Cuncta caduca negans, diues iture polis.
Illecebris mundus, mundi laſciua repellens,
Nil cui ſubripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mens diſcrimine gaudet,
Cum tua delictis libera membra vides.
In templis habitando pijs ſic purus haberis,
Vt tua corda Pater ſint pia templa Dei.
Eligit in tali ſe Chriſtus vaſe recondi:
Quam ſibi purgauit poſſidet ipſe domum.
Non dolus in labijs, non ſunt fera nubila mentis,
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen ſalienti fonte refundis,
Et ſenſus ſteriles voce rigante fouis.
Ardua cælorum pandis myſteria terris,
Per quem plus Dominum ſcit, timet, orat, amat.
Dogmate diuino Præſul facunde triumphans,
Das paſtor meritis ne premat error oues.
Delicijs reficis, quas cælum, arua, vnda miniſtrat,
Et ſatiat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit o pauper opem, triſtis ſpem, nudus amictum,
Omnia quidquid habes omnibus eſſe facis.
Hic tibi longa ſalus maneat, licet inde futura:
Atque diu paſtor pro grege vota feras.

Cùm igitur prolongatum vitæ huius incolatum mortem delectabiliter expectans diù patientiſſimè protuliſſet, & pondus impoſitum diei & æſtus ſpe ſalutari infatigabiliter deportaſſet, & lacrymas quoque creſcentis quotidie deſiderij panes bonæ ac lætæ conſolationis habuiſſet, videns inimicos ſuos victoriâ vitiorum ſcabellum

pedum ſuorum, gaudebat anima eius in Domino, & exultabat ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo. Vincula terrenæ molis grauiter tolerabar, & quanto viribus deſtituébatur corporis tantò magis libertatem promiſſam amplius ſitiebat cum Apoſtolo dicens, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo magis melius. Quod per ſpeculum in ænigmate iam ſenex ac laſſabundus tenebat, hoc videre ardebat per ſpeciem. Bonus autem Dominus meſſis differebat ſuccisionem, quia opportunam nouerat & diſponebat maturitatem. Viderat eum & adjuuerat in hac hyeme aſperâ perniciter deſudaſſe, ventos tentationum, pruinas tribulationum, aduſtiones voluptatum ſuperaſſe, & prouidus ſanctarum virtutum agricola fructum multiplicem terræ bonæ differebat ſuccidere, plenitudinem eius accumulans in patientia. Appropinquauit igitur veſpera mortis, & gaudens, ac præteritorum quodammodo immemor, in anteriora ſe extendebat præparatæ pauſationis denarium à patre familias repoſcens pactæ ac diu expectatæ mercedis. Non fefellit eum ſpei ancora omnibus firma periculis, & veritas de promiſſionis vmbraculo proceſſit in lucem. Tactus enim digladiabili ſorte naturæ, & ſciens ſibi diſcidium corporis & animæ ſuperuenire, confidens in Domino, qui poteſt & animam & corpus perdere & ſaluare, conuocati iuſſit omnes Eccleſiæ ſuæ filios, & in Eccleſiâ meliores, & conſueta ſalutis documenta replicans, ſeque illis commendans, ad vltimum ait futura prænuntians: Sabbaro venturo filij Cariſſimi ſcitote magnam futuram ſerenitatem cœli. Sereniſſimus enim Sabbati Dominus mihi ſeruo ſuo fideli dabit Sabbatum requietionis, & pertæſum labore ſex dierum huius ſæculi, in ſeptimum ſine veſpera omni labore liberum tranſportabit. Terræ igitur matri, quod ſuum eſt reddire: Nam Dominus vita mea recipiet, quod inſpirauit in faciem meam ſpiraculum vitæ. Vos etiam obſecto fratres, & nunc pro vobis ſollicitus, vt numquam à memoria veſtra recedat, qui ſemper & vbique vobiſcum eſt Deus. Dicebat hæc, aliáque ſimilia, & quaſi ad paſcha ſuperuenturum ſe præparans, ſordes & conragia circunſtantium atque lugentium ſacra & multimoda admonitione eluebat: nunc de his, quæ relinquebat, caſtigando retrahens, nunc ad ea, ad quæ tranſmigrabat, inſtigando impellens. Venit quod prædixerat ſabbatum, & ecce repente in cellâ, vbi æger recumbebat, auditur frequentia, audiuntur voces, quas nec lingua edicere, nec vox poteſt reſonare mortalium. Ceſſerunt lacrymæ, ſtupor & extaſis omnes inuaſit, miraculo & terrore omnes tenuere ſilentium. Audiebantur carmina ſexuum diuerſitate diuerſa, nec qui eſſent cantores, corpulentia tenebroſa & fragilis videre præualebat. Hoc tripudio, hac ſymphoniâ lætatæ inter ſupernorum ciuium exultationes, inter manus ſanctorum Angelorum dulciſſimi Pontificis anima de corruptibili corpore exempta, veluti niuea columba, cunctis videntibus euolauit, quorum Dominus oculos, vt videre meretentur, aperuit. Ibi felix & beata anima illud vnum, quod in Euangelio ſaluator docet, neceſſarium, ab eodem Domino perenniter & feliciter recipit. Obijt autem pro illis, vt ſupra dictum eſt, cauſis amaritudinis felle adgrauatus, maximè inediâ conſumptus. Curatum eſt ſanè corpus eius ſacratiſſimum pia filiorum diligentia, & iuxta Patris vltima præcepta terræ mandatum in Eccleſia ſancti Andreæ & beati Martini nomine conſecratâ. Vbi meritis eius & precibus exuberant diuina beneficia, cunctóſque Domini medetur pietas. Requieuit autem menſe Decembrio, die primo, qui erat dies Sabbati. Annunciatus eſt ab Angelo, anno ab Incarnat. Dom. DXVIII. natus poſt triennium anno DXXI. ordinatus in Pontificem anno ætatis XXXIII. ab Incar. Dom. DLIII. Indictione III. regni Theodeberti anno XIII. poſt quintam Synodum Conſtantinopolitanam anno ſecundo, Pontificatum agente Romanæ Eccleſiæ Papâ Vigilio, imperante Iuſtiniano minore anno XXVIII. Iuſtiniani majoris nepote. Vixit in Epiſcopatu annos XLVII. deceſſit ætatis ſuæ anno LXXXI. ab Inc. Dom. DCII. Indictione V. qui erat annus Guntramni XXXVI. Papatus domini Gregorij Papæ annus XII. Butiualdus quidã Abbas Epiſcopatum ambiens, quia eſſet ſuperbus, nihil obtinuit. Caramerum Referendarium cum conſenſu ciuium Regalis aſſenſit auctoritas fieri Sacerdotẽ. Poſt eum extitit Ermenfridus, de quibus nullã aliã habemus memoriã, niſi quod in ordine Epiſcoporũ Epiſcopi ſunt reperti. Verùm de his nunc iſta ſufficiant.

Error in numeris.

Caramerus.

Chilpericus itaque, Nerone pejor & Herode, poſt multa mala, bella, cædes, & deſcriptiones nouas & grauiſſimas, quas in omni regno ſuo fecit, dum de ve-

Chilpericus.

natione apud villam Calenſem iuxta Pariſium iam ſubobſcura nocte rediret, dum de equo ſuſciperetur, & vnam manum ſuper pueri ſcapulam reneret, adueniens quidam, nomine Falco, miſſus à Brunichilde, cultro eum ſub aſcellâ percuſſit, *Falco.* & iterato ictu ſpiritum eius fudit. Hic multas regiones deuaſtauit, Epiſcopos execrabatur, teſtamenta Eccleſiarum multa diſrupit, nullum vnquam dilexit, à nemine dilectus eſt. Cum ſpiritum exhalaſſet, ſolus derelictus eſt. Hunc Madelulfus Siluanectenſis Epiſcopus noctu ſepeliuit. Obijt anno DLXXXVIII. anno.... Childeberti filij Sigeberti.

Anno igitur ab Incarnat. Domini DXCIII. regnante Guntramno, anno regni *Guntramnus.* ſui XXV. ipſe domnus Guntramnus Rex Eccleſiam in ſuburbio Cabilonenſi in honore ſancti Marcelli ædificauit, quam rebus plurimis ditauit, & congregans Synodum quadraginta Epiſcoporum Monachos inibi eſſe decreuit adinſtar Monaſterii Agaunenſis. Cúmque ei perlatum fuiſſet, quod frater ſuus Chilpericus interfectus fuiſſet, abiit Pariſius, baptizatum filium Chilperici, nomine Clotharium, ipſe de fonte ſuſcepit, & in regna patris conſtituit.

Anno XXVI. regni eius filius naſcitur Childeberto Theodebertus, & anno ſequenti Theodericus. Guntramnus Childebertum adoptauit in filium, quia filios non habebat. Ipſo anno gens Perſarum credidit Chriſto, & baptizatus eſt Imperator Perſarum à ſancto Ioanne Conſtantinopolitano, cum ſexaginta millibus eorum.

Anno XXX. regni eius qui erat ab Incarnat. Domini DXCVIII. inuenta eſt tunica Domini noſtri IESV-CHRISTI inconſutilis, & à Gregorio Antiocheno, Thomâ Hieroſolymitano, Ioanne Conſtantinopolitano, & alijs multis de Zafati ciuitate cum arca marmorea leuata, ordine pedeſtri Hieroſolymam perlata eſt, & in loco, vbi Crux adoratur, cum triumpho poſita.

Childebertus. Guntramnus, poſtquam XXXIII. annis regnum Burgundiæ tenuit, moritur quinto Kalendas Aprilis, ſepultus eſt Cabilone. Regnum eius Childebertus aſſumpſit, quod annos quatuor tenuit, & mortuus eſt in adoleſcentiâ, anno regni ſui decimoſeptimo, ætatis vigeſimoquinto, ab Incarnatione Domini DCV. *Theodebertus. Theodericus.* Filij eius regnum ſuſceperunt Theodebertus Auſtrafiorum ſedem habens Mettim: Theodericus regnum Guntramni in Burgundia ſedem habens Aurelianis. Hi duo Reges contra Clotharium Chilperici filium arma mouent, vbi Clotharius opprimitur, & quâ poteſt conditione pacem facit.

Anno regni.... Theoderici, qui erat ab Incarnatione Domini DCII (*vt quidem abraſo priori numero neſcio quis reſtituit*) *Phocas.* Phocas Dux & Patricius reipublicæ Mauricium Imperatorem interfecit & imperium aſſumpſit. Theoderico naſcuntur filij Sigebertus & Childebertus. Brunichildis & Protadius Major domus Theodericum aduerſus fratrem commouent: quamobrem Protadius ab exercitu Theoderici perimitur, & fratres pacantur. Theodericus conſilio Brunichildis auiæ ſuæ ſanctum Deſiderium Virdunenſem Archiepiſcopum exilio damnauit, & *S. Deſiderius.* reductum de exilio lapidare fecit. Sanctum quoque Columbanum de regno ſuo extur- *S. Columbanus.* bauit, quem Clotarius Chilperici filius ſuſcepit. Erat enim amator ſapientiæ. Iterum lis inter fratres Brunichildis agitatur conſilio, & collecto exercitu Tullenſi confligunt Campaniâ. Victor Theodericus Theodebertum vſque Coloniam inſequitur, vbi Theodebertus redintegrato exercitu bellum mouet Tanta ibi ſtrages facta eſt, vt cadauera mortuorum non haberent, quo ruerent præ multitudine occiſorum. A Tulbiaco vſque Coloniam proſtratus exercitus terram operuit. Theodericus victor fratrem perſequitur, & ſuorum proditione captum auiæ Brunichildi dirigit, quem illa in Clericum totondit, & poſt paululum interfecit.

S. Goericus. S. Arnulfus. Regnante Theodeberto Rege ſanctus Goericus Rex Aquitaniæ vltimus iuſtis pollens moribus à Domino cæcitate percuſſus reuelatione Angelicâ Mettim venit, cui præerat ſanctus Arnulfus propinquus eius, & illuminatus à ſancto Stephano domum ſancti Petri conſtruxit, & tempore Dagoberti, ſancto Arnulfo eremum petente ibidem Pontifex ſubrogatus XVIII. annis præfuit, deceſſit XIII. Kalendas Octobris ſepultus in Cœnobio Sancti Symphoriani. Tempore Theo- *S. Lupus.* derici & Brunichildis ſanctus Lupus Senonenſis viguit nepos Auſtrenij Aurelianenſis & Aunarij Antiſſiodorenſis Epiſcoporum.

Anno itaque XVI. regni ſui, qui erat ab Incarnatione Domini DCXV. Theodericus volens ſuper Clotharium irruere, Mettis profluuio ventris interijt. Brunichildis Sigebertum filium eius in loco patris ſubſtituit. Clotarius verò fines regni qui ſuæ ditioni debebantur, conatur recipere, cui Sigebertus occurrit, quem Clotarius ſuotum proditione captum peremit, & quinque fratres eius cum Brunichilde cœpit. Pueros ſeparatim peremit, Brunichildem indomitorum equorum caudis irretitam miſerabili morte damnauit anno ab Incarnat. Domini DCXXIII. quæ & ſepulta eſt Eduæ. *Sigebertus Clotarius.*

Clotarius trium regnorum Monarchiam obtinuit anno XXVIII. regni ſui, ſicut & beatus Columbanus prædixerat, & anno XXXVIII. regni ſui Dagobertum filium conſortem regni facit. Anno verò XLII. regni eius inter Clotharium & filium ſuum grauis orta eſt contentio, eò quòd Clotharius cuncta quæ ad Regnum Auſtraſiorum pertinebant, ſibi volebat retinere. Quamobrem electi ſunt duodecim Iudices ex Francis, inter quos fuit ſanctus Arnulfus Mettenſium Epiſcopus, quorum conſilio pater pacificatur cum filio. Superiori verò anno, cùm iam Dagobertus Auſtraſiorum regnum ſtrenuè regeret, quidam vir, nomine Haroaldus, eius offenſam incurrit, pro quo interceſſores facti ſunt dominus Arnulfus & Pippinus Major domus, ſed non multo poſt Treueris interfectus eſt.

Anno DCXXX. Clotarius moritur, & Dagobertus Monarchiam obtinuit annis quindecim. Hic patre orbatus, Auſtraſiis, quos regebat, iubet exercitum promouere, miſſos dirigens in Burgundiâ, & cæteris regni partibus, vt in ſuum regnum eligerent. Cúmque Remis veniſſet, omnes ſe ei tradiderunt. Aribertus frater eius nitebatur ſe poſſe regnum aſſumere, ſed eius voluntas pro ſimplicitate parum ſortita eſt effectum. Dagobertus verò, cùm obtinuiſſet regnum ſapienti vſus conſilio partem regni fratri conceſſit Toloſam, Catutcinam, Agenenſem, Perragoricum & Sanctonicum, & quod ab his verſus Pyreneos montes excluditur: & regnabat Aribertus in Prouincia & Aquitania, & poſt tres annos totam Vaſconiam ſuperans ſibi ſubdidit. *Dagobertus.* *Aribertus.*

Anno Domini DLXXXII. obijt ſanctus Germanus Pariſienſis & anno DCXXX. ſub Dagoberto viguit ſanctus Paulus Virdunenſis frater eius. Quod ſi, vt ſcribitur, ita eſt, ſexaginta & eò amplius annis vixit poſt eum. Nati ſunt in Pago Eduenſi, vico Lauſia, & in manſo Natiuitatis eorum non canis, non auis, prædam rapere præualet, quæ non ſtatim intereat, quod experimento probatum eſt. Qui locus vſque hodie Eccleſiolam retinet ſancti Germani nomine & virtute inſignem. *S. Paulus Virdunenſis Ep.*

Huius Dagoberti tempore poſt Ermenfridum Epiſcopum Virdunenſem tractus eſt de Monaſterio Theolegio ſanctus Paulus, qui fuit frater ſancti Germani Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopi, & in Virdunenſi Eccleſia Epiſcopus conſecratus. Cuius memoria æterna eſt. Hic Monaſticam vitam ducens cùm in piſtrino fratrum habuiſſet obedientiam, & timeret, ne horâ ſtatutâ fratres panem habere potuiſſent, ejecto igne de clibano ipſe intus ingreſſus cum cucullа ſua clibanum purgauit, & panem illic ad coquendum ordinauit, ſanúſque foras egreſſus panem ſanctum fratribus in refectorio tempore ſtatuto diſtribuit. Cùm ergo eſſet Epiſcopus ordinatus, nepos Dagoberti Regis Grimo Diaconus, qui & Adelgiſus dictus eſt, cùm fuiſſet à ſancto Paulo ab infantia reuerenter educatus pro amore ipſius Antiſtitis ſuam proprietatem, id eſt Theolegium Monaſterium, ſanctæ Mariæ in Virduno ſuo ſcripto & multorum fidelium ſcriptis tradidit, roboranter, & vt Virdunenſis Eccleſia ipſum Monaſterium in ſempiternum haberet, omni auctoritate firmauit. Victui verò fratrum Grimo Fraſindum villam pro ſua pietate delegauit. Sanctus etiam Paulus Baſonis villare de ſuis redditibus comparauit. Priuilegium Canonicum ipſius Eccleſiæ de antiquioribus villis fecit, & ſua aliorúmque Epiſcoporum auctoritate ipſum ſub diuina atteſtatione roborauit. Hic in Epiſcopatu poſitus, multa miracula operatus eſt, & poſt ſuum exceſſum poſitus in baſilica ſancti Saturnini omnibus cum fide poſcentibus multa ſanitatum beneficia largitus eſt. Cæcos namque illuminauit, ſurdis auditum dedit, claudis greſſum præbuit, ægrotos à varijs infirmitatibus liberauit. Et quid plura? Eccleſiam ſibi commiſſam rebus temporalibus dilatauit, bonorum operum floribus adornauit, & Dominus omnipotens animam eius cum ſanctis in æterna gloria gaudere *Grimo ſiue Adelgiſus.*

facit. Requieuit autem menſe Februario, die nono. Poſt hunc extitit Giſloaldus Epiſcopus, Gerebertus. *Quæ ſequebantur abraſa ſunt.*

Dagobertus anno regni ſui ſexto Burgundiam ingreſſus eſt, & tanto timore Pontifices & omnes Burgundiæ Proceres in eius aduentu concuſſi ſunt, vt omnibus mirandus eſſet pro iuſtitia quam faciebat, venit ergo Lingonas, inde Diuio- *Sigebertus.* nem,& Latonæ reſidens multis diebus tantam iuſtitiam faciebat,vt nullus ante eum veniret, qui rediret non accepta iuſtitia. De Latonâ Cabilonum venit, pòſt Auguſtodunum, inde Autiſſiodorum, dehinc Senonas, inde Pariſios venit amore iuſtitiæ faciendæ, vt nec ſomnum oculis caperet, nec cibo ſatiaretur. Anno ſeptimo regni ſui naſcitur ei filius, nomine Sigebertus, quem de lauacro ſuſcepit Aribertus frater eius, & ipſe Aribertus anno ſequenti mortuus eſt, cui erat filius paruulus Chilpericus, qui non multo poſt defunctus fertur factione Dagoberti fuiſſe interfectus.

Anno decimo regni Dagoberti Winidi Toringiam deuaſtabant, qui cum fortiter inſtarent, Dagobertus Mettis venit, & conſilio Pontificum & Procerum Sigebertum filium ſuum Regem conſtituit, ſedémque Mettis habere conſtituit, *Cunibertus.* & Cunibertum Colonienſem Præſulem & Anſegiſum Ducem, qui & Anſehiſus, *Anſegiſus.* inſtituit gubernare palatium. Hic Anſegiſus genuit Pippinum, Pippinus Carolum. Theſaurum quod ſufficeret, filio tradidit, & condignè eum in culmine regni ſublimauit, & quod ei largitus fuerat, præcepto roborauit. Illi regnum Auſtraſiorum & fines regni Francorum vtiliter defendunt. Vndecimo anno Clodouci filij *Widradus.* Dagoberti Magoaldus primus Abbas Flauiniacenſis obijt, & domnus Widradus ordinatur Abbas xv. Kal..... Præfuit annis duodecim.

Anno duodecimo regni Dagoberti natus eſt ei filius, nomine Clodoueus, cui Neuſtriam & Burgundiam poſt ſuum diſceſſum pater contulit, regnum verò *Clodoueus.* Auſtraſiorum Sigeberto. Dagobertus igitur decimotertio anno regni ſui Waſcones fortiter ſuperauit,& anno ſequenti Brittones & Waſcones datis ſacramentis ei ſubduntur. Obijt anno Incarnat. Domini DCXLI. Indictione XIV. regni ſui anno XX. ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Dionyſii Pariſius, quam tantis theſauris ditauit, ita vt mitaretur, qui videret. ſuceſſit patri in regimine Clodoueus, cuius regni anno ſecundo Martinus Papa Pontificatum Romanæ vrbis ſuſcepit.

Clodoueus corpus Beati Dionyſii diſcooperiens minus religioſè os brachij fregit, & rapuit, confeſtimque ſtupefactus in amentiam incidit, & poſt duos annos *Ega.* vitam cum regno finiuit. Habuitque tres filios Clotharium, Theodericum, & Childericum, quos genuit ex Baltilde Regina. Ega cuſtos palatij & tutor regni condignè gubernabat palatium & regnum. Anno tertio regni Clodouei Ega moritur & Majordomus Erchinoaldus efficitur, vir patiens, & omni bonitate plenus, amator pacis & iuſtitiæ. Pippinus quoque defuncto patre Anchiſe Major- *Erchinoaldus.* domus in regno Sigeberti cum Cuniberto Pontifice ſtrenuè gubernabat regnum *Pippinus.* Auſtraſiorum, & ab omnibus amabatur. Hic partem Theſaurorum Dagoberti, quæ competebat Sigiberto, Compendio villa ſuſcepit, & Mettis deportauit. Poſthæc Sigebertus obijt. Regnum eius ſuſcepit Dagobertus filius eius. Quem Pippinus & Grimoaldus Pippini filius minus idoneum ad regni curam prouiden- *Dagobertus.* tes in Clericum detonderi fecerunt. Balthildis miſſis militibus Dalfinum Lugdunenſem Epiſcopum interfecit anno DCLXI. à quo conſecratus eſt ſanctus Vulfridus Eboracenſis Epiſcopus, qui primus in Friſiâ prædicauit ante ſanctum Vuillebrordum. Clodoueus quoque exactis in regni adminiſtratione ſeptemdecim annis obijt in primario flore iuuentutis, relictis tribus filijs cum Baltilde Reginâ. Eius Archicapellanus fuit ſanctus Geneſius Abbas, qui poſt modum Lugdunenſi Ec- *S. Geneſius.* cleſiæ Archiepiſcopus datus. Hic ante Reginam defunctus in ipſo eius obitu cum magna ei luce cum Angelis & Archangelis apparuit, & ad manſionem eam perpetuæ pacis perduxit. Poſt quem præfuit Lugdunenſi metropoli ſanctus Landebertus Abbas Fontanellenſis Eccleſiæ, à quo conſecratus eſt ſanctus Anſbertus *S. Landebertus.* Rotomagenſis Epiſcopus anno Domini Incarnat. DCLXXVIII. Indictione V. anno regni Theoderici nono.

Annus Dominicæ Incarnationis DCLXXXII. Agathonis Papæ ſecundus Theoderici Balthildis filij decimustertius.

Clotharius major natu regnum patris Neuſtriæ & Burgundiæ obtinuit, Chil-

dericus regnum Auſtraſiorum & Germaniæ ſuſcepit anno Incarnat. Domini *Clotarius.* DCLVIII, Indictione prima Regnauit Clotharius annis quatuor, & obijt anno Dominicæ incarnationis DCLXII. Indictione quinta. Quo mortuo contentio inter principes agitabatur de regno. Ebroinus Major domus Theoderico fauebat, ſanctus Leodegarius Eduenſium Epiſcopus, & ceteri quibus erat mens ſanior Childerico fauebant. *Childericus.* Præualuit melior ſenteotia, & Childericus Rex Franciæ conſtituitur, eò quòd ſtrenuè regeret regnum Auſtraſiorum. Refert aliquis ſcriptorum quod Theodericus primò ſublimatus ſit in regoo Francorum, & Ebroinos Majordomus ſubſtiturus, ſed propter malitiam & crudelitatem ſunt expulſi, & ſubſtitutus ſit Childericus. Leodegarius igitur ſub Childerico bene & vtiliter diſponebat regni moderamina, ita vt quidquid aduerſus leges majorum, quorum vita laudabilis fuit, contrarium repererat, ad priſtinum ſtatum corrigeret. Obijt domnus Vvidradus Abbas quinto Nonas Octobris, & ſucceſſit ei anno Dom. Incar. DCLXIII. Gayronius Epiſcopus: *Gayronius.* cuius tempore contulit eidem Eccleſiæ Glennonem cum appendicijs. Hic in expeditione Imperatoris obijt pridie Nonas Iulij. Tempore etiam eius dedit Baro ſancto Prejecto Pulliniacum cùm Eccleſia, Magniacum, Pruiniacum, & vxor eius Puteolos, Opietrariacum, Cleriacum, anno ſeptimo Childerici.

His diebus Eduenſem Eccleſiam præfatus regebat Leodegarius, *S. Leodegarius.* Virdunenſem Gerebertus, de quo iam memoriam fecimus, Trajectenſem ſanctus Theodardus. In aula Regis Childerici ſanctus erat Lambertus iuuenis bonæ indolis, qui poſt ſanctum Theodardum conſenſu magnatorum & procerum Trajectenſem ſuſcepit Epiſcopatum. Dum igitur ſtrenuè & ſagaciter Childericus regni diſponeret moderamina, creſcente inter Principes diſcordia diaboli maligni ſuadente inuidiâ interficitur Princeps iſte inclytus, anno ab Incarnatione Domini DCLXX. Indictione XIII. exactis in regni adminiſtratione XXII. anois, & germanus eius Theodericus ſuccedit. *Theodericus.* In diebus illis tanta fuit tribulatio in Eccleſia, Ebroini faciente nequitiâ, vt videatur crudelitate vincere Netooiana & Deciana tempora. *Ebroinus.* Tunc interfectus eſt ſanctus Leodegarius cum Gerino fratre ab ipſo Ebroino Principe, ſanctus Lambertus à Dodone Comite. Ebroinus crudelitate frendens ab Ermenfrido Franco interfectus eſt. Erat tunc temporis vir ab ipſo Ebroino oculis priuatus in Inſula, quæ Barbara dicitur, cùm nocturno tempore ad ripam Araris orandi gratia ſederet, audiuit nauigantium impetum. Qui interrogans, quo nauigium illud tenderet, audiuit: Ebroinus eſt, quem ad Vulcaniam ollam deferimus, ibi enim facti ſui pœnas luet.

Iam tunc deficientibus à priſtino vigore Regibus regni cura adminiſtrabatur per *Clodoueus.* Majores domus. Mortuo ergo Theoderico ab Incarn. Dom. DCXXII. Indictione quinta, Clodoueus filius eius ſuccedens regnat anno vno. Inter Duces & Primates regni Pippinus præeminebat, & maxima pars regni in manu eius erat. *Childebertus.* Clodoueo quoque defuncto Childebertus ſuccedens regnauit annis tredecim. Virduneoſem Eccleſiam Berthalamius Epiſcopus rexit, qui ſtudio ſuo & induſtria Eccleſiæ ſibi commiſſæ adquiſiuit prædia quamplurima. Quo defuncto ſuccedit Abbo Epiſcopus.

Childeberto quoque Rege, qui cognominatus eſt Iuſtus, de medio facto anno DCCXI. Dagobertus filius eius ſuccedit adhuc puer anno Incarnat. Dominicæ DCCXII. *Dagobertus.* & regnauit annis quinque, & mortuus eſt anno DCCXV. cui ſucceſſit Daniel Clericus, qui & Chilpericus, regnauitque annos plus quinque.

Anno ab Incarnar. Dom. DCCXI. natus eſt in Virdunenſi vrbe domnus Madeleuens ex familia Eccleſiæ. *Madeleueus.*

Pippinus mortuus eſt anno ab Incarnat. Dom. DCCXIV. menſe Decembrio; & Grimoaldus filius eius mortuus, & Karolus ſucceſſit in loco patris. *Karolus.* Io diebus illis Franci mutuâ ſe cæde ſternunt, & Theodaldum Grimoaldi filium perſequendo fugaot, electo Rainfredo in principatu Majoris domus, de cuius manu per multa bella Karolus eundem principatum ſuſtulit, & mortuus eſt Rainfredos anno DCCXXXI. Anno quoque DCCXVII. Obijt in Attiniaco villa Daniel, qui & Chilpericus, & Nouiomo ſepultus, & ſuccedit ei Theodericus Dagoberti iunioris filius. *Aberrat in pluribus.* Quo mortuo anno DCCXXV. ſucceſſit Clotharius, & Clotario Childebertus, & Childeberto Childericus, in quo defecit generatio Regis Clodouei, quæ vſque tunc regnauerat.

Karolus ab ergaſtulo, quo tenebatur, diuina miſeratione ereptus viginti ſeptem annis, quibus principatum obtinuit ſub præfatis Regibus, bellum cum paucis bis terque congreſſus primò abijt, tandem in Vinciaco XIII. Kalendas Aprilis contra Rainfredum Francorum Principem anno DCCXVII. tertio ſui Principatus anno, vnde victor factus, vnâ tantum id eſt Andegauis ciuitate ei conceſſa ad habitandum, Francorum totam gentem regens vaſtauit Saxoniam, Bauariam, intrauit in Prouinciam vſque Maſſiliam, inuaſit Vvaſconiam, vaſtauit Friſiam, contriuit Alemanniam, qui propterea Tuditis appellatus eſt quod eſt malleus fabri, quia ſicut malleo vniuerſa tunduntur ferramenta, ita ipſe contriuit omnia regna ſibi vicina. Pugnauit etiam cum Saracenis non longè à Narbonâ, & maximâ cæde proſtrauit. Quibus iterum Prouinciam irrumpentibus, cùm Arelatum cepiſſent, Carolus ſibi adjuncto Luitprando Longobardorum Rege, de illis

Petrus Ep. cos regionibus effugauit. Eo tempore floruit vita & actibus Petrus Ticinenſis Epiſcopus virginitatis gloria decoratus qui ab Ariperto quondam Rege apud Spoletum fuerat relegatus. Miſit autem Carolus Pippinum filium ſuum Luitprando præfato Regi, vt eius capillum incideret. Qui crinem eius incidens pater ei factus eſt, multiſque ditatum muneribus genitori remiſit. Leone imperante temporibus Gregorij Papæ Tertij hortatu eius Petronace Duce Monaſterium ſancti Benedicti in Caſſino reſtauratum eſt, elapſis iam ferè centum & decem annis à deſtructione eius, cui etiam Zacharias Papa plura contulit, inter quæ, Regulam, quam ſanctus Benedictus manu ſuâ ſcripſit, conceſſit.

Tunc præerat Virdunenſi Eccleſiæ Peppo Epiſcopus, & in illa ſeditione,

Peppo Ep. quam diximus fuiſſe inter Rainfredum Francorum Principem & Karolum Tuditem, ipſe fauit partibus Caroli, & ob id obtinuit pretio cum Carolo, & quodam nobili vaſallo, Calmontem villam cum omnibus appendicijs. Poſtquam verò dominus Carolo ſolidauit Francorum regnum, addidit & alia quamplurima, vt oſtendit chartarum notitia. Et hoc ergo defuncto Volchiſus Epiſcopus factus eſt, & poſt eum Agronius Epiſcopus qui perpaucis annis ipſi præfuere Eccleſiæ.

Carlomannus. Anno ab Incarnatione Domini DCCXLI. Carolus mortuus eſt & filij eius Carlomannus & Pippinus ſuſceperunt regni gubernacula, ſed Carlomannus ſeptimo poſt patris obitum anno ab Incarnatione Domini DCCXLVII. relictâ curâ regni Pippino fratri Romam perrexit, & in monte Serapti (Soracte) Monachus habitationem inſtituit: Poſtea non ferens moleſtias crebrò ſe viſitantium, ad ſanctum Benedictum in monte Caſſini commigrauit. Tunc regebat Romanam Eccleſiam Zacharias Papa, qui ſucceſſit Gregorio Tertio, anno DCCXLII. & rexit

Zacharias. ipſam Eccleſiam annis decem, menſibus tribus, diebus quatuordecim. Hic accepta legatione à Pippino per Burgardum Vitzoburgenſem Epiſcopum, & Fultadum ipſius Pippini Capellanum, de inciuilitate Regum ex antiquâ Merouingorum ſtirpe deſcendentium, vt ſuperius prælibauimus, mandat populo Francorum, vt Pippinus, qui poteſtate regiâ vtebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Childericus Rex vltimus de ipſâ ſtirpe depoſitus, & in Monaſterium truſus, &

Childericus. Pippinus. Pippinus in Regem electus, & conſecratus eſt à Bonifacio Moguntiæ Epiſcopo, Sueſſionis in villa, anno DCCLII. Sed & Stephanus, qui Zachariæ ſucceſſerat propter infeſtationem Aiſtulfi Regis Langobardorum decimoquarto die menſis Octobris Româ egreſſus Indictione ſeptima Papatus ſui anno ſecundo ab Incarn. Dom. DCCLIV. ad Pipinum venit in Francia, & conſtituit eum Romanæ Eccleſiæ defenſorem, & Principem, & confirmauit vnctione ſuâ in Regem, & vnxit duos filios eius Carlomannum & Carolum. Ex tunc ablata eſt Roma à ſubjectione Imperij Græcorum. Anno DCCLV. poſt Gayronum Epiſcopum Flauiniacenſis Eccleſiæ Abbatem Manaſſes ordinatus eſt Abbas tempore Pippini quondam

Manaſſes. Majoris domus tunc autem Regis Francorum.

Anno igitur ab Incarnatione humani verbi DCCLIII. ſuſcipit præſulatum Virdunenſis Eccleſiæ domnus Madelueus. Hic in eadem vrbe Chriſtianis & inclytis

Madelueus. tis parentibus eſt editus. Qui ſtatim renatus ex aquâ & ſpiritu in ſeptem baptiſmaris gradibus ſeptem comprehendit dona Paracleti Spiritus. Accepit deinde carnes agni immaculati cum ſanguine, candidatus virginitatis veſte, decoratus immortalitatis lampade. Ardebat eâ tempeſtate omnis Belgica quotidiana bellorum inſtantia. Nam regalis dignitas, quæ à Merouco Rege ſumpſerat, initia in Childe-

ricum

ricum Regem, qui iuſſu Srephani Romani Pontificis detonſus, & in Monaſterium truſus eſt, porrecta, illo in tempore nullius vigoris erat, nec quicquam in ſe, prærer inane Regis vocabulum, præfetebar. Opes quippe & reddituum affluentia, regni adminiſtrario, ſeu omnia, quæ vel domi, vel foris agenda ac diſponenda erant, penes Præfectos palatij, qui Majores domus dicebantur, manebant. Quâ Præfectorum licenriâ creuit morum inſolentia, adoleuit dominorum crudelis porentia, nec defuit inuidia, quæ peſſumdedit regnorum iura. Inflatur vnus aduerſus alium, inuadit quiſque nomen Regium. Hac creſcenre diſcordiâ vrbes depopulanrur, Eccleſiæ incenduntur, miniſteria diuina detrahunrur, Monaſteria virorum diruuntur, puellarum deludunrur, & cuncta vaſtantut: Fuirque illo tempore non minor in Ecceleſiis gemitus, quàm Decianeis, Diocletianeiſque temporibus. Quo rurbine Virdunenſis ciuitas exagitata defuncto Agronio Epiſcopo diebus mulris manſit vacua paſtore viduata.

His diebus ablactarus almus puer Madelueus religioſis viris traditus eſt litteris imbuendus, quarum elementis breui datis memoriæ, dedir operam intelligere præcepta artis Grammaricæ, per quæ vera agnoſcere, vitia quiret vitare. Poſthæc tribunal aſcendit Rheroricæ: Sed quia Rhetor eſt traditor eloquenriæ, eloquentia verò ſine ſapienria nimiùm obeſt plerumque, prodeſt numquam: omiſsâ exercirarione dicendi in rectiſſimis arque honeſtiſſimis ſtudijs rationis omnem ſuam conſumpſir operam, ſtudium rectæ rationis ad diuina, ſtudium honeſti officij referens ad humana. Hinc res omnes, quæ in dictis & factis & in toto mundo aguntur, decem eſſe intelligens, quæ Prædicamenta dicuntur, argumentorum fucos & ſyllogiſmorum perplexiones ſagaci animo diſcreuit, & in eis aciem ſui docilis ſenſus ad vnguem exacuit. Intrat ex hoc quadruuium, vbi cubos Arithmeticæ, ſonos Muſicæ, modos Geometriæ, radios Aſtronomiæ perſpicaci petcipiens mente ad perfectionem duplicis theſis, id eſt theoricæ peruenit, & practicæ.

Puerilibus igitut annis, vt Patriarcha Iacob, ſimpliciter domi tranſactis, pulſabat adoleſcentiæ fores proficiens, & placens tam Deo, quàm hominibus. Sanè poſt flores Rhetoricos ac angues ſyllogiſmicos, ſcripturæ diuinæ ingreditur campos, vbi audiens ab Apoſtolo: *Omnis qui caſtè viuit, templum eſt Spiritus Sancti.* Item in Apocalypſi: *Qui mulieribus non ſunt coinquinati, hi ſequuntur agnum quocumque ierit*, ſtatim primariam ſuam ætatulam Chriſto Domino conſecrauit; illi toto animo placere ac ſeruire geſtiens, qui eſt pars & hæreditas eius, cogitánſque vias ſuas, conuertir pedes ſuos in reſtimonia I E S V, quærens videre bona Domini in terrâ viuentium. Adeptus tandem Clericatus honorem, accepit à Domino benedictionem, & miſericordiam à Deo ſalurarem: quoridiano ſiquidem prouectu ibat de virtute in virtutem, latam & ſpatioſam viam, quæ ducit ad mortem horrens, artam & anguſtam, qua itur ad aſtra ſequens, confixir timore Domini carnes ſuas, mortificans membra ſua cum vitijs & concupiſcentijs, ſpiritu ambulans, deſideria carnis non perficiens, miſericordiæ operibus ſtudens, vigilijs & iejunijs corpus affligens, orationi inſiſtens vel meditationi inſeruiens, aures ab auditione mala coercens, oculos à vanitate auertens, odor bonus Domino in omni loco eſſe ſatagens, os ſuum à multiloquio & vaniloquio cuſtodiens, manus ab omni munere excutiens, conſilium opúſque ſuum ad Dominum ſemper conuertens, in omni actu ſuo Dei, non ſuam gloriam quærens.

Viuebat ſtudijs adoleſcens iuſtus in iſtis,
Ordinibus ſacris reſpondens moribus aptis.

Poſt hæc ad majora conſcendens Presbyterij honorem electus accepit, iuſtificarus obtinuit. Conſtituitur itaque vnanimi aſſenſu, electione omnium, rector & Abba Eccleſiæ ſancti Vitoni, quem & ſtudio ſpiritualis exercitij, & rebus temporalibus melioratam, exemplo & doctrinâ ad diuini famulatus amorem accendit. Fuir enim humilitate præcipuus, caritate diffuſus, prudentia mirabilis, ſobrietate laudabilis, iuſtitiâ inſignis, fortitudine ſpectabilis, & licet cunctos dignitate præcelleret, erat tamen obedientiâ cunctis ſubditus, patientiâ probarus, forma factus gregi ex animo, vt in eo ſubditus quiſque agnoſcerer quam ſibi

viuendi normam aſſumeret. Hæc de eo fama vbique ferebat, hic rumor omnium in ore continuus erat, Madeluei pietas, eiuſque probitas luſtrabat patrias, replebat plateas, ædes pulſabat palatinas. His præcurrentibus nuncijs cunctorum votis in Pontificatu eligitur Virdunenſis vrbis. Quod licet timore Dei plenus omni conamine rejecerit, totóque adniſu recuſauerit, multorum tamen ſententia Deo gratiâ præcedente præualuit, ac vna cleri populique concordia Epiſcoporum iudicio dignus in cathedra Pontificali exaltatus, benedictione firmatus, vnctione ſacratur. Regebat tunc Romanam Eccleſiam Stephanus ſecundus, Francis verò principabatur Pippinus Caroli Tuditis filius ex Majore domus & *Pippinus Rex* Præfecto palatij Rex conſtitutus, à quo Chrodegandus Abba vir egregius & omnibus efferendus præconijs in palatio præfati Caroli nutritus, eiuſque Re- *Chrodegandus.* ferendarius, ab ipſo & Francis omnibus electus Romam miſſus eſt, vt prælibatum Stephanum Papam ad Gallias, vt cunctorum vota anhelabant, euocaret; quod & fecit, à quo etiam in Pontificem Mettenſis Eccleſiæ, adſtante Rege & populo conſecratus pallium promeruit cum nomine Archiepiſcopi. Quod etiam quibuſdam Mettenſis Eccleſiæ Præſulibus aliquoties conceſſum fuiſſe legitur, pro multimoda vaſtatione Treuirenſis matris Eccleſiæ, quæ licet Primatum petitione Helenæ Reginæ à beatæ memoriæ Papa Siluestro per corpus Beati Mathię Apoſtoli & per baculum Beati Petri acceperit, quod & ab antiquo poſſidebat, quia vbi ante aduentum Domini in capite prouinciarum Primates erant legum ſæcularium, ad quos confugiebant pro oppreſſionibus vel iniuſtitijs, qui ad aulam Imperatorum confugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat: ita ipſis in locis Apoſtoli, & beatus Papa Clemens, vt refert beatus ſucceſſor eius Papa Anacletus, Patriarchas vel Primates, qui vnam formam tenent, licet diuerſa ſint nomina, legis diuinæ poni & eſſe iuſſerunt. Tamen ita multoties peccatis exigentibus attrita fuit, vt eâ vacante Mettenſium Præſules Metropolitani fungerentur officio & dignitate. Tullenſibus quoque præerat Godo *Godo Tull.* venerandus Epiſcopus, qui immunitatem ciuitatis & recuperationem chartarum igne conſumptarum apud præfatum Regem Pippinum ſuæ adquiſiuit Eccleſiæ.

Inter hoc beatus Madalueus virtutum radiabat decore, & dignitatem Pontificalem bonorum operum adornabat nitore. Quod officium, quamuis rudis acceperit tempore, aptus acceſſit aſſuerâ bonitatis vbertate. Inſtabat prædicationibus, firmabat plebem benedictionibus, incitabat ad meliora ſacris exhortationibus, quod dicebat verbis monſtrabat exemplis. Erat tunc ciuitas ipſa inſectatione barbaricâ bellis attrita, obſidionibus fatigata, calamitatibus repleta, templa Domini in eâ polluta, Sanctuaria exuſta, miniſteria violata, officia diurna vel nocturna neglecta. Clerici alij fugati, quidam necati, qui remanſerant multa paupertate addicti plus proprijs ſeu terrenis, quàm cœleſtibus ſtudebant negotijs. Hoc reſpectu vir Domini amaro cùm eſſet animo, poſuit ſpem ſuam in Domino clamans illi ſpiritu humiliato: *Omnia quæ feciſti nobis Domine in vero iudicio feciſti; quia peccauimus tibi & mandatis tuis non obediuimus.* Cui mox Dominus: *Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* At ille humili prece: *Deus meus, miſericordia mea, tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me à circundantibus me anguſtijs & filiorum neceſſitatibus.* Nec mora conſolatio ex ore veritatis affuit: *Primum*, inquiens, *quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & omnia adjicientur vobis.* Tunc ille gratulabundus: *Auditui meo*, ait, *Domine dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Greſſu ergo celeri Eccleſiam intrauit, Clerum populúmque aduocauit, iudicia Domini vera innotuit, crimina vel peccata alterutrum confiteri monuit, fructus dignos pœnitentiæ facere ſuaſit, Eccleſiam frequentare, orationibus cum lacrymis incumbere, laudes Domini cum ſilentio & reuerentiâ audire, eleemoſynas pro poſſe libenter dare, hoſpitalitatem ſine murmuratione ſeruare, diſcordantes ante ſolis occaſum ad pacem redire, pacem falſam non dare, gehennam timere, vitam æternâ ſperare præcepit & docuit. Clericos deinde regulariter viuere, ſepties in die laudes Domino dicere, & noctu ad confitendum illi ſurgere Eccleſiaſticâ ſanctione

inſtituit, victúmque illis quotidianum de propriis, prout potuit, ordinauit.
Curiam interea adijt, Pippino, qui ex auctoritate Stephani Papæ ex Præfecto
palatij Rex conſtitutus fuerat, vaſtitatem vrbis, calamitatémque plebis, quam re-
gendam ſuſceperat innotuit, auxiliúmque ab eo ex regali largitione quæſiuit, & ob-
tinuit. Collatione ſiquidem fidelium quædam prædia ſuſcepit Waſnaum ſcilicet,
ſeu Warnunci curtem, Rainisbatium etiam, aliaque quàmplurima, quæ chartis manu
propria inſeruit, quas Regis annulus roborauit, & Eccleſia Virdunenſis ex tunc
non amiſit. Ciuibus præterea Regis munificentia non defecit, clerum lætificauit,
Eccleſiam ornauit, remuneratum Pontificem gaudenti populo repræſentauit.
Multa autem erant, quæ eum erga ipſam Eccleſiam diligendam, promouendam, &
ampliandam accendere debebant, videlicet Pepponis Epiſcopi in Carolum Tudi-
tem patrem ſuum amor profuſus, gratuita fidelitas, & in tempore ſeditionis contra
Rainfredum Francorum Principem ipſius Caroli æmulum indiuiſa laboris & pericu-
li ſubeundi dualitas, pro quo etiam idem Peppo multa perpeſſus eſt aduerſa. Sed
quiddam eum ſpecialius ad dilectionem, redintegrationem, & communem tuitio-
nem omnium Eccleſiarum impulit, quod non abs re videtur in laudem huius patris
noſtri huic opuſculo innectere, ad comprimendum tumorem Regum & Princi-
pum, & vt euidentiùs agnoſcatur, quæ fuerit cauſa deſolationis Treuirenſis &
Virdunenſis Eccleſiarum.
Qui igitur hiſtorias legerunt, & veterum ſcripta rimantur, huius Caroli Tuditis *Carolus*
actus & prælia nouerunt, qui ideò Tudites appellatus eſt, quod eſt malleus fabri, *Tudes.*
quia ſicut malleo vniuerſa tunduntur ferramenta, ita ipſe contriuit omnia regna ſibi
vicina. Per viginti ſeptem enim annos quibus principatum obtinuit ſub Regibus Da-
goberto iuniore, Chilperico, Theoderico, Clotario, Childeberto & Childerico,
poſtquam de manu Rainfredi Majoriſdomus in regno Francorum per multa bel-
la eundem principatum ſuſtulit, tanta clade omnia regna ſibi vicina, ideſt, Saxo-
niam, Bauariam, Prouinciam vſque Maſſiliam, Waſconiam, Friſiámque contriuit
& Alamannicam, vt multæ Eccleſiæ vſque in hodiernum diem deſolationem ſui
factam ſub eo lugeant, & tribulationis ipſius calamitatem obliterare in ſe nullâ ve-
tuſtate præualeant. Tanta enim profuſione theſaurum totius ærarij publici dilapi-
datus eſt, tanta dedit militibus, quos ſoldarios vocari mos obtinuit, qui ex omnibus
mundi partibus cauſâ quæſtus ad eum concurrebant, quorum genus infeſtum & im-
probum tempore eius ſumpſit initium, vt non ei ſuffecerit Theſaurus regni, non de-
prædatio vrbium, non multimodæ vaſtationes regnorum exterorum, non expoliatio
Eccleſiarum & Monaſteriorum, non tributa prouinciarum. Auſus eſt etiam vbi hæc
defecerunt, terras Eccleſiarum diripere, & eas commilitonibus illis contradere. Po-
ſtremò non eſt veritus ipſos Epiſcopatus Laicis dare, fautoribus videlicet ſuis
& conſentaneis, adeò vt Archiepiſcopatus Treuirenſem & Remenſem Milo qui-
dam tonſura Clericus, moribus, habitu & actu irreligioſus Laicus multo tempore
peſſundans obtinuerit. Viennenſem quoque & multos alios Epiſcopatus per ter-
ras diuerſas poſſiderent Laici, vt Hiſtoriæ referunt, & per manum Laicam inue-
ſtiti: ſi qui erant Epiſcopi, aut ei omnino fauebant, aut res Eccleſiaſticæ diri-
piebantur, aut certè illis obeuntibus, in locum illorum neophytus quilibet, & quos
Canonicæ ſanctiones non recipiunt, ſubſtituebantur. Ab hac autem direptione
ciuitas illa quantulumcumque immunis erat, quæ ei fauebat, vel quæ ei adju-
torium præbebat, cui enim innitebatur, illam per ſe ſuóſque à ſe ſuiſque tueba-
tur. Hinc eſt, quod inter innumeras, quas attriuerat, Virdunenſem tempore
Pepponis Epiſcopi prædijs auxit, quia Peppo idem, vt ſuperius relatum eſt, in tem-
pore diſſenſionis & partibus eius fauit, & familiariùs illi ſeruiuit. Veruntamen illo
defuncto, quod aliæ patiebantur, & eadem quoque experta eſt. In tantum autem
vaſtitate præfata Treuirenſis Metropolis afflicta fuit, vt pro multimoda eius cala-
mitate & conculcatione vacante eâ Mediomatricæ ciuitatis Præſules poſtmodum
fungerentur Archiepiſcopi dignitate & nomine. Vaſtata quoque & diſſipata Lug-
dunenſi & Virdunenſi Prouincia aliquot annis ſine Epiſcopis vtraque fuit Eccle-
ſia. Wiliarius enim Viennenſis, qui Auſtroberto ſucceſſerat, videns Viennen- *Vuiliarius.*
ſem Eccleſiam indecenter humiliari ob cladem Saracenorum Septimaniæ & Vien-
nenſi & Lugdunenſi prouincijs imminentium, laicis ſacrilegè & barbarè res ſacras
obtinentibus, relicto Epiſcopatu Monaſterium Agaunenſe, expetijt vbi & vitam

venerabilem duxit, & hoc in tempore Stephani Papæ qui Zachariæ ſucceſſerat. Rexit autem poſt eum Viennenſem Eccleſiam Bertericus, cui ſucceſſit Paulus.

Defuncto itaque eo, & Pariſijs ſepulto, & principatum Majoratus domus, Pippino fratre ſpiritualia terrenis præferente, ſolo adepto, poſtmodum etiam ſtudio ſuo & Romani Pontificis aſſenſu, vt dictum eſt, in Regem eleuato, Dominus pius multis cum ſibi obligatum beneficijs volens & minis terrere, vt diſceret ſperare in Domino, non præſumere de ſe, & vt ſuccedentibus proſperis recordaretur Domini Dei ſui, nec vellet imitari patrem, quem conſtabat Eccleſiarum ſiriſſe confuſionem, poſito eo apud Aurelianorum vrbem, quid erga Carolum ageretur, quæ ei merces tantorum laborum recompenſaretur, oſtendit. Non ad defuncti, vt veremur refrigerium, ſed ad ædificationem viuentium. Erat in eadem vrbe
S. Euch. Epiſcopus Eucherius viræ honeſtate laudabilis, morum probitate ſpectabilis,
1011. cui celebranti Miſſarum ſolemnia ipſo die Paſchæ dum ſederet in throno Pontificali, & ſubrepſiſſet ei cogitatio, quantos labores pro tuitione & ampliatione regni Carolus ſuſtinuerat, quanta prælia præliatus eſſet, quomodo poſt tanta pericula pace potitus eſſet, & in pace vitam finiſſet, cuius nunc filius regni honore donatus eſſet, dum tacitâ cogitatione felicem diceret tam proſperis ſucceſſibus virum, hac ei cogitatione fluctuanti ſomnus pauliſper alluſit, & raptus in exceſſu mentis Angelicóque ductu ad tribunal Iudicis ductus in conuentu illo cæleſti dulcedinem melodiæ ſpiritalis audiuit, & ad tantam viſionis magnitudinem hærebat ſtupens. Cogitabat autem & ibi, ſi inter illos diſtinctos beatorum ſpirituum cœtus dominum totius Franciæ & patrem regni Carolum videre poſſet, cùm tacitis eius cogitationibus reſpondens, qui præſidebat ad locum, vbi Carolus ſerrabatur, ducieum præcepit. Ductus itaque eſt in inferanum, vbi dum miſerorum animas continuato, & indicibili, infinito quoque cruciatu tabidas, ſqualentes, & nimio horrore ſordentes miraretur, dum pœnatum genera paueret, dum ad terribiles ſonitus fletus & ſtridoris dentium ſuum iam quaſi oblitus eſſet Carolum, vidit eum in tormentis poſitum quaſi in medio ignis torrari, & nunc quidem igne torreri, nunc ſtridere frigore glaciali, nunc de igne aſcendentem in glacie verſari, nunc verò ab aquis erutum ignitos vapores repetere. Miſerabilis rerum facies! Ille qui paulò ante imperabat Franciæ, qui dominus dicebatur terræ, qui victor vrbium, ſuperator gentium, conquiſitor regnorum, vt ſuam ampliaret poteſtatem totum tribulauerat orbem,

Vritur in flammis, quas ſtringere non valet amnis,

Stringitur & glacie, nequeunt quam ſoluere flammæ.

Cùm hæc ergo ſecum tacitus miraretur, & quid rerum eſſet anxius ſecum volueret, ductor ille ſuus hærentem eum videns: Ecce, inquit, cogitatus tui: ecce de quo anxiabaris in domo Domini. Vide quid valeat ſæculi potentatus, aſpice quid poſſit, quid portendat, ad quid tendat mundi principatus. Ecce Carolus Princeps,

Francia quo tumuit, cui ſemper ſubdita manſit,

Qui noua iura dedit, qui ſua cuique tulit,

Torretur flammis, æternus ei manet ignis.

Quia poſtpoſuit Dominum, nec abhorruit confuſionem Eccleſiarum. Nuncia hæc Pippino Regi filio eius, vt diſcat non ſuperbire, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Domino Deo, qui poteſt & animam & corpus mittere in gehennam. Quod ſi tibi non crediderit, dic illi, vt vadat Pariſius, aperiátque ſepulcrum eius, intueatur oſſa patris, & ex eo quod inuenerit fidem faciat verbis tuis. Dixerat hæc, & Sacerdos ductu Angelico in ſe reuerſus obſtupuit, laudanſque Dominum & magnificans iudicia eius incomprehenſibilia, & inueſtigabiles vias eius, Miſſarum ſolemnia expleuit, dehinc Regi & optimatibus, quæ viderat & audierat, quomodo ad hæc videnda & audienda cogitationibus ſuis adductus ſit, enarrauit. Pro eo quoque hæc viſa aſſeruit, vt ei prodeſſe inciperet pœna patris, & diſceret non blaſphemare, nec rapinas concupiſcere, nec in iniquitate ſperare, & licet affluerent ei diuitiæ, non eis ſtuderet cor apponere, quia poteſtas Dei eſt & domino miſericordia, vt reddat vnicuique iuxta opera ſua. Pippinus itaque his auditis Domino magis ac magis cœpit deuotus exiſtere, Sacerdotes venerari, Eccleſias honorare, & in quibus Dominum à patre ſuo didicerat offenſum fuiſſe, ab

his ſe ſtudebat toto niſu cuſtodire. Vt autem venit Pariſium, ſepulcrum eius, de quo manabat odor ſulphureus fumo mixtus, aperiri præcepit, præſentibus Epiſcopis & optimatibus ſuis. Quod vbi apertum eſt, vident ignem & fumum tenebroſum & fœtidum, reliquias abſumpti corporis, ſepulcrum quoque ita fumo & igne nigrefactum, vt patenter daretur intelligi viſam fuiſſe viſionem Sacerdotis, graui illum apud inferos pœnâ eſſe mulctatum, cuius corpus in ſepulcro tanti nouitate miraculi ita fuiſſet igne ſulphureo conſumptum. Grandis hinc obortus eſt terror Regi & populo, grandis adoleuit omnibus erga Chriſtum & Sacerdotes eius deuotio, pia erat omnibus circa Monaſteria & Eccleſias reſtaurandas contentio. Hinc eſt, quod in tempore eius tot inueniuntur Pontifices amore Chriſti feruentes, qui optata pace potiri, & Regis amicitiam nacti, Eccleſijs reſtaurandis inuigilabant, fouendis, curandiſque animabus operam dabant, quia de tanta oppreſſione, quâ premebantur Eccleſiæ per Majores domus, pacem & quietem ſe aliquantulum obtinuiſſe gaudebant. Diligebat enim affectu deuotiſſimo omnes Domini Sacerdotes, & illis promptiori ſubdebatur humilitatis obſequio, quos vidiſſet per officia pietatis proximiores Deo. Inter quos beatum Madelueum tanto propenſiori coluit deuotionis affectu, quanto eum cultiori mentis nobilitate Chriſto Domino adhærere cognouit, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, rationabilem, habentem filios in omni bonitate ſibi ſubditos, paratum omnibus reddere rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe. Licet autem in reſtauratione Eccleſiarum hac de cauſa aliquando ſtudioſè deſudauerit, tamen tanta erat mali moles, tanta cupiditatis rabies, vt vſque ad Caroli-magni tempora malitiei huius durauetit pernicies veternoſa, dum quod malè quiſque & indebitè vſurpauerat, peius retinere ſatagebat. Vnde cùm clamores Eccleſiarum ad ſedem referrentur Apoſtolicam, & ab eâ requirerent iuſtitiam, Adrianus Pontifex Carolum Magnum ante corpus beati Petri conueniens, vt omnia corrigerentur, obtinuit. Vnde omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliæ miſit Epiſtolam quam hic ponere decreuimus conſiderantes magnam in ea Gallicanarum Eccleſiarum auctoritatem contineri. *Adrianus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Bertherio Vienneſi Epiſcopo ſalutem. Dilectus & illuſtris ac religioſus filius noſter, Carolus Rex & Patricius Romanorum Romam venit, & Paſcha Domini apud ſanctum Petrum nobiſcum egit, vbi inter alia monuimus eum de Metropolitanorum honore, & de ciuitatibus, quia Laicis hominibus, traditæ erant, & quia Epiſcopalis dignitas ferè per octoginta annos à Francis eſſet conculcata. Cum hæc & his ſimilia glorioſus Rex audiſſet promiſit ante corpus beati Petri Apoſtoli, quòd omnia ad emendationem noſtram venirent. Vnde placuit nobis, vt omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis auctoritatem litterarum noſtrarum mitteremus, vt ſicut antiquis priuilegijs ſingulæ Metropolitanæ vrbes fundatæ ſunt, ita maneant, vt habeat vnaquæque Metropolis ciuitates ſibi ſubditas, quas beatus Leo, & alij prædeceſſores & ſucceſſores ipſius poſt Chalcedonenſem Synodum ſingulis Metropolitanis diſtinxit. Nec propterea vlla Metropolis præjudicium patiatur. Si alicui ſuffraganeorum aut nos aut prædeceſſores noſtri rogantibus pijs Francorum Ducibus pallium largiti ſumus. Nec debet Eccleſia vllum damnum ſui ordinis inde ſuſtinere ſuper LX. aut LXX. aut LXXX. & eò ampliùs annos incuria quorumcumque Præſulum & vaſtatione barbarorum dignitatem antiquam & Romanorum Antiſtitum firmitate roboratam perdidit & amiſit, quando innumeris pene annis ſpiritu Dei diſponente vſa fuerit. Auctoritate igitur beati Petri Apoſtolorum Principis ſingulis Metropolitanis antiquo more poteſtatem ſuam reddidimus, & filium noſtrum glorioſum & inclytum Regem Carolum ante corpus beati Petri inde rogauimus, vt antiquam dignitatem omnes Metropolitani haberent. Ideò hanc epiſtolam auctoritatis noſtræ omnibus miſimus, quam & vt haberes voluimus, vt & tu cognoſceres Eccleſiæ tuæ ſuum priuilegium, quod à tempore beati Papæ Leonis habuit, integrè eſſe reformatum. Data Kalend. Ianuarij, imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino, anno decimo, & à Deo coronato piiſſimo Rege Carolo, anno primo Patritiatus eius.*

Hadriani Papæ epiſtola ad Bertherum Vienn. Ep.

Hæc igitur nos ad commonitionem audientium de pace Eccleſiarum Domini ſub Pippino & Carolo reſtituta dixiſſe ſufficiat. Neque enim id additum operi huic in laude patris noſtri fidelibus faſtidioſum ſperamus, in quo etſi ſermo nihil conferat graue, ſeruis tamen veritatis quodam compendio expreſſa plurimum inſtructionis conferat.

Igitur Sacerdos eximius Epiſcopum paſtorali ſollicitudine circumiens Eccle-

ſias, in quibus non erant locis, extinxit, dirutas vel inueteratas reſtaurauit, miniſteria diuina ordinauit, plebes ſalutari doctrinâ edocens, & Ep.ſcopali benedictione ſacríque chiſmatis vnctione confirmans. Ipſam autem Eccleſiam beati Vitoni, cui ante perceptam Pontificatus gratiam paſtor & rector inſtitutus fuerat, tantâ ſemper dilectione coluit & prouexit, vt curam eius etiam ſumpto Epiſcopatu non dimitteret, quin potius omni eam conamine, & diuinis famulatibus illuſtrem reddidit, prædijs quoque & Eccleſiaſticis vtenſilibus ampliauit, ob prædeceſſorum ſuorum ibidem quieſcentium beatam memoriam, à quibus nec corpore, nec ſpiritu volebat disjungi, ſed in loco requiei eorum optabat conſepeliri. Dedit ergo eidem Eccleſiæ de ſuo proprio Raherei curtem cum appendicijs pro tumulatione ſui corporis, & alia perplura, vt oſtendit chartarum notitia. Quidam etiam Satcio nomine ad extrema veniens, & in atrio præfatæ Eccleſiæ ſe ſepeliri depoſcens teſtamento facto ipſam Eccleſiam de rebus ſuis, quas poſſidebat in pago Virdunenſe, in loco, qui dicitur Ex, propter fluuium eiuſdem nominis ibidem decurrentem hæredem inſtituit, vt exinde ſanctus Vitonus, & hic pater noſter beatus Madelueus Epiſcopus & Abba, cuſtodéſque ſancti corporis hæredes eſſent perpetui. Cuius exemplum ſequutus & beati patris amore ductus Grimbertus poſſeſſor & ipſe fundi ipſius, & hæreditarij iuris particeps, quidquid in eodem loco poſſidebat, baſilicæ ſancti Vitoni condonauit in menſis, campis, oleis, pratis, paſcuis, conciſis, ſiluis, aquis, aquarúmque exitibus & decurſibus. Qui exinde poſtmodum precariâ factâ res ipſas à beato viro iure beneficiario recepit denominato cenſu viginti librarum olei ſingulis annis in feſtiuitate ſancti Vitoni ad luminaria Eccleſiæ eius, in quâ precioſus idem confeſſor requieſcit, præſcripto etiam ſpatio, quo ſanctus ea deberet meliorata recipere. Quod teſtamentum precariæ beatus Pontifex & Abba auctoritate ſua firmauit anno tertio regni Carlomanni qui fuit frater Caroli-Magni, die Calendarum Iulij anno ab Incarnatione Domini DCCLXX. Indictione VIII. Ceterum Aquitania ſanctitatis eius accepit magnalia, illius ſæpe greſſibus luſtrata, lacrymis rigata, doctrinis roborata, & miraculis glorificata. Res quippe, quas Virdunenſis Eccleſia antiquitus in ipſa regione poſſedit, frequenter viſitabat, & vitas ſeu miracula prædeceſſorum ſuorum Pontificum ſecum ferebat, vt per illorum merita res illæ liberius poſſideret, vel pagenſibus dominatio carior, ſubjectio eſſet humilior. Fuerunt autem res iſtæ: Abbatia ſancti Amantij in Rotenâ vrbe cum appendicijs, fiſcus etiam Regius Maderniacus, & alius Puliniacus nomine, donata ſeruitorum ſancti Petri & ſancti Vitoni vſibus ipſius beati Amantij largitione.

Satcio.

Grimbertus.

Anno verò ordinationis ſuæ XIII. qui erat Dom. Incarn. DCCLXV. delata ſunt ab vrbe Româ per venerabilem Grodegandum Mettenſem Archiepiſcopum corpora ſanctorum Gorgonij, Naboris, & Nazarij, à ſucceſſore Stephani Paulo Papâ ſibi conceſſa nono Papatus ſui anno, & ſequenti anno vterque deceſſit à ſæculo Indictione quinta, & Grodegandus in Monaſterio, quod Gorzia dicitur, quod ipſe conſtruxerat, tumulatus veneratur, vbi poſtea poſitum eſt corpus ſancti Gorgonij anno poſt obitum eius quarto, videlicet anno Incar. Dom. DCCLXVIII regnantibus iam poſt Pippinum filijs eius Carlomanno & Carolo.

Grodegandus.

Dum igitur multiplici virtutum flagraret deſiderio, incidit ei cogitatio ad ſepulcrum vitæ Principis Hieroſolymam pergere peregrinando. Feſtinauit itaque implere voluntaria exhibitione, quod mente concepit diuinâ inſpiratione. Dúmque in adminiſtratione itineris neceſſaria quæque præuidentur, principalis Eccleſia peccatis exigentibus igne apprehenditur ac ſæuiente incendio ſuccenditur.

Turbantur plebes, tolluntur ad æthera voces,
Vnus in vrbe dolor, communis ciuibus horror.

Tunc mens Madeluei in diuerſa rapitur, ſpiritus anxiatur, córque turbatur. Tandem in ſe reuerſus, illiúſque memor prouerbij: *Non eſt magnus magnum putans quòd ruunt ligna & lapides, & moriuntur mortales*, temporale damnum patienter tulit, ac ſtatim in meliorem ſtatum reparare fabricam iuſſit. Conuentione porrò facta cum artificibus, deputatiſque cuſtodibus, & ordinatis neceſſarijs ſumptibus, ſuadet, precatur, imperátque opus inchoare maturiùs, accelerare attentiùs, explere diligentiùs.

His ita collatis datur alternatio votis.

Præparantur ſumptus ac vehicula tanto itineri neceſſaria, eliguntur comites amore Chriſti feruentes, in proſperis humiles, in aduerſis fortes. Fauor Metropolitani quæritur, aſſenſus Comprouincialium Epiſcoporum petitur, nec negatur. Triſtantur tanti comparis abſentia, lætantur de eius iuſtitia, precantur illi adeſſe Chriſti præſentiam, non defore Spiritus Sancti gratiam. Benedictionem rogant rogati, ſalutant ſalutati. Eorum demum conſilio ordinatur Eccleſia, commendatur plebs commiſſa. Sic acceptâ benedictione, & datâ, exit nouus hoſpes in cordis lætitiâ.

Fulcitur cuneis, quos nectit amor pietatis:
Fletus ora rigant, ſingultus pectora quaſſant.
Flet pius ipſe gregem proſpectans flere ſequentem:
Compulit, vt redeant, illi feruentius inſtant,
Ora, manuſque pedes ſtringunt, mulcétque gementes,
Ingeminatur aue, ſalue, felixque valeto.

Vixque poſthæc multis precibus elapſus eorum manibus iterum firmat eos benedictionibus monens & deprecans ſolliciriùs diuinis inuigilare cultibus, ac animarum ſalutem quærere propenſiùs. Sic tandem eos commendans Domino graditur aggere publico fretus Dei auxilio. Itaque emenſâ natiuâ Galliâ poſt aſpera ac deuia Alpium itinera excepit eum Italia deducens Romam ad Apoſtolorum limina: vbi per diuerſa martyrum cœmeteria quærens orationum iuuamina, pernoctauit vigiliarum inſtantiâ, frequentiùs beati Petri reuiſens oratoria. Præſidebat eo tempore Romanæ Eccleſiæ Adrianus, vir Apoſtolicus, cui nunciatus eſt Madelueus ſacratiſſimus peregrinus, benignè eſt ab eo exceptus, benigniùs diebus multis retentus, benigniſſimè probatâ eius voluntate cum Apoſtolicâ benedictione dimiſſus. Prætergreſſa ergo Nurſiæ prouinciâ ſuſcepit nouum hoſpitem Campania, quem exinde amplexa eſt in Gargano Archangeli Eccleſia, cuius pro foribus aliquantis excubans noctibus confortatur Angelicis conſolationibus, exhilaratur diuinis reuelationibus. Præſtolabatur cum gaudens Appulia vulgante fama eius ſanctitatis inſignia: quem vt vidit, mirata proclamauit cum Pſalmiſtâ: *Sicut audiuimus ita & vidimus.* Poſt diuerſa autem locorum diuerticula pontica ingreditur littora. Hinc turbidi imminent fluctus, procelloſi occurrunt ſpiritus. Suſcipiunt Madelueum Pontificem peregrinum vita religioſum, innocentia glorioſum. Dat naulum nauigio credens ſe maris periculo paſtus cæleſti ſacrificio. Prorelatur nauigatio multorum dierum curriculo. Inſtat Sacerdos prædicationibus, informat nautas doctrinis ſalutaribus. Continuis ieiunat diebus, vigilijs pernoctat & orationibus. Cum verò die quadam aſſuetum nautæ concinerent celeuma, garrulitatéque perſtreperent nauticâ, tempeſtas oritur repentina. Nauis autem medijs iactabatur fluctibus, ſuiſque ſoluebatur compagibus. Turbatis cunctorum animis, ablata ſpe ſalutis ſola ſuberat formido mortis. Tunc Præſul beatiſſimus, non ſorte deiectus velut Ionas fugitiuus, ſed ſanctitate conſpicuus, cui probatus Domini ſeruus, voce omnium rogatus pulſat cælum ſingultibus, vocat Chriſtum gemitibus. Illico cælum eius patuit precibus, & oratio ad ſupernos peruenit auditus. Nec mora aëris ſerenitas, mariſque redit tranquillitas, ac animorum iocunditas. Inde Byzanteum lætantes tenuerunt portum. Conſtantinopolitanum in illis diebus regebat imperium Conſtantinus cum Irene matre, in rebus bellicis ſtrenuus, in cultibus diuinis deuotiſſimus. Hic accipiens iuſtum adueniſſe Madelueum, quærere, & ſuis conſpectibus præſentare præcepit inuentum. A quo multa audiens vtilia, ſuæque ſaluti proficua, vt pro ſe Dei miſericordiam orare dignaretur prece quæſiuit humillima, precioſaque ei offerens exenia, quæ ille contempſit omnia, optatæ viæ dimiſit eum cum reuerentia. Quem Græcia excipiens peregrinum mirata eſt inter ſuos Philoſophum, extra ſuos Theoſophum. Erat quippe verè ſapiens, potens in verbo & doctrina. De ore eius procedebat mel, dulcedo mellis in lingua eius, fauus diſtillans labia eius, ex dulcedine ſermonis præbens cunctis incendium amoris. Deſcendit interea Epheſum orare ad Ioannis Theologi ſepulcrum, vbi effudit multarum flumina precum circumferens, *In principio erat Verbum*, recolens & edocens, *Verbum caro factum.*

Hadrianus.

Conſtantinus cum Irene.

Inde peruenit Ioppem diuerſis viæ periculis perquirens tunicas, & veſtes, & eleemoſynas Dorcadis, ſtupénſque cum Petro linteum quatuor initijs de cælo ſubmiſſum, iuſſus in eo mactare quadrupedia & reptilia terræ in mortificatione vitiorum, ac manducare fructus dignos pœnitentiæ faciendo. Apprehendens poſthæc Hieroſolymam diu deſideratam, & iam concupiſcenti animo oblatam, introiuit in tabernacula eius, omnem locum ſanctum fide & amore frequentans, qui eſt ſuper omnia, Dominum in eis adorans, ſepulcrum IESV NAZARENI CRVCIFIXI lacrymarum imbre die quotidie rigans, Chriſtúmque reſurgentem à morte glorificans & adorans. Nuntiatur interea Patriarchæ Euſebio, qui tempore illo ſanctam gubernabat Eccleſiam Sion, Madeluei reuerentiſſimi erga Chriſtum deuotio, circa loca ſancta diurna frequentatio, iugis pernoctatio, carnis propriæ maceratio. Hic igitur his auditis moram pati neſciens in quærendo, inuentum amplectitur continuò, miratus in eo vultum Angelicum, ſermonem modeſtum, mitem greſſum, habitum reuerendum. Poſthæc introduxit eum in domum matris ſuæ & in cubiculum genitricis ſuæ, & dedit ei poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum. Cúmque eum retinere cogitaret diebus vitæ ſuæ omnibus, reuelatione eſt diuina admonitus, ne proprijs intentus, aliorum inuideret vtilitatibus, neu vellet habere peregrinum, quem ſuſpirabant filij patrem Angelicum. Hoc tonitruo perculſus, dixit ad eum tremebundus: Voluntatis meæ fuit, frater mi, te à me vnquam nolle ſeparari: ſed quia Deo nequimus reniti, reuertere dilecte mi, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum, paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum, cape nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, ſub vmbra illius, quem deſideraſti, ſede, qui introduxit te in cellam vinariam, ordinauit in te caritatem, fulciens te floribus, ſtipans te malis, ac veniat dilectus tuus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum, læua eius ſub capite tuo, & dextera eius amplexetur te. His dictis multorum pretioſas ſanctorum reliquias efferens cum calice cryſtallino opere mirifico ſculpto & obtulit, dicens. Accipe ô care meus hoc mutui amoris pignus. Annuat Chriſtus Dominus his ac reliquis ſanctis interuenientibus, vt iterum nos videamus cum gaudio in cœleſtibus. Tandem ora, manus, oculoſque alterutrum exoſculantes bona proſperáque ſibi imprecantes, ab inuicem diuiſi ſunt flentes. Madelueus itaque ſepulcrum Domini locúmque Aſcenſionis, vbi ſteterunt pedes eius iterum iterúmque reuiſens ac deoſculans, natiuum ſolum reuiſere deliberauit gaudens & exultans, Dominum in adjutorium ſuum intendere petens & exorans. Inde longo ac vario labore itineris redditus eſt finibus patrijs. Recepit alumnum læta tellus Gallica: occurrit Paſtori læta plebs Virdunica: Lætentur cæli & exultet terra, vox conſonat vrbana & ruſticana! fluunt lacrymæ gaudio plenæ, madent lætitiâ genæ: coronatur ciuitas: plateas replet hilaritas, Eccleſias iocunditas. Pontifex egregius Dei auxilio fultus, ſanctorum reliquijs onuſtus, intrat Eccleſiam deuotus, orat Dominum corpore terræ proſtratus. Conſurgens Epiſcopalem aſcendit thronum, ſalutat clerum ac populum, dans omnibus pacis oſculum, adjungens benedictionis ſignaculum.

Quiſque ſua repetit, ſacraria Præſul adiuit,
Pignera depoſuit, poſthæc ſua tecta ſubiuit.
Singula perquirit, ſi pax, ſi vita ſalubris:
Omnia quæ voluit fore proſpera protinus audit,
Ore Deo grates perſoluit, pectore laudes.

Poſtera die luſtratâ nouæ Eccleſiæ fabricâ, laudatâ artificum induſtriâ, renumeratâ cuſtodum diligentiâ, ordinat tempus & diem conſecrationi habilem, cunctis religione venerabilem. Quæ vbi illuxit, Præſul cum ſacris ordinibus Eccleſiaſtico ritu omnibus exterius, interiúſque rite peractis reliquias Hieroſolymitanas in principali abſidâ locis congruis venerabiliter cullocauit. Quæ verò in antiquiori fuere Eccleſia, in parte altaris dexterâ in cryptâ ſubterraneâ decenter compoſuit. Erat autem hic Præſul beatiſſimus ſtudio caſtitatis mundus, abſtinentiæ robore validus, doctrinæ dapibus refertus, patientiæ longanimitate humilis, auctoritatis fortitudine erectus, pietatis gratiâ benignus, iuſtitiæ ſecuritate diſtrictus. Qui paſtorali ſollicitudine gregi ſibi credito inuigilans, alios cæleſtis

Euſebius Ep.

doctrinæ

doctrinæ verbis erudiuit, multos religioſæ vitæ exemplis roborauit, plurimos quoque ab omni infirmitatum moleſtiâ curauit, quoſdam etiam à dæmoniacis ſpiritibus liberauit, omnibuſque exemplar & ſpeculum totius ſanctitatis ſe præbuit. Imminente verò reſolutionis ſuæ tempore, cum cognouiſſet reuelatione diuinâ ſe mundanis liberandum tumultibus, in Eccleſia in qua adoleuerat, quotidiano virtutum prouectu, cui primo paſtor & rector inſtitutus, de quâ etiam ad Pontificium promotus fuit, ſepulturæ ſuæ locum delegit. Licet enim omnium Eccleſiarum inſudaret vtilitatibus, hanc tamen præ omnibus locis ſacris poſt primam, quæ ſedes eſt Epiſcopalis, coluit, amplificauit, & prouexit. Quod etiam omnes Prædeceſſores eius feciſſe nouimus, vt pote qui, exceptis perpaucis, omnes in ea ſedem habent requietionis. Accepit hoc priuilegij donum Eccleſia ipſa à beato Patre debito cum honore nominando Sanctino ſuo fundatore, primóque Chriſtianæ religionis & nominis apud ipſam vrbem doctore, vt poſt matrem Eccleſiam ipſa eſſet caput omnium Virdunenſis diœceſis Eccleſiarum, à quâ & mater Eccleſia ipſa ſubſiſtendi accepiſſet initium: quæ etiam eſt ab antiquo ab ipſis ſcilicet naſcentis Eccleſiæ primordijs cœmeterium Epiſcoporum & reliquorum fidelium Chriſtianorum. Quod Priuilegium ita permanet & permanſit inconuulſum, vt in ea fere omnes eiuſdem vrbis Pontifices legantur diuinis aptati ſeruitijs, tonſorati, nutriti, edocti, conſecrati, excepta ipſa inunctione Pontificalis dignitatis, quam conſtat eſſe matris Eccleſiæ, & frequentius, qui in ea functi ſunt Abbatis officio, per virtutum ſtudia inthronizati ſunt in folio Epiſcopali. Et meritò veneratur ab omnibus locus ille, meritò expetitur, meritò diligitur, quem apex tantæ dignitatis attollit, quia efficeis, qui illò oraturi conueniunt, qui Domino inibi famulantur, qui corpora ſua ob ſanctorum patrocinia illic tumulari precantur, ſi deſunt bona acquiſita, per meritum ſufficere poſſunt, quæ à loci fundatore ſancto Sanctino, à ſanctis inibi quieſcentibus præſtabuntur, tamen prout fides petentium merebitur. Atteſtatur huic noſtræ aſtipulationi domni Bertarij memorialis antiquitas, qui ſanctorum Virdunenſium Pontificum acta replicans baſilicæ quoque huius meminit in hæc verba: *Baſilica*, inquiens, *in quâ prædicti Epiſcopi requieſcunt, eſt in honore ſancti Petri constructa, & habet multorum Epiſcoporum ſepulcra, & propter hoc multum à fidelibus veneranda.* Bertarius.

Huic ergò loco beatus Madelueus anno vitæ ſuæ penultimo, dono Teutbardi adquiſiuit res quaſdam ſitas in Virdunenſi pago loco, qui dicitur Offebris curtis, & in fine Bettiliniaca, in fine quoq; Vindelinſe, quas idẽ Teutgardus à genitore ſuo Gunthero ſibi relictas iure poſſidebat hæreditario in terris, manſis, campis, pratis, paſcuis, ſiluis, aquis, aquarúmque decurſibus, & baſilicam ſancti Martini in ipſa villa Bettiliniaca conſtructam, quæ omnia, ſicut habebat & poſſidebat, ſancto Vitono & huic patri noſtro idem contulit perpetualiter poſſidenda anno Inc. Dom. DCCLXXV. Indictione XIV. regnante Carolo-Magno anno regni eius octauo, die quinto Idus Nouembris, in ipsâ ſcilicet ſolemnitate ſancti Patris noſtri Vitoni. Diligebatur autem ab omnibus totius regni Primoribus, & ab ipſo præcellentiſſimo Rege Carolo, quia & congruum erat, vt quem Dominus perfuderat gratiâ, ab omnibus amaretur. Studebat omnibus per omnia placere, non eo modo, quo placetur hominibus, quorum Dominus diſſipauit oſſa, vt repleantur confuſione ab indignatione eius, ſed illo quo omnibus per omnia placebat Apoſtolus, non quærens, quod ſibi eſſet vtile, ſed multis, vt ſalui fierent. Ideò bona conſcientia dicere poterat auditoribus ſuis cum eodem Apoſtolo: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*, qui vtique volebat ſine offenſione eſſe Eccleſiæ Dei, ita ſcilicet temperandam docens conuerſationem, ne quis in eâ ſcandalum pateretur. 1. Cor. 4. [margin note partly illegible]

Sed quid nos in laude eius tentamus, quod non ſufficimus explicare? Ipſe enim laus eius eſt, qui in ſanctis ſuis laudabilis eſt. Quo ergo nos ducit oratio? Quo moras innectimus? Quid felicem eius è mundo tranſitum replicare tricamur? Adſit ipſe nobis propitius, vt digna fari valeamus, aſpiret cordi noſtro eius meritis Spiritus Sanctus & noſtris infundatur viſceribus. Dicamus itaque, quid dederit ipſe, de quo loquimur, & quomodo de mundo ad Chriſtum, cui deuotus ſeruiebat, migrauerit, breuiter ipſi indagemus. Aduenerat iam tempus reſolutionis eius, & beatus ipſe ad quemdam Epiſcopij fundum tranſierat causâ conſeruandarum Eccleſiarum, vbi tactus digladiabili ſorte naturæ, acri cœpit fatigari dolore. O beatum & verè felicem, quiſciens imminere tranſitus ſui diem, fatiſcentes

attus ſpiritui ſeruite cogebat bonam hanc virtutum ſuatum conſummationem exiſtimans, ſi in tam pio, tam celebri Dei ſeruitio expenderet, quod reliquum erat attriti corporis virium. Fecerat itaque votis ſatis. Conſecrauit namque vici illius Eccleſias, & conſecrario ipſa viget vſque in hodiernum diem. Tanta enim erat tunc & nunc eſt auctoritas viri ſancti, vt nullus Epiſcoporum quamuis ſanctus, quamuis iuſtus conſecrationem ipſam reiterare, vel immutare audeat, ſed perennis eſt apud cunctos tunc facta dedicatio, & erit perpetualiter. Totâ ergo vrbe, imò totâ regione adſtante, & ad verbum oris eius pendente ſermonem fecit omnibus de ipſo feſto Eccleſiæ, & quia præſentialiter ibidem ſanctus ſanctorum aduenerit, cunctis adnunciauit, atque ne conſecratio reiteraretur prohibuit. Tandem omnibus valedixit, ſuúmque exitum maturiùs affuturum prædixit. O quantus in voce hac luctus omnium! quæ ſuſpiria iuuenum! qui gemitus dolentium! Et quis non fleret, vbi tantus vir ſuum à ſæculo nunciabat exceſſum. Quis ſe cohiberet à lacrymis, vbi tanta erat deſtitutio omnium in abſentiâ tanti Patris? Igitur conſueta ſalutis documenta replicans, ſeque illis commendans omnibus benedixit, & vt Dei memorarentur ammonuit, & ſic expleto officio domum rediens languore inualeſcente acriùs cœpit anxiari. Dehinc relatus ad Eccleſiam, exitus ſui præſtolabatur horam gaudens, & verba vitæ omnibus annuncians. Plena erat Eccleſia lachrymarum, plena gemituum, plena plangentinm & dolentium. Solus ipſe gaudebat, qui quò vocabatur agnoſcebat, & vocationem ſuam precibus commendabat. Cùm clamarent omnes, cui nos Pater deſeris, cui tuas oues deſolatas relinquis? Ipſe omnium miſerabatur, omnibus compariebatur omnes à lacrymis temperare docebat. Nec multo poſt venit hora ſancto optabilis, grata ſpiritibus Angelicis, mæſta filiolis, & ſeruum ſuum poſt diuturna præliorum exercitia Chriſtus inuitabat ad præmia. Præſentibus ergo Eccleſiæ ſuæ filijs poſt dulcia vitæ monita, poſt vltima conſolationis affamina viatico cæleſti paſtus, pace datâ omnibus in bonâ confeſſione ſpiritum Deo reddens, patribus ſuis eſt appoſitus, adeptus optimam partẽ, quæ non auferetur ab eo, quia in pace fuit locus eius, & in Sion habitatio eius.

Fuit autem beatus Maduleus à tempore Pippini, qui Anſegiſo ortus Carolum Tuditem genuit qui pater Pippini, ex quo Carolus-Magnus eſt genitus, cuius vſque ad tempora hic iuſtus vixit vitâ ſobriâ, iuuentute caſtâ, complens curſum vitæ præſentis in ſenectute bonâ. Senectutem autem ipſam dicimus, quæ ab anno hominis quinquageſimo in ſeptuageſimum ſeptimum porrigitur, quando iam à ſtatu ſuo minorari & infirmari virtus humana incipit. Obijt autem terrâ plorante, cælo plaudente, in proximo Epiſcopij feudo, quod dicitur Nouauilla, quarto Nonas Octobris, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto, in ipſo initio albeſcentis ſenectutis, exuens corruptibilem carnis tunicam, induens deificam immortalitatis ſtolam. Hoc accepto elogio ciuitas tota turbatur, populus omnis mœrore afficitur. Nec mora, omnis ætas, vterque ſexus indiſcretè corpori obuiam ruunt, lacrymarũ imbres fundunt, plangoribus aëra tundunt. Nec defuere exequijs beati corporis cæleſtes exequiarũ miniſtri, qui beatum funus, dum ſuo ambiunt apparatu, odorem dulciſſimum ſua præſentia exhibuerunt, vt palam cunctis daretur intelligi adueniſſe illic ipſum quoque auctorem ſuauitatis. Et reuerâ. Ipſa enim clemens afficit diuinitas conſolans lugentium lacrymas, notificans, quæ in defuncto pietas, quanta ſimplicitas, quæ cordis fuerit puritas. Statim namq; vt cœlo ſpiritum reddidit, duæ colũbæ candidiores niue ab æthere cunctis videntibus lapſæ ſuper Crucem quæ ante corpus erat, ſederunt, & per omnes exequiarum moras, vſquequò ſepulturæ traditum eſt, manſerunt, ſicque videntibus illis iterum poli ſecreta petierunt. Cùm tantâ ergo cæleſtis exercitus frequentiâ curatum eſt corpus patris piâ filiorum diligentiâ, & ſic cum omni veneratione digniſſima delatum eſt ad Eccleſiam beati Petri Apoſtolorum Principis, quæ ſita ad Septentrionalem plagam vrbis, in quâ precioſus Domini Confeſſor Vitonus cum multis prædeceſſoribus ſeu ſucceſſoribus ſuis requieſcit Præſulibus ſanctis, vbi officio ſolemniter ex more celebrato, occurrentibus vicinarum vrbium Epiſcopis terræ eſt mandatũ cum gloriâ. Felix Eccleſia tanti Patris humatione digna! Felix locus tanti theſauri largitione ditatus! Beatum dixerunt populum tanti paſtoris regimine ſublimatum, benedictione protectum, miraculis iocundatum. Etenim ſi gloria Eccleſiæ laus Doctoris eſt, quantæ erant, imò quantæ ſunt huius Eccleſiæ gloriæ, cuius Doctorẽ tantâ Deus omnipotẽs approbabat laude? Ecce ad exequias eius cæleſtes excubabãt miniſtri, vt agnoſceretur in terris quãtâ hunc Dominus gloriâ donaſſet in cęlis.

Beata planè exequiarum funera talium teſtium viſitatione digna. Et quid eſt columbas de cœlo veniſſe, funeri obſequium & ſolarium præbuiſſe, iterùm cunctis videntibus cæli ſecreta petiſſe, niſi Chriſtum in ſpecie alitis innocuæ fidelibus populis de morte Patris mœrentibus ſuámque deſtitutionē lugentibus parenter oſtendere voluiſſe, illum, cuius funus erat, in innocentiâ & ſimplicitate vixiſſe, ſine felle amaritudinis vitam piam, timoratam, circumſpectam, ſollicitam, ſocietatis ſanctorum auidam, ab omni malitiæ næuo immunem exegiſſe, & conſortia ſanctorum in gloria curiæ cæleſtis piâ deuotione meruiſſe. Accedant adhuc & potiora miracula, glorificetur Dominus in ſanctis ſuis, qui eſt mirabilis in operibus ſuis. Humato enim Patris corpore, vt oſtenderetur in cælis ſemper viuere ad oſtendenda præclara eius merita, fiebant ad ſepulcrum eius diuina miracula. Et quia pia Dei clementia illum à puero ab omni inquinamento carnis abluit, mentémque eius caſtificans ab illuſione diabolicâ potenter defendit, iſque ſibi mundo corde & caſto corpore ſeruiuit eius poſt obitum euidentius manifeſtatū. Vt enim ipſius mens inuiolata libidine, ita caro manſit incorrupta putredine. Si quidem cùm ſepulcrum eius quotidianis virtutū floreret prodigijs & crebris populorum frequentaretur excubijs, erat tamen ſitum negligentius quàm poſceret debitæ venerationis cultus. Quare dignum duxit tunc temporis Epiſcopus clerúſque omnis & populus illud mutare decentiùs. Præſidebat eo tempore Virdunenſi Eccleſiæ Berhardus Epiſcopus vir Catholicus, *Berardus Ep.* & religioſus, & in fide ſanctâ nominatiſſimus, imperante Lothario Ludouici Pij filio, cuius regnum fuit Italia cum vrbe Româ & parte Franciæ, quam Moſa & Rhenus inter ſe claudunt. Quod cùm vri deliberauerant animo, certarent effoſſo implere ſarcophago, ſubito illis inæſtimabilis oſtenſa eſt viſio. Nam ablato ſepulcri cooperculo vident cadauer ante quadraginta annos defunctum velut viuentem hominem ſoporatum, candore liliorum & rubore roſarum perfuſum, nullâ maculâ nec aliquo mortis ſigno fœdatum. Quo viſo miraculo odoréque perfuſi ſuauiſſimo, cœperunt flere præ gaudio, leuantéſque corpus ſancti cum reuerentiâ & iubilo in præparato tranſponunt Mauſoleo, vbi ex tunc operatur diuinitas, cunctóſque Dei medetur pietas. Sopitur omnis ibi infirmitas, fugatur cæcitas, erigitur curuitas, roboratur debilitas, omnibus redditur ſanitas. Habet iam beatus Vitonus in cælis ſocium & conciuem, quem habuit aliquando in terris alumnum & deuotum ſucceſſorem. Coniunctus eſt ſanctis in gloriâ, quibus deuotus ſeruiuit in hac vita laborioſa. Quæramus & nos eum patronum & tutorem, & cum reliquis ſanctis pium apud Dominum interceſſorem, quem meruimus habere Doctorem & veritatis præconem. Illic ergo poſitus nos hic orantes exaudiat, tueatur, & protegat, & quos habet in terris ſupplices veneratores, obtineat ſuos in cælis fore conciues.

Si ergo huius beati viri amore ductus diligens lector ſtudioſius cupit addiſcere, quo in tempore natus, quóue ſit ad Epiſcopatum promotus, quot annis ante Epiſcop[illegible]um, & quot in Epiſcopatu vixerit, & quo hominem exuerit, teneat Chronic[illegible] memorialis eius, & ſic per ſuccedentium ſibi Regum & Romanorum Pontificum tempora quod quærit inueniet. Relatum eſt ſuperius, quod ante ordinationem eius per multa dierum curricula abſque Paſtore fuerit plebs Virdunica. Non enim ferebat Præfectorum, qui & Majoreſdomus dicebantur, improba licentia Eccleſias vti libertate propriâ, cùm ipſas quoque vrbes nimiùm atteriuerit, maximè tamen Virdunum, quæ ſita in confinio Neuſtriæ & Auſtraſiæ, vtrobique incurſioni diripientium patuit & rapinæ. Durauit hæc vaſtitas per annos complures, à tempore ſcilicet Theoderici & Principis Ebroini, quorum beſtialis & non humana ſæuitia maculauit regnum Francorum ſanguine Procerum & magnatorum, vſque ad ſecundum Pippini Regis Francorum annum, quo inſtitutus eſt à Stephano Papa Rex Francorum, ſicut & prædeceſſor eius Zacharias conſtituerat. qui fuit annus ab Incarnatione Domini DCCLIII. Tunc primùm diſcuſſa caligine horribilis turbinis noua lux oriri viſa eſt Galliarum populis, & plebes, quæ carebant paſtore, ſuum quaſque certatim rapere, quo anno inthronizatus eſt hic beatus auctoritate Stephani Papæ, & Pippini Principis laude. Dum ergo referat Chronica, quid fuerit à tempore Pippini qui Auſtraſio ortus Carolum Tuditem genuit, vſque ad Caroli tempora, teneamus annum ab Incarnatione Domini DCCXII. quo beatus hic natus Indictione XIII. & ſic computando aſcendentes habebimus ipſos annos, quibus Pippinus

ſuperauit annos etiam XXVII. quibus Carolus obtinuit principatum poſt patrem, ſex etiam quibus filij eius Carlomannus & Pippinus poſt eum communiter dominati ſunt, quatuor quoque quibus ante vnctionem ſolus principatum obtinuit, ipſum etiam annum, quo in Regem eleuatus eſt, & ſic ſummam numeri colligentes inueniemus quod XLIII. ætatis ſuæ anno conſecratus ſit electione ſupernâ, eo ſcilicet anno, quo Pippinus Rex conſtitutus à Papâ eſt. Hinc iterum numeratis annis XV. quibus poſtea Pippinus ſolus regnauit, & octo annis regni Caroli, quia nono hic beatus hominem exuit, cùm obſideret Carolus Tarouiſam Italiæ vrbem, inueniemus quod vigeſimo quarto Pontificatus ſui anno pro perituris cœleſtia & æterna commutans, in proximo Epiſcopi fundo, qui dicitur Nouauilla, ad Dominum migrauerit, quarto Nonas Octobris ætatis ſuæ anno LXVIII. Indictione XV. *Fallitur in multis.* Epacta XXVII. anno Pontificatus Adriani Papæ ſexto ab Incarnatione Domini DCCLXXVII. Conſtantini & Irenes temporibus, anno regni eorum ſexto, vno ante ſeptimam Synodum anno. Ergo felix Madeluci ortus, felicior vitæ curſus, feliciſſimus fuit occaſus præſtante IESV Chriſti gratiâ cui eſt honor & gloria in ſæculorum ſæcula Amen.

Anno ab Incarn. Domini DCCLIV. Pippinus Rex intrauit Longobardiam, & Stephanus Papa reuerſus eſt Romam. Anno quoque DCCLX. perrexit Waſconiam & anno ſequenti cum filijs Carlo & Carlomanno Aquitaniam & Bituricas cepit. Anno DCCLXII. iterum iuit Aquitaniam & conquiſiuit Lemouicas ciuitatem. Cúmque ſeptima vice illò iret per Viennam tranſitus Berterico ex famulis Eccleſiæ Epiſcopatum Viennenſem dedit. Poſthæc anno DCCLXVIII. obijt octauo Kalend. Octobris & eodem anno, die videlicet ſequenti vncti ſunt in Reges Carlus & Carlomannus. Franci ita diuiſerunt, vt Carlus partem, quam pater Pippinus tenuerat, obtineret, Carlomannus verò partem, quam patruus eorum Carlomannus habuerat, ſuſciperet.

Anno ab Incarn. Dom. DCCLV. Indictione octaua poſt Gayronum Epiſcopum, qui in expeditione Imperatoris obijt, domnus Manaſſes ordinatus eſt Abbas in Flauiniaco dono Imperatoris Pippini. *Manaſſes.* Hic corpus beati Præjecti Martyris à Volouico delatum Eccleſiæ ſuæ intulit octauo Idus Nouembris. Hic etiam cellam primus Corbiniaci inſtituere volens ab Imperatore Carlomanno obtinuit, nec tamen fecit. Obijt anno DCCLXXXVII. Nonis Octobris trigeſimo tertio anno ſuæ ordinationis. Succedit Adalbertus. *Adalbertus.* Carolus-Magnus contulit Deo & ſancto Petro ſanctóque Præjecto & Abbati Manaſſæ, vt nullis hominum Flauiniacenſis Eccleſia in omni regno ſuo teloneum daret in ciuitatibus, mercatis, vicis villis, pontibus, portibus, nec de rotatico, barganatico, puluerático, mutatico, ſalutatico, laudatico, & de hoc quod homines ad dorſa portare ſolent, quidquid ad ius fiſci pertinebat, indulſit, & de omnibus terris Monachorum in toto imperio ſuo teloneum omne eis conceſſit quinto Nonas Maij anno ſeptimo regni ſui.

Carlomannus igitur poſt adminiſtratum communiter quadriennio regnum deceſſit anno DCCLXXI. pridie Kalend. Decembris: *Carolus Magnus.* Carolus ſolus regnum obtinuit. Anno regni ſui ſecundo, dum adhuc frater viueret, bellum Aquitanicum à patre inchoatum, ſed nondum finitum, tantâ felicitate conſummauit, vt omnem Vvaſconiam & Aquitaniam ſibi retineret, & ſibi ſubijceret. Igitur poſt Stephanum Paulus ſedit Romæ annis decem die vno: obijt anno DCCLXVII. poſt quem Stephanus annis tribus, menſibus decem, diebus XXVIII. Cui ſuccedens Adrianus ſub quo habita eſt à quinque Patriarchis apud Nicæam Synodus CCCL. Patrum temporibus Conſtantini & Irenes matris anno Imperij eorum ſeptimo, regni Caroli-Magni decimo ab Incarnatione Dom. DCCLXXVIII. ſedit annis XXIV. menſibus tribus, diebus XVII. obijt anno DCCXCVI. & ſucceſſit Leo.

Compoſitis itaque Carolus rebus in Aquitaniâ, & ſocio iam defuncto, precibus Adriani Pontificis Romani bellum contra Langobardos cœpit. Anno DCCLXXII. Carolus intrauit Italiam, & ſuſcepit bellum quod à patre ſuo, ſupplicante Stephano Papa, fuerat ſuſceptum. Quidam autem de Primoribus Francorum adeò voluntati eius reniſi ſunt, vt ſe domum reuerſuros & Regem deſerturos liberè pronunciarent. Cœptum tamen eſt. Carolus igitur Deſiderium Langobardorum Regem paucorum dierum obſidione compulit, *Deſiderius Rex Langobardorum.* & obſides dare, & erepta Romanis reſtituere, atque vt non repeterentur ſacramento firmare. Papia

autem tradita eſt. anno DCCLXXIV. regni Caroli ſeptimo. Finis ergo belli fuit ſubacta Italia, & Deſiderius perpetuo exilio deputatus in Franciâ, filius eius Adalgiſus pulſus Italiâ, & res à Langobardis eteptæ Adriano Papæ reſtitutæ. Carolus ergo Langobardia ſubjecta & ſacramento firmata cùm præfeciſſet omni Italiæ Pippinum filium ſuum anno ipſo, qui erat, vt dictum eſt, ab Incarnat. Domini DCCLXXVI. repetiuit bellum contra Saxones rebellantes.

Anno DCCLXXVI. qui erat regni Caroli nonus, obijt Madelueus Epiſcopus, cùm obſideret Caroli exercitus in Tharauiſæ Italiæ ciuitate, Stabiliatum ſocerum Chrotgandi, qui contra Carolum rebellauerat, & pro..... Carolo Italiam ingreſ- *Petrus Vird. Ep.* ſo in bello occiſus erat. Erat in eadem ciuitate Petrus vir Italicus, à quo tradita eſt ciuitas, & ob hoc de Virdunenſi Epiſcopatu honoratus eſt. Quo in tempore præerat Eccleſiæ ſancti Vitoni Abbatis nomine & officio Fremodo Diaconus & *Fremodo.* Abbas, poſt ſanctum Madelueum locum ipſum regendum ſuſcipiens. Temporibus ipſius Fremodonis, hoc eſt XIV. anno regni Caroli qui erat ab Incarnatione Domini DCCLXXXI. dedit quidam vir nobilis Becco Canonicus ſancto & famulantibus eius pro anima ſua & pro anima Amlingi germani ſui in ipſo cœmeterio ſepulti res proprietatis ſuæ quas habebat in pago Vn.... loco qui dicitur Gaalanæ curtis ſuper fluuium Agira, id eſt Eccleſiam in honore ſancti Chriſtophori, cum omnibus, quæ ad ipſam villam pertinere videbantur, ſicut in chartâ continetur. Poſtmodum idem Fremodo fecit præſtariam de Raherei curte & ad eam pertinentibus cuidam Bettoni Abbati, qui... ſancto Petro & ſancto Vitono, qui & ..... Garani curtem cum appendicijs & poſt mortem eius melioratas curias illas ſanctus poſſedit.

Tunc fuit Epiſcopatus Virdunenſis per duodecim annos vacuus, ſed quidam *Amallerius.* ſeruus Dei Amalbertus nomine, iuxta morem temporis illius factus Chorepiſcopus, regebat ipſam Eccleſiam, & in quodam oratorio ſub honore omnium Apoſtolorum quaſi ſolitariam vitam ducebat. Et tunc perdidit ipſa Eccleſia quædam, quæ ſibi collata aliquando poſſederat, & hoc in tempore Caroli-Magni. Licet enim Petrus præfatus vir Italicus pro traditione Tharouiſæ de ipſo Epiſcopatu fuiſſet ab eo honoratus, quia tamen ſemper ſuſpecti ſunt traditores, in Epiſcopatu per tempus præſcriptum receptus non eſt. Tamen ne verbùm Regis eſſet inane & vacuum poſt præſcriptum annorum ſpacium conceſſum eſt illi ciuitatem ingredi & Epiſcopatu potiri anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXVIII. fuitque per XXV. annos & paſſus eſt multa aduerſa. Certè etiam infidelitatem Imperatoris objecerunt illi, & ob id per duodecim annos non fuit auſus Imperatorem videre. Sed poſtea à filijs Eccleſiæ ipſius coram Principe rectè purgatus, adijt illius præſentiam, & in diebus eius Eccleſiam ſibi non ſolùm non acquiſiuit, ſed & perdidit plurima. Difficile enim eſt, vt bono terminentur exitu, quæ malis ſunt inchoata principijs. Probat hoc ruinâ ſuâ Virdunenſis ciuitas, quæ turrium ſuarum ſolidiſſimo ambitu, vt pote, lapide, plumbo, ferróque conſerto munita, vnde & nomen ſortita eſt, vt diceretur vrbs Clauorum, pro tuendâ Italici huius inſtabilitate, & experta infidelitate à Carolo deſtructa, nunc vix aliquam antiquæ illius firmitatis retinet memoriam, edocens omnes ſuo tali infortunio, quæ Dei ſunt à Deo eſſe quærenda. Senſit etiam Rex inſenſibilis perniciem tanti infortunij, vt non minor hic niſi, quia præmeditatus accederet hoſtis, quàm dudum Vandalica peſtis. Et merito: nam ab ipſis fidei rudimentis vſque ad tempus illud ſemper in Dei nomine Pontificis valuit electio Cleri & populi, & ſi in quibuſdam Principes leguntur fanorem & conſenſum præſtitiſſe, nuſquam tamen inueniuntur electionem vetuiſſe Pontificis ordinandi, aut factam immutaſſe: Sepultus eſt in Eccleſia ſancti Petri. A vaſtatione autem vrbis Virdunicæ, quæ facta eſt à Vandalis vſque ad deſolationem eius factam ſub Carolo-Magno, colliguntur anni fere CCLXXX. De quadris autem lapidibus dirutæ ciuitatis Aquiſgrani Capella extructa eſt.

Poſt cuius mortem elegerunt ſibi clerus & populus Epiſcopum de Regis pala- *Anſtrannus.* tio anno DCCCXV. Anſtrannum, Cantorem ipſius, virum ſtrenuum, cuius induſtria Biacenſes negotiatores eiuſdem Eccleſiæ ditioni redacti ſunt. Et hic ſuperfuit annos quinque. Requieuit autem anno DCCCXIX. & ſepultus eſt in baſilica ſancti Petri Apoſtoli cum prædeceſſoribus ſuis.

Suſceptum ergo bellum à Carolo contra Saxones per XXXIII. annos majore damno Saxonum quàm Francorum geſtum eſt. Videntes Saxones quòd reſiſtere non poterant, pacem petentes, multitudo eorum baptizata eſt. Anno DCCLXXX. venit Carolus in Saxoniam in loco, qui vocatur Parrisbrenna, & ibi habuit placitum magnum; & ibi conuenerunt Saxones ad Baptiſmum, conditione à Rege poſitâ, vt Franci & Saxones vnus eſſent populus. Duobus itaque prælijs ita contriti ſunt Saxones, vt vlterius neque Regem prouocarent, neque venienti reſiſtere auderent. Plures tamen nobiles eo bello conſumpti ſunt.

Anno DCCLXXXVIII. Hiſpaniam aggreſſus ſibi ſubdidit, & Britanniam. Per quadraginta enim & ſeptem annos, quibus regnauit, ita ampliauit Francorum regnum, vt cùm antea eſſet magnum & forte, duplum illi addiderit. Colebat præ omnibus alijs locis ſacris Eccleſiam ſancti Petri apud Romam, cui etiam multa contulit in auro & argento. Ad hoc ſemper laborauit, vt vrbs Romana ſuo labore, veteri polleret auctoritate, quam cum tanto amore diligeret, quater tantùm in omni tempore regiminis ſui illò iuit. Nunciato ſibi Adriani Romani Pontificis obitu ita fleuit, ac ſi fratrem cariſſimum amiſiſſet.

Domnus Manaſſes corpus ſancti Præjecti Martyris à Volonico delatum Fla-
Manaſſes. uiniacenſi intulit Eccleſiæ, quam in honore ſancti Petri & eiuſdem Martyris
fundauerat. Exceptio eius octauo Idus Nouembris celebratur. Hic obtinuit apud
Carlomannum, vt in Corbiniaco villâ Cœnobiolum extrueret. Obijt triceſimo
Adalbertus. tertio anno ordinationis ſuæ, Nonis Nouembris, cui ſucceſſit Adalbertus vir
venerandus anno vigeſimo primo Caroli, & quinto anno ordinationis ſuæ de-
Zacho. ceſſit, & ei ſucceſſit Zacho & quarto anno moritur, & huic Alduinus ſucce-
dens ſeptimo anno obijt & ſic XXXV. anno Imperij Caroli domnus Apollinaris
Alduinus. Apollinaris. ordinatur Abbas dono Imperatoris. Hic etiam Abbatiam Diuionenſem & Reo-
menſem rexit, & Eccleſias eaſdem poſſeſſionibus auxit, Sanctorum reliquijs ho-
neſtauit, præcipuè tamen Flauiniacenſem prouexit & auxit. Obijt pridie Kal. Aprilis
anno duodecimo Imperij Ludouici. Interfuit Concilio Aquiſgrani habito, quar-
Vigilius. to anno Ludouici eiuſdem, & poſt duos annos ſucceſſit Vigilius Abbas, anno
XIV. Ludouici. Virdunenſem tunc temporis Eccleſiam Vrſus, Lugdunenſem
Ado regebat. Poſt Adonem Hilduinus nepos eius Lugdunenſem Eccleſiam pau-
lulum non Epiſcopus tenuit, & abſcedens Lirinis Monachus factus eſt. Poſt
Leidradus. quem Lugdunenſem Eccleſiam Leidradus ſuſcepit honori reipublicæ vtilis: Vien-
nenſem verò Wlferi Bauarius rexit annis vndecim, cui ſucceſſit Bernardus.
Leidradus verò in initio Imperij Ludouici Imperatoris Sueſſionenſe Monaſte-
Agobardus. rium petiit, & in loco eius Agobardus ſubſtituitur eiuſdem Eccleſiæ Chorepiſco-
pus, conſentiente Imperatore, & omni Gallicanorum Epiſcoporum Synodo.
Quod quidam defendere volentes dixerunt eum à tribus Epiſcopis in ſede Lug-
dunenſi iubente Leidrado fuiſſe ordinatum. Hic igitur Agobardus & Bernardus
Bernardus. Viennenſis apud Ludouicum accuſati deſertis Eccleſiis in Italiam ad Lotharium,
ſe contulerunt, ſed agentibus pijs Imperatoribus vterque ſedem ſuam recepit. Et
Agilmarus Amolo poſt paucos annos Agobardus apud Sanctonas in expeditione Regiâ defungitur.
Bernardus quoque obiit, & Agilmarus ſubſtituitur. Amolo quoque Lugdu-
nenſem Epiſcopatum ſuſcipit, cuius auctoritas & amor Caroli erga eum mul-
Leo III. tum valuit ſancto Papæ Leoni, vt ipſe hoc teſtatur in Epiſtola ad eum miſſa.

Succeſſerat poſt Adrianum in Pontificatu Romano Leo anno ab Incarnatione Domini DCCXCVI. qui ſedit in eadem ſede annis XXII. menſibus quinque diebus quindecim. Hunc Romani Letania Maiore captum multis affectum iniuriis, erutis oculis, lingua amputata anno DCCXCVIII. fidem Regis implorare compulerunt. Miſſus enim in cuſtodiâ, per murum noctu aufugit ad Eccleſiam ſancti Petri: inde à Francis Spoletum deductus, ac demum ad Padabronnam honorificè à Rege ſuſceptus, & cum honore Romam eſt remiſſus. Hæc fuit cauſa vltimi aduentus Caroli Romam ad reparandum Eccleſiæ ſtatum, vbi totum hiemis tempus exegit, quo in tempore Imperatoris & Auguſti nomen aſſumpſit. Tum habita quæſtione de eis, qui Leonem Papam inhoneſtè tractauerunt, & contumeliauerunt, vt reos majeſtatis capite plectendos iuſſit. Pro quibus pius Pontifex interceſſit, & Rex eis vitam & membra perdonauit. Anno DCCCIII. Imperator legationem Romam miſit de inquirendâ veritate, ſi vt ferebatur, ſanguis Chriſti

in Mantuâ fuiſſet inuentus. Quâ de causâ Leo in Franciam venit, quem Imperator Remorum ciuitate ſuſceptum Natalem Domini cum eo celebrem duxit, & donatum maximis muneribus per Bauariam ire volentem deduci fecit vſque Rauennam. Anno DCCCVI. delata ſunt corpora & oſſa ſancti Cypriani à Carthagine cum reliquis Scillitanorum Martyrum Sperati & ſociorum eius, & Lugduni in Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ poſita. Anno DCCCX. Pippinus Italiæ Rex defungitur, in cuius regno Carolus filium eius Bernardum nepotem ſuum ſublimauit, & Regem appellari conſtituit.

Anno DCCCXIIJ. quidam de Primoribus Romanorum conſpirauerunt in memoratum Leonem Papam, qui comprehenſi iuſſu illius interfecti ſunt. Exactis verò Papatus ſui annis viginti & vno cum grauiter ægrotaret Romani collectâ manu omnia prædia, quæ in ſingulis ciuitatum territorijs nouiter conſtruxerat, primo diripiunt, deinde euertunt. Quos prohibuit ab incepto Bernardus Italiæ Rex, & eodem anno obijt Papa Leo.

Carolus extremo vitæ ſuæ tempore congregatis omnium Francorum Principibus Ludouicum filium ſuum conſortem regni, & imperialis nominis fecit heredem, impoſito capiti eius diademate. Quo in tempore Herlandus ſuſcepit Virdunenſem Epiſcopatum vir multum ſimplex & vltra modum infirmus: & hic expletis *Herlandus.*
in Epiſcopatu annis ſeptem, obijt Aquis, & relatus inde ſepultus eſt iuxta Anſtrannum in baſilica ſancti Vitoni. Carolus quoque deceſſit anno ad Incarn. Dom. DCCCXV. ætatis ſuæ anno LXXII. regni XLVII. quinto Calendas Februarij, & eſt ſepultus Aquiſgrani palatio in Eccleſia, quam ipſe ædificauerat. Succeſſit Ludouicus, cognomine Pius, & per annos XXV. magno moderamine rexit Imperium & hoſtibus fortiter reſiſtens potenter eos terruit. Anno DCCCXVI. obijt Leo Papa & ſuccedens Stephanus ſequenti anno obiit, cui ſucceſſit Paſchalis. Anno DCCCXVII. Ludouicus Concilium habuit de Abbatibus & Monachis, vbi interfuit Apollinatius Abba Flauiniacenſis, & obijt DCCCXXI.

Anno ipſius Ludouici octauo, ab Incarn. Dom. DCCCXXIII. natus eſt ei filius *Drogo Ep.*
Carolus in Francono-furch palatio nouo, & ibi ordinatus eſt pridie Idus Iunij Drogo Caroli-Magni filius, & datus eſt ei Epiſcopatus Metenſis, & Humberto *Humbertus Ep.*
Præcentori Palatij Epiſcopum Meldenſe traditum eſt. Qui inuenit in ipſa Eccleſia quaternuneulos de vita ſancti Sanctini, ſed valdè contritos. Eodem anno in territorio Tullenſi, villa Commarciaco, puella ſabbato ſancto poſt acceptam communionem iejunare cœpit, & tres annos abſque omnis cibi & potus perceptione permanens anno DCCCXXVI. iterum manducare cœpit. Habuit Ludouicus & alios tres filios Lotharium, Ludouicum, & Pippinum, & ex aliâ vxore iuniorem, quem diximus Carolum. Anno DCCCXXIV. Paſchalis Papa obijt, ſucceſſit Eugenius & tribus annis adminiſtrato Pontificatu Romano, Valentino ſedem reliquit qui eodem menſe obijt, & Gregorius IV. ſucceſſit: ſedit annis decem. Anno DCCLXXVIII. Cùm omnis poteſtas Francorum Pij Ludouici ſtudio, vacaret otio, quidam tantam pacem non ferentes vxorem Imperatoris ab eius latere in Aquitaniam ſub cuſtodiâ dirigunt. A Rege quoque vniuerſus populus deficiens ad filios eius ſe tranſtulit: ipſe cuſtodiæ traditus eſt, vxor eius itidem cuſtodiæ mancipata, ſed vnica Dei bonitate proſpera ſuccedunt, populi ad reuerentiam conuertuntur, ipſum in priſtino gradu reuocantes ſublimant, filij nuncijs miſſis veniam flagitant.

Anno DCCCXXXV. Lotharius relicta Francia Italiam petit. Ebbo Remorum Archiepiſcopus deponitur, & multi alij exilio damnantur, quia in dejectionem Imperatoris conſpirauerant. Defuncto autem Herilando Antiſtiti abijt pars Cleri & plebis Virdunicæ ad Ludouicum Imperatorem anno DCCCXXVII. & petierunt ſibi dari domnum Hildinum de Alemanniâ virum bonum & ſanctum, qui in *Hildinus Ep.*
Epiſcopatu ſuo multas Eccleſias conſtruxit, & multa bona operatus eſt. Ludouicus igitur regnum ſuum inter filios ſuos diuidens, Lothario qui erat major natu, tradidit imperium, & regnum Italiæ, & partem Franciæ, quam Moſa & Rhenus inter ſe diuidunt & partem Burgundiæ: Ludouico tradidit Bauariam, Saxoniam, & regna quæ Carolus ſubegerat: Pippino Aquitaniam, Vvaſconiam & terram ſibi ſubjectam vſque in Hiſpaniam: Carolus minimus natu, qui Caluus eſt dictus, adeptus eſt Franciam, Burgundiam, Neuſtriam. Vnde indignati ſunt fratres,

quià nolebant eum ſibi æquari, & quia melior pars regni ei collara fuiſſet. Vnde poſt Patris obitum graue inter eos ortum eſt bellum, & tamen ſtatuta patris immutati non valuerunt. Ad extremum etiam Aquitaniam, Carolus obtinuit. Pippino enim ante patrem defuncto, filius Pippinus remanſit, qui quia ad regnum gubernandum minùs fuit vtilis, ad Carolum ſe Principes contulerunt, & regnauit Carolus Caluus annis xx. Anno Domini DCCCXXXIX. Corpus ſancti Bartholomei Beneuentum delatum eſt. Obijt Apollinaris Abbas Flauiniacenſis pridie Kalen. Aprilis, duodecimo ann. Ludouici, & poſt duos annos Vigilius ſucceſſit annis xcv. & poſt eum Areuualdus... garus eſt anno xxv. ipſius Ludouici.

Vigilius. Adrualdus.

Obijt autem Ludouicus duodecimo Kalend. Iulij anno DCCCXL. Imperij ſui anno xxv. Corpus eius à Drogone fratre Mettim delatum & in Eccleſia ſancti Arnulfi poſitum eſt. Succeſſit Lotharius in regno: anno ab Incar. Dom. DCCCXLI. apud Fontanidum fuit bellum grauiſſimum inter fratres filios Ludouici & non ſine magno ſuorum diſpendio, Carolus & Ludouicus vicerunt. Eodem anno Agobardus Lugduoenſis Epiſcopus obijt, & illud venerabile opus, quod à tempore Trajani Imperatoris Forum vetus appellabatur, Lugduni corruit. Dum ergo quiſque ſibi conſulit, & ne alter ſibi præferatur, cauet, vnitum Francorum regnum fœdâ ſectione ſciderunt, & exteris nationibus occaſionem rebellandi contulerunt. Ingruentibus enim Normannis, Dacis & Brittonibus fiunt Chriſtianorum ſtrages, deprædationes, vaſtationes, incenſiones. Hac de cauſa pacificantur inter ſe Reges, & quia armis non poſſunt, pecuniâ ſe redimunt. Anno primo Lotharij & Caroli ab Incar. Domini DCCCXLII. Normanni Aquilonares populi vaſtauerunt Rotomagum. Aono DCCCXLIV. mortuo Gregorio Sergius Papa ſuccedit & tres annos adminiſtrato Sacerdotio Leoni III. dereliquit, & poſt annos.... ſuccedit Benedictus III. annis duobus, & Nicolaus I. qui exactis in Sacerdotio decem annis Adriano Cathedram reliquit anno ab Incarn. Dom. DCCCLXVII.

Lotharius.

Lotharius igitur major natu obtinens Imperium contentus fuit & parte regni, quam ſupra diximus cum vrbe Roma & Italia. Indictio xv. fuit annus Lotharij Imperatoris in Italia XXXIII in Francia XIII. Habuit filium Ludouicum qui in vita patris Romæ à Sergio Papa coronatus & Imperator appellatus eſt. Regebat tunc Virdunenſem Eccleſiam præfatus domnus Hildinus Epiſcopus, vir per omnia laudabilis: Sed hic poſt bellum in Fontanido actum magno odio habitus à Lothario Imperatore. Anno ab Incarn. Dom. DCCCLI. obijt in iſta ciuitate cum magno dolore & triſtitia Idibus Ianuarij, exactis in Epiſcopatu viginti quatuor annis, & ſepultus in cryptâ ſancti Vitoni. Poſt cuius exceſſum ordinatus eſt in ipſa Eccleſia domnus Hatto & pro prædicto Imperatoris odio inuenit tunicam ſanctæ Mariæ per multa ſciſſam & diſruptam, id eſt, res præfatæ Eccleſiæ nimium ſubtractas & alienatas. pro quarum alienatione & ſuorum afflictione toto niſu erexit ſe contra inimicos Eccleſiæ, donec miſerante Domino ad priſtinum ſtatum omnia reduceret & redintegraret. Inſuper etiam obtinuit apud Lotharium iuniorem Regem, villas & prædia quamplurima, vt demonſtrat chartarum notitia Erat enim intentio eius & labor nimius, vt Eccleſia ſibi commiſſa exaltaretur & pace frueretur. Quod & fecit diebus vitæ Lotharij iunioris. Hic accepit partem reliquiarum ſanctorum Confeſſorum pariterque Pontificum Mauri, Saluini, Araroris, quorum corpora ſancto Agerico reuelata, & ab eodem fuerant honorabiliter & ſanctiſſimè ordinata in eadem Eccleſia, vbi primò fuerant tumulata, ſancti Petri Apoſtoli nomine conſecrata, ſed à domno Hildino in noua ſancti Medardi Eccleſia erant tranſlata, & repoſuit in Monaſterio, quod Theologium dicitur, Eccleſiæ ſuæ ſubjectum Brachium verò ſancti Mauri in Eccleſia quam ipſe in caſtello nouo quod nunc Hattonis caſtrum ab Auctoris nomine vocatur, conſtruxerat, ſub altari recondidit ad ſalutem & præſidium poſterorum. Lothario igitur iuniore Rege filio Lotharij diem obeunte, anno ab Incar. Dom. DCCCLXXIV. in menſe Auguſto, etiam iſte obijt Kalend. Ianuarij, & eſt ſepultus in baſilica ſancti Vitoni, in cryptâ iuxta corpus domni Hildini Epiſcopi, exactis in Epiſcopatu annis viginti tribus. Ipſe etiam inchoauit nouam Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & magna ex parte conſtruxit.

Eo tempore præſidebat Metenſi Eccleſiæ Aduentius, Virdunenſi Hatto, Lugdunenſi Remigius, Hic Adoni Viennenſi Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ Vicario &

Nicolao

Nicolao Papæ pro eiſdem Treuerenſi & Colonienſi Epiſcopis depoſitis litteras miſit: Clerus quoque Colonienſis eidem itidem miſit litteras, quæ habentur in Catalogo. Sed cùm à multis perlaboraretur diuerſo modo tum timore Regis, tum amore illorum nullatenus perſuaderi Papa potuit, vt reſtaurarentur. Defuncto autem Beato Nicolao cùm imperante Ludouico ſucceſſiſſet Adrianus & litteras miſiſſet Galliarum Epiſcopis, vt non alios ordinarent Epiſcopos, niſi quibus præfatus Imperator Epiſcopatum concederet, & ordinari mandaret, non conſenſerunt venerabiles Epiſcopi, ſed congregati literis factis communiter ſuggeſſerunt Papæ ſe decreta Sanctorum Patrum fideliter obſeruare velle, & ſecundùm ſcita canonum Epiſcopos conſecraturos: quorum textus in Catalogo ſacrarum Scripturarum habetur. Scripſit & aliam Epiſtolam Gerardo Duci, & Rofrido Comiti, & omnibus Galliarum Comitibus, vt nullius hominis fauore & gratia permitterent alios viros Eccleſiaſtici ordinis in Epiſcopijs totius Galliæ & Burgundiæ conſecrare Epiſcopos, niſi quos Ludouicus Imperator iuberet, cui ſatis luculenter & honeſtè obuiauerunt præfati venerabiles Galliarum Epiſcopi litteras illas per verba ſingula diſcutientes, & quod Sanctorum Patrum decretis conſona non eſſent humilitèr ſuggerentes, inque huius reſponſionis extremitate Epiſtolam Papæ Nicolai prædeceſſoris ſui interſerentes, quam ad quendam Epiſcopum Galliæ miſit inter cætera de ordinibus ſacris piè & lucidiſſime exprimens in hæc verba: *Illud autem, frater chariſſime, ridiculoſum ſonuit, quòd apicum iſtorum gerulum nobis commendans hunc Presbyterum eſſe Gerardi Illuſtris Comitis perhibuiſti. Verùm quid hoc ſcribens prudentia tua dicere volueris, & quid ſuper huiuſcemodi verbo intelligeretis, fateor nos ignoramus. Numquid Gerardus Comes illum Presbyterum conſecrauit? Numquid de ipſius eſt diœceſi? Vbi hoc legiſti? Vbi hoc didiciſti? Niſi quia Presbyteri non ſpecialiter Eccleſiæ poſſeſſionis, aut martyrij ſecundùm ſacras ſcripturas ordinantur, ſed in domibus Laicorum conſtituuntur, cum ſæcularibus conuerſantur, vt iam non Dei, nec Eccleſiæ cuiuslibet, ſed illius Comitis & illius Ducis eſſe dicantur, ita vt impletum ſit quod per Prophetam dicitur. Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos: Quod fortaſſe vnum eſt eorum quæ cùm conuenerimus vnanimiter in idipſum oportebit decentius emendari & tamquam venenatum elleborum amputari. Et poſt pauca hoc addiderunt.* Quid putamus, ſi beatiſſimus Papa Nicolaus in diebus ſuis audiſſet, *& in literis quaſi ab Apoſtolica ſede confictis quod Laici Comites non permitterent in ciuitatibus Epiſcopos ordinari, niſi quos ſæcularis poteſtas è latere ſuo miſiſſet, quid inde ſcriberet? Quo dolore moueretur? Quóſue gemitus daret cùm proſpiceret ſacratiſſimum ordinem tam illicitè tractari & ad tantum nefas proſilire quemquam auſum vt de ſede Apoſtolica tam inconuenientia & extra vſum Eccleſiaſticum omnino ſcriberet.* Tales tunc in Gallia erant Epiſcopi.

Anno DCCCLV. Lotharius diuiſit imperium filijs, Ludouico Italiam, quem & Imperatorem appellauit: Lothario regnum, quod ſuo nomine vocabatur, & Carolo regnum Prouinciæ, atque diſpoſitis regni negotijs in Monaſterio, quod Prumia dicitur, Monachus factus diē clauſit vltimū ipſo anno Kal. Octobris. Anno DCCCLVI. Indict. prima Lotharius Teutbergam duxit vxorem. Anno DCCCLVIII. Carolus Rex Prouinciæ moritur, & de regno eius inter Lotharium & patruum eius Carolum filiū Ludouici facta eſt contentio, & Lotharius Humberto Ducatum dedit inter Iuram & Montem Iouis, quia ſororem eius habebat. Anno DCCCLX. Britones Franciam inuadunt, contra quos Carolus pugnauit, & Britanniā intrans turpiter victus aufugit. Anno DCCCLXII. Rex Britonum nutu Dei percuſſus eſt, & anno ſequenti ſubduntur. Anno DCCCLXVI. Rollo Normanniam intrauit, & poſtmodum baptizatus Robertus in baptiſmate dictus eſt. Anno DCCCLXVIII. Lotharij Regis tempore facta eſt in terra Francorum & Galliæ & Burgundiæ fames valida, & mortalitas hominū, & peſtis animalium. Quæ ſic iuſto Dei iudicio in populum deſæuiit, vt multi patriā deſerere, & ad terras alias cogerentur demigrare: adeò vt multæ vrbes Franciæ raro incolerentur habitatore. Anno DCCCLXIV. tranſlatū eſt corpus ſanctæ Reginæ virginis & martyris de Aleſiâ ciuitate apud Flauiniacum caſtrum, ſeu cœnobiū, præſidente loco eidem, cuius erat iuris ciuitas præfata, Ægilo Abbate, poſtmodum Senonum Archiepiſ. regnante Carolo Caluo, hic eſt Ægil Abbas Flauiniacenſis, qui Cellam Corbiniaci inſtituit, & duodecim ibi Monachos poſuit, annis ex quo Flauiniacenſis Eccleſia Corbiniacum obtinuit ducentis quinquaginta octo. Poſt Vigilium anno DCCCXXXIX. Ind. II. Adeualdus ſucceſſit & Marianus anno I. Caroli viguit. Wlfadus in anno octauo. Warinus Comes & ſub eo Sarulfus Decanus in anno X. Gotfirus in anno decimoquinto obijt; Hugo ſuccedit. Sanctus Eygil anno XXIV. Ind. XI. anno

DCCCLXIV. tranſtulit corpus ſanctæ Reginæ. Geylo ſuccedit in anno XXVI. ab Inc. Dom. DCCCLXVI. in Epiſcopatum Lingonenſem promotus, & ei Sigardus anno XXX. Caroli ſuccedit: inde Wilfridus Ludouici Imperatoris ſorotius anno DCCCLXXX. Indict. XIII. anno Carlomanni Principis ſecundo conſecrationem Eccleſiæ Flauiniacenſis à Ioanne Papâ & octodecim Epiſcopis facere obtinuit, & in anno eodem DCCCLXXX. Ind. XIII. chartam inter Abbatem & Vaſallos eius & Monachos fecit. Adalgarius Abbatiam à Carolo Simplice obtinuit, & quia res Eccleſiæ premebant, Romam euocatus Trenorcij obijt anno DCCCXCIII. Eſt etiam Walo Epiſcopus à Siluestro Papa excommunicatus propter inuaſionem eiuſdem Eccleſiæ, ſicut in literis Aquini ante Vvalonem electi Epiſcopi inuenitur.

Adalgarius. Vvalo.

An. DCCCLVI. Adalgarius Epiſcopus fit: præfuit annis trigintatribus. In quo ſpatio imperium per multos diuiſum & ſciſſum eſt. Boſo regnum Prouinciæ, Vvido Imperium, Odo Franciæ regnum ſub Carolo Simplice, Rodulfus Iutenſe, Carolus iunior imperium. Anno tranſlationis ſanctæ Reginæ primo obijt Saloco *Dolenſis* Epiſcopus Flauiniacenſis Monachis, cuius corpus poſt ducentos annos incorruptum repertum eſt.

Boſo. Odo, Vvido, Carol. Rodulfus Saloco.

Poſt Lotharium igitur iuniorem Karolus frater eius (*imo patruus*) cognomento Carolus, Rex Franciæ imperiũ adeptus eſt, ſed Ludouicus Italiæ Rex alter frater Monarchiam regni cupiens inuadere, iterum contra Carolũ bellum excitat, & Normannos, aliáſque gentes contra eum euocat, quas Carolus ſuperat, & fratrem de finibus ſuis expulſat. Anno DCCCLXXV. Concilium habuit Carolus in Ticinenſi palatio, cui interfuit Bethardus Virdunenſis Epiſcopus. Damnati & depoſiti ſunt .... & ricenſis, Agelmarus Aruernenſis ... Lingonenſis. Hic dedit priuilegium Eccleſiæ Flauiniacenſi A Nicolao I. Papa habita eſt cum quinque Patriarchis Synodus VIII. CL. Patrũ apud Conſtantinopolim, Baſilio Magno Imperatore petente & præſente.

Bethardus.

Imperator ergo Carolus cognomento Caluus, anno Dom. Inc. DCCCLXXVII. Ind. XI. vita functus eſt pridie Nonas Octobris in finibus Lugdunenſium, & ſepultus Nantoade in Monaſterio ſanctorum Petri & Pauli, ſed monitione Angelicâ tranſlatus Pariſius ad ſanctum Dionyſium regaliter tumulatur. Succeſſit patri Ludouicus qui regnauit quatuor annis & ei ſucceſſit Ludouicus Caroli nepos, vix biennio regio nomine functus. Hic tanta cæde Danos perdomuit, vt vix ſupereſſet, qui renuntiare potuiſſet. Adriano Papæ Ioannes VIII. ſucceſſit anno DCCCLXX. Hic ad Ludouicum venit in Franciam, & cum eo loquutus eſt. Hic Ludouicus ſecundo anno regni obijt DCCCLXXXI. Karolus, qui Simplex dictus eſt, in cunis orbatus patre remanſit. Ob id Franci anno DCCCLXXXVIII. Indict. VI. Odonem Roberti Andegauorum Comitis filium, quia Normanni immiņebant, tutorem regni & pueri elegerunt, & licet reluctantem ſub Carolo conſtituerunt Regem. Hic quoad vixit, hoſtes fortiter preſſit, & Carolo poſtquam adoleuit, patienter ſua regna reſtituit, à quo & parte regni donatus eſt. Remigius Lugdunenſis XLIX. Epiſcopus, & Ado Vienoenſis miſerunt literas præfato Papæ Iohanoi pro ſimoņia, & quia per manum laicam, quilibet indigni ad Epiſcopatũ promouebantur. Huic Ioanni anno Chriſti DCCCLXXX. Marinus, tum Adrianus ſedit anno vno. Succeſſit & ei Stephanus anno DCCCLXXXV. Indict. III. Hic propter temeritatem Frotharij Burdigalenſis Epiſcopi litteris miſſis Aureliano Lugdunenſi Archiepiſcopo, vt ſumpto: *cætera adeò acciſis marginibus & deleto charactere deſcripta habentur, vt legi non potuerint.* Stephano ſuccedens Fromoſus Papa Vvalonẽ Edueoſem Epiſcopatum ſibi vendicantem excõmunicauit, quod ordinator Archiepiſcopus Lugdunenſis à Stephano Papa depoſitus, à Formoſo reſtauratus ſuum non haberet pallium. Inuenitur hoc in litteris Aquini contra Vvalonem petiti & electi Eduẽſis Epiſcopi anno DCCCLXXIX. Ind. XII. ſuſcepit regnum Prouinciæ ad Viennam Boſo Idibus Octobris, cui ſucceſſit Ludouicus filius eius DCCCXCI. adhuc iuuenis auctoritate Papæ Stephani ſub tutoribus Richardo Duce & Regina.

Carolus Simplex. Odo.

Formoſus.

Boſo. Ludouicus.

In partibus Bauariæ & Saxoniæ & Italiæ Imperatoris Ludouici Pij filius Ludouicus, & Lotharius Lotharij Imperatoris filius tenebant. Poſt obitum eorum filij ipſius Ludouici regnauerunt. Nam Lotharius iunior Rex obijt ſine liberis. Ludouici igitur tempore anno ab Inc. Dom. DCCCCXXV. Ind. VIII. poſt exceſſum domni Harronis domnus & ſanctiſſimus vir Berhardus acclamatione cleri & populi factus eſt Epiſcopus Virdunenſis, cuius intentio & ſtudium ſanctiſſimum fuit inceptam baſilicã ad perfectum vſq; perducere. Quod & fecit Deo miſerante. Signa grandia & honorabilia & minora valdè bona ibi eſſe conſtituit, Pontificalia veſtimenta, & ornamenta Eccleſiaſtica quamplurima, & feretrum, vbi ſunt reliquiæ Sanctorum,

Berhardus.

Eccleſiæ ſuæ contulit. Canonicos ſuos canonicè viuere fecit, Villanis Presbyteris viam iuſtitiæ viriliter oſtendit, & pueros in diuinis & humanis libris per ſe & per alios cum ſumma caritate inſtruxit. Obijt in Theologio Monaſterio, vbi & corpus eius conditum eſt pridie Kalend. Ianuarias. Fuit in Epiſcopatu decem annis. Obijt igitur Ludouicus iuſtus & ſanctus Imperator Lotharij Imperatoris ſenioris filius & frater iunioris Lotharij quarto Idus.... anno ab Incarn. Domini DCCCLXXVIII. Karlomannus filius eius ſuccedit cuius fuere fratres Ludouicus & Carolus: regnauit annis quinque: obijt Nonis Decembris. Carolus, cognomento Caluus, obitu fratris audito Italiam intrauit, ſed à Carlomanno nepote territus fugit, & eodem anno, vt prædiximus, vitâ deceſſit. Carlomannus obijt Nonis Decembris, anno DCCCLXXXIV. & ſeq. Carolus Imperator efficitur, & hoc poſt annum vnum defuncto alius Carolus ſimplex imperium aſſumpſit, & regnauit XXIX. annis. Ludouicus autem Carlomanni frater Rex Saxonum conſtitutus, adhuc eodem fratre viuente Bavariam intrauit. His duobus fratribus, Ludouico ſcilicet & Carlomanno, intra quinquennium defunctis, ad iuniorem Carolum rerum ſumma peruenit, qui conſecratus eſt à Ioanne Papâ Imperator. Anno DCCCLXXXI. Nonis Auguſti pugnauit Ludouicus filius Ludouici Regis contra Paganos & vicit eos: regnauit autem annos tres. Annus DCCCLXXXV. Indictione XV. fuit Imperatoris Caroli in Italia quintus, in Orientali Franciâ quartus, in Gallia ſecundus. Temporibus Ludouici Germanici Regis Dado ſuſcepit Epiſcopatum Virdunicæ vrbis, anno DCCCLXXV. cum quo obtinuit plurima. Quo mortuo Carolus, vt diximus, Monarchiam adeptus eſt. Dado Epiſcopus Virdunenſis ante Epiſcopatum præfuit Abbatiæ ſancti Vitoni quam etiam ſumpto Epiſcopatu non omiſit, qui acquiſiuit Eccleſiæ illi plurima, cuius Eccleſiæ Canonicus Bertharius in eiuſdem Eccleſiæ requieſcit cœmeterio. Anno DCCCLXXXVII. Normanni Pagani Flauiniacum caſtrum ſeu cœnobium ingreſſi occiderunt Monachos cum famulis..... numero & manſerunt dies ..... à tertio Idus Ianuarij vſque octauum Kalend. Februarij.

Carolus Craſſus Imp. Dado Ep.

In diebus Pontificatus domni Dadonis, cum eius bono ſtudio & inclyta fama per XXXV. annos multa Eccleſiæ ſibi commiſſæ prouenerunt proſpera cum trigeſimo ſexto anno principalis Eccleſia peccatis exigentibus igne conſumpta, libri & memoriæ Sãctorum Patrum maxima ex parte eidem eſſent traditæ, Bertharius Presbyter, ne Sanctorum Patrum Virdunenſium Pontificum Sacroſancta memoria, & venerabile ſtudium, & operatio ſancta penitus obliuioni traderetur, quæ de ſanctis eorum actibus legerat, breuiato ſermone comprehendit, præſentibus gratum, poſteris vtile. Carolus ergo adeptus imperium; poſtquam Normannos, qui Pariſius ſeptem annorum obſidione attriuerant, ſibi ſubdidit, obijt anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXXVIII. Indictione VI. pridie Nonas Octobris, anno imperij ſui quarto. Poſt quem accipit Arnulfus nepos eius regnum anno DCCCLXXXVIII. Ind. VI. eodem ſcilicet anno filius Carlomanni filij Lodouici Imperatoris iuſti & ſancti.

Bertharius Presbyter.

Iterum in Francorum regno Normanni inſurgunt, & anno DCCCXCI. Ind. IX. Gallias, Hiſpanias, Italiam, Franciam, & totum Chriſtianorum vaſtant regnũ. Ciuitates Pariſius, Beluacus, Carnotis & Meldis antiquæ non ſecus vndiq; diripiuntur, vaſtantur, & euertuntur, Corpora ſanctorum infra muros recipiuntur timore hoſtium. Corpus ſancti Benigni Diuionenſis Eccleſiæ patroni Linguonis fertur. Sanctus Sãctinus Meldis in Eccleſia Majore poſitus à Virdunenſibus maximo pretio Virduni relatus iam erat ſuperiore tẽpore anno DCCCLXVI. Normanni Gallias peruagantur; Hiſpanias adeunt, Rhodanum intrant fluuium, Italiam populantur, & totum Chriſtianorum peſſundatur regnum. Interea congregati Galliæ Principes conſilium de magnis rebus ineunt, & vt prædiximus, Odonem licet reluctantem ſub Carolo conſtituunt in Regem Indict. X. fuit annus primus Imperij Vvidonis Auguſti, qui per Galonẽ Lingonenſem Epiſcopum conſtitutus Rex, cùm audiſſet Odonem Regem factum. Cum Berengario Rege Italię multa bella geſſit, & victor reueniens Imperator creatus eſt. Eodẽ anno vltra Iuram Rodolfus Rex factus eſt. Anno DCCCXCII. Ind. XI. Odone regnante in Francia, Arnulfo in Italia & Saxonia, Carolus iam iuuenis Francorũ repetit ſceptra, & memoratus Arnulfus imperij inuaſit Monarchiam, Romam cum aſſenſu Formoſi Papæ capiens, à quo in Imperatorem promotus eſt. Tunc primùm à Francorũ Regibus ad extraneos tranſlatũ eſt Imperium Principibus Romanis parui pendentibus Carolũ, ob tardũ mentis ingenium. Zendeboleus in præſentia Odonis

Normanni

Regis Rex ab Arnulfo eſt conſtitutus, cui Arnulfus regnum Lotharij dedit, & ipſe obijt anno DCCCCI. Odone ergo anno regni ſui duodecimo ab Incarnat. Domini DCCCXCIX. defuncto, reciprocantes Normanorum & Danorum emergunt fluctus, Vngari ab Aquilone, Saraceni à meridie & finibus Hiſpaniæ prorumpentes, Normanni affligunt Gallias. Per omnia ſæuit gladius, cuncta dantur incendio, ſanctorum loca traduntur exterminio. Eo anno Burgundia vaſtata eſt à Normannis, quibus occurrens Richardus Dux Iuſtitiarius bello eos fudit, & retro redire coëgit. Iterum apud Carnotum ſocio Roberto Duce Odonis Regis fratre, idem Richardus cum Normannis dimicauit, & immanem eorum multitudinem occidit. Habuit tres filios, Rodulfum, qui fuit Rex Francorum, Boſonem, qui Galliæ ſuperioris quæ Comata dicitur accepit regnum, Tertium Hugonem Capito, qui fuit Dux inferioris Burgundiæ.

Richardus Iuſticiarius cognominatus fuit.

Anno DCCCCIV. fuit bellum inter Conradum Ducem & Adalbertum, in quo Conradus cecidit, & anno ſequenti Adalbertus capite plectitur. Formoſo ſuccedunt Bonifacius, Stephanus, Theodorus, Ioannes IX. Anno DCCCCX. Conſtitutio Monaſterij Cluniacenſis, & DCCCCXVIII, obijt Willelmus Dux conſtructor illius. Anno DCCCCXIII. Walo Eduenſis Ep. obiit, præfuit annis XV. ſub Carolo Simplice & Herueus ſuccedit. Anno DCCCCXIX. cecidit Remis grando mirabilis ouum gallinæ ſuperans magnitudine, latitudine verò medium palmæ. Anno ſequenti mel in ſpicis inuentum eſt. *Addit præterea* Ebbonem Ducem Caſtri Dolenſis ab Vngris & Saracenis interfectum fuiſſe anno XI. Regis Rodulfi *quantum ex malè digeſta ad oram appendice colligi poteſt.*

Exortâ diſcordiâ inter Carolum & regni Principes, fiunt lites, bella, rapinæ, & incendia, & innumera vndique ſæuiunt mala. Tamdem Rex facti pœnitens Principes ad concordiam commouet, pacémque exoptatam cum eis firmat. Richardus, qui ab executione iuſtitiæ cognomen acceperat, quamdiu vixit, Carolo Regi ſemper fidelis extitit, quo mortuo, anno DCCCCXXI. Odone quoque Rege defuncto Kalend. Ianuarij prædictus Robertus frater eius ſperans & cupiens eam partem regni, quam ipſe tenuerat, quia ei à Carolo ſimplice, qui totius regni erat Dominus, non reddebatur, palam inuaſit tyrannidem, & à quibuſdam Epiſcopis diademate regio coronari, & ſceptro regni inſigniri, partem blandicijs, partem minis extorſit, ſed nequaquam huius præſumptionis lætos exitus habuit.

Anno DCCCC. Arnulfus Imperator obijt, & Ludouicus filius eius ſuccedit. Hic duodecim annis adminiſtrato imperio obijt, & conſilio Conradi Ducis regni ſceptra reliquit anno DCCCCXI. Hic etiam regnauit annis nouem, & Henricus primus ſuccedit magnus Imperator anno DCCCCXX. Eo anno inter Hilduinum Epiſcopum & Richarium Abbatem de Epiſcopatu Tungrenſi habita eſt contentio, ſiquidem Rex illum Epiſcopatum Richario dedit, quia Hilduinus, cui illud prius dederat, à ſe deſciuit. Hermannus verò Colonienſis Archiepiſcopus eligente clero & fauente populo, necnon & Gilberto, quem pleríque Lotharienſes relicto Carolo Principem ordinauerant, Hilduinum ibi ordinauit Epiſcopum, cùm Carolus ipſum Epiſcopatum etiam Lotharienſibus ad ſe reuerſis cum Gilberto Duce, Richario Abbati conſentiret, quamobrem vterque Romam profectus eſt. Anno DCCCCXXI. habita eſt Synodus apud Troſleium, cui præſedit Herueus Remorum Archiepiſcopus, vbi & Carolus interfuit, qui inde digreſſus in regnum Lotharij abijt, & facta pactione cum Henrico Principe Tranſrhenenſi Laudunum rediit: poſtmodum verò pacem cum eo firmauit. Anno ſequenti regnum Lotharienſe ob perſecutionem Giſleberti & Ottonis rapinis, ſacrilegijs, incendijs, etiam tempore quadrageſimæ, vaſtatur. Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Epiſcopium Tungrenſe reuerſus eſt ordinatus à Ioanne Papa IX. Epiſcopo Hilduino ab ipſo Papâ excommunicato. Drogo Tullenſis Epiſcopus obijt Ganzlinus ſucceſſit, qui etiam ordinatus eſt XVI. Kalend. Aprilis. Quo etiam anno conſecratus in Regem Robertus, vt prædiximus, palam inuaſit tyrannidem. Heriueus Remorum Archiepiſcopus die tertio poſt conſecrationem Roberti obiit ſexto nonas Iulij, antequam vigeſimum ſui Epiſcopatus expleret annum, cui ſucceſſit Seulfus tunc Archidiaconus. Robertus filium ſuum Hugonem in regnum Lotharij mittit, & acceptis obſidibus à quibuſdam Lotharienſibus ad patrem remeauit. Obſederat enim Carolus Capræmontem caſtrum Giſleberti, ad quod

Robertus Rex Heriueus Arch.

Seulfus Arch.

liberandum prædictus Hugo miſſus eſt, quo comperto, Carolus obſidionem reliquit.

Anno DCCCCXXIII. Indictione XI. Robertus profectus in regnum Lothatienſe cum Henrico pactum inijt, & datis vtrimque muneribus diſceſſum eſt, vbi etiam quidam Lotharienſium obſides Roberto dederunt, & inducias acceperunt. Carolus verò cum ſuis Lotharienſibus inducias confringentibus Moſam tranſiens ſub vrbe Sueſſionica, vbi Robertum ſedere competerat, abijt, & in craſtinum die Dominica, hora ſexta iam præterita Francis prœlium non ſperantibus, plurimis quoque prandentibus Axonam tranſiit, & ſuper Robertum irruit. At ille armatis eis, quos ſecum habebat, contra proceſſit, commiſſóque prælio multis vtrimque cadentibus, Robertus quoque lanceis perfoſſus procubuit. Hi tamen, qui erant cum Roberto, Hugo ſcilicet filius eius, & Heribertus Comes Vermandenſis eum exteris victoriâ potiti, Carolum cum Lotharienſibus in fugam vertunt, ſed ob mortem Regis ſui perſequi deſtiterunt, campum obtinuerunt, ſpolia à ruſticanis direpta ſunt. Lotharienſes relicto intra regnum Franciæ Carolo, reuertuntur ad ſua, qui multis legationibus Herbertum Comitem & Seulfum Archiepiſcopum, vt ad ſua reuertantur, exorat. Quod illi renuentes pro Rodulfo Richardi Iuſtitiarij filio in Burgundiam tranſmiſerunt, qui ocyus cum multâ ſuorum manu illis occurrit, & Carolo trans Moſam refugiente, ipſe Rex apud vrbem Sueſſionicam conſtitutus eſt, & Boſo frater eius Rex Galliæ ſuperioris, quæ Comata dicitur, conſtitutus eſt, ideſt Burgundiæ ſuperioris, & Hugo Capito Dux Burgundiæ inferioris. Socij verò defectionis interitu Roberti nequaquam territi perfidiæ ſuæ non deſeruere contumaciam, quam potius Herbertus infando ſcelere traditionis *Herbertus.* dominum ſuum Regémque totius Franciæ Carolum dolo captum, vinculiſque irretitum, Parronam duxit tenebroſo carceris domicilio recludendum. Et quia regni ſtatus ſine Principe agebatur in incertum, maximè cum Hugoni Roberti filio qui poſt probis actibus Magni nomen promeruit, puerilis obſiſteret ætas, quominus regias aſſumeret infulas, & Herberti cunctos moueret odium, maximè, quos humanitatis reſpectu ad miſericordiam ærumna Principis permouebat, tandem vt præfati ſumus. Rodulfus regendæ præficitur Franciæ, & ſic regnum Francorum *Rodulfus.* ad extraneum transfertur. Qui adeptus regni ſolium, & in malefactoribus fuit vltor ſeuerus, & in coërcendis hoſtibus regnóque tuendo ſagaciſſimus. Eius in diebus Danorum & Normannorum iterum adueniunt phalanges, & non ſolum Franciam, ſed & totam percurrere Burgundiam. Contra quos Rodulfus ſumptis armis ita proteruos eorum compeſcuit impetus, vt vſque nunc Gallias ab eorum incurſione faciat manere quietas. Tunc delatum eſt corpus ſancti Benigni Martyris infra muros caſtri Diuionenſis, & ibi ſeruatum in Eccleſia ſancti Vincentij. Illis itaque rebus intentus Rodulfus legatos habuit Lotharienſium ſe & ſua illi ſubdentium. Iuxta Moſomum ergo obuiantibus illi Lotharienſibus ſuſcipiuntur à Wigerio Mettenſium præſule, & vxor eius Emma Regis Roberti filia interim à Seulfo conſecratur Regina. Rodulfus à Lotharienſibus quibuſdam obſidibus acceptis reuertitur. Eo annò Dado Virdunenſium Epiſcopus obijt exactis in Epiſcopatu XXXVIII. annis & inter ſepulcra prædeceſſorum ſuorum Epiſcoporum in *Hugo Ep.* Eccleſia ſancti Vitoni condignam ſepulturam meruit. Epiſcopatus Virdunenſis Hugoni à Rodulfo Rege conceditur, quique poſthæc Remis à Seulfo Archiepiſcopo conſecratur.

Anno DCCCCXXIV. Indictione XII. Hungari ductu Regis Berengarij, quem Langobardi repulerant, Italiam depopulantur, Papiam quoque vrbem populo- *Hungarii.* ſiſſimam & opulentiſſimam igne ſuccendunt, vbi opes periere innumeræ, Eccleſiæ quadraginta quatuor igne ſuccenſæ, vrbis ipſius Epiſcopus cum Vercellenſe, qui ſecum erat, igne fumóque necatus eſt, atque ex illa pene innumerabili multitudine ducenti tantùm ſuperfuiſſe memorantur, qui ex reliquijs vrbis incenſæ, quas inter cineres legerant, modios octo dederunt Hungaris, vitam & muros ciuitatis vacuæ redimentes. Quibus expletis per abrupta gradientes ad Alpium iuga perueniunt. Rodulfus verò Ciſalpinæ Galliæ Rex, & Hugo Rex Viennenſis inter anguſtias collium Alpinorum eos concluſerunt, vnde inopinato loco per deuia euadentes Gothiam impetunt. Quos ſequuti prædicti Duces ſternunt, quos inuenerunt. Interea Berengarius à ſuis perimitur, Hungari verò ſeſe & capitum

inflatione ac dyſenteriâ cuncti pœnè interierunt. Anno ſequenti Seulfus obijt Remorum Archiepiſcopus exactis in Epiſcopatu annis tribus, diebus quinque. Normanni cum Francis pactum ineunt data pacto pacis terra Cenomanenſi & Bajocenſi. Rollo Normanorum Rotomagenſium Princeps Francia deprædata pacem fregit, contra quem Franci caſtrum Augum capiunt.

Henrico quoque cuncti ſe Lotharienſes committunt, & ipſe Bernuino Dadonis Epiſcopi nepoti Epiſcopatum Virdunenſem concedit, qui & expulſo Hugone, cui Rodulfus illud dederat, ibidem ordinatur Epiſcopus anno DCCCCXXV. Indictione XIII. Abhinc Virdunum & aliæ ciuitates à regno Francorum defecerunt. Hugo verò Presbyter Virduno pulſos, anno ſequenti mortuus eſt, quo etiam anno timore Hungarorum corpus ſancti Remigij, & aliorum pignera ſanctorum Remis delata ſunt. Hugo filius Bertæ Rex Italiæ conſtituitur, pulſo Ciſalpinæ Galliæ Rodulfo Rege inuaſore. Annus DCCCCXXVIII. Indictione prima, annus primus Regis Hugonis ipſius extitit. Hugo qooque Magnus Roberti Regis filius filiam Eduardi Regis Anglorum ſororem coniugis Caroli duxit vxorem. Anno DCCCCXXVII. peſtis quaſi febris & tuſſis mixta mortalitate in cunctas Germaniæ Galliæque gentes *graſſatur*, quâ percuſſus Widricus Mettenſis Antiſtes defungitur, & euocati ad colloquium Henrici trans Rhenum Herbertus Comes & Hugo Magnus Roberti filius, pace firmata, muneribus Henricum honorant, & honorantur ab illo. Ibi Henricus contempta electione ciuium Epiſcopium Mettenſis vrbis cuidam ſeruo Dei, vt ferebatur, dedit cognomento Bennoni. Herbertus Carolum de cuſtodia eiecit, ſecúmque vſque ad ſanctum Quintinum deduxit. Mettis & per Galliam timore Hungarorum fugæ agitantur, ſcilicet per Franciam & Lotharingiam. Anno ſequenti Rodulfus audita reſtitutione Caroli cum hoſtili manu de Burgundiâ in Franciam venit prædando, & loca quædam incendendo, cui Hugo Roberti filius obuiam ire parat, & venientes ſuper Iſaram inter Rodulfum Regem & Herbertum Comitem ſequeſter & medius fuit. Herbertus verò datis obſidibus vſque ad denominatum placitum Remis cum Carolo venit, indéque litteras Ioannis Papæ mittit de reſtitutione & honore Caroli, vt ſibi ſub interminatione excommunicationis præceperat. Reuerſus autem miſſus nunciauit ipſum Papam Ioannem à Widone fratre Hugonis Regis propter ſimultates quaſdam inter eos exortas retruſum fuiſſe in carcerem. Poſthæc Herbertus ſe Rodulfo commendat, reducto iterum ſub cuſtodia Carolo, & cum illo proficiſcitur obuiam Hugoni Regi Italiæ. Benno Mettenſis Epiſcopus inſidijs appetitus, eunuratus & luminibus priuatus eſt. Rodulfus autem Rex miſſis nontijs pacem fecit cum Carolo, reddens illi Attiniacum, & muneribus honorans illum. Anno DCCCCXXIX. Ioannes Papa X. in cuſtodiâ defungitur. Succedit Ioannes XI. Carolus quoque apud Paronnam obijt, qui animam, non corpus cuſtodiâ exemit. Hic dum viueret Simplex dictus eſt ob benignitatem animi, nunc ſanctus rectè poteſt vocari, quoniam iniuſtè ab infidelibus ſuis & perjuris longo carceris ſqualore afflictus, tranſmiſſus eſt vitæ perpetuæ. Hic reliquit filium Ludouicum Vltra-marinum ex Eadgiua Anglorum Regis filia ſuſceptum, qui metuens inuolui calamitatis patriæ procellis ad Anglos Saxones maternæ affinitatis gratia ſe contulit. Herbertus & Hugo Comites contra Boſonem Rodulfi Regis fratrem proficiſcuntur, quam-obrem Boſo Henrico pacem iurare compellitur. Adalbero Mettenſem Epiſcopatum adipiſcitur, Bennoni abbatia quadam conceſſa ſuſtentationis tenore. Viæ Alpium tunc per Sarracenos obſeſſæ, à quibus multi Romam ire volentes impediri reuertuntur. Poſt hoc Boſo frater Rege Henrico relicto, ad Rodulfum redit. Anno DCCCCXXXII. Bernuinus Virdunenſis Epiſcopus, & Boſo frater Regis, Rex Galliæ quæ Comata dicitur, incendijs inter ſe, deprædationibúſque bacchantur, quamobrem vrbs ipſa multum fuit afflicta. Anno ſequenti Vienna Rodulfo Regi traditur, & Willelmus Normannorum Princeps ei ſubditur, & Hugo Rex Italiæ Romam obſidet, Fulbertus Cameracenſium ordinatur Epiſcopus ab Arraldo Remorum Archiepiſcopo. Anno ſequenti igneæ in cælo acies viſæ ſunt diſcurrere, & quaſi ſerpens igneus, & quædam iacula ferri pridie Idus Octobris mane ante lucis exortum. Mox ſubſequuta eſt peſtis diuerſis humana corpora afficiens morbis, quâ peſtilentiâ percuſſus quidam Diaconus Virdunenſis, nomine Adelmarus, languore depreſſus, ſpiritum amiſit; ſed antequàm

Bernuinus

Adalbero Ep.

Adelmarus

imponeretur feretro, reuerſus ita ſurrexit validus, vt videretur ſibi nihil ægritudinis ſe fuiſſe perpeſſum, qui ſe diuerſa ſuppliciorum vel refrigerij loca vidiſſe teſtatus eſt, ſeque ipſum loco pœniali deputatum Dei Genitricis, & beati Martini precibus ad agendam pœnitentiam vitæ præſenti redditum. Quamobrem huius exemplo prouocati quidam Canonicorum Beatæ Mariæ Virdunenſis ſæculum deſeruere, & quia in eadem ciuitate Congregatio Monachorum nulla erat; in Eccleſia enim ſancti Petri & ſancti Vitoni Clerici deſeruiebant, Tullum petiere, & in Monaſterio ſancti Apri, mutato habitu ſæculum deſerere, & Chriſto Domino incorporari, vt membra fidelia capiti, ſtuduere. Quæ res maximo erat mœrori Pontifici, Canonicis quoque reſiduis, & proceribus populi, quia optarent eos potiùs in eodem militare Epiſcopio, quàm ad aliud demigrare. Bonis tamen & laudabilibus eorum ſtudijs & exemplis religio regulæ Monachorum, & feruor ordinis in eodem cœnobio, & in quibuſdam alijs per regnum Lotharienſe reparatur. Interea emenſo anno Boſo frater Regis cum Henrico pacatur, & ab eo receptus eſt. Rodolfus quoque Rex Franciæ, & Rodulfus Rex Iurenſis, cum eo amicitiam paciſcuntur. Boſo verò in expeditione obſidionis caſtri ſancti Quintini moritur, & Remis ad ſanctum Remigium ſepelitur. Hungari per Burgundiam diffunduntur, prædis, incendijs, & cædibus, non diu tamen, debacchati comperto Rodulfi Regis aduentu in Italiam tranſmeant. Herueo Epiſcopo (Eduenſi) decedente, Romundus ſub Rodulfo Rege ſubſtituitur qui Colticenſem Abbatiam deſtruens, Colricas caſtrum ædificauit, & Curenſem ſimiliter Petræ pertuſum extruxit, & filijs & filiabus ſuis bona Eccleſiarum & caſtra quæ fecerat, dedit. Hic poſt multa mala patrata à ſancto Georgio flagellatus interijt. Boſo.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXXVI. Rex Rodulfus abſque liberis defungitur, nam Ludouicus filius eius, quem habuit ex Emma Regina, ante obitum patris eſt defunctus. Hugo Magnus Comes trans mare mittit pro accerſiendo ad regni apicem Ludouico Caroli filio, quem Rex Alſtannus auunculus ipſius accepto iureiurando à Francorum legatis Franciam cum quibuſdam Epiſcopis & alijs fidelibus ſuis dirigit. Cui obuiam profectus eſt Hugo, cum Francorum proceribus. In ipſis littoreis arenis apud Bononiam ſe illi committunt, vt erat vtrinque pactum. Inde Laudunum deductus, ac regali benedictione ditatus vngitur, & coronatur ab Artaldo Remenſi Archiepiſcopo, præſentibus regni primoribus ac Epiſcopis viginti & amplius. Mox Burgundiam adeunt, & vrbem Linguonum, quam Hugo Capito frater Regis Rodulfi ceperat, obſident. Fugientibuſque cuſtodibus, ſine bello eam recipiunt, acceptiſque obſidibus ab Epiſcopis & Primatibus Burgundiæ Pariſius redeunt. Hugo Magnus cum Hugone Capito Richardi filio partita inter ſe Burgundia, pacem faciunt. Poſt Hugonem Capito Giſlebertus Ducatum obtinuit. Ludouico igitur regni adminiſtrationem ſuæ dominationis exercere cupienti, nimium illa laborioſa fuit, tam ſui à Tetbaldo Carnotenſium Comite captione, quàm poſt regni recuperationem vario inſtabilis fortunæ prouentu. Henrico igitur Magno Imperatore ſub ijſdem diebus obeunte, contentio inter filios eius de regno agitatur. Othoni tamen natu majori rerum ſumma obuenit. Ioanne quoque Papa Alberici Patricij fratre defuncto Leo V. ſuccedit, & Hugo Rex Italiæ à Româ recedit pace facta cum Alberico Patricio.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXXVII. Ludouicus Rex ab Hugonis ſe procuratione ſeparat. Eo anno cæli pars ardere viſa, & ab eadem parte Hungarorum perſequutio inſequuta eſt, qua villæ & agri depopulati, domus baſilicæque conflagratæ, captiuorum abducta multitudo. Nonnullas tamen Eccleſias ignibus applicitis ſuccendere nequiuerunt. In Eccleſia ſancti Baſoli cùm quidam Hungarorum aſcendere ſuper altare nitens arcum manu applicuiſſet, manus eius adhæſit lapidi, nec omnino quiuit auelli, donec ceteris ſaxum circa manum ipſam incidentibus partem ipſam lapidis in omnium admiratione perferre cogeretur Ethnicus. Quidam Preſbyter captus ab eis & vinculis alligatus, reuelatione diuina eſt liberatus. Qui poſtquam patriam domúmque repetijt, retulit in eadem captiuitate fuiſſe Monachum quendam, Hucbaldum nomine, Orbacenſis cœnobij, quem multoties Ethnici trucidare voluerunt, & carnem eius incidere non Hucbaldus.
valuerunt. Nudum ergo eum in medio poſitum ſagittis appetiere, nec ſaltem cutem valuerunt rumpere. Reſiliebant ab eius corpore ſagittæ, quaſi ab adamante

repulſæ, nec ſignum aliquod approbat in cute. Gladio eum cum omni conatu niſi ſunt percutere, & nihilominus caro intemerata permanſit. Radulfus Iurenſis Ciſalpinæ Galliæ Rex obijt: Conradus ſuccedit. Hugo quoque Roberti filius ſororem Othonis Regis Henrici filiam ſortitur vxorem. Anno ſecundo Ludouici filij Caroli Simplicis ordinatus eſt domnus Fulcherius Abbas Flauiniacenſis qui etiam rexit Diuionenſe quindecim annis. Hic octauo anno regiminis Hieroſolymam profectus eſt, & reliquijs precioſis reuerſus ditauit Eccleſiam ſuam. Obijt quarto Kalendas Maij cui ſucceſſit Milo Magabrenſis & priuilegium à Papa obtinuit.

Fulcherius. *Milo.*

Anno DCCCCXXXIX. Bernuinus Virdunenſis Epiſcopus obiit, & Lotharienſes Othonem Regem ſuum deſerunt, & Ludouico ſe committere parant, qui eos recipere diſtulit ob amicitiam pactam inter ſe & Othonem. Iterum quoque proceres regni Giſlebertus Dux & Comites quamplures ad eum veniunt, & ſe illi committunt. Epiſcopi verò Othonem non deſeruere, qui eorum ſecum detinebat obſidatum. Qui Rheno tranſmiſſo regnum Lotharienſe perluſtrat & incendijs prædiſque quædam loca deuaſtat. Eo autem trans Rhenum regreſſo, Ludouicus Virdunenſem petit pagum, & quibuſdam Epiſcopis & Primatibus receptis reuertitur. Giſlebertus Dux trans-Rhenum prædatum profectus, dum reuertitur inſequentibus ſe aduerſarijs in Renum cum equo inſiliuit, & enecatus vltra reperiri non potuit. Relictam eius Othonis Regis ſororem Ludouicus accepit vxorem. Ducatum Otho accepit. Otho verò cunctos ad ſe redire coëgit Lotharienſes, & ſequenti anno Conradum Burgundiæ Regem dolo cepit, reliquóſque Primates ſibi pacificauit.

Giſlebertus.

Anno DCCCCXL. Indictione XIII. inthronizatus eſt in Pontificatu Virdunenſium in partibus Saxoniæ ex Magnatum ortus proſapia domnus Berengarius, & factus Apoſtolici conſors & compar honoris laude Cleri & populi duxit Apoſtolicam factis & nomine vitam. Erat enim corpore caſtus, mente deuotus, affabilis alloquio, elatus conſilio, prudentia præditus, temperantia diſcretus, internâ fortitudine firmus, cenſurâ iuſtitiæ ſtabilis, longanimitate aſſiduus, patientiâ robuſtus, humilitate manſuetus, erga delinquentes per compaſſionem ſocius, per zelum rectitudinis erectus. Apparebat in verbis eius inconcuſſa mentis conſtantia, reſplendebant in actibus & moribus eius virtutum inſignia,

Berengarius.

Omnibus hoſpitij prælargum præbuit vſum,
Nemo eſt exceptus, perpeſſus nemo repulſam.

Chriſtum totis viſceribus diligens, & caritatis internæ viſceribus affluens, pro pauperibus ſemper erat ſollicitus, & quia ſicut Martha Chriſto temporalia ſubminiſtrare nequibat, in egenis illum quotidie reficiebat: Sermo eius ſale conditus quò pondere breuis & rarus, eò prudentiæ ſuauitate habebatur precioſus. Diligebat ſincero & vnanimi dilectionis affectu inter alia membra Chriſti domnum Fulbertum Cameracenſem Epiſcopum, cum quo iuge ſibi ſemper fuit ſtudium, veritatis aduerſarios toto niſu impugnare, vt in ſequentibus quilibet poteſt aduertere. Fuit autem tempore Othonis, de quo dictum eſt: quod ad triumphum Eccleſiæ cœpit Otho creſcere, cui ſucceſſit ſecundus Otho ad imperium, vt floreret ſæculum.

Anno ipſo ordinationis ſuæ fomes iniquitatis Hugo Magnus cum quibuſdam Franciæ & Burgundiæ Epiſcopis & primoribus regni, Remorum obſidet vrbem, quâ obtentâ ſexto obſidionis die Artaldum Epiſcopum à procuratione & poteſtate Epiſcopij iuramento ſe compulit abdicare, conceſſa ei abbatiâ ſancti Baſoli, & Auennaco Monaſterio, & ſic relicto filio Heriberti Hugone iam pridem Remis ad Epiſcopatum electo ad obſidionem Lauduni properat. Ludouico verò à Burgundia redeunte, & aſſumpto ſecum Artaldo Epiſcopo, tranſito Axona fluuio Laudunum tendente. Hugo cum ſuis relictâ obſidione Othoni Regi obuiam proficiſcuntur, & ei ſe committunt. Qui Henrico fratri ſuo regnum Lotharienſe committens cum diuerſarum gentium multitudine Ludouicum in Burgundiam proficiſcentem proſequitur habens ſecum Conradum Rodulfi Regis Iurenſis filium, quem dudum dolo captum ſecum retinebat, & obſidibus à quibuſdam acceptis ad ſua reuertitur.

Artaldus.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXLI. Remenſis diœceſeos Epiſcopi conue-

conuenientes apud Sueſſionem in Eccleſia ſanctorum Criſpini & Criſpiniani tractant de ſtatu Remenſis Epiſcopi, conquerentibus Clericis atque nobilibus laicis diu paſtore ſedem ipſam vacare, & definierunt quemadmodum Artaldus Epiſcopus iurauerat, quod numquam de ipſo Epiſcopatu ſe intermittere, ad ipſius gubernationem reuerti non debere, & vt Hugo Heriberti filius, qui prius ad ipſum Epiſcopatum fuerat Clero populóque petente euocatus ordinaretur Epiſcopus. *Hugo Archiep.* Et ſic Remos adeuntes Epiſcopi Hugonem Pontificem conſecrant. Canonici Montiſfalconis oppreſſione ipſius Virdunenſis Epiſcopi, vt aſſerebant, prægrauati cœnobium ſuum deſerunt, & Remis corpus S. Baldrici patroni ſui deferunt. Attaldus omnibus perditis, quæ habebat, datis ſacramentis Hugoni Epiſcopo & Heriberto, prout ab eo quæſierunt, redditíſque ſibi abbatijs S. Baſoli & A[illegible]nnaco cum villa Vindeniſſa, pacem fecit cum eis, & ad ſanctum Baſolum habitaturus deuenit. Non multò pòſt anno ab Incar. Dom. DCCCCXLII. Legatus Stephani Papæ, nomine Damaſus, Epiſcopus Romæ ad hanc Legationem peragendam ordinatus, litteras Apoſtolicæ ſedis attulit Principibus Francorum, vt reciperent Regem ſuum Ludouicum. Quod ſi neglexiſſent, & eum amplius hoſtiliter perſequi voluiſſent, excommunicationis interminatus eſt vltionem. Legati etiam Remenſis Eccleſiæ Romam miſſi redierunt eadem referentes, vt ante Natalem Domini Rex ab eis reciperetur ſub comminatione anathematis, qui & pallium Hugoni à ſede Apoſtolica detulerunt. Ludouicus igitur obuiam profectus Othoni Regi amicitiam firmauit. Otho quoque Hugonem magnum Regi conciliat. Hoc anno domnus Odo venerabilis *S. Odo.* multorum Monaſteriorum reſtaurator, cùm multum laboraſſet in componenda pace inter Hugonem Regem Italiæ & Albericum Romanorum Patricium, obijt Turonis ſepultúſque eſt ad ſanctum Martinum, & ſucceſſit ei Heimardus vir venerandus. Tunc fuit fames magna per Franciam & Burgundiam.

Anno ab Incar. Dom. DCCCCXLIII. Vvillielmus Rollonis filius occiſus eſt, & Ri- *Vvilelmus.* chardus primus ſucceſſit, qui Normaniam dono Regis Ludouici obtinuit. Hugo Magnus Normannis ad paganiſmum reuerti volentibus congreditur, & eo anno Ducatus Franciæ à Ludouico conceditur ei. Anno ſequenti Heribertus obijt. Filij eius mediantibus Othone Duce Lotharienſium, & Adalberone Epiſcopo Metten- *Heribertus.* ſi, & Hugone Duce à Ludouico recipiuntur. Hugo eo tenore ab eo ſuſceptus eſt, vt ei aliud Epiſcopium prouideretur, Artaldo Remenſe redderetur. Poſt hæc Otho Dux Lotharienſium obijt, & Conradus Ducatum obtinuit.

Anno DCCCCXLV. Martinus Papa deceſſit, & Agapitus ſucceſſit: anno autem præterito Ludouicus Remorum obſederat vrbem, & acceptis obſidibus ab Hugone de reddendâ ratione, de quibus interrogaretur, ab obſidione receſſerat. Inde Rodomum profectus dolo captus eſt à fidelibus ſuis, & ſub cuſtodiâ detentus. Hugo quoque Italiæ à ſuis regno pulſus eſt, cui ſucceſſit Lotharius filius eius. Hugone verò Magno de Regis ereptione laborante, datis obſidibus dimittitur, & ſuſceptus ab eo Tetbaudo committitur Carnotenſium Comiti, & *Tetbaudus.* poſt annum regno reſtitutus. Ludouicus & Otto ſimul iuncti Remorum vrbem obſidione circundant, & Hugone Epiſcopo tertio obſidionis die cum ſuis egreſſo, Robertus Treuerenſis & Fridericus Moguntiacenſis Artaldum, quia ſic Sedis Romanæ auctoritas promulgauerat, in ſedem reſtituunt. Anno ſequenti vterique Reges Aquis Paſcha celebrant. Synodus denunciata circa medium menſis Nouembris Virduni eſt habita, præſidente Roberto Treuirenſi cum Artaldo Remenſi, Berengario Virdunenſi, Odalrico Aquenſi, Adalberone Mettenſi, Goſleno Tullenſi, Hildebaudo Tranſrhenenſi, Iſraële Brittone præſente, Brunone Abbate fratre Regis Othonis, Agenoldo & Odilone, cum alijs quibuſdam venerabilibus Abbatibus. Synodus autem hæc ob hoc Virduni denunciata fuit, vt ſic ſaltem intereſſet conuentui Epiſcoporum præfatus Virdunenſis Berengarius, cuius tanta eſſet auctoritas, vt improbati videretur, quod conſtantiſſimæ nobilitatis eius authentica præſentia non roboraretur. Ad quam Hugo euocatus miſſis ad eum deducendum Epiſcopis Adalberone & Goſleno, venire noluit. Vniuerſa verò Synodus Artaldo Remenſe adiudicat Epiſcopium, & iterum indicitur Synodus Idibus Ianuarij, quæ die ſtatuta celebrata eſt in Eccleſia S. Petri ante proſpectum caſtri Moſomi à domno Roberto, ceteríſque Treuirenſis Diœceſeos Epiſcopis, & quibuſdam Remenſis. Ad quam veniens Hugo noluit ingredi, ſed

litteras miſit ſub nomine Agapeti Papæ per Clericum ſuum, qui eas Romã detulerat, hoc tantùm continentes, vt ei Remenſe redderetur Epiſcopium. Quia verò Robertus Treuirenſis, deferenre Frederico Moguneiacenſi coram Regibus & Epiſcopis Galliæ & Germaniæ mandatum Legationis Apoſtolicæ ſuſceperat, & partem iuſſionis iam expleuerat, commuoi decreto ſancitum eſt, vt quod regularirer cœptum fuerat, Canonicè pertractaretur. Sicque recitato capitulo XIX. Carthaginenſis Concilij de accuſato & accuſatore ſecundùm ipſius capituli ſententiam diffinitum eſt, vt Artaldo Remenſem tenente Parrochiam Hugo à communione & regimine abſtineret, donec ad vniuerſalem Synodum Kalendis Auguſti ſe purgaturus occurreret. Quod capitulum in charta deſcriptum, & ei miſſum eſt, adjuncta definitione. Quam poſterâ die retranſmittens mandauit ſe nequaquam obediturum. Interea proclamationis litteræ à domno Artaldo diriguntur ad ſedem Romanam. Domnus igitur Agapitus Papa Vicarium ſuum Marinum Epiſcopum mittit ad Othonem Regem propter aggregandam generalem Synodum. Litteræ quoque ipſius ſpeciatim miſſæ ſunt quibuſdam Galliæ & Germaniæ Epiſcopis, vt conuenirent ad eandem Synodum. Aggregata eſt ergo prædicta Synodus in Engilenheim palatio Regali in Eccleſia ſancti Remigij, ſeptimo Idus Iunij, anno DCCCCXLVIII. Indictione VI. tertio Paparus domni Agapeti anno, regni Regis Othonis XIII. Ludouici quoque XIII. cauſa maximarum diſſenſionum inter Ludouicum Regem & Hugonem Principem: inter Artaldum quoque Remenſem Archiepiſcopum & Hugonem illicitè ſubſtitutum Epiſcopum, quæ perturbauerant omne regnum Francorum. Ad hanc Synodum conuenerunt triginta duo Epiſcopi Galliæ & Germaniæ, quos dignum iudicauimus ſubterannotare. Robertus Treuirenſis, Artaldus Remenſis, Fredericus Mogonciacenſis, Wigfridus Colonienſis, Adaldochus Hammaburgenſis, Hildeboldus Mimogarnorvetdenſis, Goſlenus Tullenſis, Adalbero Mettenſis, Berengarius Virdunenſis, Fulbertus Cameracenſis, Rodulfus Laudunenſis, Richoo Wormacenſis, Reimboldus Spirenſis, Poppo Vvitſiburgenſis, Chonradus Conſtantienſis, Odericus Auguſtenſis, Tethardus Hildinehenſis, Bernardus Alfurſtedenſis, Dudo Paderbrunnenſis, Faraberrus Tungrenſis, Lioptatus Ribunenſis, Michaël Radiſponenſis, Doddo Oſneburggenſis, Eueris Miſdenſis, Baldricus Trajectenſis, Heroldus Saleburgenſis, Adalbertus Bazſoenſis, Starrhannus Eiſtenenſis, Dorath Neouvicenſis, Vvichardus Baſilienſis, Lieſdao Ripuenſis. Reſidentibus ergo his Præſulibus in prædictâ Eccleſia poſt præmiſſas preces ſecundùm conſuetudinem celebrandi Concilij, & poſt lectiones ſacræ auctoritaris, ingreſſis glorioſis Regibus Othone & Ludouico, & ſimul reſidentibus, poſt allocutionem Martini ſedis Apoſtolicæ Legati, ſurgens Rex Ludouicus à latere & conceſſu domni Othonis Regis, proclamationis ſuæ querimoniam propalam coram Legato ceteriſque conſidentibus Epiſcopis referens, qualiter acceerſitus ſit à tranſmarinis regionibus per Legatos Hugonis, & Principum Franciæ, ad accipiendum paternæ hæreditatis regnum, & cunctorum votis & acclamationibus conſecratus ad apicem Regalis moderaminis obtinendum. Poſtea verò ſit à præfato Hugone dolis appetitus, & comprehenſus, & per annum integrum ſub cuſtodiâ detentus. De quibus omnibus malis ſi quis obijceret, quòd ſui facinoris causâ iſta omnia perpeſſus eſſet, inde ſe iuxta Synodale iudicium, & Regis Othonis præceptionem purgaret, aut certamine ſingulari defenderet. Poſthæc Artaldus Remenſis dixit, cauſam litis inter ipſum, & Hugonem illicitè ſibi ſubſtitutum Epiſcopum. Ingeſtus itaque quidam Hugonis Clericus attulit litteras aſſerens ſibi eas datas ab ipſo Vicario Romæ, in quibus ſcriptum erat, quòd cuncti Remenſis Diœceſeos Epiſcopi pro reſtauratione Hugonis eaſdem litteras Romæ direxerant. Quod mox refutarunt Artaldus Remenſis, & Fulbertus Cameracenſis, & Rodulfus, qui in eiſdem litteris nominabantur, aſtruentes, quòd eas nunquã antea audierunt vel viderunt, neq; in earum delegatione aſſenſum præbuerunt. Poſtquam ergo delator idem publicè confutatus eſt, ſecundùm iudicium Canonũ Diaconatus, quo fungebatur, officio mulctatus, à conceſſu Synodi abſceſſit reprobatus. Artaldo igitur Præſuli Remenſe Epiſcopium adjudicatũ eſt iuxta canonum inſtituta & Sanctorum Patrũ decreta. Secundâ Seſſionis die ſuggeſtione Roberti Treuirenſis & Berengarij Virdunenſis in Hugonem Remenſis ſedis inuaſorẽ Synodale peractum eſt iudiciũ. Nam ſecundùm Sanctorũ inſtituta, canonũ decreta,

Patrum beatorum Sixti, Alexandri, Innocentij, Zoſimi, Bonifacij, Cæleſtini, Leonis, Symmachi, & cæterorum excommunicauerunt, & à gremio matris Eccleſiæ repulerunt eum, donec ad pœnitentiam & dignam veniret ſatisfactionem. Cæteris diebus Synodi tractatum eſt de inceſtis conjugijs & Eccleſiis quæ dabantur, immò vendebantur Presbyteris in partibus Germaniæ, & dabantur Laicis illicitè, & prohibitum ac ſtatutum ne id omnino præſumeretur ab aliquo. Tractatum eſt & de alijs multis Eccleſiæ vtilitatibus.

Interea Rex Otho rogatus à Ludouico Conradum Ducem cum Lotharienſibus in eius mittit auxilium, & dum congregatur exercitus, Artaldus moratur cum Treuirenſe, Rex Ludouicus cum Duce, Rodulfus Laudunenſi cum Alberone Metenſi. Exercitus Lotharienſium Moſomum capit, & munitionem, quæ dicitur Mons-acutus ante Laudunum capit. Porrò Epiſcopi Lotharienſes Laudunum veniunt, Hugonem ex parte Marini vocant, & ſic ad ſua redeunt. Hugo verò Princeps Sueſſionicam vrbem oppugnat, matrem Eccleſiam cum parte ciuitatis ſuccendit, in Remenſi territorio villas cum hominibus ſuccendit, & multa mala agit. Pro quibus & alijs multis, & quia vocatus ad Concilium venire noluit, à Marino & alijs Epiſcopis Franciæ, & Roberto Treuirenſi, ſequenti Synodo excommunicatur apud Treuiros. Cæterorum verò Epiſcoporum Lotharienſium & Germanorum nullus ibi affuit. Quibus expletis Marinus vadit Saxoniam ad conſecrationem W ldenſis Monaſterij, & ſic Romam reuertitur. Otho.

Anno ſequenti domnus Agapetus Papa Romæ Concilium habuit, in quo confirmauit ea, quæ in præfatâ Synodo acta ſunt. Poſthæc Ludouicus & Hugo pacantur ad inuicem, mediantibus atque ſequeſtris Conrado Duce, Hugone Nigro, Adalberone, & Fulberto Epiſcopis: Otho quoque Rex Wenedos & Hungaros ſibi ſubdit. Berengarius quidam Princeps Italiæ veneno, vt fertur, necato Lothario Rege Regis Hugonis filio, Rex efficitur Italiæ. Porrò Rex Otho Papiam cepit. Cum enim iret in Italiam Berengario præfato in eius aduentu fugiente Rex eamdem vrbem ingreditur, & vxorem Lotharij Regis defuncti ſororem Conradi Regis Iurenſis conjugem accepit Adheleidam. Sopitâ igitur aliquantulum peruerſorum inſolentiâ, domnus Berengarius commiſſis ſibi ouibus exemplar & ſpeculum totius religionis & ſanctitatis factus ſtudebat in ſe primùm, & ſic in ſubditos noxia & ſuperflua reſecare, deprauata corrigere, ſancta honeſta & vtilia appetere. Præferebat ſemper honeſtum vtili, nullo terrore, nullo metu, nulla adulatione à vero deflectendum putabat. Non refugiebat exilium, quia nouerat ſapienti patriam mundum eſſe, non timebat egeſtatem, quia nihil ſapienti deeſſe ſciebar, & cui totus mundus ſit locus diuitiarum. Laudabat virum, qui auro moueri neſciret, contemptum haberet diuitiarum, qui velut ex arce quadam deſpiceret hominum cupiditates, & cum Prophetâ in laudibus illius exclamabat: *Quis eſt* inquiens, *& laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Admirandum dicebat, qui diuitias ſperneret, quas plerique ſaluti propriæ prætulerunt. Declinabat auaritiam, & omni ſtudio intendebat, ne quid faceret aduerſus iuſtitiam, ſed in omnibus operibus cuſtodiret eam. Redarguebat delinquentes, nullius in iudicio perſonam accipiebat, gratia aberat, cauſarum merita decernebat, grauiſſimum iudicans pauperem innocentem arguere, diuitem excuſare reum culpæ. In cauſâ Dei, vbi communionis periculum nouerat, etiam diſſimulare peccatum dicebat non leue: commendabat omni ſedulitate exiſtimationem ſuam, vt obſtrueretur os omnium iniqua loqui volentium. Spectabatur ab omnibus admiratione ſapientiæ & amore iuſtitiæ prudentiam habens vocis teſtimonio reos confutare & conuincere; iuſtitiam quoque, nocentes ſupplicio dare, innocentes ſubducere. Ad omnia abundabat animi eius directa ſimplicitas, vincebat in omnibus operibus eius vtilitatem honeſtas, non honeſtatem vtilitas. Nihil in eo arte elicitum, nihil erat fraude compoſitum, quod careret merito ſimplicitatis. Seruabat quam maximè naturaliter inſitam ſibi regulam iuſtitiæ non declinare à vero, vas ſuum in ſanctitate poſſidere, honeſtatem opibus, honoribus, dignitatibus præferre, nihil in ſe eſſe patiebatur ſimulatum & fictum, quod licet in principio vernaret, in proceſſu diſſiparetur, vt floſculus & ſolueretur, quin potiùs verum & ſincerum quod altâ radice fundaretur. Sic per exercitia boni operis formam dabat ſubditis ad felicitatem tendere ſempiternæ Berengarius Ep.

quietis. Anno igitur Epiſcopatus ſui duodecimo, ab Incarnatione DCCCCLI. videns filios ſuos vt terram fœcundam ſincero tritici grano ſeminatam, & puriorem & vberiorem meſſem promittentem, multiplicatum reddere quod acceperant, & dolens quoſdam eorum perfectionis vitæ deſiderio & altioris propoſiti amore feruentiſſimo, ad vicinas diœceſes commigrare & Monaſticum ordinem, quia in ipſa Virdunenſi vrbe non inueniebatur, alibi expetere, communicato Cleri procerúmque conſilio in ſæpefata Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli honore dedicata, vbi pretioſus Domini Confeſſor Vitonus cum ſuis quieſcit & veneratur prædeceſſoribus & ſucceſſoribus, Monachorum delegit turmulam aggregare, qui & propenſiùs diuinis deſeruirent cultibus & omnibus Chriſto adhærere volentibus formam darent humilitatis & patientiæ, vt & ſic non cogerentur ad alia ſecedere qui haberent paratum præ oculis ſpecimen religionis. Et factum eſt diuina cooperante gratia & ſui Sacerdotis cordis intima perluſtrante, vt deſiderium ſanctum quod diurna meditatione conceptum dilatione creuerat felix conſequeretur & celer effectus, & deſiderij ſui quot teſtes, tot inueniret cooperatores & adjutores: Expulſis ergo Clericis Monachos introduxit, quibus & ex ſua proprietate, & de rebus matris Eccleſiæ annuos prouentus redituum, & victus veſtituſque neceſſaria præordinauit, & congrua officinarum habitacula præparauit, magiſtros operis conducendo, & expenſas tribuendo, vt inueniret animæ ſuæ requiem poſt laborem in atrijs Ieruſalem, quæ vt ciuitas
Humbertus. ædificatur, & participatio eius in idipſum. Abbatem quoque eis inſtituit Humbertum de cœnobio ſancti Apri, virum religioſum, vt in charta manu eius ſignata inuenitur, quam etiam hic ſubnectere operæ pretium iudicauimus. Eſt autem huiuſmodi.

Charta Ep. Nouerit omnium Catholicorum tam præſentium quàm futurorum induſtria, quod ego Berengarius ſanctæ Virdunenſis Eccleſiæ nomine non merito Epiſcopus, anno meæ ordinationis duodecimo memor noſtræ Eccleſiæ fratrum, quorùm maxima pars dominica verba ſæpius ſequebatur dicentia: *Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, & habebitis theſaurum in cælo, & ſequimini me*, fugientes terrena & amantes cæleſtia noſtræ congregationis locum deſeruere, & Monachicam vitam ſumentes cœnobia extra noſtram parochiam tentabant adire, ne poſtmodum noſtra Eccleſia de proprio theſauro ſuo pateretur damnum, fauente ſeniore noſtro glorioſiſſimo Rege Othone, ac Conrado Lotharij regni Duce magnifico, congregatiſque noſtræ Eccleſiæ fidelibus Clericis & Laicis pari voto atque communi conſultu decreuimus in noſtro Epiſcopio quoddam Monaſterium Domino annuente ſtabilire, in quo noſtræ Eccleſiæ fratres actiuam vitam fugientes, contemplatiuæ vitæ ſolatium futuris temporibus valerent inuenire. Tunc communi conſilio euocauimus domnum Humbertum religioſum Abbatem, qui ab ipſis infantiæ rudimentis in noſtra Eccleſia fuerat educatus, & præbenda noſtræ canonicæ perfruitus, noſtri etiam Epiſcopij baptizatus atque Parochianus, donec infra ſcriptum aliorum fratrum exemplum ſequutus pro æternâ retributione Monachicam vitam ſumpſit, ac communi Cleri & plebis concordiâ, & eorum noſtrorum Canonicorum, qui tum temporis Monachicam aliorſum nitebantur accipere vitam, conceſſimus ei quoddam Monaſterium ad conſtituendam congregationem Monachorum in honore ſancti Petri Apoſtolorum Principis ſtabilitum, in quo requieſcunt corpora ſanctorum Confeſſorum atque Epiſcoporum Vitoni, Puleronij, Poſſeſſoris, Firmini, atque Madeluei cum omnibus rebus ad eandem abbatiam pertinentibus. Aſpiciunt ad illud Monaſterium iuxta Scanciam manſa ſex & dimidium, molendina quatuor cum banno ipſius villæ, quod hactenus tenuimus, & pro Dei amore loco ex toto conceſſimus, iuſtitiámque latronum, qui in bannum inciderunt, & ſanguinis, qui effuſus fuerit, ſiue vicedominarium, placitum, & curſum aquæ, ſeu correptionem omnium menſurarum, exceptis alodijs, quæ homines tenent ad placitum generale reſpicientes, & publicæ viæ tranſitum: ad Ballonis curtem manſa ſex: ad Fraſnidum manſa quatuor: ad Curtem Eccleſiam vnam: ad Caſtonis curtem Eccleſiam vnam: ad Nouam-villam Eccleſiam vnam cum duabus capellis ſuis, & cum vna Eccleſia in Marculfi villâ ſitâ ad præfatam Nouæ-uillæ Abbatiam pertinente: in eadem Marculfi curte manſa tria cum ſiluis & pratis, ad No-

uam. villam manſa quatuor, cum ſyluis & pratis ad eandem Eccleſiam pertinentibus, & pictura vineæ vna, & molendino vno ſuper Elnam fluuiolum ſito: & ad villam Parridum nominatam Eccleſiam vnam cum manſis ſexdecim inter Coſantiam & Baniam ſitis, & molendino vno, & ſiluâ, & pratis: & ad Harbodiuillam in Vapra Eccleſiam vnam, & manſa duo, & quartarium vnum, & ad Liniacum quartam partem vnius Eccleſiæ & manſum vnum & quartarios tres, & molendinum dimidium, cum ſiluâ & pratis, & in Barrenſi Comitatu manſa duo in villa Villare nominata. Dedimus prætерea ex parte noſtræ Eccleſiæ de Abbatiâ ſancti Amantij manſa decem, cum ſedilibus ad eadem manſa pertinentibus, & ad Flauiniacum piſcatoriam rotam & alteram piſcatoriam ad Tiliacum pertinentem, & decimam illorum arietum qui noſtræ Eccleſiæ perſoluuntur ex Bracenſi centenariâ, & decimam foratici noſtræ ciuitatis de vino: Eccleſiam quoque in Amonzei villa ſitam: & Flauiniacam villam, cum Eccleſia vna, & piſcatoria, & molendinis, & ſiluis, & pratis omnibus, & omnibus adjacentijs ad eandem villam pertinentibus: ad quam villam aſpiciunt manſa viginti ſex: & ad villam Marleiam prope Metis ciuitatem ſitam Eccleſiam vnam in honore ſancti Britij conſtructam. Simili etiam modo delegauimus eidem Monaſterio ad præparandum hoſpitale, Eccleſiam ſancti Petri in ſuburbio Virdunenſis caſtri ſitam cum manſis quinque & prato vno, & omnibus vtriuſque ſexus ad eandem Eccleſiam pertinentibus: In Piæ villa Eccleſiam vnam: in Donnans Eccleſiam vnam: in Moruillâ vnam: in Marua vnam: Hæc omnia pro ſalute animæ noſtræ, noſtrorúmque peccatorum abſolutione tradidimus loco, & firma auctoritate & ratione noſtra confirmamus, corroboramus, atque ſtabilimus, ſucceſſorúmque noſtrorum paternam largitatem flagitantes, vt erga præfatum locum pium animum ſemper habentes, quæ pro animarum redemptione fecimus, rata eſſe ſinant, quæ dedimus non minuant, inſuper de ſuis addere ſtudeant, ita conſeruantes noſtra ſicuti & ſua quæque perenniter manere voluerint decreta. Si quis verò, vel Pontifex, vel Princeps diabolico ſpiritu incitatus, hæc aliquomodo ſubtrahere vel diſſipare voluerit, noſtro imprimis anathemate percuſſus centúmque maledictionibus inuolutus, Dathan quoque & Abiron ſocius factus iram Dei omnipotentis incurrat, atque æternis mancipatus incendijs inexpiabiles apud inferos pœnas luat. Vt autem hæc noſtræ auctoritatis traditio firmiorem vigorem obtineat, noſtrorum fidelium manibus præſentialiter corroborari decreuimus.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLII. Indictione IX. Conc. IV. Epacta XXII. hæc charta confirmata, corroborata, atque conſcripta eſt, præſidente Romanæ Eccleſiæ Papa Adriano anno ſexto, regnante Othone Imperatore Augusto, anno regni ſui in Italia primo, in Francia XVI. Epiſcopatus verò noſtri anno *Agapet.* duodecimo. Ego Berengarius Præſul indignus ſubſcripſi. ſign. Humberti Abbatis. Vodonis Abbatis, Bernerij Præpoſiti, Alardi Præpoſiti, cæterorúmque Clericorum & Monachorum huic chartæ deuotè fauentium & nobilium Laicorum Godefridi Comitis, Giuardi, Adelardi, & ceterorum. Ipſo anno à Conrado Duce quidam Virdunenſes honoribus priuantur.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCLII. Otho Rex Berengarium Regem Italiæ & totam ſibi ſubjecit Italiam. Sequenti anno Conradum Ducem à ducatu Lotharienſium remotum Moguntiæ, vbi ſe Conradus receperat, obſedit, & cepit, & Conradus Mettim ſe recepit. Orta eſt autem diſcordia hæc inter Ottonem & Principes eius, quia promittebat regnum filio ex moderna conjuge nato, quod antequam in Italiam pergeret filio ſuo Liutulfo delegauerat, & Primates ſuos illi iurare fecerat. Qui Liutulfus, cùm ob hoc multa mala egiſſet, mortuus *Liutulfus.* eſt anno DCCCCLVII. Pacificauit autem ſibi Rex Conradum Ducem. Anno DCCCCLIII. Vigfridus Colonienſis Epiſcopus obijt, & Bruno frater Regis Otto- *Bruno.* nis ſuccedit, cui Otto regnum Lotharienſe commiſit.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCLIV. obijt Ludouicus Rex Francorum, & Agapitus Papa obijt, cui Octauianus ſuccedit, & bellum inter Othonem & Hungros in quo victi ſunt Hungri quarto Idus Auguſti anni ſequentis, in quo bello Conradus Dux obijt iam cum eo pacificatus. Ludouicus itaque præfatus Rex Francorum eodem anno moriens duos dimiſit liberos Lotharium & Carolum, *Lotharius.* quos genuit ei Gerberga ſoror Ottonis Imperatoris. Karolus, qui iuuenis dictus

eſt, priuatus ſenuit, in hereditatem omnem Lotharius ſucceſſit. Hic Mathildem ſororem ſuam deſpondit Conrado Regi Burgundiæ, & in dotem dedit ei Lugdunum, quæ ſita eſt in termino regni Burgundiæ, & erat tunc temporis iuris regni Francorum. De hâc Mattilde genitus eſt Rodolfus Rex Burgundiæ, qui poſt patrem ſuum Conradum ſuſcepit Burgundiæ regnum, Bertæ etiam quam accepit Odo Terbaldi Carnotenſis filius ex quà genuit Odonem, qui apud Barrum obijt, Terbaldus enim Carnotenſis, cuius cognomen fuit Tricator, qui Willelmum Normannorum dolo interfecit, ex ſorore Heriberti Trecorum Comitis genuit hunc Odonem, qui Bertam accepit, ex quâ natus eſt Odo, qui apud Barrum obijt: & de eadem Mattilde genita eſt Giſla, quam Conradus Imperator poſtmodum duxit vxorem, de qua genuit tertium Henricum Imperatorem, quem Rodulfus Rex, cuius fuit vxor Ermengardis, quia erat abſque liberis, vt nepotem ſuum, heredem regni Burgundiæ inſtituit, & ſic in dominationem Imperatorum tranſiit Burgundiæ regnum.

Hugo. Anno itaque ab Incarnatione Domini DCCCCLVI. Hugo Magnus obijt & Ducatum Franciæ Hugo filius eius obtinuit. Robertus quoque Treuirenſis Epiſcopus obijt peſtilentiâ, & Fulbertus Cameracenſis, & Hairicus ſuccedit. Otho

Otho Imp. poſt hoc Sarmatas bello vicit. Anno verò DCCCCLXI. Otho puerulus in Regem eleuatus eſt, & Otho pater eius anno ſequenti Romam veniens Imperator ab Octauiano Papa conſtitutus eſt. Eodem anno obijt Attaldus Remenſis Epiſcopus, & celebrata eſt Synodus in pago Meldenſi ſuper Maternam fluuium, vbi

Wilfridus Ep. ordinatus eſt Wigfridus Virdunenſis Epiſcopus, viuente adhuc domno Berengario Virdunenſi Epiſcopo, & ſedem Epiſcopatus tenente. Ordinatus eſt autem ab eis abſque conſcientiâ Metropolitani, eo quod domno Berengario inimicarentur quòd Concilijs eorum intereſſe nollet, & quædam eorum facta improbaret: vnde nacti occaſionem cùm incumberet eis ordinatio Remenſis Eccleſiæ, cuius erant ſuffraganei, ordinauerunt & hunc, vt haberent eum Conciliorum ſuorum conſortem & operis participem, quaſi qui alium qui præſidebat pro nullo haberent, quem ſibi in nullò videbant adclinem. Abjectus eſt etiam ibi Hugo Remenſis peruaſor à Romana Synodo excommunicatus, & Odelricus inthronizatus à Widone Sueſſionenſi, Roricone Laudunenſi, Gibuino Catalaunenſi, Wigfredo Virdunenſi, Aiſtulſo Nouiomenſi. Octauianus autem Papa, cùm de irreligioſitate culparetur, anno DCCCCLXII. Romam exiit, & in locum eius Ioannes XII. ſubſtitutus eſt. Verum Othone Imperatore à Roma regreſſo, Octauianum Romani receperunt, qui non multò poſt defunctus eſt. Ioannes verò cum Imperatore Papiam venit. Interim Romani Benedictum elegerunt, qui electioni Ioannis conſenſerat, & ei ſemper ſubditus fuerat. Sed Otto Romam reuerſus Ioannem iudicio Synodali in ſede reſtituit, Benedictum verò, quia patris cubile aſcenderat, depoſitum in Saxoniam ſecum duxit. Hic fecit priuilegium Eccleſiæ ſancti Vitoni de omnibus rebus ad eam pertinentibus iuſtè conceſſis & concedendis petitione domni Berengarij Epiſcopi, & Eccleſiam ipſam, ſiue Monaſterium confirmauit Virdunenſi Eccleſiæ, ſtatuens atque promulgans, vt filij Eccleſiæ Virdunenſis, qui ſæculum deſerere voluiſſent, in eo Monaſticum habitum ſuſciperent, nec ad externa Monaſteria demigrarent. Quod & ipſe domnus Berengarius adimplere ſtuduit, dum rejectâ prælationis ſarcinâ, vt iuſtus iuſtificaretur adhuc, Monaſticum habitum ſuſcepit in eodem cœnobio ſeruiens Deo in incorruptione modeſti & quieti ſpiritus, & nihilominus inuigilans ſaluti commiſſarum ſibi animarum pro votis populorum, qui nolebant alteri in vitâ eius ſubeſſe, eo quòd ſtrenuo munirentur paſtore, qui quanto Domino approximabat, tanto ſtrenuitatis & benignæ puritatis ſuæ certiſſima dabat indicia. Quid autem interceſſerit, quod Pontifex tantæ auctoritatis & gratiæ Monaſticæ ſe regulæ mancipauerit, cuius vita ſanctitatis erat ſpeculum, lumen animorum, decus piorum, terror reproborum, quia ad id locorum deuenimus, Patrum dicta ſequentes paucis explicabimus. Familiare erat viro beato nocturnalem Synaxim vigiliarum & orationum præuenire inſtantia, quatenus ſacrificium contriti & humiliati ſpiritus ſuperni inſpectoris oculos ſuperſe & ſuper commiſſum ſibi gregem intendere quotidianâ prouocaret votorum induſtriâ. Cui operi cùm ſe vna nocte accingeret, & vno contentus Comite, qui lucernæ ei famulabatur officio Eccleſiam principalem

ſanctæ Mariæ ingrederetur, dum pedetentim gradiens nullum illic eſſe putaret in quem offenderet, eum omnia ſilerent, & etiam ſi qui occulti oratores ſibi eſſent aduentui ſuo eos cedere eredidit, in ipſo chori ingreſſu, dum ſibi minus caueret, offendit in Clericum, nomine Bernerium, Præpoſitum eiuſdem Ecclefiæ, qui tunc fortè ſolo proſtratus matutinatium beatæ Virginis decantabat curſum, & vt poſt patuit totus ad altiora pennâ deuotionis ſubreptus, in Matris Domini ſe extendebat laudibus. Quem Pontifex ſolo hærentem ſibi adſurrexiſſe non videns pede percuſſit, vt cederet, vereor non ſine aliqua animi ſtomachatione, admonuit. At ille iuſſis paruit, & ſecedens in partem intendebat his, quæ ceperat. Verùm matutinali decurſo officio, vbi Præſul feſſos ſtratis indidit artus, adeſt beata Dei genitrix beatis dextra læuáque comitata Virginibus Agne atque Tecla, eo habitu atque decenti apparatu, quo agnoſci poſſet ab omnibus Mater & Sponſa Regis omnium, ſalus & dulcedo fidelium. Cúmque lecto ipſius aſtitiſſet, & iacentis animus ad tantæ viſionis nouitatem ſtupens hæreret, ab eadem Regina Virginum blandè eſt requiſitus, cur Clericum ſuum ſibi deuotum, ſecum loquentem, ad ſe totum ſuſpenſum pede percuſſerit, & de loco, quo ei adſtabat, demigrare coëgerit, deuotionémque eius, quâ ſecum totus aderat, impedierit. Quo ſilente & vultum matris miſericordiæ conſcientiâ trepidâ reſpicere formidante, ſed tamen de eius miſericordiâ non deſperante, ait ſingulare miſerorum confugium, ſpes & conſolatio humilium: Bene quidem mihi ſeruiſti, bene in Eccleſia mea laboraſti, ſed nunc vt homo erraſti, & melius eſt, vt nunc errati pœnam ſuſcipias, vbi pœna omnis fini eſt obnoxia, quàm in futuro, vbi pœna creſcit, & ſpiritus hominis de die in diem renouatur ad pœnam. Pes igitur, quo peccaſti, pœnas luat, vt agnoſcant omnes in te, quia diligentes me diligo, & memoriam mei facientibus patrocinari non deſiſto. His dictis beatam Virginem Teclam admonuit, vt virgâ, quam ferebat, pedem eius quo Clericum percuſſerat, cederet. Viſum eſt Pontifici, ſenſitque ſe cæſum; quia & confeſtim pes eius aruit, ex quo omnibus diebus vitæ ſuæ claudicauit. O ſtupenda Matris Domini pietas, quæ Pontificem ſuum ſibi fideliter ſeruientem & laudauit, quia fideliter ſibi ſeruiret, & tamen peccatum eius quo in conſetuo, licet quantum ad gradum Sacerdotij inferiore, peccauerat, impunitum dimittere noluit: hoc demonſtrans iudicio, ſe iuxta eſſe clamantibus ad ſe, & vindictam eorum, ſi læſi fuerint, etiam in domeſticos paratam vlciſci. Claudicauit itaque Epiſcopus, quia motus eſt ad iniuriam proximi pes eius, & effuſi ſunt greſſus eius. Sed didicit in ipſa ſua infirmitate greſſus rectos facere, vbi quod arrogantia deliquerat, ſtuduit humilitate corrigere. Mane etenim facto, eùm fidem verbis faceret pœna temporalis, in conuentu Eccleſiæ Clericum, quem læſerat, requiſiuit, errati culpam agnouit, confeſſus eſt, & quod patiebatur, cur pateretur, palam proteſtatus eſt. Cœpit iam vterque de correptione vnius proficere, vt quod vni oberat, ambobus prodeſſet, & exemplo eorum omnibus. Nam paucis admodum interpoſitis diebus Monaſterium petijt Epiſcopus & humilitatis veſtitus amictu ſeruiebat pauperibus, pauper & ipſe ſpiritu. Non tamen deſeruit curam Epiſcopij, quam, vt non deſereret, exegit amor Cleri & populi, quin potiùs tantum augebantur in eo lucra virtutum, quanto feruentiori propoſito adhærebat Domino virtutum. Memoratus verò Clericus vrbis ipſius Præpoſitus in amore Beatæ Virginis per manens, & obſequijs eius iugiter inhærens, in Eccleſia eius deuotus perſtitit, Monaſterium ſancti Petri pro loci ipſius nobilitate multo amore diligens, & innumera dona auri atque argenti, palliorum atque librorum conferens. Dedit etiam Eccleſiæ eidem ea, quæ poſſidebat in Exio in vineis, campis, aquis, aquarúmque exitibus & decurſibus, vnde & pro ſuæ ſanctitatis merito defunctus in eadem Eccleſiâ inter ſepulcra Epiſcoporum condignam meruit ſepulturam xv. Kalendas Maij. Anno DCCCCLXVIII. obijt Remundus Eduorum Epiſcopus. Sequitur Epiſtola Ioannis Romani Pontificis.

Bernerius.

Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Berengario fratri noſtro Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo, cum omnibus ſibi à Domino commiſſis brauium æternæ remunerationis. Conuenit Apoſtolico moderamini pia religione pollentibus beneuola caritate, fauere, & poſcentium animis alacri deuotione aſſenſum præbere. Ex hoc enim potiſſimum præmium lueri à conditore omnium Domino pro-

Ep. Papa ad Berengarium Ep. Virdunenſem.

Othoni primo ſecundus Otho, qui & Rufus, de quo dictum eſt prouerbium: quia ſucceſſit Otho ad Imperium, vt floreret ſæculum. Regebat tunc temporis Burgundiæ regnum Rodolfus Conradi filius, cuius ſororem Giſlam Conradus Imperator, qui & Cono, duxit vxorem. In Lugdunenſi Eccleſia promotus erat ad Epiſcopatum Butchardus Rodulfi Regis frater, Conradi ex concubina filius, à quo ordinatus eſt Bruno Lingonenſis Epiſcopus, anno DCCCCLXXXI. Indict. nonâ. Hic Epiſcopatum Lugdunenſem in infantiâ adeptus eſt. Otho Rufus. Burchardus.

Lotharius igitur Rex Francorum quintus à Carolo Caluo germanum habuit fratrem iuniorem ſe Carolum: vxorem autem Emmam Lotharij Regis Italiæ & Adeleidis, poſt Imperatricis, filiam, ex qua ſuſcepit filium Ludouicum, qui adhuc puer Blanciam duxit vxorem: habuitque filium alterum ex quadam nobili puellâ Arnulfum, qui primùm natus eſt, poſtmodum Remenſem Archiepiſcopum. Carolum fraternæ vxoris proteruitas compulit, & inopia rei familiaris patrios fines relinquere, & Ottoni Saxonum Imperatrici ſe dedere. Mortuo Lotario Ludouicus filius ſuccedit, & in primario flore iuuentutis obiit, in quo defecit generatio Regum ex familia Caroli Magni, & ſuccedit ex aliâ familiâ Hugo Rex. Quod grauiter ferens Arnulfus Clericus Lotharij filius, vt diximus, patruum Carolum in Franciam reduxit, & Laudunum cepit & retinuit. Adalbero verò Laudunenſis Epiſcopus à cuſtodia, qua tenebatur, fugiens ad Hugonem venit, & ei Arnulfum conciliauit, cui Rex defuncto Remenſi Archiepiſcopo Archiepiſcopium contulit, vt ſibi Carolum conciliaret. Ille dum faciliores aditus quærit, quibus Carolum Regi conciliaret, ciuitatem ei tradit, vnde ab eodem Hugone perjurus & traditor publicè conclamatur. Nec multò poſt ab Adalberone Laudunenſi, cui ſe credebat, captus ipſe & Carolus Hugoni redduntur. Arnulfus propoſito ſibi, vt ſe perjurum ſponte confiteatur, alioquin oculis priuaretur, perjurum ſe clamat, & veniam petit: atque ita mox deponitur, & in loco eius Gerbertus Diaconus eius ſubſtituitur, primò puer in Monaſterio ſancti Geraldi nutritus, ſed pro morum inſolentia expulſus, poſtmodum & de Archiepiſcopatu pulſus ad Othonem Imperatorem ſe contulit. Carolus verò priuatus ſenuit, & Arnulfus Epiſcopatum recepit. Soror eius Mattildis fuit Rodulfi Regis Burgundiæ mater, & eius filia, quam Conradus Imperator vxorem duxit, Giſla dicta eſt mater Henrici tertij Imperatoris. Berta quoque eius filia mater Odonis, qui apud Barrum obijt. Arnulfus. Carolus. Gerbertus.

Anno Dom. Incarnat. DCCCCLXXXIII. Otto ſecundus, qui & Rufus, cum duodecim annos regnaſſet moriens Romæ, à ſuis relatus eſt, & Aquiſgrani ſepultus, cui ſucceſſit Otho III. duodecim annorum, qui à cunabulis ſumpſit ſceptrum Romanorum, ſub cuius regimine ſalus fuit mundo & gloria. Tempore huius præfuit Virdunenſi Eccleſiæ Wigfridus Epiſcopus. Hic quadam die vrbem egreſſus venit ad villam fratrum, quæ Vvanderſala dicitur, vbi à Comite Sigifrido captus & abſolutus, de pecunia quam pro emendatione ſuſcepit tanta Eccleſiam ſanctæ Mariæ, &c. Hic prædeceſſoris ſui domni Berengerij imitator factus in ſuburbio Virdunenſi Cœnobium ædificauit, & aggregata Monachorum turmâ corpus illuc ſancti Pauli Epiſcopi leuatum de loco, quo iacebat, in feretro argenteo recondidit, victúmque fratribus, qui loco eodem Domino deſeruirent, ex redditibus Epiſcopij prouidit. Hic enim inter cætera bona Rauandi ..... ſancto Firmino contulit. Otho III. Vvigfridus.

In initio itaque regni Ottonis III. Papa obijt, in cuius locum Otto alium ordinari præcepit quem Ioannes Creſcentius de nobilibus Romanorũ dejecit, & alium ſubſtituit. Sed Otto reuerſus illum dejectum abſciſſis manibus eius & auribus & oculis erutis, & occiſo Creſcentio, Gerbertum Papam ordinari præcepit. Hic in cœnobio, ſancti Geraldi apud Aureliacum nutritus fuit, Grammaticáque eſt eruditus, & ab Abbate loci Borrello citerioris Hiſpaniæ Duci commiſſus, vt in artibus erudiretur, & ab eo Haitoni cuidam Epiſcopo traditus eſt inſtituendus, apud quem plurimum in matheſi ſtuduit. Verum prædicto Duce cum Epiſcopo Romam eunte, idem cum eis profectus, & propter actus notiſſimus, ab eo Ottoni Regi eſt intimatus, & cum Adalberone Remenſi Epiſcopo Remis venit. Quo tempore Olricus apud Saxones inſignis habebatur. Poſt annum Remenſis Adalbero Romam cum Gerberto petebat, & Ticini Auguſtum cum Otrico reperit, à quo magnificè ſuſceptus, ductúſque per Padum claſſe Rauennam, & quia anno ſuperiore Otricus Gerberti ſe reprehenſorem in quadam figura cum multiplici diuerſarum rerum diſtributione monſtrauerat iuſſu Auguſti omnes palatij ſapientes intra palatium collecti ſunt. Archiepiſcopus quo- Gerbertus.

que, cum Adſone Abbate Deruenſi, & Scholaſticorum numerus non paruus, & cœpta diſputatione, cùm iam totum penè diem conſumpſiſſent, Auguſti nutu finis impoſitus eſt. Ibi vero ab Auguſto egregiè donatus, Remis cum Archiepiſcopo reuerſus eſt, & poſt ab Hugone Hugonis Magni filio Rege Francorum, qui Ludouico ſucceſſerat ex alia ſtirpe, deiecto Arnulfo Pontifice in Remenſem Archiepiſcopum ſe quibuſdam præſtigijs promoueri fecit. Verùm aliquanto tempore exacto, vbi ſenſit quod Arnulfus ſedem Epiſcopij ſibi præripere, & populum ad ſe reducere nitebatur, noctu fugiens ad Othonem iuit, à quo non multo pòſt in Rauennenſem Archiepiſcopum quibuſdam ſe præſtigijs promoueri fecit. Inde poſtmodum Papa conſtitutus eſt & Siluester dictus eſt. Obijt autem anno DCCCCXCIX. & Gregorius ſuccedit.

S. Maiolus S. Odilo. Anno DCCCCLXXXVIII. Imago Domini in cruce poſita in Monaſterio Apoſtolorum Aurelianis plorauit, omnibus admirantibus, quid hoc portenderet ſignum. In eadem ciuitate vna noctium lupus adueniens Eccleſiam ingreſſus matutinis horis teſtem ſigni ore arripuit, & agitans illud inſonuit, quem vix ab Eccleſia expellere potuerunt. Sequenti anno tota ciuitas igne conſumpta eſt cum Eccleſijs, ſed Arnulfus venerabilis Epiſcopus inuentâ pecuniâ in fundamentis Eccleſiæ ſanctæ Crucis, eandem Eccleſiam in melius reparauit.

Hugo. Ep. Anno DCCCCXCI. Sanctus Odilo venit ad conuerſionem Cluniaci, & quarto anno ſanctus Maiolus obijt. Ea tempeſtate Roma maxima ex parte igne conſumpta eſt. Templum etiam ſancti Petri accenſum eſt, & iam trabes ſerto & laminis æreis copertæ ardebant, cum omnis plebs Romana ad ſepulcrum Apoſtoli concurrens, vbi humana nihil præualebant auxilia, diuinum & Apoſtolicum expetebat ſuffragium, & ſtatim ignis, qui iam trabes lambebat, extinctus eſt. Eo quoque tempore obierunt Odo Comes Turonorum, Heribertus Meldorum & Trecorum, Willelmus Pictauorum, Manaſſes Epiſcopus Trecorum, Giſlebertus Pariſiorum, Gebuinus Catalaunorum. Anno ab Inc. Dom. DCCCCXCIV ſuſcepit regimen Cluniacenſis Eccleſiæ ſanctus Odilo.

Defuncto autem Vvigfrido Virdunenſi Epiſcopo pridie Kalendas Septemb. & in Monaſterio, quod ipſe conſtruxerat, tumulato Hugo ſubſtitutus eſt. Hic ingreſſus ciuitatem, vnde viuebat, inquiſiuit: Lotharius enim Fràcorum Rex, quia erat reſpublica ſub iuuene principe Romanorum, defuncto Vvigfrido Epiſcopo, Virdunum obſedit anno ab Incar. Dom. DCCCCLXXXIV. ſed minimè cœpit, omnia tamen circa vrbem vaſtauit, cæpta quem egreſſi ad bellum & ſuperati, plures ex eis capti ſunt, pro quorum liberatione, vt dicitur, Gotbertus claues vrbis Regi detulit. Ob hanc itaque cauſam cum inueniſſet Hugo expenſas Epiſcopij exterminatas notatis villarum reditibus, mox

Adalber... reuerſus eſt. Quo egreſſo ſuſcepetunt abſque regio dono, Adalberonem Beatricis filium matris Ducis Theoderici, qui aliquantulum moratus in ciuitate, defuncto Mettenſi Epiſcopo, illò ſe contulit, iſto relicto. Huic ſucceſſit Adalbero filius Comitis Godefridi auus Ducis Godefridi, qui accepta vxore Bonifacij poſtea factus eſt Mar-

Heimo. chio. Is Salernum eodem anno benedictionis ſuæ curationis gratiâ profectus reuerſus in Italiâ obijt decimoquarto Calendas Maij, & relatum corpus eius Virduni ſepultum eſt. Vixit in Epiſcopatu tribus annis, & ſucceſſit Heimo anno DCCCCLXXXVIII.

Hugo Rex. Mortuis igitur Lothario & Ludouico Francorum Regibus Hugo Rex, vt diximus, conſtitutus eſt, cuius fratres fuerunt Otto Dux Burgundiæ, & Heinricus. Verum Ottone in adoleſcentia mortuo abſque liberis, Heinricus ſucceſſit: cuius filius fuit Odo Belnenſis, & priuignus eius Vvillelmus aduena Rainaldi Comitis pater. Poſt Heinricũ Heinricus Roberti Regis ex Conſtantia filius Ducatum obtinuit, & ei Regi facto Robertus Vetulus ſuccedit frater eius, & Roberto Hugo Dux poſtea Monachus, Heinrici filij ipſius Roberti filius: Quo Hugone defuncto Robertus filius eius ſuccedit, & Conſtantiam duxit vxorem cognatam Hugonis Antiſiodorenſis Epiſcopi, Comitis Cabilonenſis. Anno DCCCCXCVI. obijt Heinricus Rex apud Poliacum ſuper Ararim, & Richardus Normannorum Dux obijt. Sequenti quoque anno Robertus Rex ducens ſecum Richardum II. Normannorum Comitem cum triginta millibus Normannorum, Burgundiam, quia à ſe defecerat, vaſtauit, & tandem obtinuit. Quo tempore facta eſt fames valida quinquennio in toto orbe Romano. Eo etiam tempore præerat Eccleſiæ Diuionenſi Abbatis officio eximius pater Vvillelmus, cuius geſta qui ſcire voluerit, in libro vitæ eius à Rodulfo Monacho edito legere poteſt.

CHRONICI

VIRDVNENSIS

HVGONIS

FLAVINIACENSIS ABBATIS

PARS ALTERA,

ECCLESIASTICÆ PRÆSERTIM HISTORIÆ.
Totius ſæculi vndecimi inſigne Monumentum.

Ab anno Æræ Chriſtianæ Milleſimo ſecundo, ad eiuſdem Æræ annum MCII.

ANNO ab Incarnatione Domini MII. obijt Otto III. iuuenis Imperator, exactis in regno XIX. annis, & Heinricus ſucceſſit. Quo anno circa ſolis occubitum draco per aëra ferri viſus eſt, & igneæ in cœlo acies viſæ, & Luna in plenilunio poſt initium XL. à medio noctis vſque ad ortum diei in ſanguinem verſa, & ſol circa meridiem in duas partes diuiſus eſt. Sequenti anno, Iohannes Papa XIII. obijt, & Benedictus ſucceſſit. *Othoni III. ſucceſſit Heinricus.* *Errat.*

Anno ab Incarnatione Domini MX. obijt Heldricus Abbas Flauiniacenſis XIX. Kalend. Ianuarij, & ſucceſſit domnus Amadeus. Hic Abbatiâ dimiſſa, Cluniacum iuit, & poſt reuerſus Colticenſem Cellam adquiſiuit, & Sinemurenſem, & Bellilocenſem, & Corbiniacum recuperauit. Sarmatiæ caſtrum cœpit, Paſſauant deſtruxit, XIX. Eccleſiarum altaria cum decimis & paratis obtinuit. *Amadeus.*

Defuncto quoque Adelmaro Abbate Monaſterij ſancti Vitoni V. Kalen. Ianu. Adelardus ſubſtitutus eſt. Et hoc defuncto XIII. Kal. Ian Ermenricus ſucceſſit, qui in quantum valuit, locum ampliauit. Hoc etiam ad ſuperna tranſuecto, VI. Kal. Septemb. Rohaldus ſucceſſit, & Rohaldo Lambertus. Poſt quem raptus eſt de Cœnobio ſancti Felicis Mettenſis domnus Fingenius Scotorum progenie oriundus, quia locus idem per manum Laicam aliquantulum neglectus erat, ad reſtaurandum eum ibidem Abbas eſt ordinatus. Cuius aduentum, peregrinationem, & conuerſionem qui pleniùs noſſe deſiderat, in vita Theoderici eximij Metenſis Epiſcopi ſcire poteſt. Et hoc quoque defuncto, cùm jam poſt Adalbertum Virdunenſem Epiſcopatum Heimo ſortitus eſſet, domnus Richardus locum illum regendum ſuſcepit. Cuius vitam mores, & actus, nobilitatem generis, initium conuerſionis, ſtudium religionis, & perſeuerantiam perfectionis, humilitas noſtra ſenſu licet tenui & ſermone ruſtico deſcribere gliſcit; quia ſi quid ſumus, cùm nihil ſimus, totum poſt Deum & Sanctos eius, aſcribendum eſt meritis ipſius. Vnde *Adelardus. Ermenricus. Fingenius. Theodericus Ep. Metenſis. Richardi Abbatis S. Vitoni Res geſta.*

inuocandus eſt nobis ſpiritualium diſtributor Kariſmatum Spiritus Sanctus, vt beatitudinem eius ſuo quidem ſenſu, noſtro ore enunciet, vt laudetur in operibus ſuis, & appareat mirabilis in Sanctis ſuis.

I. Extitit igitur nobiliſſima Francorum ſtirpe progenitus, patre..... matre verò...... & ab ipſis infantiæ rudimentis litteris liberalibus in Eccleſia ſanctæ Mariæ Remenſis inſtitutus. Quæ Eccleſia tanto tunc vernabat religionis decore, tot perſonarum nobilium & religioſarum, quas ipſa in ſe educauerat, ſibi adplaudebat honeſta numeroſitate, & decenti honeſtate, vt religione ipſa præemineret omnibus Eccleſiis Belgicæ, formáque eſſet omnibus honeſtate viuendi, rectéque conuerſandi, in caſtitate, in ſcientia, in diſciplina, in correptione morum, in exhibitione bonorum operum. Probat hoc domni & verè ſancti Conſtantij Canonici eiuſdem Eccleſiæ pia, conſtans, & fidelis conſtantia, itemque alterius Conſtantij imitanda & recolenda in pauperes laudabilis rerum ſuarum profuſio, & totius patrimonij diſperſio. Quorum alterum ipſa ſua commendat religio, & opera miſericordiæ: alterum adeò pauperum prædicat miſeratio, vt ipſi ſoli inuenti ſint, qui tanti viri dum deflent obitum prædicant meritum, & dum funus illius grata ſedulitate officioſi procurant, dum ad Miſſæ ſolemnia quæ poſſunt pro requie eius munuſcula offerunt, dum omnes inſimul circa corpus aggregati ſuam deflent deſolationem, & ſuam in tanti eleemoſynarij ingeminantes conqueruntur deſtitutionem, eius nimirum vitam miris laudibus extollunt, & ſiquid humanæ naturæ vitio in eo corruptum eſt, id ſuis lacrimis tegunt & operiunt. Ideò autem horum conſtantiam ad exemplum fidelium hic inſeruimus, Vt agnoſcat qui legerit, tot & tales viros in palæſtra ſanctæ Remenſis Eccleſiæ nec ſine magiſtris deſudaſſe, nec ſic ſolos euaſiſſe carneæ molis carcerem, vt non reliquerint aliquos ſui propoſiti teſtes & cooperatores qui eorum & veſtigia imitati, & fidei virturem ſint amplexati.

Conſtantij Rem. ſ. duo.

II. In hac ergo Eccleſia religioſæ indolis puer Richardus litteris traditus imbuendus, breui ſingula percucurrit, quæ Magiſtrorum ſolertia percurrenda ſignauit. Cœpit jam altiora meditari, & quæ à magiſtris non didicerat, viuacitate & perſpicacia docilis ingenij attentè rimari, vt agnoſceretur ab omnibus magni eum futurum eſſe præconij, quem ſic commendabat acumen intellectus, ſecretorum & myſticorum capax, cooperante & præcedente gratiâ Dei. Tranſiuit itaque in eadem vrbe proficiens vſque ad perfectam incrementorum ætatem, & qui erat acer ingenio ſtatuit ſibimetipſi normam viuendi, recidens in ſe noxia, quæ in alijs ſolerti vigilantia reprehendebat. Probat hoc religioſa vitæ eius conuerſatio, & continuata malorum redargutio, qua tantùm abundabat animi eius directa ſimplicitas, vt pro zelo Dei & æmulatione juſtitiæ, Præcentoris & Archidiaconi ei officium committeretur, & magiſterio eius diſpoſitio Remenſis Eccleſiæ traderetur. Cui officio quàm ſtrenuè, quàm prudenter, quàm ſollerter inuigilauerit, ne nimij fortaſſe laudando inueniamur, ſilere decreuimus. Maximè cum & ſilentium ipſum laus eius ſit, quia ſi totam ſubſtantiam noſtram in laudibus eius ſuperextenderemus, minus eſſet quod diceremus ad id quod dicendum eſſet. Iubilat in laudibus eius Remenſis Eccleſia, quia & ipſa eius deuotio, qua in ea fideliter laborauit, laus eius eſt. Vtebatur poteſtate ſibi tradita in ædificationem, non in deſtructionem, habens libertatem vocis judicio ſuo cenſurare reos & conuincere, nulliuſque perſonam in iudicio accipere. Quibus rebus ita cognitus erat, omnibus, vt abſens etiam pro ſui reuerentia & inflexa conſtantia à cunctis timeretur, & pariter omnes ſenes cum iunioribus Richardi inadulatam grauitatis cenſuram reuerebantur. Erat enim verè religioſus, orationibus continuis vacans. Cui etiam moris erat Pſalterium ex ordine quoquo die dicere, & primos quidem quinquagenos proſtando manibus ad terram deflexis dicebat, quinquagenos erectus quinquagenos proſtratus toto corpore, ſed ſuſpenſus, articulis pedum manuumve ſuſtentatus perorabat. Solebat etiam ante crucem orationes cotidianas dicere, quarum hæc erant omnium verſuum initia, *Adoro te Chriſte crucem aſcendentem, & benedico te.* Quas cùm die vna multa peroraſſet inſtantiâ, ſurgens ab oratione, & Crucifixum cum lacrimis aſpiciens, audiuit vocem dicentem ſibi. *Tu me in terris benedixiſti & ego benedico te.* Et eleuata dexterâ, qui erat in forma crucis benedixit eum. Qua dulcedine compunctus gratias egit Sacerdoti ſummo, & cœpit jam

tantò artiùs perfectiora meditari, quantò gratioſiorem circa ſe agnoſcebat dulce-
dinem miſerentis Dei. Hoc nos Rodomi poſiti à viris religioſis audiuimus, qui
& ipſi ſe fatebantur audiſſe ab Hugone cognomento Grammatico viro ſtrenuo & *Hugo Grammaticus.*
religioſo, Roromagenſis Eccleſiæ Archidiacono, qui Remis in Eccleſia ſanctæ
Mariæ præſens adfuit, quando hæc geſta ſunt.

Verùm, cùm in dies feruore religioſi propoſiti ad altiora pennâ deuotionis III.
ſuſtolleretur, & contemptores mundi ſuimetipſius abnegatores mitaretur, Deúm-
que in figura crucis poſitum veneraretur, ſequaces ſuos ad ſe inuitantem & ducen-
rem, *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur*, rememorans quia parùm eſſet miniſtrare Do-
mino, in quo nulla eſſet perfectio, niſi & ſequeretur eum, delegit Deo firmiùs
adhærere, quoniam bonus eſt, & beati qui ſperant in eum. Cœpit igitur larga
manu quæ circa ſe erant diſpenſare pauperibus & licèt à primis annis compaſſio-
nis ineo opera claruerint, tamen quò ampliùs miſeria ſeculi & fallax eius gratia
temnebatur, eo magis inſtabat miſericordiæ operibus, vt nudus Chriſtum ſe-
qui, & pauper pauperem imitari valeret, qui propter nos minoratus paululum
ab Angelis, de pauperibus naſci, & in præſepio reclinari voluit, vt eſſet piorum
cibaria iumentorum. Vbi verò cuncta diſtracta ſunt, nec deſideria dilatione con-
ſopita, quia ſancta erant, quin potiùs augmentata, & cogitationum inundan-
tium, quas perfectioni ſtudens fidelis anima patitur, violento impetu ſedato, ad
portum quietis appulſus fixit anchoram ſpei, quia deliberauerat iam vt iret, cœpit
iterum anxiari quò iret, quem ſibi locum ſtationis eligeret; vbi plantatus, in
interna cordis amœnitate virideſceret. Volebat enim hoc quod dictum eſt
patri credulitatis noſtræ Abrahæ. *Exi de terra tua, & de cognatione tua*, ad litteram
implere, ſed conſiderabat non ſine fructu fore, ſi inter ſuos poſitus, factúſque eis
forma vitæ honeſtæ, præberet eis exemplum ſequendi Chriſtum, adipiſcendo
Religionis propoſitum. Conſiderabat rurſus difficillimum eſſe inter notos & affi-
nes grauioris propoſiti intentionem apprehendere, vbi aliquando certa eſt via
periculi, incerta ſalutis, cùm retrahit hominem iam Deo proximantem amor pro-
pinquorum, & reuerberat aciem vultus, qua Deus intuendus eſſet, caritas carnis,
& multimodæ punctiones ſeculi, quas non adeò graues ſentit qui oportunitatem
ſentiendi vitat & refugit. Inter has & alias multiplices repugnantium ſibi inuicem
carnis & ſpiritus deliberationes affuit adiutorium Omnipotentis, & famulo ſuo
deſudanti in palæſtra glorioſi certaminis, ſolatium præbuit cuiuſdam fidelis ſui,
qui ſub clamyde mundanæ dignitatis abſconditum gerebat probatiſſimum mili-
tem Chriſti. Fredericus nomen erat viro, generoſa ſatis eius & alta propago. Co-
mitatus honore vigebat, & quod maximum eſt, Comitatum mentis indole per- *Fredericus Comes.*
ornabat. Pater eius Godofridus erat, vir probitate gratiâ & diuitijs, & honori-
bus inter Magnates regni nominatiſſimus. Habebat & alios filios, Adalberonem
Virdunenſem quem diximus Epiſcopum. Herimannum quoque Comitum no- *Godefridus.*
biliſſimum, Godefridum quoque & Gozelonem Duces. Herimannus, qui &
Hezelo, Mathildem duxit vxorem, ex qua genuit duos filios, bonæ ſpei arbores,
Gregorium, & Godefridum, & filiam Odiliam, quæ fuit Abbatiſſa ancillarum
Dei in Monaſterio ſanctæ Odiliæ. Habuit & alium ex concubina filium nomine
Godefridum. Godefridus verò Dux in diuitijs & gloria abſque liberis conſenuit.
Gozelo autem Dux Godefridum filium, qui accepta vxore Bonefacij poſtea fa- *Gozelo.*
ctus eſt Marchio, hæredem reliquit. Hac ergo generoſa ſtirpe creatus domnus
Fridericus, in ſublimitate bonorum poſitus, menſurarum ſuarum limites attende-
bat, ne in præcipitio pedem poneret: ideò; bonum intentionis ſuæ finem adep-
tus eſt, qui extra fines ſuos vagatus non eſt. Hoſtibus terribilis, amore iuſtitiæ
ſpectabilis. Pauperibus largus, dapſilis in donis; in parcendo pius, in vlciſcendo
ſeuerus. Qui etſi Palatium frequentabat, in ſterquilinio tamen cum beato Iob ſe-
debat: quia ſi qua illicitè gerebat, ea ad mentis oculos pœnitendo reducebat.
Sedebat in ſterquilinio, quia cùm ante ſe peccatorum ſtercora cernebat, ſi quid
elationis in animo ſurrexiſſet, inclinabat. Et quantò ſe puluerem & cinerem cum
Deo loquens æſtimabat, tantò celſiùs vſque ad honorem diuinæ collocutionis
aſcendebat. Hinc eſt, quòd ita verè humiliatus eſt, vt ad alta virtutum ſurgere
veraciter poſſet. Agit enim hoc pia Dei miſeratio erga electos ſuos, vt quantò ſe
infra ſeipſos deſpiciunt, tantò ſublimiùs videant ad amorem Dei ſubrigantur, & eo

magis claritatem Dei, quò eos magis, ne de ſe magna ſentiant reprimit virtus veræ humilitatis.

IV. Cùm itaque ad conditoris ſui deſiderium totus diutina meditatione incaleſceret, & jam apertè mundi lenocinia deſpicere, & Deo tota intentione adhærere cuperet, viderétque homo in ſæculo conſtitutus pernecesſarium ſibi fore, vt hoc ſuum deſiderium cuilibet Religioſorum propalaret, cuius releuaretur conſilio, & orationibus firmaretur, viſum eſt ei, diuina vtique faciente clementia, vt virum Religione nominatiſſimum, Richardum videlicet, de quo impræſentiarum agitur, expeteret, & ei tanquam ſibi alteri ſeipſum crederet, cum eo arcana cordis ſui participaret, illum eſſe Conſiliarium qui nihil haberet fallax, nihil ſimulatum, nihil corruptæ pacis amicum. Venit ergo, & dum vnius voluntas aperitur, aut bonum deſiderium reuelatur, & vt perficiatur alterna confirmatione roboratur. Decretum eſt igitur communi voto, & ex ſententia vtrimque deliberatum eſt, vt pauper quilibet locus eligeretur, in quo honor Dei & rigor Regulæ conſeruaretur, vbi noui Chriſtianæ paupertatis amatores exerceri, & ſic demum alios in ſpiritualis tyrocinij exercitio inſtruere poſſent. Delectus itaque locus Virdunum ciuitas fuit, & in ea Monaſterium Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti Confeſſoris Chriſti Vitoni, quod & ab antiquo fundatum, & Sanctorum patrocinijs

Fingenius Abbas S. Vitoni. gloriosum, & Religionis erat ordine inſignitum. Erant enim in eo boni viri & religioſi, licèt perpauci, ſub diſciplina Abbatis Fingenij, à Scottorum partibus oriundi, qui illò causâ Religionis conuenerant. Huc ſanè cùm ſe conferre deſtinauiſſent, ad hoc tamen exploraturi conuenerunt, vt opinioni minus credulis oculis attenderent, ſi eo ſe Cœnobio recluderent. Erat in eadem vrbe & aliud Monaſterium à Wigfrido Epiſcopo conſtructum, in quo eis videbatur melius eos ingredi debere pro loci oportunitate: quia illud prius Cœnobium loci anguſtia & ſitus aſperitas minus commendabat, licèt rigor Ordinis in illo meliùs ſeruaretur. Æſtimationi verò ſuæ minus fidem dantes, Cluniacenſe Cœnobium pari voto expetere decreuerunt, quod & religione præcipuum, & diuitijs opulentiſſimum eſſe videbatur: vt à domno Odilone Abbate conſilium quærerent, & obtento

S. Odilo. adquieſcerent; aut certè, ſi ſancto viro ſanius videretur, ibidem ſub eo remanerent. Ierunt ergo, ſed ſanctus vir prophetiæ ſpiritu plenus, caritatiſque virtute refertus, viros egregios & in Chriſti amore feruentes gratulanter ſuſceptos ad ſolum proprium remiſit, inculcans eis & præcipiens vt in Monaſterio, quod primum delegerant, & vbi ſe deuouerant, vota ſua Deo redderent, maximè cùm ibi vigeret feruor Ordinis. Adiciens poſſe per eos fieri in proceſſu temporis, vt habitacula ſeruorum Dei nunc modica poſtmodum creſcerent, & fieret eorum induſtriâ locus ille inſignis, qui nunc videbatur anguſtus & deſpicabilis.

V. Intueri planè libet flammam caritatis in corde beati Odilonis, quæ per beatum Iob lex Dei multiplex dicitur, quia cuius mentem plenè ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Hac enim actum eſt, vt vir beatus ea quæ ſibi ab altero fieri expectaret, eadem cogitaret alteri facienda. Hac etiam actum eſt vt proximum, vt ſeipſum diligeret, vt bona quæ valeret, proximis impenderet, & implendo non tumeret. Hac nihilominus fit, vt quo ſe vir ſanctus in ſolo Dei & proximi amore dilataret, eo quicquid à rectitudine diſcrepat, ignoraret. Hac quoque actum eſt, vt cæteros tanquam ſe diligere, per hoc quod rectum in alijs conſpexit, quaſi de augmento proprij prouectus hilareſceret. Quis námque Prælatorum hoc nunc faceret, quod virum ſanctiſſimum tunc conſtat feciſſe? Quis tot & tales viros famâ vbique celebratos, ſi ad ſe declinare contingeret, ad alia loca demigrare moneret, & non eos potiùs ſibi fauore, gratiâ, vel precibus, ſeu qualibet arte retinere temptaret? Quod etſi non poſſet, tamen eos inuitus, & non ſpontè à ſe dimitteret, dolens quaſi quos nunquam habuerat, dimitteret. Quantos nunc in Eccleſia Dei Prælatos aſpicimus, qui prouectum alterius videntes ſuum non eſſe, faſtidiunt? Quibus omnibus beatum Odilonem præferendum meritò cenſemus, ad cuius gloriam ſpectat ſi quid per eos quos nobis attribuit Eccleſia, cui attributi ſumus, in Ordine & Religione fructificat. Redierunt ergo noui Monaſticæ Religionis tyrones Virdunum, & prouoluti genibus Patris Monaſterij aditum precabantur. Quos cùm ſenior cerneret, & viſos virtutis ad toleranda opprobria, conculcationes, & verbera minus idoneos &

delicatos putaret, paupertatémque loci cum illotum metiretur diuitijs, ægrè adſenſum præbebat, quia mentes eorum in diuino amore roboratas non nouerat, quas ſi nouiſſet, nec momento introitum illorum diſtuliſſet. Ceſſit tandem, & petentibus aſſenſum præbens ingreſſum annuit, quia volunras Dei fuit vt citò eis occurreret quod volebant. Sociati itaque congregationi Monaſterij, facti ſunt omnibus forma patientiæ & humilitatis, vt liquidò cognoſceretur à cunctis præuentos eos eſſe gratiâ conditoris Dei. Protectionis enim diuinæ gratia perluſtrata, maiori ſatis ardore diligere cæleſtem patriam cœperunt, quam priùs in terrena dilectione flagrabant. Deus námque, cuius vera hereditas lux eſt, & defectus luminis eiuſdem nullus eſt, ita eos ſua dilectione inluſtrauerat, ita eos viſione ſua reficiens repleuerat, vt nouæ ſpei ſpiritu mentes eorum afflatæ, ſemetipſas quales in vetuſta cogitatione fuerant, obliuiſcerentur, vt nihil jam eis niſi quæ æterna ſunt, placerent, & deſpectis tranſitorijs ſola, quæ permanent, requirerent. Quia verò venerabilis Richardus abſque permiſſu & licentia Archiepiſcopi Remenſis Monaſticum habitum ſuſceperat, conquerebatur etiam Canonicum ſuæ Eccleſiæ ab ea inordinatè receſſiſſe. Quamobrem eum conabatur repetere. Quod vbi ad aures Fingenij Abbatis peruenit, euocato eo, rem ordine pandit. Ille, Patre conſolato, Remenſi Archiepiſcopo cartulam miſit hæc continentem. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Quam ille ſuſcipiens, & vim verbi diligentiùs intendens, meritò ait: *Abijt qui ſpiritu Dei ductus eſt, & ideò à nobis repetendus non eſt.* Sic confutata repetentium eum calumnia eſt, imò magis ad imitandum eum accenſa multorum deuotio eſt. *Arnulfus Arch. Remenſis.* Regebat tunc Eccleſiam Arnulfus Lotharij Regis, qui quintus à Karolo Caluo fuit, filius, qui traditor cognominatus eſt ob id, quia ciuitatem patruo ſuo Karolo reddidit, cùm doleret regnum alienæ ſtirpi datum, & ſuæ præreptum.

VI. Procedente igitur tempore, domno Fingenio Abbate ad ſuperna euecto vIII. Idus Octobris, & in Monaſterio ſancti Felicis tumulato, cùm de electione ſubſtituendi Abbatis ageretur in præſentia Heimonis Epiſcopi, & vt in talibus aſſolet diuerſi diuerſa ſentirent, & varia quorundam haberetur electio, ad interrogationem Pontificis repente puerorum voce electus domnus Richardus conſona omnium voce laudatur *Richardi electio in Abbatem.* Epiſcopo in laudes Dei erumpente & dicente, *Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem, Domine Deus.* Et vtique juſta Pontificis enunciatio, quia ore infantium & lactantium facta electio, laus Dei erat & glorificatio, qua erat laudandus & glorificandus in fideli ſuo. Confirmata ſanè electione, & ſcripto roborata, deducitur ab Epiſcopo nouus Iacob in cordis lætitia, & benedictione data more ſolemni, prælatus eſt cuſtodiæ gregis Domini. Aderát jam tempus vt impleretur prophetia beati viri Odilonis, quod per eum & dominum Fredericum locus antea permodicus inſigniretur, vt & ipſe beatus Odilo de profectu illorum tanquam de ſuo gratularetur. Suſcepta itaque prælationis ſarcina, ſtuduit elationem & jactantiam cauere. Sciebat enim oportere ſibi prodeſſe fratribus magis quàm præeſſe. Cui tantam Deus contulit gratiam, vt à Regibus & Principibus, à diuitibus & mediocribus miro diligeretur affectu: quia & congruum erat, vt quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Ordinatus verò eſt per manum domni Heimonis Virdunenſis Epiſcopi *Heimo Ep.* anno ab Incarnatione Domini M I V. cùm jam poſt Ottonem III. ſecundo jam anno principaretur Heimricus conſanguineus eius, qui IX. regni ſui anno Imperator creatus eſt. Huius ergo Principis Curiam pro quibuſdam negotijs domnus & pater Richardus adire compulſus, venerabilem Fredericum ſecum duxit, qui & de Imperiali ſanguine procreatus, & Principibus regni erat notiſſimus; vt quod per ſe poſſe diffidebat, illius obtineret gratia, cui aliquando dum eſſet in ſeculo, tota parebat Curia. Verùm, diſpoſitis ſedibus, & reſidentibus Pontificibus & Abbatibus, aſtantibus etiam regni Primatibus, cùm longè inferius reſideret Pater mitiſſimus, & memorabilis eius Monachus, vt Regis & Principum conſanguineus inter primos Palatinis conſilijs intereſſet, eminentiorique loco ſederet, ratus non ſibi fore vtile, ſi Patri cui ſuberat præemineret ſeſſionis ordine, rem fecit memorabilem, & imitandam poſteris. Surgens námque à latere Principis, & ſuppedaneum ſuum ipſe ferens, Abbatem ſuum petiuit, & poſito ad pedes eius ſuppedaneo, in eo ipſe reſedit, dans omnibus Monachis cunctis poſtmodum futuris ſeculorum ſeculis

formam veræ humilitatis, & quòd verè exaltatur qui ſponte pro Deo humiliatur. Hoc ergò eius factum omnibus fuit miraculo, & laudi datum eſt, quòd non pro laude hominum, ſed pro diuino famulitio & paterna reuerentia celebratum eſt. Nam regalis magnificentia humilitatem nobilitatis illius amplexata, Chriſtúmque in famulo ſuo deuotè venerata, cùm eum ad ſe inuitaſſet, & ille à pedibus patris auelli nollet, Rex altiori ingenio viri prudentiam admiratus, Abbatem ad ſe euocatum è latere ſuo ſedere fecit, atque poſt eum domni Frederici ſedem ſiſti præcepit. Sic familiaritatem Regis & Principum adeptus domnus Abbas Richardus, in breui, ſapientiâ, conſilio, aſtu, prudentia, & honeſta conuerſatione cunctis manifeſtatus eſt, vt in negotijs eurialibus diſponendis nullus illo vtilior, nullus prudentior, nullus validior aut acceptior iudicaretur. Probat hoc Principalis erga eum liberalitas, qua pro amore eius Virdunenſe, cui præerat, dilexit Cœnobium, vt dona ei ingentia in auro & argento, in pallijs & ſacratis conferret veſtibus, & totum ſe adeò in amore eius transfunderet, vt miraretur qui videret.

VII. Obtentis igitur, pro quibus abierat, Abba religioſus, ad Monaſterium ſuum reuerſus eſt, cœpítque velle fieri tantò propinquior Deo, quantò per gratiam eius Regi & Principibus, Pontificibus & quibúſque præpotentibus erat acceptior. Cœpit enim totum ſe ſollicitiùs diuinis mancipare cultibus, dominicis die noctúque vigilare laudibus, commiſſos ſibi religioſis aſſueſcere moribus: itaut per totam Neuſtriam & Auſtraſiam, Franciam atque Burgundiam diffunderetur ſonus ſanctitatis eius, fieréque omnibus in proparulo ſanctimonia eius. Fuerat ad eum grandis vndecumque concurſus, alij eius ſe ſubdebant magiſterio, poſtpoſito mundi fallentis lenocinio. Alij filios ſuos ei offerebant erudiendos, vt videretur jam Monaſterium eius Monaſterijs Nitriæ vel Ægypti conferendum, pro numeroſitate fidelium illò confluentium, qui velut apes ad aluearia vndique aduolabant, diuerſis virtutum ſpeciebus onuſti mentes, vt illæ mellis & ceræ indiſcretas cruribus & pedibus ſubuehunt qualitates. O quales & quanti viri eius claruerunt magiſterio! quàm precioſa & deuota Deo commiſſa ei congregatio, doctrinis eius irradiata, & exercitio arctioris propoſiti ad vnguem informata. Probant hoc Galliæ & Germaniæ Pontifices, Duces, & Comites, amore Chriſti feruentes, qui ex Monaſterio & diſcipulatu eius Monaſterijs quos habebant aut patres præficiebant, ſub tuitione tamen eius & diſciplina, aut ſi patres indè habere nequibant, quos de ſuis Patres facere deligebant, Virduni primò probandos, inſtituendos, & morigerandos dirigebant. Ex quibus nos, licet juniores & moderni, plures Religioſos & in omni theoria probatiſſimos vidimus viros, Angelica facie & habitu reuerendos. Vt ex inſtitutione diſcipulorum pateſceret, quantæ religionis, grauitatis, & perfectionis eorum Magiſter fuiſſet, cuius eruditionis decus in diſcipulorum clarebat moribus. Creſcente ſanè numero diſcipulorum, creſcebat cenſus honorum. Clarebat vbique nomen Richardi, ſanctitas eius vbique prædicabatur, & nomen Dei per eum clarificabatur. Videns autem Eccleſiæ ſuæ vetuſtiſſima, & penè jam diruta ſartatecta, delegit eis dejectis ampliora jacere fundamenta, & in meliorem ſtatum & nobiliorem nouam compilare Baſilicam, quod & breui actum eſt. Turres enim Eccleſiæ ipſius domnus Fredericus ex ſuo fecit, & Cellarium, & Refectorium fratrum. Dormitorium verò cùm dejectum reſtrueretur, & neceſſaria domus pararetur, nec poſſet noua parari, niſi vetus mundaretur, accerſitis quorum eſſet operis & ſtudij id explere, cùm aliqui illorum vt aſſolent, erubeſcerent, & manus apponere in ſubuehendo quod mundabatur ſubterfugerent, vir humilitatis & gratiæ Fredericus verè Monachus, terræ foſſor acceſſit, & quod effoſſum eſt onere facto exportauit. Quis jam ſimilia facere erubeſceret, cùm videret Fredericum Comitis filium, fratrem duorum Ducum, Imperatoris conſanguineum, & feciſſe, & non erubuiſſe? Fecit & hinc ſimile opus in turrium extructione. Cùm enim jam in altum ſtructura porrigeretur, & inſtrumentum illud, quod Auis nominatur, ſubuectione cæmenti aptatum perpauci eſſent qui ferrent, his qui huic officio erant deputati, aliàs, vt credimus, occupatis, videns vir beatæ memoriæ quendam de nobilioribus aſtantem, vt ſumeret ligneum illud inſtrumentum, & cæmentum collo vt moris eſt ſubueheret ammonuit. Qui cùm erubeſceret, & ſuis id natalibus incongruum adſtrueret, vir mitiſſimus ceruice ſubpoſita quod rogabat primus impleuit. Ac deinde

porrecto

porrecto iuueni inſtrumento eodem, ſuo docuit exemplo vt diſceret facere quod fecerat Comes Comitis filius: nec erubeſceret, ſi ei improbaretur factum, quod conſtaret ab ipſo quondam Comite primitus attemptatum. Sedebat autem quadam die idem vir memorabilis in coquina fratrum, & operis quippiam exercebat, ſcutellas abluens, & vaſa alia mundans; cùm ecce ad oſtium coquinæ Godefridus Dux frater eius adueniens aditum precabatur. Cui cùm aperuiſſet vnus miniſtrorum qui fortè aderat, videns Dux fratrem ſuum operi cœpto inſiſtentem capite inclinato, & alludens ad nomen Comitis, *Non deceret*, ait, *Comitem talia facere, non enim ſibi conueniunt nomina & actus, nobilitas generis & exhibitio operis.* Cumque egrederetur, ille egredientem ſubſequutus, nacta oportunitate loquendi, ſic ait fratri. *Optimè*, ait, *proſequutus es, ô Dux, quia tanta eſt dignitas huius officij, & tantus eſt cui impenditur, beatus ſcilicet Petrus Apoſtolus, & ſanctus Confeſſor Vitonus, quod nec meæ congruit paruitati vt præſumam ad hoc eis exhibendum quaſi pro nobilitate generis mei: nec tanta eſt humilitas mea, vt merear ab eis in illorum, qui hoc officio digni habentur, conſortio deputari.* Tanta erat tunc abiectio & ſuimet deſpectio in anima illius fidelis, vt eius humilitas prædicaretur, & miraculo eſſet cunctis qui nouerant nobilitatem generis eius. Nam cùm ſederet quadam vice priuatus & neceſſe eſſet ei calceos extrahere, quidam de fratribus, quem ipſe ſemel vidi, & à quo puerulus iſta audiui, Iohannes nomine, procumbens eùm vellet ei pro caritate ſeruire, obſtupeſcens, & quadam religioſa obſtinatione obſequium eius recipere nolens, prohibuit eum dicens: *Quid mihi prodeſt, frater honores ſeculi reliquiſſe, ſi à fratribus obſequium, quod habuiſſem in ſeculo, cùm non ſit neceſſe, accipio? Qui ad hoc veni vt ſeruiam, ſeruitium quod non expedit quomodo accipiam?* Ita dicens, fratris repreſſit animum, dans omnibus maximum patientiæ, & humilitatis, & vilitatis appetendæ documentum. Hæc in tranſcurſu, pro innoteſcenda omnibus beatæ mentis abjectione, dictum ſit, nunc ad ordinem rei flectamus articulum.

Fr. [illegible] humilitas.

VIII.

Ædificata igitur noua Eccleſia maiori ambitu & elegantiori opere, neceſſarium fuit vt corpora quorundam Sanctorum Pontificum tranſmutari debuiſſent. Tunc corpus ſancti Madeluei incorruptum repertum eſt, & in cripta ſanctæ Mariæ ſub altari in vaſe marmoreo decenter repoſitum. Tunc etiam facta eſt tranſlatio duorum Epiſcoporum, Hildini & Hattonis Nonas Maij, & ad dexteram crucis Monaſterij, ad dexteram ſcilicet altaris ſancti Iohannis Baptiſtæ poſitæ ſunt eorum reliquiæ. Corpus autem domni Berengarij Epiſcopi & Monachi in ingreſſu clauſtri, tamen intra Monaſterium, repertum incorruptum inuentum eſt, excepto pede qui in vita eius aruit, & caſula cum ſandalijs ab eius corpore abſtracta eſt, & in theſauris Eccleſiæ cum reliquijs repoſita. Corpus verò eius ſanctiſſimum ſuperiùs verſus cancellos chori tranſmutatum eſt, caſula noua & ſandalijs honeſtè procuratum, & è regione ſepulchri altare ſancti Firmini, quod ipſius tempore ab eo inuentum eſt, poſitum. At verò corpus domni Dadonis Epiſcopi è regione duorum ſupradictorum Pontificum, ad læuam ſcilicet crucis Monaſterij, ad ſiniſtram partem altaris ſancti Martini honorificè reconditum eſt. Reliquorum verò Epiſcoporum corpora infra chorum continentur, & deſuper tabulatum de lapidibus ſectis & quadratis factum eſt. Attamen quinque Epiſcoporum corpora ſubtus pulpitum, quo Euangelium recitatur, contineri à multis audiuimus, quorum tamen nomina non tenemus. Pulpitum autem ære crebris tuoſionibus in laminas tabulaſque producto, & deaurato, factum eſſe conſtat ſatis accuratè & eleganter, & per XII. tabulas, XII. Prophetarum imagines, XII. Apoſtolorum formas ſubuehentium, ſculptorio & polymito opere exaratæ ſunt. Et hæc quidem ad Occidentalem partem, ad dorſum ſcilicet ſtantium & canentium, poſitæ ſunt. At verò ad Septemtrionem IV. fluuiorum ſpecies de paradiſo emanantium, in IV. partibus eminent. In gyrum autem, quo Euangelij recitator ſtans obumbratur, Abrahæ offerentis filium, Abel agnum, Iſaac benedicentis, & Iacob ſupplantantis, & Tobiæ ſepelientis, & Dauid manufortis imagines agnoſcuntur ſimili opere compilatæ. In facie autem dominus IESVS in throno majeſtatis reſidens, & Virgo mater, & Baptiſta Iohannes cum IV. Euangeliſtis apparet. Porrò, dextrâ læuaque Domini, Angeli & Archangeli cum Cherubin & Seraphin Redemptori obſequium exhibent. Inſtrumentum verò illud quod paratum eſt receptui textus Euangelij Iohannes Euangeliſta in ſimilitudine aquilæ,

S. Madaluei corpus.

volantis adornat. In ora laurem & ſummitate operis verſibus hexametris auro digeſtis Patris Richardi deuotio ſumma notatur. Propiciatiorum ſanè Sanctorum exornant corpora, quorum meritis floret Eccleſia. Et in medio quidem alto ſatis & prominenti cyborio ſanctus quieſcit Vitonus redimitus frontem auro puriſſimo & gemmis precioſiſſimis, quibus concluditur majeſtas Dei incircumſcripta & incomprehenſibilis, habens ad dexteram beati Petri, & ad læuam eiuſdem beati Vitoni auro prominentes imagines opere factas cælatorio, quas ambiunt columnæ ex electro puriſſimo cum baſibus argenteis arte fuſili & anaglypho productæ. Ipſum quoque ciborium Dominicæ Reſurrectionis, Apparitionis & admirabilis Aſcenſionis opere cælatorio protenſis adornatur inſignijs, habens ante ſe altare ſacratum in honore ſancti Vitoni & omnium Confeſſorum. Ad læuam autem altare ſacratum in honore Sancti Pulcronij & omnium Martyrum: habens & ipſum ſuum ciborium, quo continetur corpus eiuſdem beati Pulcronij auro & argento decoratum. Porrò ad dexteram altare in honore ſancti Poſſeſſoris habetur, & omnium Virginum, cum ciborio, quo corpus eius continetur, ſimili opere adornatum. Altare verò maius in honore Sancti Petri Apoſtolorum Principis ſacratum eſt ob priuilegium Eccleſiæ ipſius, quæ priſcis temporibus in honore ipſius Apoſtoli & facta & conſecrata eſt. Ante hoc tabula habetur aurea, auro mundo & puriſſimo, & gemmis precioſiſſimis denſiſſimè conſerta, opere mirifico & arte cælatoria facta, præferens imaginem Domini ſignum crucis tenentis, & ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulantis, & dextra læuaque imagines Apoſtolorum Petri & Pauli eiuſdem operis & metalli. Ad quorum veſtigia procumbentes cerneres imagines domni Patris Richardi, & Mathildis dignè memorabilis, ſupplices manus tendentes, & quaſi vt grata hæc eorum habeatur oblatio, alterius cenſu, alterius ſtudio facta, ſupplicantes: factum eſt & altare geſtatorium ex auro puriſſimo interiùs mire fabrefactum opere conſimili, ſtudio & largitione domni Herimanni Comitis, in modum tabularum conſertum & compactum, quod cùm aperitur, & altare eſt, & tabulæ aperiuntur, quibus ſi moram adhibeas, quod eſt inſtrumentum Moyſi & Aaron imaginibus glorioſum, figuram Dominicæ Crucis exprimit. Habet hoc à IV. cardinibus, IV. Euangeliſtarum, hominis, leonis, tauri, & aquilæ ſpecies ex argento opere fuſili, præfatum altare portantium, & ſe inuicem verſis vultibus reſpicientium. Super ipſum verò altare brachium ſancti Pantaleonis ponitur pallio ſerico inuolutum, & ligno incluſum, argento & auro decoratum, quod attulit cum corpore eiuſdem à Nicomedia Colonienſis Epiſcopus, obtentum dono Conſtantinopolitani Imperatoris, quando pro eius filia Ottoni II. in matrimonio jungenda juſſu eiuſdem Ottonis ad eundem Imperatorem legatus miſſus eſt, cum Epiſcopis II. Ducibus & Comitibus. Et cùm obtentis, pro quibus ierat, licentiam redeundi accepiſſet, & Imperator ei ſocijſque eius munera plura obtuliſſet, & accipere renuiſſent, corpus Sancti Pantaleonis ab eo Archiepiſcopus petijt, & obtinuit, & reuerſus Coloniam detulit. Fuerat autem cum eo in expeditione ipſa quidam eius conſanguineus dominus caſtri de Commarceio, & multa prece obtinuit ab eo brachium corporis ſancti Pantaleonis, quod & in Eccleſia præfati caſtri repoſuit. Euolutis poſtmodum aliquot annis, obſeſſum eſt caſtrum ipſum, & euerſum, atque ſuccenſum. Cumque flamma tectis Eccleſiæ illaberetur, & victricibus globis interiora Eccleſiæ lamberet, dolens Sacerdos de combuſtione ſanctarum reliquiarum, cuidam armatorum vt Eccleſiam ingrederetur, & deſuper altari reliquias tolleret ſignificauit. Qui mox ingreſſus, reliquias tulit & repoſuit, & cùm ibi adeſſet Abbas, & brachium ſancti præſente Preſbytero marcâ argenti ei vendidit, quod domnus ipſe cùm ſciret pro certo Martyris eſſe reliquias, Virduni gaudens attulit, & paratum argento & auro diebus feſtis ſuper altare ponitur: fecit & alia plura ornamenta, libros Euangeliorum auro & argento paratos, cruces ex auro puriſſimo, III. ventilabra argentea, II. Librum Epiſtolarum, I. argento paratum Miſſale I. Collectarium I. ſimiliter argento paratos. Dedit & Henricus Imperator calicem I. aureum præmaximum cum gemmis precioſiſſimis, & patena eiuſdem metalli, & ſcutellam I. de berillo & pixidem I. de onichino, in qua ſeruaretur corpus Dominicum dependens ſuper altare: præterea innumera dona auri & argenti &

S. Vitonus. Herimannus Comes. Commarceiom. Henrici Imp. dona.

prædiorum, ſacrariúmque veſtium, & phylacteria aurea & argentea & cryſtallina
cum Sanctorum reliquijs, capſam auream inſignitam reliquijs XII. Apoſtolo-
rum, & cornua II. eburnea identidem reliquijs conferta. Fecit etiam memora-
bilis pater Richardus coronas II. ex argento & auro, & tertiam paruulam, vbi
dependerent ſignorum reſtes. Aduerada quoque Comitiſſa dedit Sancto Petro Aduerada.
caſulam viridem cum aurifrizio, & multi multa dederunt, quæ enumerare lon-
giſſimum eſt. Vnde & in breui factus eſt locus ille inſignis. Eius namque exem-
plo prouocata progenies domni Frederici ſeculo renunciauit, & adhærens diſ-
cipulatui præſati patris prædia ſua & patrimonia Eccleſiæ dedit. Godefridus Godefridus
Comes pater Borracum dedit, inde relato filio ſuo ab Italia Adalberone Epiſco-
po, cùm eum parentes eius in Eccleſia ſancti Vitoni ſepeliri mandaſſent, &
contra eorum voluntatem in Eccleſia ſanctæ Mariæ ſepultus fuiſſet, pro requie
animæ illius dederunt ſancto Vitono Forbacum. At verò Herimannus, qui &
Hezelo, filium ſuum Gregorium in annis puerilibus Deo obtulit, & omnem
deuotionem ſuam ad eundem locum vertit. Dedit enim S. Petro & S. Vitono Hezelo.
Haſlud cum Eccleſia, in Feſſeca vnam Eccleſiam in Rotgericorte XII. manſos
in Ermeſredegehem vnam Eccleſiam. De his factum eſt poſt mortem eius con-
cambium, & dedit pro his Comes Balduinus Flandrenſis Bonuillare cum dimidia Balduinus
Eccleſia, Heuenges ſimiliter cum dimidia, in Vitereio vineas, cum quadam par-
te Eccleſiæ, in Haruia XXX. manſos cum familia magna. Sine iſto tamen con-
cambio tradidit adhuc præfatæ Eccleſiæ Monnau & Eccleſiam cum ſilua ſpacio-
ſa, ſontagiam quoque cum familia & vinea optima. Dedit etiam pro anima filij
Godefridi ex concubina nati, in clauſtro tumulati, non tamen iuxta fratres &
patrem, duas Eccleſias: quarum vna dicitur Ham, alia Gengeauia.

Fecit & veſtes ſacratas in Eccleſia precioſiſſimas. Et cùm Eccleſiam ipſam
præ cunctis mortalibus ſuis ditaſſet bonis & poſſeſſionibus, ad vltimum ſemet-
ipſum Deo obtulit, & Monachus factus eſt vt in æternum cum Chriſto regna-
ret. Mathildis autem vxor eius dignè memorabilis, bonis pollens virtutibus, &
miſericordiæ ſtudens operibus, in clauſtro ipſius Monaſterij defuncta venera- Mathildis
biliter quieſcit humata. Cuius ad caput filia eorum Odilia Virgo ſacratiſſima
locum habet ſepulchri. De hac ſermo extitit, & nos à ſenioribus audiuimus,
quòd egreſſa à finibus Bauariæ venerit Virdunum IV. feria ante ſanctum diem
Paſchæ, volens cum patre & matre & fratribus diem Paſchæ celebrare. Quam
cùm vir Domini Richardus intuitus fuiſſet, inter blanda conſolationis alloquia,
an aliquid infirmitatis pateretur interrogauit. Qua reſpondente, ſanam ſe eſſe,
& nullius ægritudinis moleſtiam ſe ſentire; ille prophetiæ ſpiritu plenus, præ-
uidens imminere tempus vocationis eius, *Vale*, ait, *filia verè ſalutis æternæ filia.
Nam cras hac in hora aſſumeris in gloria, & recipies à Deo pro benè geſtis præmia ſem-
piterna. Elegit enim te Deus ſociam eſſe ſanctarum Virginum, quia iocundum ei in corde
tuo virginitatis præparaſti habitaculum.* Obſtupuit ad hanc vocem pij Patris ancil-
la Dei, & quia virum Dei credidit non poſſe mentiri, verbis eius credula cœ-
pit de fine ſuo tractare, exceſſus ſuos pertractare, & ſuffragium conſolationis &
orationis ab eo expetere. At ille caput ſanctum ſuper pectus ſuum reclinans,
& quaſi jam per incorruptionem corporis & ſpiritus alterata eſſet, eam demul-
cens confortabat ſpiritum eius in Domino, proponens beatam eam fore, quam
certum erat ad nuptias agni feſtinare. Poſt hæc eam reficere iuſſit, omnibus
mirantibus quomodo eam ſanam & vegetam in craſtino morituram prædi-
xerit. In craſtinum autem liquore ſancti olei ab eo inuncta, cùm nullam graue-
dinem pateretur, mandato pauperum cum eo interfuit, & in eodem quo la-
uerat pedes pauperum loco virum beatum intuita, *Hæc*, ait, *requies mea in ſe-
culum ſeculi, hic expectabo diem Domini.* Ad Miſſarum itaque ſolemnia iuit, & cùm
communicaſſet viuificis myſterijs, dolore aliquantulum pulſata ad Cellam redijt, &
adueniente viro Dei cum fratribus, exitum ſuum orationibus muniri petijt, & ſic in-
ter manus eius in cinere & cilicio ſe reclinans, inter verba orationis læta ſpiritum
efflauit. Et recedente beata anima, tanta illic emanauit fragrantia odoris, vt nul-
li dubium foret veniſſe illic auctorem ſuauitatis. Curatum ſanè eſt corpus eius
pia Religioſorum inſtantiâ, & vſque in diem tertium in Eccleſia pia ſeruatum
ſollicitudine & induſtria; & ſic Sabbato ſancto terræ mandatum cum gloria.

Liethardus. In hoc Monaſterio domnus Liethardus Comes de Marceio ad conuerſionem veniens Baclodium contulit, & multis annis in ſancto viuens propoſito, tandem Cathalaunis, quò eum obedientia miſerat, defunctus & ſepultus eſt, & demum Virduni relatus in clauſtro tumulatus eſt. Godefridus Dux Gozelunis frater ibidem ſepultus, xx. manſos in Beurunes dedit, & ſua ſupellectile locum admodum ampliauit. Dodo etiam de Comitis-caſtro iuxta Theodericum Comitem ibidem in ingreſſu Monaſterij quieſcit. Ludouicus quoque Comes & Monachus. Hildradus Comes Richardum filium ſuum poſt Epiſcopum beato Patri baptizandum offerens, Baronis curtem ſancto Vitono dedit, & defunctus in Galilea tumulari meruit. Non eſt autem facile referre quot de diuerſis partibus, Franciæ, Neuſtriæ, & Auſtraſiæ, ſpretis mundanæ vanitatis illecebris, ſub diſciplina & Magiſterio patris Richardi Monaſticæ ſe ſubdebant Religioni. Ita namque in eius amore ſe transfuderant Reges, Pontifices, & Potentes, vt ſummo eum venerarentur affectu, & patrem eum dicerent patriæ ob paternum eius erga omnes affectum, quo cunctos fouebat & reuelabat. Erat enim pius in vultu, reuerendus inceſſu, ſeuerus circa reprobos, dulcis erga beneuolos, formâ honeſtus, actione compoſitus, præferens ſemper honeſtum vtili, qui nullo terrore, nulla adulatione, à vero flecteretur, in obſeruatione Regulæ feruentiſſimus, in corrigendis vicijs prudentiſſimus, in caſtitate eleuecntiſſimus, in exhibitione bonorum operum perfectiſſimus.

X. Baldricus igitur Leodienſis Epiſcopus cùm beatum virum vnicè diligeret, Cœnobium Lobienſe diuitijs opulentiſſimum ei tradidit regendum, vt induſtriâ eius Religionis in eo reformaret propoſitum, quod videbatur à priſtino rigore immutatum. *Baldricus Ep.* Cuius exemplo delectabili prouocatus, cùm videret religioſam eius conuerſationem in bonis & ſanctis moribus, & incrementum Religionis & Monaſticæ perfectionis in Cœnobio eodem excreſcere gaudens miraretur, cœpit jam maiora meditari, & in ſuburbio Leodienſi in honore Laurentij Martyris Monaſterium ædificari conſtituit. Euocato ergo ad ſe eodem Abbate, deſiderium ſuum ei aperuit, & vt deſiderij ſui cooperator accederet monuit, & obteſtatus eſt adiciens multum perfectioni eius poſſe proficere, ſi eius ſtudio & induſtriâ domus Dei extrueretur, in quo laus & gloria Dei deuotè die noctuque celebraretur. Adquieuit vir Domini, & congregatis artificibus, delegatiſque neceſſarijs ſumptibus, Chriſto Domino adjuuante, & beato Laurentio cooperante, opus inchoatum agiliter perficitur & dedicatur, & fratres, qui Deo cotidianis deſeruirent officijs, ex Monaſterio ſancti Vitoni adducuntur, quibus loco Præpoſiti præficitur domnus Stephanus, qui in præfato Cœnobio Cellerarij officio fungebatur. *Rogerius Ep.* Tactus ſimili bonæ deuotionis deſiderio domnus Rogerius Catalaunicæ ciuitatis Epiſcopus, induſtriâ & labore eiuſdem Patris Richardi in ſuburbio Catalaunenſi in honore S. Petri Monaſterium à fundamentis conſtruxit, & à Monaſterio ſæpefacto fratres cum libris & ornamentis neceſſarijs, qui inibi deſeruirent, deduxit, & in vita ſua ipſe per ſe vtraque rexit Monaſteria. De quo hoc fertur mirabile, quia cùm turres Eccleſiæ S. Laurentij in altum jam porrectæ, & vſque ad cacumen eleuatæ, poſtmodum reclines viderentur, & in ruina earum certa eſſet dejectio Eccleſiæ, vir Dei adueniens dolorem fratrum, quem ex tædio deiiciendæ & iterum reparandæ turris habebant, blandè conſolatus eſt; & nocturno tempore Eccleſiam ingreſſus, cùm diutiùs in oratione pernoctaſſet, januis patefactis egreſſus eſt, & iterum orationi incumbens cùm ſurrexiſſet, ſignum crucis edidit, & confeſtim turres, quæ reclines videbantur, dato maximo ſtrepitu in ſe ſe reſilientes ſubſederunt: & vt cernentibus pateret, ita in ſe reſiluerunt, vt cunctis palam daretur intelligi, Angelico id factum eſſe miniſterio. Tantus autem reſilientis in ſe ſtructuræ crepitus factus eſt, vt fratres Monaſterij tantorum Sacramentorum ignari à lectis cum maximo timore exurgerent, putantes in ruina turrium quam verebantur dejectam eſſe partem Eccleſiæ. Quos vir Domini ad conſuetudinarium Matutinorum officium inuitans, ipſe cum eis interfuit, & mane facto beneficia Domini oculis videnda monſtrauit, atque ad amorem eos tanti beneficij largitoris mirificè animauit. Huius miraculi teſtis eſt tota Leodienſium ciuitas, & patres qui viderunt, narrauerunt ea filijs, & filij filiorum filijs, vt cognoſceret generatio altera. *Robertus Rex.* Temporibus illis principabatur Francis Robertus, qui

Conſtantiam duxit vxorem. Hic tunc beato Patri noſtro Abbatiam ſancti Petri
Corbeiacenſis regendam contradidit, vt eius inſtructione & vigore ſeruaretur in
eâ Regula patris Benedicti, & vigor reformaretur Monaſticæ inſtitutionis. Bal-
duinus verò Flandrenſis Abbatias ei quamplures tradidit, Abbatiam ſcil. ſancti
Petri Gandenſis, Abbatiam S. Amandi, Abbatiam S. Bertini, Abbatiam ſancti
Richarij, & Abbatiam S. Iudoci. Rexit & alia quamplurima Cœnobia Bretu-
lienſe, Humularienſe, S. Quintini de Monte, S. Vvandregiſili, S. Huberti, S.
Remacli, Malmundarienſe, Vvaltiodorenſe, Belliloci, S. Vrbani, S. Vincentij
Mettenſis Inſulæ, & alia perplura quæ non occurrunt memoriæ, quas omnes in
meliorem reparauit ſtatum, & melioratis Abbates de ſuis quos elegit inſtituit.
Cœnobium verò Belliloci, S. Petri Catalaunenſis, S. Vrbani ipſe in vita ſua re-
xit. Præerat tunc Cameracenſi Eccleſiæ & Atrebatenſi Gerardus venerabilis *Gerardus Ep.*
Epiſcopus. Hic Eccleſiam S. Vedaſti in ſuburbio Atrebatenſi ſitam de maximis
diuitijs ad maximam redactam penuriam anno ab Incarnatione Domini MVIII.
huic Patri noſtro, quem vnicè diligebat, aſſignauit, in qua vir Domini tanta egit
& paſſus eſt, vt ſi ſingula ſcriberentur, & lectori vt vereor tædium & audientibus
generarent faſtidium: ſed de multis pauca dicenda ſunt, & fortaſſè vtiliùs prode-
runt. Dicamus itaque quid rerum interceſſerit, vt ad inopiam redigeretur locus
tantarum diuitiarum. Non autem viſa, ſed à ſenioribus audita referemus:

Quidam ſeruientium ſancti Vedaſti in tantam eruperat proteruiam, in tantam XI.
excreuerat inſolentiam, quia aliquanto neceſſarius erat Eccleſiæ, vt infra atrium
Monaſterij domum ſibi conſtitueret magnæ altitudinis & fortitudinis quaſi pro
tuitione loci. Sed nacta oportunitate contumaciæ exercendæ, ſæcularitatis in
Monaſterio ſuperabundantis deſidia prouocatus, propugnacula erexit infirmiora
munium, & non jam pro loco, ſed contra locum & Deum rebellare niſus eſt,
bona Eccleſiæ diripiendo, vernaculos & ancillulas ſibimet aggregando, canum
turbam, hiſtrionum & ſcurrarum ineptam congeriem deducendo, nec eos ab in-
greſſu clauſtri arcendo: cùm potiùs ipſe in eo obſequentium ſtipatus cuneis aſſi-
duè ſederet, & habitacula ſeruorum Dei actibus illicitis prophanaret. Vbi verò
vir Dei Cœnobium ipſum regendum ſuſcepit, & à fratribus, quibus erat mens
ſanior, ſuſceptus eſt, non eſt paſſus tantam Domus Dei videre deſolationem; quin-
immò ad eius omnimodis ſe ſuperextendit ereptionem. Cogitauit tamen ſi poſ-
ſet liberti illius emollire mentis duritiam, & verborum dulcedine lenire proter-
uiam, vt ceſſaret ab oppreſſione & conculcatione Eccleſiæ, cui pro debito & jure
naturæ debebat potiùs ſubeſſe quàm præeſſe, ſed ſeruum malum non frangunt
verba, ſed verbera, ſicut dicit Sapientia, quoniam *qui mentis eſt duræ ſuſcipiet vul-
nera*. Et licet verba ſapientis ſint tanquam claui in altum defixi, tamen non au-
dijt ſtultus verba prudentiæ, quia non dicebat ea quæ verſabantur in corde eius.
Impletum enim erat illud veridicum Salomonis Prouerbium, *Qui nutrit ſeruum
delicatè, ſentiet illum contumacem*. Quid faceret, quò ſe verteret anxia mens viri
Dei? Cilicio itaque obuoluitur, cinere aſpergitur, & in excubias commiſſi gregis
peruigiles noctes ducens, Deum precabatur attentiùs, vt ab oppreſſione inimici
& membrorum eius tueretur Eccleſiam ſuam, miſereretur paruulis, & protege-
ret à ſcandalo ſeipſum quoque, quem eis præpoſuerat, talem faceret, vt ſubditis
eum & matrem pietas, & patrem exhiberet diſciplina: vt eſſet in eo & juſtè con-
ſulens miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Nacta igitur temporis oportunitate
populum conueniens, cùm pauca pro re & tempore contra ſuperbiam diſſeruiſ-
ſet, & de ſectando Religionis propoſito nihilominùs quædam peroraſſet, vbi vi-
dit deflexos ad ſe animos populi, munitionem quam patiebatur infeſtam adiuit,
& eâ funditus destructâ, illum, qui contra juſtitiam tumidus ſoperbiebat, cap-
tum, in eleemoſyna S. Vedaſti ſedere, & de eleemoſyna viuere inſtituit, ſicque
locum ab eius & obſequentium ei importunitate eripuit. Cœpit ergò tantò fer-
uentior ſtudijs religioſis inſiſtere, & deductis à Virduno fratribus in ſpiritualis
exercitij tyrocinio probatis curam loci commiſit, inter quos erat Rothardus à
Leodio ſapientiâ & religione nominatiſſimus, quanto nouerat & ſibi qui præerat,
& eis qui ſuberant expedire. Verùm, quia vita eius caſta & ſancta moribus inha-
bitantium auerſabatur, durúmque eis videbatur, quòd in mente veteri cogeban-
tur noua meditari, ex rebellione audaciâ ſumptâ, conati ſunt quidam eorum de eius
morte tractare.

XII. Imminente itaque quadrageſimali tempore, quia hæc erat Monaſterij regula, vt in illis diebus artiori ſe quiſque mactaret continentia, cùm ad hoc propenſiori cura & feruentiori compellerentur, tectus in corde liuor cœpit altiùs ſerpere, & ad perficiendum quod anhelauerant indies mentem excruciatam permouere. Quid multis immoramur? Venit ſacratiſſimus dies Cœnæ Dominicæ, & quæ erat pacis & concordiæ, reconciliationis & miſericordiæ, hæc factioſis conuenit dies proditiouis & malitiæ perpetrandæ. Deliberatum eſt enim apud illos, vt eo die perexpleto, cùm poſt miniſterij ſalutaris expletionem vir beatus feſſa corporis membra quieti laxaret, cùm omnes dormirent, ab eis gladijs perimeretur. O præſumptio temeraria! ô impudens audaciâ! Quis furor, poſt immolatam illam Agni Paſchalis victimam, ea die vel nocte, quemquam quamuis nocentiſſimum morti adjudicari? Nec latuit virum beatum feralis illa malorum deliberatio. Audijt namque quòd ea nocte ab impijs perimendus eſſet, nec timuit. Timor enim Domini caſtus, qui permanet in ſeculum ſeculi, à mente eius timorem mortis excluſit, quia nouerat quòd nemini ſuper eum poteſtas daretur, niſi quantum à Domino permitteretur. Totum ergo ſe committens Domino, iuit cubitum, caput habens tetectum, paratus ſi Deus vellet, ad excipiendum jugulum. Cùm ecce ante matutinum tempus, omnibus poſt laborem quieſcentibus, duo illi, quorum erat operis & voluntatis patrem jugulare, ſurgentes clanculo dormitorium egrediuntur; & accincti gladijs, cùm de perpetrando ſcelere ſe mutuò denotantes conteſtarentur, ad hoc vltimum deuenerunt, vt vnus illorum pedetentim ſingula dormitorij lecta circuiret, ne aliquis ſupereſſet qui vigilaret, à quo deprehendi verebantur. Quod vbi factum eſt, & ille eſt reuerſus ad ſocium, captata oportunitate malitiæ perpetrandæ, ſimul patris Richardi cubile adeunt vidéntque virum capite tetecto ſoporatum. Cúmque vnus audacior in ſcelere armatam in illum vibraſſet dexteram, brachio obrigeſcente diuinam erga ſe ſenſit clementiam, ne perderet patrem, qui multos ad æternam tranſmiſſurus erat hereditatem. Stabat exerta dextra, impos ad feriendum, nec impos ad gladium reponendum. O admirabile Dei præconium! mira patientia, pietas prædicanda! Poterat IESVS noſter ſuos illos paleſtritas à peccati voluntate auertere, poterat, mox vt cogitata ad effectum perducere temptauerunt, morte multare. Sed ſuſtinuit in multa patientia filios iræ vt faceret filios miſericordiæ. Inuaſit ergo miſerum illum timor cum febre, & receſſit à lecto Patris, quem protegebat gratia Omnipotentis. Nec multò poſt ſigno dato ventum eſt ad Eccleſiam, & ille quem remordebat conſcientia inter alios nocturnali Synaxi interfuit, quanquam tremens, quanquam infirmus, quanquam mordacis conſcientiæ ſtimulis aggrauatus. Vbi verò ventum eſt ad Tenebras, miſer ille, dum *Kyrie eleiſon* cum verſibus cantaretur, corde compunctus genibus Patris aduolutus eſt, clamans & ipſe Patri, *Domine miſerere*, ſcilicet vt ſui miſereretur, ſicut Deum ſibi miſereri precabatur. Obſtupuit vir ſanctus ad tactum fratris veſtigijs eius procumbentis, & quid eſſet prorſus ignorabat. Suſcepto tamen eo, & in partem declinato, orationem compleuit, & dato lumine cæteris ad ſtrata regredientibus, aliquos de fratribus ſecum retinuit: ſecedénſque in locum congruum, data oportunitate loquendi, trementem fratrem & plorantem, totóque corpore terræ proſtrato capite terram ferientem, quid pateretur requiſiuit. Ille gemitu interrumpente, *peccaui*, inquit, *in cælum Pater, & coram te, qui nolebam dici & eſſe filius tuus, factus ſum perſequutor tuus.* Et proferens gladium de ſub cuculla, *Ecce*, inquit, *quem extendi nocte hac ad feriendum te, ſed IESVS tuus protexit te. Volui quidem perdere te, ſed protector tuus Dominus defendit te. Exerui gladium in te, ſed cuius eſt virtus & imperium, gladium continuit, & te à morte, me ab interitu animæ & ab homicidio ſaluauit. Parce ergo mihi, quia conuerti paratus ſum, & tuis monitis adquieſcere, regularibúſque ſubdi inſtitutis, tantùm dona mihi quod deliqui in te, & ora Deum pro me.* Non erat hoc graue beato viro donare peccantibus in ſe qui ad proprias iniurias erat patientiſſimus. Toto ergo corpore proſtrato, gratias egit protectori ſuo Deo, inde fratri benignè indulſit quicquid in ſe deliquerat, plurimum eum conſolatus, inculcans vt confiteretur Domino peccata ſua; dicens peccatum aliquando eſſe peccatum, & pœnam peccati, quæ omnia vitare quiret, qui confeſſioni operam daret. Pauca ergo pro tempore loquutus, fratrem conſolatum dimiſit, dans in mandatis vt mane facto ad ſe rediret, & quæ ſibi impera-

rentur faceret, & ita diſceſſum eſt. Pater Richardus Oratorium petijt, & quod ſuperfuit noctis in laudibus Creatoris exegit. Die facto, Primâ dicta, conſuetudinario officio expleto, vbi tempus oportunum datum eſt, Patrem filius requiſiuit; & data confeſſione, pœnitentiáque accepta, alacer & ſoſpes ab eo receſſit, dicens, multum ſibi prodeſſe, quòd hac eum occaſione Dominus ſibi aſciuerit. Hic extunc patris Richardi fuit filius dulciſſimus, & comes indiuiduus: hic conſiliorum particeps, quia erat nobilibus ortus natalibus, & litteris adptimè eruditus, & videbat in eo pœnitentiam cum verecundia. In Capitulum vbi ventum eſt, publicam pœnitentiam egit cum ſocio corde contrito & humiliato, & fratres glorificauerunt Deum, qui auertit peccatum hoc ab eis, & jam in maiori veneratione Sanctum Dei habere cœperunt, quem Deo cariſſimum, mortis impauidum, ſui contemptorem, iniuriæ donatorem, & ob id Deum defenſorem & tutorem habere ſciebant. Iam autem ſi quis eſſet, qui viro Dei aliquandò infeſtus fuiſſet, ſurgebat in medio, & confitebatur quicquid illud eſſet, ſatis verens ne etiam circa ſe deſæuiret indignatio diuina. Precabantur itaque omnes pariter ſibi indulgeri, quia eum non vt decuiſſet Patrem & dominum tractauerant, & facta eſt ruina duorum, ſui ipſius & multorum in ſpiritu reſurrectio. Igitur vir Dei generali omnibus indulgentia data, tanta in poſterum ab omnibus caritate dilectus eſt, vt meritò diceretur. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

Ordinata itaque dehinc Eccleſia perſonis & neceſſarijs ſumptibus, Virdunum redijt, prædictum fratrem ſecum deducens, quia intelligebat eum vtile vas futurum in domo Domini. Nec eum ſpes fefellit. Cœpit enim totus alteratus perfectiora meditari, amare honeſtatem, diligere ordinem, omnes ſibi præponere, ſe omnibus poſtponere, & ſi quid eſt quod virum honeſtum deceat, ad id modis ſe omnibus informare. Quamobrem diligebatur à viro Dei, & cotidiana monitione ad meliora ſectanda ineſcabatur. Leduinus nomen erat viro. Hic eſt ille Leduinus, qui poſtmodum juſſu & obedientia prædicti Patris, ſub eo ſancti Vedaſti annis multis rexit Eccleſiam. Verum hoc in patre noſtro memorabile videtur, quòd tanto eum affectu dilexit, quem de morte ſua tractaſſe cognouerat. In quo conſideranda eſt pietas eius & patientia inuincibilis, quæ vicem lædentibus rependere non nouit, qua intantum abundabat animi eius directa ſimplicitas, vt quem paſſus fuerat inimicum, eum ſibi crederet fidum amicum. O mens verè plena Deo, ſimplicitas ſine ſimulatione, caritas ſine æmulatione! Sed ſufficiant interim iſta, feſtinandum nobis eſt ad reliqua. Non enim omnes eius virtutes animi deſcribere poſſumus. Superſedendum aliquid eſt, vt ad poſteriora ſufficiamus. Et nunc quidem de beneficentia dicamus quod poſſumus, quia non omnia poſſumus qua ita ſibi filiorum animos obligauerat, vt immemor iniuriæ, memor gratiæ diceretur. Conſiderabat enim ſingulorum effectus, neceſſitates, oportunitates, & ita quibuſque mirabili verborum & vultus gratiâ occurrebat adiiciens verba bona rebus bonis, & prædicatione benigna & humana ſe ipſe commendans, vt pluris æſtimaretur animus eius, quàm illud quicquid eſſet quod quærebatur. Quemadmodum enim in ægris oportunitas cibi ſalutaris eſt, & aqua tempeſtiuè elata remedij locum obtinet: ita beneficia eius, quamuis leuia, quia præſto erant, quia occurrebant voluntati, gratiam precioſi, ſed lenti & diu cogitati muneris vincebant. Gratiſſima enim erant quia parata, quia facilia, quia occurrentia, vbi nulla erat mora niſi in accipientis verecundia. Nouerat enim optimum eſſe, antecedere cuiúſque deſiderium, & proximum ſequi; illud verò melius, occupare antequam rogaretur. Nam cùm homini probo, vt ait Seneca in libro de Beneficijs, ad rogandum os concurrat, & ſuffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit multiplicat munus. Nulla enim res cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt. Hinc ſanctus Benedictus de dandis neceſſarijs agens. *Conſideret*, inquit, *Abbas neceſſitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium.* Qui conſiderandas infirmitates præcepit, occurrendum docet precibus, diuinandam cuiúſque neceſſitatem, vt rogandi neceſſitas auferatur. Ceterùm & hoc in Patre noſtro beneficentiæ partes adjuuabat, quia ſi quis ei de ſecretis animæ, de internis mentis motibus confitebatur, tanta ei inerat mentis benignitas, tanta dulcedo, tanta compaſſio, vt qui ſolus aduenerat, ſe proderet, alterum ſe illum eſſe crederet cui confitebatur, cui non immeritò tanquam alteri ſibi animum ſuum applicaret, & ſeipſum crederet. Occurrebat

XIII

Leduinus.

namque voluntati eius, & ita ei conformabatur, cum dolenre dolens, cum tribulato ſpiritum & ipſe contribulatum adhibens, vt vnam animam duobus ineſſe corporibus, dum alterum ſe ſtupet is qui aduenerat, miraretur. Quæ res gratiſſima eſt mediocribus, vtiliſſima puſillis, qui eo vtuntur affectu, quo vident ſibi adclines, quibus loquuntur, ſeu confitentur.

XIV. Iam verò in Capitulo ſi quis ſermonem eius audiſſet, totus tremebat, totus æſtuabat, totus ad reprehendendum ſe acutiſſimum ſtimulum compunctionis abhibebat, ac ſi præ oculis videret parata gehennæ incendia, ſuppliciorum diſpertita omnimoda genera, donec procederet conſolatio ab ore ſermocinantis, fieret dulcedo mellis lingua eius, *fauus diſtillans labia eius.* Non enim diſſimulabat peccata delinquentium, imò cùm de vicijs ſermo eſſet, ita eorum propriè ſpurcitias, immunditiam, & fœtorem verbis exprimebat, vt qui audiret miraretur, & abhorrens talibus implicari omninò deteſtaretur. Erat in eo juſtè conſulens miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Vt enim ait in Moralibus mitiſſimus Doctor Gregorius, *miſericordia vel diſciplina multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur.* Affectus patrem, pietas matrem, reuerentia timoris dominum, diſciplina exhibebat magiſtrum. quod totum de beneficentiæ fonte procedebat. Nolebat enim conſumi munus ſuum, qui ſemper paratus erat ad donum. ideò in dando beneficio corporali ſeu ſpirituali, ſenſu communi & rationabili, tempus, locum, perſonas obſeruabat. quia & momentis quædam grata & ingrata ſunt. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter dantis manus hæſit, quod quis ægrè dimiſit, quod ſic dare viſus eſt, quaſi ſibi eriperet. Ideò vir beatus cum aliquid ab eo à filiis quæreretur corporalis aut ſpiritualis neceſſitatis, non dubitauit, ne proximus eſſet à negante, & nullam referret gratiam. ſciens nihil eſſe tam amarum quàm diu pendere, cùm æquiori animo feratur à quibuſdam præcidi ſpem ſuam, quàm trahi. Quod autem donum tam dulce homini, quàm iuuare conſilio, participare laboribus, communicare doloribus, releuare æſtuantem animum, gaudere cum gaudente, flere cum flente? His donis, his beneficiis, filiorum in ſe deflexerat gratiam, vt iniuriam eius ſuam arbitrarentur, lætitiam eius ſuam crederent. tanta erat benignitas, vt veniente eo, ſi quid in congregatione qualibet morari licuiſſet, cùm egrederetur, nullus eſſet qui non ſe iuuatum & releuatum, ſuſtentatum & confortatum lætabundus gloriaretur. Iam verò liberalitatem in eo laudari neceſſe non eſt, cuius non minima portio eſt, in omni negocio conſiderare quomodo quidque aut dicatur, aut fiat. Nam procedens ex liberalitate omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis citò facere. Qui enim tardè, & diem de die protrahens profuit, non ex animo fecit. ita duas res maximas perdidit, tempus, & argumentum amicæ voluntatis; quia tardè velle, nolentis eſt. Aliquando verò in tædium adductus animus, incipit odiſſe beneficium dum expectat. Quod autem maius beneficium quàm mortuis referre gratiam, & requiei eorum prouidere & conſulere, quorum acceperis eleemoſynam? Summa hæc liberalitas eſt, memorari eorum qui ſe tibi dum aduiuerent commiſerunt, quorum viuis laboribus, quorum ſanguine paſcetis: qui fiduciam ſuam poſt Deum in te ponentes, per manus tuas Deo fœnerauerunt, dum ſua tibi pro eius amore largiti ſunt. Non defuit gratia hæc Patri noſtro, imò in omnibus Monaſterijs, quæ regebat, mox vt potuit jure perenni conſtituit, vt in Kalendario ſingulorum fratrum & benefactorum Eccleſiæ, quj ſeculo exceſſerant, diuiſis paginis nomina anniuerſaria quaque die in Capitulo recitarentur: diligentius annotato, quid quiſque contuliſſet Eccleſiæ. Vt dum eorum beneficia fratres præſentialiter recolerent annotatione diligentiſſima, recaleſceret in eis eorum memoria, & tantò gratiùs memorarentur illorum, quantò acceptior fieret repræſentatio benefactorum illorum. Quod vt acceptius fieret, ſermonem indè habuit coram fratribus, quem exceptum Kalendario eidem, cui hæc inſcribebantur, præſcribi inſtituit. In quo dulcedinem eius & pietatem, caritatem atque miſericordiam, qui diligenter aduertit, perpendere poteſt. Quanto verò affectu & ſtudio memoriam defunctorum eorumdem, id

Memoria defunctorum. eſt officium quod Vigilias dicimus, & Miſſæ celebrationem agi inſtituerit, nouerunt qui hoc facere conſueuerunt. Per omnia circa memoriam defunctorum benigniſſimus extitit. Sciebat enim quia nihil in fructum peruenit, quod non à primo vſque ad extraneum æqualis cultura proſequitur. Ideò commiſſorum ſibi

& in

& in vita & in morte ſollicitudinem pia ſedulitate eſt operatus. Quid autem deformitudine & temperantia dicemus, quibus adeò regebatur animus eius, vt innatæ ſibi viderentur? Nam cùm fortitudo ſine temperantia iniquitatis ſit materia, ita in eo vnum condiebatur ex altero, vt alterum ſine altero videri, & velle diſcernere omninò foret impoſſibile. Iuſtitia verò cum prudentia primarum ſibi domicilium in eius pectore collocauerat, quibus vtilis ad omnia pietas non deerat ſcientiæ diſcretione munita. Nulla eſt autem ſcientia, ſi vtilitatem pietatis dehabeat: quia qui bona cognita exequi negligit, ſeſe ad iudicium artiùs ſtringit. Hæc quia vir Dei nouerat, ſingularum ſibi virtutum proprietates adquiſierat, quibus munitus mundi fallentis lenocinia ſuperabat. Verùm ad narrarionis ordinem reuertamur.

Anno ab Incarnatione Domini MXI. Romam venerabilis Pater Richardus iuit, Benedicto Papæ in amicitijs iunctus familiariſſimus ei extitit. *Benedictus Papa.*

Anno quoque ab incarnatione Domini MXIII. regiminis autem eius anno VII. Heinricus anno regni ſui IX. à Benedicto Papa in Imperatorem promotus eſt. Et cùm jam Langobardorum inſtabilitas Arduinum quendam ſibi Regem conſtituiſſet, tandem non ſine magna ſuorum cæde ſubdidere ſe ei, & ſic Heinricus Papiam veniens ab eis miri operis Palatium ſibi conſtrui fecit. Hic etiam fecit ciuitatem Bauebergenſem, & Eccleſiam à Benedicto Papa dedicari obtinuit, eiuſque auctoritate Epiſcopum ibi conſtituit. Erat enim verè Catholicus, & religionis amator præcipuus. Adhærebat moralibus ſuorum conſilijs, quorum puritate & nitore florebat Lotharingia, illuminabatur Saxonia, dirigebatur Sueuia & Alemannia. Quamobrem ſub eius Imperio ſalus fuit mundo & gloria. Inter quos habebat gratiſſimos Odilonem Cluniacẽſis Eccleſiæ Patrem pijſſimum, Willelmum Diuionenſis Eccleſiæ Rectorem ſtrenuum, religione præſtantiſſimum, qui etſi non erãt de regno eius, tamen in amicitijs ei iungebantur, & eorum orationibus regni negocia in pace tractabantur. Nec deerat familiaritati eius Pandulfus Agaunenſis, vir vitâ, moribus, religione, ſanctitate celeberrimus, cùm eum faceret commendabilem Regi & Optimatibus fama virtutis eius. At verò de regno eius ferè quotquot erant Pontifices, & primi Eccleſiarum, tot ei erant incitamenta virtutum, cùm ipſe eiſdem muniretur, & ipſi vice verſa eius auctoritate ab illicitis reprimerentur, & ad perfectiora prouocarentur. Inter quos hunc Patrem noſtrum habebat cariſſimum, inter præcipuos egregium, pietate prædicabilem, religione commendabilem: quem tanta Deus donauerat omnium gratiâ, vt à pleriſque pro inolita ſibi benignitate, vitæque & ſermonis acceptione, & non affectata elegantia, ſed impenſa gratia, hoc vocaretur agnomine, videlicet Richardus gratia Dei, ſicut & ſanctus Odilo ab ingenita pietate pius, & Willelmus à rigore feruentioris propoſiti *ſupra regula* dictus eſt. Erat in regalibus negotijs pertractandis & diſponendis conſodalis eius domnus Ermenfridus Virdunenſis Eccleſiæ Canonicus, cuius vita actuum luce ſatis ſeipſam commendat. felicia tunc tempora Virdunenſis Eccleſiæ, tantis ſub Heimone Epiſcopo inſignitæ perſonis: vt vſque in hodiernum diem actuum illorum claritate reſplendeat, quæ etiam tanta ſit, vt nulla vetuſtate oblitterari valeat. Sub eo enim Amicus Præpoſitus Eccleſiam ſanctæ Crucis conſtruxit, Dudo Præpoſitus Eccleſiam S. Laurentij, Ermenfridus præfatus Eccleſiam ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & in ea Canonicorum turmam aggregauit, quibus victum ex regali largitione & Procerum traditione ſufficienter prouidit, & venerabilis Richardus Monaſterium ſanctorum Petri & Pauli & beati Vitoni Confeſſoris à fundamentis erectum tantâ in poſterum poſſeſſionum & religionis dote ditauit, tanta reliquas Eccleſias claritate dotauit, vt meritò Parer vrbis, lux patriæ, decus Eccleſiæ debeat nominari. Vita enim eius mirabilis vitam multorum mirabilem reddidit, conuerſatio eius ſpectabilis plures alios ſpectabiles bonis operibus inſtituit. *Henricus Imp.* *Pandulfus Abbas Agaunenſis.* *Ermenfridus.*

Sed nec ipſe domnus Heimo à bonis operibus vacantem animum præbuit, quin potius Eccleſiam Sancti Iohannis in proſpectu ciuitatis ſitam, in qua ſancti Confeſſores, Maurus, Saluinus, Arator, requieſcunt, melioratam reſtaurauit, & in ea Congregationem Sanctimonialium ſub diſpoſitione Patris Richardi regulariter viuentium inſtituit, & matrem eis conſilio eiuſdem prouidit Adelbergam fidelem Chriſti famulam, quæ cognominabatur Aua, cuius

XVI.

memoria eſt æterna. Hæc enim velut apis prudentiſſima patris ſui formam imitata, cùm ob zeli boni deuotionem, & fidei magnanimitatem ſeruorum Dei luſtraret Cœnobia, vt ad eorum imitationem æmularetur charismata meliora, Cluniacum iuit, & viro Dei Beato Odiloni aduenisſe nunciata, cuius animum ipſa poſſidebat pietas, cum grandi affectu ſuſcepta eſt. Vbi quanquam vſus Eccleſiæ eſſet, & pro lege haberetur, vt clauſtra Monaſterij non calcaret pes muliebris, ipſa pro ſua religione, & Patris Richardi cum Sancto Odilone indiuiſa dualitate, non ſolùm clauſtrum intrauit, verumetiam Capituli ſocietatem indepta, & Dominico die ad proceſſionem cum fratribus ſuſcepta eſt, quod vſque hodie in eodem Monaſterio permanet memoriale. Egit hoc beati Odilonis erga filium cariſſimum & confratrem deuotiſſimum affectus propenſior, dilectio profuſior, caritas de illo fonte emanans, de quo tantæ nobis perfectionis alueus deriuatus eſt, idem videlicet Pater noſter, qui nobis à beato eodem donatus eſt. Sed nec erga locum, cui præerat, domni Heimonis defuit liberalitas, verum Maſmelli pontem eidem contulit, mercatúmque in ſuburbio qui eidem Cœnobio adiacet, habendum conſtituit, & murum in circuitu Monaſterij ex ſuo conſtrui fecit. Exactiſque in Epiſcopatu XXXVI. annis, obijt II. Kalendas Maij, anno Incarnationis Dominicæ MXXIV. & ſepultus eſt in Eccleſia quam ipſe conſtruxerat. Et ſucceſſit in Epiſcopatu Rambertus, qui ſæpefatum Patrem non minori affectu coluit, imò deuotionem à prædeceſſoribus initiatam, & ad ſe vſque deriuatam pia bonæ voluntatis affectione auxit, prouexit, & ſuſtulit. Verùm non abs re videtur, ſi cùm eius familiares, & regni gloriam, quæ ſub ipſo erat, miramur, etiam quis Imperatoris vitæ exitus fuerit intueamur. Tempore itaque eius Rex Vngrorum cum gente ſua Chriſtianus factus eſt. Cui etiam Stephano in baptiſmate dicto germanam ſuam vxorem dedit, & ipſe anno ſequenti infirmitate ingraueſcente, quia erat abſque filiis videns quia ad regni faſtigium plures Duces & Comites aſpirabant, elegit Conradum aliquando ſibi ſuſpectum, ſed ſtrenuum, qui Cono dicebatur, & ſic cum gloria obiit Monarches Cæſar Auguſtus III. Idus Iulii, eo videlicet anno quo ſuperiùs annotatum eſt Epiſcopum Heimonem obiiſſe. At verò Stephanus Vngrorum Rex, imminente vocationis ſuæ tempore ad cæleſtia euocatus, nunc in Eccleſia qua requieſcit humatus, miraculis claret egregius. Regnauit autem Heinricus annis XXIV. menſibus VI. & Conradus Othonis III. filius *ſucceſſit, qui accepit vxorem Giſlam Rodulfi Regis Burgundiæ ſororem, Conradi & Mathildis filiam, de qua genuit tertium Heinricum, qui venerabilem Richardum Abbatem inter primos Palatii habuit. Quo in tempore rebellauerunt contra Robertum Francorum Regem Odo Tebaldi fallacis filius, & Vuillelmus Heinrici Ducis priuignus, fauente ei Brunone Lingonenſi Epiſcopo, cuius in matrimonio habebat ſororem, & Landrico Niuernenſi Comite. Rainaldus verò Comes præfati Vuillelmi filius ſororem Richardi Normannorum Ducis Adhelleidam duxit vxorē. Qui videlicet Vuillelmus, licet aduena, in tantum conualuit diuitiis & militiâ, vt non inueniretur ei ſecundus in patria. Cui tamen plurimùm reſtitit Hugo Antiſſiodorenſis, qui Abbicomes dictus eſt, cuius cognatam Conſtantiam Robertus habebat vxorem.

Rambertus.

Conradus Imp. xiv. 1.

Igitur poſt Benedictum Papam anno MXXIII. frater eius Iohannes largitione pecuniæ ex laicali ordine neophytus ordinatus eſt. A quo cùm requiſiſſet Conſtantinopolitanus Antiſtes, vt ſua Eccleſia ſicut & Romana vniuerſalis diceretur, & donis eum, Romanóſque, qui Curiæ præerant, innumeris flecteret, ita vt clanculò tentarent concedere quod rogabatur, omnis ob hoc vehementiſſimè commota eſt Italia. Sed Galliarum Epiſcopi & Abbates his obuiare conati ſunt, quidam in perſona ſua, quidam verò litteris miſſis Sedem Apoſtolicam viſitantes, & tantum opprobrium & dedecus auctoritatibus ad medium prolatis, quibus contradicere fas non eſſet, à Romana Eccleſia propulſantes. Nec defuit in his Patris Richardi autentica præſentia: imò omninò ſategit vt Conſtantinopolitanea præſumptio confutata conquieſceret, filium ſe Romanæ Eccleſiæ, dum matris honori prouidebat, oſtendens. Inter alios quoque Willelmus Abbas eximius Epiſtolam Papæ miſit corpore breuem, ſed materia ingentem, & ſermone locupletem, quam hîc inſerere non piguit.

Gratià Dei & reuerentia Beati Petri Sedi in orbe terrarum excellentiſſimæ indepto Papæ Iohanni, Vuillelmus crucis Chriſti ſeruus, Sedem iudicij cum Apoſtolis, & coronam regni. Magiſtri gentium dictis inſtruimur, ſeniorem non increpandum. Idem tamen aliàs dicit: factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis. Idcirco igitur filiationis diligentiâ hortamur communem veſtram paternitatem, vt in vno inuenimini cogitationes hominum peruidentem Dominum Saluatorem, vt dicatis ad aliquem vobis vnanimem, quemadmodum & ipſe Petro. Quid dicunt homines de me? Si verò reſponſum eius ex fide fuerit, animaduertite qualiter ſonuerit. Si clarè, cuſtodite ne obfuſcetur. Si verò obſcurè, lux mundi oranda eſt, qualiter ita fulgeatis, vt vniuerſis in gremio Eccleſiæ conſtitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed eſt fama rei, quæ nuper apud vos accidit, de qua quis audiens ſi non ſcandalizatur, nouerit ſe longè ab amore ſuperno diſparari. Quoniam licet poteſtas Romani Imperij, quæ olim in orbe terrarum Monarches viguit, nunc per diuerſa terrarum loca innumeris regatur ſceptris, ligandi ſoluendique in cælo & in terra poteſtas incumbit magiſterio Petri. Atque idcirco iſta diximus, vt animaduertatis non aliter Græcos quàm cenodoxia hoc quod audiuimus apud vos requirere, impetrauiſſe. De cetero quoque optamus, vti vniuerſalem decet Antiſtitem, vos acriùs in correptione & diſciplina ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vigere, æternéque & feliciter in Chriſto valere. *Vuillelmi Abbatis Ep. ad Papam.*

Sic confutata Græcorum præſumptio eſt. Eodem anno, qui erat ab Incarnatione Domini MXXIIII. iuſſu & obedientiâ Patris Richardi Leduinus; de quo ſuprà retulimus, prælatus eſt Abbatiæ ſancti Vedaſti.

Anno quoque MXXVII. obijt Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, Indictione VII. qui quanto amore hunc Patrem noſtrum dilexerit, experimentis perpluribus pater. *Fulberti Ep.*

Tunc temporis contigit ignoti oſſa hominis de loco abiectiſſimo à quodam mangone collecta & feretro impoſita, in Monaſterio Sanctæ Mariæ apud Seuſiam ſub nomine Iuſti Martyris à Mainfredo Marchione fuiſſe repoſita. Sed licèt Religioſis id vaniſſimum & ſtultiſſimum fuiſſe, multis & probatis documentis demonſtratum ſit, vulgus tamen iniuſtum pro Iuſto venerans in ſuo permanſit errore.

Iam autem eidem Patri Gratiæ-Dei prælationis ſarcina grauis videbatur, XVIII jam ad anteriora progredi, liberiúſque diuinæ contemplationi inhærere iuuabat: quia jam in eius corde mundus aruerat. Et quia quoſdam, qui Hieroſolymam ierant, beatè in Chriſto occubuiſſe conſtabat, inter quos quoque quendam ex Auguſtodunenſi territorio ſanum & vegetum, nulláque mortis ſigna habentem, in loco, vbi nouiſſimè ſteterant pedes Domini, cùm oraſſet, & ſe à Domino ſuſcipi in pace poſtulaſſet, modico dolore mox tactum, domi relatum, moxque relatum eodem in loco quo orauerat, ſpiritum Deo reddidiſſe, certa fama vulgauerat: tactus & ipſe ſancto ſimili bonæ deuotionis deſiderio, ſepulcrum Domini inuiſere geſtiens, quæſita à Principe & Pontificibus, regníque primoribus, & vicinis fidelibus, & vix obtenta licentiâ, deſtinauit primò filijs prouidere, & eorum in omnibus curam agere, vt poſſet cum bona omnium affectione peregrinationis officia ſancta ſuſcipere. Itaque Cluniacum iuit, & ſicut vſque hodie in eodem Cœnobio manet memoriale, patrem piiſſimum ſanctum Odilonem Virdunum ſecum deduxit, quem plurimis diebus ſecum retinens, omnem ei Monaſterij habitudinem, mores, & vitam *S. Odil.* habitantium oſtendit, iudicio eius & tuitioni ſingula contradens, & ad eius arbitrium vniuerſa corrigens & confirmans. Gauiſus eſt autem in Domino Sanctus Odilo, quia per eos, quos ſibi filios fecerat: & loco remiſerat, fructus boni odoris carpebat. Vbi verò voluntati illorum ſatisfeciſſe ſe credidit, valedicens omnibus, filium Deo commendans, Cluniacum redijt, & de profectu Eccleſiæ illius gaudium filijs & fratribus Cluniacenſibus exhibuit. Referunt adhuc moderni, qui audierunt à patribus, quia quotiens ab iſtis partibus regrediebatur, adeò ſe gratioſum de bonis, quæ in patre noſtro & filijs gratulabatur, exhibebat, adeò eos commendabiles reddebat: vt gratum haberet qui videbat. Igitur paratis neceſſarijs ſumptibus, diſpoſitis viæ comitibus,

commiſſa Deo filiorum cura, benedictione Pontificis & vicinorum Præſulum, Optimatum quoque, & omnium omninò poſtulata & accepta, venerabilis Pater Richardus gratia Dei egreſſus eſt cum Madelueo nouus peregrinus in cordis lætitia. Proſequutus eſt eum totus populus cum lacrymis & rugitu cordis, dolens quòd deſtitueretur eius præſentiâ, quem ſuæ ſalutis Præſulem, vitæque tutorem credebat. Quos vir Dei benignè conſolans, vt reuerterentur admonuit, dans in mandatis, Deum tota virtute diligere, proximum venerari, inimicos diligere, caritatem amare, hoſpitalitatem ſectari, eleemoſynis intendere, & pro ſe ſibique comitantibus Deum propenſiùs exorare. Sic ſalutatis omnibus, reſalutatus à cunctis, dimiſſus eſt optatæ viæ cum gratiâ, omnibus orantibus, & elata in excelſum voce clamantibus, vt proſperaretur à Deo via eius. Expenſas autem

Richardus Comes Normannorum. viæ Richardus Comes Normannorum omnes ei attribuit. Erat enim in eleemoſynis largus, caritate diffuſus, honeſtate præclarus. Superſunt adhuc in Britannica Inſula & Normannia nobiles & probati viri, qui viderunt hunc Patrem noſtrum Gratia Dei, & nouerant quanto ab eodem Comite diligebatur affectu. A quibus nos etiam iſta audiuimus, qui & referre ſoliti ſunt, quia ſic ſibi indiuidua dilectione adhærebant, vt putares vnam animam duobus ineſſe corporibus.

XIX. Optabili ergo peregrinatione ſuſcepta, vir Domini Richardus ſeptingentos peregrinos ſecum duxit, quibus ex proprijs ſubſidia victus ſufficienter adminiſtrauit. Erant etiam in comitatu eius quamplures alij, inter quos erant duo ab vrbe Bajocenſium, pater & filius, Humbertus & Gaufredus, qui ita comitatui

Humbertus & Gaufridus Baiocenſes. eius adhæſerunt. Eatidem Hubertus diuturno languore depreſſus, itaut per annum integrum nec lecto ſurgere, nec in latus aliud abſque ſuffragantis amminiculo ſe poſſet deflectere. Huic vna dierum in cubiculo, quo jacebat, Angelus in columbæ ſpecie apparens, *Vade*, inquit, *para neceſſaria, & perge Hieruſalem, quia Dominus jubet.* Cui cùm ille reſpondiſſet, *Quid faciam, quia nequeo ſurgere?* Ille iteratò, *Para*, inquit, *neceſſaria, & vade quia Dominus vult.* Adquieuit homo, & manefacto fratres & propinquos aduocans, voluntatem Domini aperuit, ſuamquoque voluntatem in id eſſe vt obediret patefecit. Illi admirantes, & pro infirmitate quam videbant, voluntati eius contraire conantes, cùm auertere hominem à recta intentione molirentur, impoſſibile eſſe pronunciabant quod dicebatur. Cùm ille filium Gaufredum aſſiſtentem videns, *Vade*, ait, *præpara expenſas, & quæ ſunt tanto itineri neceſſaria, quia & ego ibo, & tu mecum, Dei cooperante clementia.* Adquieuit filius, & paratis quo citiùs potuit tanto itineri neceſſariis, patrem de profectione admonuit. Ille propinquorum & vicinorum ſurgens amminiculo, pontem ante Monaſterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ in eadem Bajocenſium ciuitate ſitum, quod erat vicinum domui ſuæ, à quatuor hinc & indè ſuſtentatus tranſiit, & mox vt equo impoſitus eſt, ſanus factus & incolumis viæ ſe credidit, & comitante diuina gratiâ Virdunum veniens, cùm audiret & videret profectionem viri Dei tota vrbe accelerari, ſuſtinuit, & comitatui eius adhærens, orationibus eius ſe cum filio commiſit, quos vir Dei familiariſſimos habuit. Profecti igitur per Illyricum, venerunt ad deſerta. Quæ cùm jam ferè pertranſiſſent, die quadam fontem eminùs conſpicati clariſſimum & perlucidum, deſcenderunt Pater Ricardus cum ſocijs vt acciperent jentaculum. Turbis quoque circa fontem diſcumbentibus, venerabilis Pater loco competenti pro tempore reſedit, & accito famulo vt de fonte ſibi afferret, cuius perlucida claritate delectatus erat, admonuit. Ille vadens, ex aqua fontis vaſe impleto, viro Dei propinauit. Sed vt vas ori admouit, aquam in vinum Dominus mirabili virtute conuertit, & ſic qui aquam deſiderauerat, vinum accepit. Stupefactus à famulo requirit, vbi vinum acceperit, & euacuato vaſe, iteratò eum pro aqua fontis remiſit. Ille admiratus, cunctis cernentibus aquam hauſit de fonte, & viro Dei propinauit. Sed iterum diuinitate propitia aqua fontis in vinum conuerſa eſt. Quod vir Dei agnoſcens, Deo gratias egit, & bibit: cunctis quoque ex eodem vino in eodem vaſe propinauit. Quid plura? Biberunt omnes, & virtutis Domino benedixerunt, *qui facit mirabilia ſolus, cuius regnum eſt æternum, & poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur.* Biberunt, inquam omnes de vino illo, & vinum imminutum non eſt: quia cùm omnes bibiſ-

ſent, ſolus ille ſciphus abundanter cunctis adfuit, & poſtmodum Patri Richardo non defuit. Et qui vidit, reſtimoninm perhibuit, prædictus ſcilicet Humbertus, & filius eius Gaufredus, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eorum: quia ipſi ex eo biberunt, cùm ſederent ea hora prope latus hominis Dei, & præterea virtutis huius tot ſunt teſtes, quot erant viæ comites; quia nullus in comitatu illo inuenrus eſt, cui non vir Dei ex hoc vino virtutis propinaſſet. Eſt adhuc in Bajocenſi vrbe quaſi nouum hoc miraculum, & patres qui viderunt, narrauerunt ea filijs ſuis, & filij filiorum filijs, vt cognoſcat generatio altera. Nos quoque hoc à Gaufredi filio Gozelino nomine, viro probo & honeſto, nunc Diuionenſis Eccleſiæ Monacho audiuimus, qui jam eo tempore natus & adultus, à patre & ab auo hoc audiuit, & didicit ab illis formam orandi, quam inſtituit ſimpliciores & idiotas è ſæculo ad ſe confugientes Pater Richardus in ingreſſu Eccleſiarum dicere, in hanc formam. *Adoremus Deum ſanctam Trinitatem, deprecemur Sanctos eius qui pro Deo appellantur, vt ipſi deprecentur Deum, vt det nobis pacem & ſanitatem peccatoribus veram pœnitentiam, diſcordantibus veram concordiam, viuis pacem, defunctis requiem.* Hæc orandi forma in omnibus Monaſteriis ſuis laicis tradebatur.

Erat autem viro Dei familiare, mane ſurgere, laudes Deo dicere, iter accelerare, atque conſuetum Domino in via penſum reddere: & ſic horâ fractionis panis imminente, Miſſarum ſolemnia agere, quocumque eſſet, & expletis myſterijs ad frangendum panem diſcumbere, ne grauarentur fratres labore itineris, & continuatione ieiunij. Venit ergo Antiochiam, vbi cùm eum itineris neceſſitas aliquot diebus remorari coegiſſet, vir Dei Symeon, qui nunc Treuirenſem Eccleſiam corpore & virtutibus adornat, in amicitijs ei junctus eſt, & fratribus qui erant cum eo; adoptans ſibi illum in patrem. In quo beati Simeonis facto hoc intueri libet, quia idem vir Dei non eius ſe crederet magiſterio, non committeret patrocinio, niſi diuina pietas, quæ eum à ſeculi actibus alienum reddiderat, cordi eius reuelaſſet dignum illum eſſe qui ſubditis præeſſe & prodeſſe poſſet. Nitebatur autem iſdem beatus Symeon à fratribus Monaſterij montis Syon pro elemoſina, quo de terra Richardi Comitis Normanniæ Monaſterio eidem debebatur, & quanquam noſſet ſpiritu ſibi reuelante multa ſe aduerſa paſſurum, tamen pater Richardus diſcretionis oculis hinc indè munitus conſilium dedit, vt cœptis iuſiſteret, obedientiam impleret, vſquequo rem probaret euentus. Flentem itaque & triſtem eum à ſe dimiſit, vtrimque pedibus, manibus, & genibus exoſculatis, quia erat in eis gratia Spiritus ſancti. Hæc eſt enim Sanctorum delectatio, diligere alterutrum, quia & Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet. *Charitatem* autem *aquæ multæ non poterunt extinguere, nec flumina obruent illam.* Probatus igitur Domini ſeruus viam carpens, & viæ ducem Chriſtum collaudans, terram Sarracenorum ingreſſus eſt. Et cùm appropinquaret ciuitatibus eorum, prædicabat omnibus Chriſtum IESVM in Domino Deo ſuo confiſus, quia non erat in ſpiritu eius dolus. Iam verò vbi ad vrbem veniſſet, ante murum vrbis pſallebat Saluatori ſuo, & Miſſarum ſolemnia ibidem celebrabat, paganis deſuper ſaxa jacientibus, vt capiti eius illiderent. qui ſic vrbi appropiauerat, vt tabula altaris hæreret muro. Et cùm multa deſuper ſaxa ab eiſdem aſpicientibus & illudentibus jacerentur, ita à Chriſto protegebatur, vt non altare, non tabula altaris, non poſtremò illud quicquid eſt quod altari imponitur, non ipſe denique qui altari aſtabat intrepidus, à lapidibus tangeretur. cùm tantus eſſet multotiens in circuitu altaris agger lapidum deſuper ruentium, vt Miſſa dicta nonniſi via facta inde extrahi poſſet. Monachorum verò & Clericorum comitantium illum nullus ei coeſſe vel cohabitare poterat: ſed quantum jactus eſt lapidis à longè ſtantes canebant, & canenti reſpondebant, ipſe ſolus intendebat his quæ cœperat, donec Miſſa perexpleta egrederetur vel potius extraheretur. Erutus autem inde, ante vrbis proſpectum tentoria figebat, & comparatis neceſſarijs ſumptibus ibidem hoſpitabatur, à Dei laudibus nunquam vacans, quia laus eius ſemper erat indeficiens in ore ipſius. Pagani autem miraculo perterriti, & gratiâ reuerendi vultus eius inuitati, veniebant ad eum, quibus ipſe per interpretem quæ de IESV erant gratanter annunciabat, & vt ab iniuria ſeruorum Dei manus cohiberent prædicabat. Fiebátque miro modo, vt quos in aduentu ſuo paſſus fuerat infeſtos, ipſi ei verſa vice cum honore ſeruirent, & mane facto deducerent abeuntem. Mirificabat enim Dominus ſeruum ſuum ſignis & prodigijs,

Marginal notes: XX. (beside "Erat autem viro Dei…"); Simeon. (beside "…Ecclesiam corpore…")

intantum vt omnibus ſanctitas eius innoteſceret, & virtus Domini per eum vbique prædicabatur, quia fama ſanctitatis eius vbique ferebatur.

Conſtantinopolim veniens, cum quanto honore exceptus ab imperatore ſit, digniſquę muneribus & obſequijs honoratus, dicere ſuperſedemus, quia ad alia properamus. Optatæ itaque viæ dimiſſus cum gratia, per multimoda pericula apprehendit Hieroſolymæ loca deſiderata. Ingrediénſq; ciuitatis portam, Reſponſorium illud de Dominica in ramis palmarum, *Ingrediente Domino in ſanctam ciuitatem*, dulciſſima cum ſocijs modulatione decantabat, Chriſtum crucifixum, *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*, adorans, & locū ſepulcri eius oculis fidei veneranter amplectens. Omnia ergo Natiuitatis, Paſſionis, & Reſurrectionis loca fide circuiens, dum non ſatiaretur oculis intuendo, mente paſcebatur. Quia ad viſionem dulciſſimam & diu deſideratam, jamque concupiſcenti animo præparatam mirabilium Domini, gaudio & lætitia ineffabili replebatur. Occurrit autem ei venienti Patriarcha Hieroſolymitanus. audierat enim famam eius omnium ore celebratam, & conſalutati mutuò, dato pacis oſculo lætati ſunt in Domino. Videns verò in eo aſpectum Angelorum, modeſtum ſermonem, inceſſum mitem, canitiem venerandam, habitudinem ſenectutis omnibus reuerendam, gratulabatur in ſpiritu. *Sicut*, inquiens *audiuimus, ita & vidimus*. Introductus igitur in ſanctam Syon Miſſarum ſolemnia celebrauit, aſtante Pontifice & Clero. & ſic locum ſepulcri Domini cordis affectu reuiſens, omnemque locum ſanctum pia deuotione perluſtrans, cùm ſe deſiderio ſatisfeciſſe crederet; iterum æſtuantem deuota ſollicitudine ſatiabat animum. Numquam à Miſſarum celebratione deſiſtens, numquam à verbi Dei erogatione ceſſans, imò vbique quæ Dei ſunt annuncians, nec timore mortis, nec infeſtatione barbarica, à veri & tecti exhibitione, & mali prohibitione deſiſtens. O quis eius affectus in Deum! quanta contriti & humiliati ſpiritus exultatio! quanta cordis jubilatio! cùm videret ſe eſſe præſentialiter vbi Chriſtus natus eſt, vbi paſſus, vbi ſepultus, vbi ſteterunt nouiſſimè pedes eius quando aſcendit in cœlum. Vbicumque incubuiſſet orationi, madebat terra lacrimis, clamor cordis aſcendebat ad Dominum, corpus atterebatur, ſpiritus eleuabatur. Continuabat noctes vigilijs, attenuabat corpus jeiunijs, nunquam ſine lacrimis, numquam ſine precibus, cùm totus exultaret in Domino, lætitiam mentis, vultus ſerenitate profetebat. Dominica die qua celebratur aduentus Domini in Hieruſalem, & exceptio eius à pueris cum hymnis, palmarúmque & frondium ramis, vrbem ingreſſus eſt. hebdomada tota pernoctauit in laudibus Dei, cùm tota Eccleſiâ diſcurreretur à paganis gladio accinctis ipſe nihil dubitans, nihil hæſitans, quæ Dei ſunt Deo reddebat peruigil in orationibus, in jeiunijs continuus: adeò vt gentiles ipſi admirarentur deuotionis eius inſtantiam, & reuererentur conſtantiam. Diem Cœnæ ſacratiſſimum in exhibitione mandati Domini, & pauperum recreatione deduxit: pedes pauperum abluens, veſtes & quæque neceſſaria tribuens, & totum ſe Dominicis ſeruitijs conformans & applicans. Iam verò quis referat qualiter ſe die Paraſceve mactauerit, cruciauerit, Chriſto cruci confixerit? Totus in lacrimis, totus in cordis compunctione, in contemplatione, in ſuimet abnegatione, maximè cum videret ſepulcrum IESV præ oculis, & eſſet ei materia doloris & compaſſionis. In orationibus aſſiduus, pernox in vigilijs, fatiſcentes jejunijs artus ſpiritui ſeruire cogebat. Die illa cum nocte ſequenti à loco ſepulcri non receſſit, ammirantibus omnibus inſtantiam illius, quod alijs recedentibus ipſe non recedebat. Quid multa? venit dies ſancti ſabbati, quo expectabatur ignis à Domino & gentiles armati Chriſtianis intrò concluſis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne ſuſcipiendo præſtolantibus totam obſerauerant Eccleſiam, vt ſi ignis non adueniret, omnes gladio perimerentur, cùm ecce, horâ circiter nona, omnibus orantibus, in vna lampade ignis accenſus eſt à Domino, nullius mortalium ſuffragante amminiculo, & gentiles omnes ſtupor apprehendit & pauor, Chriſtianos verò gaudium & exultatio: vt ab omnibus tota certatim caneretur Eccleſiâ, *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus*. Ilicò vir beatus ſacris indutus veſtibus, Miſſa inchoata, *Kyrie eleiſon* ſolemne elata in excelſum voce pronunciauit. Iam enim lectiones & cantica, ſeu quicquid eſt illud conſuetudinarij officij vſque ad accenſionem luminis in expectatione nouæ lucernæ finierat. & ſic *Gloria in excelſis Deo* cum lacrimis & jubilo cordis intonans gaudium Chriſtianis, metum & admirationem

paganis incuſſit. Aſtabant in circuitu altaris vndique frementes & frendentes, ſed tanta erat reuerentia viri, tanta in virum protectio Chriſti Domini, vt omnes ſanctitatem eius & religionem admirantes reuererentur, & omni cum honore dignum ducerent ipſi etiam qui inimicabantur. Noctem illam Pater noſter gratiâ Dei duxit inſomnem, Dominum reſurgentem adorans, & cum Maria Magdalene in horto mentis, vbi virebant per eum plantaria virtutum, hortulanum IESVM videre deſiderans, vt vocaret eum proprio nomine, & ſe magiſtrum & Dominum doceret agnoſcere, vt factus teſtis veræ reſurrectionis eius, in voce fidei annunciaret fratribus, *Reſurrexit Dominus*. Manc facto, conſuetudinarijs Canticis expletis, Miſſam feſtiuè circa horam tertiam celebrauit, & communicatis fidelibus populis cum gaudio, domum rediens celebritati diei ſatisfecit & tota die cum Patriarcha familiariùs loquutus, diem deduxit in iubilo cordis, & voce exultationis, ſemper locum ſepulchri Domini reuiſere geſtiens: recolens & admirans ſudarium capitis Domini non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum.

Diebus feſtis reliquis celebratis in gaudio & tripudio animi, deſtinauit vir mi- XXII
tiſſimus cogitare de reditu. Nec redijt vacuus à munere, quia arca cordis eius repleta erat bona deuotione. Quod autem fuit munus illud? Diſcurrentes pagani per munitiora templi ipſa hebdomada ante Paſcha lapides in populum ſacra celebrantem iaciebant. Caſu lapis veniens intra ſepulcrum cecidit, quem vir Domini pro magno munere ſibi aſſumpſit, & totis illis diebus, quibus celebratur paſſio, vel reſurrectio IESV intra ſepulcrum iacentem vigilijs & orationibus Domino dedicauit. Hunc receſſurus cum magna deuotione ſuſtulit, & exoſculato loco ſancto, quaſi totum ſecum ferret, inter ſancta repoſuit, & valedicens Patriarchæ, proſpera ei imprecatus abire decreuit. Ingemuit ille in voce dilecti vale dicentis, & proferens reliquias precioſiſſimas de ligno Domini, itemque marſupium vnum auro textum prægrande, reliquijs Sanctorum refertum obtulit ſeni venerabili cum gratiarum actione, inquiens, *Accipe, ô dilecte Domini, munus bonæ voluntatis & deuotionis, quod ſit mutui pignus amoris, munus quod nunquam conſumatur, ſemper extet, hæreat, amicò contineat, quod euaneſcentem memoriam excitet; iocundum, quod obuiam animo veniat, & nunquam labatur à memoria. Præſtet Dominus iſtis & omnibus ſanctis intercedentibus, vt iterum videamus nos in cæleſtibus, vbi finis laborum, & remuneratio præmiorum æternorum, vbi nunquam ab inuicem ſeparabimur; gaudentes & guſtantes quàm ſit dulce & iocundum habitare fratres in vnum.* Diuiſi ſunt ergo ab inuicem flentes, quibus ſi licuiſſet conuiuere & commori libuiſſet. Graditur pater Richardus Gratia Dei aggere publico, oneratus onere nobili & dulciſſimo, ſe & ſibi comitantes committens Deo vniuerſorum corde humili & contribulato. Pendebant à collo eius Sanctorum reliquiæ, vt haberet præ oculis paratum ſpecimen ſanctitatis, ne deeſſet cordi memoria eorum, quorum ſarcina delectabili reliquias geſtabat. Quanta verò in redeundo paſſus ſit, ipſe nouit qui pertulit, quæ omnia diiudicat, qui laborum remuneratorem ſe promiſit. Videres virum ſeculis venerandum, dum iret, ſæpius ceruice reflexa verſus ſanctam Hieruſalem humiliari, ſuſpirare, gemere, affectum cordis oculis pandere, gaudere quòd ſanctum locum ſepulchri vidiſſet, dolere quòd non ſemper videret. Hinc ex affectu ſermonem populis dare, beneficia IESV oculis monſtrare, omnes ſubitò ex deuotione ingemiſcere, Deum benedicere, memorari dulcedinis diuinæ, & ad bona ſectanda prorſus accendi. Non cadebat paſſio Domini à memoria, quæ erat ferè tota eius memoria. Quid enim fuit totus vitæ eius excurſus, niſi velle pati pro Chriſto, commori ei & conſepeliri, vt daretur ſibi per Chriſtum in gloria reſurgere cum illo? Ideò tanta paſſus eſt, qui vt pateretur exul pro Domino factus eſt. Et quidem iuſtè. Sapienti enim omnis mundus exilium, & viro iuſto omnis mundus domus. Sapiens autem erat, quem ipſa inhabitat ſapientia, vir iuſtus erat, quia corpus peccatis ſubditum neſcit inhabitare ſapientia.

Reuerſus tandem ad illos ſuos palæſtrites, Sarracenos ſcilicet, qua via vene- XXIII
rat eadem & regrediebatur. Ante muros vrbium Miſſarum ſolemnia celebrans, nec aſſuetos imbres inundantium lapidum pauens. Mirabilis prorſus virtus & ſtupenda, grande myſterium ſpectaculum prædicabile. Stabant ſupra caput hominis Dei hoſtes, dirigebántque in illum lapides adeò prægrandes, vt non

tantum caput, ſed totum prorſus ſi occurriſſent conquaſſarent hominem. Manebat ille intrepidus, quia protegebatur à lapide præciſo de monte ſine manibus. Dirigebantur aliorſum lapides, quia lapidi viuo manenti in lapide qui reprobatus eſt, qui angularis miſſus eſt, timebant illidi: cui ſi illiderentur, frangerentur. Obſtupeſcebant gentiles miraculo, nec nouitate miraculi terrebantur, cuius admiratione deteriorabantur, quoniam ipſa eis admiratio erat peccati innouatio. Stabant à longè Monachi & Clerici quantum iactus eſt lapidis, & peregrini, ipſe ſolus ingrediebatur propiciatorium, qui armum in ſacrificio & dextrum acceperat ſeparatum: quia non ſolùm erat operatio eius vtilis, ſed & ſingularis. qui inter malos non ſolùm quæ ſunt recta faciebat, ſed & benè operantes ſubditos ſicut honore ordinis, ita morum virtute tranſcendebat. Qui cum armo pectuſculum quoque in eſu acceperat, quæ non ſolùm pectore recta cogitabat, ſed & ſpectatores ſuos ad ſublimis armo operis inuitabat. Sed iam quid moramur redeuntem? Reddamus Patrem filiis, vt gratulentur in inuicem, & pro abſentiæ tædio, quod perpeſſi ſunt, ipſi

Simeon. ſibi ſint conſolatio. Non autem prætermittamus Antiochiam ſancti Symeonis præſentiâ claram. Ibi enim inuenit pater amantiſſimum filium, ibi recepit filius patrem cariſſimum, ibi ſocij ſocium, frater fratrem, comites agnouerunt comitem. Neque enim potuit, multis obſtantibus periculis perficere quod decreuerat, præcipuè cùm noſſet diuina reuelatione in itinere illo plura ſe paſſurum aduerſa. Delectatus igitur vterque comparis præſentiâ, delegerunt ſimul Virdunum redire, vt quod ſupererat temporis ſimul explerent in exercicio ſpiritualis philoſophiæ. Venientes autem ad ciuitatem Bellegradam, quæ eſt in confinio Bulgarorum & Hungarorum, à ciuitatis infeliciſſimo Principe prohibitus eſt cum eis tranſire, & ita lugens & dolens diuiſus eſt à patre & fratribus lugentibus & dolentibus Domnus Symeon per multa pericula iuit Rotomagum pro implenda obedientia, pater Richardus Gratia-Dei longo & vario itineris labore redditus eſt finibus Galliæ Belgicæ.

XXIV Occurrit ilicò patri à longe filiorum examen lætantium & gaudentium ob aduentum eius deſiderabilem. Vbi verò percrebuit fama celebrior eum aduenire, factus eſt concurſus ad eum nobiliũ & ignobilium, diuitum, mediocrium, pauperũ, & quaqua verſus veniebat, occurſus gaudentium & concurrentium non deerat. Cum tanta frequentia, cum tanta Pontificum & Palatinorum procerum, necnon Cleri plebiſque lætitia, longa morâ protenſo temporis ſpacio Virdunum vſq; deducitur. Quò cùm nunciaretur adeſſe, totis obuiã portis ruunt, tota obuiam ciuitas progreditur. Senes cum iunioribus, matres cũ infantibus, ætas quoq; ipſa imbecillior in occurſum tanti viri ſe proripit, domi nullus ſubſiſtit. Clericorum, Monachorum, necnon & Sanctimonialium Domino ſacer ordo dicatus obuius egreditur Patri cum crucibus & cereis, & diuerſo Eccleſiaſticæ dignitatis apparatu prꝑſtolans venientem, & remorantem vix ferens, quia cupienti animo nihil ſatis feſtinabatur. Vbi verò venit, & venientem fas fuit videre, clamor populi attollitur, fluunt lacrimę gaudio plenę. Non erat ſatis cuiquam ſemel vidiſſe, niſi daretur iterùm iterúmque videre. Deſcendit itaque, & ſuſceptus deductus eſt ad Monaſterium cum cantico in iubilo, omnibus plaudentibus & dicentibus, *Benedictus Dominus qui facit mirabilia ſolus.* Diem illam gaudijs plenam ſolemnem duxit deuotio fratrum, quia & iuſta eſt cauſa lætitiæ amicum lætum videre: & ſi amicum, quid patrem? Agendum eſt bonis, vt voluntas bona non lateat, ſed aperiatur vt luceat. Verba ceſſent, ſi quemadmodum debet quis afficitur, conſcientia eminebit in vultu. Nihil autem gratius publica amicitia, nullum ſupplicium grauius publico odio. Intellectum enim rei optimæ & dulciſſimæ amiſit, qui omnium deſignatur oculis, & deſignari ſe indicat, qui caret acie oculorum, qui ſenſum beneficiorum amiſit, cuius aures morbus obſtruxit. Sed pudorem tollit multitudo peccantium, & deſinit eſſe probri loco commune maledictum. At contra qui ab omnibus diligitur, æquali perpetuáque voluptate fruitur. Aduentus igitur patris noſtri commune fuit beneficium, quia commune gaudium, quia & cùm abſens eſſet, diligebatur ab omnibus. In prima enim parte animi apud vniuerſos poſitus, ſemper occurrebat memoriæ, nunquam ita ſepoſitus vel abiectus, vt in ignorantiam verteretur. Quidquid verò frequens cogitatio exercet & renouat, nunquam memoriæ ſubducitur, quæ nihil perdit niſi ad quod non ſæpè reſpexit. Reliquias ergo Hieroſolymitanas, ſeu vndecumque quæſitas, quibus onuſtus aduenerat, in Sanctuario Pater Richardus depoſuit,

&

& ſic lectione præmiſſa ſuſceptis & deoſculatis fratribus, vicem beneficijs rependit, gaudens cum gaudentibus, & gratias agens quòd eorum orationibus munitus labores viarum ſecurus percucurrerit, libens tolerauerit, quod gratiſſimum eſt cuilibet enumerare vbi euaſerit. Poſtquam igitur dilectioni ſatisfactum eſt, & proſpera vtrimque replicata, quia in talibus aduerſis referendis ſi qua ſunt, dies reſeruatur craſtina. Ad refocillationem fatigati corporis ventum eſt, quod & abundè, ita tamen vt honeſtati ſufficeret, procuratum eſt. Exinde venerabilis Pater in reddenda beneficiorum vice accingitur, primam eorum penſionem ſoluens, quòd gratè ad eum peruenerint effuſis affectibus iudicare, & hoc vbique reſtari. Cœpit enim quaſi nihil actum fuiſſet, beneficijs addere beneficia, rimari ſingulorum neceſſitates, & ope eas leuare: vt cuncti agnoſcerent patrem ſibi aduenisse & plenitudini gaudij eorum nil deeſſet. O virum omni laudis præconio dignum: qui etiam puerorum lecta per ſe circuibat, vt videret ſi quid eſſet addendum, ſi quid innouandum, ſi quid meliorandum, vt etiam per hoc paternus eius animus agnoſceretur, & debita pietas cunctis impenderetur. Studebat in omnibus reſecare vitia, mores corrigere, vt poſſet plantaria virtutum inſerere.

Nec ſilendum, quid de Stephano, quem Cœnobio ſancti Laurentij prælatum XXV.
diximus, actum ſit. Cùm enim eſſet idem communis pater noſter in expeditione Hieroſolymitana, & per annum continuum penè remoratus fuiſſet, famáque Durannus
fuiſſet defunctum eum eſſe, Durannus Leodienſis Epiſcopus, qui Wolbodoni Ep.
ſucceſſerat, Stephanum ad ſe euocatum, vt loco Abbatis præeſſet, officio monuit, & ammonendo petiuit. Cui cùm vir ſimplicis ingenij patris ſpiritualis prætenderet obedientiam, abſque cuius permiſſu & voluntate nulli fas eſſet quidquam præſumere, ille reſpondit patris Richardi ſe in eius diſceſſu voluntatem agnouiſſe, quòd eum loco præficere delegiſſet: cuius quia nunc obitum audiſſet fama vulgante, decreuiſſet vt decebat voluntatem implere. Quid multis moror? perſuaſum eſt homini, & ſibi minùs cauens ſuſcepit prælationem loci, conſecratus ad officium Abbatis. Non multò poſt vir Dei rediit, & audiens quod factum erat ſuper fratris errore doluit. Ille quoque vt audiuit Patrem adeſſe, non eſt auſus occurrere venienti, ſed cogitauit præuenire faciem eius in confeſſione & ſumptis comitibus venit ad feſtiuitatem Sancti Vitoni. At vbi venit, ſolus abſque comitibus clauſtrum intrauit, orationes fecit, in clauſtro ſedit: & quaſi qui nunquam ordinatus fuiſſet, prælationem abdicauit. Conſpectui patris præſentatus ſatisfecit, qualiter ad conſentiendum inductus fuerit patefecit: ſemper tamen ſe erraſſe, ſe deliquiſſe confeſſus eſt. Aderant & comites, inter quos erat Archidiaconus miſſus ab Epiſcopo, poſcens patrem piiſſimum vt errori locum daret veniæ, & quod actum erat pro ſuo amore ratum ſineret eſſe & ſtabile. At vir mitiſſimus pauca cum conſilio loquutus. *Petitioni*, inquit, *domni Epiſcopi adquieſcere honorificum eſt, & fratrem qui publicè peccauit, publica ſatisfactione corripere bonum eſt.* Hæc loquutus, fratrem vltimum in collegio fratrum interim ſedere præcepit, quoad vſque tractaret in Capitulo de his quæ mandabat Epiſcopus, & conſilio generali quid eſſet agendum diſponeret. Abſceſſit frater à conſpectibus patris, & cum tanta virtute patientiæ iubentis obediuit imperio, talémque ſe exhibuit in obediendo, vt miraretur qui vidiſſet. Vigilia erat feſtiuitatis S. Vitoni, ad quam certatim vndique confluxerant nobiles & ſpectati viri, vulgúſq; promiſcuum, & in præſentia Epiſcoporum, Abbatum, Monachorum, Clericorum, nobilium & ignobilium vltimus omnium ſedit Stephanus cum bona patientia & *vultus eius non ſunt mutati in diuerſa*. Quamobrem ad exorandum patrē Richardum pro ipſius reſtitutione omnes qui aderant vnanimes reddidit eius humilitas. In craſtino coram omnibus culpam profeſſus errati, remiſſionem obtinuit, gratiam reportauit, & de vltimo promotus eſt in ſuperiorem ſtatum, cum gratia patris ſui prælatus cuſtodiæ gregis Dominici, & iam ad Miſſas, vt Abbatem decet, honoratus eſt, qui de correptione illa iniuriatus non eſt. Verùm Archidiaconus Leodienſis, quia domini ſui vt voluit in omnibus exequuta voluntas non eſt, rediens ad illum, non tamen cum Abbate Stephano, teſtis fallax factus eſt, qui rem geſtam non vt geſta eſt, nec eo animo quo geſta eſt, retuliſſe comprobatus eſt. Qui prorumpentes in ſe animi appetitus nulla vi animi coërcens vel refrænans, Abbatiam Lobienſem beato patri pro his, quæ ſecus quàm mandauit geſſerat, abſtulit, & Abbatem contra ius fáſque, quem

voluit ſubſtituit. Ar verò domnus Stephanus aliquot diebus Virduni commotatus, & de correptione melioratus eſt, & quamdiu vixit patrem fratréſque intimo amore dilexit, filioſque ſuos in timore Deo ſeruire docuit, omnibuſque exemplar religionis & diſciplinæ extitit.

Igitur ad beatum Simeonem reflectentes articulum, quid apud Richardum
XXVI. Normaniæ Principem egerit, ſicut in armario Rothomagenſi continetur, licet li-
Simeon. bellus vitæ eius hoc ſileat, paucis explicemus. Ad hunc itaque veniens cum ſocijs, commeodatus eſt cuidam viro nobiliſſimo Gozelino nomine, qui eos gratanter ſuſcepit hoſpitio, & benignè poſt laborem refecit. At verò clementiſſimus Princeps Richardus charitate profluus, miſericordiâ copioſus, ſerui Dei tam prolixi itineris motus labore, neceſſitati ſeruorum Dei de monte Syna compaſſus, plurimas eis largitus eſt diuitias, quas venerabilis Simeon per fratres qui ſecum aduenerant, fratribus miſit, & ipſe cum præfato Gozelino vno tantum contentus famulo Stephano nomine, viro æquè ſancto, biennio manſit, cuius hortatu idem vir nobiliſſimus Monaſterium Sanctæ Trinitatis in vicino monte Rotomagenſis vrbis ædificauit. Illo in loco vir mitiſſimus domnus Simeon reliquias
Mon. S. Trinitatis de monte prope Rotomagum. ſanctæ Catharinæ, quas ſecum ferebat, depoſuit, gaudens diuina præordinari diſpoſitione, vt ſcilicet Occidentalis plebs tanto gauderet ſuffragio, dum eius frequenter releuari mereretur antidoto. Hæc autem eſt ſancta Catharina, quæ à Maxentio Cæſare apud Alexandriam martyrio coronata, ab Angelis ad montem Sinay delata, & in habitaculo angelicis manibus præparato locata, quod quidem
S. Catharina. in modum turriculæ in edito porrectum, vno tantùm foramine ſcala appoſita aditum præbet, oleo, quod de eius corpore profluit, omnibus medetur infirmis. Porrò ad radices eiuſdem montis ipſius Sanctæ Virginis extat oratorium, in quo multa turba Monachorum die noctúque Deo laudes canentium, beatę Martyri deuotum exhibet famulatum. His moris eſt die Dominico montis ſupercilium aſcendere, & Miſſis ibi celebratis duos vel tres ibidem ſemper fratres dimittere ob excubias ſacri corporis, quibus alij viciſſim fratres per hebdomadas ſuccedunt, ſacrumque oleum, quod de illo effluere non deſinit, vitreo vaſe ſuppoſito debilium vſibus reſeruandum ſumma cum veneratione excipiunt, quo non ſolùm Chriſtiani, verumetiam pagani, quod dictu mirabile eſt, inuncti, opem ſibi medicinæ reportant. Inter quos cùm beatus Simeon ſuæ ſeptimanæ fungeretur officio, cum illo ſalutaris olei liquore tria admodum minuta de ſarcofago diſtillantia meruit oſſa excipere. Quæ diligenter collecta, & in concha vitrea cum ipſo oleo recondita ſecum conſeruauit multis profutura, & ea poſtmodum, vt diximus, Eccleſiæ præfatæ ſanctæ Trinitatis Rodomi contulit, auro & argento precioſiora. Continetur adhuc in eodem Cœnobio vas illud vitreum cum reliquijs, id eſt tribus minoribus articulorum junctutis, quod vas ob inundantiam ſancti olei quaque ſeptimana vacuatur, & petentibus pro reliquijs ſancti corporis datur. Beatus autem Simeon apud præfatum Gozelinum biennio manens, cogitauit tandem patrem ſuum cariſſimum Richardum Abbatem ſocioſque ſuos inuiſere, & ſic valedicens omnibus Virdunum venit, & cum eodem patre diebus quamplurimis manſit: & frequenter iniuriatus, tanquam agnus manſuetiſſimus omnia pertulit, & ſpeculum totius ſanctitatis omnibus ſe præbuit.

Igitur anno ab incarnatione Domini MXXVIII. templum ſepulchri Domini fun-
XXVII. ditus euerſum eſt iuſſu Principis Babyloniæ, faciente Iudæorum nequitia. Sequuta eodem anno in orbe terrarum vniuerſo fames, ita cœpit conualeſcere, vt talem antea quis non viderit. Cœperunt enim inter ſe elementa compugnare, ita vt in tribus annis præ nimia pluuia non inuenirentur ſulci vtiles ſeminibus. Tunc in pleriſ-
Fames & peſtilentia. que locis fuit modij precium LX. ſolidorum, aliàs ſextarius XV. Tunc etiam humanæ carnes ab hominibus deuoratæ ſunt, ita vt in forum Trenortij delatæ ſint, ac ſi venundandæ. Quas qui attulit deprehenſus, igne crematus eſt. Carnes verò verò humo traditæ, atque ab alio noctu effoſſæ & comeſtæ ſunt. Qui deprehenſus, & ipſe combuſtus eſt. Tunc prope Eccleſiam Sancti Iohannis in caſtanedo prope ciuitatem Matiſconenſem ſitam quidam ſibi tugurium ſtatuerat, qui cùm nocte quadam errantem ſuſcepiſſet hoſpicio, deprehenſus ab eo huiuſmodi cibo veſci, cùm ſuſceptus timens ſibi fugæ ſe credidiſſet auxilio, te in ciuitate patefacta, miſſis exploratoribus inuentus cum XLVIII. capitibus trucidatorum,

quorum carnes vorauerat, & hic deprehenſus igni traditus eſt. Tanta fuit famis anxietas in partibus illis, vt quidam albam terram argillæ ſimilem effoſſam, permixta farinâ vel cantabro, pane inde facto comederent. Miſerum erat & dolendum, videre ora marcentia jeiunio, hos ad terram ruere non eis ſuffragante cibi ſolatio: iſtos morientes aſpicere, alios dum eis funus exhiberent, pariter commori, & ſuper ipſos occumbere, plures numero inſepultos jacere, quia non erat qui ſepeliret. Sequuta eſt & alia peſtis, quia è cadaueribus mortuorum præ nimia multitudine ſepulturâ carentium lupi adeſcati, cepere prædam ex hominibus. Tunc carnaria facta ſunt à Deum timentibus in quibus patrem filius, fratrem frater, & mater filium dum deficientes aſpiceret, protrahebat; & aliquando ipſe, dum deſperabat de vita, ſuperaddebatur, itavt gratiſſimum id eſſet officium funeris, ſi ſpirans aliquis illò à quouis proiiceretur. Quamobrem in expenſis egenorum, Eccleſiarum ornamenta diſtracta ſunt, diſperitique theſauri: *Aurum* enim, vt ait moralis Doctor Ambroſius, *Eccleſia habet non vt ſeruet, ſed vt eroget.* Quis autem eo tempore reconderet, cùm reconditis, ſi fames ſaltim quinquennio duraſſet, nullus eſſet qui frueretur? Sed nec omnibus ſubueniebatur, quia voluntati poſſe non ſuffragabatur. Hac ergo tempeſtate ciuitatum Gallicanarum Præſules conſilium, quo tanta mali moles leuaretur, ineuntes, hoc tandem adinuenerunt, vt quia deficientibus jam ex toto alimentis omnibus opitulari nequibant, ne terra habitatore deſtituta in ſolitudinem redigeretur, aliquos quos eſſe vegetiores conſtaret, dato pro poſſe numero cotidiano qualicumque cibo ſuſtentarent: non vt alijs ſolaria quæ poterant ſubtraherentur, ſed vt iſtos ſuſtentatos terræ cultores reſeruarent, & alijs miſericordiæ viſcera non negarentur. Det illis Deus inuenire miſericordiam, qui in tanta anguſtia miſericordiam neceſſitatem patientibus impenderunt; & parcat eis, qui cùm poſſent, voluntati indigentium non vt debuiſſent & potuiſſent, conſuluerunt. Inter has anguſtias venerabilis Abbas Richardus mente compunctus, cùm omnia quæ habebat, pauperibus, contuliſſet, non pepercit theſauris Eccleſiæ, imò quæ in eis precioſiora erant in ornamentis & pallijs, vendidit Remenſi Eccleſiæ, & precium eorum pauperibus diſtribuit, retento quoque ſibi certo numero eorum quibus cotidianum victum vt viuere poſſent impertiebatur; mittens præter hæc litteras & nuncios, & per ſe etiam commonens Reges & Principes, Pontifices quoque quibus familiaritate iungebatur, vt theſauros, quos tinea & ærugo demolitur, per manus pauperum cæleſtibus palatijs inderent, & ventres egenorum gazophylacia æternitatis ſibi conſtituerent. Accepit etiam pecuniam non paruam à Comite Ruthenenſi, conceſſa loco vadij Abbatia Sancti Amantij, *S. Amantij Abbatia*
quæ erat iuris Eccleſiæ Sancti Petri, quam omninò pauperibus partitus eſt. Verùm Comes data pecunia & Abbatiam ſibi vſurpauit cum redditibus & fundis, & *apud Rutenos.*
vt aſſerunt habitatores Rutenæ vrbis, antequam pecunia recepta fuiſſet ex eiuſdem Abbatiæ fundis, ipſe morte præuentus eſt, & ſic Abbatia à ſucceſſoribus eius retenta eſt, quanquam ab inhabitantibus non tota ſancti Amantij Abbatia, quæ latiſſima eſt, & poſſeſſionis enormis, iuris Eccleſiæ Virdunenſis eſſe dicatur, ſed pars quædam, videlicet Abbatia Sancti Marij de vtra...bra, vt moderni teſtantur etiam nunc. Nec debet reticeri Vvillelmi ſupra regulæ factum me- *Vvillelmus Abbas.*
morabile. Cùm à Fructuarienſi Cœnobio, quod iuris erat Diuionenſis Eccleſiæ rediiſſet, & Diuioni, vt decebat, ſuſceptus in capitulo qualiter ſe fratres haberent, ſi neceſſaria non deeſſent inquireret. Vt audiuit omnia eſſe plena, nullumque locum indigentiæ, qui non poſſet leui obice obſtrui, interrogat de eleemoſyma: cognouitq; quia etſi conſuetudinaria dabatur, non tamen pauperibus prout poterant & habebant ſuffragabantur, zelo ſuccenſus eo qui carnes ſanctorum exedit, increpata eorum duritiâ, à ſede concitus cum bona indignati animi ſtomachatione ſurrexit, & impoſita Antiphona de mãdato, *Vbi eſt charitas?* non vltra progrediens, ſed hoc eius initiũ ſemper repetens, ad Cellarium venit, & miſſile quodlibet, quod manibus Finées occurrit, arripiens, cùm in ore & animo eius ſemper verſaretur, *Vbi eſt charitas?* vaſa, in quibus frumentum, ordeum, & vinum ſeruabatur, diſrupit, & accitis pauperibus vaſcula eorum impleuit, illud ſemper corde & ore depromens *Vbi eſt charitas?* & operis exibitione conteſtãs. Cuius animi indignitatem vix aliquando vt quod aggregatũ erat expenderetur, mitigare potuerunt: cùm, *Vbi eſt charitas?* ſemper

reperiretur, & ipſi incraſſati, impinguati, dilatati, exprobrarentur. Nec antea ceſſatum eſt, donec omne illud repoſitum pauperibus donatum eſt, & ipſe ad Italiam remeans, cùm biennio ſuum à ſæculo expectaſſet exceſſum, tandem redire compulſus ante Diuionem tranſiens loca ſibi commiſſa circuibat, dehinc Fiſcannum ſe contulit, vbi imminente anno Dominicæ incarnationis MXXI. Indict. XIV. obiit, Kalendas Ianuarij, ad cuius ſepulcrum puerulus decennis à maxima ægritudine ſanatus eſt. Hoc anno Chono, qui & Conradus, in Franciam venit.

Concilia diuerſis locis cœpta firmata. Anno igitur à Paſſione Domini M. ab Incarnatione verò MXXXIII. cœpit placida ſerenitas terræ dulcedinem creatoris oſtendere, & frugum abundantiam portendere. Tunc per Aquitaniam, & Arelatenſem, & Lugdunenſem prouincias, & per vniuerſam Burgundiam Concilia inſtituta ſunt, & pax firmata. Statutum eſt etiam VI. feria à vino & VII. à carnibus abſtinere, niſi grauis infirmitas intercederet, & tunc III. pauperes reficerentur. Eo quoque anno tanta copia frumenti, vini, ceterarumque frugum extitit, quantam in ſubſequente quinquennio quis ſperare non potuit. Sed humana ſtirps immemor beneficiorum Dei, velut canis ad vomitum reuerſa, recalcitrauit, & ad malitiam conuerſa eſt. *Richardus iunior.* Præerat eo tempore Comitatui Normaniæ Richardus iunior, primi Richardi filius, qui in Fiſcanenſi Cœnobio, in quo pater ſuum Clericos inſtituerat, abiectis Clericis Monachos introduxit ſub regimine Vvillelmi Abbatis, quibus etiam ad vſum cotidinarium, in ornamentis & prædijs, fundis, & redditibus tanta largitus eſt, vt cupiditati ſatisfeciſſe videretur. Erat enim in eleemoſynis largus, in caritate profluus, Eccleſiarum amator, pauperum recreator, ſeruorum Dei præcipuus venerator, in cuius manu eleemoſyna ſudabat, donec inueniretur cui daretur. Huius tempore viris religioſis floruit Normannia, qui ad eum vndique confluebant velut apes ad aluearia. Inter quos hunc virum beatum propenſiori coluit reuerentia, adeò vt ſpeciali eum amore diligeret, & præceptis eius obtemperare, conſiliiſque adquieſcere gauderet.

XXVII. Obijt quoque Richardus II. Normannorum Dux anno Incarnat. Domini MXXVI. & ſucceſſit Richardus III. & eodem anno defunctus eſt. Poſtquam *Richardus III.* Robertus Comitatum Normanniæ adeptus, hunc ter beatum Richardum, de quo nobis eſt ſermo, inter primos habuit, conſilióque eius regni Normanniæ tractabantur negotia. Tunc extitit quidam Brito nomine Ermenoldus, homo *Robertus* mentis peruerſæ, deteſtandæ famæ, qui totam vitam ſuam diabolo dicauerat, vt poſt experimentis probatiſſimis compertum eſt. Hic horis & momentis omnibus cum diabolo loquebatur, & quicquid ſibi agendum foret, illius nebuloſo alloquio diſponebatur. Hic per ſuſcepta iniquitatis conſilia ad plenam iniquitatem enutritus, & verè membrum illius factus, qui eſt fomes malitiæ & diſcordiæ, & omnis nequitiæ, apud præfatum Principem omnes optimates totius regni accuſauit, quaſi qui eius meditati eſſent dejectionem & necem, & ita ſtatum totius terræ perturbauit, vt verè diaboli hoc opus eſſe, eius hoc artificium, eius commentum agnoſceretur. Inflammatur Princeps aduerſùs Optimates, fiunt diſſidia, excitantur iurgia, & vno inteſtino bello tota dèbacchatur Normannia. Hac creſcente diſcordia, Comitatum pater Richardus adire compellitur, & adiuncto ſibi domno Ermenfrido Rotomagum aduenit, & pace inter Principes reſtituta, prædictum Ermenoldum aliquantiſper mitiorem, quia ante conſpectum ſeruorum Dei caſſabatur omnis diabolica aſtutia, conuictum & correptum ſecum Virdunum deduxit, Monaſticis veſtimentis induit, & hominem diaboli laqueis irretitum quæ ſunt dæmonis ſpernere docebat. Sed in corpore peccatis ſubdito refugit habitare ſapientia. Simulabat ille ad tempus ſe philoſophum, vt crederent eum qui non nouerant rheoſophum, ſed nil fictæ pacis amicum ſapientia nouit. Quamobrem omnis eius aſtutia & nequitia breui cognita eſt, nec potuit latere inter ſanctos feralis illa rabies, pacis inimica. Egreditur inimicus homo de loco non ſuo, redit ad ſua, vtitur arte impudentiſſima, & iterum peruerſitate malignitatis eius corrumpitur Normannia. Projicitur de latebris, quo ſe fortiorem & valentiorem credebat: & quia diaboli calliditate in mortem ducendus eſſet, à beato ei viro prædicitur, nec fruſtratur promiſſis. Poſtquàm enim plures Optimatum Normanniæ coniuratione conficta & impoſita duello ſuperauit, quos conuictos principalis ſeueritas oculis terriſque priuauerat, à quodam foreſtario conuictus, ſuperatus, & occiſus, finem

vitæ fecit & criminum. Quo in facto intueri libet dulcedinem & pietatem viri iuſti, qui hominem verè diaboli ergaſterium vt vidit præcipitante diabolo conuictum, ad ſinum miſericordiæ confugere docuit, & factum incorrigibilem ne diutiùs graſſaretur in vitijs, ad exemplum omnium perditorum citiùs perire nunciauit, vt eſſet ei tantò leuior pœna poſt mortem, quantò celerior peccanti accederet vindicta poſt mortem.

Veniamus igitur jam nunc ad illud lacrymabile bellum apud Bar caſtrum habitum anno Incarnationis Domini MXXXVII. in quo cecidit Odo filius Odonis filij Terbaldi Carnotenſis, cuius cognomen fuit Tricator, qui Willelmum, Normannum Rollonis filium dolo interfecit, qui ex ſorore Heriberti Trecorum Comitis genuit Odonem, vt diximus, patrem huius Odonis. Et vt pleniùs illuceſcat rei veritas, dicamus quæ fuerit cauſa tanti certaminis. Conradus Burgundiæ Rex accepit vxorem Mathildem ſororem Lotharij junioris Regis Francorum & data eſt ei à Lothario in dotem Lugdunum ciuitas Galliarum nobiliſſima. Ex illa Mathilde genitus eſt Rodulfus Rex, qui præfuit Burgundiæ poſt patrem; & Giſla, quam Conradus Imperator duxit vxorem, ex qua genuit tertium Heinricum; Berta etiam, quam accepit Odo Carnotenſis, ex qua genuit hunc Odonem. Rodulfus verò Rex abſque liberis exiſteos, Conrado Imperatori Burgundiæ regnum dereliquit, dans ei lanceam S. Mauricij, quòd erat inſigne regni Burgundiæ. Eo verò defuncto, & Conrado regno potito, Odo, quia erat ex ſorore Rodulfi, ſumpta tyrannide ad regnum cæpit aſpirare: & qui erat acris animi & ferocis ingenij, frequentibus irruptionibus irrupit fines Burgundiæ, obtinuitque ciuitates & caſtella vſque ad Iuram & montem Iouis, & magnus factus eſt vehementer. Obſedit quoque Viennam, quam ea conditione in fœdus recepit, vt præſtituto termino in eadem vrbe Rex appellari & coronari debuiſſet. Infra hunc terminum expeditionem mouit in regnum Lotharingiæ, & Bar caſtrum cepit, dimiſſiſque ibi militibus quingentis, ad alia ſe conuertit, quia curis agitabatur innumeris. Rebellauerat enim contra Heinricum Francorum Regem Roberti filium, & econtra cœptis eius obſiſtebat Conradus Imperator, quorum lis magna fuit. Qui miſit ad expugnandum illum Gozelonem Ducem. Hoc Odo agnoſcens rediјt, & ſe ad bellum contra Lotharienſes accinxit. Gozelo autem Dux totius primæ Retiæ cum nimio exercitu irruens in eum, cùm diu vtrimque pugnatum fuiſſet, exercitum eius in fugam vertit, & ibi Odo ipſe miſerabiliter corruit. Cuius corpus lacerum venerabilis pater Richardus & Rogerius Catalaunenſis Epiſcopus à cæde ſuſceptum, reddiderunt vxori, & eſt ſepultum Turonis. Cecidit in bello illo & Manaſſes Comes, & Euruinus, & Dido, & Virduni ſepulti. Vualeranus quoque Comes in bello ipſo à Godefrido Gozelonis Ducis filio grauiter vulneratus, cùm jam deficeret pugnans, vitam popoſcit & membra, vt liceret ei apud Virdunum ſub regimine patris Richardi Monaſticis indui veſtimentis, ſicut Deo deuouerat, quod & obtinuit. Et bello exacto, cum præfato Patre rediјt, & Monachus factus eſt, &c.

XXIX.

Od.

Lancea S. Mauritij.

Gozelo Dux.

Habitauit autem vir Dei, primitus in loco v. millibus à Romarici monte ſemoto, qui nuncupatur ..... vno tantùm comite contentus, cui tamen verſa vice dominus cum Martino ſeruiebat. Vbi quanta ſe corporis maceratione attriuerit, quanta mentis contritione animam releuauerit, ſolus internorum arbiter nouit, quia & ille ſic opus dexteræ peregit, vt ignoraret ſiniſtra, maximè cùm incolatum ſuum prolongari cotidie defleret, qui volebat à conſortio habitantium Cedar tenebroſo diuelli. Poſt hæc ad locum, qui Rombechus dicitur, ſecedens, ibi habitaculum ſibi inſtituit. Et cùm ibi vellet diutiùs latere, non potuit. Cœperunt & illò confluere, quia ſimilis inoleuerat ardor vitæ anachoreticæ, & eius ſe diſcipulatui contradere: quibus & ipſe normam viuendi inſtituit ſecundum morem à ſanctis Patribus inſtitutum. Cùmque jam quinquennium dedicatæ pœnitentiæ impleretur, deuotio ſancti deſiderij non minuebatur, quin in dies propenſiori ſtudio augebatur, quia in ipſa ſua exercitatione delectabatur, qui delectatione paſcebatur. Inclinauerat enim ceruicem animi in teſtimonia Domini, inceſſu humilia, ſucceſſu excelſa, proceſſu clariſſima, & quia veram philoſophiam amplexabatur, excitabatur, accendebatur, & ardebat, *ignitum enim eloquium tuum vehementer Domine, & ſeruus tuus dilexit illud.* Reuocabatur ab Epiſcopo & fratribus

eius abſentiam ægrè ferentibus, & illud ei ſæpiſſimè intendebatur. *Revertere,
revertere Sunamitis, revertere revertere, vt intueamur te.* Sed ab eo verbis, litteris,
actu quoque ipſo reditus denegabatur. Vidi ipſe quaſdam Epiſtolas inuicem
miſſas, & legi puerulus: in quibus conſtantiam eius in reſponſis, cùm ei verbum
reſponſionis opponeretur, vt diximus, ita in fine vnius Epiſtolæ fratrum repreſſit
intentio. *Si*, inquiunt, *verbo verbis obuiare volueris, non deficient verba pro verbo laborantibus.*

Anno ab incarnatione Domini MXXXV. Robertus Comes Normannorum
XXX. Hieroſolymam iuit, infinitam pecuniam ſecum ferens, quam omninò pauperibus
partitus eſt, & in redeundo apud Niceam obijt. Cui ſucceſſit Vvillelmus
Guillelmus in ætate puerili. Eo anno Iohannes Papa obijt, & ſucceſſit Benedictus, Iohan-
Nothus. nis nepos. Vvillelmus fraude ſuorum Normannia pulſus * Robertum Francorum
* *Henricū.* expetiuit Regem, qui bello & manu valida congreſſus, victis & proſtratis Nor-
mannis, de traditoribus iudicio dato Comitatum ei reſtituit. Qui poſtea Mathil-
dem Balduini Flandrenſis ſororem in matrimonium accepit. Hoc etiam tanto
amore venerabilem hunc de quo ſermo agitur, coluit, vt eius conſilijs in illa tem-
peſtate Palatina diſponeret moderamina, & quanquam ægrè ad ſe accitum om-
nigena honoraret deuotionis & dulcedinis inſtantiâ, adeò vt Eccleſiam Roto-
magenſem cum Præſule Sedis ipſius & Clero, eius gauderet decorari doctrinâ, vt
ex multarum faciebus rerum nunc vſque conijci poteſt, etiam à Libro communi
ſecundum modos inſtitutionum eius ordinato, poſt maius altare catena firmato.

Rambertus Rambertus Virdunenſis Epiſcopus Hieroſolymam vadens villa Bellagrada
obiit anno Dominicæ incarnationis MXXXVIII. Pontificatus ſui anno XIIII. &
poſtmodum tempore Richardi ſucceſſoris ſui à Clericis Bernero & Bernardo
relatus, Virduni eſt ſepultus in Monaſterio. Hoc etiam anno obiit Amadeus Ab-
Amadeus. bas Flauiniacenſis XIIII. Kalendas Aprilis.

Anno ab Incarnatione Domini MXXXIX. die kalendas Iulii, VI. feria, luna
XXVIII. facta eſt eclipſis ſolis. Sol enim factus eſt Saphirini coloris, & eadem die
natali Apoſtolorum quidam Romanorum in Clementem Papam inſurgentes, &
interimere eum volentes, cùm non potuiſſent, à Sede eum depulerunt. Sed Con-
radus Imperator illuc veniens propriæ eum Sedi reſtituit, & eodem anno apud
Heinricus Saxoniam obiit, & tertius Heinricus ſucceſſit. Clemens quoque Papa, primò
III. Imp. Baueberger.ſis Epiſcopus, dictus Suicherus obijt. Heinricus verò poſt mortem
Ramberti primo regni ſui anno viro Dei Richardo Epiſcopium Virdnnenſe
conceſſit, ſed vir mitiſſimus hoc renuit, & Richardum ſuum in baptiſmate filio-
Richardus lum Hildradi Comitis filium inthroniſari fecit. Eo tempore, in menſe Nouem-
Ep. brio Luna XXVIII. facta eſt eclipſis ſolis, & viſa eſt ſtella quæ Lucifer dicitur,
veſpere ſurſum & deorſum agitari, quaſi comminando terrigenas. Tunc etiam in
Romana ſede quidam puer annorum XII. ſtatutus erat Symoniacè, turpitudo cuius
conuerſationis & vitæ horrori eſt referre, fuit quoque in illis diebus ſuprataxatis
circa annum milleſimum Dominicæ incarnationis diſſenſio maxima poſt mor-
tem Burchardi Lugdunenſis Archiepiſcopi, qui hoc ſolùm fecit nobile quòd
periit, pro Epiſcopatu ipſo, quem multi ſuperbè appetebant. Et primus om-
nium prædicti Burchardi nepos Burchardus Auguſtanus Epiſcopus relicta pro-
pria Sede procaciter Lugdunenſem arripuit, & poſt multas perpetratas nequi-
tias captus à militibus Imperatoris, perpetuo eſt condemnatus exilio. Poſt eum
Geraldus · oines filium ſuum puerulum arroganter ibi ſola præſumptione aucto-
re conſtituit, & hic in fugam verſus delituit. Regebat eo tempore regnum Fran-
Heinricus corum Heinricus Roberti Regis ex Conſtantia filius. Nam Hugo, qui adhuc
Rex. decennis coronatus eſt, immatura morte præuentus eſt. Tertium Robertum cùm
voluiſſet mater facere Regem, nec potuiſſet, Ducem conſtituit Burgundiæ.
Fuit quoque diſſenſo magna inter ipſum Heinricum, & filios Odonis, qui apud
Barrum obiit, Tetbaldum & Stephanum: adeò vt idem Rex, ablato ab eis
dominio Turonicæ vrbis, daret illud Gotfredo Tuditi filio Fulconis, qui eam toto
anno obſedit, & inito bello Stephanus fugatus eſt, Tetbaudus captus cum ſuis
ante ciuitatem deductus, reddidit eam Gotfrido, & in captione remanſit. Mille
ſeptingenti & ea amplius viri abſque ſanguinis effuſione in prælio capti ſunt. Ea
tempeſtate Vngros ſecundò ſibi rebelles cùm viciſſet Imperator, & omni imperio

ſuo Epiſcopos congregari fecit, & contra Simoniam agens ita orſus eſt: *Logens vobis incipio loqui, qui vice Chriſti in eius Eccleſia conſtituti eſtis, quam ſibi deſponſauit, & ſuo ſanguine redemit. Sicut enim gratuita bonitate de ſinu patris per virginem ad nos redimendos venire dignatus eſt, ita ſuis præcepit & dixit, mittens eos: Gratis accepiſtis, gratis date. Vos autem auaritia & cupiditate corrupti, qui benedictionem conferre debetis, in hac trangreſſione dando & accipiendo maledicti eſtis. Nam & pater meus, de cuius animæ periculo valde pertimeſco, eandem damnabilem auaritiam in vita ſua nimis exercuit. Itaque quicumque veſtrum hac ſe macula pollutum agnouerit, oportet vt à ſacro miniſterio arceatur. Propter hanc enim offenſam venit ſuper filios hominum fames, mortalitas, & gladius. Omnes enim gradus Eccleſiaſtici à maximo Pontifice vſque ad oſtiarium opprimuntur per veſtræ damnationis præmium, & in cunctos ſpirituale graſſatur latrocinium.* Ad hanc vocem Imperatoris ſtupefacti Pontifices, miſericordiæ operam implorabant. At princeps miſericordiâ motus, & pro anima patris ſui orare eos monens, propoſuit edictum, *vt nullus gradus vel miniſterium Eccleſiaſticum precio adquireretur; & ſi quis attemptaret, omni honore multaretur. Sicut, inquiens, Deus coronam imperij gratis mihi dedit, ita ego quod ad Religionem pertinet gratis impendo. Volo vt & vos ſimiliter faciatis. Puerulus itaque qui Romanæ* incubabat Eccleſiæ, præcepto Imperatoris à ſede dejectus eſt, *& Gregorius VI. natione* Romanus ſubſtitutus eſt. Cuius bona fama quicquid prior fœdauerat in melius reformauit. Hic ſanctum Odilonem insti-
S. Odilo.
tuens Lugdunenſi Eccleſiæ ordinari Pontificem, miſit ei pallium & anulum. Sed vir religioſus humilitati ſtudens hoc renuit, pallium tamen & anulum retinuit, ſeruans illud Pontifici qui dignus eſſet. Quod vſque hodie Cluniaci habetur. Heinricus verò, recepto regno Auſtraſiorum, comperta diſſenſione condoluit, & apud Byſuntium anno ab incarn. Domini MXLI. electione Cleri & populi fir-
Odelricus Ep.
matum domnum Odelricum Lingonenſem Archidiaconum ſpecioſis ornatum indumentis ad Lugdunenſem deſtinauit ſedem & facta eſt Prouinciæ quies, & gaudium populo. Anno ipſo Treua Dei primùm ſtatuta eſt & firmata, & pax ip-
Treua Dei
ſa Treua Dei appellata. Quæ non ſolùm humanis præſidijs, ſed & diuinis confirmata eſt terroribus. Quam cùm noluiſſet recipere gens Neuſtriæ, viro Dei Richardo prædicante, & vt eam ſuſciperent, quia voluntas Domini erat, & à Deo non ab homine decretum hoc proceſſerat, ammonente, diuino iudicio cœpit in eos deſæuire ignis, qui eos torquebat, & eo anno ferè totus orbis penuriam paſſus eſt, pro raritate vini & tritici. Sequuta eſt eueſtigio mortalitas hominum præmaxima anno ab incarn. Domini MXLII. Multi autem eorum, qui torquebantur ab igne, venientes ad virum Dei, meritis eius & precibus curabantur medica virtute Dei. Supereſt adhuc domnus Eduenſis Epiſcopus, vir vitæ longæuitate grandæuus, qui & referre ſolitus eſt, quia cùm à ſancto Odilone & cæteris ipſa pax diuinis reuelationibus inſtituta, Treua Dei appellata, & ab Auſtraſijs ſuſcepta fuiſſet, & voluntas omnium in hoc eſſet vna, vt vbique ſeruaretur: negocium hoc ſtrenuitati huius patris noſtri Gratiæ-Dei ab omnibus impoſitum eſt, vt eius ſtudio & induſtria pax eadem in Neuſtria ſeruaretur, eo quod certi eſſent de eo, quòd tanta eſſet eius erga omnes, & omnium erga eum gratia, vt quicquid ſeruandum doceret, ſeruaretur à cunctis, quicquid vitandum monſtraret id cuncti vitarent. Quamobrem ſategit pater venerabilis, vt tantum bonum gratanter ab omnibus ſuſciperetur, ſed peruerſa quorumdam voluntas, & mens indomita, quaſi inauditum hoc reſpuit, quaſi qui nollent inſtituta paterna violare, & noua atque inaudita ſuſcipere. Vnde & ſubſequuta eſt diuina vltio, ignis ſcilicet in rebelles & contumaces deſæuiens à Domino, quo torquebantur, qui viro Dei reſiſtere, & mandata eius contemnere non verebantur. Videres Monaſterium eximij patris ardentium turbis refertum, quos ipſe ſanctorum reliquijs aqua benedicta reſperſis
Ardentes ſanati.
& vino lotis, & puluere qui de petra ſepulchri Domini radebatur vino ipſo conſperſo, & ad potandum miſeris dato, pace firmata, & iurata priſtinæ ſanitati reddebat. Pro innumeris autem turbis confluentium infirmorum vas potus illi paratum erat, vt ſi aduenirent ægroti, potus ſalutis non deeſſet, ne fallerentur ſi hora incompetenti veniſſent; neue tunc foret neceſſitas recurrendi ad ablutionem reliquiarum, quod poſt expletionem Miſſæ impleri mos erat.

ANNO igitur ab incarnatione Domini MXLV. Heinricus duxit vxorem nomine Agnetem filiam Willelmi Pictauienſis apud Byſontium, vbi affuerunt Epiſcopi

XXVIII. Cùm enim eſſet aliàs bonus & omnes eius ſitirent dominium, carnis tamen incontinentiam frænare non potuit. Pater Richardus tunc temporis Monaſterium nolebat relinquere, à quo pro nullis ingruentibus cauſis patiebatur auelli, quia ſciebat & prædixerat filijs imminere reſolutionem ſui corporis. Etenim ſuperioribus annis quando lues illa, de qua impræſentiarum mentionem fecimus, populum vaſtauit, cùm dilaberetur populus, & ciuitas Virdunenſis ferè redigeretur in heremum, commune periculum communi oratione tolli conſultum eſt. Cuius neceſſitatis vrgente miſeriâ, communi voto deliberatum eſt, beati Vitoni implorandum eſſe præſidium, cuius ſe confidebant meritis vitæ proculdubio capturos remedium. Viſum etiam eſt Richardo Epiſcopo, ipſius Confeſſoris corpus ſanctiſſimum exponi debere de feretro, vt proceſſione ſolemni euectum præſentaretur conſpectibus omnium, vt plebs ipſius fulta patrocinio, dum Sancti videret loculum, eius propenſiùs expeteret ſubſidium, quod nouerat ſibi non defuturum. Contradicente itaque viro reuerendiſſimo patre noſtro, Præſul quod deliberauerat in craſtinum impleri deſtinauit: obſiſtente eo & dicente, leuandam quidem miſeriam populi, ſed Epiſcopo non ceſſurum in proſperum, qui auſus fuiſſet inquietare ſancti corpus honorificum. Noctem illam Pater inſomnem duxit, antè altare ſanctis orationibus vacans cum lacrimis. In craſtinum venit Epiſcopus, Clerus omnis, & populus, & cum multo timore & reuerentia ſancti Pontificis exponit reliquias ſuper aurum obriſum precioſas. Quod vbi factum eſt, Pontificem Pater adiuit. *Impleſti*, inquiens, *quod voluiſti, ſed noueris te quintum ab hinc annum in ſæculo non viſurum. Mihi quoque qui aſſenſi, ante quintum ſimiliter annum terminus erit vitæ, te poſt modicum ſubſequente.* Dixerat, & dictum rei probauit euentus. Quarto enim necdum exacto anno, viribus corporis cœpit pater deſtitui, & conuocatis fratribus indicauit imminere diem ſuæ reſolutionis. Mox itaque abbatiæ ſancti Petri Catalaunenſis Odilardum abbatem inſtituit, Bello-loco patrem Richardum delegit, Cœnobio ſancti Huberti Teodericum, S. Vrbani Stephanum, viros in omni theoria probatiſſimos, in ſeruando Religionis propoſito clariſſimos. Has enim abbatias ipſe per ſe regebat. Exoneratus ergo ab omnibus, illam ſibi tantùm retinere cenſuit, cui paſtor datus fuerat, in qua etiam ſe ſepeliri deſtinauerat. Et iam in mandatis Domini aſſiduus potius quàm frequens, die quadam cùm vidiſſet vnum de fratribus Monaſterij, cui nomen Myſſac, grauiter æſtuare febribus, vt quaſi intercipi videretur ſpiritus eius, manum illius tenuit, & vt nunciandæ horæ operis Dei ſignum daret, ſanus factus & incolumis, præcepit. Ille in voce iubentis factus ſanus obediuit patris imperio, & ſic omni ægritudinis caruit incommodo. Itaque, qui tantis abundabat virtutibus, imminente die vocationis eius decubuit febribus, & vltimâ illa exercebatur ægritudine. Quod vbi per vrbem ſonuit, aduenit Epiſcopus, Monachorum quoque, Clericorum, & Sanctimonialium cœtus; & viſitatione ſolemni oſtendebant erga patrem deuotionem piæ affectionis. Nec redijt ad domum Epiſcopus, quinimò cotidianis excubijs adhærens ei, non die non nocte ab illo patiebatur auelli. Aduenerunt & vicinarum vrbium Epiſcopi, Abbates, & quique magnates, ad viſitandum eum, & commendandos ſeſe, quibus videbatur, quòd in obitu eius omninò terra commoueretur, & conturbaretur. Excubabat diebus ac noctibus ante domum eius turba filiorum, & ceterorum fidelium, alij patri ad meliora feſtinanti valedicere, & ſe commendare volebant, alij ſanitates corporum expetebant, vt ſaltim aquam ablutionis manuum eius mererentur, qua inuncti refocillarentur. Vbi ergo ſenſit imminere horam vocationis ſuæ, filios quos Chriſto adquiſierat conuenire iuſſit, & inunctus ab Epiſcopo oleo ſancto, confeſſione data, viatico cæleſti paſtus, expoſitus eſt lectulo, & iacuit in cinere & cilicio, ita vt altare Sancti Nicolai eius ſemper appareret conſpectui. Inde fratres alloquutus, conſueta ſalutis documenta replicans, Deo vt ſeruirent & adhærerent ammonuit, ſuique vt memorarentur piiſſima deuotione petiuit, omnibus in commune flentibus, & ſuam deſtitutionem ingeminantibus; cùm ipſe omnino cohiberet lacrimas, ſolaretur dolorem, & Chriſti Domini promitteret affuturam protectionem. Poſt hæc reliquias, quas Hieroſolymitanus Patriarcha ei dederat, ſibi afferri præcepit: & ſalutatis eis atque deoſculatis cum multa reuerentia, eàs quas collo ferre conſueuerat expoſuit, & ante ſe reuerenter ſiſti præcepit. Hinc commune Sanctorum patro-

patrocinium implorans, elata manu fratribus & omnibus qui aderant, benedixit, & ſibi benedici petijt. Sicque data filijs licentiâ exeundi, ipſe oculis & manibus in cœlum porrectis ei intendebat ad quem feſtinabat. Legebantur ante eum paſſiones Dominicæ, lectiones quoque ex quarto Dialogorum Libro: & felix eius anima illi ſoli adhærebat, cui ſe totum commiſerat. Vbi verò cœpit jam ab inferiori parte corpus emori, Sanctorum reliquias apprehendens in lectulo ſedit, & ad pedes eas ponens, atque vti vitalis calor deficiebat, paulatim eas protrahens, tandem in pectore ſubſtitit, & reliquias ibidem cùm reclinaſſet, depoſuit. O admirandam viri deuotionem! ô prædicandam eius in omnibus ſanctitatem! Cùm ergo reclinaſſet, manus reliquijs appoſuit, & ſic vſquequo ſpiritum Creatori redderet, erectis ad Deum luminibus manſit. Aderat ibi Epiſcopus, & viri Religioſi, quos obligauerat amor & beneficia pij Patris, qui exitum eius præmuniebant orationibus continuis & pſalmodiâ, qui vix & raro, licèt ad horam ſeparabantur ab eius præſentia, ne contingeret eos abſentes eſſe quando à corpore migraret felix anima. Illuceſcente itaque die menſis Iunij XIV. quod eſt XVIII. Kalend. Iulij, hora jam imminente tertia, præſentibus filiis ſuis, quos loci anguſtia capere poterat, ceteris in maiori Eccleſia conſiſtentibus & canentibus, ſancta illa anima corporeis nexibus abſoluta ad illud peruenit æternum, quod eſt vnum & inſeparabile trinum. Oculos patris clauſit Epiſcopus, polinctores funeris Richardus, Odylardus, Stephanus & Vvalerannus Abbates fuerunt. Ipſi corpus ſanctiſſimum procurauerunt, veſtibus ſacratis ex more induit Epiſcopus, non quibus ille voluit & præcepit, quia vilia quæque delegerat, ſed quas dictauit amor paternus & deuotio ſanctiſſima, & debita. Reliquiæ, quas ſuper pectus ſuum ipſe commiſerat, induto eo ſacris veſtibus, ſupra pectus eius repoſitæ ſunt. Elatum ergo funus beatiſſimum bajulantium manibus, cùm ob impetum populi incurrentis & plangentis obſerata eſſet Eccleſia, ante altare S. Petri poſitum eſt: vbi Miſſa à Pontifice celebrata, tandem portæ Monaſterij apertæ ſunt, & ecce populus innumerabilis vtriuſque ſexus & ordinis irruit, cum lacrimis & vlulatu cordis. Plena erat Eccleſia lacrymarum, omnes in commune pij patris deflebant obitum, ac ſi viderent imminere interitum patriæ. O quantus luctus omnium! quanta totæ vrbi mœſtitia! quàm pia erat de eius obitu compaſſio! quanta omnium deſtitutio! Ea dies tota fuit gemituum, tota planctuum. Qua adueſperaſcente, corpus beatiſſimum ad principalem Eccleſiam ſanctæ Mariæ à fratribus delatum, debitis vigiliarum & pſalmodiæ officijs nocte ipſa ab excubitoribus honoratum eſt. In craſtino Miſſa ſolemniter celebrata à Canonicis, per reliqua vrbis Monaſteria deportatum eſt, & vigilijs Miſſarumque ſolemnijs debita officioſitate percelebratis, tandem ad Monaſterium ſuum relatum eſt, & filiis dolentibus, & de morte eius mœrentibus reſtitutum. Venit ergo dies craſtina, & ecce ferè circa horam tertiam congregata eſt tota ciuitas ad ſepeliendum illum. Miſſam celebrauit Epiſcopus, ſermonémque habuit ad populũ de mutabilitate vitæ huius & qualiter in hanc plorationis conuallem deuenerimus: quis ſit finis bonorum, quiſve malorum: quæ fuerit patris vita, mors quàm precioſa. Hinc percelebrato officio, dictis orationibus ſolemnibus, ad locum ſepulturæ itum eſt. Et licèt ſolis exequiarum miniſtris & baiulis funeris cum his qui officia dabant, permiſſum ſit ingredi, ceteris intrà maiorem Eccleſiam retentis: tanta tamen fuit obſequẽtium multitudo, vt feneſtras, quibus lumen criptæ infundebatur, ob captationem aëris auferri neceſſitas impulerit. Vincebat diem luminũ multitudo, & fumus incenſi & thymiamatis totam repleuerat Eccleſiam. Tanta erat omnium erga patris ſepulturam deuotio. Humato itaq; mitiſſimi viri corpore, clauſum eſt ſepulcrum, & ſolito cæmento per iuncturas litum. Requieſcit autẽ in cripta ſubterranea ante altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ & S. Ioannis Euangeliſtæ, & ſuper eum maius altare S. Petri ſtabilitum eſt. In eadem cripta ſubtus altare præfatum S. Mariæ ſanctus requieſcit Madelueus, ab eodem patre noſtro ibidem tranſpoſitus, & reuerenter tumulatus. Peracto verò ſepulturæ officio, vbi ab aliis diſceſſum eſt, ad componendum viri Dei lectum vnanimis ſe filiorũ accendit deuotio. Quatuor columnæ marmoreæ cooperculo ſepulcri cæmẽto facto ex eodem marmore connectuntur, his deſuper tabula marmorea prægrandis ipſo eodẽ cæmento adjungitur, & ſic deſuper cooperculo maceriæ aliquantũ conſtruitur, & ſolido bituminis glutine ſolidatur. Tabulæ verò in altum porrectæ linteũ imponitur, & ei pallium ſuperadditũ eſt: vt cunctis cernentibus patenter detur

Richardi Abb. mors.

intelligi, eum magni eſſe meriti, cuius corpus ſic honoratur in tettis. Et merito. Quod enim fuit eius in terris ſtudium, niſi Deum diligere, & ſanctos eius venerari, & Eccleſiam Dei ornare decore competenti? nec mirum ſi à filijs propenſiùs honoratur, quos ſciuit regere, & regere ſecundum noſtram diſciplinam, quæ ex Chriſtiana lege deſcendit, & ad Deum ducit. Requieuit autem hic pater noſter anno ab Incarn. Domini MXLVI. regiminis ſui anno XLII. regnante terris Heinrico Conradi filio. Superuixit verò Epiſcopus Richardus vtque ad menſem Nouembrium, & obiit VIII. Id. Nouemb. ſicut ipſe à patre ſuo quæſierat, cùm ei oculos clauderet. Si, inquit, *Pater ad Deum vadis, & ei placet obſequium quo ei ſeruiſti, obtine vt vnum annum non tibi ſuperuiuam in hoc ſeculo, quia tibi commori quàm viuere præopto*. Dixerat, & exauditus eſt, addituſque patribus ſuis. Cuius corpus cùm parentes iuxta cotpus viri Dei ſepeliri mandaſſent, à Canonicis vi retentum, & in Eccleſia ſanctæ Mariæ
Halinardo Ep. Maioris ſepultum eſt. Eodem anno ordinatus eſt Lugdunenſi Eccleſiæ Archiepiſcopus domnus Halinardus. Eodem quoque anno Heinricus Romam iuit, & Concilio habito abiecti ſunt peruaſores Romanæ Eccleſiæ, Iohannes, Benedictus, & Siluester: & ordinatus eſt Clemens Papa, à quo & ipſe coronam ſuſcepit Imperij.
Clemens Papa. Valerannus Abbas S. Vuon. Et eodem anno Clemens obiit, & Damaſus ſucceſſit. Regimen quoque Virdunenſis Cœnobii Walerannus ſuſcepit, homo in ſeculo nobiliſſimus, Gelduini Comitis filius: qui in bello apud Bar caſtrum in geniculo vulneratus claudicabat. Cuius frater fuit Hugo Lingonenſis Epiſcopus, poſtea à Sancto Leone IX. in Remenſi Concilio depoſitus. Epiſcopatum autem Virdunenſem Theodericus ſuſcepit Wezelonis Comitis filius, cuius primo benedictionis anno templum Sanctæ Mariæ à Duce Godefrido & Balduino ſuccenſum eſt, vaſa ſacra ablata, ciuitáſque deſtructa VIII. Kalend. Nouembris.

Quantæ verò apud illius æui homines hic Pater noſter Gratia-Dei honorificentiæ fuerit, Teodericus Baſilienſium Epiſcopus, vir multæ auctoritatis & gratiæ ſuo in facto oſtendit. Qui cùm in deducendo nouo Epiſcopo Virdunum miſſus ab Imperatore veniſſet, & eſſet ei deuotio ſancti viri ſepulchrum inuiſere, cùm ante tumbam magna ſe lacrymarum contritione mactaſſet, rememorans defuncti pietatem, ſobrietatem, & manſuetudinem, pallio precioſiſſimo crocei coloris tumbam ipſam adornauit, vt affectu ipſo teſtaretur dilectionem, quam viuo exhibuerat, mortuo ſe quoque non negare: immò propenſiori eum cultu digniſſimum, quem iam ſuo Domious gremio confoueret. Cœperat iam tunc locus ille multis clarere miraculis, & in febricitantes tanta curationum refundebatur gratia, vt quiſquis aduenisſet hoc laborans incommodo, vbi parùm obdormiſſet, ſanitatis potiretur ſuffragio, & rediret omni valitudinis ſopito incendio. Sed quid moramur, nec referimus cuius meriti Angelico quoque declaratus ſit eſſe teſtimonio? Etenim qui vidit teſtimonium perhibuit, & de cuius vita non dubitatur, eius meritò teſtimonio creditur. Beatæ memoriæ pater Rodulfus tertius poſt eum ſucceſſor in regimine Eccleſiæ & vt credimus hæreditariæ ſanctitatis poſſeſſor nunc felici beatus exceſſu, vbi locum ipſum regendum ſuſcepit, & audiret à referentibus multa de eo relatu digna, videret quoque vnanimem erga cultum memorialem eius omnium deuotionem: amplexabatur quidem quod videbat & audiebat generaliter ab omnibus. Æſtuabat verò intra ſeipſum, ſi tantæ ſanctitatis vir ille fuiſſet, vt referebatur, & quaſi quærebat ſollicitis & diſpoſitis cogitationum excubiis, cuius meriti apud Deum eſſet. Solebat & ipſe ad eius ſepulchri locum, quia ſenſerat ibi faciles orationum prouentus creberrimè orare, & multoties pernoctare: cùm ecce vna nocte poſt celebrationem nocturnalis Synaxis, cùm ibidem ſolitas Deo redderet excubias, hac eum cogitatione ſæpiùs terente & ad ſeſe deuoluente, ſomnus pauliſper alluſit. Necdum corporales in ſoporem erant perfectè reſoluti, cùm intellectuales oculi aperti ſunt, & vidit ſibi aſtare Angelum blanda ſe voce alloquentem & dicentē. *Diu te cogitatio tua moroſa curioſitate detinuit, vt ſcires cuius meriti hic cuius ſepulchro adſiſtis, eſſet, & ne te diutiùs fatigandum protrahat, miſſus ſum hæc tibi expedire. Duo ſunt in hac cripta quieſcentes, & diem Domini, quo duplici ſtola remunerentur, expectantes, hic Abbas Richardus, & Confeſſor Chriſti præcipuus Madalueus, cuius vos feſtiuitatem ſuo tempore & die deuotis, vt dignum eſt, honoratis officijs: vt pote quem Deus in numero Sanctorū ſuorum, & ſorte iuſtorum aſciuit. Et iſte quidem dignè in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſiit iuſtorum. Hic autem, cuius adſto ſepulchro, pari vobis nec minori deuotione venerandus in terris,*

quem pari ſorte, nec inferiori gloria Deus decoratum ſublimauit in cælis. Multa ſanctitatis eius fama in terris, quam tamen nec ad medium noſtis, quia vir gratiâ Dei illuminatus humilitati ſtuduit & vilitati, nec actus ſuos prodere maluit, ſed occultare. Sed noueris, quia magnum patronum & Deo cariſſimum præmiſiſtis, & quæ de eo dicuntur vera ſunt, quanquam ampliora dici poſſent. Placeat tibi deuotio filiorum eius erga memoriam eius, & quæ tibi miſſus à Deo refero, hac ipſa die omnibus in commune edicito, vt gaudeant de felici ſucceſſu patris, quem habent ſuffragatorem & deuotum interuentorem in cælis. Tu itaque his de beato viro agnitis, viam quam cæpiſti ne deſeras, mortificationi carnis, humilitati, vilitati, & caſtimoniæ inuigila, lucrandis animabus operam da, vt cum hoc & alijs doneris beatitudine æternæ iocunditatis.

Obſtupuerat vir gratiarum in viſione & affatu Angelico, & cùm videret illum pro his & alijs pietatis eius beneficijs humanæ fragilitati collatis Deo laudes dicentem, & ad eaſdem ſe pararet; toto corpore vt dormiebat, aſſurrexit, & euigilans grates, quas conatus fuerat mente, jam animo & corpore perſoluit intentè. Nec apparuit ſegnis in prædicando quod viderat & audierat, imò omnibus Dei retexit magnalia, quia & quod gratum eſt vidiſſe vel audiſſe, gratius refertur, & gratiſſimum vniuerſis creditur: fratres quoque audita Patris magnificentiâ tanti nuncij voce teſtificata, laudes & gratias Deo reddidimus, ſatiſque cautum eſt ab illa die & deinceps, vt eius memoria deuotione recoleretur digniſſima. Pro his & alijs beneficijs eius, benedicatur nomen Domini in ſecula. Viuit adhuc & viuet in ſecula beati viri meritum, & quandiù voluetur ſeculum, ſemper eius meritum accipiet incrementum. Teſtatur hoc Normannia, fatetur & Britannia, applaudit tota Gallia patris promens magnalia, quæ quanto lætata eſt & jubilauit de conuerſatione eius ſanctiſſimâ dum eſſet in mundo, tantò nunc dolet in morte eius ſublata ſibi tam felicia contubernia, cuius vita ſanctitatis erat ſpeculum, pœnitentium ſolatium, mœrentium conſolatio, miſerorum defenſio. Luxit eius obitum Imperatot & Optimates defleuerunt Reges & Pontifices, defecit Tibia & Organum, Cithara & Pſalterium, raucum ſonuit Tuba & Tympanum. Aſcendit ad Deum clamor pauperum, deſiderium egentium ſuam deſtitutionem ingeminantium, & vt magę mireris, vnius obitum mundus defleuit, in quo totus dum viueret requieuit. Et quanquam ſentiret magis eſſe gaudendum, ſi rationem vis doloris admitteret; flebant tamen præcipuè Monachi, virgines & viduæ, ordo quoque Eccleſiaſticus, eius peculiari fulti patrocinio, firmati conſilio, recreati alloquio. Optatis meritum ſeculis memorabile, poſteris venerabile, omnibus imitabile. Laudem eius nulla vnquam delebit ol liuio, non minuet temporis interpolatio, non auferet ab ore noſtro, & ſi grauior excandeſcat in nos quàm nunc eſt tribulatio, quo minùs te venerandum, te prædicandum, te, pater, fateamur omnimoda laude colendum. Tuis enim laudibus immorari, eſt à tribulatione releuari, quia laus tua, gaudij eſt & pacis admiranda comprehenſio, mœroris & anxietatis propulſatio. Retulit humilitati noſtræ antè quinquennium, cùm necdum guſtaſſemus quanti ſit laboris & tædij aliena curare, venerabilis Abbas ſanctæ Trinitatis de monte Rotomagenſi Hugo nomine, qui nunc vſque ſupereſt, quià cùm eſſet in obſequijs præfati Comitis Normanniæ Willelmi iam tunc regis Anglorum, cùm tractaretur in aula de honeſtis viris & memoratu dignis, quorum ipſe Rex habuiſſet notitiam, aut famam audiſſet, inter præcipuos huius admirabilis memorabatur, ſummâ laude eius efferendo præconia, humilitatem, ſapientiam, diſcretionem, animi & vultus deuotam Deo hilaritatem, ſermonis facundiam, morum elegantiam, ſubditorum reuerentiam. Mirabatur etiam quòd his modernis temporibus de loco tam celebri nulla ad ſe commigraret perſona, nulla, vt ſolebat, regalem eius magnificentiam expeteret ſucceſſorum tanti patris, aut Monachorum loci ſedulitas: adeò vt cùm pro legatione quadam idem vir, à quo hæc audiuimus, quadam vice mitteretur Virdunum, intet alia id ab eodem Rege & bunorabili eius conjuge ei daretur in mandatis, vt Cœnobium nominatiſſimum ſancti Vitoni expeteret idem hoſpitaturus, patrémque & fratres loci ſua ex parte deuotè ſalutaturus, & ſollicitè notaturus ſi idem qui quondam honeſtatis & religionis cultus niteret, qui eſſet Monaſterij Pater, ſi in eo auitæ paternitatis & dulcedinis ſpecimen eluceret, ſi in filijs grauitatis & reuerentiæ antiquum decus emineret, ſi rerum temporalium copia exuberans, ſi ſpititualium delectationum gratia ab

Hugo Abbas.

vbertate domus Dei eſſet habitantes debrians: omnia proſpiceret, ſingula viuido rimaretur ingenio, ſibique referret. Verùm quid rerum intereeſſerit, quid præfatus vir aliorsùm hoſpitaturus diuerterit, & ſperantibus optima Regi & Reginæ inſperata retulerit, noſtrum non eſt edicere, maximè cùm illo in tempore, quo id geſtum eſt, puerilis adhuc nos ferula his vel ſimilibus vetaret intendere. Illud tantùm notaſſe ſufficiat, quòd Rex auditis quæ nonſperauerat viri ſpectabilis & memoriâ digni egregiam conuerſationem reducens ad animum, tot ingeminationibus eiusdefleuit obitum, tot reciprocâ viciſſitudine eius efferebat meritum, replicando miris laudibus illius præconia, & ſubindè repetendo indebita & ingrata paternæ ſedulitati remiſſorum filiorum remiſſę vicis obſequia, inhoc ipſum quoque omni congeminante aula: Vt daretur cunctis palam intelligi, ſi fama votis anuuiſſet, multis Eccleſiam donandam muneribus, multa dilectione à regali fore munificentia honorandam. Vidimus dæmoniacum ad Monaſterium beati Vitoni adductum, intrà pauciſſimos dies plenariæ ſanitatis gaudia reportaſſe. quem cùm in primo aduentu ſuo vinctum loris, & funibus artatum infra criptam ad memoriam Sanctorum ibidem quieſcentium parentes ducere vellent, nullatenùs potuerunt: credo dæmone timente præſentiam eorum Sanctorum, quorum meritis eadem Eccleſia inluſtratur, & præſentia decoratur.

Anno ab incarnatione Domini MLI. Leoni VIIII. ſucceſſit Victor, & IIII. anno obijt. & ſucceſſit ei Stephanus, qui & Fredericus Frater Godefridi Ducis, cuius primô Papatûs annô obijt apud Goſlare Henricus Imperator, & *Henrici Imp. mors* exſequijs eius interfuit, qui & Spirę ſepultus eſt anno ab incarna. Domini MLVI. Et remanſit Agnes Imperatrix cum filio paruulo, qui & regnum obtinuit ſub tutore regni Annone Colonienſi Archiepiſcopo. Obijt quoque Stephanus anno MLVIII. & ſepultus eſt apud Lucenſem vrbem, vbi multæ Deo cooperante fiunt ad eius tumulum virtutes. Succeſſit ei Nicolaus, qui II. anno ordina- *Nicolaus II. Papa* tionis ſuæ Concilium habuit in Baſilica Lateranenſi, menſe Aprili, Indict. XII. vbi conſidentibus venerabilibus Archiepiſcopis, Epiſcop. Abbatibus, Preſbyteris & *Concilium Lateranenſe.* Diaconis, de electionne ſummi Pontificis decernens: ait *Nouit beatitudo veſtra dilectiſſimi fratres & coepiſcopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto piæ memoriæ domno Stephano deceſſore noſtro, hæc Apoſtolica ſedes, cui Deo auctore deſeruio, quot aduerſa pertulerit, quot denique per ſimoniacæ hæreſis trapezitas malleus & crebris tunſionibus ſubiacuerit. Adeo vt columna Dei viuentis iam iam, penè videretur nutare, & ſagena ſummi piſcatoris procellis intumeſcentibus in naufragij profunda ſubmergi. Vndè, ſi placet fraternitati veſtræ, debemus auxiliante Deo futuris caſibus prudenter occurrere, & Eccleſiaſtico ſtatui, nè rediuiua, quod abſit, mala præualeant, in poſterum prouidere. Quapropter inſtructi prædeceſſorum noſtrorum, aliorúmque ſanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque conſtituimus, vt obeunte huius Rom. vniuerſalis Eccleſiæ Pontifice, imprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſima ſimul conſideratione tractantes, mox ſibi Clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus Clerus & populus ad conſenſum nouæ electionis accedant, vt nimirum nè venalitatis morbus qualibet occaſione ſubrepat, religioſi viri præduces ſint in promouendi Pontificis electione, reliqui autem ſequaces. Et certè rectus atque legitimus hic electionis ordo perpenditur, ſi perſpectis diuerſorum Patrum regulis ſeu geſtis, etiam illa beati Leonis ſententia recolatur.* Nulla, *inquit*, ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Metropolitani judicio conſecrati. *Quia verò ſedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſijs, atque ideò ſuper ſe metropolitanum habere non poteſt, Cardinales Epiſcopi peculdubio Metropolitani vice funguntur, qui electum Antiſtitem ad Apoſtolici culminis apicem prouehunt. Eligant autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi repertus fuerit idoneus, & ſi de ipſa non inuenitur, ex alia aſſumatur, ſaluo debito honore & reuerentia dilecti filij noſtri Henrici, qui impræſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſorum illius, qui ab hac Apoſtolica Sede perſonaliter hoc jus impetrauerint. Quod ſi prauorum atque iniquorum hominum ita peruerſitas inualuerit, vt pura, ſincera, atque gratuita electio fieri in vrbe non poſſit, Cardinales Epiſcopi cum religioſis Clericis, catholicisque laicis licèt paucis, jus poteſtatis obtineant eligere Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, vbi congruentiùs judicauerint. Planè poſtquàm electio fuerit facta, ſi bellica tempeſtas vel qualiſcumque hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, vt is qui electus eſt in Apoſtolica Sede iuxta conſuetudinem inthronizari non valeat,*

electus tamen ſicut Papa auctoritatem obtineat regendi ſanctam Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius; quod beatum Gregorium ante electionem ſuam feciſſe cognoſcimus. Quòd ſi quis contra hoc decretum noſtrum Synodali ſententia promulgatum per ſeditionem vel præſumptionem, aut quodlibet ingenium electus, aut etiam ordinatus ſeu inthronizatus fuerit, auctoritate diuina & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum ſuis auctoribus, factoribus, ſequacibus, à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeparatus ſubiiciatur ſicut antichriſtus & inuaſor atque deſtructor totius Chriſtianitatis, nec aliqua ſuper hoc audientia aliquando ei reſeruetur, ſed ab omni Eccleſiaſtico gradu, in quocumque prius fuerat, ſine retractatione deponatur. Cui quiſquis adhæſerit, vel qualemcumque tanquam Pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præſumpſerit, pari ſententiâ ſit mancipatus. Quiſquis autem huius noſtri decreti vel ſententiæ temerator extiterit, & Romanam Eccleſiam ſua præſumptione confundere & perturbare contra hoc ſtatutum tentauerit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impiis quando reſurgent in iudicio reputetur. Omnipotentis ſcilicet Patris, & Filij & Spiritus Sancti contra ſe iram ſentiat, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum præſumit confundere Eccleſiam, in hac vita & in futura furorem reperiat, fiat habitatio eius deſerta, & in tabernaculis eius non ſit qui inhabitet, & fiant filij eius orfani, & vxores eius viduæ. Commotus amoueatur ipſe, & filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœnetator ſubſtantiam eius & deleant alieni labores eius: Orbis terrarum pugnet contra illum, & cuncta elementa ſint ei contraria, & omnium Sanctorum quieſcentium merita illum confundant, & in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſtendant. Obſeruatores autem huius noſtri decreti Dei omnipotentis gratia protegat, & auctoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ab omnibus vinculis abſoluat. Nicolaus Epiſcopus ſanctæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ huic decreto à nobis promulgato ſubſcripſi, Boniſacius Albanenſis ſubſcr. Humbertus ſanctæ Eccleſiæ Siluæ candidæ ſubſcripſi. Petrus Oſtienſis Epiſcopus ſubſcr. & ceteri Epiſcopi numero LXXVI. cum Preſbyteris & Diaconib. ſubſcripſerunt Item. *Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, & Laicis fidelibus, tam maioribus quam minoribus per omnes Gallias commorantibus, immò Aquitanicis, Vuaſconibus, Sal. & Apoſtol. bened. Quicumque Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, poſt inſtitutum beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Leonis Papæ de caſtitate Clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit; ex parte Dei omnipotentis auctoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, vt Miſſam non cantet, neque Euangelium aut Epiſtolam ad Miſſam legat, neque in Presbyterio ad diuina officia cum his qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Eccleſia recipiat: quouſque à nobis ſententia ſuper huiuſmodi Deo concedente procedat. Et præcipientes ſtatuimus, vt hij prædictorum ordinum, qui eidem prædeceſſori noſtro obedientes eius inſtitutum ſeruauerint, iuxta Eccleſias quibus ordinati ſunt, ſicut oportet religioſos Clericos, ſimul manducent & dormiant, & quicquid ab Eccleſiis competit communiter habeant.*

Hunc igitur Nicolaum Papam adiens Walerannus Abbas Sancti Vitoni, querimonia facta ſuper Comite Ruthenenſi pro fundis Eccleſiæ Virdunenſis ſitis in Comitatu Ruthenenſi quos S. Vitono auferebat, id eſt Maderniacum, Puliniacum, & alios, obtinuit litteras ab eo miſſas præfato Comiti in hæc verba.

Nicolaus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei R. Ruſenenſi Comiti dilecto filio ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cognoſcentes tui animi propoſitum, & quòd propter regnum Dei & iuſtitiam eius volueris renunciare temporali faſtigio ſecularium occupationum, confidenter tibi denunciamus, vt (ſecundum quod tibi iniunximus cùm ore ad os loqueremur) Eccleſiis Dei & pauperibus defenſorem te opponas, iuſtitiamque eis adquirendo in conſpectu Dei excuſatus exiſtas, quòd non ſine cauſa gladium portas. Et quia noſtrum eſt te admonere, ſi qua non negligenda cognouerimus te negligere, orando ſimul & præcipiendo auctoritate Apoſtolica monemus, vt Monaſterio ſancti Petri ſito Virduni, quod venerabilis vir conſanguineus tuus Vualerannus Abbas regit, curtes quas in terra poſſeſſionis tuæ habere dignoſcitur reſtituas, ne quod abſit, ad perditionem animæ tuæ diutiùs eas retinendo, excommunicationem ab anteceſſoribus noſtris comprecatam inuaſoribus earum incurras. Nec volumus dicas à parentibus tuis, vel vxoris tuæ, eas ſeruis Dei ſubtractas, quia iuſtus Dominus reddit iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Sicut enim conſcia veritatis teſtatur antiquitas, Sanctus Amantius peculiaris veſter patronus eas contradidit ſeruitorum S. Petri vſibus.

Nicolai II. epiſtola ad Rutenenſem Comitem.

His acceptis litteris cùm reuerteretur, apud Aremari Monaſterium, veneno petijt, & Grimoldus ſucceſſit. Capella verò ab inhabitantibus retenta eſt, ſed poſtmodum requiſita reddita eſt, etſi non tota. Et quia eo defuncto non fuit qui litteras miſſas Comiti Rutenenſi perferret, adhuc Abbatia cum fundis retenta eſt. Nicolaus quoque Papa obijt anno eodem, id eſt MLX. ab incarn. Domini, & ſequenti anno Walerannus deceſſit, & ſepultus apud eundem locum.

Edoardi Regis Angl. mors.

Anno igitur M. LXI. Nicolao Papæ ſucceſſit Alexander II. Milleſimo quoque LXV. anno, Ind. III. ſtella quæ Cometes dicitur, apparuit, & eodem anno Etuuardus Angl. Rex obijt. qui quia ſine filiis fuit, conſanguineum ſuum Wilelmum Normanorum Comitem poſt ſe regnare inſtituit. Sed Heroldus contra ſacramentum quod Vuillelmo fecerat, regnum inuaſit. Ipſo anno, menſe Octobri Willelmus mare tranſijt, & commiſſo prælio II. Idus Octobris ruit Heroldus, & Willelmus die Natalis Domini apud Londoniam in Regem eleuatus & coronatus eſt. Anno ab incarn. Domini MLXIII. finis fuit Ann....... qui conſtat quingentis XXXII. annis, & ſequenti anno idem incipit circulus in cuius fine erit labor & dolor. Alexander Papa Giraldum Oſtienſem Epiſcopum, qui Petro ſucceſſerat, ad Gallias deſtinauit, & vices ſuas ei per Franciam & Burgundiam commiſit. At ille ex præcepto Papæ Concilium apud Cabilonem inſtituit, cui præerat Roclenus Epiſcopus litteris apprimè eruditus, & in lectione diuinorum voluminum ſtudioſiſſimus.

Concilium Cabilonenſe.

Anno igitur ab incarnatione Domini M. LXXIIII. præſidente Romanæ Eccleſiæ Papa Alexandro, Giraldus Oſtienſis Epiſcopus Romanæ Sedis legatus in Gallijs, Concilio Cabiloni habito Romam rediens, & apud Dienſem vrbem hoſpitatus, cum Clericis in Eccleſia de vtilitate Eccleſiæ loquebatur. Erat enim in eadem vrbe Lancelinus ſimoniacus dictus Epiſcopus, qui vocatus ad audientiam cùm venire renueret, & ſe in domo Epiſcopali manu militari defenderet, & Epiſcopatum retinere tentaret, tractabat Legatus cum ciuibus, Canonicis ſcilicet & plebis maioribus, quid de Epiſcopo agerent dicens iuxta Ambroſium, inexpiabilem eſſe culpam venditi miniſterij; & iuxta decreta ſanctorum Patrum, Leonis, Gregorij, Nicolai, & ceterorum, erga ſymoniacos nullam miſericordiam habendam in ſeruanda dignitate. Et quia quiſquis per pecuniam ordinatur, ad hoc vt fiat hæreticus promouetur, & omnes qui eis conſentiunt, & qui emendare poſſunt & non emendant, & omnes qui contra illos non ſunt, ſed fauent eis, cum eo habeant partem qui prius commiſit hoc peculiare flagitium. Dum ergo de his inter eos tractaretur, & vt prædiximus, ille dictus Epiſcopus audientiam ſubterfugeret, iuxta Canonum inſtituta, & ſanctorum Patrum decreta Epiſcopus quærebatur idoneus, qui & ſaluti eorum inuigilaret, & animabus commiſſis ſollicitus ſuperintenderet, Ecce perſonuit ad aures eorum aduenisse illuc & Eccleſiam qua tenebantur intraſſe orationis gratiâ domnum Hugonem Lugdunenſem Camerarium, præcinctum & paratum ad equitandum. ibat enim Romæ ad ſanctum Petrum. Nec mora, ſpiritus ſancti gratiâ corda ſuorum illuſtrante, fit clamor & concurſus fidelium, ocreatus cum calcaribus inuenitur, rapitur, tenetur: in conſpectu Apoſtolicæ ſedis Vicarij ſummo omnium fauore & gratia deducitur, quòd dignus ſit qui poſſit Eccleſiæ præeſſe & prodeſſe acclamatur. Reclamabat ille, & votis populi parabat obſiſtere, quaſi qui non poſſet nec deberet ſponſo legitimo viuente caſtitatem Eccleſiæ fœda ſciſſione corrumpere. In hac deuota contentione placuit diuinitati beneplacitam ſuæ præſentiæ voluntatem in offenſione lucis ſuis fidelibus declarare. Nam cùm eſſet nubilus dies, lux in modum ſpheræ per aliquas horas in gremio & facie ſplenduit Eccleſiæ, quę ſic accendit cunctos qui aderant, & viderant, ad laudandam propiciationem diuinæ clementiæ, vt clamaretur ab omnibus, *Benedictus Dominus Deus, quia reſpexit dejectionem Eccleſiæ ſuæ, vt viſitaret eam & illuminaret tali Pontifice!* Sic clamores & vota omnium judicium probauit cæleſte, & electus ille, qui nec valuit, nec voluit, tot præcurrentibus indicijs, voluntati diuinæ contraire, compulſus eſt auctoritate Apoſtolica remorari, & confirmata eſt ſuper eum electio Cleri & populi. Quo audito, ipſe qui Eccleſiam per ſimoniam inuaſerat, & armis retinere tentabat, dolens vnanimem aſſenſum ciuium, & timens populi gaudentis, & ad pia vota incaleſcentis animo, ſi intumeſceret, impetum ferociſſimum, domum

Epiſcopalem deſeruit & receſſit. Angebatur enim curarum æſtibus , & ſtimu-
lis mordacis conſcientiæ, quam non effugere quibat, quia non inueniebat quò
fugeret, nec ſuis jam;, vt ſolebar, delectabatur erroribus , à quibus puniebatur
licèt nolens & neſcius: & tamen adhuc exultabat in crimine , quià nouis ve-
tera obumbrando , peccatis ſe vtcumque adiuuari æſtimabat. Putabat enim
inſigne eſſe virtutis , vbi eſt lapſus criminis. Sed iam ſileatur eius memoria ,
quià receſſit , quià aufugit, quià quod indebitè vſurpauerat , non eſt expecta-
tus dimittere; ad plebis gaudium, ad Cleri , Magnatorum quoque & infimo-
rum tripudium flectamus articulum. Sublimatus eſt electus noſter cum gau-
dio & cordis jubilo in Pontificali ſolio, acclamatus eſt & confirmatus Epiſco-
pus de Dei & Chriſti eius judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio,
de plebis quæ tunc affuit, ſuffragio, de ſacerdotum & bonorum virorum collegio.
Inuenit itaque ciuitatem angoris plenam, tribulationibus circumſeptam, vigilan-
tia multa egentem, res Epiſcopij direptas, ita vt non inuenerit vnde vel vno die de
redditibus domus Epiſcopalis viuere potuerit, ita omnia attriuerant qui ante eum
fuerant. Adeò vt de omnibus totius Epiſcopatus Eccleſijs vix vnam haberet do-
mus Epiſcopalis aut mater Eccleſia, cùm fere omnes poſſiderentur à militibus,
& quibuslibet ſecularibus. Nec diu paſſus eſt ſuo in tempore tantam videre
contritionem & conculcationem Eccleſiæ, quin potiùs ſtatuit decretum , vt nul-
lus laicus obtineret Eccleſiam, aut partem acciperet in reditibus Eccleſiarum.
Et factum eſt, diuinâ cooperante clementia, vt omnes gratanter juſſionem eius
ſuſciperent, & obedirent, ita vt ante eius ordinationem hæc ſuæ meliorationis
incrementa ſibi commiſſa per eum ſuſceperit Eccleſia. Obierat ipſo anno Papa
Alexander in ipſo Apoſtolorum Petri & Pauli natalitio, & ſubſtitutus erat vna-
nimi electione Cleri & populi Gregorius VII. qui in ipſa Romana Eccleſia ſub Gregorius VII.
præfato Pontifice officio fungebatur Archidiaconatus. Et licèt ordinationis &
conſecrationis eius priuilegium ſolis Cardinalibus Epiſcopis Albanenſi , Oſtienſi
& Portuenſi ſit commiſſum, Giraldus ipſe quia aberat, expectatus non eſt, ſed qui
vices eius exequeretur ſubrogatus eſt. Qui demum reuerſus, Papæ inter cetera
electionem Dienſis Eccleſiæ innotuit, & electum ipſum quam maximè paterni-
tati ipſius commendauit. Non multò poſt ipſe qui commendabatur aduenit , &
quia ſolam Clericatus tonſuram habebat (deteſtabatur enim ſimoniacorum or-
dinationes) in menſe Decembrio per manum eius vſque ad Preſbyteratus gradum
promotus eſt , cùm hoc aliqui calumniarentur Romanorum , & prometent morem
ſanctæ Romanæ Eccleſiæ , neminem licèt electum Antiſtitem à Papa ordinandum
niſi in eadem deſeruiret Eccleſia Quod tamen in ipſo domnus autenticâ poteſta-
te ſuâ fecit, complacuerat enim ſibi in illo anima eius. In quadrageſima verò, Sab-
bato, in Preſbyterum , & ſequenti , Dominica ad Miſſas in Epiſcopum conſe-
cratus eſt. Sic poſt octonos conſecrationis dies affatim imbutus diuinis dogma-
tibus , & vbertim roboratus Eccleſiaſticis ſanctioοibus , benedictione percep-
ta dimiſſus eſt ad regendos filios , quibus paſtor & rector ordinatus erat. Sed nec
illud ſileodum , in quo egregiè conualeſcit teſtimonium probitatis eius , & præ-
ordinatæ ac Deo placitæ conſecrationis eius. Cùm poſt ipſam ſuam electionem,
quæ facta eſt menſe Octobrio, die XIX. ad ſuſcipiendos ordines Romam menſe
Decembri veniſſet , inuenit ibidem pro ſimili expectatione domnum Anſelmum
Lucenſem electum , virum omni laudis præconio dignum , nunc felici beatum Anſelmus
exceſſu , in quo omnis laus ſecurè canitur. Cum hoc itaque tanto familiaritatis & Lucenſis
dilectionis vinculo connexus eſt, & ita ſibi , licèt diuiſa haberent hoſpitia, in Pa- Ep.
latio Lateranenſi indiuidui adhærebant, vt vnum videri ſine altero mirum videre-
tur his, qui eorum nouerant vnanimitatem. Adeò vt vrbis Præfectus quodam
veritatis præſagio , alterum horum , diem , alterum vocaret lucem : quòd dies
non ſit ſine luce & lucem dies comitetur. Lucebat enim in eorum moribus iuſti-
tiæ & pietatis decus , præponderabat amicitia conſtans , mutabilitatis neſcia.
Ætatibus pares , charitate non impares, ſui delectabantur copulâ , quia & coæ-
qualium vſus dulcior , & ſenum tutior eſt. Senes autem erant non longæuitate vi-
tæ, ſed morum maturitate. Et vtinam gratiam virtutis & fidei alterius , quem
ſecum in gloria iam aſſumptum Deus approbat , imitetur & altet qui reſiduus eſt !
vt cùm tranſierint tempora præfinita , ſint in cælestibus vnum , quos diuinus amor

hic dedit eſſe vnum. Cum ergo Romæ poſiti præſtolarentur diem conſecrationis ſuæ, venerunt nuncij Regis Heinrici Romam, rogantes ne contra morem prædeceſſorum ſuorum domnus Papa eos conſecrare vellet, qui Epiſcopatus electionem ſolam, non autem donum per regiam acceperant inueſtituram. At ipſe conuocatis Cardinalibus Legationem Regis aperuit, & quid ſibi ad hoc reſpondendum, quid eſſet faciendum ammonuit. Quibus reſpondentibus vſum Eccleſię hunc eſſe, hunc haberi pro lege, cùm auctoritas eis nulla ad hoc ſuffragaretur, in Lucenſi tamen electo eis adquieuit, vt conſecrationem eius differret, donec inueſtitutam Epiſcopatus ex regio dono accepiſſet. In Dienſi verò adquieſcere noluit, ſed eum prima x L. hebdomada, ſabbato in Preſbyterum, & Dominica conſecrauit in Epiſcopum. Et quia vidit hoc ſanctorum Patrum aduerſari decretis, vt in Canonica electione Epiſcopi præualeret donum Regis, immò multoties ipſam electionem immutaret, vel potiùs irritam faceret: eodem anno in Romana Synodo 50 Epiſcoporum, conſidente Preſbyterorum & Abbatum multitudine, iuxta Decreta Pontificalia & inſtitutiones Canonicas ne hoc ampliùs à quoquam præſumeretur prohibuit ſub interminatione anathematis, decretũ faciens in hæc verba. *Si quis deinceps Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicuius laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei vt Epiſcopo vel Abbati audientia concedatur. Inſuper ei gratiam beati Petri, & introitũ Eccleſiæ interdicimus, quo ad vſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, cœpit, deſeruerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item. Si quis Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſecularium poteſtatum, aut perſonarum, inueſtituram Epiſcopatus, vel alicuius Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit eiuſdem ſententiæ vinculo ſe aſtrictum ſciat.* Sequutus eſt autem in hoc Patrum exempla, licèt iam per multa annorum curricula damnabilis hæc conſuetudo inoleuiſſet, & in vſum conuerſa eſſet. Dicitur enim in VII. Vniuerſali Synodo à V. Patriarchis & CCCL. patribus ſub Adriano Papa habita, capite III. Omnis electio Epiſcopi, Preſbyteri, vel Diaconi à Principibus facta, irrita maneat, ſecundùm regulam quæ dicit: Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus Eccleſiam per ipſos obtinuerit, deponatur & ſegregetur, omnéſque qui illi communicant. Item in VIII. vniuerſali Synodo habita à V. Patriarchis ſub Nicolao I. Pontifice, cap..... Promotiones vel conſecrationes Epiſcoporum concordans prioribus Concilijs hæc ſancta & vniuerſalis Synodus, electione & decreto Epiſcoporum fieri conſtituit, & ſtatuit atque promulgauit, neminem Laicorum principum & potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitę, aut cuiuſlibet Epiſcopi, ne inordinata hinc & incongrua fiat confuſio vel contentio, pręſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quenquam poteſtatiuorum laicorũ habere conueniat, ſed potiùs ſilere & attendere ſibi vſquequo regulariter à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finẽ electio futuri Pontificis. Si quis verò laicorum ad concertandum & cooperandũ inuitatur ab Eccleſia, licet huiuſmodi cum reuerentia obtemperare aſciſcentibus. Quiſquis autem ſecularium Principũ & potentum, vel alterius dignitatis laicus, aduerſus communem & conſonantem atque canonicam electionem Eccleſiaſtici ordinis agere temptauerit, anathema ſit donec obediat & conſentiat. Item ex Concilio Niceno, cap. VI. Per omnia manifeſtum eſt quia ſi quis præter voluntatem & conſcientiam Metropolitani fuerit ordinatus, hunc ſanctum & magnum Concilium ſtatuit non debere eſſe Epiſcopum. Item ex Concilio Antiocheno cap..... Si quis Preſbyter vel Diaconus per ſæcularem dignitatem Eccleſiam Dei obtinuerit, deiiciatur, & ipſe & ordinator eius à communione modis omnibus abſcindatur, & ſint ſub anathemate ſicut Simon magus à Petro. In electione igitur & conſecratione Domni Dienſis euidenter oſtenditur operata diuinitas, quia per hanc occaſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſub Papatu domni Gregorij multis retro annis obnubilata electionis Eccleſiaſticæ ſplenduit veritas. Videtur igitur viri cordati, quid iuris Imperatoribus, Regibus, & Principibus in electione Pontificis reſeruetur. Commiſit autem ei vices ſuas in Gallia, vbi plurimùm ſimonię ſerpebat peſtis iniqua: quia perrari illic erant, qui non eſſent aut ſimoniaci, aut à ſimoniacis ordinati, aut per manum laicam inueſtiti. Plurimùm illi inculcans, poteſtate data non abuti, quo minus deprauata corrigeret, damnanda recideret, ſancta & honeſta doceret, & docenda faceret. Scripſit & ad prælatos Gallicanarum

Synodus Romana 50. Epiſcoporum.

Decreta de inueſtituris.

licanarum Eccleſiarum quæ ſunt iuris S. Petri, Epiſtolam pro ſuo cenſu debito beato Petro, in hæc verba. *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus Abbatibus, & Prælatis tam Monachorum quàm & Canonicorum per Gallias conſtitutis, ſal. & Apoſtol. benedictionem. Fraternitatem veſtram, dilectiſſimi fratres, latere minimè credimus, quaſdam Eccleſiarum veſtrarum beato Petro & nobis annuos cenſus perſoluere ex præcedentium patrum inſtitutionibus debere. Sed quia quidam veſtrûm partim negligentiâ, partim verò tenaci induratione hæc hactenus minus plenè quàm oporteret egerunt, hos vt emendari & de.....uere ſtudeant; omnes autem vt Apoſtolico præcepto: Cui vectigal vectigal, cui tributum tributũ, obtemperetis commonemus. Vnuſquiſq; enim non quod ſuum eſt, ſed quod alterius, quærat: quoniã ſi dignè redarguitur, qui prout oportet propria non largitur, qua ſententiâ dignus eſt qui nec aliena rapere, nec debita metuit retinere? dicente Domino: Quæ vultis vt faciant vobis, hæc facite & vos illis. Et, Quod tibi non vis, alijs non feceris. Nunc igitur, quia dilectum filium noſtrum Hugonem Dienſem Epiſcopum ob Eccleſiaſticæ vtilitatis diuerſa negotia in Gallias vices noſtras executurum mittimus, & quia nemini potiùs credere debemus, quem in omnibus à nobis ſibi iniunctis fideliter egiſſe comperimus, quæ nobis ex Eccleſiis veſtris ſpecialiter debetis, vos illi ad nos perferenda perſoluere, ac de retentis ſatisfacere iubemus.*

Ipſo anno apud Caſam Dei Monaſticum ſuſceperat habitum domnus Ierento, menſe Nouembrio, die I. Hic ortus territorio Viennenſi, patre Arnaldo, matre Agnes nomine, nutritus eſt diligenti cura & induſtria à domno Hugone Cluniacenſium Patre, litteris etiam imbutus eſt ab his qui maioris auctoritatis videbantur in Cluniaco. Poſtquàm verò adoleuit, ſeculo adhæſit, & factus eſt velut expers gratiæ quam adeptus fuerat, leuitati omninò ſtudens, canonicæ profeſſionis normam reijciens, militaria potiùs inſtrumenta appetens. Studebátque ſeculo creſcere, non Deo. Animus quietis impatiens, laboris impiger, domari non poterat. Implebatur in eo illud Ethnici veriſſimum de iuuene imberbi teſtimonium, cuius, quia noſtrum non eſt, meminiſſe qui nouit recolat. Hoc ſanè de eo omnes qui nouerunt perhibent teſtimoniũ, leniſſimũ quidem cum mente & corpore, & tamen gratũ fuiſſe, & ita ſeculo deditum, vt eius jam facta cõuerſio omnibus videretur eſſe miraculo. Vbi verò voluptati ſatisfeciſſe ſe vidit, cœpit jam aliquando tædere quod libuerat. Sed rurſus inter ipſa conuerſionis primordia reuerberatus animo procliuior redibat ad ſolita. Vicit tandem metus mortis & gehennæ hominem. Credidit ſe ſatis tuto periculo, Chriſti protectus auxilio, omnia poſtpoſuit, omnia deſeruit, & ad Caſam Dei ſe retulit, vbi tunc temporis nullæ diuitiæ, nulla gloria, ſola habitantibus ſufficiebat inopia. Vaſta erat eremus, vt pote quæ ante annos xx. habitationes hominum non nouerat. Sanctus illam Robertus primus incoluit, qui animo & corpore mundo mori, & Chriſto viuere paratus fuit, quod libellus de vita eius ſcriptus pleniùs elucidat ſcire volentibus. Anno enim ab incarn. Dom. M... illuc venit, vbi præfuit... annis IX. & factus... Abbas præfuit annis .... & migrauit ad Dominum anno MLXVII. ſucceſſorem ſuum deſignans nomine Durannum. Ad hunc ergo locum veniens, cui poſt obitum præfati Patris prædictus Abbas Durannus præerat, ſumpſit animum & formam diſcipuli, ſed mox compulſus eſt Magiſter fieri, & Prioratus ſuſcepit officium iuſſu Abbatis, & totius Congregationis. Triſtabatur, quia quod deſiderabat eſſe nequibat: & quia alijs præeſſe rogabatur, ipſe in ſe de ſe mirabatur. Triennium in ipſo manſit officio ſub Abbatis imperio, prouidens pro poſſe & noſſe neceſſaria pauperibus Chriſti, & inſudans vtilitati Eccleſiæ Promotiones Eccleſiaſticorum graduum adeptus eſt per manum domni Hugonis Dienſis Epiſcopi, à primo vſque ad ſeptimum. Inuigilabat enim idem ſollicitus gregi ſibi credito, & Legationis ſibi creditæ ſollicitas ſeruans excubias, primum Concilium celebrauit apud Anſam, ſecundum apud Clarummontem, in quo Stephano Aruernenſi Epiſcopo Podienſis Sedis inuaſore, quia pro ambitione ma.... Sedem ſuam deſeruerat, Vuillelmo quoque ſimoniaco & inuaſore Sedis Aruernẽſis depoſito, conſecratus eſt præfatus Abbas Durannus Aruernorum Epiſcopus, peracto decennio regiminis ſui in loco Caſæ Dei, qui etiam poſt biennium petitione & voluntate fratrum curam regiminis Siguino dereliquit. Tertium Diuioni. Perſequebatur ſimoniacos, aduerſus quos ei iugis pugna & conflictus fuit perpetuus quos etiam prout potuit ab Eccleſia eliminauit, & orthodoxos ſubſtituit.

Ierento fit Monachus.

Caſa Dei Monaſterium.

Conc. Anſanum Claromontanum & Diuionenſe.

Anno MLXXV. Grimoldus Abbatiam dimiſit die S. Nicolai. Rodulfus ſucceſſit, ordinatio eius die S. Vrbani.

Anno ab incar. Dom. MLXXVI. x. Kal. Maij terræ motus factus eſt, feria VI. Luna

Z

XIV. & hoc anno fuit gelu magnum à VII. Idus Decembris vſque Idus Martij.

Conc. Auguſtodunenſe.

Quartum Concilium tenuit Auguſtoduni, pro quibus autem cauſis Eduenſe celebratum ſit Concilium in litteris domni Papæ aduertere licet, quarum textus iſte eſt, *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto in Chriſto fratri Hugoni venerabili Dienſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, Gerardus Cameracenſis electus ad nos veniens, qualiter in eadem Cameracenſi Eccleſia ad locum regiminis aſſignatus ſit, prompta nobis confeſſione manifeſtauit, non denegans poſt factam Cleri & populi electionem donum Epiſcopatus ab Henrico Rege ſe accepiſſe. Defenſionem autem proponens, & multùm nobis offerens, ſe neque decretum noſtrum de prohibitione huiuſmodi acceptionis, nec ipſum Henricum Regem à nobis excommunicatum fuiſſe, aliqua certa manifeſtatione cognouiſse. Cui cùm nos congruis rationibus oſtenderemus, quam graue eſset etiam omni ignorantiâ excuſante, ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis Synodale Decretum tranſgredi, & huiuſmodi participatione cum homine excommunicato commaculari: ad ſatisfaciendum promptus, donum quod accepiſse viſus eſt, continuò in manus noſtras refutauit, & omninò cauſam ſuam noſtro iudicio cum ſui ipſius ad omnem voluntatem ſubiectione & obauditione reliquit. Cuius humiliatione, & quoniam canonicam in eo electionem præceſſiſse audiuimus, ad miſericordiam moti ſumus & confiſi in teſtimonio quod nonnulli confratrum noſtrorum Epiſcoporum, cum multis pro eo ſupplicationibus, ad nos per Epiſtolas ſuas direxerunt, videlicet quòd eius præcedens vita & conuerſatio multùm honeſta & laudabilis fuerit, ad promotionem eius diſcretæ moderationis conſideratione aſſenſum præbere non indignum duximus. Attamen ne iſtud alijs, quorum cauſa & conuerſatio huic longè diſſimilis & impar conſtiterit, ad exemplum & occaſionem quærendæ miſericordiæ in poſterum fore debuiſset; illud conſtituimus, vt coram te & confratre noſtro Remenſi Archiepiſcopo, & alijs comprouincialibus Epiſcopis, ita ſe per ſacramentum purgare debeat, quòd ei ante acceptionem illam, & vt dicitur, inueſtituram Epiſcopatus, Regem excommunicatum fuiſse, & illud decretum noſtrum de prohibitione huiuſcemodi inueſtiendi & accipiendi Eccleſias, neque per legatum noſtrum, neque ab aliqua perſona, quæ ſe his ſtatutis interfuiſse, & ea audiſse fateretur, ſignificatum & indubitanter notificatum fuerit. Quapropter ammonemus fraternitatem tuam, vt Concilium in partibus illis conuocare & celebrare ſtudeas, maximè quidem cum conſenſu & conſilio Regis Francorum, ſi fieri poteſt. Sin autem aliqua occaſione id conſentire noluerit, in Lingonenſi Eccleſia conuentum celebrandi Concilij inſtituas, atque cum conſilio & prudente diſpoſitione confratris noſtri Lingonenſis Epiſcopi facias. Sciens quoniam in omnibus fidelem adiutorem & cooperatorem non ſolùm nobis, ſed & tibi, & omnibus Legatis noſtris ſe deinceps fore promiſit, & nos in eo multam ſpem habemus & fiduciam. Comes etiam Teobaldus per Legatos ſuos eandem nobis promiſſionem fecit, vt ſi Rex Legatos noſtros recipere nollet, ipſe cum ſumma deuotione reciperet, & eis omnem quam poſſet aptitudinem celebrandi Synodum, & Eccleſiaſtica exequendi negotia, locum, conſilium, auxiliumque pararet. Stude ergo vt præfatum fratrem noſtrum Lingonenſem Epiſcopum conuenias, & communi conſilio, vbi vobis melius videtur, Synodum conſtituite: & conuocatis illuc Archiepiſcopo Remenſi, & ceteris quot quot poſſis Archiepiſcopis & Epiſcopis Franciæ, primo omnium cauſas ſupra memorati electi Cameracenſis diſcutere ſtudeas, videlicet vt ſecundùm præſcriptam ſacramenti determinationem ſe coram omnibus expurget, & inſuper ne in mortem illius, qui in ignibus protectus eſt, conſenſerit, in eodem ſe ſacramento defendat. Quod ſi factum fuerit, præcedentem eius electionem confirmandam eſſe Apoſtolica moderatione decernimus, & te cum fratre noſtro Remenſi Archiepiſcopo de eius conſecratione, prout oportet, ſtatuere volumus, niſi fortè alia tibi quæ nos ignoramus, obſtiterint, quæ tamen in prouidentia noſtra examinanda relinquimus. Illud verò commune malum penè totius terræ, quòd altaria venduntur, & quòd iſte etiam in officio ſui Archidiaconatus ſe feciſſe non denegat, ne deinceps fiat tam huic quàm ceteris omnibus interdicito. De cætero ammonemus dilectionem tuam, vt reliquas cauſas & negotia, videlicet Catalaunenſis Epiſcopi, Carnotenſis Eccleſiæ, Anicienſis, Aruernenſis, necnon Monaſterij S. Dionyſij, & alia quæ neceſſaria Eccleſiaſticæ religioni apparuerint, pro commiſſa tibi vice noſtra, quantum Deo auxiliante potueris, ita diligenter tractare, & ad finem perducere ſtudeas, quatinus in eis noſtra deinceps poſſit ſollicitudo, & longa fatigatio ſubleuari. Volumus etiam vt fratrem noſtrum Hugonem venerabilem Cluniacenſem Abbatem tecum Synodo intereſſe ex noſtra parte conuocare rogando & multùm inſtando procures: cùm propter alia multa, tum maximè vt cauſa Aruernenſis Eccleſiæ competenti & firma determinatione cum Dei & illius adiutorio finiatur. Confidimus enim in miſericordia Dei & conuerſatione vitæ eius, quòd nulla deprecatio, nullus fauor, aut gratia, nec aliqua prorſus perſonalis acceptio eum à tramite rectitudinis dimouere poterit. Si igitur diuina clementia huic noſtræ diſpoſitioni effectum dederit, inter cetera quæ tua fraternitas*

agenda ſuſcepit, hoc attentiſſimè perpendat & exequi ſtudeat, vt congregratis omnibus, & in conuentu reſidentibus manifeſta & perſonanti denunciatione interdicat, vt conſeruanda deinceps in promouendis Epiſcopis Canonica auctoritate & Apoſtolica, nullus metropolitanorum, aut quiuis Epiſcoporum alicui, qui à laica perſona donum Epiſcopatus ſuſceperit, imponere manum audeat, niſi dignitatis ſuæ honore officioque carere & ipſe velit. Similiter etiam vt nulla poteſtas aut aliqua perſona de huiuſmodi honoris donatione vel acceptione vlteriùs ſe intromittere debeat. Quod qui præſumpſerit, eadem ſententiâ & animaduerſionis cenſura, quam beatus Adrianus Papa in VIII. Synodo de huiuſmodi præſumptoribus & ſacræ auctoritatis corruptoribus ſtatuit, atque firmauit, ſe aſtrictum & ligatum fore cognoſcat. Quo capitulo ſcripto, atque in præſentia omnium lecto, ad collaudationem & confirmationem eius vniuerſum cætum illius conſeſſus admoneas. Eos autem, qui poſt recenſitam à nobis huius decreti auctoritatem, inueſtituram Epiſcopatus per manus ſecularium Dominorum & Poteſtatuum ſuſceperunt, & qui eis in ordinatione manum imponere præſumpſerunt, ad nos ſuper hac re rationem reddituros venire Apoſtolorum auctoritate commoneas atque præcipias.

Iuxta hæc itaque mandata Apoſtolica congregata eſt Synodus venerabilium Patrum apud Eduam, ſub tutela & protectione Chriſti Domini aſſenſu & laude Hugonis Ducis, anno ab incarnatione Domini MLXXVII. vbi conuenerunt ex Francia & Burgundia multi illuſtres viri, Epiſcopi & Clerici, Abbates & Monachi quamplures, anno Papatus domni Gregorij VII. quarto Dux Hugo iuſti tenax Burgundiæ præerat, Lingonenſem Eccleſiam Rainardus cognomento Hugo regebat, vir adprimè Rhetoricis imbutus ſtudijs, clarus ingenio, ſermone facundus, ſcientiâ præditus, affabilis alloquio, & prudens conſilio. Obierat anno ipſo Diuionenſis Cœnobij Abbas Adalbero, & vt in talibus aſſolet, de Abbate ſubſtituendo inter Monachos loci diuerſa ferebatur electio. Quod videlicet Cœnobium antiquæ nobilitatis Religionis ſtemmate ſub Willelmi Abbatis regimine fuerat decoratum. Sed tunc Roberti Ducis violentiâ, & Prælatorum incuria, ſubditorum quoque ſegnitiâ, à priſtino rigore videbatur aliquantulum imminutum. Et quia quod intus ceciderat foris diu ſtare non poterat; intus parum erat religionis, foris cumulus deſolationis. Pro tantis anguſtijs, anxietatibus, & tribulationibus, ab his quorum erat mens ſanior paſtor quærebatur idoneus. Pontifex Lingonenſis & Dux, quorum erat iſtud proſpicere, Concilio intererant, de multis enim, vt præſcriptum eſt, partibus honeſti quamplures illo conuenerant. Aderat inter alios etiam Prior Caſæ Dei, vt querimoniam faceret iniuriarum Eccleſiæ ſuæ illatarum: quem quia ante conuerſionem notum habuerat Lingonenſis Epiſcopus, nunc in aſpectu immutatæ habitudinis cordis & corporis eius applaudebat & congratulabatur ei, diuinam collaudans potentiam, qui lenitatem diſſolutionis eius, quam habuerat in ſeculo, infrenauerat Monaſtici ordinis & regularis grauitatis freno, dans in eo exemplum omnibus ſub remigio alarum ſuarum confugientibus, non deſperare de ſua miſericordia, cuius tanta in iſto adoptionis filio agnoſcebant beneficia. Concilio ergo inito, circumſedentibus Patribus tractatum eſt de multis ſanctæ Eccleſiæ vtilitatibus, & earum determinatio ſecundâ, tertiâ quoque, & quartâ prorelata eſt die. Accuſatus eſt in eodem Concilio Remenſis Eccleſiæ inuaſor Simoniacus Manaſſes à Clericis Remenſibus: & ſuſpenſus ab officio, quia vocatus ad Concilium vt ſe purgaret, non venit. Qui cùm Canonicis Remenſis Eccleſiæ accuſatoribus ſuis à Concilio redeuntibus plurimas paraſſet inſidias, demum domos eorum fregit, præbendas eorum vendidit, & bona eorum diripuit. Indè cùm à Roma litteras accepiſſet, vt in Concilio cum ſex ſe purgaret Epiſcopis, Romam iuit. Quinta autem die, quia Lugdunenſis Sedes, Humberto Simoniaco expulſo, & in locis Iurenſibus Monacho facto, vacabat Antiſtite: à latere domni Lingonenſis electus eſt Gebuinus Archidiaconus, vir morum probitate venuſtus, vt præficeretur Lugdunenſi Eccleſiæ. Hoc totius Concilij acclamauit aſſenſus, hoc etiam Lugdunenſis Eccleſiæ Clericorum & Laicorum qui aderant expetijt bonæ voluntatis affectus. Raptus igitur ab altari, quò confugerat, diligentiùs ſeruatur, vt in die Dominico more ſolemni benediceretur. Doluit ſuper hoc Lingonenſis Epiſcopus, Clerúſque qui aderat Lingonicus: quia amiſiſſe videbantur virum in Eccleſiaſticis & ſecularibus negotijs perneceſſarium, cui plurimum innitebantur. Sed præualuit concors ſententia Concilij, quia ſic erat præfinitum & placitum in oculis Domini. Sexta iam ſeſſionis die aſſurgit Lingonenſis idem è medio

Conc. Eduenſe menſe Septembri.

Manaſſes Remenſis Ep.

circumſedentium, & vir nobilis & vrbanæ eloquentiæ, ratione compoſita attentos auditores ſibi reddens & beniuolos, replicuit aliqua pro damno Eccleſiæ ſibi commiſſæ illato, quòd quaſi eruiſſent ei oculum, cui ſuum tuliſſent Archidiaconum, in quo ſpes omnis, in quo refrigerium, in cuius ſibi erat caritate ſolatium. Sic honeſta verborum ſerie matris deſolationem plangens, & filiæ orbitatem non tacens, replicat antiquam nobilitatem Eccleſiæ Diuionenſis, zelum Vuillelmi Abbatis in rigore iuſtitiæ & feruore diſciplinæ, & diſtricta ordinis moderatione, nunc autem in obitu Abbatis omnia ad nihilum ferè redacta, intus parum religionis, foris cumulos tribulationis: adeò vt quæ quondam multis Eccleſiæ paſtores & rectores idoneos præpoſuerat, nullum qui ei præeſſet de ſuis inuenire poſſet. Confugere ſe profitetur ad Dei bonorúmque virorum conſilium, vt anxietatis ſuæ, cuius erat hoc prouidere & diſponere, aliquod in Rectore ſubſtituendo, qui verè rector diceretur & eſſet, inueniret ſolatium. Cùm peroraſſet, & à legato ſpe promiſſa conſilij & auxilij iuſſus eſſet edicere, quem eidem officio dignum de circumſedentibus, quia in ipſa Eccleſia non inueniebatur, vellet præficere: Ille Priorem Caſæ Dei manu deſignans, & ſimul in verbis procumbens, & genua flectens, *Date*, ait, *mihi hunc piſcem de fonte Dei.* Et vt faciliùs poſtulata acciperet, Hugonem Ducem ſibi ſociauit in precibus, vt eius mereretur bonitas quod ſe poſſe diffidebat. Oculi ergo omnium in eum qui rogabatur, diriguntur. Sed quia præfatus Romanæ Sedis Legatus nouerat virum acris eſſe ingenij & animi, & diſſolutionem nouerat habitatorum loci, & inſtabilitatem terræ; parcens ei, quanquam noſſet vtiliſſimum, in concedendo erat difficilis. Tentabant etiam qui cum Priore à Caſa Dei venerant, modis quibus poterant electioni contradicere; ſed quia voluntas fuit Domini, in cuius manu corda ſunt Regum, vt petitis annueretur auctoritas & laus promulgauit Concilii. Illis ergo tumultuantibus, vimque quo niſu poterant inferre parantibus, hic dum clanculò fugam pararet, jamque elaberetur, capitur, tenetur & flens multúmque dolens, ſuis etiam reſiſtentibus & contradicentibus in Concilium reducitur, & Epiſcopo Lingonenſi laude circumſedentium per manum redditur: à quo ſollicitè cuſtodiendus, remoto ſuorum amminiculo, ſolus deduci eſt iuſſus. Cúmque moneretur à Præſidente Epiſcopus, vt de conceſſis Deo gratias ageret, & virum honore dignum ſibi commiſſum adiuuaret, & in omnibus vt decebat honeſtè tractaret; prædeceſſorum, Brunonis ſcilicet Epiſcopi & Willelmi Abbatis, quorum laudabilis prædicatur ſocietas, & caritatis vnanimitas, mentionem faciens: Si, inquit, iſtum non adiuuero, non dilexero, non ea tractauero caritate & dulcedine, qua Bruno Willelmum, deperſonet ab honore meo. Diuionenſes autem fratres Concilio primo die interfuerant, & quia per ſe nequibant, electione Pontificis ſui ordinare Eccleſiam conceſſerant. Sexta erat feria, quà hæc facta ſunt, & quia electio fratrum, quibus præeſſe debebat, vt aſſolet requirebatur, hæc fuit diffinitio Concilij, vt ſi die Dominico fratres electioni conſentientes adueniſſent, electus benediceretur: ſi non, electio caſſaretur & ad ſua regredi ſineretur. Ob id ab Epiſcopo & Duce nuncio præpeti curſu Diuioni directo, die & hora præſtituta fratres adueniunt, electionem factam ſcripto roborant, & obedientiæ eius ſubdi non reformidant. Laudant in iubilo cordis & oris Dominum & magnificantes cum in vnum exaltant nomen eius in idipſum. Vno igitur die, id eſt die Dominico xv. Kalendas Octob. conſecrati ſunt apud Eduam ſumma omnium exultatione & tripudio, domnus Gebuinus in Lugdunenſem Archiepiſcopum ab ipſo Romanæ Sedis Legato, & præfatus electus in Abbatem Diuionenſem à prædicto Lingonenſi Epiſcopo. Multa tunc vtilia & ſanctæ Dei Eccleſiæ proficua in illo tractata & definita ſunt Concilio. Quo ſoluto, ad ſua quique redeunt. Lugdunum Præſul adiuit, Archiepiſcopum beatificandum in gloria cæleſti ciuibus expectantibus & deſiderantibus aſſignauit, quem cum gaudio totius vrbis in Sede prædeceſſorum eius Irænæi atque Fotini ante tempora ſecularia prælectum locauit. Nec fuit vana populi exultatio, quæ in dies augmentatur, & fine carebit, quia paſtor eorum benignus, in arce poli ſacerdos jam beneficiatus, dum vixit illi adhæſit qui eſt corona Sanctorum & exultatio, qui loco non tenetur, & termino non anguſtatur, nec fine concluditur. A quo donatus præmio immortalitatis beatæ, ciuibus & omnibus ad ſe confugientibus patrocinatur. Cuius quia jam in pace factus eſt

locus,& in Sion cæleſti habitatio eius, oremus eum vt & nos, qui felicibus eius gaudijs non inuidemus, pijs ſuis precibus ad ſe trahat, curſum noſtrum in bono deduci & expleri obtineat: eum, qui cum ipſo vno in loco electus, vno & die eſt conſecratus, vtinam tam ſorte beata! precibus indefeſſis protegat, & dilectores ſuos & veneratores ſecum in cæleſti gloria nos aſcribi faciat.

Stephanus autem Podienſis inuaſor cum Dienſi Epiſcopo Rom. Sedis Legato Hugoni multas paraſſet inſidias, nouiſſimè euntem eum ad Concilium apud Clarum montem, cum Canonicis ante altare ſanctæ Mariæ conuenit, & ſe placitis eius de Epiſcopatu obtemperaturum, ſi in Concilio fons cauſæ eius prolongaretur, promiſit. Clerici quoque identidem promiſerunt, ſi promiſſis fidem Epiſcopus ſeruare nollet, ſe eum deſerturos, & Romanæ Sedi obedituros. Igitur poſt expletionem Concilij Claromontenſis, propter pactionem quam ipſe promiſerat, infra dies x v. quibus à præfaro Dienſi Epiſcopo moneretur, ab Epiſcopatu ceſſaturum, & ante expletionem dierum ſtatutorum, cùm jam Lugdunum veniſſet, ad Podium redijt, paucis ſecum comitibus aſſumptis: Dominus Hugo, quia omnes tyrannidem inuaſoris ipſius ſuſpectam habebant, in celebratione Miſſæ poſt recitatum Euangelium intrepidus Clerum & populum, quia erat abſens Stephanus, de pactione cum eo facta conuenit, & ne ei inpoſterum obedirent Apoſtolica auctoritate prohibuit, data in eum qui ſe abſentauerat, excommunicationis ſententia, ſi vlteriùs Eccleſiæ incubare præſumeret. Quam eius excommunicationem dominus Papa confirmauit, ſcribens Epiſcopis Galliarum in hæc verba.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei vniuerſis Galliarum Epiſcopis, & cunctis ordinibus ſub eis conſtitutis, quæ pro meritis debetur, ſal. & Apoſtol. bened. Notum eſſe volumus charitati veſtræ, quòd Stephanus Anicienſis Eccleſiæ inuaſor & ſimoniacus jurauit nobis ſuper corpus beati Petri quod Eccleſiam ipſam dimitteret, & paſtorem in ea ſecundum Deum eligi atque conſtitui per fidem adiuuaret, quandocumque Legatus Apoſtolicæ Sedis cum litteris noſtris hoc eum facere per ſacramentum moneret. De hoc verè commonitus à confratre noſtro Hugone Dienſi Epiſcopo huius ſpecialiter negotij litteras à nobis habente, quamuis eidem vices noſtras in Galliarum partibus commiſiſſemus, Eccleſiam non ceſſat opprimere, & filios eius dupl.ci contritione, corporali videlicet & ſpirituali, conterere. Vnde excommunicationem, quam prædictus Legatus noſter ſuper eum fecit, nos confirmamus: ipſumque, & omnes, qui ei deinceps conſilium dederint, vt in hac hæreſi permaneat, ex parte Dei & ſancti Petri anathematizamus, donec reſipiſcat. Contradicimus etiam vt nullam pecuniam aliquis offerat in Podio ſanctæ Mariæ, ſiue ad altaria, ſiue ad manus Sacerdotum, donec Eccleſia liberetur à tam impia oppreſſione: quia oblationes fidelium prædictum Stephanum à Deo apoſtatare faciunt, atque contra eum ſuperbire. Vobis autem, fratres coepiſcopi hanc excommunicationem atque contradictionem in parrochijs veſtris per diuerſa loca recitare, & ex parte veſtra confirmare, Apoſtolica auctoritate præcipimus.

Igitur electus noſter Lingonenſi comitatus Epiſcopo ad ſibi commiſſum locum deueniens, ingreſſus eſt Diuionenſe Cœnobium, quod nunquam antea viderat, menſe Septembrio die xxi. & quia locum illum tali prouiſore vel paſtore propitia ditaſſet diuinitas, ex tunc & modo beneficijs multis eius declarauit pietas. Inuenit feruorem Ordinis, quem in prædeceſſoribus fuiſſe acceperat, tepuiſſe tum Prælatorum incuria, tum ſubditorum ſegnitia, habitacula ſeruorum Dei vſibus inſtituta laicis intrantibus & exeuntibus communia, intus parum religionis, foris aceruos tribulationis. Eccleſiam amiſſis ſtipendijs egentem, ære alieno oppreſſam, ornamentis Eccleſiaſticis ſpoliatam. Vrebatur ob hoc curarum æſtibus, quatiebatur cogitationum fluctibus, cùm videret ſuſcepiſſe ſe tegendam Eccleſiam magni nominis, magnæ antiquitatis, & antiquæ dignitatis; & ſe conſpiceret egentem omnibus bonis, intus & extra omni deſtitutum ſolamine, quo fultus regulariter cum ſibi commiſſis Deo quiret ſeruire. Hoc enim ſibi ſummum & maximum erat refugium in verbis Domini dicentis, *Primùm quærite regnum Dei & juſtitiam eius, & omnia adjicientur vobis.* Nouerat, quia cùm creſceret interiùs religionis ſtudium, exterioris quoque ſubſtantiæ accederet ſupplementum. Ad quod ſectandum quia ſui eum ex æquo non adjuuabant, Cluniacum abijt, conſilium & auxilium ab Abbate Cluniacenſe quæſiuit: quia

Stephanus Podienſis Ep.

Sarento Abbas Diuionenſis.

de loco illo per Willelmum prædeceſſorem ſuum recolendæ memoriæ virum fons deriuauerat religionis, de quo poſtmodum omnibus vicinis, exteris quoque & longè poſitis ſatis abundéque propinauerat. Nec vt volebat inuenit. Quæſiuit à Deo corde contrito & humiliato & inuenit. prope eſt enim obtritis corde Dominus & ſacrificium ei gratiſſimum ſpiritus contribulatus. Ad fontem igitur Dei hic, quem in electrone ſua Lingonenſis Epiſcopus piſcem de fonte Dei nominauerat, rediji piſces octonos octonæ beatitudinis virtute coruſcos ſecum adduxit, quos verè piſces dixerim pro ſedula meditatione ſpiritualitatis, quam intendebant, vt piſcis aquam fluminis: & fonti ſibi commiſſo, quem vitiorum prurigine ſentinoſum purgare decreuerat, ſaltus ſuper aquas pennis virtutum dantes immiſit. Ex his Priorem conſtituit, ceteris officia ſingula deputauit, vt eorum exemplo doceret reliquos vicia calcare, virtutes appetere, & deſuetos animos habitantium aſſueſceret moribus Religioſorum. Sed quid multis immoror? Tanta acta ſunt eius labore & induſtriâ, Dei præduce gratiâ, vt qui vidiſſet antea locum torpore negligentiæ confuſum, attendens nunc felici exercitatione virtutum floridum, clamet in iubilo cordis, *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Cœperunt jam ad eius monita multi nobilium & mediocrium ſua relinquere, & regulari diſciplinæ ſe ſubdere, ſéque abnegantes ſub eius ducatu Deo regi vni & vero militare.

Conc. Pictauienſe. Celebrauit & quintum Concilium domnus Dienſis Epiſc. apud vrbem Pictauorum, vbi quanta Deus operatus ſit & quanta erga ſeruos Chriſti diabolus conatus ſit, ex litteris ipſius domino Papæ directis conijcere poſſumus, quarum textus ille eſt. *Domino ac meritis beato Papæ Gregorio Hugo humilis Presbyter Dienſium in Domino Deo ſalutem. In Concilio, quod Pictauis per gratiam Dei cum aliquo fructu celebrauimus, multa nobis pericula prius in itinere, multæ nobis aduerſa in ipſa ciuitate tum in Concilio, tum extra extitère. Ecce enim Rex Francorum contrarius ſibi ipſi, quia contrarius erat Regi cœli, miſit litteras primùm mihi, in quibus confitebatur Domino, deſiderio deſiderans ſe vocari filium meum, & cum omni gloria & honore authoritatem noſtræ legationis commendabilem efficiens. Deinde Comiti, tum etiam Epiſcopis ſui juris litteras miſit, adjurans eos omni atteſtatione, & ſuæ majeſtatis ac fidelitatatis reos eſſe inſtituens: ſcilicet Comitem, ſi pateretur nos vſpiam vbi poſſet conuenticula & quaſi Concilia, ſic ea vocans, celebrare: Epiſcopos verò, ſi intereſſent, vel noſtris fauerent decretis, in quibus nitebamur ſplendorem coronæ eius obfuſcare, & Principum regni eius. Ex hac ergo aduerſitate inimici veritatis audaciam nacti nobis inſultando, eos penè traxerunt in ſiniſtram, quos conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Ecce enim peſtis & dedecus ſanctæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, Turonenſis, & cum eo Epiſcopus Redonenſis, ſuperbiſſimè peruerſi, totum penè occupauerunt Concilium. Redonenſis namque comprobatus eſt reus, quia non priùs ordinatus in Clericum, ordinatus eſt in Epiſcopum: promiſſa prius ac poſtmodum data pallij cappa ab Epiſcopo Andegauenſi, Redonenſi tamen illud neſciente, ſed aliud ante ordinationem confitente. ſcilicet cùm eques eſſet, equitem inimicum ab equo dejecit, & huius Redonenſis ſocius eques dejectum illum vulnere confodit. qui pro ea dejectione & vulnere in mortem occubuit. Nos igitur multorum precibus inclinati, nondum depoſitum, ſed interim ſuſpenſum, quia ſuæ vilis erat Eccleſiæ, veſtræ miſericordiæ præſentandum, & judicandum reliquimus. Turonenſis verò comprobatus eſt ante Epiſcopatum Decaniam emiſſe, quam ex conſuetudine eius Eccleſiæ, niſi quia iam ſacerdos fuiſſet, vel iam futurus ſacerdos eſſet, habere non poſſet. Hic igitur Turonenſis nullo modo canonicè electus, non potuit obtinere à Rege donum Epiſcopatus, vſquequo dum nepos huius ipſius per nummos præfatam Decaniam fuerit adeptus. De ſimonia etiam aliter accuſatus eſt, quia cuidam militi filiam promiſerat, ſi pro Epiſcopatu eum juuiſſet. Quod cùm poſtea miles ipſi improbaſſet, Andegauenſis Epiſcopus affuit, qui nobis ex eodem clara voce teſtimonium perhibuit. Longum eſt, Pater, enumerare turbas & conflictus, quos & quantas, quomodo & vbi hic Turonenſis nobis intulerit: aliquando pro Redonenſi numquam ratiocinando, ſed ſemper garriendo, aliquando pro ſe inclamitando, cum omni ſuorum garrulitate & impudenti audacia Clericorum. Nam dum etiam Archiepiſcopum Lugdunenſem penè inflecterent ad tuitionem ſuam, ita vt pro eis oraret, vel obloqueretur, foribus Eccleſiæ effractis ſeruientes eorum ſecuribus armata manu introeuntes, ita Concilium magno tumultu exturbauerunt, quòd fratrem T. in mortem dediſſent, niſi Dominus vt ſcuto bonæ voluntatis ſuæ coronaſſet eum. Ita nobis cum paucitate ac dedecore relictis, Turonenſis & ſuffraganei eius cum ſuperbo tumultu inordinatè &*

non canonicè receſſerunt. Altera die in Eccleſia beati Hilarij inito Concilio, nulla nobis promiſſa vel præmiſſa ſatisfactione de injuria, iterum draco ille inſurgens tanquam Leo rugiens non potuit audiri diutiùs. ſed exerentes gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei; percuſſimus eius ſuperbiam: & decreto huius negocij prolato ſuſpendimus eum etiam à ſacerdotali officio. Et quia Sedem Apoſtolicam appellauit, vbi ſe purgaturum fuiſſe de ſimonia aſſeruit, ad Apoſtolicam Sedem eum remiſimus, & veſtro judicio deponendum reliquimus. Abbas Bergenſis Eccleſiæ de Flandria fuiſſe ſimoniacus comprobatus eſt, & depoſitus. Biſuntinus Archiepiſcopus nec Eduenſi, nec Pictauenſi Concilio ſe præſentauit, nec canonicam miſit excuſationem. Beluacenſem pulſatum de ſimonia, & qui poſt decretum præbendas vendiderit, judicandum vobis remiſimus. Nouiomenſem pro cauſa ſua ſimiliter. Item Ambianenſem peruaſorem cum ordinatoribus ſuis videlicet Laudunenſe, Sueſſionenſe, Siluanectenſe. Mala quædam noſtra etiam inteſtina reticemus, quia perſonas, à quibus ſunt illata, Deo juuante quamcitiùs venturi, commodiùs vobis in aure dicemus. Cauſas Andegauenſis Comitis, ſicut præcepiſtis, ab ipſius ore audientes, rationabilem penè eſſe credidimus: ſed de abſolutione eius non præſumentes, diffinitionem huius rei prudentiæ ſanctitatis veſtræ committimus. Si quid verò minus ſcripſimus Sanctitati veſtræ, Tenzo filius veſter, fideliſſimus cooperator noſter in Domino, de Taruanenſi Epiſcopo cum Pictauienſi quid ſtatuerimus pleniùs intimabit. Prouideat itaque Sanctitas veſtra ne diutiùs tam opprobrioſè nobis improperetur quòd ſimoniaci vel quicunque criminoſi à nobis ſuſpenſi vel depoſiti, aut etiam damnati, libenter currunt Romam: & vbi deberent ſentire ampliorem rigorem iuſtitiæ, indè reportant quaſi miſericordiam pro voluntate: & qui antea nec in leuibus præſumpſerant peccare, poſtmodum exercent aptiſſimam negociationem cum tyrannide in commiſſis ſibi Eccleſijs. Ora ſanctiſſime Papa pro me inutili ſeruo ſanctitatis veſtræ.

Domno Gregorio ſummo Pontifici, Patri & domino ſuo, Manaſſes Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, fidelem ſeruitutis & obedientiæ ſubiectionem, & orationis deuotionem. Veſtro, Domine, interuentu & obſecratione, reddidi Dominæ M. Marchiſæ omnia quæ de me ſuus anteceſſor tenuit, & ad defendendum eadem conſilium meum & auxilium, ac receptus meos promitto fideliter & promiſi, & de reiciendo G. & recipiendo Comite A. quidquid ipſa quæſierat paratus ſum exequi. Ad quæ omnia confirmanda diebus ſacris Pentecoſtes cum confratre noſtro fideli veſtro T. Virdunenſi Epiſcopo ſuæ ciuitati interfui; relictis cauſa neceſſitatis ſuæ in ſacro-ſancto tempore meis omnibus neceſſarijs. Sed ego fidelis veſter, & per omnia Eccleſiæ jura vobis obedire paratus, veſtrum de Archiepiſcopo Viennenſi G. ſummouere requiro conſilium, & imploro judicium, qui in Archiepiſcopatu meo Presbyteros degradauit & eoſdem iterum regradauit. Legatum ſe Romanum, cùm non eſſet, ſimulauit. marſupium ſuum non ſub appellatione veritatis, ſed imitatus eos, qui, vt ait Apoſtolus, quæſtum æſtimant pietatem, cùm tandem impleſſet, à dioceſi mea ad ſuam redijt. Quapropter ad honorem Dei & Romanæ Eccleſiæ huiuſmodi præſumptionem & ſimulationem, ſicut decet, corrigite, ne deinceps quiſquam in alieno præſumat aliquid tale. Notum etiam facio vobis, quòd duo ſuffraganei mei Epiſcopi Laudunenſis & Sueſſionenſis tertium Ambianenſem in Archiepiſcopatu meo, me neſciente, vt pote Romæ poſito Epiſcopum conſecrauerunt, primum contra decretum veſtrum, quo ſtatueratis ne quis ſaltem Archiepiſcoporum eum conſecraret Epiſcopum., qui à laica perſona accepiſſet Epiſcopij donum. maximè cùm ijdem ipſi interfuiſſent apud Auguſtudunenſe Concilium, vbi domnus H. Dienſis Epiſcopus promulgauit & ſtatuit coram omnibus hoc veſtrum Eccleſiaſticum decretum. Hoc igitur, præter id quod diximus, contra auctoritatem & canones factum, & etiam inauditum, cunctiſque qui ſanum ſapiunt mirabile, & plus quàm dici poſſet ſtupendum, ſi placet deputetur irritum. Quin potius, quia ſine Metropolitano initè expleri non poteſt à quibuslibet coepiſcopis conſecratio Pontificis, ſicut ſcitis, oratum & exoratum vos eſſe volo vt ad honorem Dei, veſtrumque ac noſtrum tam temerariam Eccleſiaſtici Ordinis confuſionem zelo iuſtitiæ corrigatis, vt ſciat vnuſquiſque in gradu ſuo & modo perſiſtere, non aliena ſibi temerè arrogare. Obſecro etiam beneuolentiam honoris veſtri, vt dignitatem, quam anteceſſores veſtri anteceſſoribus meis Archiepiſcopis ſeruauerunt, & priuilegijs, alijſque ſcriptis ad poſterorum memoriam reliquerunt, mihi reſeruare dignemini; ne irritum, aut infractum priuilegium, quod ipſe dediſtis mihi, ſcilicet vt vobis ipſi interpellatus & non interpellatus reſpondeam, & legatis veſtris Romanis, non vltramontanis qui coniuncti Romanis, quærunt quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, & ſub honeſtis nominibus cupiditati ſuæ conſulunt, non Eccleſiæ Dei. Vnde propter taliunt pudendas reprehenſiones & vocationes, mihi, qui totius Galliæ Epiſcopos debeo conuocare, liceat confidere de vobis ſine legatorum vocatione, donec ad Paſcha vi-

Epiſtola Manaſsis Ep. Remi.

niam ad vos Deo volente. Præterea volo obnoxiè ſupplicare, & prænunciare vobis, vt quoniam in abſentia mei nuper apud vos commorantis multa prauè & inordinatè acta ſunt in partibus meæ Diœceſis, ego verò non potero omittere quin miniſterio noſtro vtar in his Eccleſiaſticè corrigendis: ſi quid pro hoc de me accuſationis perlatum fuerit vobis, ne hoc vel citò credatis, vel moleſtè erga me accipiatis: ſed illud in præſentia noſtra ante vos dimittatis, quia ego nullatenus volo excedere metas auctoritatis. Quandoquidem enim illi, qui Legatos veſtros ſe faciunt, multò iuſtiùs ego debeo per vos ea quæ ſunt prouidentiæ noſtræ corrigere, quàm quiſquam aliena tractare. De Comite Oebalo, qui me in præſentia veſtra accuſare temptabat, & ſe ſuamque fidelitatem vobis verbis ſimulantibus commendabat, ſatis in promptu habetis cognoſcere, cuius potiùs ſinceritas fidelitatis erga vos videatur exiſtere: vtrum mea qui Deo & vobis paratus ſum per omnia obedire, an illius qui & apud vos per ſemetipſum impugnat beati Petri Eccleſiam, & apud nos per Manaſſem & ſuos ſequaces in ſuo caſtro receptos perſequitur beatam Mariam. Manaſſes enim, de quo diximus, cui nos iuſſu veſtro quidin nos admiſerat, ſi ad Eccleſiam ſuam matrem rediret, indulſimus; conſcientiâ ſceleris ſui depreſſus nec ad nos vult redire, nec paci Eccleſiæ concordare, quin potiùs cum illis ſuis ſequacibus, quia factis non poteſt, verbis & maledictis Eccleſiam in que lacerare non deſinit. Vnde, vt de ipſo Ebalo taceam, in quem vos credo iuſtam & Apoſtolicam exercere ſententiam, ſuper Manaſſe inſtanter deprecor Sanctitatem veſtram, vt aut iubeatis eum ad ſuam regredi, & vlteriùs non impugnare Eccleſiam; aut in eum eiuſque fautores & cooperatores Apoſtolici vigoris dirigatis animaduerſionem. Dignamini etiam ad eorum receptores ſcribere aptam Epiſtolam, vt aut eos contra Eccleſiæ iura non retineant, aut pari ſententiâ ſe multatos agnoſcant. Reſtat mihi hoc vobis dicere, quia dominus Hugo Dienſis Epiſcopus interdixit Epiſcopum noſtrum Drogonem Sedis Taruennicæ, qui tantæ eſt ſenectutis, vt cùm ante Epiſcopatum diu permanſerit in ordine Presbyterij, iam nunc vltra tempus LX. annorum gradum tenuerit Epiſcopij, & penè per ſingula momenta propinquet exitui. Quapropter volumus vos obnixiùs exorare, vt eum iuſſu veſtro dignemini reſtituere miniſterio ſuo, ne quod magnopere formidamus, in hac moriatur interdictione. De hoc verò quod me interpellaſtis, vt in conductu Epiſcopi Pariſiaci aliquos vobis milites mitterem; notum vobis facio quòd ego volebam dirigere. Sed Comes de Arlon Fulco rediens ab vrbe Roma hoc mihi intimauit ex veſtra parte, quia libenter me de ipſa tranſmiſſione militum importabatis, ideò vt in regione noſtra ſtrenue & intentius exequerer dominæ Marchiſæ M. Pro hoc igitur à vobis veniente miſſatico, remanſit à noſtra parte prædictæ expeditionis tranſmiſſio. Valeat Sanctitas veſtra, Pater reuerendiſſime.

Ep. Greg. VII. ad Hugonem Dien. ſem Ep.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis in Chriſto fratribus Hugoni Dienſi Epiſcopo, & Hugoni Cluniacenſi Abbati, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia in ſanctæ Dei, cui diuina diſpoſitione præſidemus, Eccleſiæ regimine, ſollicite nos vigilare oportet, veſtris aſſiduis precibus vt nobis diuinum obtineatis præſidium depoſcimus. Quapropter vos ſummopere ſtudium adhibere admonendo mandamus, quatenus inquiratis, & canonicè, prout poteſtis, finem imponere procuretis negotijs, vnde Remenſis Archiepiſcopus confrater noſter ſuis litteris nobis conqueſtus eſt. Conqueritur enim de confratre noſtro Archiepiſcopo Viennenſi G. qui in ſuo Archiepiſcopatu Presbyteros depoſuit, & eoſdem reſtituit ſub nomine Romanæ legationis. Quinetiam conqueritur quòd duo ſuffraganei eiuſdem Remenſis, Laudunenſis ſcilicet & Sueſſionenſis, poſtpoſita canonica auctoritate Ambianenſem auſi ſunt conſecrare Epiſcopum, dum ipſe eſſet nobiſcum Romæ, & de ſe ſententiam nos dare humiliter expectaret, quod vos digna & ſagaci indagatione diſcutere, & cognoſcere omnimodo ſtudete, an ita ſe res habeat vt prædiximus nos ſuis litteris intellexiſſe. Præſertim ſi idem Ambianenſis contra R. Synodi & Apoſtolicæ Sedis decretum, de manu laici nefandâ ambitione, & temerario auſu inueſtituram ſuſcipere præſumpſit, canonici rigoris ſeueritate taliter in eum vindicare & punire obnixe ſatagite, vt eius exempla ceteri imitari timeant. De Manaſſe autem, de quo ſimiliter conqueritur, quòd Oebali ſuorùmque ſuffragio & refugio, illum & Eccleſiam fatigare non ceſſat, laborate vt ad pacem redeat, & ab inquietatione Eccleſiæ & perſecutione Archiepiſcopi deſiſtat. Quod ſi fortè in ſua contumacia perſiſtens obedire renuerit niſi illum iuſtam excuſationem habere cognoueritis, quodcumque vobis iuſtius videtur facite. De alijs autem neceſſitatibus eundem Archiepiſcopum, ſi vobis obedierit, ſicut dignum eſt, adiuuate, eique commiſſam Eccleſiam auctoritate beati Petri, quod & de alijs Eccleſiis vos oportet agere, defendite. Ipſe autem, ſicut ex ſuis cognouimus litteris, quas vobis direximus, inducias quæret vt ſubterfugiat. Cui qualiter reſcripſimus, vobis etiam per exemplar indicamus.*

Vos

Vos autem, fratres mei cariſſimi, viriliter & ſapienter agite, veſtráque omnia in charitate fiant, vt oppreſſi prudentes vos defenſores inueniant, & opprimentes iuſtitiæ amatores recognoſcant. Omnipotens Deus Spiritum Sanctum cordibus veſtris infundat, vóſque per viam ſibi placitam perducat, & ad ſocietatem Sanctorum Patrum peruenire faciat.

Reſcriptum eiuſdem ad M. Remenſem Archiepiſcopum, Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto in Christo fratri M. Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm vos ea à Sede Apoſtolica flagitatis, &c.

Sextum nihilominus celebrauit Concilium apud Lugdunum, pro quibuſdam negotijs, quorum diſcuſſionem ei domnus Papa impoſuit, ſcribens ad eum in hæc verba. Conc. Lugdunenſe.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto in Chriſto fratri Hugoni Dienſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quòd diuina clementia pacem Eccleſiæ tuæ reſtituit, ſciat fraternitas tua nos haud aliter quàm de noſtra, aut ſanctæ Rom. Eccleſiæ tranquillitate & profectu gaudere. Et hoc in mente tua ſemper maneat fixum, quod omnipotens Deus, cui fideliter famulari toto cordis affectu anniteris, & temporalem tibi pacem competenter conciliabit, & ſempiternam meritis tuis bonus remunerator retribuet. De diſcordia verò, quam inter Lugdunenſem Archiepiſcopum & Abbatem Cluniacenſem ſignificaſti, nouerit dilectio tua nos parum grauari; ſed quoniam inter Religioſos iurgia ſunt, multùm profectò dolere. Quippe quorum concordia multis prodeſſe poterat, & debuerat, non dubium eſt quin de eorum diſſenſione plurimis oriatur & futura ſit grauis pernicies. Vnde fraternitatem tuam vigilare oportet & curare neceſſe eſt, religioſos tibi viros adhibere, & ita præfatos ex parte noſtra ſuper concordia conuenire. Denique quicumque illorum iuſtitiæ ſecundum conſilia veſtra non adquieuerit, nulli ſit ambiguum quòd nos in eum grauiter, omnis perſonæ acceptione poſtpoſita, commouebimur. Quia verò in partibus præordinatis Concilium celebrare non potuiſtis vtiliter, competens arbitramur, vt aptum locum diligentia veſtra inueniat, vbi Synodo congregata Remenſis Archiepiſcopi cauſa diligenter examinetur. Et quidem, ſi idonei accuſatores & teſtes inuenti fuerint; quod obijciuntur ei canonicè comprobantes, quam iuſtitia dictauerit ſententiam dare abſque hæſitatione vos volumus. Alioquin ſi tales perſonæ fuerint, quæ recipi rationabiliter nequeant, quoniam turpis de eo fama non ſolùm Galliam, verumetiam ferè totam repleuit Italiam: ſex Epiſcopis, quorum vita non notetur infamia, aſſumptis ſibi, ſi poteſt excuſet ſe: & ſic purgatus, cum pace in Eccleſia ſua & propria dignitate remaneat. Præterea eum, quem per ſecularem poteſtatem, id eſt regiam inueſtituram, Cabilonenſem Eccleſiam intraſſe ſignificaſtis, ab omni regimine & ſpe ipſius Eccleſiæ alienum eſſe Apoſtolica auctoritate decernimus. Quòd ſi poſt huius noſtræ interdictionis ſententiam ad huius regiminis dignitatem aſpirauerit, quid beati Petri gladius valeat ſine dubio experietur, & in perpetuum nulla ſibi Eccleſiaſtici regiminis fiducia relinquetur. Ad comprimendum etiam multorum conatus illicitos, qui obſtinatis animis non timent Deum poſtponere, & ſuperbiam ſuam propalare, diabolum imitantes, qui non contentus ſibi conceſſis, dum illicitè nititur ad altiora, & quod habebat iuſtè amiſit; volumus vos in omnibus Concilijs veſtris vice noſtra omnes illos excommunicare, quicumque Apoſtolicæ Sedis decreto ſuper hac re Synodaliter conſtituto obuiare præſumpſerit, & de manu alicuius Laici inueſtituram Eccleſiarum ſuſceperit: vt hi ſaltim terroribus à ſpe ambitionis ſuæ reducti, non aliunde vt fures & latrones ad ouile Dominicum aſcendant, ſed ex habitatione religioſorum virorum inuitati, vt boni & idonei paſtores per oſtium ingrediantur. Admonemus etiam, vt viſcera pietatis tuæ dolor & calamitas Lingonenſis Eccleſiæ penetret, & vnà cum fratre noſtro Lugdunenſi Archiepiſcopo, modis quibus valetis tantis eius periculis conſulatis: aliud principaliter perficientes, vt in Decanum, qui ferè omnia illius Eccleſiæ officia peſſimis ſtudijs arripuit, iuſtam ſententiam detis, & officia illa per religioſos & competentes viros purè deinceps adminiſtrentur. Gregorij Epiſtola ad Hugonem.

Dum igitur hæc ei litteræ allatæ fuiſſent, & locus Concilij apud Lugdunum conſtitutus eſſet, Remenſis etiam Archiepiſcopus iuxta tenorem litterarum ad idem ſe purgaturus inuitaretur Concilium, poſito domno Hugone apud Viennam pro corporis curatione, nuncij præfati Archiepiſcopi venerunt ad eum multis & maximis precibus & muneribus ad hoc eum flectere cupientes, & ob id ei in præſenti trecentas puriſſimi auri vncias, domeſticis quoque eius precioſa donaria offerentes, inſuper & celamentum ne vlli mortalium id proderent iurare volentes, cum ſex Epiſcopis, quos ipſe Remenſis eligeret de ſuffraganeis ſuis, ei

vt ſe purgaret concederet, remota inquiſitione infamiæ. Addentes etiam quod nec ſperare poterant, ſed tamen nihil intemptatum relinquere volebant, quòd ſi ei ſolo concederetur facultas ſe purgandi, inæſtimabiles theſauros auri, & qui etiam numerum excederent, ſe iuraturos; & inſuper ſacramentum, ne cui hoc proderent. Quod totum virilis eiuſdem legati animus reſpuit. Et quia inexpugnabilem eius erga pecuniam animum vidit, timens ſibi, Concilio intereſſe noluit, & ideò Synodali iudicio eſt depoſitus, tum quia ſe purgare noluit, tum quia audientiam Eduenſis, Pictauienſis, & ipſius Lugdunenſis ſubterfugit.

Celebrauit & ſeptimum apud Auennionem, in quo depoſitus eſt Achardus Arelatenſis inuaſor, & electi ſunt Gibilinus in Arelatenſem Archiepiſcopum, Lantelmus in Ebredunenſem æquè Archiepiſcopum, Hugo in Gratianopolitanum Epiſcopum, Deſiderius in Caualicenſem, quos poſt expletionem Concilii ſecum Romam duxit, & conſecrati ſunt à Papa.

Conſ. Auenionem

His ergo interim ſepoſitis, beati Patris Gregorij VII. Romanæ Eccleſiæ Pontificis, magni illius Gregorij cuius hodie flores eloquij in Eccleſia redolent, vniuoci & æquiuoci, iam in tuto poſiti, iam decurſo mundi naufragantis pelago, quietis æternæ fida ſtatione potiti, ſecuri prædicemus geſta magnifica, & quos tribulationum impetus pro ſancta ſuſtinuerit Eccleſia, & ſuſtinens mira & inedicibili ſuperauerit conſtantia, vt eſſet libera, caſta, atque Catholica, diuina comitante clementia pia proſequamur inſtantia. Natus eſt igitur in vrbe Roma, patentibus ciuibus Romanis, & quod maximum eſt religioſis, aſcribendus ciuis Curiæ cæleſtis: & ab ineunte ætate Eccleſiaſticis mancipatus officijs, pueritiam ſuam non ſine certis, quæ eum illuſtrem futurum iam tunc ſignarent documentis, religioſis perſonis comitatus excoluit. Adoleſcentiam aſſumpto ſanctitatis propoſito inter mundi contemptores non ſine magnis perfectionis indicijs perdomuit. Iuuentutem nihilominus militiæ Chriſtianæ dedicatam ſicut ætate, ita ſana doctrinâ & firmamento veritatis robotatam, ſub præclaris totius Chriſtiani nominis tutoribus & Præſulibus publicis ſanctæ Eccleſiæ, mancipauit vtilitatibus. Hic ob ſingularem excellentis ii genij prærogatiuam à Nicolao Papa in Archidiaconatum matris Eccleſiæ prouectus, ſtrenua & laudabili huius officij adminiſtratione in totius orbis notitiam, & Religioſorum dilectionem breui deuenit. Decedente verò Papa Alexandro ad ſummum Chriſtiani regiminis culmen accitus & electus, diuinitate in electi ſui exaltationem communem ſeruorum ſuorum deuotionem incitante, ad perferendum quod abhorrebat iugum, quodque ſemper quidem animi, aliquando autem corporis fugâ declinauerat, manſuetum animal Domino ſuo ceruicem ſubdidit. Electionem verò de ſe factam ipſe per ſe publicauit, ſcribens Deſiderio Caſſinenſi Abbati in hæc verba.

Gregorij VII. Papa vita.

GREGORIVS in Romanum Pontificem electus D. Abbati Monaſterii S. Benedicti Montiſ-Caſſini ſalutem in Chriſto IESV. Domnus Papa A. mortuus eſt, cuius mors ſuper me cecidit, & omnia viſcera mea concutiens penitus conturbauit, & in morte quidem eius Rom. populus contra morem ita quieuit, & in manu noſtra frena dimiſit; vt euidenter appareret ex Dei miſericordia hoc proueniſſe. Vnde accepto conſilio hoc ſtatuimus, vt poſt triduanum ieiunium, poſt letanias, & multorum orationem elemoſynis conditam, diuino fulti auxilio..... tueremus, quid melius de electione Rom. Pontificis ſtatueretur. Sed ſubitò, cùm prædictus dominus noſter Papa in Eccleſia Saluatoris ſepulturæ traderetur, exortus magnus tumultus populi, & fremitus; & in me quaſi veſani inſurrexerunt: ita vt cum Propheta poſſim dicere, Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me: laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, timor & tremor irruerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Et quia in lecto iacens valde fatigatus ſatis dictare nequeo, anguſtias meas enarrare ſuperſedeo. Te quoque per omnipotentem Deum roge, vt fratres & filios, quos in Chriſto nutris, ad exorandum Deum prouoces, & ex vera charitate multos: quatenus oratio, quæ me liberare debuit ne incurrerem periculum, ſaltem tueatur in periculo poſitum. Tu autem quantociùs ad nos venire non prætermittas, qui quantum Romana Eccleſia te indigeat, & in prudentia tua fiduciam habeat, non ignoras. Domnam Agnetem Imperatricem, & venerabilem Cumanum Epiſcopum Ramaldum ex noſtra parte ſaluta; & quantum erga nos dilectionis habuerint, nunc vt oſtendant noſtra vice fideliter obſecra.

Conſecratus igitur in iuſtitia & ſanctitate miro modo aſſiduis votis pro ſe & grege ſibi commiſſo excubans, vrgente paſtoralis officij neceſſitate, diſtorta peruerſorum corda ad rectitudinis lineam ſumma vi corrigere nitens, veritatem Dei abſque perſonæ acceptione omnibus patefecit, nactus omnium bonorum dilectionem ob zeli Dei feruorem, & iuſtitiæ exequutionem. Sed quia nulla eſt ſocietas luci ad tenebras, perditorum hominum odium & detractionem, immò perſecutionem acerrimam incurrit; regiam tamen viam, quam ſemel intrauerat, inconcuſſus, immotus, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris fortiter inceſſit. Ac primo quidem Apoſtolica auctoritate, veridicis ſanctorum Patrum animatus ſententijs, ad eliminandã Simoniacam hæreſim, & præcipiendam Clericorũ caſtitatem commiſſi ſibi officij debito vehementer exarſit. Audiant igitur qui audire volunt, vt muniantur; qui audire nolunt, vt confundantur; quàm libera, quámque catholica voce contra inſanos impiorum latratus, impiaque molimina, auſuſque nefandos intonuerit hic propugnator Eccleſiæ. Cùm enim omnes ferè ſua quærerent, non quæ IESV-CHRISTI, & adhærere mallent diſcipulatui Simonis quam pauperiem Chriſti ſeruare in vnitate fidei; miniſtri quoque diuini ſanctuarij fœdam libidinoſæ contagionis pollutionem contra ius faſque vſurpatam, & ſubintroductam nollent abjicere, inueſtituræ etiam Eccleſiarum à laicis indebitè vſurparentur: ipſe pro communi Eccleſiæ vtilitate & neceſſitate in Lateranenſi Palatio aggregata Synodo, circumſedentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & religioſis Deúmque timentibus Clericis & Monachis, de ſupraſcriptis & alijs Eccleſiæ commodis tractans, hæc decretalia promulgauit capitula.

I. Quicumque militum, vel cuiuſcumque ordinis, vel profeſſionis perſona, prædia Eccleſiaſtica a quocumque Rege, ſiue ſeculari Principe, ab Epiſcopis inuitis ſeu Abbatibus aut ab aliquibus Eccleſiarum Rectoribus, ſuſcepit vel ſuſceperit, vel inuaſit, vel etiam eorumdem Rectorum vitioſo & deprauato conſenſu tenuerit, niſi eadem prædia Eccleſiis reſtituerit, excommunicationi ſubiaceat. Decreta Lateranenſ. Concilij.

II. Quoniam inueſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta Canonum multis in locis cognouimus à Laicis fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex quibus Chriſtiana Religio perturbatur: decernimus vt nullus Epiſcoporum inueſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ, de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ perſonæ, viri vel feminæ ſuſcipiat.

III. Si quis præbendas, Archidiaconatus, Præpoſituras, vel aliqua Eccleſiaſtica officia vendiderit, vel aliter quàm ſtatuta Sanctorum Patrum præcipiunt, ordinauerit, ab officio ſuſpendatur. Dignum eſt enim vt ſicut gratis Epiſcopatum accepit, ita membra eius gratis diſtribuat.

IV. Ordinationes, quæ interueniente precio vel precibus, vel obſequio alicui perſonæ impenſo, vel quæ non communi conſenſu Cleri & populi ſecundum Canonum ſanctiones fiunt, & ab his ad quos conſecratio attinet, non approbatur, irritas eſſe cenſemus: quoniam qui taliter ordinantur, non per oſtium, id eſt per Chriſtum intrant, ſed vt ipſe teſtatur, fures ſunt & latrones.

V. Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum, pro qualitate criminum imponuntur. Ideòque quicumque miles vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius iniuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe agere, per quam ad æternam vitam valeat peruenire, niſi arma deponat, vlteriuſque non ferat, niſi conſilio religioſorum virorum pro defendenda iuſtitia; vel negotium derelinquat, aut officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bona quæ iniuſtè abſtulit reſtituat, ne tamen deſperet, quicquid boni facere potuerit hortamur vt faciat, vt Deus omnipotens cor eius illuſtret ad pœnitentiam.

VI. Decimas, quas in vſu pietatis conceſſas eſſe auctoritas monſtrat, à Laicis poſſideri Apoſtolica auctoritate prohibemus: Siue enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuſlibet perſonis eas acceperit, niſi Eccleſiæ reſtituat, ſciat ſe ſacrilegij crimen incurrere, & æternæ damnationis pœnam ſubire.

VII. Quia dies Sabbati apud Sanctos Patres noſtros in abſtinentia celebris eſt, nos eorumdem Patrum auctoritatem ſequentes ab eſu carnium, niſi maiori interueniente feſtiuitate, vel infirmitate impediente, ſalubriter ammonemus abſtinere omnem, qui Chriſtianæ Religionis particeps eſſe deſiderat.

VIII. Vt nullus Abbas decimas, vel primitias, & reliqua, quæ ſecundùm ſtatuta canonum ad Epiſcopos pertinent, ſine auctoritate Romani Pontificis, ſeu conſenſu Epiſcopi, in cuius Diœceſi habitat, detineat, Apoſtolica auctoritate ſancimus.

IX. Nullus Epiſcopus grauamen ſeu ſeruile ſeruitium ex vſu contra Eccleſiaſticam normam Abbatibus ſeu Clericis ſuis imponat, vel interdictum Sacerdotale officium precio interueniente reſtituat. Quod ſi fecerit, officij ſui periculum ſubeat.

X. Si quis prædia beati Petri Apoſtolorum Principis vbicumque poſita in proprietate ſua vſurpauerit, vel ſciens occultata non propalauerit, recognoſcat ſe iram Dei & Sanctorum Apoſtolorum velut ſacrilegus incurrere. Quicumque autem in hoc deprehenſus fuerit, eandem hereditatem legitimè reſtituat, & pœnam quadrupliciter de proprijs bonis ſoluat.

XI. Si quis Epiſcopus fornicationem Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & crimen inceſti precibus vel precio interueniente conſenſerit, vel commiſſum ſibique compertum auctoritate ſua non impugnauerit, ab officio ſuſpendatur.

XII. Vt omnis Chriſtianus ad Miſſarum ſollemnia aliquid Deo offerat, & ducat ad memoriam quod per Moyſem Deus dicit, Non apparebis in conſpectu meo vacuus. *Etenim in Collectis Sanctorum Patrum apparet quòd omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex vſu Sanctorum Patrum debeant.*

Hæc ſunt beatiſſimi Papæ ſynodalia decreta, moribus corrigendis idonea, ſanctorum Patrum decretis conſona, cœlo rorante ſtillata, vniuerſis fidelibus inculcanda, amplectenda, atque tenenda, iuſtitia dictante prolata, fortitudine roborata, prudentiâ promulgata, temperantiæ virtute prædita. Sed peruerſi dum in eorum norma vitæ ſuæ peruerſitate offendunt, hæc grauia, hæc difficilia; hęc, quia corrigi nolunt, emendari refugiunt, omnimodis appellant impoſſibilia. O mentem amentem! ô ſpurcam nequitiam! & nequiſſimam ſpurcitiam! Numquid ſi perditorum mores hominum corrigi refugientes deſipiunt, iuſtitia ſilebitur, pietas conculcabitur, & Eccleſiaſticæ animaduerſionis gladius à ſanguine prohibebitur? Væ Rectori, quem denotauerit ſententia huiuſce maledictionis: Maledictus eſt, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. Gladium à ſanguine prohibere, eſt prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. Ob hanc igitur cauſam, quia ſcilicet ſanctam Dei Eccleſiam caſtam eſſe volebat, liberam, atque Catholicam, quia de Sanctuario Dei ſimoniacam & neophytorum hæreſim, & fœdam libidinoſæ contagionis pollutionem volebat expellere; membra diaboli cœperunt in eum inſurgere, & vſque ad ſanguinem præſumpſerunt in eum manus inijcere, & vt eum morte vel exilio confunderent, multis cum modis conati ſunt deiicere. Sic ſurrexit inter Regnum & Sacerdotium contentio, accreuit ſolito grauior ſanctæ Dei Eccleſiæ tribulatio. Heinricus enim Henrici Imperatoris filius aduerſus Deum & matrem omnium Catholicorum Romanam Eccleſiam ſuperbè tumidus, quia vita eius praua ſanctorum Patrum decretis & Canonicis aduerſabatur inſtitutis, aduerſus Deum & aduerſus Chriſtum eius inſurrexit, Eccleſiaſticis ſanctionibus impiè factus rebellis: membra diaboli contra eum incitando, & omnes quos potuit minis, blanditijs, terroribus, muneribus contra eum armando, facta cum multis Epiſcopis Lotharienſibus & Traoshenenſibus compoſitione. Poſito enim adhuc in Diaconatus officio eodem Papa ſanctiſſimo, cum de eo ſiniſtra & inhoneſta vbique ferretur fama, propter Imperialem dignitatem, & patris matriſque reuerentiam, necnon propter ſpem correctionis eius, ſæpè ab eo litteris & nuncijs eſt admonitus, vt memor clariſſimi generis, memor imperialis dignitatis vitam ſuam moribus Imperio congruentibus inſtitueret, vt Regem ſe & Imperatorem moribus oſtenderet, operibus exhiberet. Sed quia cum ætate illius quoque pariter creuit iniquitas, ſublimatus in ordine Pontificatus, auctoritate officij ſibi commiſſi multò ſollicitiùs ad vitæ meliorationem eum indies hortabatur; cum ille excuſatione ætatis fluxæ & fragilis de die in diem monita eius ſe ſuſcepturum verbis quidem promitteret, ceterùm re & exaggeratione culparum, malo eorum, in quorum manus Curia erat, conſilio penitùs conculcaret. Hinc jam procliuior factus ad ſcelera præceps præcipiti vſus conſilio ferebatur per deuia. Viſum eſt Papæ beatiſſimo, vt familiares eius, quorum machinationibus per Epiſcopatus & Monaſteria inductis ſimoniacè lupis pro paſtoribus, Eccleſiæ innocentiam hæreſi nefanda fœdauerat, ad pœnitentiam vocaret, venientes ſuſciperet, reſpuentes à communione corporis Chriſti &

conſortio fidelium ſepararet : vt vel ſic eum ab eorum ſurreptione & maligno conſilio ſegregaret, admonens eum vt eos excommunicatos à domo, à conuiuio, ab omni etiam familiaritate & communione ſua expelleret. Interim verò inualeſcente contra eum Saxonum causâ, cùm vires regni & præſidia à ſe videret deficere velle, Epiſtolam ei direxit ſupplicem & humilitate plenam, pœnitentiam de perpetratis agens, emendationem pollicens, & ſuam ei obedientiam & fidele adjutorium contra rebellantes promittens. Et hoc poſtmodum Legatis eius Humberto Prænestino & Giraldo Oſtienſi Epiſcopis, in illorum manus per ſacratas eorum Stolas, quas collo geſtabant, jurejurando confirmans. Textus autem Epiſtolæ iſte eſt.

Vigilantiſſimo & deſiderantiſſimo domno Papæ Gregorio Apoſtolica dignitate cælitus inſignito, Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex debiti famulatus fideliſſimam exhibitionem. Cùm regnum & Sacerdotium, vt in Chriſto ritè adminiſtrata ſubſiſtant, Vicaria ſui ope ſemper indigeant; oportet nimirum, domne mi & Pater amantiſſime, quatinus ab inuicem minimè diſſentiant, verùm potiùs Chriſti glutino conjunctiſſima indiſſolubiliter ſibi cohæreant. Namque ſic & non aliter conſeruatur in vinculo perfectæ charitatis & pacis, & Chriſtianæ concordia vnitatis, & Eccleſiaſticæ ſimul ſtatus Religionis. Sed nos, qui, Deo annuente, regni jam ſortimur miniſterium, Sacerdotio vt oportuit per omnia jus & honorem non exhibuimus legitimum. Quippe datæ nobis à Deo poteſtatis vindicem gladium non ſine cauſa portauimus, nec tamen in reos vt iuſtum fuit iudiciaria illum cenſura euaginauimus. Nunc autem diuina miſeratione aliquantulum compuncti, & in nos reuerſi peccata noſtra priores veſtræ indulgentiſſimæ paternitati nos accuſando confitemur, ſperantes de vobis in Domino, vt Apoſtolica veſtra auctoritate abſoluti iuſtificari mereamur. Eheu criminoſi nos & infelices: partim pueritiæ blandientis inſtinctione, partim poteſtatis noſtræ imperioſa libertate, partim etiam eorum, quorum ſeductilia nimium ſequuti ſumus conſilia, ſeductoria deceptione, peccauimus in cælum & coram vobis, & iam digni non ſumus vocatione veſtræ filiationis. Non ſolùm enim nos res Eccleſiaſticas inuaſimus, verùm quoque indignis quibuſlibet, & ſimoniaco felle amaricatis, & non per oſtium, ſed aliundè ingredientibus, Eccleſias ipſas vendidimus, & non eas vt oportuit defendimus. At nunc, quia ſoli abſque veſtra auctoritate Eccleſias corrigere non poſſumus, ſuper his, vt etiam de noſtris omnibus, veſtrum vnà conſilium & auxilium obnixè quærimus, veſtrum præceptum ſtudioſiſſimè ſeruabitur in omnibus. Et nunc imprimis de Eccleſia Mediolanenſi, quæ noſtra culpâ in errore eſt, rogans, vt veſtra Apoſtolica diſtrictione canonicè corrigatur, & exindè ad Eccleſias corrigendas auctoritatis veſtræ ſententia progrediatur. Nos ergo vobis Deo volente in omnibus non deerimus, rogantes idipſum ſupplicìter paternitatem veſtram, vt nobis alacris adſit clementer in omnibus. Litteras noſtras non poſt longum tempus cum fideliſſimis noſtris habebitis, ex quibus noſtra quæ dicenda adhuc reſtant, Deo dante, pleniùs audietis.

Henrici Imp. Epiſtola ad Gregorium

Verùm, commiſſo prælio, & victoria obtenta, ad vomitum cito rediit, vota fregit, excommunicatos in communionem & gratiam ſuſcepit, Eccleſiarum confuſionem non abhorruit. Pius autem Papa adhuc animum eius tentandum credens, litteras ei direxit commonitorias, vt recordaretur Domini Dei ſui, recordaretur promiſſi, nec inhonoraret honorantem ſe, nec crederet ſe fallere poſſe Deum: adjciens, *Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam*, parcénſque ei & moderaminis Apoſtolici erga eum cenſuram conſeruans, quem potuiſſet pro hoc ſolo ſcelere iuſtè punire. iuxta Decretum Gelaſij Papæ, in quo ait, ſcribens Anaſtaſio Imperatori, cap. .... Sicut non poteſt quilibet peri..... communicatore ſuſcepto ...... riter peruerſus approbari: ſic nec poteſt refutari peruerſitas ..... peruerſitatis admiſſo. Leg. .... certè veſtris criminum conſeq. .... ceptoreſque latrocinantium..... iudiciorum pœnâ conſtringunt. nec expers facinoris æſtimandus eſt, qui licèt ipſe non fecerit, tamen facientis familiaritatem fœduſque receperit. Et hæc Papa Gelaſius. Ceterùm hoc in patre ..... iuxta quod ait Greg. in decre .... cap. ccxxix. illud ..... prædicabile, quia erat in eo.... do cauta, non remiſſa, cot .... diligens, non ſeuera. ſed ſi..... condiebatur ex altero, vt & hoc haberent amando quod ca..... & prauì meruendo quod ..... gerent.

Miſit etiam ſpeciales Epiſtolas quibuſdam Epiſcopis Galliæ & Germaniæ bullâ ſua ſignatas, vt ad erigendam Eccleſiæ dejectionem, & eliminandam hæreticam

prauitatem reparandámque miniſtrorum caſtitatem confortarentur manus diſſolutæ, & roborarentur genua debilia eorum. Qui nimia vſi lenitate, & ex Regis ſtoliditate & poteſtate tenebrarum rebellandi accepta occaſione, præcepta ſedis Apoſtolicæ paruipendere non timuerunt, & ſe non paſtores ouium, ſed mercenarios euidenti iudicio probauerunt. Conſtantienſis hic vnus eorum Otto dicebatur Epiſcopus, quem huiuſmodi auſu temerario corripuit præfati Romani Pontificis auctoritas, mittens ei & Archiepiſcopo Moguntino litteras; quas cùm Otto parui pendiſſet, obſtinatam eius animoſitatem Papa corripuit, ſecundò miſſis ad eum litteris in hæc verba.

Epiſt. ad Ottonem Ep. Conſtantienſem.

GREGORIVS ſeruus ſeruorum Dei Ottoni Conſtantienſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Perlatum eſt ad nos de fraternitate tua, quod ſatis inuitus & mæſtus audius, quòdque ſi vel de extremo Chriſtianæ plebis membro ad audientiam noſtram deferretur, ſeuerioris diſtrictionis diſciplinæ cenſurâ eſſet proculdubio caſtigandum. Cùm enim Apoſtolica auctoritate, & veridicis ſanctorum Patrum ſententiis incitati, ad eliminandam Simoniacam hæreſim, & præcipiendam clericorum caſtitatem pro noſtri officij debito exarſimus, Moguntino venerabili Archiepiſcopo confratri noſtro, cui plures & latè diſperſi ſuffraganei ſunt, hoc obedientiæ munus iniunximus, vt tam ſe quàm per per coadiutores ſuos hoc Romanæ Eccleſiæ decretum vniuerſo clero ſtudioſiùs inculcares, & inuiolabiliter tenendum proponeret. Tibi quoque, cui eſt plurimus Conſtantienſis Eccleſiæ clerus & populus ampliſſimè dilatatus, ob eandem cauſam ſpeciales litteras credere bullà noſtra impreſſas collibuit, quali fultus auctoritate tutiùs animoſiuſque præceptis noſtris obtemperares, & de ſanctuario Domini hæreſim Symoniacam & fœdam libidinoſæ contagionis pollutionem expelleres. Apoſtolica namque Beati Pauli præpollet auctoritas, qui fornicatores & adulteros cum cæteris excommunicatis connumerans, diffinitam ſuæ iuſſionis ſententiam ſubicit, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Præterea, vniuerſus Catholicæ Eccleſiæ cœtus, aut virgines ſunt, aut continentes, aut coniuges. Quicumque ergo extra hos III. ordines reperitur, inter filios Eccleſiæ, ſiue inter Chriſtianæ Religionis limites non numeratur. Vnde ſi vel extremum laicum pellicatui adhærentem liquido cognouerimus, hunc velut præciſum à corpore Dominico membrum, donec pœniteat, condignè à ſacramentis altaris arcemus. Quomodo ergo ſanctorum ſacramentorum diſtributor & miniſter eſſe poteſt, qui nulla ratione poteſt eſſe vel particeps? Sed illa beati Papæ Leonis nos impulit auctoritas, qui Subdiaconis ineundi connubij licentiam prorſus abſtulit, quod decretum beati Papæ Leonis poſteriores ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifices, maximè Doctor eximius Gregorius, ita pro lege ſanxerunt, vt deincepſ tribus his ordinibus Eccleſiaſticis, Sacerdotibus, Leuitis, & Subdiaconis, omnino vincula coniugalia ſint prohibita. Cùm autem hæc omnia paſtorali prouidentia obſeruanda tranſmitteremus, tu non ſurſum cor, ſed deorſum in terra ponens, prædictis Ordinibus, ſicut accepimus, libidinis frena laxaſti; vt qui mulierculis ſe iunxerant, in flagitio perſiſterent, & qui necdum duxerant, tua interdicta non timerent. O impudentiam! ô audaciam ſingularem! videlicet Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ decreta conuellere, præcepta Sanctorum Patrum contemnere, immò verò præceptis contraria, & fidei Chriſtianæ repugnantia de ſuperiori loco, & de Cathedra Pontificali ſubiectis ingerere. Quapropter tibi Apoſtolica auctoritate præcipimus, vt ad proximam Synodum noſtram prima hebdomada XL. te præſentem exhibeas, tam de hac inobedientia & Sedis Apoſtolicæ contemtu, quàm de omnibus quæ tibi obijciuntur, canonicè reſponſurus.

Verùm, quia ille non ſolùm Apoſtolicæ Sedi contraria auſus fuit præcipere, ſed & præceptis eius repugnare, nec adquieſcere voluit: audiamus miſſam à Papa Conſtantienſi Clero & populo Epiſtolam, in qua liquidò continetur, quòd qui Apoſtolicæ Sedi inobediens extiterit, nulla ei fidelitatis exhibitio nec ex Sacramentorum obligatione fiat.

Clero & Laicis Conſtantienſibus.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Clericis & Laicis, maioribus & minoribus in Conſtantienſi Epiſcopatu conſiſtentibus, Chriſtianam legem diligentibus, ſal. & Apoſtolicam benedictionem. Miſimus fratri noſtro Epiſcopo veſtro Ottoni litteras commonitorias, per quas pro noſtri neceſſitate officij Apoſtolica illi auctoritate iniunximus, vt Simoniacam hæreſim de Eccleſia ſua penitus excluderet, & caſtitatem Clericorum ſtudiosè prædicandam ſuſciperet, & firmiter tenendam Epiſcopali vigilantiâ inculcares. Nam ſic eam nobis Euangelicæ & Apoſtolicæ litteræ, & autenticarum Synodorum decreta, & eximiorum doctorum præcepta inſinuant, vt eam diſſimulare & negligere ſine magno animæ noſtræ & populi Chriſtiani detrimento non poſſimus. Sed Epiſcopus veſter neque reuerentià

præcepti beati Petri neque officij ſui ſollicitudine attractus, vt nobis relatum eſt, quæ paternè ſuaſeramus, perficere curauit. Et vt non ſolùm inobedientiæ, verùm & rebellionis offenſum contraheret, quemadmodum accepimus, palam Clericis ſuis iuſſioni noſtræ, immò beati Petri contraria permiſit: itavt qui mulierculas haberent, retinerent, & qui non habebant illicita temeritate ſubintroducerent. Quod vt audiuimus, moleſtè ferentes ſecundam ei ſcripſimus Epiſtolam, indignationis et noſtræ motus oſtendentes, & idem iteratò acriùs inculcantes: qui etiam ipſum ad Synodum Romanam, quæ prima proximæ XL. Hebdomada futura eſt, aduocauimus, vt pro ſe rationem reddat, & inobedientiæ cauſas, ſi rationabiles habuerit, inaudientia totius Conuentus exponat. Hæc ideò filij chariſſimi vobis innoteſcimus, vt animæ noſtræ ſaluti conſulamus. Si enim beato Petro & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ fronte aperta repugnans & contumax eſſe voluerit, liquidò manifeſtum eſt, quia qui patrem & matrem inhonorat, nullum à fidelibus patris & matris filiis iure obedientiam exigere, aut quærere debeat. Quapropter omnibus, ſicut prædiximus, maioribus & minoribus Deo & beato Petro adhærentibus Apoſtolica auctoritate præcipimus, ſi in obduratione ſua perſiſtere voluerit, nullam ei obedientiæ reuerentiam exhibeatis, neque id animæ veſtræ perniciem eſſe putetis. Namque ſi, vt toties jam prædiximus, præceptis Apoſtolicis voluerit eſſe contrarius, ab omni illius ſubiectionis iugo beati Petri auctoritate vos abſoluimus: itavt ſi etiam ſacramenti obligatione quilibet ei fuerit adſtrictus, quandiu Deo omnipotenti & Sedi Apoſtolicæ rebellis extiterit, nulla ei fidelitatis obnoxius exhibitione fiat. Non enim cuilibet perſonæ contra creatorem ſuum, qui cunctis præponendus eſt, aliquis debet obedire: ſed debemus contra Deum ſuperbienti reſiſtere, vt ſaltim hac neceſſitate compulſus ad viam iuſtitiæ diſcat redire. Quanti enim periculi, quantaque Chriſtianæ legis ſit alienationis, obedientiam maximè Apoſtolicæ Sedi non exhibere, ex dictis beati Samuelis Prophetæ poteſtis cognoſcere quæ ſanctiſſimus Papa Gregorius in libro Moralium procurauit explanare. Vt autem ea ſint vobis in promptu, ſcripta tranſmiſimus; quatinus indubitanter ſciatis nos vobis noua non dicere, ſed antiquam Sanctorum Patrum doctrinam propalare.

Hinc Samuel, ait Melior eſt obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere. Obedientia quippe iure victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tanto ergo quiſque Deum citiùs placat, quantò ante eius oculos repreſſa arbitrij ſui ſuperbia gladio præcepti ſe immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Ex aduerſo ergo melius oſtenditur quid de eius laude ſentiatur. Si enim quaſi ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere: ſola eſt quæ fidei meritum poſſidet, qua ſine infidelis quiſque conuincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur.

Item Roberto Flandrenſium Comiti. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. R. Flandrenſium Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate beati Petri Apoſtolorum Principis te rogamus, & omnino tibi præcipimus, vt vbicumque potes fornicariis & ſimoniacis reſiſtere & contradicere, nullius ratio vel gratia te poſſit retorquere: quia ipſi non per oſtium ingredientes in ouile ouium, ſed aliundè aſcendentes, fures ſunt & latrones. Et poſt pauca. Plurimi enim eorum qui vocantur Epiſcopi non ſolùm iuſtitiam non defendunt, verumetiam ne clareſcat multis modis obſcurare nituntur. Tales ergo non Epiſcopos, ſed Dei habete inimicos. Et ſicut illi non curant Apoſtolicæ Sedi obedire, ita & vos nullam eis obedientiam exhibete. Nam Præpoſitis non obedire, ſcelus eſt idololatriæ incurrere. Roberto Comiti Flandrenſium.

Item ad Laicos pro exequendis ſuperioribus ſtatutis.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis in Chriſto filijs, Berthaldo, Rodulpho, Vvelfoni, Ducibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ducibus. Scimus quoniam prudentia veſtra miſerabilem Chriſtianæ Religionis deſolationem proſpera mente perpendit, quæ pro peccatis noſtris in ea nunc extremitate eſt poſita, vt infeliciora tempora nemo viuentium viderit, nec à tempore Sancti Silueſtri patris noſtri ſcriptum repererit. Verùm tanti mali nos caput & cauſa ſumus, qui ad regendum populum prælati, pro lucrandiſque animabus Epiſcopi vocati & conſtituti ſumus: ab eorum namque principatibus velut à quibuſdam initiis ſubditorum bona vel mala veniunt, qui aut mundanas dignitates, aut magiſterium ſpirituale ſuſceperunt, qui dum nihil aliud niſi gloriam & voluptates ſeculi quærunt, ſine ſua & populi confuſione viuere nequeunt: quoniam in malefactis praua ſectantes deſideria, & ſuæ authoritatis iura per culpam ligant, & aliis peccandi per exemplum frena

relaxant. Neque enim per ignorantiam aut improuidi delinquunt, ſed præſumptuoſa obſtinatione Spiritui Sancto reſiſtentes, diuinas quas cognouerunt leges abiciunt, & Apoſtolica decreta contemnunt. Sciunt namque Archiepiſcopi & Epiſcopi terræ veſtræ, quod & omnibus fidelibus notum eſſe debet, quoniam in ſacris Canonibus prohibitum eſt, vt qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt interuentu precij ad aliquem ſacrorum ordinum gradum vel officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia vlteriùs locum miniſtrandi habeant, nec illi, qui in crimine fornicationis iacent, miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores ordines miniſtrare altari debeant. Quæ cùm Epiſcopos ſancta & Apoſtolica mater Eccleſia iam à tempore beati Leonis Papæ ſæpè in Concilijs tum per legatos, & Epiſtolas, vt ſe & in commiſſis ſibi plebibus, vt pote antiquioribus neglecta, renouare & obſeruare commonuerit, rogauerit, & accepta per Beatum Petrum auctoritate iuſſerit: adhuc tamen inobedientes, exceptis paucis, tam execrandam conſuetudinem nulla ſtuduerunt prohibitione decidere, nulla reſtrictione punire, non attendentes quod ſcriptum eſt, quia ariolandi peccatum eſt repugnare, & quaſi crimen idololatriæ nolle adquieſcere. Cùm ergo illis Apoſtolica, immò Spiritus Sancti mandata ſpernentibus, & ſcelera ſubditorum crimiuoſa fouentibus patientia, diuina miniſteria indignè tractari, populum ſeduci intelligimus; alio quolibet modo contra hæc vigilare conuenit, quibus cura Dominici gregis præ cunctis incumbit. Multò enim nobis melius videtur iuſtitiam Dei vel nouis reædificare conſilijs, quàm animas hominum vnà cùm legibus deperire neglectis. Quapropter ad vos, & ad omnes, de quorum fide & dilectione confidimus, nunc conuertimur, rogantes vos, & Apoſtolica auctoritate admonentes, vt quidquid dehinc Epiſcopi loquantur aut taceant, vos officium eorum quos ſimoniacè promotos aut ordinatos, aut in crimine fornicationis iacentes cognoueritis, nullatenus recipiatis: & hæc eadem aſtricti per obedientiam tam in Curia Regis quàm & per alia loca & conuentus regni notificantes, aut perſuadentes quantùm poteſtis, tales ſacro-ſanctis deſeruire myſterijs etiam vi ſi oportuerit prohibeatis. Si qui autem contra vos, quaſi iſtud non ſit veſtri officij, aliquid garrire ceperint, hoc illis reſpondete, vt veſtram & populi ſalutem non impedientes, de iniuncta vobis obedientia, ad nos nobiſcum veniant diſputare.

Item ad omnes Clericos & laicos in regno Teuthonicorum conſtitutis de
Theutonicis. eadem re. *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Clericis & laicis in regno Teuthonicorum conſtitutis, ſal. & Apoſtolicam benedictionem. Audiuimus quòd quidam Epiſcoporum apud vos commorantium, vt ſacerdotes & Diacones & Subdiacones mulieribus commiſceantur, aut conſentiant, aut negligant: his præcipimus vos nullo modo obedire, vel illorum præceptis conſentire, ſicut ipſi Apoſtolicæ ſedis præceptis non obediunt, neque auctoritati Sanctorum Patrum conſentiunt, teſtante ſancta Scriptura, facientes & conſentientes par pœna complectitur. Omnipotens & miſericors Deus, qui vltra ſpem, vltra meritum miſeretur & conſolatur nos in tribulatione noſtra, aperiat cor veſtrum in lege ſua, & confirmet vos in præceptis ſuis, vt auctoritate Beati Petri Apoſtoli à cunctis peccatis abſolutos ad cæleſte regnum perducat vos regnaturos, Amen.*

Quia ergo ſunt quidam qui dicunt inaudita hæc domini Papæ præcepta, quatenus à ſecularibus poteſtatibus, vt ab officio ceſſent, vi coerceantur ſciſmatici Epiſcopi, vt & officium eorum non recipiatur: ſcrutemur geſta Patrum, & videamus ædificationem audientium, ſi quid ſimile inuenitur in ſerie Scripturarum diuinarum. Et certè nihil hîc noui, non hæc prima diaboli in Sanctam Eccleſiam temptatio, nec prima eius hæc eſt medicinalis defenſio. Pelagius Papa vir magnæ in Chriſto & in Eccleſia gloriæ, vir magnæ auctoritatis & gratiæ, videamus quid dicat de Paulino Aquileienſi pſeudo-Epiſcopo à Mediolanenſi contra morem canonicum ordinato. Ait itaque, ſcribens Ioanni Patricio. *Relegentes litteras excellentiæ veſtræ, de iniuria quidem, quam vobis iniquorum hominum præſumptio ingeſſit, valde dolemus. Sed quia ſcimus occulto Dei iudicio animam veſtram, etſi per aliorum iniquitatem ac ſuperbiam à contaminatione ſciſmatis cuſtoditam, egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari conſueuit. Nec enim ſine illius factum eſſe credimus, vt inſenſati & peruerſiſſimi homines ad hoc vſque proſilirent, vt ſuam diuiſionem Catholicam eſſe credentes Eccleſiam, à ſua vos pollutione prohiberent. Sic enim per miſericordiam Dei etiam neſcientibus illis factum eſt, vt à ſciſmaticorum communione eruti, Catholicæ quam diligitis ſeruari vos contigiſſes Eccleſiæ. Quamuis igitur veſtra per illorum ſcelus vtilitas facta ſit,*

nolite

nolite tamen impunitam præſumptionem iniquorum hominum graſſari permittere. Si enim hoc, quod in veſtram gloriam præſumpſerunt, non fuerit vindicta compreſſum, quid in minoribus valeant ambigi vltra non debet. Exercete igitur debitam in talibus auctoritatem, & ne eis ampliùs talia committendi creſcat ſpiritus, coercitionibus reprimantur. Ad hoc ſiquidem Dei nutu in vos talia præſumpſerunt, vt vobis talia corrigentibus, ab eorum ſcelere alios poſſitis Deo propiciante munire. Et poſt aliqua. *Auferte tales ab illa prouincia, vtimini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occaſione. Quod tunc pleniùs fieri poterit, ſi auctores ſcelerum ad clementiſſimum Principem dirigantur, & maximè Eccleſiæ Aquileienſis inuaſor, qui & in ſchiſmate, & à ſchiſmatico maledictus, nec honorem Epiſcopi poteſt obtinere, nec meritum.*

Pelagius Valeriano. *Quod à vobis popoſcimus, & nunc iterum poſtulamus, vt Paulinum Aquileienſem Pſeudo-Epiſcopum, & illum Mediolanenſem Epiſcopum, ad clementiſſimum Principem ſub digna cuſtodia dirigatis: vt iſte, qui Epiſcopus eſſe nullomodo poteſt, quia contra omnem canonicam conſuetudinem factus eſt, vltrò alios non perdat; & ille, qui contra morem antiquum eum ordinare præſumpſit, debitæ Canonibus vindictæ ſubiaceat.* Item Pelagius Iohanni Defenſori. *Eleutherius frater & Coepiſcopus noſter queritur, Clericos ſuos ſibi contra Canones ſuperbire, & id quod nobis iubentibus facta in ſcrinio cautione promiſit, vt cotidianis diebus vigiliæ in eius celebrentur Eccleſia; illis contemnentibus implere non poſſe. Et ideò experientia tua eos, quos tibi eſſe oſtenderit contumaces, debita obiurgatione compeſce, & modis omnibus vigilare compelle.* Auguſtinus ſuper Iohannem, Homilia XI. *Si quidem vult Deus concitare poteſtates aduerſus ſchiſmaticos, aduerſus diſſipatores Eccleſiæ, aduerſus exſufflatores Chriſti, non mirentur, quia Deus concitat vt à Sara verberetur Agar. Mirantur quidam, cùm mouentur poteſtates Chriſtianæ contra deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ. Si non mouerentur, quomodo redderent Deo rationem de imperio ſuo? Intendit charitas veſtra quid dicam, quia hoc pertinet ad Principes ſeculi, vt temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiam, vnde ſpiritualiter nati ſunt.* Et paulò poſt. *Nabuchodonoſor Rex decreuit, dicens: Quicumque dixerit blaſphemiam in Deum Sidrac, Miſac & Abdenago, in interitu erit, domus eius in diſperſione. Ecce quomodo Rex alienigena ſæuit, ne blaſphemetur Deus Iſrael, qui potuit tres pueros de igne liberare. Et nolunt vt ſæuiant Reges Chriſtiani, quia Chriſtus exſufflatur? A quo non tres pueri, ſed orbis terrarum cum ipſis Regibus à gehennæ ignibus liberantur? Quis igitur reprehendet poſthæc ſi comprimantur à ſeculi poteſtatibus ſchiſmatici, diſſipatores Eccleſiæ, conculcatores legis diuinæ, prænaricatores conſtitutionis canonicæ?*

Horum igitur, & ceterorum ſanctorum Decretorum Heinricus contemptor factus eſt, iuuenis animi impetus & appetitus non refrænans, ſed ſtultorum maliuolis conſilijs nimiam fidem dans: qui corrupti & abominabiles facti in iniquitatibus ſuis, inreprehenſibiliter viuere delectantes, reprehendi non ferebant. Mittebatur ei crebra domini Papæ legatio, tum litteris, tum etiam religioſis perſonis, & vtique fidelibus ſuis quibus ſecretè vocabatur ad pœnitentiam de ſceleribus ſuis, dictu quidem horrendis, & tamen pluribus notis, & per loca plurima diuulgatis. pro quibus non ſolum excommunicari, ſed abſque ſpe recuperationis omni deberet regni honore deſtitui, & vt excommunicatos, quorum conſilio præceps ferebatur ad ſcelera, à ſua diuideret participatione, ne communicando quibus non licet, in eorum tranſiret conſortium, quorum non abhorrebat communionis ſacrilegium. ſed ſeruabat odorem teſta quo recens erat imbuta. Qui quanti * ſcripta aut verba per legatos miſſa, eius declarant facta: cùm non ſolùm à perpetratis criminibus ad emendationem ſeuocari non potuit * fecerit. vel aliquid ſimile.
ſed furore conſcientiæ mordacis arreptus, non priùs deſtitit, donec omnes penè Epiſcopos Italiæ & Teuthonicarum partium, quotquot potuit circa Chriſti fidem naufragare fecit, dum eos debitam beato Petro & Apoſtolicæ Sedi obedientiam, & honorem à Domino IESV Chriſto conceſſum abnegare coegit. Quia verò iuſtus diuiti fauere neſcit, nec facit quidquam commendandi ſe cauſâ, eum qui à vero deuius ſuperbiebat, potenter domnus Papa redarguebat ſciens eam eſſe veritatis regulam, non accipere perſonam potentis in iudicio, ideóque quorum crimina agnouerat, libera in eorum increpatione ferebatur voce. At ille reprehendi à quoquam aut corrigi iniquè ferens, occaſioneſque ab amico recedendi quærens, quia non poteſt eſſe participatio iuſtitiæ cum iniquitate, introitum eiuſdem beatiſſimi Papæ Gregorij culpare cœpit, vt culpas ſi-

monis, quas ab eodem in ſe puniri timebat, in illum reflecteret. Auſus eſt etiam de expulſione ipſius Romani Pontificis. *quem*, vt ait Symmachus Papa, *ſuo Deus ſine quæſtione reſeruauit arbitrio*, ſtipatus factioſorum officio tractare, & cui conceſſum eſt peccatorum vincula ſoluere, criminum compedes frangere, hanc peccator ſuperbiens conatus eſt, proh pudor! à ſede judiciaria propellere, vt poſſet ſibi conſimilem de ſuis conſentaneis in eius loco ſubrogare. Sed non eſt conſilium contra Deum.

Verùm noui dogmatiſtæ judicia Apoſtolica ſpernunt, ſcripturas ſanctas abiciunt, de corde ſuo prophetantes, & mercedem ſcelerum traditi deſiderijs cordium ſuorum in ſuimet à Chriſto abiectione recipientes. Hij igitur Concilio Warmatiæ habito, vbi omnis quam patimur calamitas exorta eſt, abjecerunt à ſe jugum diſciplinæ; cùm nullam adhuc in illos domnus Papa anathematis deſtinaſſet ſententiam, & ſanctæ obedientiæ libellum repudij conſcripſerunt, prælationi Sedis Apoſtolicæ ſuperba & repentina temeritate abrenunciantes. Primùm hoc fermentum totam Eccleſiæ maſſam corrupit. Conuentus hic intet Natiuitatem Dominicam & ſequentem quadrageſſimam habitus eſt, ita diſtantibus ſpacijs, vt quæcumque ibi gererentur Romam tempore Synodi referri poſſent. Die verò natalitio Andreæ Apoſtoli, ante ipſam diei feſtiuitatem apud Bauemberg Heinrico poſito, tanta adhuc intet regnum & ſummum ſacerdotium vigebat concordia, vt deſtitutio Pontificis vrbis ipſius, & ſubſtitutio alterius obedientiæ domni Papæ deputaretur. Ille igitur, qui ante Natiuitatem Dominicam tantæ in Eccleſia magnificentiæ erat, vt ad nutum illius mutationes ordinum fierent, paucis poſt natiuitatem diebus inconuentus & inauditus proſcriptus eſt, & quantum ad illos depoſitus, Ex die enim, qua tanti ab hominibus habitus eſt, nullam eorum legatiunem accepit, vſque dum illa veniret qua dictum eſt; *Deſcende, deſcende, maledicimus tibi ius omne Papatus. Sequuntur Pontificum & SS. Patrum auctoritates in defenſionem Gregorij VII. collectæ, quas quia ab Hiſtoriâ & Chronologia longius recedunt, omiſimus.*

Concilium Vormatiæ.

Anno ab Incarnatione Domini MLXXVIII. Indictione I. Pontificatus eius anno V. menſe Martio, Gregorius Papa VII. Romanæ Synodo Epiſcoporum centum præſidens, dixit poſt aliqua: Ordinationes illorum, qui ab excommunicatis ſunt ordinati, Sanctorum Patrum ſequentes veſtigia, irrita fieri cenſuimus. Sanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis iurauerunt, fidelitate aut ſacramento abſoluimus, & ne ſibi fidelitatem obſeruent modis omnibus prohibemus. Et quouiam multos peccatis noſtris exigentibus pro cauſâ excommunicationis cotidie perire cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam nimia neceſſitate, deuicti miſericordiâ, anathematis ſententiam prout poſſumus, ad tempus oportunè temperamus. Apoſtolica itaque authoritate ab anathematis vinculo ſubtrahimus, videlicet vxores, liberos, ſeruos, ancillas, ſeu mancipia, necnon ruſticos & ſeruientes, & omnes alios qui non adeò curiales ſunt, vt eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & illos qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem orator, ſiue peregrinus, aut viator, in terra excommunicatorum venerit, vbi non poſſit emere, aut non habet vnde emat, ab excommunicatis accipiendis licentiam damus. Et ſi quis excommunicatis non ſuſtentatione ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit, non prohibemus. Actum in Eccleſia Domini Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiana, V. Non. Martij.

Concilium Romanum.

Anno ab Incarnatione Domini MLXXVIII. menſe Februarij Indictione II. Pontificatus domni Papæ Gregorij VII. anno VI. conuocatum eſt Concilium ex diuerſis partibus orbis, & omnibus in Eccleſia Seruatoris Romæ Congregatis, habitus eſt ſermo de corpore & ſanguine Domini. Maxima ſiquidem pars panem & vinum per ſacræ orationis verba & Sacerdotes conſecrationem Spiritu Sancto inuiſibiliter operante conuerti ſubſtantialiter in corpus Dominicum quod in cruce pependit, & in ſanguinem, qui de eius latere fluxit, aſſerebat. Quidam verò cæcitate nimia perculſi figuram tantùm aſtruebant. Verùm, vbi res cœpit agi, priuſquàm tertia die ventum foret in Synodum, defecit contra

Concilium Romanum.

veritatem niti pars altera. Denique Berengarius huius erroris magiſter poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram Concilio confeſſus, veniam poſtulatam ex Apoſtolica clementia meruit, iurauitque ſic: *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter conuerti in veram & propriam ac viuificatricem carnem & ſanguinem Domini noſtri IESV Chriſti, & poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, & pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris; & verum ſanguinem Chriſti qui de eius latere fuſus eſt, & non tantùm per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & vnitate ſubſtantiæ, ſicut in hoc breui continetur, & ego legi, & vos intelligitis, ſic credo: nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sacro-ſancta Euangelia.* Tunc dominus Papa præcepit Berengario auctoritate Apoſtolica, vt de corpore & ſanguine Domini numquam vlteriùs cum aliquo diſputare vel docere præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem eos, qui per eius doctrinam ab ea receſſerant. Berengarius

Hoc anno obijt Grimoldus Abbas Sancti Vitoni, dum à Roma regrederetur, & ſepultus eſt Mantuæ in Eccleſia S. Andreæ Apoſtoli XIV. Kalendas Iulij, cùm jam ipſam Eccleſiam tertio anno regeret domnus Rodulphus Abbas, ipſo Grimoldo de prælatione Abbatiæ excuſato. Erat enim ſimplicis naturæ....

Hoc etiam anno, qui erat ab Incarnatione Domini MLXXVIII. regimen Prælationis apud Caſam Dei Siguinus quondam Lugdunenſis Canonicus, natalibus clarus, morum probitate coruſcus, nunc felici beatus exceſſu. Sub quo ordinatus eſt Abbas Fraxinenſis Eccleſiæ Pontius à domino Papa Gregorio, qui poſt aliquot annos infeſtatione Henrici dicti Regis Abbatiam dimiſit, quæſita à domno Anſelmo Lucenſi Epiſcopo licentiâ, & obtenta per hæc verba. *P. dilectiſſimo in Chriſto confratri, A. omnium Epiſcoporum minimus ſalutem in Chriſto. Tantò diligentiores nos, & ſollicitiores vos, erga ſalutem animæ tuæ eſſe conuenit, quantò magis de noſtra charitate fraternitas tua confidit: ne, quod abſit, noſtra negligentia ſanctum deſiderij tui feruorem extinguat, & ſanguinem tuum in diſtricto ſuo iudicio omnipotens Dominus de manu mea requirat. Credidi domni Abbatis & ſanctæ Congregationis Caſæ Dei, necnon venerabilis patris noſtri H. Lugdunenſis Archiepiſcopi obedientiam, cum benedictione Apoſtolica beatiſſimi patris noſtri G. omnibus iniquitatibus maiorem eſſe; & non ſolùm ad detergendam omnem maculam iniquarum cogitationum, necnon etiam ad promerendam requiem æternam poſſe ſufficere: niſi tu non credendo indignum efficeres, & gratiam Dei in vacuum reciperes. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ita vt in his etiam qui tradere videntur corpora ſua propter Deum ad ſupplicia, mors operetur, non vita, verùm ex ſua diffidentia quodammodo omnipotenti Deo difficultatem perficiendi ingerat, qui omnes ſaluos fieri deſiderat, ſicut ipſe in Euangelio dicit. Calicem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis. Tibi itaque obedienti, tibi firmiter credenti, tibi omnem ſpem tuam in virtute ſanctæ Eccleſiæ collocanti promiſſa eſt venia, tibi verò aliud agenti, aliud ſimulanti, nulla relinquitur fiducia, ſi corpus tuum tradideris ita vt ardeat. Seu quia multoties in fide mea te ſuſcepi, hac tamen conditione, vt curam regiminis tibi iniunctam cum omni ſollicitudine exhiberes, nec vlteriùs animæ tuæ, ſicut tu malè credebas, cuſtodiam commiſſi tibi gregis neceſſitatibus præponeres: non quæ tua ſunt, ſed quæ aliorum attenderes. Sed vt video, nulla ratione à ſui propoſiti tramite animus tuus reuocari poteſt. Propterea metuens ne in peius proficiant ea etiam quæ bona videntur, melius nobis viſum eſt vt curſum ſuum peragat bonæ intentionis tuæ flumen, quàm contra impetum currens perpetua ariditate damnetur. Tolerabilius eſt enim vt tu ſolus pereas, quam tecum pariter ſicut hactenus omnes tibi commiſſos in diſcrimen adducas. Sed tamen confidimus, quia tribuet tibi Dominus ſecundùm cor tuum, quem non inuenit idoneum ad regimen aliorum, ſecundùm cor ſuum. Si itaque alia via plus tibi placet, noſtra licentia depone ſarcinam, quam impoſuit tibi ſola ſine charitate neceſſitas, & ſanctis orationibus tuis adiuua me in alta naui laborantem. Saluto per te domnum Lugdunenſem Archiepiſcopum, ſi tamen rationabilis neceſſitas à totius orbis internecione excuſat. Si enim aut timore, aut negligentia, aut quietis noxiæ amore matrem ſuam viſitare, & liberare de manu mortis diſtulit, reus erit iudicio, niſi ſine mora venire, & in omnibus auxiliari ſtuduerit.*

Siguinus.

Anſelmus Lucenſis Ep. ad Pontium Abbatem Fraxinenſem.

Deſtinauit autem præfatus Papa ad viſitandos & corroborandos Chriſtianæ fidei propugnatores ad regnum Theutonicorum deſcendere, quod ex ab illis

miſſis ad eum nuncijs, quæſitum erat: vt in ſua præſentia magis magiſque manifeſtaretur iuſtitiæ regula, ſcribens ad omnes beati Petri fideles, in hæc verba.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibuſque Chriſtianam & beati Petri fidem & doctrinam defendentibus & obſeruantibus, in omni regno Theutonicorum habitantibus ſalutem, & per beatorum Petri & Pauli benedictionem omnium peccatorum abſolutionem. Ego qualiſcumque Sacerdos Apoſtolorum Principis, contra voluntatem & conſilium Romanorum confidens de miſericordia omnipotentis Dei, & de veſtra fide Catholica, venio ad vos paratus propter honorem Dei & ſalutem animarum veſtrarum mortem ſubire, ſicut Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit. In hoc enim poſiti ſumus, vt per multas tribulationes tendamus & perueniamus ad regnum Dei. Vos autem, fratres cariſſimi & deſiderantiſſimi, ſummoperè curate, vt vos poſſim Deo adiuuante adire, vobiſque in omnibus prodeſſe. Benedicat vos ex cuius parte dictum eſt mihi ad corpus beati Petri in die ordinationis meæ, Quodcumque benedixeris, benedictum erit, & quod ſolueris ſuper terram ſolutum erit & in cælis.

Plures itaque illorum, quos in Apoſtolici depoſitione deſipuiſſe diximus, cognito peccato inobedientiæ, pœnitentiâ ducti, ad Deum poſt errata reuerſi ſunt: leuantes ad Deum faciem cordis, à quo receſſerant conſentiendo iniquitati. Replebatur os eorum increpationibus, & dum contra ſe ſubtile iudicantis Dei examen contemplabantur, culpas ſuas lamentis inſequebantur, ſeque pœnitendo increpabant quales fuerant, amara ſe pœnitentiæ inuectione perſequentes. Pœnitentis enim eſt proprium tunc culpas plangere, cùm quid egerit cœperit penſare, & tunc ſubtiliùs penſare cùm ſollicitiùs cœperit plangere. Hi ergo abſolutione quæſita & obtenta, conſilium dederunt Regi, vt ſicut ipſi erant abſoluti, ita & ipſe ſtuderet abſolui vinculis anathematis. Adijcientes, quia ſi annus clauderetur antequàm abſolueretur, omni eorum ſeruitio priuaretur, & amplius pro Rege non haberetur, quia in eius communione vel ſeruitio certi erant de imminenti animæ periculo. Sed qui fœditatem ſuæ infirmitatis conſiderare negligebat, ſed per elationis faſtum potentiæ ſuæ gloriam attendebat, vnde ſibi glorioſior videbatur, inde deſcendebat, & vnde ſe glorioſum iudicabat, indè in ima deteriùs corruebat. Vt enim ait idem ipſe H. in Epiſtola Romanis directa, vbi cùm omnia falſitatis & mendacij plena ſint, in hoc vno veritati licèt nolens fauit, ſub ſpecie timoris diuini, non in veritate Catholicæ pacis conſilijs illorum adquieſcere ſe finxit. Verùm nos, quibus Chriſtus fides, Chriſtus refugium, Chriſtus eſt ſolatium, nænias eius diabolico ab ore ructatas, iniquitatis calamo dictatas, confuſionis atramento ſignatas, à memoria bonorum omnium repellentes, quid egerit, quomodo abſolutionem, quantùm ad exterioris hominis habitudinem, obtinuerit, cùm ſacra ſcriptura teſtetur, quia qui ſictè Deum quærunt, numquam inuenire merentur, ex verbis patris noſtri ſæpe fati audiamus.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, ceteriſque Principibus regni Theutonicorum Chriſtianam fidem defendentibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam pro amore iuſtitiæ communem nobiſcum in agone Chriſtianæ militiæ ſtudium & periculum ſuſcepiſtis, qualiter Rex humiliatus ad pœnitentiam abſolutionis veniam impetrauerit, & quomodo tota cauſa poſt introitum eius in Italiam hucuſque deducta ſit, veſtræ dilectioni ſincera charitate indicare curauimus. Sicut conſtitutum fuit cum legatis, qui ad nos de veſtris partibus miſſi in Langobardiam venimus circiter dies XX. ante terminum, in quo aliquis Ducum ad Cluſas nobis occurrere debuit, expectantes aduentum eorum, quatinus ad partes illas tranſire poſſemus. Verùm, cùm jam decurſo termino hoc nobis nunciaretur, his temporibus, præ multis, quod & quidem credimus, difficultatibus ducatum nobis obuiam mitti non poſſe, nec aliunde copiam ad vos tranſeundi haberemus; non parua ſollicitudine quid potiſſimum nobis agendum foret, circumuenti ſumus. Iterum verò Regem aduentare certè cognouimus, qui etiam priuſquàm intraſſet Italiam, ſupplices ad nos legatos præmittens, per omnia ſe ſatisfacturum Deo & ſancto Petro & nobis obtulit, & ad emendationem vitæ ſuæ omnem ſe ſeruaturum obedientiam repromiſit: dummodò apud nos abſolutionis & Apoſtolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cùm diu multis conſultationibus differentes, acriter eum de ſuis exceſſibus per omnes qui intercurrebant nuncios redarguerimus, tandem per ſemetipſum nihil hoſtile aut temerarium oſtentans, ad oppidum Canuſii, in quo

morati ſumus, aduenit, ibique per triduum ante portam caſtri depoſito omni regio cultu miſerabiliter, vt pote diſcalciatus, & laneis veſtibus indutus, perſiſtens: non priùs cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis auxilium & conſolationem implorare deſtitit, quàm omnes qui aderant, & ad quos ille rumor peruenit, ad tantam pietatem & compaſſionis miſericordiam mouit, vt pro eo multis precibus & lacrimis intercedentes inſolitam mentis noſtræ duritiam mirarentur; nonnulli verò in nobis non Apoſtolicæ ſeueritatis grauitatem, ſed quaſi tyrannicæ feritatis crudelitatem eſſe mirarentur. Denique inſtantia compunctionis eius, & tanta omnium qui ibi aderant ſupplicatione deuicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo in gratiam communionemque recepimus: acceptis ſecuritatibus quæ inferiùs ſcriptæ ſunt, quarum etiam confirmationem per manus Cluniacenſis Abbatis, Mathildis, & Comitiſſæ Adheleidæ, & aliorum Principum, Epiſcoporum, Laicorum, qui nobis ad hoc vtiles viſi ſunt, recepimus. His itaque peractis, vt ad pacem Eccleſiæ & concordiam regni, ſicut diu deſiderauimus, omnia Deo adiuuante pleniùs aptare poſſimus, ad partes veſtras data primùm opportunitate tranſire cupimus. Hoc enim dilectionem veſtram indubitanter ſcire volumus, quoniam ſicut in deſcriptis ſecuritatibus cognoſcere poteſtis, ita adhuc totius negocij cauſa ſuſpenſa eſt, vt & aduentus noſter & conſiliorum noſtrorum vnanimitas, permaximè neceſſaria videatur. Quapropter in ea fide qua cœpiſtis, & amore iuſtitiæ omnes permanere ſtudete, ſcientes nos non aliter Regi obligatos eſſe, niſi puro ſermone, ſicut de nobis mos eſt, in his eum ſperare dixerimus, in quibus eum ad ſalutem & honorem ſuum, aut cum iuſtitia, aut cum miſericordia, ſine noſtræ & animæ illius periculo adiuuare poſſimus.

Hæc eſt autem iuratoria promiſſio Regis. *Ego Henricus Rex de murmuratione & diſſenſione, quam nunc habent contra me Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces & Comites,* Henrici Regis Sacramentum. *& ceteri Principes regni Theutonicorum, & alij qui eos in eadem diſſentionis cauſa ſequuntur, infra terminum quem Gregorius Papa conſtituerit, aut iuſtitiam ſecundùm iudicium eius, aut concordiam ſecundùm conſilium eius faciam: niſi certum impedimentum mihi vel ſibi obſtiterit, quo peracto, ad peragendum idem paratus ero. Item ſi idem dominus Papa Gregorius vltra montes, vel ad alias partes terrarum ire voluerit, ſecurus ex mea parte erit, & eorum quos conſtringere potero, ab omni læſione vitæ & membrorum eius, ſeu captione, tam ipſe quàm qui ab illo mittuntur, vel ad eum de quibuſcumque terrarum partibus venerint, in eundo & ibi morando, & inde redeundo, neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo conſenſu, quod contra honorem ſuum ſit, & ſi quis ei fecerit, cum bona fide ſecundùm meum poſſe adiuuabo illum.*

Quod Sacramentum quàm parum Rex attenderit, hæc Epiſtola notat,

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſſimis in Chriſto fratribus* Gregorius VII Teutonicis *& filijs, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, ceteriſque Principibus, cum omni populo regni Theutonicorum, Chriſtianam fidem & religionem defendentibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut in prioribus litteris & legatorum verbis vobis ſignificauimus, intelligentes quòd dignè Deo defenſores iuſtitiæ vos in vera obedientia & Apoſtolici Principatus reuerentia exhibuiſtis, in veſtra fide & conſilijs fiducialiter ſpem ponentes, contra voluntatem penè omnium fidelium noſtrorum, excepta chariſſima & fideliſſima beati Petri filia videlicet Mathilde, iter ad vos non ſolùm inter multa incommoda, ſed & pericula aggreſſi ſumus, & perueniſſe quidem potuiſſemus, ſi ducatum eo tempore, eo loco quo conſtitutum erat, ex veſtra parte habuiſſemus. Cùm autem ex ipſa ſuſpenſione noſtræ profectionis Regi in Italiam properanti ad nos perueniendi daretur occaſio, victi eius humilitate & multimodæ pœnitudinis exhibitione ab anathematis vinculo abſolutum in gratiam communionis eum recepimus. De cetero nihil ſecum ſtatuentes, niſi quod ad cautelam & honorem omnium veſtrum fore putauimus. Cùmque Langobardorum Epiſcopi totius negotij ſummam ad communem conuentum & prudentiæ veſtræ conſultationem reſeruatam eſſe cognoſcerent, nec de ſuis culpis ea quam ſperabant impunitate abſolutionem conſequi potuiſſent, quantam ſuperbiam quantóſque maliciæ conatus contra nos adorſi ſint; ad dicendum quidem triſte, ad audiendum eſt abominabile, cùm illi, qui in Eccleſia Dei columnæ eſſe debuerunt, non modo in compage corporis Chriſti nullum locum teneant, ſed pertinaciter impugnatores, & quantum ad ſe deſtructores exiſtant. De Rege verò, vt in his quæ nobis promiſit ſimpliciter, aut obedienter ambulauerit, non multum lætari poſſumus, præſertim cùm ex eius præſentia peſſimi quique contra nos & Apoſtolicam ſedem plus audaciæ quàm terroris pro perpetrata iniquitate habeant. Inter hæc veſtra conſilia expectantes, tandem per filium noſtrum Rapotonem, quem ad vos miſimus, hoc vos velle & poſtulare cognouimus, ſi quomodo ad partes veſtras tranſire poſſimus atque id vt cautiùs fieri poſſit, cum*

Regis conſilio & adiutorio agere ſtudeamus. Nos itaque ſicut vobis mandauimus, veſtræ voluntati atque conſilijs in omnibus ſecundùm beneplacitum Dei ſatisfacere cupientes, id ipſum per nuncios noſtros cum Rege ſtatuere atque coaptare operam damus. Verùm quo animo ipſe nobis, & vobis in hac cauſa conſentire debeat, ante miſſionem huius legationis quoniam Rex à nobis longè diſtabat, prænoſcere non potuimus, ſed mox vt cognouerimus, vobis intimare non tardabimus. Scitote igitur, quoniam hæc eſt voluntas & deſiderium noſtrum, vt vel conſenſu Regis, vel ſi eo nolente fieri poſſit, ad vos pro communi vtilitate & ſalute omnium veſtrum pertranſeamus. Quod ſi peccatis & prauorum ſtudijs obſtantibus fieri nequiuerit, abſens tamen omnipotentem Deum obnixis ſemper orabo precibus, vt corda veſtra & fidem in omni gratia & virtute confirmet, & ita in omnibus veſtra conſilia & facta dirigat, vt libertatem Chriſtianæ Religionis indefeſſa virtute defendere, & ea quæ ad ſtatum & gloriam nobiliſſimi regni veſtri Deo digniſſima, & vobis vtiliſſima ſunt prouidere poſſitis & exequi. Vos autem in propoſito defendendæ iuſtitiæ, quod pro nomine Chriſti & æterna retributione incœpiſtis ita perſiſtite, vt ad coronam tam ſancti, tam Deo placiti certaminis, Deo donante, pertingere valeatis. Plura vobis per ſcripta miſiſſemus, niſi quòd tales ad vos nuncios direximus, quibus indubitanter credere poteſtis, in quorum ore quicquid in Epiſtola minus continetur, & pro vobis vel ad vos cor noſtrum habet, poſuimus, Amen.

Synodus Vurzeburgenſis. Qui autem fuerint hij domni Papæ Legati, ex verbis Regis accepimus, Paduanus ſcilicet & Albanus Epiſcopi, à quibus etiam in Wizeburgo Synodus eſt habita. Regi itaque præfato H. vt in verbis domni Papæ colligere poſſumus ſola eſt communionis gratia reddita, non tamen regno reſtitutus, nec fidelitas omnium, qui ei vel iurauerant, vel iuraturi erant, vt ſibi ſeruaretur præceptum eſt. Quod ideò retentum eſt, vt inter eum & Principes Vltramontanos, qui ei cauſâ iuſſionis Apoſtolicæ reſtiterant, iuſtitia fieret, vel pax componeretur, ſicut ipſe iuramento per duos Epiſcopos promiſerat, verùm prædicti Epiſcopi & Principes Vltramontani audientes illum non ſeruare quod promiſerat, quaſi de eo deſperati abſque domni Papæ conſilio elegerunt ſibi Rodulfum Ducem in Regem.

Rodulfus Rex creatus. Rodulfus igitur feſtinanter miſſo nuncio, iudicauit ſe quidem coactum regni gubernacula ſuſcepiſſe, tamen ſe paratum Domino Papæ in omnibus obedire. Et eundem ſemper promittens ſermonem, adiecit etiam, filio ſuo dato obſide, itemque fidelis ſui Ducis Bertaldi filio, quod promittebat ſacramento firmare. Intereà etiam H. precabatur eum, vt contra R. eum adiuuaret. Cui domnus Papa reſpondit ſe libenter facturum, audita vtriuſque partis ratione, vt ſciret cui iuſtitia magis faueret. Quam reſponſionem contempſit inani elatus tumore, putans cum ſuis ſe viribus poſſe deuincere. Mens enim eius quo procelloſis actuum motibus concitabatur, eo ab internæ ſapientiæ quiete atque ſtabilitate disiungebatur. Quia enim malitiam tegebat in corde, ore autem blandimenta exhibebat, quia cogitationes ſuas duplicitate obnubilabat, quia puritatis verba quaſi fatuitatem iudicabat, & vias ſimplices innocentiæ declinabat, idcirco ſapientiæ tranquillitate perfrui nequaquam poterat.

Igitur domnus Papa quod cœperat vt perficeret omnimodis intendebat, quærens ducatum qualiter ad Theutonicorum regnum tranſiret, & eo magis anxiabatur, quo magis regni ſtatus turbabatur. Et quoniam fideles illò legatos deſtinauerat, qui votorum eius non ſegnes executores eſſent, miſit eis ſpeciales pro hoc negocio litteras, ſcribens eis ab Italia.

Gregorius Bernardo Card. & Bernardo Abbati legatis. *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, B. ſanctæ Rom. Eccleſiæ Diacono, & B. Maſſilienſi Abbati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitati veſtræ notum eſſe non ambigimus, quia ideò ab vrbe, confiſi de Dei miſericordia & adiutorio beati Petri, egreſſi ſumus, vt ad Theutonicorum partes compoſituri inter eos ad honorem Dei, & ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem & pacem tranſiremus. Sed quia defuerunt, qui nos ad id quod diſpoſitum erat conducerent, impediti aduentu Regis in Italiam, in Langobardia inter inimicos Chriſtianæ Religionis non ſine magno periculo remanſimus, & adhuc ſicut deſideranimus, Vltra-montes proficiſci nequiuimus. Quocirca monemus vos, & ex parte beati Petri præcipimus, vt fulti auctoritate huius noſtri præcepti noſtráque vice ab eodem Principe Apoſtolorum accincti, vtrumque Regem H. atque R. quatenus viam nobis illuc ſecurè tranſeundi aperiant, & adiutorium atque ducatum per tales perſonas, de quibus vos benè confidatis, præbeant, vt iter nobis, Chriſto protegente, pateat. Deſideramus enim cum conſilio*

Clericorum & Laicorum eiuſdem regni, qui Deum timent, & diligunt, cauſam inter eos Deo fauente diſcutere, & cuius parti ad regni gubernacula magis iuſtitia faueat, demonſtrare. Scitis enim, quia veſtri officij & Apoſtolicæ Sedis eſt prouidentiæ, maiorum Eccleſiarum regna diſcutere, & dictante iuſtitia diffinire. Hoc autem quod inter eos agitur negotium tantæ grauitatis tantique periculi eſt, vt ſi à nobis fuerit aliqua occaſione neglectum, non ſolum illis & nobis, ſed & vniuerſali Eccleſiæ magnum & lamentabile pariat detrimentum. Quapropter, ſi alteruter Regum huic noſtræ voluntati & deliberationi parere, & ad veſtra monita locum dare renuerit, ſuámque ſuperbiam cupiditatis face contra honorem Dei omnipotentis accendens, ad deſolationem totius Rom. Imperij anhelare temptauerit, omnibus modis, omnique ingenio vſque ad mortem ſi oportet noſtra vice, immò beati Petri authoritate ei reſiſtite, & totius regni gubernacula contradicendo, tam illum quàm omnes ſibi conſentientes a participatione corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti, & à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſeparate, illud ſemper habentes in memoria, quia ſcelus idololatriæ incurrit, qui Apoſtolicæ Sedi obedire contemnit, & quod Gregorius Doctor ſanctus & humillimus decreuit Reges à ſua dignitate cadere, ſi temerario auſu præſumerent contra Sedis Apoſtolicæ iuſſa venire. Alteri autem, qui noſtræ iuſſioni humiliter paruerit, & obedientiam ſicut decet Chriſtianum Regem vniuerſali matri exhibuerit, conuocato Concilio omnium Clericorum & Laicorum, quos aduocare poteritis conſilium & adiutorium in omnibus præbete, & in regia dignitate per auctoritatem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli noſtra vice confirmate, omnibuſque Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, & Laicis in omni regno habitantibus, vt ſibi fideliter ſicut oportet Regi obediant & deſeruiant, ex parte Dei omnipotentis præcipue.

Item ad reliquos Fideles.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus & vniuerſis Chriſti fidelibus in regno Theutonicorum conſiſtentibus ſalutem Gregorius Teutonicis
& Apoſtolicam benedictionem. Notum vobis fieri volumus, fratres cariſſimi, quia legatis noſtris, Bernardo videlicet ſanctæ Rom. Eccleſiæ fideli filio & Diacono, itemque B. Abbati Religioſo Maſſilienſis Monaſterij præcipimus, vt vtrumque Regem H. & R. aut per ſe, aut per idoneos legatos admoneant, quatinus nobis viam pro diſcutiendo negotio, quod peccatis facientibus inter eos ortum eſt, ad vos Deo fauente ſecurè perueniendi præbeant. In magna enim triſtitia & dolore noſtrum fluctuat, ſi per vnius hominis ſuperbiam tot milia hominum Chriſtianorum temporali & æternæ morti traduntur, & Chriſtiana Religiunconfunditur, Romanumque Imperium ad perditionem deducitur. Vterque namque Rex à nobis imò ab Apoſtolica Sede, cui licet indigni præſidemus, adiutorium requirit. Et nos de miſericordia omnipotentis Dei, & adiutorio beati Petri confidentes, parati ſumus cum veſtro conſilio, qui Deum timetis, & Chriſtianam fidem diligitis, æquitatem cauſæ vtrimque diligenter decernere, & ei præbere auxilium, cui iuſtitia ad regni gubernacula fauere dinoſcitur. Quapropter ſi alteruter eorum ſuperbia inflatus aliquo ingenio, quominus ad vos venire poſſimus, obſtiterit, & de ſua iniuſtitia timens iudicium ſancti Spiritus refugerit, inobediens factus reſiſtendo ſanctæ & vniuerſali Eccleſiæ, hunc veluti membrum Antichriſti & deſolatorem Chriſtianæ Religionis contemnite, & ſententiam quam noſtri legati contra eum dederint, conſeruate. Alteri autem, qui humiliter ſe habuerit, & iudicium decretum à Spiritu Sancto, per vos autem prolatum non contempſerit (indubitanter enim credimus, vbicumque duo vel tres congregati fuerint in nomine Domini, præſentia eius illuminantur) illi, inquam, ſeruitium & reuerentiam ſecundum quod præfati Legati noſtri decreuerint exhibete, annitentes, & omnibus modis obſequentes, vt regiam dignitatem honeſtè poſſit obtinere, & ſanctæ Eccleſiæ jam penè labanti ſuccurrere. Non enim à corde veſtro debet excidere, quòd ſi Apoſtolicæ Sedi obedire contemnit, ſcelus idololatriæ incurrit. Et quòd beatus Gregorius ſanctus & humillimus Doctor Reges decreuit à ſuis dignitatibus cadere, & participatione corporis & ſanguinis Domini carere, ſi præſumerent Apoſtolicæ Sedis decreta contemnere. Si enim cæleſtia & ſpiritualia Sedes beati Petri ſoluit & iudicat, quantò magis terrena & ſecularia? Scitis autem, fratres cariſſimi, quia ex quo ab vrbe exiuimus, in magno periculo inter inimicos Chriſtianæ fidei manſimus, & tamen neutri prædictorum Regum neque terrore, neque amore flexi aliquod contra iuſtitiam adiutorium promiſimus. Magis enim volumus mortem, ſi hoc oportet, ſubire, quam propria voluntate deuicti, vt Eccleſia Dei ad confuſionem veniat conſentire. Ad hoc enim nos ordinatot, & in Apoſtolica Sede conſtitutos eſſe cognoſcimus, vt in hac vita non quæ noſtra, ſed quæ IESV Chriſti ſunt quæramus, & per multos labores patrum ſequentes veſtigia ad futuram & æternam quietem Deo miſerante tendamus.

Interea Henricus, quia affectatis iniquitatibus eius ſubſequens fauebat effectus, bella, cædes, homicidia, per ſe ſuoſque perpetrare non deſiſtebat. Eccleſiarum deſtructionem, & ouilis Dominici perturbationem ſitiens, paſtores ab Eccleſiâ abigebat, lupos ad ouilia ſubintroducens, & proſperitate ſua decipiebatur, quia dirigebatur in manu eius dolus. Quia enim vitæ viam deſerens in peccatorum ſe tenebras dejecerat, voragine iniquitatis demerſus, & mole prauæ conſuetudinis obtutus, reprobo ſenſui eſt traditus, vt neſciret penſare mala quæ faciebat. qui vtinam vitæ itinera quæ noluit per innocentiam, teneret ſaltim per pœnitentiam. Hic itaque contra R. tertiò congreſſus, poſtquam perſenſit ſe quod ſperauerat non poſſe peragere, duos Epiſcopos de conſentaneis ſuis, Virdunenſem & Obſeburgenſem Romam miſit, & domnum Papam in Synodo vt ei iuſtitiam faceret per eos rogauit. quod & nuncij R. qui præſentes aderant, fieri laudauerunt. Statutum eſt itaque in eadem Synodo, in partibus vltramontanis fieri colloquium, ſicut ex verbis domni Papæ pleniùs quilibet poteſt aduertere.

Gregorius Teutonic. *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Principibus, Marchionibus, omnibuſque maioribus atque minoribus in Theutonico regno conſtitutis, exceptis his qui canonica excommunicatione tenentur, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Notum vobis fieri volumus, fratres cariſſimi, quòd in ea Synodo, quam nuper Romæ celebrauimus, inter multa alia quæ de ſtatu ſanctæ Eccleſiæ Deo cooperante peregimus, de ruina & confuſione nobiliſſimi regni veſtri diligenter tractantes, hoc ſalutiferum & opportunum pro reparatione pacis veſtræ fore putauimus, vt religioſi Legati Sedis Apoſtolicæ ad partes veſtras dirigantur, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos & Religioſos Clericos, necnon Laicos ad id idoneos in loco qui vtrique parti ſit habilis & congruus, conuenire commoneant, itaut pacem Deo auxiliante inter vos componant, aut cui parti iuſtitia faueat veraciter addiſcant. Nam in eadem Synodo diffinitum eſt, vt nos contra eam partem, quæ pacem faſtu ſuperbiæ refutauerit, & cui iuſtitia non fauerit, omni conamine omnique modo poteſtate beati Petri inſurgamus. Et quoniam nonnullos de regno veſtro intelleximus magis iurgium & diſcordiam quàm pacem diligere, ex parte omnipotentis Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli interdicimus, vt nullus ſit, qui aliquo ingenio, aut ſtudio, aut violentia impediat prædictos viros ad reſtaurandam regni veſtri concordiam conuenire: vt conuenientes iuſtam & legalem diſcordiæ huic finem poſſint imponere. Ad reprimenda etiam mala ingenia, & illicitos conatus, iudicio ſancti Spiritus, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ anathematizauimus & anathematizamus, quicumque ſiue Rex, ſiue Archiepiſcopus, ſiue Epiſcopus, ſiue Dux, ſiue Marchio, ſiue alicuius dignitatis vel ordinis perſona ſit, præſumpſerit aliquo modo hanc ſalutiferam conſtitutionem perturbare, videlicet qui operam dederit ne prædictus conuentus fiat, ad concordiam tantæ perturbationis. Adiecimus etiam eidem anathemati, vt qui huius iniquitatis præſumptor fuerit, non ſolùm in anima, ſed & in corpore, & in omnibus rebus ſuis vindictam Dei omnipotentis ſentiat, & in omni congreſſione belli nullas vires, nullumque in vita ſua triumphum obtineat: ſed duplici contritione proſtratus ſemper vileſcat, & confundatur, vt ſic ſaltim ad pœnitentiam redire addiſcat. Præſentium verò portitorem ad hoc vobis dirigimus, vt vnà cum venerabili fratre noſtro Treuirenſi Archiepiſcopo, qui H. fauet, & altero qui vtilis & religioſus ad hoc opus ſit Epiſcopo, ex parte R. locum & tempus prædicti* Conuentus *ſtatuant, quatenus Legati noſtri, quos præfati ſumus, ſecuriùs & certiùs ad vos venire, & quæ omnipotenti placeant ipſo auxiliante vobiſcum valeant perficere, Amen.*

Gregorius Vdoni Epiſcopo Treuirenſi. Miſit etiam pro hoc negocio ſpeciales litteras Treuirenſi Archiepiſcopo, quas hic etiam ſubnectere non pigebit. *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Vdoni Treuirenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam bened. Quanta nobis ſollicitudo, quantáque ſit triſtitia de perturbatione, imò de diſſidio regni veſtri olim clariſſimi & potentiſſimi, in communibus litteris quas hoc in anno ad vos miſimus, ſatis vobis declaratum eſſe putamus. Verùm, quia res de die in diem perniciosiùs implicatur, nobis quoque cura cum nimia anxietate altiùs infigitur. Proinde quidquid ſuper hac re ad præſens melius nobis viſum eſt, quod noſtra prouidentia vel auctoritate interuenire potuiſſet maturare curauimus. quod tua fraternitas in litteris, quibus illud ſingulariter deſcriptum eſt, pleniùs cognoſcet. Rogamus igitur & ammonemus prudentiam tuam, in qua multum confidimus, vt ſecundum tenorem earumdem litterarum ſine omni dilatione de cauſa hac te intromittas, & omnibus tam minoribus quàm maioribus, quoad potes, quod apud nos deliberatum, & qualiter tibi iniunctum ſit, notum facias, vt miſerante Deo, & adiuuantibus his qui Deum diligunt,*

diligunt, tam feralis diſcordiæ furorem aut penitus compeſcere, & quod maximè optamus, ad plenam pacem reducere poſſimus, aut ſi illud peccatis impedientibus minimè obuenire potuerit, ſaltim nos in tanto fratrum noſtrorum periculo culpam negligentiæ declinemus. Notificato autem conſilio & decreto noſtro, & requiſitis vtrimque reſponſionibus, vt eam certitudinem & conſenſum inueniatis, ne in mittendis legatis vobis dubitandum ſit, ordinatis & confirmatis omnibus, quæ ad proſequendum hoc negotium loco, tempore, vel ceteris conuenientijs neceſſaria ſunt, volumus vt tu, & ille frater, qui huius rei mediator eſſe debuerit, confeſtim ad nos veniatis: quatenus cognitis ſecuritatibus, & quæ ſpes pacis eſſe debeat, legatos noſtros tam ſine periculo quàm ſine deſperatione fructus laboris & fatigationis eorum vobiſcum mittere debeamus. Nec durum tibi ſit, frater, ſubire quod imponimus, quoniam ex quo in Eccleſia locum Sacerdotij & officium ſuſcepiſti, nihil Deo dignius aut animæ tuæ ſalubrius feciſti, quàm in hac re nequitiam diabolicæ fraudis elidere, & ſaluti tot millium hominum Deo opitulante, conſulere potueris. Et ſi hoc fatigationi tuæ pro voto non ſucceſſerit, tibi tamen apud illum certa manet retributio, apud quem nihil infectum reputabitur omne bonum, quod perſeueranti voluntate concipitur. Illud tamen à dilectione tua omninè nobis exhiberi volumus, vt etiamſi illum alium, quem huius rei mediatorem te habere ſupra diximus, ſocium itineris habere non poſſis: tu tamen ad nos venire nullatenus prætermittas. Præcipimus etiam tibi ex auctoritate beati Petri, vt cui iuſtitia fauet, tu omninò faueas, & hoc idem facere Clericos & Laicos quos poteris ex noſtra parte commoneas. Treua etiam à vobis promiſa vſque ad XV. dies poſt conuentus ſolutionem omninò ſeruetur illæſa. Volumus autem vt apud Regem diligenter procures, quatenus legati noſtri qui in partibus illis ſunt, ſi voluerint licenter & ſecurè ad nos redire valeant.

Vdo igitur Treuirorum Archiepiſcopus non multò poſt beato fine quieuit, & ſic negotium Apoſtolicæ legationis intermiſſum eſt. Quamobrem domnus Papa pro hoc eodem negotio exequendo alios legatos mittere ſtatuit, ſcribens fidelibus omnibus in hæc verba.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, in Theutonico regno commorantibus ſi obedire voluerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Gregorius Papa Teutonicis. *Quoniam ex lite & diſſenſione, quæ tandiu inter vos ſunt, maximum in ſancta Eccleſia periculum, maximum inter nos vndique detrimentum fieri quotidie cognoſcimus: idcirco viſum eſt nobis & fratribus noſtris in Concilio congregatis ſummo deſiderio æſtuare, ſumma ope elaborare, quatinus idonei legati, tam religione quàm ſcientia pollentes, è latere Sedis Apoſtolicæ ad partes veſtras mitterentur, qui religioſos Epiſcopos, Laicos etiam pacis amatores & iuſtitiæ in partibus veſtris commorantes, ad hoc opus idoneos congregarent: qui Domini gratia præeunte die & loco ab illis ſtatuto, tam ipſi, quàm quos eis adhuc coniungere debemus, aut pacem componant, aut veritate præcognita ſuper illos, qui ſunt tanti diſſidij cauſa, canonicam cenſuram exerceant. Verùm, quoniam nonnullos diabolico inſtinctu confectos, iniquitatis ſuæ facibus ignitos, cupiditate inductos, diſcordiam potiùs quàm pacem fieri & videre deſiderantes fore non ignoramus: ſtatuimus in hac Synodo ad eandem formam, ſicut in præterita, vt nulla vnquam perſona, alicuius potentiæ vel dignitatis, ſiue magna, ſiue parua, ſiue Princeps, ſiue ſubiectus, aliquando præſumat legatis noſtris obſiſtere, & poſtquam ad vos peruenerit, de componenda pace contraire, nec poſtea contra interdictum illorum alter in alterum audeat inſurgere; ſed vſque ad diem ab illis ſtatutam firmam pacem omnes, ſine contradictione & fraude obſeruent. Quicumque autem hæc noſtra inſtituta vlla præſumptione violare temptauerit, anathematis vinculo non ſolùm in ſpiritu, verùm & in corpore, & omni proſperitate huius vitæ Apoſtolica auctoritate innodamus, & victoriam eis in armis auferimus, vt ſic ſaltim confundantur, & duplici contritione conterantur.*

Secundùm ego fidem dictorum miſſi ſunt legati à latere Sedis Apoſtolicæ, de quibus cùm aliqua ſiniſtra referrentur, domnus Papa has eis miſit litteras ab vrbe Roma.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis in Chriſto fratribus & coepiſcopis Petro Albanenſi, & Olderico Patanienſi, ſalut. & Apoſtol. bened. Sunt multi, quibus tamen non credimus, qui de legatione veſtra murmurare incipiunt, ſuſpicantes vos aliter velle incedere, quàm à nobis præceptum eſt: & alterum veſtrum nimis ſimpliciter, alterum verò non adeò ſimpliciter acturum eſſe cauſantur. Quapropter diligentiſſima circumſpectione cauendum eſt vobis, vt vtramque ſuſpicionem poſſitis extinguere. Quod ita facile cum Dei adiutorio proueniet, ſi præcepta noſtra ante mentis oculos ſemper teneatis, & nihil aliud præſumatis efficere, niſi quod nos vobis noſcimur non modo nudis verbis, verumetiam litteris inculcando mandaſſe.* Greg. Petro Albanenſi & Oldorico Patauienſi.

Volumus autem vt de cauſa Regum, vel regni, ſiue etiam de Treuirenſi, vel Colonienſi & Auguſtienſi electu, vel de omnibus illis qui, inueſtituram per manum laicam acceperunt, nullum præſumatis exercere iudicium. Summumq; vobis ſtudium ſit, ſi Rex adquieuerit vobis de ſtatuendo colloquio & pace firmanda in regno, & de reſtituendis Epiſcopis in Sedibus ſuis; & hæc eadem citè ad nos aut per voſipſos, aut per certos legatos annunciare, vt tot & tales perſonas poſſimus illac ad conſtitutũ tempus dirigere, qui ad tantum negotium determinandum valeant vna vobiſcum Deo auxiliante ſufficere. Interim verò ſic vos vtrique parti communes, & ab omni ſuſpicionis næuo, quantum in vobis eſt, cum diuinæ gratiæ adiutorio exhibete immunes, vt iuſtitiæ ſemper & nullomodo partibus faueatis, ſicut habetis formam noſtram, qui videlicet, poſtquam iudicium tanti huius negotij in manu beati Petri commiſſum eſt, nihil aliud vobis teſtibus intendimus, niſi vt per iuſtitiæ ſemitam incedamus. Ad nullam partem ſinceritatem Apoſtolicæ diſcretionis inflex imus, nullis promiſſionibus aut terroribus ceſſimus, nec aliud vnquam Deo protegente acturos nos eſſe confidimus. Præterea ſpecialiter vobis de Abbate Augienſe iniungimus, qui nuper ad Apoſtolorum Limina veniens, non ſolùm captus eſt, ſed etiam in loco eius quidam eſt tyrannicè ſubrogatus, vt ea bona ſua, quibus exſpoliatus eſt, expulſo inuaſore illo reſtitui faciatis. Qui tamen poſtquàm de his quæ perdidit fuerit pleniter inueſtitus, ſi quis contra illum habet aliquid, paratus erit in noſtro iudicio reſpondere. Non enim debet ab alio aliquo iudicari, qui in Apoſtolica Sede ſcitur à memet conſecratus. Et certè grauis fuit præſumptio, manum in eum ponere, qui tanto erat priuilegio munitus. Quòd ſi inuaſor ille contra interdictum noſtrum prædicto fratri ſua reſtituere contempſerit, confeſtim in eum velut in rebellem & inuaſorem ex auctoritate Apoſtolica ſententiam excommunicationis intendite. Quidquid autem agitis, vel quidquid vobis contigerit, litteris ſemper mandare, & frequenter ad nos mittere procurate. Omnipotens & miſericors Deus, à quo bona cuncta procedunt, meritis beatæ Dei genitricis Mariæ dominæ noſtræ & beatorum Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli ab omni malo vos defendere, & in omnem veritatem inducere dignetur, quatinus quidquid agitis ſecundum timorem Dei & vtilitatem ſanctæ Eccleſiæ feliciter peragatis. Inter omnia ſtudioſiſſimè Vvormacienſis Epiſcopi mementote, qui cùm eſſet diu ab Eccleſia ſua expulſus, & ob id Romam veniret, vt auxilium Apoſtolicæ Sedis adquireret, non ſolùm nihil ſibi profuit, ſed modò etiam peius incurrit. Interim vos ſalutamus, & rogamus vt ſitis memores noſtri memores veſtri apud Deum.

His acceptis litteris, quia corrupti muneribus à ſententia & propoſito grauitatis Apoſtolicæ deuiauerunt, aliud quàm quod eis impoſitum fuerat agentes, Heinricum videlicet regnum reform.... & Rodulfum peruaſorem & inuaſorem regni.... Eccleſia publicè priuantes, quod omninò veritati aduerſabatur, Epiſcopos quoq; ſimoniacos confirmantes, qui manifeſtè Heinricianis communicabant: cùm fideles rei veritate minus inſpecta à Sede hoc Apoſtolica ita proceſſiſſe crederent & dubitarent, & ſermo titubationis illorum ad aures Patris noſtri veniſſet, litteras eis miſit, in quibus & quod malè actum fuerat reprehendit, quodque ſe ignorante factum eſſet edocuit, & vt in fide recta inconcuſſa ſpe perſeuerarent, euidenter ammonuit, ſcribens eis in hæc verba. *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus fidelibus S. Petri in Teuthonico regno commorantibus ſal. & Apoſtol. bened. Peruenit ad nos quòd quidam ex vobis de nobis dubitant, tanquam in inſtanti modò neceſſitate vſus ſim ſeculari leuitate. Qua certè in cauſa nullus veſtrum præter inſtantiam præliorum maiores me & patitur anguſtias, & ſuffert iniurias. Quotquot enim laici ſunt, omnes cauſam Heinrici præter admodum paucos laudant, & def... & pernimiæ duriciæ ac impietatis in eum me redarguunt. Quibus omnibus Dei gratia ſic hactenus reſtitimus, vt in neutram partem adhuc niſi ſecundum iuſtitiam & vtilitatem ſecundum noſtrum intellectum declinaremus. Nam ſi legati noſtri aliquid contra quod illis impoſuimus egerint, dolemus, quod tamen ipſi ſicut comperimus, tum violenter coacti, tum dolo decepti fuerunt. Nos vero iniunximus eis, vt locum ac terminum communiter ſtatuerent oportunum, ad quem ſapientes noſtros & idoneos legatos propter diſcutiendam cauſam noſtram in dirigeremus, atque vt in ſedes ſuas Epiſcopos reſtituerent, & abſtinere ab excommunicatis docerent. Si quid contra hæc vel coacti, vel decepti fecerunt, non laudo. Sciatis indubitanter, quoniam Deo gubernante nemo hominum, ſiue amore, ſiue timore, aut per aliquam cupiditatem potuit me vnquam aut amodo poterit ſeducere à ſemita recta iuſtitiæ. Vos itaq; ſi reuera, & in charitate non ficta fideles Dei & S. Petri eſtis, nolite in tribulationibus deficere, verùm vt boni æmulatores in incæpto fideliter immobiles perſeuerate, quoniam qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. In præſentiarum nihil aliud vobis de prædicto negotio mandare poſſumus, quia nuncij veſtri nondum ſunt reuerſi, quibus vtique venientibus, ſecundum quod ab ipſis intellexerimus, vobis quantociùs poſſimus veraciter indicabimus.*

Gregorius Papa Teutonicis.

Colloquium itaque illud qualiter vel à quibus perſonis fuerit impeditum, in verbis præcellentiſſimi Patris noſtri conſtat apertum. Quia enim Heinricus abjecto iugo obedientiæ, ipſum colloquium impediendo, excommunicationem intentatam non eſt veritus incurrere, pro his, inquam, & alijs innumerabilibus malis, homicidiis periuriis, adulteriis, fornicationibus, ſimonia, Eccleſiarum quoque deſtructione non minima, in Romana Synodo anathematizatus eſt & damnatus, & à regno irrecuperabiliter depoſitus. Quam eius damnationem hic ſubnectere dignum iudicauimus.

Beate Petre Princeps Apoſtolorum, & tu beate Paule Doctor gentium, dignamini quæſo aures veſtras ad me inclinare, meque clementer exaudire. Quia veritatis eſtis Apoſtoli, & amatores, adiuuate vt veritatem dicam vobis, omni remota falſitate, quam omninò deteſtamini: vt fratres mei mihi melius adquieſcant, & ſciant & intelligant, quia ex veſtra fiducia poſt Deum & matrem eius ſemper Virginem Mariam prauis & iniquis reſiſto, veſtris autem fidelibus auxilium præſto. Vos autem ſcitis, quia non libenter ad ſacrum ordinem acceſſi, & inuitus Vltra-Montes cum domino meo Papa Gregorio abij, ſed magis inuitus cum domino meo Papa Leone ad veſtram ſpecialem Eccleſiam redij, in qua vtcumque vobis deſeruiui. Deinde valde inuitus cum multo dolore & gemitu & planctu in throno veſtro valde indignus ſum collocatus. Nec ideo dico, quia non ego vos, ſed vos elegiſtis me, & grauiſſimum pondus Eccleſiæ veſtræ ſuper me poſuiſtis, & quia ſuper montem excelſum me iuſſiſtis aſcendere, & clamare, & annunciare populo Dei ſcelera eorum, & filijs Eccleſiæ peccata eorum, membra diaboli contra me cœperunt inſurgere, & vſque ad ſanguinem præſumpſerunt in me manus inicere. Aſtiterunt Reges terræ & Principes ſeculares & Eccleſiaſtici, aulici etiam & vulgares conuenerunt in vnum aduerſus dominum, & aduerſus vos Chriſtos eius dicentes. Diſrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum. Et vt me omninò morte vel exilio confunderent, multis modis in me conati ſunt inſurgere. Inter quos ſpecialiter Heinricus, quem dicunt Regem, Heinrici Imperatoris filius, contra veſtram calcaneum erexit Eccleſiam, facta cum multis Epiſcopis Vltramontanis & Italicis conſpiratione, adnitens me deiiciendo eam ſibi ſubiugare. Cuius ſuperbiæ veſtra reſtitit auctoritas, eumque veſtra deſtruxit poteſtas. Qui confuſus & humiliatus ad me in Langobardiam venit, abſolutionem ab excommunicatione quæſiuit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de vitæ ſuæ melioratione, ſolam ei communionem reddidi, non tamen eum in regno, à quo in Romana Synodo depoſueram, reſtauraui, nec fidelitatem omnium qui ei iurauerant, vel iuraturi erant, à qua omnes in eadem Synodo abſolui, vt ſibi ſeruaretur præcepi. Et ideò hæc detinui, vt inter eum & Principes Vltramontanos, qui ei cauſa iuſſionis Eccleſiæ veſtræ reſtiterant, iuſtitiam facerem, vel pacem componerem, ſicut & ipſe H. iuramento per duos Epiſcopos mihi promiſit. Prædicti autem Epiſcopi & principes Vltramontani, audientes illum non ſeruare quod promiſerat, quaſi deſperati de eo vobis teſtibus elegerunt ſibi Rodulphum Ducem in Regem. Qui Rex Rodulfus feſtinanter ad me miſſo nuncio, indicauit ſe coactum regni gubernacula ſuſcepiſſe, tamen ſe paratum mihi modis omnibus obedire. Et ex eo tempore eundem mihi ſemper miſit ſermonem, adiiciens etiam filio ſuo dato obſide, & fidelis ſui Ducis Bertoldi, quod promittebat ſacramento firmare. Interea H. cœpit me precari, vt illum contra prædictum R. adiuuarem. Cui reſpondi me libenter facere, audita vtriuſque partis ratione, vt ſcirem cui iuſtitia magis faueret. Ille verò putans eum ſuis viribus poſſe deuincere, meam contempſit reſponſionem. Poſtquam autem perſenſit ſe non poſſe ſicut ſperauit agere, duo Epiſcopi ex conſentaneis ſuis, Virdunenſis ſcilicet Theodericus, & Obſeburgenſis, Romam venerunt, & in Synodo ex parte Heinrici me vt ei iuſtitiam facerem rogauerunt, quod & nuncij Rod. fieri laudauerunt. Tandem aſpirante Deo, ſicut credo, ſtatui in eadem Synodo in partibus Vltramontanis fieri colloquium, vt illic aut pax ſtatueretur, aut cui iuſtitia faueret ampliùs cognoſceretur. Et quia putabam quòd iniuſtior pars colloquium nollet fieri vbi iuſtitia locum ſuum ſeruaret, excommunicaui & anathemate obligaui omnes perſonas ſiue Regis, ſiue Ducis, ſiue Epiſcopi, aut alicuius hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret ne fieret. Prædictus autem Heinricus cum ſuis fautoribus non timens periculum inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & ſeipſum anathematis vinculo obligauit, magnámque multitudinem Chriſtianorum morti tradi, & Eccleſias fecit diſſipari, & penè totum Theutonicorum regnum deſolationi dedit. Quapropter confidens de iudicio & miſericordia Dei, eiúſque piiſſimæ matris ſemper Virginis Mariæ, veſtra fultus auctoritate ſæpè nominatum Heinricum, quem dicunt Regem, omnéſque fautores eius, excommunicationi ſubiicio, & iterũ regnum Theutonicorum & Italiæ ex omnipotentis Dei parte & veſtra interdicens ei, omnem poteſtatem & dignitatem regiam illi tollo, & vt nullus

Chriſtianus ei ſicut Regi obediat interdico. Ipſe autem Heinricus cum ſuis fautoribus in omni congreſsione belli nullas vires, nullamque in vita ſua victoriam obtineat. Vt autem Rodulfus regnum Theutonicorum regat & defendat, quem Theutonici elegerunt ſibi in Regem, ad veſtram fidelitatem ex parte veſtra dono, largior, & concedo, omnibuſque ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita, & in futura veſtra fretus fiducia largior. Sicut enim Heinricus pro ſua ſuperbia & inobedientia, & falſitate à regni dignitate iuſtè abiicitur, ita Rodulfo pro ſua humilitate, obedientia, & veritate, poteſtas & dignitas regni conceditur. Agite nunc quæſo, Patres & Principes ſanctiſsimi, vt omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cœlo ligare & ſoluere, poteſtis in terra Regna, Imperia, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum poſſeſsiones pro meritis tollere & concedere. Vos Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Primatus, Epiſcopatus, frequenter tuliſtis prauis & indignis, & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia iudicatis, quid de ſecularibus poteſtis? Et ſi Angelos dominantes omnibus ſuperbis Principibus, quid de illorum ſeruis facere poteſtis? Addiſcant nunc Reges terræ, & omnes ſeculi Principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant paruipendere iuſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Heinrico tam citò iudicium veſtrum exercete, vt omnes ſciant quia non fortuitu, ſed veſtra poteſtate cadet & confundetur, vtinam ad pœnitentiam! vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Data Romæ Non. Martij.

Herimannus Ep. Metenſis. Præerat tunc temporis Mediomætricum vrbi vir egregius, & inter præcipuos Catholicæ fidei propugnatores magnum patientiæ, religionis, & iuſtitiæ documentum domnus Herimannus Epiſcopus, Leodienſis Eccleſiæ filius, piæ memoriæ Adalberonis Epiſcopi Metenſis ſucceſſor à Deo prædeſtinatus & donatus qui in primario iuuentutis flore, temporibus Annonis venerabilis Colonienſium Archiepiſcopi, tutoris & moderatoris regni, Palatij frequentiam nactus, Regis illius pene vniuerſa nouerat, in tantum vt etiam ante perceptam Epiſcopatus gratiam pro eius inſolentia à Curiæ ſe plerumque adminiſtratione ſubtraheret, & magis eligerêt contentus eſſe mediocritate ſua, quàm ex inquinatione ſocietatis factioſorum ſperare maiora: maximè cùm videret præfatum reuerendæ memorię virum Annonem dolere & gemere frequenti contritione; deſolatum ſub tali Principe ſtatum regni, incuruatum ius Imperij, contritum cornu Domini, in quo eſſet ſola ſpes dejectionis Eccleſiaſticæ, & perturbatio pacis Catholicæ, confuſio & horror, vanitas & contritio, & omnia peſſumdans ſuperba, lubrica, vana inconſtans atque immunda præſumptio. Vbi verò Epiſcopatus officium adeptus eſt, ſatis pœnituit de manu Regis illius inueſtituram Pontificatus ſe ſuſcepiſſe, adeo vt etiam impoſitam prælationis ſarcinam libens rejecerit, volens depoſuerit, toto ſe ab ea niſu excuſauerit, ſi aſſenſum præſtitiſſet auctoritas Romani Pontificis, apud quem pro exceſſibus ſuis, id eſt incautè vſurpata eadem inueſtitura, quæ eſt contra inſtituta canonica, culpam fateri non erubuit, ſatiſque cauit in poſterum à communione eius & fautorum eius, propter quod & tanta paſſus eſt, vt & de illo dictum poſſit videri. Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. In primo ſanè congreſſu paſſus eſt quod fuit hominis, vt diſceret iam in ſecundo, qui ei fuit iugis & perpetuus, de Deo præſumere, non de ſe. Lapſus eſt enim vt homo, titubauit vt homo, quia præſumpſit vt homo. Sed euacuatum eſt iam in illo ſcandalum opprobrij, quia in bonitate vitæ ſuæ abſciſſum eſt quod conturbauerat illum, & per illum bonos omnes, & obſcuritate rareſcente reluxit aurum, inualuit color optimus, reſplenduit in diademate Regis æterni lapis Sanctuarij. Hic igitur in ipſo primo ſuo ingreſſu, Apoſtolicæ doctrinæ exequutor factus, cùm poſtmodum communicaſſet Regi ſcelerato & pro ſceleribus excommunicato, à cuius ſe, vt dictum eſt, iam per aliquantum temporis communione ſuſpenderat, doluit vt prædiximus ſe deceptum; viribuſque reſumptis à domno Papa abſolutionem quæſiuit errati. Qui etiam præcepit domno Dienſi Epiſcopo, vt eum vice ſua aut per ſe, aut ſi timore Regis vereretur, illo tranſire, per aliquem religioſum virum, de cuius fide & magnanimitate confideret, abſolueret. At ille vicem obedientię imponens Abbati Diuionenſis Cœnobij Mettim eum direxit, à quo abſolutus eſt ipſa vigilia Natalis Domini.

Cùm ergo totis medullis cordis adhæreret præceptis Apoſtolicis, & è contratio omnia ei intentaret aduerſa indignatio Regia, & fallax adulantium ei lingua, conquerentium non poſſe auctoritatem ſanctæ Rom. Eccleſiæ Regem Impera-

toris filium à Deo electum & honoratum, ſanctam illam regię majeſtatis dignitatem à ſeculis honoratam deponere, & à gremio matris Eccleſiæ ſegregare, & conceſſa priuare poteſtate, cùm non eſſet poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt: & ille à ſede Apoſtolica contra rabiem oblatrantium curationis expeteret antidotum, vt erga eorum impetus ſcriptis Apoſtolicis quaſi clypeo defenſionis muniretur, hanc ei ab vrbe mitiſſimus Doctor miſit Epiſtolam per R. Abbatem Virdunenſis Monaſterii, ita auctoritatibus diuinarum ſcripturarum munitam atque refertam, doctrinæque Apoſtolicæ ſale conditam, vt hæc ſola ſufficiat fidelibus ad confutandam aduerſariorum ineptam ſtultitiam.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto in Chriſto fratri* HE. *Metenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quod ad perferendos labores & pericula, &c.* Vide libri VIII. ep. XXI.

Hanc igitur Epiſtolam Mettenſis Epiſcopus ſuſcipiens, plurimùm confortatus eſt in Domino. Verùm nos hac decurſa ad hiſtoriæ ordinem redeamus. Vbi ad aures Heinrici Regis & fautorum eius anathema à Domino Papa factum perſonuit, infremuit, factioſorum ſtrepitus in beati Petri Vicarium turpia & nefanda concrepans intonuit, dicentium magum eſſe & impoſtorem, hæreticum, homicidam, fornicarium, & ſi quid aliud aduerſatur ſanæ doctrinæ. Non debere Regem, Imperatoris filium, qui non ſine cauſa gladium portaret, qui Romanæ Reipublicæ Patricius, tutor, & defenſor eſſe deberet, tantam pati ſanctæ Dei Eccleſiæ conculcationem, vt homo omnium peripſema, pro ſuis ſceleribus iuſtè puniendus, & merito ab Eccleſia exturbandus, ſummam illam regij nominis maieſtatem impugnaret. Maledictum fruſtra prolatum, in eum, à quo proceſſerat, retorquendum: vt qui domino ſuo & Regi foueam parauerat maledictionis, eo immuni remanente, ille qui caput & cauſa mali erat, prior incideret in eam. Cùm in hoc omnis perſtreperet aula, decretum eſt communi conſilio, vt ille qui reuerendam à ſeculis regiam maieſtatē ab Eccleſia extorrē pronunciauerat, ab Eccleſiæ corpore ſegregaretur, & Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui ſupra omnes eſt, ab his qui ei ſubeſſe debebant, excōmunicationi adiudicatus eſt. O dementia incomparabilis, furor inedicibilis, inſania mirabilis! Quis, rogo, Imperatorum, quis Regum, ad tantam proſilire auſus eſt proteruam inſaniam, inſanámve proteruiam, vt clauigeri cæleſtis Vicarium, cuius lingua clauis cœli eſt, canonicè electum, ab omni Chriſtianitate ſuſceptum, benè viuentem, recta docentem, ab Eccleſia alienandum pronunciauerit? Conuentus hic apud Vltetius-Traiectum habitus eſt, vbi contra Deum & Dominum diſputatum eſt. Dies erat ſabbati, & veſpere ſabbati ipſa nocte Dominicæ diei illuceſcente, in Concilio malignantium conſtitutum eſt & deliberatum, vt in craſtino ad Miſſas in omnium audientia Papa excommunicaretur, quia auſus fuiſſet Regem & dominum ſuum excommunicare. Iuſtam hanc eſſe ſententiam, vt in quo peccauerat, puniretur. Aderat in conſeſſu illo iniqua gerentium Virdunenſis Teodericus, & Pibo Tullenſis, & plures alij, qui etſi fauebant regiis negotiis, hoc tamen quia ſanctorum Patrum obuiabat decretis, & ſanctionibus repugnabat canonicis, auerſati ſunt. Et quidem Tullenſi id officii impoſitum à Rege fuit, eo quòd eſſet mentis timidæ, & multæ inconſtantiæ, vt negocium id exequeretur. ſed ille dum pauet ad ſingula, nec audet reniti, noctu cum Virdunenſi aſſumptis ſociis fugæ ſe credit conſilio, quamobrem & in craſtinum aliquanto moroſius prolongata eſt negocij huius executio. Solus Vuillelmus Traiectenſis inuentus eſt, qui dum heſternam ructat crapulam, poſuit in cœlum os ſuum, & lingua eius in dominum & magiſtrum ſuum maledictionis intorſit iaculum. Sed non impunè. Nam cùm hoc inter ſacta Miſſarum peregiſſet ſolemnia, & peracto ſcelere datus in reprobum ſenſum ad eadem perexplenda accingeretur, ne vel in hoc à Iudæ proditoris conſortio & merito ſepararetur, vbi corpus Dominicum, in quod peccauerat, malè ſibi conſcius ſumpſit, vltio diuina manifeſtata eſt. Percuſſus eſt enim à Deo plagā inſanabili, ita vt cum horrore & ſtupore mirabili clamaret; Ardeo, ardeo: quia corpus quod viuificat incendium illi pœnamque pariebat, quod exarſerat in eo ſicut ignis in ſpinis, vt manifeſta in eo fieret vltio Domini. Nec datum eſt illi tempus vt pœniteret, ſed mox vt ſenſit ignem in ſe graſſantem, in ſede corpore reclinato, dum clamaſſet ſancta Maria, miſeram vitam miſerabili morte finiuit. De quo certum eſt quia nobis iſta valet, nobis hoc monſtratum eſt,

Gregorius Herimanno Metenſi E.

Conuentus Vltraiectinum.

vt prodeſſe inciperet nobis pœna eius. Grandis hinc inoleuit terror omnibus ita vt Virdunenſis, quem clam abſceſſiſſe notauimus, vrbi ſuæ appropinquans, exeuntibus ſibi obuiam Clericis ſuis cum crucibus & ceteris, vt mоris eſt, proceſſionem palam interdixerit,& excommunicatum ſe quia ad horam ceſſiſſet pronunciauerit, ſatiſque tunc pœnituerit in excommunicatione Domini Papæ ſe factioſis communicaſſe. ita vt palam proteſtaretur, quia niſi diuina illi proſpexiſſet miſericordia, & bonorum virorum oratio, pœnam quam Willelmus perpeſſus erat, ipſe pertuliſſet. Quamobrem etiam Papæ dimiſſis nuncijs, Abbate videlicet Rodulfo cum ſocijs, cùm ſe omnino pro communione illa excommunicatum affirmaret, & ob id ab officio ceſſaſſet, in manu eius per litteras ſtolam reddidit & anulum. Et cùm ſe ſic ipſe damnaret, parebat tamen Regi, quia *hæc erat hora eius, & poteſtas tenebrarum*. Nam inueteratam eius maliciam, quæ obduruerat, non frangebant miracula; vt incrementa vitiorum parerent ei etiam additamenta tormentorum. Vnde & impletum eſt in eo quod ſcriptum eſt. *Multo labore ſudatum eſt & non exiuit de eo nimia rubigo eius nec per ignem.* Ignis enim ei tribulationis circumſtrepebat, qui viciorum rubiginem purgaret. ſed nec per ignem rubiginem amiſit, qui nec per flagella correctus eſt: quia malitia eius à conflatore conſumi nòn potuit.

Anno igitur ab incarnatione Domini MLXXIX. factum eſt prælium in Saxonia, in quo Rodulfus Rex cecidit, & Heinricus fugiendo victus eſt. Hoc etiam anno facta ſunt tonitrua & fulgura in Ianuario, & Luna nigra & ſanguinolenta viſa eſt III. Kal. Februar. Et ſequenti anno Vvibertus inuaſit ſedem Apoſtolicam, à damnatis & excommunicatis ſuique ſimilibus in Apoſtaticum non Apoſtolicum electus. Quæ conſpiratio primùm facta eſt apud Brixiam, vbi congregati aliqui Epiſcoporum, de Synagoga Satanæ, traditi in reprobum ſenſum, & contra fidem, quæ eſt confeſſio Petri, & ſanctam Sedem eius Romanam Eccleſiam turpia & nefanda jacientes, ad plenitudinem damnationis ſuæ elegerunt Vvibertum hæreſiarcham de ſui ſimilibus, & deſperata ſuperbiâ Apoſtolicum eum vocantes, Apoſtatam, non Apoſtolicum effecerunt. Qui idcirco omnium fidelium odio dignior eſt, quia cùm à Principibus Heinrico ſcilicet Rege depoſito, & ceteris huius perditionis miniſtris quæſitum eſſet, quis ad impugnandum ſanctum virum, Papam videlicet Gregorium, falſitatis vexillum ſuſciperet, nemo omnium tam audax, tam præſumptor, tam deſperatus vel perditus inuentus eſt, qui naufragium fidei ſubire deligeret, præter eum ſolum. Qui idcirco, credimus, Antichriſti negocium ſuſcepit, vt ruinam Archiepiſcopatus Rauennenſis; quem pro ſuis criminibus eodem grege præſidente ſynodali judicio perdiderat, ſuſceptione oblati periculi compenſaret. Aderat in conuentu illo malignantium multus numerus damnatorum, quos ad perſequendum amatorem iuſtitiæ communicatio criminum & amor Principis illexerat, eum ſolum inuenit diabolus promptiorem, cui malitiæ ſuæ omnem principatum commiteret. Suſcepit itaque ſedem Satanæ, & in cathedra peſtilentiæ ſublimatus, impiorum mentes ad expugnandum nomen Domini exacuebat, factus omnibus fouea peccandi. Quę autem fuerit eius promotio ſeu intronizatio, quomodo ad hanc dejectionem & quàm præcipitanter aſcenderit,& à quibus execratus ſit, quæve eorum fuerit vita vel conuerſatio, & quid de ordinato vel ordinatoribus eius ſentiendum ſit, Gebehardus Salzeburgenſis Epiſcopus, cuius vita ſpeculum erat bonorum, interrogatus edicat. Ait enim ſcribens H. Mettenſi Epiſcopo. *G. Salzeburgenſis Epiſcopus H. Mettenſi Epiſcopo ſalutem. Vvibertus quondam Rauennas Archiepiſcopus cùm obedientiam, quam Apoſtolicæ ſedi iuramento promiſerat, non attendere, ſed contra ipſam omnimodis ſuperbire ſtuduiſſet, in Romana Synodo irrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus eſt ab Apoſtolica ſede, & ab Epiſcopis totius Eccleſiæ: nec hoc ſemel in vna Synodo, ſed in omnibus ſynodis, quotquot iam ſeptennio Romæ celebratæ ſunt. Hic igitur ita in periurijs inueteratus & pro eiſdem irrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus, ſedem Romani Pontificis, cui obedientiam iurauit, per manus anathematizatorum, vt pote ſui ſimilium, inuaſit, legitimo paſtore adhuc eidem ſedi præſidente. Ipſorum autem excommunicatorum nullus eum conſecrare, vel potius execrare præſumpſit, præter Mutinenſem & Aretinum ex Epiſcopos, qui ambo pro ſuis criminibus iàm annis tribus officio & communione caruerant. Sed hij etiam ſi officium & communionem haberent, & Romana ſedes paſtore vacaret, nullum tamen eidem ſedi Pontificem ordinare poſſent. Huius enim ordinationis priuilegium ſolis Cardinalibus Epiſcopis Albanenſi, Hoſtienſi, Portuenſi, à ſanctis Patribus eſt conceſſum. Ergo Mutinenſis & Aret-*

Vvibertus Antipapa apud Brixiam.

Gebhardi Ep. Salisb. epiſt. lat.

tinus Epiſcopi iuxta teſtimonium ſanctiſſimi Papæ Innocentij non benedictionem, ſed damnationem quam habuerunt ſuo Rauennati imponere potuerunt: nec illum in Romanum Patriarcham, ſed in perditiſſimum Hæreſiarcham promouerunt. Caueat igitur omnis Chriſtianus caput Antichriſto inclinare, ſtatuam quam Nabuchodonoſor erexit, adorare: ſicquè ſe ipſius hæreſiarchæ perniciofiſſimo anathemati innodare. Nam quicumque illi obedierit, qui dixit, ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo, certiſſimè in æternam damnationem ibit cum ipſis, amen.

Hæc ſunt de Witberto Geuehardi Salzeburgenſis viri vtique doctiſſimi & autentici ſcripta veridica, quibus vtique nullus cum iuſtitia obuiare præualet. Extant & alia eius ſcripta auctoritate & veritate ſubnixa, quæ pro viri merito reuerenter fidelium honorat & amplexatur Eccleſia. Ab hoc itaque Vviberto ſale vtique infatuato, Heinricus coronam ſuſcepit Imperij, factus infelix membrum illius qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ſuſcipiens ab illo maledictionem pro benedictione; & quidem ſatis congruè. Nam dignus erat, & pro meritis acta res eſt, vt talis Rex talem Papam inſtitueret, & ab eodem ipſe coronam ignominiæ & ſceptrum dedecoris ſuſciperet.

Defuncto per id temporis Lugdunenſi Archiepiſcopo Gibuino, cùm varia quorumdam eſſet electio, Dominus Hugo Dienſis Epiſcopus electione Cleri & populi, auctoritate & præcepto Romani Pontificis in Archiepiſcopum Lugdunenſem promotus eſt anno Incarnationis Domini M. LXXXII. Adhuc enim Romanæ vrbi domnus Gregorius præerat, quanquam Vvibertiſtarum iam eſſet facta conſpiratio, non tamen promotio. Vbi verò & promotio eius execratione ſua illa quaſi auctorizata eſt, & iudicatum eſt ab impiis & periuris hoſtili manu Romam aggrediendam, vt Papa, qui populi obſequio & amore cum gratia Dei proregebatur, cum iniuria & dedecore à ſede propelleretur: eoúſque res deuenit, vt Rex cum Papa ſuo exercitu innumerabili fultus Romam tenderet, & in itinere quotquot poterat ad adorandam ſtatuam, & in ea imaginem beſtiæ compellebat. Sed modo mirabili quo plus ad explendam profanæ mentis veſaniam ferebatur, eo grauiùs deiiciebatur, & dehoneſtabatur. Aliquando enim magnum erat ſi quis regium oſculum merebatur, gratum ſi quis veſtigia Papæ oſcularetur. Nunc verſa vice rerum, quicumque inuentus fuiſſet, tenebatur, nec antea dimittebatur, niſi primò pedem paparelli illius oſcularetur, & ſic demum oſculo Regis potiebatur: vt eſſet in ambobus æquipartita iniuria, verùm Regis tanto grauior, quantò hic cuius pedibus inclinabatur, erat deterior. Quæ enim maior eſſe poteſt inſania, quàm virum litteris adprimè eruditum, diſciplinis Eccleſiaſticis imbutum, ſanctionis Eccleſiaſticæ non ignarum, tenentem in Eccleſia magnæ dignitatis & prælationis locum, ad tantam mentis deuenire hebetudinem, vt contra Deum ſuperbire incipiat, & locum celſitudinis non in Eccleſia, ſed extra Eccleſiam, & ſupra Eccleſiam contra ius & fas appetens, illi aſſimilari omninò ſtudeat, qui dixit, *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.*

Hugo Dienſis Ep. creatus Archiep. Lugdunenſis.

Reuerſus inter hæc ab vrbe Roma Rodulfus Abbas venit Virdunum, & Virdunenſi Epiſcopo communionis gratiam à Papa reportans, abſolutionem eius domno Metenſi Epiſcopo impoſitam, qui vices Papæ exequebatur, requirendam eſſe ſatisfactione præmiſſa inſinuauit. Verùm quia Vvibertum execratum, & Regem obſtinato animo Romam tendere iam fama vulgauerat, intumuit animus hominis, & quidquid egerat, quidquid damnauerat vilipendens, ad vomitum rediit, culpam non ſolùm fateri non erubuit, quin potiùs grauioribus ſe vinculis peccati & pertinaciæ innodare non pertimuit. Nam ſubitò per ſemetipſum abſolutus, Pontifex in veſtitu ſacerdotali apparuit, Miſſas celebrauit, & quidquid illud eſt quod ſacerdotali officio conuenit, quod eotenùs cauerat implere non formidauit. in Monaſterio nouo ſanctæ Mariæ, quod ipſe ſummo ſtudio & cura exſtruxerat, reliquias introducens, aquam benedicens & aſpergens, & ſingula Epiſcopi officia complens.

Exhinc orta ſunt mala in Iſraël. Anno enim ab incarn. Domini M. LXXXIV. Heinricus Romam veniens vrbem cepit, muros euertit, Gregorium Papam in turre Creſcentis muro clauſit, ſuúmque Papam in Eccleſia S. Petri ſedere con-

ſtituit, vt impleretur quod ſcriptum eſt, *Cum videritis idolum abominationis ſtantem vbi non debet, qui legit intelligat.* Inter hæc Virdunenſis fera tota humanitatis facie euerſa, hac illacque debacchabatur, itaut omnis in eo Religionis ſpecies immutaretur, & obſequium quod priùs viris religioſis, qui tunc à Leodio confluxerant, & ab aliis vndique partibus, atque ſub habitu Monaſtico in Cœnobiis ſuburbanis degebant, exhibuerat, verteret in arma furoris. Totus illi ſermo de imperio Heinrici, de Papatu Clementis erat: itaut publicè in Eccleſiis nomen illius hæreſiarchæ nefandi in canone recitari præciperet. Quod etiam faciebant reliqui Epiſcopi Lotharingiæ, & Langobardiæ; exceptis perpaucis, qui magiſterio Petri adhærebant. quorum vita cùm eſſet ſancta, pia, caſta, & catholica, publicâ notabatur infamiâ, inſana dicebatur & hæretica; non intelligentes illud Iſidori dictum, quòd nouerit ſe à communione totius orbis ſeparari, quicúmque nomen Apoſtolici pro qualicúmque diſſenſione in canone non recitauerit. Admiranda prorſus Dei omnipotentis miſeratio, qui electos ſuos etſi aliquando permittit concuti, non ſinit tamen penitus labefactari. Non ſufficiebat ſacerdotibus vel ſolos peccare, facti erant laqueus iuuenum omnes, vt etiam abſque ſynagogis facerent eos qui non communicabant operibus eorum in communicando excommunicatis, in abiectione Gregorij, in aſſertione Vviberti. Iam verò ſi quis eſſet qui Gregorio communicaret, hic publicè conuicus appetebatur, hic hæreticus, deſtructor regni, aſſertor mali, qui nec vitâ dignus eſſet, qui publicæ indignationis offenſam contraheret periurus, & quodam adinuentitio nomine Paterinus dicebatur. Aduenerant tempora periculoſa, obnubilata erat facies Eccleſiæ, non agnoſcebat quos genuerat filios, quia patiebatur infeſtos, nec ipſi matrem agnoſcebant, quam cùm multis & miris modis affligerent & inſectarentur, vicem eius dolere non nouerant. Beati qui in hac ſanctæ Dei Eccleſiæ conculcatione non inquinauerunt veſtimenta ſua. ambulabunt in albis, quia digni ſunt. Nec mutabat pardus varietates ſuas, Heinricus ſcilicet nequitias ſuas. quinimò Romæ poſitus, quotquot poterat minis, terroribus, blandimentis, promiſſis ſibi conciliabat. bella, cædes, homicidia per ſe ſuóſque faciens, & totis quibus poterat niſibus iniquitati fauens, veritati reſiſtens, & inſuper ſuis litteras mittens, quibus ſe Romam obtinuiſſe, Papam deiecisse, & omnibus omninò præualuiſſe mendaciter confingebat. At verò Mathildis Comitiſſa Rom. Eccleſiæ filia virilis animi conſtantiam tenens, tantò ei fortius reſiſtebat, quanto magis huius aſtutias, & Papæ innocentiam nouerat. Sola enim tunc temporis inuenta eſt inter feminas, quæ Regis potentiam aſpernata ſit, quæ calliditatibus eius & potentiæ etiam bellico certamine obuiauerit. vt meritò nominetur virago, quæ virtute animi etiam viros præibat. Adeſto ſumme Deus, & Eccleſiæ tuæ regnum, & Eccleſiaſticæ conſtitutionis robur, quod Spiritu Sancto tuo ordinante firmaueras, non patiaris de culmine gloriæ ſuæ dilabi, nec ſinas tantis ſubiacere periculis. Hæc eſt mulier illa, de qua ab obtrectatoribus fidei, & conculcatoribus veritatis crimen inceſtus ſanctu Pontifici obijciebatur. Cui ſi deeſſent meritorum laudes, hoc ſolùm ſatis eam commendabilem redderet, quòd cum tali viro, dum exprobratur, dum conuicia ſuſcipit, dum improperia audit, approbatur, honoratur, laudatur. Quæ enim vt hæc pro Romana decertauit Eccleſia? Quot & quanta paſſa eſt, vt illa debita libertate frueretur? Extant ad eam plures Epiſtolæ Papæ, quarum hîc vnam non pigebit inſerere: vt agnoſcatur, qua ſibi inuicem vnione connectantur, vt omne os loqui iniqua volentium obſtruatur, & vt beniuoli inſtruantur, & maliloqui erubeſcant & confundantur.

Gregorius Mathildi. *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectæ in Chriſto filiæ Mathildi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quanta ſit mihi cura, quantaque ſollicitudo de te tuáque ſalute, ipſe ſolus qui cordis arcana rimatur, intelligit, & multo melius meipſo cognoſcis. Tu tamen ſi penſare non negligis, vt reor animaduertes, quia pro tantis me tui curam habere oportet, pro quantis te charitatis ſtudijs detinui, ne illos deſereres, vtque ſolius ſaluti animæ inuigilares. Charitas enim, vt ſæpè dixi, & dicam, ſequens cœleſtem tubam, non quærit quæ ſua ſunt. Sed quia inter cetera, quæ tibi contra mundi Principem, fauente Deo, arma contuli, quod potiſſimum eſt vt corpus Dominicum acciperes indicaui, & vt certæ fiduciæ Matris Domini te omninò committeres præcepi, quid indè beatus Ambroſius, videlicet de*

de ſumendo corpore & ſanguine Domini dicat, his in litteris intimaui. Ait enim in libro IV. *de Sacramentis inter cetera. Si mortem Domini annunciamus, annunciamus remiſſionem peccatorum. Si quotieſcumque funditur ſanguis Domini, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.*

Gregorius igitur in turre Creſcentis muro clauſus legatos miſit ad Robertum Apuliæ Ducem, qui tunc fortè claſſe inſtructâ mare tranſire parabat, vt veniret & obſidionem ſolueret. Erat tunc fortè Romæ Abbas Diuionenſis domino Papæ per omnia fideliſſimus quem pro ingenita ſibi bonitate & obedientia debita beato Petro dulciſſimo amplectebatur affectu, adeo vt concaptiuum ſuum eum vocaret; quia non eum mouebant ſalutis pericula pro iuſtitia ſuſcepta. Hunc ergo ad euocandum Ducem cum quibuſdam Cardinalibus miſit. Qui obedientiam non ſegniter exequutus Principem adduxit, & data vrbi obſidione, patefactóque ingreſſu, Rege fugato, Papa liberatur, & ad Lateranenſe Palatium cum gloria reducitur. At quia Normanorum inſtabilitas vrbe capta & prædæ data multa mala perpetrauerat, nobilium Romanorum filias ſtuprando, & nocentes pariter innocentéſq; pari pœna affligendo, nullumque modum, vti victoribus mos eſt, in rapina, crudelitate, direptione habendo: veritus ne Duce recedente infidelitas Romana exagitata recrudeſceret, & quos antea habuerat quaſi fidos amicos, pateretur infidos; cedendum tempori arbitratus, Salernum ſe contulit. Rex verò hoſte aduentante, fugæ præſidium requirens, ſigillum domini Papæ, quod furto ſubripuerat, ſecum tulit: & Portuenſem, quia olim familiaris Papæ fuerat, ſibi conciliatum ſecum duxit. Witbertus verò & ipſe aufugit. Quamobrem verita Mathildis, ne ſimplices quique aſtutiâ Regis ſpecie ſigilli deciperentur, præuenit malitiam illius, mittens litteras fidelibus in hæc verba. *MATHILDIS Dei gratiâ ſi quid eſt, omnibus fidelibus in Theutonicorum regno commorantibus, ſalutem. Notum vobis facimus quòd Heinricus falſus Rex furto ſubripuit ſigillum domini Papæ Gregorij. Vnde ſi quid audieritis quod diſcordet à noſtra legatione, falſum arbitramini, neque mendacijs eius acquieſcatis. Præterea Epiſcopum Portuenſem ſecum ducit; quoniam olim fuit familiaris domini Papæ. Si igitur aliquid vobiſcum vel contra vos per eum vult operari, eum falſum teſtem nolite dubitare. Nulli vmquam credatis qui aliter quàm nos dicere audebit. Sciatis domnum Papam jam recuperaſſe Sutrium atque Nepe. Barrabas latro, id eſt Heinrici Papa, ipſe quoque aufugit. Valete, & de inſidijs Heinrici cauti eſtote.* *Mathildis Comitiſſæ epiſtola.*

Igitur ſummo Pontifice ab vrbe diſcedente, eius comitatui Abbas Diuionenſis non defuit. Verùm die quadam exercitu vltra quàm ſperauerat ſummo diluculo progreſſo, cùm ipſe cum ſocijs celer ſubſequeretur, calonum turbam offendit, qui extrema hoſtium ſequentes, mira agilitate currendi ignaros doli & fraudis trucidabant. Quorum nequitiam Abbas, vt expertus in talibus, agnoſcens & præcauens, ſocios iter accelerare præmonuit. Verùm illis properè abeuntibus, cùm poſt terga ſubdolè clamaretur ab impiis, non eſſe eam viam quæ præeuntium veſtigia ſequeretur, ſe viam ſcire, & paratos oſtendere ſi expectarentur. Abbate contradicente & dolos eorum manifeſtante, frater qui comitabatur Vvalterius nomine ſubſtitit, & vltra votum omnium viam ab eis quærebat. A quibus mox peremptus, viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Quod & ita contigit. Cùm enim accelerantem præſtolamur, emiſſa lanceola in eum dirigitur. Sed dum tardè ſibi prouidet, & ictum deuitare geſtit, vulnus lethale ſuſcepit. Et dum ex dolore ictus gradum accelerat, Abbatem ſubſequutus, ſuprà pectus eius capite reclinato, vitali ſpiritu deficiente corruit, & deficiens mortuus eſt. Cui illud obfuiſſe credimus, quia partibus Papæ iuſtis & ſanctis auerſabatur, nec corrigi poterat cùm ſæpius obiurgaretur. Parcat ei omnipotens Deus, & tribuat vt vltio præſens & peccatorum veniam, & æternitatis ei pariat manſionem. Illo ergo ruente, non deſtitit malorum improbitas à perſequendo, donec beſtia, quæ ſarcinas ferebat, remanente inueniret quo Romana auaritia cupiditatis ingenitæ frena laxaret, ſicque malitia eorum propter ſarcinas interrupta eſt. Intueamur nunc fluctuantem & æſtuantem animum patris de morte filij, & cogitemus quæ potuit conſolatio dolori illius mederi. Apud exteras gentes poſitus, duobus tantum ſocijs & hoc tertio fultus quid putamus cordi eius acceſſerit? qui cogitationum fluctus, qui perturbationum impetus, qui dolorum gemitus, quæ ſuſpiria, quæ mentis anxietas: cùm perderet ſocium ſocius, filium pater, magiſter diſcipulum, & non ſolùm inſalutatum dimitteret,

quinetiam ruentem, deficientem, morientem reſpicere non auderet, nec humanitati officia pia perſoluere? O qui patres eſtis, qui affectum filiorum corde tenetis, attendite & videte quis patris huius dolor extiterit, qui filium dum putat viuum & vegetum, innocenter ante ſe videt mactatum, in morte filij pater paſſus eſt. Qui habet amicum cariſſimum, & eum cogitat moriturum, ſcit quid pater paſſus ſit, licet maiora paſſus ſit quàm aliquis amicus de amico excogitare poſſit. Multum enim diſtat inter id quod ſomniamus, & quæ oculis præſentialiter videmus, ſic permaxima eſt differentia inter cogitatum & actum. Venit ergo tandem Abbas ad ſocios, & oſculato pede Papæ, cùm vultus mentem indicaret, dolorem cordis aperuit. Papa verò directis militibus cum armorum apparatu, auctores tanti ſceleris perſequi, & corpus exanimati fratris ad ſe præcepit deportari. Quod inuentum eſt omni veſte ſpoliatum, & in ſuo ſanguine volutatum, ſicque à quodam Clerico de ſociis in Papæ præſentia perlatum. Qui benigno vt erat animo compatiens, pluuiali ſuo quo indutus erat, corpus fratris operiens, & abſolutionem ei faciens, Miſſam pro defuncto cecinit, & ſic terræ quod ſuum erat reſtituit, multum conſolatus Abbatem, vt voluntati Dei ſui concordaret, iudicia eius eſſe occulta, numquam tamen iniuſta. Confortatus eſt autem ſpiritus illius in Domino, & cùm omnia perdidiſſet, non ad iracundiam prouocatus eſt, neque ſtultum quid contra Deum loquutus eſt. Cogitabat verò Papa mitiſſimus eum penes ſe retinere diebus vitæ ſuæ, ſed quia idem anxiabatur iam per annum integrum commiſſos ſibi fratres & filios ſe non vidiſſe, licet doleret illos non vt decreuerat eum à ſe dimiſiſſe: videns animum eius in hoc eſſe vt fratres viſitaret, dimiſit eum, impoſita ei legatione Colimbriæ, dans litteras ad Siſenandum principem præfatæ Prouinciæ, vt ei tanquam alteri ſibi crederet. Miſit etiam per eum, & per Petrum Igneum, & per Principem Salernitanum Giſulfum nomine, quos Cluniacum mittebat, litteras omnibus fidelibus, in quibus & calamitatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cauſam, & cur tanta paſſus ſit, quamobrem ad hęc patienda adductus ſit, breuiter dilucidauit, & vt ſui miſererentur ammonuit in hæc verba.

Gregorius omnibus fidelibus.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus in Chriſto fidelibus Apoſtolicam Sedem reuera diligentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Peruenit, fratres cariſſimi, peruenit vt æſtimamus, ad notitiam veſtram, quia noſtro tempore innouatum eſt quod in Pſalm. inquirendo dicitur. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Principes enim gentium, & Principes Sacerdotum cum magna multitudine conuenerunt in vnum aduerſus Chriſtum omnipotentis Dei filium, & aduerſus Apoſtolum eius Petrum, vt Chriſtianam Religionem extinguerent, & hæreticam prauitatem propagarent. Sed Deo miſerante illos, qui confidunt in Domino, nullo terrore, nullaque credulitate, vel mundanæ gloriæ promiſſione ad ſuam potuerunt deflectere impietatem. Pro nulla quippe alia qualibet ratione contra nos iniquè conſpirantes manus erexerunt, niſi quia periculum ſanctæ Eccleſiæ noluimus ſilentio præterire, & his qui eandem ſponſam Dei non erubeſcunt in ſeruitutem redigere. In omnibus enim terris licet etiam pauperculis mulierculis ſuæ patriæ lege, ſuaque voluntate virum accipere legitimè, ſanctæ verò Eccleſiæ, quæ eſt ſponſa Dei & mater noſtra, non licet ſecundùm impiorum votum & deteſtabilem conſuetudinem, diuina lege propriáque voluntate ſuo ſponſo legaliter in terris adhærere. Non enim pati debemus vt filij ſanctæ Eccleſiæ hæreticis, adulteris, & inuaſoribus, quaſi patribus ſubiiciantur, atque ab eis velut adulterina infamia notentur. Hinc multa mala, diuerſa pericula, & inaudita crudelitatis ſcelera qualiter ſint exerta, à noſtris legatis luce clariùs veraque relatione poteſtis addiſcere, & ſi reuera doletis & contriſtamini de ruina Chriſtianæ Religionis & confuſione, eique vultis manum præbere adiutorij, intrinſecus certo tacti dolore, ab eiſdem inſtrui ſatis poteſtis. Sunt enim beato Petro fideliſſimi, & inter primos domus eius vnuſquiſque in ſuo ordine adnumerati, qui nullo terrore, nullaque temporalium rerum promiſſione potuerunt in aliquo ab eius fidelitate & defenſione auelli, & à gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ ſeparari. Sed quia, ſicut nouit veſtra fraternitas licèt indigno & peccatori diuinitus per Prophetam dicitur, ſuper montem excelſum & reliqua. Et iterum, Clama, ne ceſſes; velim nolim, omni poſtpoſita verecundia, timore quoque vel alicuius terreno amore, euangelizo, clamo, clamo, & iterum clamo, & adnuncio vobis quia Chriſtiana Religio & vera fides, quam filius Dei de cœlo veniens per patres noſtros nos docuit, in ſecularem verſa prauam conſuetudinem,

hen ! prob dolor ! ad nihilum penè deuenit, & immutato antiquo colore cecidit non ſolùm in diaboli, verumetiam in Iudæorum, Sarracenorum, atque Paganorum deriſionem. Illi enim leges ſuas, licèt hoc tempore ad nullam animarum ſalutem vtiles, nulliſque miraculis ſicut lex noſtra æterni Regis frequenti atteſtatione clarificatas & corroboratas, prout credunt, obſeruant. Nos autem ſeculi inebriati amore, & vana decepti ambitione, omni Religione & honeſtate cupiditatisatque ſuperbiæ poſtpoſitis, exleges & quaſi fatui videmur; quia præſentis vitæ & futuræ ſalutem & honorem ſicut patres noſtri non habemus, nec etiam ſicut oportet ſperamus. Et ſi ſunt aliqui, licèt rariſſimi, qui Deum timeant, pro ſe vtcumque, non pro communi fratrum ſalute decertant prompta voluntate. Qui vel quoti ſunt, qui pro timore vel amore omnipotentis Dei, in quo viuimus, mouemur & ſumus, tantum deſudent, vel vſque ad mortem laborent, quantum ſeculares milites pro dominis ſuis, vel etiam pro amicis & ſubditis? Ecce multa millia hominum ſecularium pro dominis ſuis, cotidie currunt in mortem, pro cæleſti verò Deo & Redemptore noſtro non ſolùm in mortem non currunt, verumetiam quorundam hominum inimicitias ſubire contemnunt. Et ſi ſunt aliqui, imo Deo miſerante ſunt, licet perpauciſſimi, qui in faciem impijs vſque ad mortem reſiſtere pro amore Chriſtianæ legis contendant; non ſolùm à fratribus, vt dignum eſt, non adiuuantur, ſed etiam imprudentes & minus diſcreti vt dementes habentur. Sed quia hæc & his ſimilia ſpecialiter imminent nobis, vt vobis indicemus, quatenus Deo largiente vitia poſſimus à cordibus fratrum auellere, & virtutes in eis plantare: rogamus & obſecramus in Domino IESV, qui nos ſua morte redemit, vt tribulationes & anguſtias quas patimur ab inimicis Chriſtianæ Religionis, cur & qualiter patiamur, diligenter inneſtigando intelligatis. Ex quo enim diſpoſitione diuina mater Eccleſia in throno Apoſtolico me valde indignum & Deo teſte inuitum collocauit, ſummoperè procuraui, vt ſancta Eccleſia ſponſa Dei, domina & mater noſtra, ad proprium rediens decus, libera, caſta, & Catholica permaneret. Sed quia hoſti antiquo hæc omninò diſplicent, armauit contra nos membra ſua, vt omnia in contrarium verteret. Ideò in nos, imò in Apoſtolicam Sedem tanta fecit, quanta facere à tempore Conſtantini Magni Imperatoris nequiuit. Nec valde mirum, quia quantò plus Antichriſti tempus appropinquat, tanto amplius Chriſtianam Religionem extinguere decertat. Nunc autem fratres mei cariſſimi, diligenter quæ vobis dico audite. Omnes qui in toto orbe Chriſtiano cenſentur nomine, & Chriſtianam fidem verè cognoſcunt, ſciunt & credunt beatum Petrum Apoſtolorum principem eſſe omnium Chriſtianorum patrem, & primum poſt Chriſtum paſtorem, ſanctamque Rom. Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram. Si ergo hoc creditis, & indubitanter tenetis, rogo vos & præcipio ego qualiſcumque frater & indignus magiſter veſter, per omnipotentem Deum adiuuate & ſuccurrite prædicto patri veſtro & matri, ſi per eos abſolutionem omnium peccatorum, & benedictionem atque gratiam in hoc ſeculo, & in futuro habere deſideratis. Omnipotens Deus, à quo bona cuncta procedunt, mentem veſtram ſemper illuminet, eamque ſua dilectione ac proximi fœcundet: vt mereamini præfatum patrem veſtrum & matrem certa deuotione debitores vobis facere, & ad eorum ſocietatem, ſine verecundia peruenire, Amen.

Abbas igitur Diuionenſis cum Petro Igneo & Principe Salernitano apud Salernitanam vrbem mare ingreſſi, quia per terram ire propter diſcurſantium hoſtium impetus pertimeſcebant, longa nauigatione pertæſi tandem applicuerunt apud S. Ægidium, vbi diuerſis curarum æſtibus cœpit mens eius anxiari, vtrum ſicut Papa præceperat ire recto tramite Colimbriam, an viſitaret filios quos iam emenſo anno non viderat. Ei itaque fluctuanti prouidit reſpectus pietatis diuinæ, inſpirans cordi illius vt poſtpoſita omni dubietate fratres & filios viſitaret, quod & fecit, nec eum feciſſe pœnituit. Nam niſi hoc feciſſet, fortaſſe rediens à Colimbria vix inueniſſet quos viſitaret. Perdidiſſet etiam tantam frugem filiationis, quantam eo anno ſuſcepit, cuius tanta extitit multiplicatio, vt meritò debeat Diuionenſis Eccleſia annum ipſum meliori numerare lapillo. Venit ergo Diuionem, & quos in diſceſſu ſuo paſſus fuerat infeſtos, inuenit toto ſibi corde ſubſtratos. Inuenit etiam ſciſſam in aliquibus cordibus charitatem, quæ ſanauit prout potuit, & Dominus dedit. Nondum multum temporis fluxerat, cùm audita diſſenſione inter Virdunenſem Epiſcopum & Religioſos quoſdam, qui in eadem vrbe in Cœnobijs ſuburbanis degebant, quibus contrarium erat Witberto, & eis qui Vvitbertiſtis communicabant, ſubeſſe, Bertiniacum ſe contulit, præſtolans & præcauens ſi fortè cum gratia Dei fratres illos poſſet venari, vt ad ſe confugerent, vbi in innocentia & quiete modeſti ſpiritus Deo liberè ſeruire valerent. Verùm de his hæc interim dicta ſint.

Igitur Papa Salernum veniens, ibidem remanſit Deo deuotè ſeruiens, & in tribulationibus quæ increuerant ſuper eum, gratias agens. Confortabatur autem in Domino, & proſperabarur in ſpiritu; quia ſicut omnia aduerſa habet qui ſibi diſplicet, ita & quem non remordet conſcientia, ſimplex, pura, & lucida, nullo bono indiget. Rememorabatur prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum, Gregorij, Leonis, & aliorum qui quanto perfectiores in via Dei fuerunt, tanto à Romanis grauius inſectati ſunt, & ideò digni inuenti ſunt. Simplex oculus corpus reddebat lucidiſſimum. Incedebat ſecurus per iuſtitiæ ſemitas, cui teſtimonium perhibebat conſcientia, quòd pro defenſione veritatis patiebatur, ideò non tribulabatur. Videbat & ſollicitus ſecum retractabat, quia ſi Papa cum Deo eſſe vult, pauper & inops efficietur, qui autem volet eſſe cum ſeculo, vt quærat quæ ſua ſunt, non quæ IESV, à ſimonia manum non cohibeat, iniquitati faueat, non æquitati, congregandis pecuniis inhiet: hic ditabitur opibus, & ſuperabundabit. Ideò pauperiem Chriſti non habentis in corde prauorum vbi caput reclinet, tantò magis appetebat, quantò mammonæ ſutentis & illicientis fallaces & non veras aſpernabatur diuitias. Aſtringebatur enim in vtroque humero velamine ſuperhumeralis, qui contra aduerſa & proſpera virtutum ſemper ornamento muniebatur, & ad ſola quæ anteriora ſunt, nitens, in nullo delectationis infimæ latere flectebatur.

Iam autem tempus adeſt, vt reſolutionis eius ſeries referatur, & quo fine ad Dominũ ſuum, pro quo tanta paſſus eſt, migrauerit, oratio breuis nec tædioſa proſequatur. Re enim vera finis eius laus Domini eſt, quia ſi omnibus in fine canitur, cùm conſummata vita eius tota ſit apud Deum gratiarum actio, ipſa eiuſdẽ conſummatio perennis eſt in laudibus Dei iubilatio. Sciens ergo imminere diem vocationis ſuæ, longè antè conuocatis Cardinalibus Epiſcopis, & ceteris concaptiuis, diem obitus ſui prædixit, conſummatiſque omnibus Eccleſiaſticæ inſtitutionis officiis, xv. Kal. Iunii prædictos fratres ſub diſtricti iudicii interminatione, & ſanctæ obedientiæ præcepto conſtrinxit; vt ſi qua in ſe corrigenda deprehendiſſent, nullatenus tacere præſumerent. Quibus collaudantibus & vitæ conuerſationem, & diſciplinam doctrinæ ſanctæ, morúmque inſtitutionem, & ſecundùm ſcientiam ſancti zeli feruorem; compulit eos Apoſtolica auctoritate ſingillatim ſibi dexteras dare, promittentes quòd hæreticum illum inuaſorem ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ nunquam reciperent: niſi fortè canonicè reſipiſcens puram confeſſionem Cardinalibus Epiſcopis offerret nudatus omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate, conteſtans & affirmans omnes ſimul in perpetùum condemnandos, quicumque communicare præſumpſiſſent Heinrico Archipiratæ vſurpatori Imperii, niſi depoſita dignitate regni ſecundùm pręceptum eorum & reliquorum Religioſorum in Theutonico regno commorantium condignam pœnitentiam ageret. Deinde confirmauit vicem ſuam, poteſtatémque ligandi & ſoluendi omnibus vicariis ſuis, ſicut ipſe per orbem conſtituerat: vt quos ipſe ligauerat, ipſi poſt condignam ſatisfactionem abſoluerent ſecundùm Apoſtolicę fidei normam, non ſicut quidam ſeipſos fallentes, errantes, & alios in errorem trahentes confingunt, quòd omnes excommunicatos indiſcretè abſolueret, ac ſi poſſet viuificare eos qui non viuunt. Deindè quod vanitas ipſa per multa regna diſſiparetur, diuina inſpiratione cognouit & prædixit. Demum abſoluit omnes, qui in fide iſta, quæ per illum innotuit, vſque ad finem perſeuerauerint, ab omnibus peccatis ſuis, & ſic ſpiritum Creatori tradens anno ab Incarnatione Domini MLXXXV. obijt Martyr & Confeſſor. Eodem anno ventus, grando, fulgura, & tonitrua, IV. & III. Kalendas Iulij Galliam attriuerunt.

Obitus Gregorij VII. Papa Salerni.

Dixit Vrbanus Papa in quadam Epiſtola ſua: *Dominus noſter Papa Gregorius beatæ ac dignæ memoriæ cùm apud Salernum graui teneretur infirmitate, vnde ipſe poſtea obiit, conuenerant ad eum Epiſcopi & Cardinales Romani qui ibidem aderant: rogantes eum & poſtulantes, vt quem ſibi vellet ſubrogari ſucceſſorem in Pontificatu eis oſtenderet. At ille ſecum aliquantulum cogitans, hæc illis verba dedit: Quemcumque horum trium, Lucenſem ſcilicet Epiſcopum, Oſtienſem, aut Archiepiſcopum Lugdunenſem habere poteritis, in Pontificem eligite. De excommunicatis autem ſimiliter requiſitus reſpondit. Præter Heinricum Regem dictum, & Rauennatem Archiepiſcopum, niſi fortè ad vos prout vobis videbitur, ad dignam atque canonicam venerint ſatisfactionem, & præter omnes principales perſonas,*

quæ aut conſilio, aut auxilio fauent nequitiæ illorum & impietati, omnes abſoluo & benedico, quicumque me hanc habere poteſtatem ſpiritualem in vice S. Petri Apoſtoli credunt indubitanter.

Poſt Gregorium Deſiderius Caſſinenſis Abbas Ponrificio Romanæ vrbis aſſumpto Victorem ſe nominauit. Cuius qualis fuerit electio, promorio, & conſecratio, domnus Hugo Lugdunenſis ſatis euidenrer expreſſit, ſcribens Comiriſſæ M. in hæc verba. Victor Papa.

HVGO ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ ſeruus dilectiſſimæ in Chriſto ſorori M. diuinæ conſolationis vberrimam gratiam. Quot & quantis ſanctæ Rom. Eccleſiæ litteris, & reuerentiſſimæ memoriæ beati Anſelmi, & veſtris tam legationibus quàm & litteris coactus Romam venerim, quantoque tempore in partibus Italiæ contra officij mei propoſitum moratus ſim, prudentia veſtra doceri non indiget. Electionem verò Caſſinenſis Abbatis antequam ego Romam venerim factam ſufficienter audiſtis, cui tam ego quàm & ceteri fratres mei ſanctæ Rom. Eccleſiæ filij, diligentes magis gloriam hominum quàm Dei, pro temporis infirmitate aſſenſum præbuimus. Poſtquam autem ad montem Caſſinum, quò ipſe jam præceſſerat, Romæ aliquandiu morati ipſius ducatu peruenimus, ex eiuſdem familiaribus nobiſcum colloquijs, dum videlicet nefandiſſimos actus ſuos in auribus Epiſcoporum & Cardinalium tacitè recitare non erubeſceret, copioſiùs neceſſario deprehendimus, quàm intolerabiliter Deum in ipſius electione offenderimus. Quis enim, niſi ex ipſius ore audiſſet, vnquam crèderet, Heinrico dicto Regi fidem eum dediſſe, vt de obtinenda Rom. Imperij corona fideliter eum adiuuaret? Aut cuius accuſatio contra talem virum reciperetur, niſi ipſe quaſi ad cumulum gloriæ ſuæ adſcribendo nobis narraſſet, prædictum Regem ad inuadendas terras beati Petri nunquam, niſi ſuo conſilio & perſuaſione animaretur, Romam tranſiſſe? Numquid non delirans videretur, ſi quis Romanum electum poſt abſolutionem à beatiſſimo Papa Gregorio ſuſceptam, excommunicatum garriret; niſi ipſe Attonem Cardinalem Mediolanenſem electum à prædicto Papa eodem Abbate ſubſcribente publicè excommunicatum, & ſine pœnitentia defunctum, non ſolùm beatum in communi noſtra audientia prædicare præſumeret, verùm etiam ſeipſum non in alia, niſi in qua ipſe eſt, gloria futurum oraret? In quibus omnibus dilectiſſimos fratres noſtros H. & B. Cardinales, quos vobiſcum eſſe putamus, teſtes aduocamus, qui vel ipſi de eius ore audierunt, vel bonis viris, quibus indubitanter credunt, referentibus, ſe audiße dixerunt. Quotiens decreta domini ſui Papæ Gregorij, aliorumque ſanctorum patrum, non ſolùm verbo apertè improbauerit, verumetiam manifeſtis operibus poſtea deſtruxerit, in quot & quibus locis electionem ſuam non ſecundum Deum, ſed tumultuarie factam aſſeuerans, publicè refutauerit, & nunquam ſe acquieuiſſe, vel in perpetuum adquieturum ſub terribili atteſtatione affirmauerit: quaſve perſonas electionem reddendo Eccleſiæ idoneas eligi in Rom. Pontificem dixerit, inter quas quandam vobis ex nomine, Metenſem ſcilicet Her. quorundam conſilio ſcripſi, quoniam vobis magna ex parte manifeſta ſunt, & epiſtolarem modum ſcripta excederent, ex ordine ſcribere omittimus. Nunc verò, cùm iam tandem poſt tantum laborem inaniter inſumptum reſpirare videamur, & electionem totiens refutatam, & Eccleſiæ redditam, diuina gratia, & veſtro fulti conſilio & auxilio, in proximo liberè facere ſperabamus, ſub occaſione eligendi R. Pontificem Concilium in Capua ſicut illarum partium Apoſtolicus Vicarius congregauit. Ad quod ego, & Abbas Maſſilienſis, atque Archiepiſcopus Aquenſis apud Salernum commorantes, ab Epiſcopo Oſtienſi, & Principe Salernitano, & Conciano R. ex parte Vicarij & R. Eccleſiæ inuitati, vt communi conſilio R. Pontificem eligeremus, veniendo obediuimus. Dux etiam quibuſdam circumuentionibus à Iordano Principe muenibiter illectus, illuc venit. Cùm ergo de propoſito negotio tractare diſponeremus, Abbas quibuſdam mollibus & geſtuoſis repulſionibus fautores ſuos Epiſcopos & Principem ad compellendum ſe prouocare cœpit. Comperta autem verſutia ſua, cùm prædicti ad reſtitutionem ſui quaſi inuitum eum compellerent, nos prænominati cum Oſtienſi Epiſcopo & Vuimundo Monacho, & quibuſdam alijs conſilium habuimus, qualiter aſtutiæ illius contrairemus. Poſtquàm ergo ipſe iam paratus erat inſignia Pontificatus reſumere, & electionem etiam in ipſo conuentu multoties refutatam iterum in ſe retorquere, prædictorum conſilio, nos tantam hominis leuitatem & propoſiti ſui mutabilitatem improbantes, in audientia omnium nos nequaquam aſſenſum præbituros diximus; niſi de quibuſdam contra famam ſuam, & tanti ordinis dignitatem, quæ poſt electionem ſuam nobis de eo innotuerant, primùm canonicè examinatio fieret. Quod ipſe indignè ferens, neque ad examinationem venturum, neque electionem vnquam ſuſcepturum ſe publicè affirmauit. Sicque data nobis iterum licentia ab eo quem vellemus eligere, excutiens brachia ſua, cœpit à nobis recedere,

Hugonis Lugd. Ep. ad Mathildem Comitiſſam epiſtola.

cùm Vuitmundus ex conſilio Oſtienſis Epiſcopi publicè exclamauit, infamem perſonam non debere in Rom. Pontificem eligi, vel ordinari, cùm conſtaret eum indubitanter infamiam incurriſſe, quoniam quidem excommunicationem domni Papæ Gregorij per annum integrum & continuum, & eo plus ſine canonica pœnitentia ſuſtinuiſſet. Taliter itaque diſſoluto conuentu, & quia nox imminebat, nobis recedentibus remanſit. Dux cum eo, retento ſecum Oſtienſi cum ceteris R. Epiſcopis & Cardinalibus. Vbi cùm diu rogando Dux inſtitiſſet, vt quendam Alfanum in Salernitanum Epiſcopum conſecraret, ſed Oſtienſi contradicente Abbas voluntatem Ducis implere non auderet, quoniam de manifeſtiſſima ambitione Alfanus conuictus fuerat, Dux grauiter indignatus receſsit ab eis. Abbas igitur gratia deſtitutus, quoniam ſine eo ad Rom. Pontificatum aſpirare deſperabat, profunda iam nocte cunctis dormientibus legationem ad Ducem miſit, ſicque Duce ad Abbatem redeunte, & Abbas gratiam apud Ducem vt Papa fieret, & Dux quod quærebat obtinuit apud Abbatem, vt Alfanus conſecraretur ſequenti die, videlicet Dominica in Palmis, ex præcepto Abbatis id ſe cunctis facere reſpondentibus. Eadem itaque die cum poſt prandium Abbas, Dux, & Princeps, vterque à ſomno meridiano ſurrexiſſent, ſole declinante ad inferiora, ſed vino obtinente ſuperiora, heu! proh dolor! Abbas pro mercede nefandiſſimæ conſecrationis, fultus auctoritate Ducis, pluuialem ſibi ipſe impoſuit, Oſtienſi & nobis inconſultis, & prorſus ignorantibus. His ita geſtis, cùm Oſtienſis Epiſcopus nobiſcum benè per omnia concurriſſet, vt vidit quòd Abbas per potentiam Principis Iordani ad conſecrandum ſe Romam ire intendebat, timens fortè ne ſui dignitate priuaretur, ſi ab alio prima manus conſecratio ei imponeretur, conuerſus eſt in die belli; & immemor factus propoſiti, & factæ nobis ſponſionis, quod dicere pudet, cum Abbate pacem faciens, reuerentiam ei per omnia ſicut Papæ perſoluit. Qualiter autem, vel quomodo Romam ire diſponat, quoniam præſentium lator, & peregrini, quidquid poſtquam à nobis receſſerunt per Capuam tranſeuntes de huiuſmodi apparatu fieri viderunt, vel alijs referentibus didicerunt, pleniùs vobis referre poterunt, inutile iudicauimus ſcribere.

Hic igitur conſecratus ab Oſtienſi Epiſcopo, cùm Miſſas apud S. Petrum diceret, infra actionem iudicio Dei percuſſus eſt. Et quamuis tardè, cognoſcens ſe errasse, ſeipſe depoſuit, & accitis fratribus de monte Caſſino, qui ſecum aderant, præcepit ſe illo deferri, & in Capitulo non vt Papam, ſed vt Abbatem ſepeliri.

His ergo ita digeſtis, quia iam ad id locorum deuenimus, vt de peregrinatione noſtra nobis agendum ſit, oremus Deum vt cordi noſtro ſcientiam verbi infundat, ſapientiæ gratiam largiatur, vt verum dicentes non laboremus. Annus erat ab Incarnatione Domini M. LXXXV. & efferatus impetus Theoderici Virdunenſis Epiſcopi pro defendenda & attollenda parte Witberti Rauennatis hæretici nullo iuſtitiæ moderamine reprimebatur, quominus illum ſanctum, iuſtum & Catholicum Pontificem Romanum annunciaret, & annunciandum præciperet: adeò vt ſolennes pro eo in Eccleſia orationes diceret, ſub eo ordinationes faceret, & quidquid iuris ſancto Papæ debetur, huic contra ius & fas ab omnibus exſolueretur. Non potuit hoc diutiùs pati Abbatis Rodulfi ſimplicitas, maximè cùm in eum omnium præcipuè deſæuirent omnia, quaſi dolentium quòd ſolus ab eis diſſentiret, qui vnus illorum & inter primos eſſe deberet, & nunc ad illorum contumeliam nouas leges, nouas inſtitutiones contra Principem regni & ſacerdotes proponeret. Et quia tectum odium ad apertas iam inimicitias procedebat, cedendum tempori ratus Flauiniacum ſe contulit, quæ eſt villa ditioni Eccleſiæ S. Vitoni ſubdita, in territorio Tullenſi ſita: vt aliquantulum ſemotus à ciuitate, expectaret ſi quis daretur locus remedij, vt illis aliquantiſper ſedatis ipſe ad fratres poſſet regredi. ſed incaſſum res agebatur. Tractauerat autem de his nuper cum Abbate Diuionenſi, & conſilij illius hæc fuit determinatio, vaniſſimum eſſe, ſi cum fratribus, vt diſpoſuerat, peregrinari vellet, cùm aperta eſſet via periculi, ſi fratres iuuenes & moderni, qui hactenus ſub arta cuſtodia Deo in Monaſterio ſeruierant, ſeculo exponerentur. id melius fore, vt pater ſimul cum filiis, quia in ſuo eſſe quieti nequibant, aliquem locum religione nominatum expeterent, in quo Deo cum gratia & quiete ſeruirent, donec decurſo nubilo erroris eiuſdem ad ſua redire poſſent. Adjecit etiam prædictus Abbas ſe præſto eſſe qui hæc illis non negaret, qui non ſua eis daret, ſed quæ illorum erant eis cum gaudio aſſignaret, quia bona Eccleſiæ omnibus filiis Eccleſiæ ſunt communia. Di-

uionenſem Eccleſiam bonis omnibus aſſignatam, quæ in ea eſſent bona temporalia Religioſis omnibus non defutura. Aderat & tunc ipſe in proximo apud Bertiniacum ſcilicet fundum ipſius Diuionenſis Eccleſiæ in eodem Tullenſi territorio ſitum, paratus fidem facere promiſſis, longa mora præſtolans ſi veniret, & crebris nunciis admonens vt veniret. quod & ita factum eſt. Videns enim Abbas R. omnem reuerſionis ſibi intercludi aditum, malis vndique multiplicatis, venit ad eum ad prædictam villam Bertiniacum, ipſa vigilia Annunciationis Dominicæ, & Feſtum ipſum nocte eadem ibidem celebrauimus. In craſtino Lingonas venimus, & ſic die tertia Diuionem peracceſſimus, vbi honorifice & caritate ſuſcepti congregarioni Monaſterij ſociati ſumus.

Delectat nos hîc paulisper immorari meditationi memoriæ mirabilium Domini, quæ fecit nobiſcum Dominus Deus, qui operatur magna in pauperes ſuos. Vt confiteatur ei tota ſubſtantia noſtra, quia fecit nobiſcum non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum beneficia ſua. Iuuat ergo memorari dulcedinis miſericordiæ eius, quoniam bonus eſt, quoniam dulcis eſt, cuius gratia gratuita eſt, cuius pietas incomparabilis, miſericordia inedicibilis, qua ſaluat eos etiam qui ſalutem qua ſaluari debeant, refugiunt, quos tua Domine gratia ad ſalutem trahit etiam inuitos. Tuum eſt Domine regnum, tua virtus, tua potentia: tibi ſoli cum patre & Spiritu Sancto honor debetur & gloria, laus, iubilatio, & perennis gratiarum actio. Tu me domine huius tui muneris participem feciſti, tu me refugum, & aliena magis quærentem, & ſub ſpecie diſcendi ſeculo adhærere volentem per ſeruum tuum Abbatem Rodulphum à vanitate ſeculi ſubripuiſti, & peregrinationis huius comitem conſtituiſti: multiplicans gratiam tuam in me, vt non me tæderet adoleſcentulum notos, affines, patriam, & nidum quo coalueram relinquere: imò gauderem, & gratias agerem, quidquid tuæ paternitati de me libuiſſet & corpus & animam totamque noſtri ſubſtantiam tibi gaudens deuouerem, & in tuo ſeruitio quidquid virium eſſet iuuenilis corporis expendere præoptarem. Addidiſti inſuper infimo mihi & immerito gratiam & beneuolentiam ſerui tui Abbatis Diuionenſis, qua mox vt me vidit & agnouit, totum in ſe, te volente, te fauente, transfudit ſperans, & credens, vt reor, aliquid boni à te manaturum in nobis. Et vtinam quod ſperauit, quod credidit, quod quæſiuit & quærit à te de nobis, fiat per gratiam tuam in nobis, vt gaudeat de profectu noſtro, quem voluiſti vt nos diligeret pro amore tuo. Quid enim erat in nobis, quod tantus vir tanto caritatis affectu diligeret, niſi tua, Domine gratia quam ſperabat, expectabat à te in nobis? Fiat, domine, per gratiam tuam fructuoſus deuotionis eius affectus in nobis, vt lætetur dulcis eius anima ſuper benignitate tua, quæ nos eius meritis, tua cooperante gratia confortare & regere dignetur, vt in illo, & in vobis miſericordia tua prædicetur & honorificetur. Nolo enim beneficijs tuis ingratus eſſe, nolo patris huius beneficia, quæ abs te ſunt, tam longè proijcere, vt extra conſpectum ſint. Volo vt frequens illa cogitatio exerceat & renouet, vt numquam memoriæ ſubducantur, quæ nihil perdit, niſi ad quod non ſæpè reſpexerit. In prima parte animi ponantur, vt ſemper occurrant. Delegi ergo propenſiori affectu & feruentiori ſtudio ſeruire tibi, quia videbam redundantem in me miſericordiam tuam ad delendam iniquitatem meam, & confortandam humilitatem meam. In omnibus tibi gratias agit exilis & infima humilitas noſtra, quia me à conſortio malignantium eripuiſti, & à tribulationibus quę increuerunt ſuper ſeruos tuos fratres noſtros, poſtquam à nobis diſceſſum eſt, gratuita pietate laboraſti. Capti enim cum exprobratione & improperio conſpectui Virdunenſis illius beſtiæ præſentati ſunt, quò totus Senatus vrbis conuenerat, & quaſi de fide agendo, quem Papam haberent, quem Regem venerarentur, inquiſitum eſt. Quibus ſilentibus, ad inaudita mox perrectum eſt. Textus Euangelij in medio poſitus eſt, indè data ſententia vt à maximo vſque ad minimum omnes iurarent Vvitbertum cognomento Clementem Papam eſſe iuſtum & Catholicum, Heinricum Imperatorem à Deo electum & coronatum, quod qui non feciſſet, cum dedecore & ignominia veſtibus nudatus ab vrbe pelleretur, factum eſt hoc vt probari manifeſti fierent. Nouerat pietas tua, Domine Deus, ſeruum tuum illum Rufum, latentem inter lapides margaritam Dei, qui ſpoliatus, cæſus, fuſtigatus, quia iurare noluit, per medium vrbis fugatus, ignominiam

crucis tuæ, Chriſte, in corpore portare non erubuit: nudus ergo in ſola ſtaminia per VIII. fugatus miliaria, cùm à quibuſdam ſeruis Dei aliquantula veſte donatus eſſet, tandem venit Diuionem, & cum gaudio ſuſceptus, & de labore refocillatus eſt. Multiplicabatur interim numerus fratrum aduenientium, & vt concordia & pacis vnanimitas inter vtraſque turmas artiùs ſeruaretur, de promittenda ſtabilitate monebantur. Quod verbum ideò illis erat grauiſſimum, quia quaſi abhorrebat à recto, eo quòd nec primam fidem infringere, nec ſecundam profeſſionem facere ſe poſſe, ſalua primâ quam fecerant, ſanum eis videbatur. Timebant enim primum votum primam profeſſionem violare, & ideò de ſecunda facienda nefas putabant vel ſermonem audire, cùm id eis omninò intolerabile videretur, Monaſterium in quo ſtabilitatem Deo vouerant, deſerere ad horam: quod omninò abnegarent, ſi ſecundam ſtabilitatem in aliena Eccleſia firmarent. Quæſierat ſuper hac re conſilium Abbas R. à quampluribus, & Lanfrancus Cantuariorum Archiepiſcopus tale ei reſponſum reddiderat, ſcribens ad eum in hæc verba. *L. Cantuariæ Archiepiſcopus R. Abbati ſalutem. Indicatum eſt mihi, quia de tuo Monaſterio recedere vis, de promiſſa ſtabilitate ſollicitus es, ne vnde Deum placare debes, inde offendas. De quo rationem talem oſtendo, & in oſtendendo me in exemplum ſic do. Si ego L. manu propria me de aliquo monaſterio non receſſurum iuraſſem, viderem autem quòd ibi animam meam ſaluare non poſſem, exirem, nec periurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non ſoluitur ab ipſo niſi contra ipſum ſoluatur. Porro ab ipſo contra ipſum non ſoluitur, qui propter amorem eius, & vt ei benè placeat, à filiis diſcordiæ, ſuperbiæ, diffidentiæ, & vt apertiùs dicam, filiis diaboli migrat ad filios pacis, ſpei, humilitatis, immò filios Dei. Qui enim ſic tranſit, nonne fugit à ſede diaboli ad ſedem Dei? Quis autem iudicet illum damnandum, qui vt ad patrem, vt ad dominum & amicum, fugit ad ipſum? Præterea qui ſic tranſit, non ab Eccleſia ad Eccleſiam tranſit. Non ſunt plures Eccleſiæ, ſed vna eſt toto orbe diffuſa, & vni Deo vbique ſeruitur, vni Regi militatur. Poſtremò S. Benedictus, qui ſtabilitatem præcipit firmare, Monachum ab illo Monaſterio ad aliud venientem ſuſcipi iubet; & ſi bona vitæ fuerit, vt ſtabilitatem firmet ſuaderi.*

Lanfranci Cantuarienſis Archiep. epiſtola.

His & aliis quamplurибus probabilibus argumentis & rationibus muniti, præcepto patris ſui obtemperantes quidam ſtabilitatem Eccleſiæ Diuionenſi in præſentia patris Monaſterii profeſſi ſunt, & obedientiam: quidam autem dubitauerunt, & adquieſcere vt profiterentur, noluerunt. Ego eram, IESV bone, de dubitantibus vnus, cum tua pietas per ſeruum tuum Abbatem noſtrum mihi iam præcepiſſet, vt fideli tuo, cui complacuerat ſibi in me anima eius, cotidiana adhærerem inſtantia: quanquam & hoc ipſe timerem, quia viri modeſtiam, pietatem, & dulcedinem noueram: cuius licèt noſſem ſanctitatem, reuerebar. Et tamen adhærebam ei de longe, & benignitatem eius multopere ſitiebam, quia bonis coeſſe & cohabitare deſiderabam quod totum abs te erat, Domine IESV. Venabatur ille diſcretione præcipua, vt peritus auceps animam meam muneribus quibuſdam, & affectione multimoda, quæ tamen Religionis propoſitum non excederent, attrahendo & quaſi inlaqueando deuotionem meam, quæ aliquanta erat erga illum: ſed rurſus timebam hominem quem non noueram, quamquam iam ei pectus noſtrum aperuiſſem, & omnia animæ ſecreta retexiſſem. Quid erat Domine IESV, in corde illius fidelis tui? quid erat, cùm me ita dimitteret voluntati propriæ, vt etiam publicè prohiberet, quidquid facerem, quidquid dicerem, ne quis obiurgaret, ne quis ſaltim in capitolio reclamaret? Quid erat, cùm cotidie quaſi pedibus eius procumbens, cùm iam quaſi venatus eſſem, orarem vt me reprehenderet & edoceret, & ipſe me quaſi repelleret, & optionem daret, vt quicquid vellem facerem? Et iam profeſſionem feceram, ad quam faciendam tali ratione ductus ſum, caſu de clauſtro veniebam, cùm ipſe ſederet in conſiſtorio ſuo, & videns me de profeſſione monere cœpit. Ego audito quod nolebam, erubui, & gradum repreſſi: cùm ecce columnæ ligneæ appropians, colubrum offendi ſpira ſua inrotatum. Cui, cùm neſciens quid eſſet, quia nihil tale verebar, pedem protendiſſem, vt quid eſſet agnoſcerem, collo protenſo hianti ore morſum minatus eſt. Cùm clamaſſem, & gradum retrò tuliſſem, iuſſu eius prior adueniens, pede capite colubri conquaſſato, mortuum proiecit, clamante eodem viro beato, & dicente; occide, ſic moriatur ſerpens qui inſidiatur ſaluti fratris

fratris HVGONIS: me quoque in corde aſſentiente, & dicente, ſic fiat, Amen. Statim, IESV bone, vt hoc in corde meo deliberatum eſt & aſſenſum, dulcedo tua in me piè conualuit, & ſenſi amorem tuum quaſi extinxiſſe in me omnia venena ſerpentis, quæ me ab implenda obedientia profeſſionis implendæ impediebant. Quid mora? die eodem ſentiens vir præfatus cor noſtrum immutatum, te vt credo inſpirante ſolum me aggreſſus eſt, & cùm multa de ſimplicitate & modeſtia Abbatis noſtri peroraſſet, quædam etiam de irreuerentia noſtra & pertinacia, qua obedire patri ſpirituali refugiebamus, repleuiſſet; deducta in medium auctoritate Regulæ, quæ præcipit obediendum patri, etiamſi ipſe, quod abſit, aliter agat, nec eſſe diſcutiendum de obedientia: vicit me, fateor, auctoritas viri, & vis verborum ratione & auctoritate ſubnixa, illud etiam quia te præſtante veritati repugnare nolebam. In omnibus tibi, bone IESV gratias ago, quia protexiſti me; quia ſub vmbra alarum tuarum fouiſti me, & gratiâ ſeruorum tuorum fidelium donaſti me. Itaque eo deducente Abbati noſtro de pertinacia ſatisfeci, & in craſtino præceptis eorum obediui. Per omnia benedictum nomen gloriæ tuæ, qui diſponis omnia in tranquillitate. Precor, Domine IESV, non me ſecernas à numero & conſortio ſeruorum tuorum; qui dereliquerunt gloriam mundi cum ſuis oblectationibus; quia & ego, cùm tu inſpiraſſes cordi meo, ſeculum & quæ eius ſunt voluntate promptiſſima poſtpoſui & poſtpono, animam & corpus meum tibi Domino Deo, teſte & mediatrice beata Maria, deuoui, & voueo, & in tuo ſeruitio emori præopto, quia tibi ſeruire regnare eſt. Mortifica in me, Domine, quicquid illud eſt, quod neque cibis, neque ſacrificijs aptum eſt, & da patri noſtro ſeruo tuo Abbati Diuionenſi videre quæ optat de nobis; vt lauderis in ipſo & in nobis, qui es potens, glorioſus, admirabilis, & benedictus in operibus tuis.

Igitur his qui reſidui erant ad obediendum inclinatis, cùm in pace & modeſtia quieti Spiritus Deo ab omnibus ſeruiretur, ecce repente de obitu Papæ Gregorij VII. nuncio veniente, fratrum præcipuè corda turbata ſunt, dolentium deſolationem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quanquam congaudendum illi ſcirent, quem multis tribulationibus probatum ſuo iam Dominus gremio conforeret; pro animæ tamen eius abſolutione & requie conſuetudinarium penſum promptiſſima voluntate perſoluerunt in officijs & celebratione Miſſarum, & largitione eleemoſynarum. Vigebat enim virtus charitatis in patre noſtro Abbate Diuionenſi, quæ tanta erat, vt quamquam eo anno vbique tempeſtatis violentia maturæ ſegetes in ſpicis, & vinum in racemis, omnia proſtrata & prorſus damnata eſſent, nihil tamen minus fieret in Refectorio & eleemoſyna, cùm fratres centenarium ferè excederent numerum, & his, qui de terra fertili & pleniſſima venerant, & nihil minus nouerant quàm penuriam pati, abundantiſſimè in omnibus miniſtraretur, & tua pietas omnia ſupplebat, Domine IESV. Et quidem iuſtè. Habenti enim charitatem dabitur & abundabit. Quæ autem maior potuit eſſe charitas, quàm virum anno integro à Monaſterio ſemotum, inde ad ſua redeuntem omnia inueniſſe confuſa & prorſus adnullata, cùm omnia deeſſent, panis, vinum, ſubſtantia, XL. fratres cum gratiarum actione ſuſcepiſſe; & qui ſuis nullo pacto quibat in neceſſarijs ſufficere, hunc pro his quos non nouerat deducendis ad terras extraneas iſſe, & ſuis eos expenſis ad ſuum locum deduxiſſe? Hæc ſunt tua, IESV, mirabilia, hæc de tuo fonte procedunt. Nouerat ille tuus famulus, te tuis non defore, qui conſueſti cibos in deſerto parare, & de paucis panibus multa millia hominum ſatiare. Hæc etiam et tua omnipotentiâ præuidiſti, qui & neceſſaria ei ſubminiſtraſti, & inſuper tanta in prædijs & fundis Eccleſiæ eidem anno ipſo & deinceps contuliſti, vt duplicatus videretur cenſus Eccleſiæ, & inſuper te donante benedictionem hereditate poſſidebit, qua in modico inuentus eſt fidelis.

Anno igitur ſequenti, perſequutione Henrici Herimannus Mettim exiit, & Sedem Cathedræ eius Vvalo Abbas Sancti Arnulfi illicitè vſurpauit. Actum eſt illic miro Dei indicio, vt cùm ad execrationem eius criſma quæreretur, & allatum eſſet criſma ab Herimanno confectum, Epiſcopus Virdunenſis reprobatum criſma quod ſanctum erat, proijceret, & allato ſuo, quod ipſe contra ius & fas ſacrauerat, inde perficeret Vvalonis ſacrationem, ne benedictionem patris filius impudens mereretur. Vvalo tamen, quia patris cubile aſcendit, publicam pœnitentiam egit. Henricus in loco eius Brunonem quendam

Exepiſcopum creauit, qui poſtea ab vrbe cum dedecore & ignominia pulſus eſt, & ſic Herimannus poſt multa laboris & viæ pericula à ſuis de Langobardia, quo cum Mathilde morabatur, reuocatus, IV. anno egreſſionis ſuæ Mettis recipitur cum omnium affectione, anno ab Incarnatione Domini MLXXXVIIII.

Vrbani II. Papa rea-tio.

Eodem anno Odo Oſtienſis Epiſcopus in Papam conſecratus eſt, & Vrbanus dictus eſt. Nos igitur loquuturi de obitu domni Herimanni, videamus primò reuelationem factam de tranſlatione corporis beati Clementis primi Mettenſis Eccleſiæ Apoſtoli & Epiſcopi, & de obitu eius. Apparuit S. Clemens cuidam puero Hugoni nomine innocentis & ſimplicis vitæ, & oſtendens ei in Eccleſia Sancti Felicis locum ſepulturæ ſuæ, præcepit, vt iret & diceret Herimanno Mettenſi Epiſcopo, vt eleuaret indè oſſa eius. Adjungens etiam quia die tertio poſt factam reuelationem corporis ſui ipſe moreretur. Iniunxit etiam puerulo vt mutaret vitam & ne quid puerile ageret, ſed Monaſticum appetens indumentum, Deo ſeruire ſtuderet. Puer euigilans dominum aduocat, (patre enim & matre orbatus apud eum qui ſororem ſuam habebat, morabatur) & venienti viſionem indicat. Petit vt ducatur ad Epiſcopum. Sed dominus eius timens duxit eum ad Abbatem S. Felicis, cui puer quæ viderat refert. Ille religioſis perſonis omnia per ordinem pandit, indè jam omnes Epiſcopum de tranſlatione ammonent. Puer verò ſollicitus de implenda obedientia, flebat quidem quia non præſentabatur Epiſcopo. Illi verò Gallico laborantes cothurno Abbati S. Felicis imponebant factam reuelationem, quaſi vt maioris eſſet auctoritatis ſilentes de puero. Requiſiuit etiam Monaſticum habitum, ſicut ei injunctum fuerat, & cùm à quibuſdam in Monaſterio S. Clementis iudicaretur poni debere, ſua ipſius voluntate, quia duos fratres in Monaſterio S. Vitoni habuerat, qui iam ſecolo exceſſerant, illuc ductus eſt & ſuſceptus. Det illi Dominus vitam in omni ſanctitate & religione perfectam meritis & intercesſione S. Clementis, vt videat bona Domini in terra viuentium.

Igitur venerabilis Herimannus in vrbe ſua ſuſceptus, in quadrageſima infirmari cœpit, & tamen ab Epiſcopali officio multis infirmitatem eius admirantibus, non deſtitit. Et quia multis jam præcedentibus annis à quibuſdam religioſis perſonis ammonitus fuerat de tranſlatione beati Clementis vrbis Romæ Patricij, poſtea diſcipuli & legati beati Petri, qui ab eodem miſſus primus Mettenſis Eccleſiæ Apoſtolus & Epiſcopus extitit, quibuſdam etiam aſſerentibus per reuelationem ſatis probabilem hoc eſſe reſeruatum à Deo implendum diebus eius. Orationes & ieiunium, vt erat pius, piè ordinauit, & poſt Paſcha tranſlationem diſtulit, & diem determinauit. Abbas autem S. Felicis reuelationem ſibi à puero relatam partim aperuit, partim diſſimulauit. Tacuit enim diem obitus eadem reuelatione determinatum die tertio poſt tranſlationem eiuſdem beati Clementis. In Cœna Domini quanto affectu pœnitentes reconciliauerit, quàm deuotum ſe in conſecrando chriſmate exhibuerit, quis ſatis narrare poſſit; cùm magis Angelus quàm humana perſona filijs Eccleſiæ aſtantibus in ipſo refulſerit? Infirmitas licèt grauis dignitatem vultus & oris conſtantiam mentis in ipſo turbare non potuit. Cùm omnibus prædicaret publicè, non tacebat in Domino Deo ſuo confiſus de vitandis Simoniacorum & Nicolaitarum ſacrificijs, exponens Nicolaum ideò ſecundùm beatum Auguſtinum ab Apoſtolis hæreticum iudicatum, quia in ordine Diaconatus eum quem priùs habuerat vxoris vſum Apoſtolis arguentibus dimittere noluit. In Paſcha celebrato diuino officio, ſe & oues ſibi commiſſas Sacramento corporis & ſanguinis Dei muniuit. Eadem die ad veſperam grauiùs infirmari cœpit. Appropinquante verò die determinato ad transferendas venerabiles reliquias, vires tenues Domino annuente recepit, & in transferendo beato Clemente Kal. Maij cum ſumma Cleri plebiſque deuotione diuina gratia deſiderium eius impleuit, & tota vrbe, immò tota regione ad verbum prædicationis eius aſtante, & de ore eius rore ſupernæ dulcedinis diſtillante, omnibus abſolutis, & ab omnibus quaſi ab ipſo Deo abſolutione petita, tandem in auribus omnium deſiderauit, dicens: *Sufficit mihi, O vtinam reſpiciat Deus, & finiat labores meos, & ſuſcipiat in pace ſpiritum meum per intercesſionem Sancti Clementis, cuius ſacratiſſimum corpus hodie videre, palpare, & transferre magnifico munere nobis de cœlo donatum eſt*; Sub hac voce populus ingemuit, & fracto finémque laborum imploranti condoluit. Duobus diebus intercedentibus quaſi præſagis vicini tranſitus, fidelibus Eccleſiæ fieri

epiſtolas iuſſit, orans & adiuuans per viuentem in ſecula ſeculorum, vt ſine dolo, ſine ſimulatione, tractarent negocium Eccleſiæ in ſimplici & nuda veritate, & omnibus vltimum vale dixit, cum mirabili verborum & vultus affectione. Die tertio circa horam nonam intelligens ſuum tranſitum, imminere conuocari fratres iuſſit, & filios aſtantes ne dolerent voce & manu compeſcuit. A quibus cùm interrogaretur, cui eos deſolatos relinqueret, quid eis præciperet; *Commendo vos*, ait, *Deo: ſtate in fide & doctrina beati Petri, ſicut à ſucceſſoribus eius & vidiſtis & audiſtis.* Mors Herimanni Epiſcopi. Et poſt hæc omnes benedicens, ſigno crucis ſe muniuit, & inuocata ſancta Trinitate, ſanctæ Mariæ ſe commendans, commune patrocinium Sanctorum implorans, oculis & manibus in cœlum eleuatis, ſine vllo ſtrepitu vocis & motu corporis, quaſi obdormiens ſpiritum emiſit. Sequenti nocte apparuit cuidam dilecto ſuo, quem in filium adoptauerat, qui cùm Pſalmi cantarentur, præ triſtitia obdormierat, & ait illi: *Noli mœſtus eſſe, ſaluus ſum.* Iterum apparuit cuidam venerabili viro, & ait: *Mortuum me dicunt, ſed viuo.* Hoc Abbatibus referentibus, & aliis perſonis non leuibus, cognitum eſt. Obiit autem 4. Non. Maij venerabilis Antiſtes Herimannus cruce, mitra, & pallio decoratus, & his ſepultus inſigniis in Eccleſia S. Petri, anno ab incarnatione Domini MXC. Anno præterito Theodoricus Virdunenſis defunctus erat IV. Non. Maij, qui tamen in infirmitate de communione Witberti & de expulſione fratrum pœnitentiam egit, culpam profeſſus eſt: & á quodam fratre Gerardo nomine quondam Canonico & Archidiacono Virdunenſis Eccleſiæ, tunc autem Monacho S. Vitoni, quem R. Abbas pia ſollicitudine pro hoc illò miſerat, præcepto eiuſdem Abbatis, qui poteſtatem abſoluendi eos, qui ab excommunicatis redibant, ab Apoſtolica Sede obtinuerat, abſolutus eſt. Ex tunc Abbas R. cum fratribus ad Cœnobium ſibi commiſſum reuocatus eſt, cùm poſt diſceſſum eius intraſſent in illud lupi rapaces, loco non parcentes, & Deum & hominem non reuerentes, à quibus ita omnia confuſa ſunt & deſtructa, vt memoria confuſionis & peſſundationis illius hodiéque oblitterari non valeat. Quo in facto admirari libet prudentiam & charitatem patris noſtri Abbatis Diuionenſis, qui tales & tantos fratres cùm ſuſcepit, lætatus eſt, cùm remiſit loco, gratulatus eſt. Vtique ſolus temporibus noſtris inuentus eſt, qui fratres quos tempore neceſſitatis retinuerat, pacis tempore dimitteret, nec doleret. Quod enim eos ſuſcepit, & congregationem congregationi ſociauit, ſignum fuit cui contradictum eſt, adeo vt omnes rogarent in bonum monſtra conuerti. Nam & Cluniacenſis Abbas domnus Hugo cùm improbaſſet factum eius dicens impoſſibile fore tres congregationes inuicem eſſe concordes, tale ei dedit conſilium, vt ſi vellet Eccleſiæ ſibi commiſſæ pacem acquirere, eos qui vellent Eccleſiæ Diuionenſi perpetualiter ſtabilitatem firmare retineret, qui verò nollent à ſe omnino dimitteret. Aliter tuta eſſe pax Eccleſiæ non poſſet, cùm illi qui eſſent ſuſcepti vel nutriti in Eccleſia diſſentirent ab illis qui ſuſcipi refugerent, quod Religioni aduerſabatur. Atteſtans ſe id facturum, ſi ſimilis ei neceſſitas incumberet. Hoc ipſe ab eius ore audiui, cùm eſſem cum eodem patre noſtro Cluniaci. Iam enim me ſecum ducebat, vt viderem quæ circa eum erant, & perfectioni operam darem, cùm ipſe humiliter requiſirus à me quare tanto tempore voluntati me propriæ dimiſiſſet, breuiter reſpondit. *Volebam*, inquiens, *ſcire ſi terra tuà ſemen verbi ſuſciperet, ſi ſuſcepto ſemine fructum faceret, ne incaſſum ſementem iactarem, ne labor & impenſa periret.* Quibus eius verbis ex deuotione affectum, ex affectu deuotionem colligens, tibi Chriſte gratias agebam, & vt fructificaret in me gratia tua, vt lætaretur in te de nobis multo affectu orabam, & adhuc in eodem maneo deſiderio, ſupplicans vt adſit nobis dignatio tua, quæ nos dignos faciat propitiatione tua: quatinus operante in nobis miſericordia tua alieni inueniamur ab omni iniquitate; vt lætetur paternus eius affectus de filiatione noſtra. O Deus, & ô beata mater eius, ſuſcipite clamores cordis eius pro nobis, & lætificate animam eius de nobis, vt ſimul inueniamur in ſorte gloriæ filiorum Dei. Ingratus enim patri beneficia danti eſſe nolo, nec remotis arbitris agere gratias. Et licèt in adoleſcentiam collata pereant, quia ipſa numquam retractentur; ego qui beneficium iuueni impenſum gratè accipio, primam eius penſionem ſoluo, quòd gratè ad nos peruenerint effuſis affectibus iudicando, & hoc vbique teſtando. Et ſi referre gratiam non potero, illud certè non deſinam vbique conferri, me referre non poſſe.

Fratres igitur pater noſter & gaudens ſuſcepit, gaudenſque remiſit, quia depoſitum Dei eſſe ſciebat: & ideò in ſeruando illo & remittendo, voluntati Domini ſui libens parebat. Vt enim ait beatus Ambroſius in libro de exceſſu fratris, *nihil intereſt vtrum abiures depoſitum, an doleas reſtitutum.* Non igitur doluit reſtitutum, quia ſciebat Dominum, & voluntati illius contraire nefas putabat. Reuerſus eſt autem ad Cœnobium ſuum cum fratribus ſuis domnus Abbas Rodulfus anno ab Inc. Dom. MXCII. cùm iam Eccleſiæ Virdnnenſi Richerus prælatus eſſet, in Eccleſia S. Stephani Mettenſis Decani functus officio. Mettenſes verò domno Herimanno viduati, elegerunt quendam Clericum Treuirenſem Popponem nomine fratrē Heinrici Comitis Palatini, & abſque regio dono ſola electione præponentes eum Eccleſiæ, de conſecratione tractare cœperunt. Et quia Treuirenſis Epiſcopus Vvibertiſtarum communione contaminatus erat, à domno Lugdunenſi Archiepiſcopo conſecrari eum expetierunt, impoſito negotio hoc ſtrenuitati domni Abbatis Diuionenſis, de cuius induſtria confidebant. Qui nihil cunctatus domnum Lugdunenſem cnm duobus ſuis ſuffraganeis, Matiſconenſe ſcilicet & Lingonenſe per bella & gladios, cùm omnia mortem intentare viderentur, Mettim vſque deduxit, à quo & conſecratus eſt prima hebdomada quadrageſimæ cum gloria, & ſic domnus Lugdunenſis cum ſuis reuerſus eſt ad propria. Sequenti anno Richerius pro conſecratione ſua Lugdunum veniens, cùm Sacramento ſe de ſimonia purgaſſet, in die ſancto Paſchæ conſecratus eſt ab eodem, præſentibus Epiſcopis Matiſconenſi, Cabilonenſi, Auguſtenſi, Tullenſi, cum filijs Virdunenſis Eccleſiæ, & litteris domni Mettenſis de eius electione concinentibus.

Anno ab Incarnatione Domini MXCIV. Concilium habitum eſt apud Eduam XXXII. Epiſcoporum à domno Hugone Lugdunenſi, cui etiam interfuerunt Abbates quamplurimi & viri religioſi.

** ſ. Luna*

Anno ab Incarnatione Domini MXCV. feria IV. vel * XXV. II. Non. Aprilis, à noctis medio vſque ad auroram ſtellæ de cœlo cadere viſæ ſunt, & eadem nocte Giraldus Abbas Siluæ maioris migrauit ad Dominum. Eo quoque die domnus Lugdunenſis Archiepiſcopus iter arripuit ad S. Iacobum, honeſto Clericorum & Laicorum comitatu decoratus, & apud Anicium tribus diebus remoratus, cum maxima difficultate ab eiſdem auulſus eſt, cùm conueniſſent ibi quamplures Religioſi ad retinendum eum. Venit autem ad S. Iacobum imminente vigilia diei ſancti Pentecoſtes, & in die ſancto Miſſarum ſolemnia ad altare ſancti publica celebrauit, aſtante Epiſcopo & Clero populóque infinito. In craſtinum acceptâ à ſancto licentiâ, deſtinauit ad ſua redire, & venit Lugdunum die III. ante natiuitatem S. Ioannis Baptiſtæ, vbi cum fauore, & laude, & gaudio omnium ſuſceptus, nuncios habuit Papæ vrbis de Apulia venientis, & ad Galliam feſtinantis.

Concilium Claromontenſe.

Hic habuit Concilium apud Clarummontem, cui præerat Durannos Epiſcopus, cuius dejectionem cùm meditata eſſet Cluniacenſiom deuotio, Chriſtus eum exaltauit, & quòd ei placuerit, modo mirabili manifeſtauit. Cùm enim ſuſcepiſſet legationem, vt Papam hoſpicio reciperet, & neceſſaria ſubminiſtraret, & ipſe ad hoc cum graria accingeretur, grauiter infirmari cœpit quibuſdam eam ipſius infirmitatem malè interpretantibus, cuius meritum Chriſtus proximè populis erat oſtenſurus. Inſidiabantur autem ei quidam fratrum Cluniacenſium, pro eo quod Moyſiacenſe Cœnobium, quod erat iuris Eccleſiæ Aruernenſis, quod etiam pro reſtauratione Ordinis Clnniaci contulerat, ſalua obedientia & reuerentia Eccleſiæ Aruernenſis in ſubiectione ſua habere vellet, & ob id eum apud Papā accuſauerant, & depoſitionem eius attemptabant. Adueniente igitur Papa, viſitatus ab eo, & abſolutus, cùm iam extremum ſpiritum traheret, nocte ſequenti ſpiritum creatori reddidit, lotus, & curatus ſumma filiorum, id eſt Abbatis Diuionenſis, Abbatis Caſæ Dei, Epiſcopi Gratianopolitani, & aliorum diligentiâ. Et ſic antequam Concilium inciperetur, toto orbe ad eius exequias occurrente, ab ipſo Papa & Epiſcopis terræ eſt mandatum cum gloria, & ſedem eius Vvillelmus de Baſia adeptus eſt laude Cleri & populi, præcepto eiuſdem Apoſtolici. Obijt quoque intra ſpacium temporis eiuſdem Concilij Deſiderius Cauellicenſis Epiſcopus, & Abbas Gemeticenſis Cœnobij. Anno ipſo confirmata eſt via Chriſtianorum euntium cum armis in Hieruſalem. Obijt etiam anno eodem Rainaldus Remenſis Archiepiſcopus, Hildebertus Bituricenſis Archiepiſcopus, Landricus Matiſconenſis. Iu-

Guillelmus de Baſia Ep. Aruernenſis

Hildebertus Archiep. obijt.

dæorum quoque exterminium ipſo anno multis in locis factum eſt à viris Hieroſolymitanis. Quod certè mirum videri poteſt, quòd vna die pluribus in locis vno ſpiritus feruore exterminatio illa facta eſt, quanquam à multis improbetur factum, & Religioni aduerſari iudicetur. Scimus tamen, quia non potuit immutari quin fieret, cùm multi Sacerdotes data excommunicationis ſententiâ, multi Principes terrore comminationis id perturbare conati ſint.

Tunc temporis pro componenda inter fratres Vvillelmi Regis filios concordiâ, Vvillelmum videlicet Regem Anglorum, & Robertum Comitem Normannorum, Abbas Diuionenſis ex præcepto Papæ mare tranſierat, & vt præſcriptum Regem ammoneret de multis, quæ illicitè fiebant ab eo, de Epiſcopatibus videlicet & Abbatijs quas ſibi retinebat, nec eis paſtores prouidebat, & reditus prouentuſque omnium ſibi aſſumebat, de ſimonia, de fornicatione Clericorum; & quia conuentionem fecerat cum eo Albanenſis Epiſcopus, quem primum illò miſerat Papa, ne legatus Romanus ad Angliam mitteretur, niſi quem Rex præciperet, & quia adeò auctoritas Romana apud Anglos auaritiâ & cupiditate Legatorum viluerat, vt eodem Albanenſe præſente & conſentiente, nec contradicente, immò præcipiente, Cantuarienſis Archiepiſcopus fidelitatem beato Petro & Papæ iurauerat, ſalua fidelitate Domini ſui Regis. Quæ res intantum adoleuerat, vt nullus ex parte Papæ veniens honore debito exciperetur, nullus eſſet in Anglia Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, nedum Monachus aut Clericus, qui litteras Apoſtolicas ſuſcipere auderet, nedum obedire, niſi Rex iuberet. Qui veniens tanta libertate vſus eſt Rex integritate eius inſpecta, vt inadulata mentis conſtantia, ſe conſiliis & votis eius adquieturum promitteret, vt omnes fideles gratularentur eum aduenisse, ad cuius aduentum quaſi reſpiraret & reſurgeret decus & vigor Eccleſiæ Anglicæ, & libertas Romanæ auctoritatis. Sed quid imperturbatum relinquit inexplebilis gurges Humanæ auaritiæ? Rex ſuſpectam habens viri auctoritatem, quem iam diu venturum audierat, Legatum Papæ præmiſerat, & in manu eius auri probati & puriſſimi x. marchas. Hoc ſiſus prænuncio reſpondere prædicto Abbati differebat, & interim eum in Paſcha ſecum retentum reuerenter & honorificè tractabat, cùm ecce Legatus rediens inducias Regi de omnibus vſque ad Natiuitatem Domini reportauit, per quendam Papæ nepotulum ſeu vernaculum, ſi debita beato Petro charitas in ſuo diſceſſu maturiùs vt credebat futuro, ei per eundem tantæ auctoritatis Legatum, vt eſt Papæ ſororis filius, & ſi non tota, ſaltim ex parte mitteretur. Quo reſponſo accepto, Rex lætus factus præfato viro Apoſtolicas prætendit inducias; quanquam priuatim & publicè hoc ipſum Papæ improbaret factum, qui tantum virum famâ vbique celebratum, priuilegijs auctoritatis ſuæ munitum ita inhoneſtè tractaſſet, vt legationem eius vnius Laicæ perſonæ, nec litteris Apoſtolicis, nec ſecularis ſcientiæ ſeu dignitatis honore munitæ reſcinderet. Sic re infecta, famâ tamen ſua, integritate, honeſtate, ſapientiâ omnibus oppidò commendata, ab eodem viro receſſum eſt, & tamen pro componenda inter fratres pacis concordia in Normannia ſubſtitit, donec pace facta, x. millium marcharum penſione accepta, terram ſuam Comes Normanniæ Regi Anglorum vſque ad trium annorum ſpacium cuſtodiendam traderet, & ſic Hieroſolymam profectus, ab eodem Abbate vſque ad vicum qui dicitur Pons Arlię, comitatui eius Stephano Comite Franciæ, & Roberto Comite Flandriæ adhærentibus, deductus eſt.

Verùm cùm adhuc in Normannia eſſemus, congregatis ad exequias Matiſconenſis Epiſcopi domno Lugdunenſi Archiepiſcopo, Eduenſi & Cabilonenſi Epiſcopis, electus Archidiaconus Lugdunenſis Berardus conſecratur in Epiſcopum Matiſconenſem. Ibi quoque domnus Eduenſis Epiſcopus Hagano conqueſtus plurimum deſolationem Flauiniacenſis Eccleſię, cùm iam poſt obitum domni RAINALDI fratris Ducis ſeptem annis Eccleſia eadem paſtore viduata manſiſſet, me eo quòd quaſi eſſem notus Archiepiſcopo, quod etiam perſæpè fecerat, requiſiuit ab eo in Abbatem, quod etiam vix obtinuiſſet, niſi Canonicorum & Laicorum ſuffragia ad id expetendum ſibi adhibuiſſet. Obtinuit tamen, & miſſus eſt Cabilonenſis Epiſcopus, qui domnum Diuionenſem Apoſtolica auctoritate vt aſſentiret, me etiam vt obedirem vice ſua conſtringeret, quod & factum eſt vbi rediuimus. Confirmata verò electione, & conſecrationis deter-

minato die, Archiepiſcopum adij; quæ eius ſuper hoc eſſet ſententia requiſiui. Ipſe anxietatem noſtram plurimam conſolatus, ad exequendum quod jubebatur ratione induxit, auctoritate muniuit, & ſic dimiſſum litteris ſuis honeſtauit, quas miſit Eduenſi Epiſcopo in hæc verba. *Venerabili in Chriſto Fratri Haganoni Eduenſi Epiſcopo, Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſeruus ſalutem.*

Epiſtol. Hugonis Archi. Lug. ad Haganonem Ep. Eduenſ.

Quotiens humilitatem noſtram dilectio veſtra adierit, quotiens nos pro reſtauratione Flauiniacenſis Eccleſiæ rogaueris, benignitas veſtra ſatis recolit. Quæſiſtis à nobis multa ſedulitate & inſtantia cariſſimum fratrem noſtrum Diuionenſis Eccleſiæ Monachum HVGONEM, *quem nobis aſſumpſeramus, cuius nos ſedulitati credebamus, immò cuius lingua vox noſtra erat, & quod quæſiſtis ab inuito & nolente quaſi extorſiſtis. Electionem igitur eius à nobis factam Apoſtolica auctoritate confirmantes, conſecrationem ipſius pro debito veſtro vobis imponimus. Certum habentes, quia etſi corpore abſentes ſumus, ſpiritu præſentes ad honorem Dei per Chriſtum in Spiritu Sancto conſecrationi eidem intererimus, & fideles vobis cooperatores erimus. Nunc igitur prædictum fratrem & filium noſtrum, quem tanto ſubicimus oneri, veſtræ ſpecialiter tuitioni contradentes, committimus eum fidei veſtræ. Quem quidem ſemper penes nos volueramus retinere, ſed ceſſimus inſtantiæ veſtræ. Noſtis quo eum teneamus affectu, hoc ipſo vobis eum committimus. Ei autem conſilium & auxilium noſtrum non deerit, qui non ſolùm Flauiniacenſi Eccleſiæ, verùm quotquot ſunt in Diœceſi veſtra pro eius amore parati ſumus pro debito ſubuenire. Ita ergo agite, vt idem frater pro adjutorio & conſolatione ſibi impenſa gratias nobis habeat referre, vt habeatis gratiam ſuper gratiam.*

Hugo huius auctor Hiſtoriæ Abbas Flauiniacenſis.

Anno itaque Domini M. XCVII. Ind. V. anno ætatis XXXII. die X. Kal. Decembris, qui eſt dies feſtus S. Ceciliæ VII. Sabbati Flauiniacum nobis ingreſſis, in craſtinum conſecratione peracta, de profectu Eccleſiæ tractatum eſt, & ſic poſt dies paucos à domno Epiſcopo, & domno Diuionenſe, ceteriſque diſceſſum eſt.

Eodem anno Aymo reddidit III. ſolidos cenſuales de caſtro quod Sacriba dicitur, & de tertis in circuitu caſtri ad ius Eccleſiæ Flauiniacenſis pertinentibus, in feſtiuitate S. Petri in plenaria Curia, quos retinuerat multis retrò annis, & pro retentione culpam fecit, & abſolutus eſt. Actum die feſto Apoſtolorum.

Quidam etiam Folcuinus acceptis à nobis XV. ſolidis, calumniam quam habebat in manſo de Galiaco, quod Vualdinus dederat, vurpiuit præſentibus his ...... conſanguineo ſuo, qui frenum trium ſolidorum pro conceſſione habuit. Pro equabus quas ceperat & abduxerat Vvido Luciniacenſis, C. ſolid. dedi.

Odoni Vicecomiti Rubeimontis, cùm noſter factus eſt, pro quibuſdam compoſitionibus XXX. ſol. ded. Gerardo de Duiſmo XI. ſol. pro quodam noſtro ſeruiente de Galiaco, Artaldo de ſancto Baudelio XX. ſol.

Hagano etiam de Roca noſter factus, vidente Rainaldo auunculo ſuo, calumniam fædi ſui Finium Deo & S. Prejecto, & nobis dimiſit, acceptis à nobis XX. ſol. Actum Flauiniaci.

Hildegarius etiam de Gurziaco noſter factus, quod non fuerat anteceſſorum ſuorum, auxit elemoſynam quam auus ſuus fecerat, dans Eccleſiæ noſtræ Eremburgem filiam Heliardæ filiæ Vvihelelmi, & omnem poſteritatem eorum, acceptis à nobis ſol. LVIII. pro caritate. Actum menſe Febr. VI. feria, VIII. Id. Febr.

Aymo etiam Louels homo noſter omnem alodum ſuum Deo & S. Petro ſanctoque Prejecto tribuens, torturas quas in caſamento noſtro faciebat, vurpiuit, enarratis coram omnibus rectis conſuetudinibus caſamenti, de capite manſi ij. ſextarios auenæ, & iiij. vini in ſaluamento.

Teberto Præpoſito pro quibuſdam placitis XXV. ſol. dedi, & pro compoſitione cerui quem canes ſui mouerant, & homines noſtri ceperant, méque nolente diuiſerant ſol. XXX. Bernardo de Montbar in captione ſua ſol. XXX.

Feci etiam pacem cum Walone Sarmacienſi, & ei noſtro facto C. ſol equum I. canem I. dedi.

In redemptione Eccleſiæ de fontanis XXXV. ſol. dedi. In Caldaria Salinenſi XL. ſol. pro equo.

In redemptione terræ & vinearum, quas prædeceſſor noſter Abbas RAYNALDVS Walterio Froſſardo homini Ducis promiſerat, XXX. ſol. dedi, & terram retinui.

In redemptione fanoni deaureati, & capſæ argenteæ IX. ſol. dedi, & in cappa VII.

Dedit etiam Eccleſiæ noſtræ quidam miles nunc conuerſus Arnulfus de Monaſterio manſum I. apud Pruſiliacum.

Dedit etiam Giſlebertus de Luciniaco manſum j. apud Darciacum pro filio ſuo Pontio nomine, cum omnibus appendicijs, & homines tres cum eorum poſteritate.

Dedit itidem Hugo de Draciaco, manſum vnum cum appendicijs in eadem villa pro filio ſuo. Actum apud Colchas.

Brutinus etiam Dominus caſtri, quod olim Sedunum, nunc Bliſmurus dicitur, reddidit nobis Eccleſiam caſtri eiuſdem cum appendicijs, & cùm omnibus quæ olim poſſederat, vel tunc poſſidebat. Et quia de ſuo proprio quædam ad victum fratrum addidit, xx. ei ſol. pro caritate dedi.

Aymo miles eiuſdem caſtri auunculus ipſius ad conuerſionem in infirmitate veniens, reddidit Deo, & S. Petro, & S. Prejecto, terras & homines quas nobis vi auferebat, & calumniam dimiſit.

In redemptione cappæ & pallij ſol. cx. dedi.

Præfatus etiam Hildegarius Gurziac. quia Bellum locum nobis auferens iniuſtitiam nobis fecerat, multo tempore à nobis excommunicatus, tandem culpam fecit apud Conedam, & abſolutus à nobis eſt. Hominium recognouit & reformauit, & ex toto Cellam eandem vurpiuit. Obſides dedit, quorum hæc ſunt nomina, Hugo frater eius, Rainaldus de Roca, Deodatus, Girardus de Roura, & frater eius Vvaldricus, Gauzfredus de Maziaco, cui ego xx. ſol. dedi. Actum v. Feria Paſchæ XVIII. Kal. Maij Conedæ.

Pontius quoque Grimenſis Comes pro homicidio quod fecerat de Pontio ſeruiente noſtro natalem & neptem eius nobis reddidit, & abſolutus eſt XVI. Kal. Maij. Poſtea eum cepit, & pro redemptione L. ſol. habuit.

Anno ab Incarn. Domini M. XCVIII. obijt Agano Eduenſis Epiſcopus VII. Kal. Iulij, & ſequenti obijt Abbas Rodulfus v. Kal. Aprilis. Regimen Eccleſiæ Eduenſis poſt venerabilem Aganonem Norgaudus ſuſcepit, in eadem Eccleſia Præcentoris functus officio. Hic ſub contentione electus eſt Pro qua tamen electione cùm multoties Eduam iſſem, quia vox noſtra prima eſſe debebat in electione; tandem in Aſcenſione Domini inuitatus, cùm eſſem in exteris partibus, accurrere nequiui. Quendam tamen è noſtris miſi, qui vicem noſtram ſuppleret, & ego poſtmodum exoccupatus, Lugdunum euntem ad conſecrationem ſolus de Abbatibus ſum proſequutus, & hæc faciens furorem animi eius, quem conceperat ex abſentia noſtra, ſedare non potui : cùm etiam in redeundo duobus ei diebus apud Colticas, & toto comitatui eius ſeruierim ſatis ſupérque. Hic Flauiniacum veniens honeſtè à nobis ſuſceptus eſt, & in eadem nocte Dominicæ diei, cùm ei honeſtè ſeruiſſem in treua Dei, bannos & ſcarritiones mercati homines eius fregerunt & tulerunt, quia erant ante domum Epiſcopalem: & terra ipſa, antequam domus ibi fuiſſet, cenſita erat hominibus pro mercato eorum, & requiſiti ab hominibus, quorum iuris erant, redditi non fuerunt, & cùm redditi non eſſent, interim emit quidam homo eorum carnem bouis ad opus Epiſcopi. Cùm homines noſtri pro reuerentia Epiſcopi alibi eum vellent occidere, ille coëgit eos ante præfatam domum mactare, noſtrique parati ſunt affirmare quòd defenſionem eis & tuitionem promiſerit. Occiſo boue homines noſtri iuſſu noſtro pro honore Epiſcopi alibi eum traxerunt. Videntes homines, quorum erat terra cenſita, quia ego eis primus, qui defendere debebam, de conſuetudine & vſu eorum deficiebam, ipſimet in terra cenſuali ſua ſcarritiones firmauerunt, & carnes repoſuerunt. Propter baculos qui allati ſunt, & quia congregati ſunt homines ad tuendum vſum cenſualitatis ſuæ, malum fuit Epiſcopo, & dixit ſe aſſallitum, tamen hominem non percuſſerunt, quia nullus eos aſſalliuit, & ipſi neminem. Vbi vidi moleſtum id eſſe Epiſcopo, ego ipſe cum quibuſdam fratribus, & nobilibus viris, & ſeruientibus, iui ad eum, & cum conſilio obtuli ei, quòd tantum ei inde facerem in craſtino, quantum congrueret iuſto & honori, & quantum poſſem & deberem. Et mox aſcendens, caſatos requiſiui, & nobiles quos potui, ad faciendum quod obtuleram. Interim ipſe Chriſtianitatem mihi abſtulit, ita vt nuptiales qui aliunde veniebant Miſſam perdiderint, & corpus ſepulturas. Ego tamen quod promiſeram munitus conſilio implere volui, & in me non remanſit, nec ſic Miſſam habui. Diem conſtituit mihi apud Eduam, ſuſcepi. Cúmque vellet vt homines illò ducerem,

Norgaudus Ep. Eduen.

dixi non facturum; non enim poteram, quia nec vſus erat Eccleſiæ. Quæſiui Chriſtianitatem, nec habui. Videns quia non haberem, de caſatis Eccleſiæ ſaluam firmantiam ei obtuli IV. mil. ſolidorum, Vvalonem de Sarmatia, Giſlebertum de Luciniaco, Rainaldum de Roca, Milonem de Flollone, Goſlenum Sinemur. Rainaldum, & Hugonem Præpoſitum: videntibus Canonicis ſuis, Vvalterio, Stephano, Duranno, & Laïcis Aymone, & Ioſberto, & hæc faciens Miſſam quæſiui, & non habui. Eduam iui, & in placito, quia ita egeram, Miſſam ante alia quæſiui, & hoc per iudicium Curiæ. Et quoniam de teſtimoniis noſtris Laïcos nominaui & oſtendi, & quia de ſuis Laïcis Bernardus Mariſcalcus noſter nominauit Aymonem & Ioſbertum, iudicium factum eſt per Clericos & Laïcos. Firmantiam autem hanc ita fuiſſe oblatam affirmare voluerunt noſtrates, vt iudicatum fuiſſet etiam per ignis aut aquæ iudicium. De his factum eſt huiuſmodi iudicium.

Quoniam & Abbas & ſui Ioſbertum non nominarunt ad placitum accipiendum, hoc debet eſſe in reſpectu quòd Abbas requirit de Miſſa recipienda, & propter hoc ipſe non debet habere reſpectum de iuſtitia hominum facienda.

Audito hoc iudicio obſtupui, & conſilium Eccleſiæ quod antea habueram requiſiui, nec habui. Cúmque adhuc morarer, in conſilio placiti & iudicij, rupit placitum, & abijt pranſurus. Miſi ad eum, & reſpectum quæſiui, & non habui, niſi iudicium laudarem.

Quantum pro huiuſmodi placito grauauerit Eccleſiam, hinc colligi poteſt, quòd hac eadem ſeptimana, qua hoc factum eſt, centum equos abſque ſeruientibus, II. III. IV. V. VI. Ferijs Eduæ me tenere fecit; & Communiam Eduenſis & Cabilonenſis Parœchiæ ſuper nos poſtea Flauiniacum iuratam adducere voluit, quod tamen infectum remanſit. Voluit etiam interdicere omnes Cellas & loca ad nos pertinentia, ſed obſtitit votis eius integritas Capituli Eduenſis: feciſſet tamen, niſi obſtitiſſet. Tandem cum multoties pro hac cauſa Eduam veniſſem, iuſtitiam præſentans, & aliquando miſericordiam quærens, & nec iuſtitiam habuiſſem nec miſericordiam, conſilio & hortatu eius quidam fratrum noſtrorum inſurrexerunt in me, dicentes me conſcium fuiſſe ſeditionis illius pro qua hæc agebantur. Et ob id vocatus Eduam proficiſci cœperam, vallatus conſilio Monachorum nobilium, & ſeruientium, vt credebam, quod tamen amiſi inſtinctu eius. Nam Bernardum de Montfort, quia ſuus erat de fœdo S. Petri, cui promiſeram ſol. XXX. & bonum noſtrum reoebat, ipſe ne mecum iret prohibuit. Quod ceteri videntes, cùm eſſemus XXV. omnes receſſerunt à nobis. Ego ſolus cum ſolo Monacho, & III. ſeruientibus Capitulo me præſentaui. Ecce circa horam tertiam aduenerunt, conſcio eo, quidam noſtrorum, accuſantes me in Capitulo, quòd conſcius fuiſſem, & alia quædam obicientes, quæ probare non poterant, maximè cùm eſſent infames perſonæ. Quidam etiam eorum Helinannus me relicto in conſeſſu etiam Canonicorum ſedebat, cum eo manducans, bibens, & equitans. Ego cùm eſſem paratus canonicè reſpondere & iudicari, Monachum ipſum noſtrum, quem mihi Epiſcopus tulerat, canonicè requiſiui, nec habui. Inſuper vidi eos me accuſantes, & compulſus ſum, ne quaſi culpabilis viderer, ipſe eis præcipere, vt erga me loquerentur. Abbatem ibi aliquem non vidi: iudicium quoque cœptum factum non fuit: quia talis quædam nos concordia ſociauit, mediante Epiſcopo Cabilonenſi, & Anſerico Præpoſito, vt redderem hominem qui probaret ſacramento me conſcium non fuiſſe, & ſic amicitiam Epiſcopi reciperem, & in gratiam redirem: feci, nec gratiam, nec Miſſam habui. Inſuper prohibuit ſub anathemate, ne fratribus ipſis pro hac cauſa inimicarer, & omninò eos à noſtra diſpoſitione remouit; ne vel ſaltim eos ab Obedientijs, quibus præerant, remouerem.

Sepries propter hoc placitum à feſto Apoſtolorum vſque ad feſtum S. Nicolai Eduam iui, nec iuſtitiam, nec gratiam, nec Miſſam habui, maximè cùm ad ſatisfaciendum ei quoſdam Laïcorum, qui impetebantur, illò duxerim contra vſum Eccleſiæ. Quos qualiter ipſe tractauerit, pudet reminiſci, maximè cùm nulla eſſet occaſio, pro qua hæc agi deberent.

Fratres quoque noſtros Diuionenſes, qui mihi ad ſolatium laboris & ordinis cuſtodiam dati fuerant, mihi abſtulit præcipiens auctoritate qua poterat & debebat, vt infrà dies III. Diuionem niſi eos remiſiſſem, & eos qui projecti fuerant reuocarem,

uocatem, nullum in Eccleſia diuinum officium fieret, & ſic in craſtinum mane facto, Romam profectus eſt, vt nullus eſſet de Miſſa recipienda, vel fratribus retinendis deprecationis locus.

Ego, qui tanto conſtrictus articulo vellem etiam maiora promittere (nimio enim tædio angebat, quòd tantis iniuriabar tribulationibus. Siquidem à feſto Apoſtolorum Petri & Pauli vſque ad diem ipſum B. Nicolai natale inſignem, quo hæc geſta ſunt, nulla mea culpa exiſtente, diuino Officio Flauiniacus vacauerat, & ſepulturâ) decreui omni ei, etiam in contrariis & inuijs, ſubdi obedientiâ; vt vel ſic leniretur & pacaretur animi eius pertinacia, & dum ruinam quaſi vitare volui, immanis præcipitij baratrũ incurri. Hoc enim in facto nec eius amicitiam tempetaui, quam nunquam habui, nec Monachorum noſtrorum caritatem, quin potius quod ipſi quærebant, ad quod intendebant, patris noſtri Diuionenſis & fratrum noſtrorum vnanimitatem offendi. Et quidem ſatis dignè: nam pro meriti. acta res eſt, vt qui malum feceram, quod certum eſt malum mihi eſſe, bonos à me mittendo vt veniret bonum, cuius venturi nullam habebam confidentiam, ſed plenariã diffidẽtiam, vt impræſentiarum patet, ipſe nec bonum haberem quod non credebam, & quod habebam perderem, vt ſola vexatio intellectum daret auditui. Recepi poſtmodùm abſolutionem à Lugduno, non tamen per eum, quia per Archiepiſc. & interim dum abſens fuit quieui, niſi quòd omnia in peius ruere videbam pro deſtitutione ordinis, & emendare nequiui, quia ſolus erã. Tũc cœpi ſent. re quid cogitauerãt, quid attemptauerant, quid machinati fuerant, cùm iam emendare non poteram.

Interim feci pacem cum Rainaldo de Granciaco, qui frequentibus irruptionibus, & deprædationibus omnia noſtra perturbabat, & quia iuſtam cauſam habebat LX. ei ſolidos compoſui. Pacem etiam cum Widone de Luciniaco fratre eius, & de feodo quod calumniabatur ij. ei modios & VIII. ſextarios reddidi, dum tutor eſſet filiorum Tebaldi Rufi. quartum mihi laude vxoris ſuæ, & filiorum donauit, hominium fecit, & fidelitatem iurauit.

His, qui grauiores erant, ita pacatis, pro Vvalterio de Inſulis, quem calumniabatur Giſlebertus Nuſcius, XXXV. ſol. dedi, & pro filio ſororis eius VII. ſol. & totam eorum progeniem quietam S. Petro, & S. Projecto feci. Actum Flauiniaco.

Ducem pro ſaluamento, quod homines noſtri de Galiaco contra ius & vſum ei dare valebant, Flauiniacum venire feci; & per iudicium Curiæ noſtræ, & ſuæ, quia fœdum noſtrum habebat, ſaluamentum ipſum vurpiuit. Cui ego equum centum ſolidorum pro honore dedi.

Arnulfus etiam de Groſbois, accepta à nobis ſocietate, & XV. ſol. pro caritate, duas familias de fœdo S. Petri in Cleriaco & Agerniaco nobis reddidit, & tertiam nobis contra Aymonem Loüel, militem noſtrum conquiſiuit. Reddidit & manſum vnum in Cauanniaco de terra S. Petri de fœdo ſuo Flauiniaci, vidente R. Maure, & filio eiuſdem Arnulfi. Actum IV. feria ieiunij menſis Septembris.

Aymo quoque de Griniaco, hominium recognouit, & noſter factus eſt. Valterius necnon de Grinions, pro filio ſuo Monacho terram magnam & pratum in dominicatũ iuxta Corticellas multi precij S. Projecto ded. Act. die feſt. S. Petr. ad vinc.

Rainerio de Diuſmo, pro quibuſdam compoſitionibus, quibus terra de Empiliaco vaſtabatur XXX. ſol. dedit.

Hugo de Aſiaco accepta à nobis ſocietate, & VII. ſol. pro caritate dedit. S. Petro feminam Vvalonis Sacriſtæ, laudante filio ſuo, & alias quaſdam de progenie eius, fæminam ſcilicet Chriſtiani.

Quædã ſanctimonialis S. Iohannis Eduenſis, ſoror Aymonis Loüel, eodẽ fratre ſuo vidente, faciente, & laudante, hereditatem ſuam in Agerniaco ſitam in terris cultis & incultis, mancipijs vtriuſque ſexus. S. Petro contradens ſuper altare poſuit, éa conditione vt neptis eius ſoror Hugonis de Curenciaco, ea obeunte illa potiretur, & poſt eius obitum dominio Eccleſiæ Flauin. ac. eadem proueniret. Defunctis vtriſque, de hæreditate nos veſtiuimus. Et cùm calũniaretur prædictus Hugo, iudicio dato, duos legitimos homines produximus, prædicti fũdi ſeruũ qui pariter datus eſt, & miniſtralem eiuſdem fundi noſtri qui interfuit & probare voluerunt donum ita factum. Expectatum tamẽ eſt vt audiretur idem iudicium in maiori Curia, ſic terram habuimus.

Redemi etiã duos manſos, I. intra curiam Laliaci, alium extra Curiam, ſoluentes quoque anno XII. den. ij. ſol. cùm iret Hiſpaniam ſoluimus. Actum Flauiniaco.

Adelelmum quoque & progeniem eius obtinui ab eodem Folcuino XII. ſol. Actum Galiaco.

Tapetiolum etiam, quod Carlet dicitur, redemi v. ſol.

Duci equum I. dedi x. librarum pro inſolentia vnius ſeruientis noſtri, & ipſe laudauit nobis donum quod quilibet miles eius de feodo ſuo faceret Flauiniac. Eccleſ.

Walterio de Tilio, in adiutorium Eccleſ. de Priſciaco equum, L. ſolid. dedi.

Erleio, & Widoni Dominis Coltic. XL. ſol. ded. & ipſi vurpiuerunt omnes malas conſuetudines in Colticas.

In Theſauro Eccleſiæ hæc addita ſunt, filacterium I. quod dedit Walterius Monachus de Griam, cum mappula precioſa, & alba parata. Cortina I. quam dedit Teubodus cum manrili. Albæ V. quas Hugo Monachus de Belloloco, moriens mihi miſit, cum calice argenteo, qui eſt apud Bellumlocum. Calices ij, vnus in toto deauratus, quos Walo Monachus de Roca fecit, cum cappa I. de pallio & caſula, & ſtolis ij. & albis IV. Albæ ij. quas fecit Girardus de Colticis. Alba j. in Capella noſtra, quam mihi dedit vxor Gozelini de Beſua. Alba quam mihi dedit Pouo de Bar, ſuper Albam Baldrici filius, quando noſter factus eſt: ſuperſedium I. Redemi etiam palliolum I. XXX. ſol. & de eo limbum in pallio, quo corpus S. Projecti inuolutum fuit CCC. & eo ampliùs annis, feci.

Bouoni prædicto de Bar, cùm apud Flauiniacum requireret à me fœdum ſuum, quia haberet filiam Folcuini, de ſorore Abbatis Odonis, qui idem fecerat caſamentum, id eſt ſaluamentum hominum S. Petri, qui ſunt in caſtro illo, vel in villis in circuitu caſtri, nolui ei ad plenum reddere, quia legeram Cartam quandam factam hominibus caſtri Bleſenſis, qui ſunt S. Petri, & verebar ne ijdem eſſent, aut de ijſdem. Tamen cùm multi teſtes acceſſiſſent, quòd Folcuinus idem ſaluamentum habuiſſet, ita conceſſi, vt ſi ego per noſtros, miſſo nuncio, & re explorata, aut ipſi homines per ſeipſos probare potuiſſent quòd nunquam fuiſſent in ſaluamento, nihil ei dabam, quia magis Eccleſiam quàm eum diligerem. Sin aliter, haberet quod ſui iuris eſſet, & ita noſter factus eſt, ſacramentum tamen non accepi ea pro cauſa. Actum Flauiniaco in clauſtro. Teſtes, Gerardus Prior, Achadeus, Helinandus, Monachi. Laici. Hugo Præpoſitus, Raioaldus, & ſeruientes, Rainaldus filius Præpoſiti, Giſlerius. Ab hoc caſamento illos de Aruico ſubtraxi, de quibus cenſum habebam, caſeos ſcilicet, & illos quibus fuit Carta facta. Omnes quoque, ſi probare potuiſſent, vt dixi. Quod & ipſe laudauit.

His interim omiſſis ſuperiora repetamus. Non tamen prætermittamus fœminam illam, quam Deodatus tenebat de Noeirs, quæ noſtra erat, & pater....midius, quorum erant VII. filij, quos ita cum Abbate S. Valerij Hugone partiuimus, in parte matris iij. filios, in patris verò I. & altera dimidium, & cenſum capitis mihi primum miſit mater. Partem etiam in Berengerio & fratribus eius, quam acceptis x. ſol. Rainaldus de Colpeio nobis dimiſit.

Igitur reuerſo à Roma Epiſcopo, occurri ei apud Sedelocum, & benignè ſuſceptus, oſculo donatus ſum & gratiis. Altera vice ab eo ibidem euocatus, poſt multas iniurias finem de omnibus pro x. libris feci. Quæſiuit iturus ad Regem, vt mulam ſibi præſtarem. Ego, qui eius amorem ſitiebam, quem & ſciebam difficilem in adquirendo, obtuli ei optimam mulam, quam manu ad manum emeram CL. ſolid. & dedi ei. Et ſic veniens ad feſtum S. Nazarij, honeſte ei ſeruiui, & gratus redij. Pro placito & ſiue illis, Stephano dedi xx. ſol. Hubaldo xx. Hugoni Spiriac. XL. Rainaldo XL. Teubodo x. Hugoni Nuſem v. Goſleno x.

Pro equo Girardi Monachi dedi pro compoſitione Miloni Conſtabulo x. ſol.

Iam propè oblitus eram, quòd furnum villæ calumniabatur quidam Erembertus de Maſſiuiaco, & præbendam, & campum S. Clementis, qoia pro his CCC. ſolid. dederat pater ſuus Odoni Abbati, excepto quòd præbendam pro ſepultura ſua donaſſet. Vnde cùm me multis placitis grauaſſet, & ob grauamen homo Ducis & Præpoſiti Sinemur. factus eſſet, & teſtes quoſdam è fratribus, qui hoc viderant, produxiſſet, eis omniò illi deficientibus, iudicium habuimus, quod pacem nobis in poſterum contulit.

Ibi Præpoſitus Sinemur manſum I. veſtitum in Maſſioiaco noſtro S. Petro & S. Projecto dedit pro amore noſtro, quietum ab omni exactione, qui nobis debet omnes conſuetudines Actum Flauiniaco.

Sunt in ſumma quæ dedi in proficuo Eccleſiæ, in iij. annis, ij. menſibus minus, ſolid. duo milia, exceptis quod datum eſt in pane, & vino, & veſtitu fratrum, in procuratione hoſpitum, in bobus, & equis, & vineis, & in omni noſtro apparatu & expenſis.

Abhinc multiplicata ſunt mala noſtra, ſed hæc interim.

Anno ab Incarnatione Domini MXCIX. prima hora noctis, à parte Aquilonis lux ingens quaſi ignis ardentis emiſſa, vſque prope diluculum, noctem prope conuertit in diem. Quo etiam anno hiems ſolito aſperior octo continuis hebdomadibus inhorruit: ita vt beſtias, aues, homines quoque pleroſque vis algoris exureret. Fuerunt qui dicerent lucem illam datam à Deo in necem, & dejectionem Sarracenorum, ferente eo adjutorium & vires præbente Hieroſolymitanis ad ſternendam & omninò conſumendam multitudinem Principis Babyloniæ, qui venerat ad proterendos eos qui Hieroſolymam ceperant, quorum numerus erat vt arena maris, & ob id lucem diuinitus directam, ne Chriſtianis, qui eo die præliabantur prælia Domini, etiam in nocte lux deeſſet ad contritionem gentis aduerſæ: vtrùm ita ſit, an igneus ille ſplendor qui apparuit, & igneæ illæ acies portenderint effuſionem humani ſanguinis, quæ eo die & ſequenti facta eſt, ſicut legimus factum cùm immineret bellum illud lacrymabile inter filios Ludouici Pij Imperatoris; an immineat aliqua modo tribulatio, vt legitur factum eo anno quo Ludouicus Rex ab Hugonis Magni procuratione ſeparatus eſt; quando idem ſignum apparuit, portendens Hungarorum peſtem, quæ mox acriter inualuit, viderint quorum opus eſt id experiri & cognoſcere. Viſa eſt autem lux in parte Aquilonari verſus ſolis occaſum, & nocte declinante reſpiciendo porrigebatur in ortum, ſed antelucanum aliquantum delituit.

Hoc anno obijt Vrbanus Papa, Paſchalis ſucceſſit. Obijt domnus Rodulfus Abbas Virdun v. Kal. Aprilis, & Hugo Abbas Eduenſis. *Paſchalis II. poſt Vrbanum Papa.*

Verùm conſideranti mihi diſpenſationem admirandæ & ineffabilis patientiæ tuæ & miſericordiæ, Domine, cuius non eſt numerus in me, libet inhærere conſiderationi miſerationis tuæ, quanquam ſuper me ſint hęc, Chriſte, quomodo raptum ab vberibus ditaſti donis ſuperabundantis pietatis tuæ, tradens me contubernio ſeruorum tuorum, & replens gratiâ te diligentium, quomodo ab ineunte ætate, cùm jam irem per deuia & lubrica, & præceps præcipitantem ætatem ſequerer, confeſſionis antidoto cor lubricum medendo reſpirare ſinebas: & fugientem te quadam blanda & inopinata nec cognita mihi reuocabas dulcedine, quoque modo vbi iugi confeſſionis remedio aliquantulum tractus didici illecebroſa cauere, quanquam nondum tæderet me ad integrum peruerſitatis meæ, ita vt ſcirem intellectu & opere, quod perdis omnes qui fornicantur abs te, remotum & ſegregatum à conſortio eorum, quorum in medio coalueram, ad exteras terras nolentem & repugnantem, & quaſi neſcientem eduxiſti, vbi poſitum benedictione inſperata & multiplici ditaſti, gratiâ ſcilicet ſeruorum tuorum admirabili, qui in me diligebant quod neſciebam. Licèt in his tua Deus dona, etſi refugus & deſertor mei ipſius, intelligebam. Iuuat, inquam, memorari mihi in me dulcedinis tuæ, qua miſereris omnium, ſaluans homines & iumenta: id eſt & illos ſaluans, qui rationabiliter viuentes non obliuiſcuntur dignitatis in qua & pro qua creati ſunt; & eos, qui iumentorum more viuentes facti ſunt, vt equus & mulus, quibus non eſt intellectus, per pœnitentiam ſupra primæ originis reparans dignitatem, inter quos & me gibbo peccatorum deformem, vanitatis & leuitatis horrore ſordentem, ad deponendam maliciam, & inclinandam ceruicem cordis iugo ſeruitutis tuæ edomandam per tuos euocabas, & me mihi ipſi ſordere intuitu miſerationis tuæ faciebas. O miſeriam meam, quæ ad tot vocationis ingeminationes non euigilabat! vtique nimia rubigo mea per ignem excoquenda erat, & ideò etſi ſurgere conabar, ſcoria voluptatis inolitæ prauæ conſuetudinis aggrauabar. Projeceram poſt tergum peccata mea: denigrata enim erat facies mea, & tamen tu in ſeruis tuis diligens, non fœditatem meam, ſed curationem in me quæ à te gratiâ tuâ futura eſt ſinebas me ire & proſperari, vt cùm hæc reciperes à diligente non te, ſed illa data tua vel permiſſa, in quibus proſperabar, adureres igne tribulationis, & ſaltim tunc intelligeret impietas mea mala ſua, cùm pro eiſdem malis inciperet jam puniri. Quid referam, quibus me nuncijs ad meliorationem in mari nauigatione

noſtra proceelloſo ſpiritu maris, & quaſſatione nauis, quæ per ſe infirma piſcium impulſu quatiebatur, adgrauata præmonuiſti, & ſtertentem ſomno teporis & negligentiæ excitare conatus es, cùm gubernaculo fracto, velo vi ventorum ad medium vſque ſciſſo, nautis timore diſſolutis, præſentem intentarent omnia mortem, naue ſola tibi relicta, & quandam in vertiginem rotante. O qualis illa tunc horâ eram! quàm benè credulus, quàm vel deuotus, quàm pœnitens, quàm in promittenda correptione ſedulus, conſtans, & beniuolus! quàm peccatorum meorum accuſator, & iudex fidiſſimus! quàm in conuerſione morum, & emendatione vitæ paratiſſimus! Vidiſti hæc Domine, & liberaſti me; exaudiſti me, & conſolatus es me, & quanquam deſperatum, quanquam nouiſſimum, cùm primi mouiſſemus à portu, illæſa naue cùm omnibus quæ in ea erant, terræ reddidiſti me. Sed vt pedem terræ appuli, illa dudum deuota inter fluctus feruoris & emendationis promiſſio aliquantulum friguit, quam tamen reductus menti terror ex toto tepeſcere, vt aſſolet, non ſiuit.

Subſequuta eſt eueſtigio alia vocationis compellentis iteratio mox vt Bajocas veni, infirmitas ſcil. qua omninò deſperatus ſum, & quaſi conclamatus, de qua ſuſcitaſti me, iuſte rerum arbiter, idem ſanctus I ESVS. Quid in me operata ſint hæc tua magnalia, Deus, aut in quo miſeram animam lethargico ſomno oppreſſam, ad te timendum, te diligendnm, exurgere & euigilare docuerunt; teſtis eſt repatriatio noſtra, teſtis ſubſequens vita mea, quæ pium Dominum de placato reddere poſſit iratum, non quæ offenſum dare ſufficiat conciliatum.

Et nunc hæc qualiacumque noſtra legat qui volet, & irrideat vt volet, dummodò libeat & concedatur immorari memoriæ dulcedinis tuæ, qui peccantem ſuſtines ad pœnitentiam, & parcendo inuitas ad conciliandam ſuſtinentis patientiam. Inde eueſtigio illa noſtra promotione, quæ nunc nobis horrori eſt, promotus, vtrum gratiâ tuâ, an permiſſu vel iudicio neſcio, perparuo temporis ſpatio aſſumpta prælationis grauitas, cùm in me duraſſet, ſuperducta eius ſpecies multis modis ita oblitterata eſt, vt non jam qualis eſſem, verùm qualis fuerim rememorari difficile eſſet, vel quia honores mutant mores, vel quia id merebatur inſolentia morum, nondum, vt decebat, ſatisfactionis verbere caſtigata, & emendationis antidoto curata. Hinc iterum infirmitatis commotio, priuatæ & publicæ inquietudinis animaduerſio, illa de dormitorij ſolario plancis deficientibus vel ſublatis ruina, immò propulſatio, qua ita affectus ſum, vt vita me carere crederem. Nam & ſanguis ab auribus eliciebatur, cùm miſericordiâ tua ad inuocationem nominis Preiecti Martyris, & boni ſtudij exequutio, in qua inuenit me caſus ipſe (nam circam matutinis exactis faciebam) à mortis faucibus eripuerit. Et quidem eo ipſo tempore, menſe quoque eodem, in Colticenſi Cella noſtra à dormitorio per præcipitium; Item in Melundenſi Cœnobio æquè duo Monachi lapſi, non tamen ſatis de tam imminenti altitudine vt ego, confeſſione & communione caruerant: mihi pietas tua vitam indulſit, qui etſi grauatus, non tamen aliqua corporis parte ſum peſſumdatus, quanquam cum difficultate ſanitati redditus, adhuc caſum doleam. Quam tantis beneficijs gratiarum actionem, die qua jacens in lecto ſigno ſanctiſſimi claui tui ſanctarúmque reliquiarum munimine ſignatus ſum, & ablutione virtutifera potatus, poſt decurſam hebdomadariam mei ipſius alienationem, rependerim, rememorans erubeſco, erubeſcens confundor, & quod tunc non feci jam facio, ſupplicans vt accepta tibi ſit confeſſionis, & laudis oblatio inter flagella miſericordiæ tuæ ipſa erratus mei tuæque pietatis rememoratio. Et quia omnia aduerſa habet qui ſibi diſplicet, in hoc tibi placere appeto, quòd mihi te donante, te faciente diſpliceo.

Sunt adhuc plura dulcedinis tuæ monimenta ingrato adhibita, vſque ad hæc in quibus nunc verſatur anima mea, in quibus quia faciem tuam reueritus non ſum, iuſtè verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Itaque proclamet tibi tota ſubſtantia noſtri in voce exultationis & confeſſionis, omnia quæ feciſti nobis in vero iudicio feciſti. Proclamet, inquam, tibi vita mea tota ante promotionem peccatrix, poſt promotionem irritatrix, tibi peccauimus, & mandatis tuis non obediuimus. Condemnet ſe totam iudicio ſuo, iam quaſi condemnata iudicio humano: & non ſpe recuperandæ ſecularitatis, ſed amore prouocandæ in ſe iuſtè exertæ, & magis magiſque exerendæ diuinæ animaduerſionis,

quoniam ego in flagella paratus, qui fragilitate deliqui, vnde meritò ad pœnam videar debere aptari, & dolor meus ante me eſt ſemper, quia à mandatis tuis declinaui. Quid enim referam tam euidens tuæ pietatis indicium, quòd rarus inuenitur, aut penè nullus qui ignoret Flauiniacenſium, cùm redirem à Sinemuto ſeptus comitatu Monachorum & Laïcorum, inter coruſcos & turbines tempeſtatis inundantis, fulmen ante conſpectus noſtros cecidiſſe, ita vt beſtia cui ſedebam igne ipſo vſtulata caput pectus & crura, per x l. dies vix ſtabulo extrahi poſſet, & me clementia tua immunem à læſione ſeruauit, cùm ante me non longè cubito vno fulmen ipſum ceciderit. Quod in craſtino quæſitum & inuentum eſt, omnibus admirantibus quomodo viuus euaſerim, aut immunis à læſione, quamplurimis quoque ſiniſtro id omine interpretantibus, maleficum me & morte dignum, quem Deus ipſa ſua animaduerſione monſtraret meritò puniendum. Fortè autem mihi iunctus equitabat ante me eques armatus, & toto corpore pluuiæ expoſitus, clypeo ſe recuruo, & ſupra ſe protento munierat, qui dum equo calcaribus acto greſſum accelerat, in ipſa fulminis iaculatione lanceam auerſam ferebat, cuius mihi acies dum pauet, & ad tantam viſionem hebeſcit, ipſo ſuo timore greſſu retardato, acceleranti mihi gutturi inliſa, niſi tu Deus beſtiam cui inſidebam à ſuo impetu refrænaſſes, & ſocij conclamarum illum ad anteriora compuliſſent, vitæ me extorrem dediſſet. Quæ duplex noſtri ſaluatio his qui viderunt, & qui audierunt facta eſt miraculo. Iam prætererat illa noſtra ſuperius relata impetitio, iam multa alia, quæ enumerare perlongum eſt, tua beneficia mihi ingrato, ſed non vſquequaque impenſa, docebant te amandum, tibi adhærendum, ſi inueniſſent cor docile, beniuolum, & humile. Quid eſt, Deus piiſſime, quomodo procella venti inundantis ſecularitatis graſſantis rapuit me à te? abſtrahebar & videbam, rapiebar & ſentiebam: furabar mihi ipſi à me ipſo, & dolebam, & in conſpectu tuo gemebam, & curationem ſitiebam, & à te vindicari & conſumi peccata mea cupiebam, quæ iam ipſe tibi confitens in me puniebam, quanquam non vſque ad dignam pœnitentiam. Licet enim me peccare dolerem, & aliquando compungerer, non tamen in fine compungebar, vt peccare deſiſterem, quod eſt ſumma pœnitentiæ. Hei mihi! quomodo perturbatur animus præſidentium fauore adulantium? Quomodo beati qui dicuntur, decipiuntur, & viæ egreſſuum eorum diſſipantur. Et quidem nerui teſticulorum Beedmot perplexi, cartilago eius laminæ ferreæ, oſſa eius velut fiſtulæ æris: quia argumenta diaboli inexplicabilia, conſilia ſonora quidem per dulcedinem, ſed eneruia per delectationem, vitia ſpecie virtutum palliata. Abſorbet Leuiathan fluuium, & non miratur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius, ſed perforata maxilla eius hamo paſſionis Dominicæ, electa tenere nequit, etſi vltro aliquando influat, traicere non pręualet quin effluant.

Dies erat Dominicæ Reſurrectionis honore inſignis, Miſſarum ſolemnia agebantur, aderamus omnes. Fortè porcus diſcurrens inuiſibilis, ſed ſenſibilis, chorum peragendo ſentiri datus eſt, & ſenſus eſt à cunctis, à me ipſo quoque, cùm iam aliis viciſſim ſibi id nutu ſignificantibus perdidiciſſem, moxque ſenſiſſem, & quid portenderet intelligerem; iterato à me ſentitur iam ſtomachante, & verè dolente, & in me primò pro hoc ipſo indignante adeò, vt in eum conculcatione qua poteram deſæuirem, qua actus cum grunitu quodam, qui & audiri potuit, in fugam, vltrà ſentiri non potuit. Ingemiſcebam dolore continuo, & tibi ſoli flebam, cibus in lacrymis, potus erat in ſuſpirijs: & vt me purgares, qui alijs purgandis inſtitutus eram, tanto conſcientiæ gemitu ſupplicabam, quia tanto videbam me inualidum peccatis meis exigentibus ad corrigenda quædam grauia, quæ ſolo tamen auditu didiceram, quantò videbatur mihi id ex incuriæ meæ, & negligentiæ deſidia procedere. Sed quid dico grauia, cùm ne minuta quidem corrigere præualebam? Ita à me omnis virtus, omnis iuſtitia, omnis rigor, poſtremò quidquid illud eſt quod Prælatum decet, à me receſſerat, quaſi factis ipſis mihi loquereris, & diceres, me primò curandum. Quis enim ego tuus, vel qualis eram? Vtique homo, cui omnia ad votum ſuppetebant, ſingula pro voto erant, vt mihi ipſi palam daretur intelligi, ſi tibi adhæſiſſem, nec vitæ remiſſiori frena laxaſſem, ſuccedentibus vtrimque proſperis Rex eſſem, & verè Rex. Qui enim dominatur animo ſuo, melior eſt expugnatore vrbium, quia verò regia mihi ipſi viluerat dignitas, & nomen quod meritò honoratur, ſorduerat, ſordes meæ fœtere fecerunt odorem meum, vt fructus pœni-

tentię darent odorem ſuum, te illuminante tenebras meas, & emundante conſcientiam noſtram. Vnde non in longum proſperitate malorum meorum fruitus ſum. Non enim multi fluxerant dies, & viſitaſti me gratiâ pietatis tuæ, vt diſcerem ſperare in te, non in incerto huius vitæ: decreuerat enim facere hoc manus omnipotentiæ tuæ. Hora celebrabatur tertia, intereram ipſe choris pſallentium. Subrepſerat mihi illa cogitatio, quam te permittente & donante habet qui ſibi diſplicet me arborem infructuoſam, terram inutiliter occupantem, fructus boni operis afferre faſtidientem, dignam ſuccidi & ſuccendi. Non eſſe filios Sanctorum qui tenent lóca eorum, ſed qui exercent opera eorum, me omni lacrymarum fonte plangendum, quo nemo magis noceret in Eccleſia, quoniam & peruersè viuebam, ſpeciemque religionis & locum prælationis habere videbar. Clamabam non paruo affectu, interno tantum cordis gemitu, ore ſilenti quod tu dabas, quod cordi aſpiraueras, vſque ad oris ſuffuſionem, & credo quòd exaudieris vocem meam. Oſtendiſti enim ſeruo tuo quæ oportebat fieri cito, loquens voce tua interna & myſtica, multa eſſe peccata mea, pro quibus expiandis trium mihi daretur optio, aut famem venturam, qua populo dilabente, & in mortem ruente tota peſſundaretur Abbatia, aut impugnationem diripientium vicinorum pati populum, qua ita dilapidaretur, vt mons ipſe tariſſimo incoleretur habitatore, aut me fugere inimicos meos tempore præfixo, illos inualeſcere, me omninò deficere, vt omninò non eſſet qui me amicum agnoſceret, & vt amico benefaceret, & tamen infamia mea in omni tripertito hoc purgationis genere non lateret. Eſſe autem in voluntate mea, vt abbreuiaretur mali tempus exaggeratione vindictæ acriùs inundantis, an prolongaretur moroſitate alicuius delinitionis. Obſtupui ad vocem loquentis, & cùm artarer reſponſis, recogitans quia ego ſum qui peccaui, qui iniquè egi, ſubdidi me iuſtitiæ Dei, quoniam bonus, & in ſeculum miſericordia eiùs. Timens verò ne deficerem in tribulationibus, cùm orarem reſeruari mihi aliquos amicorum, quorum conſilijs protegeret, non obtinui niſi gratiam patris noſtri, quem etiam nouiſſimè habiturus non eſſem, & audiui quòd domus Ducis maximè infamiam dilataret & amplificaret. Precatus ſum, vt patientiæ virtute munirer, ne ſubcumberem, & ammonitus ſum in tribulatione ſemper gratias agere, vera eius iudicia laudare, & mea malefacta accuſare: hoc addito, quòd quoties hoc feciſſem, mali molem leuigandam, conſolatione propinquante. Futurum autem vt infamia ceſſaret, gratia rediret, tribulatio euaneſceret, conſolatio ſuccreſceret. Tunc non obliuiſceret Domini qui percutit & ſanat, deicit & alleuat; cuius flagella miſerationes ſunt, verbera propiciationes ſunt. Plura prætereo quæ implebuntur tempore ſuo.

Tertius igitur agebatur annus, & ipſius anni menſis VIII. ex quo Flauiniacum veneram, cùm repetitis ea quæ ſolebat domeſtica malicia me eſt aggreſſa calumnijs, & majoribus, Deo vtique permittente, quem ſolum repperit turbauit injurijs. Ac primùm clanculò fide ſibi inuicē data fratres & filij noſtri operis huius conſcios ſibi conſciſcunt, complices aduocant, fautores promiſſis & muneribus ſibi conciliant, inde ipſi ijdem accuſatores & teſtes procedunt, & ad lacerandam famam noſtram, & improbandam vitam noſtram quæque poſſunt maligna concinnant accuſantes me apud omne hominum genus criminibus mortiferis, & quæ ipſæ audire aures expaueſcerent. Quod cùm ego minus curarem, & ceſſiſſe eos, atque ab iniuria noſtra ceſſaſſe, pro eo quòd conatus eorum jam ſecundo irritus factus erat, crederem, & maximè pro jugi eorum obſequio, qui tamen non ſatis aptus, & ideò parum erat acceptus, ita vt etiam referentibus non crederem, ſenſi tandem & expertus ſum quem vix potui ſperare dolorem. Auertat Deus furiam hanc ab Eccleſia ſua, in me finiatur tanta malicia, huc eam veniſſe ſufficiat. Hæc Vigilium Diaconem in Siluerij Papæ beatiſſimi armauit dejectionem, & dum eius concupiuit ſedem, adeptus eſt anathematis damnationem: quam poſtmodum pari ſorte multatus expiauit. Hæc peſtis, vt de ſpeciali, quia innumera occurrunt, interim taceamus, generali tabe omnia ferè noſtri temporis corrupit Monaſteria; & ignitus ille ſerpens obmurmurationis malum à populo Iudaico migrauit in turbas Monachorum, vt jam penè ab eis quis filius patris benedictionem mereatur prorſus ignoretur, à quibus non tantùm patrum pudenda reuelantur, non tantum fratribus, verùm extraneis irriſoribus, ſed etiam ipſa paterna viſcera ſcinduntur, dum pax Eccleſiaſtica, glutine caritatis reſciſſo, dirimitur. Vbi ergo priuatis conſilijs factioſorum, non filiorum ſibi

ipſi viſa eſt proceſſiſſe calumnia, ex occultis inſidiis ad apertas prorupit inimicitias, & quod per ſocios diſperſerant, mihi ipſi palam proteſtati ſunt. Fateor, erubui, & ad meipſum reuerſus, cogitans quia iudicia tua, Deus, abyſſus multa, cùm ſolum me inuenirem de amicis, obiurgatis eis aſſurrexi, & multa voluens quæ audieram nec credideram, foueam mihi paratam, dolos aptatos intellexi, decreuique tandem experiri fortunam, ſi ſaltim in his quos ceteris præfeceram, fidem inuenirem. Et licèt pluribus experimentis vnam eorum voluntatem ſcirem, cogitaui tamen eo mihi illos vinciri poſſe modo, ſi auctorem eorum illis opponerem, & conatus illorum illicitos horum grauitate coercerem, qua tamen molitione nihil profeci. Dederunt enim mihi verba, non conſilia, vt Colticas irem, quò jam exacto anno & eo amplius non fueram, quaſi ad ibi pauſandum poſt laborem meſſis & vindemiarum, ipſis interim laboraturis pro pace & quiete noſtra, re autem vera ad quod intendebāt opportunitatem & ocium abſentiâ noſtra adepturis vt perficerent. Feci, & hoc minus aſtutè, & paratis quæ neceſſaria erant, benedictione accepta, die v. Kal. Octobr. pranſum iuimus, quibuſdam ex fratribus, quamplurimis ex laicis nobiſcum accumbentibus, & poſt ſolitò accuratiùs nobiſcum progredientibus, noſque deducentibus, tota plebe quod non ſperabam ingeminante, me ſcilicet non ad præſens reuerſurum diſcedere. Notabam ſingula, & admirans inopinatos voti eorum prouentus, ſentiens etiam in me multa & penè innumerabilia verbere & correptione digniſſima, ſubdebar animo iudiciis diuinæ miſericordiæ, rememorans iudicia Dei occulta, & nunquam iniuſta. Et nunc adhuc hæc ſcribens ſupplico tibi, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, da peccatori ſupplici tuo animum patientem, in tribulatione gratias agentem, errata ſua agnoſcere, & ſub flagellis pietatis tuæ humiliter ad te ſuſpirare. Ab illo die neminem Flauiniacenſium vidi, manifeſta cognita Dei virtute, qui diſponit omnia in tranquillitate, quia receſſerunt omnes à me, qui & cùm mecum eſſent, longè erant à me, & ſi qui adhæſerunt mihi in tribulatione, videntes quòd defecerat Flauiniacus à me, ipſi quoque abiêre. Et quia abuſus ſum potentia & honore ſeculari, dum licuit, donis tuis, Chriſte, quia totum erat abs te, nec vt debui & potui reueritus ſum datorem illorum te; ecce ſolus ſum, & non ſum ſolus, quia nec ſolus patior: compatiuntur enim quotquot ſunt patres, quotquot ſe viſcera paterna habere memorantur. Sed cui auerteras faciem tuam, iuſtè factus eſt conturbatus. In omnibus ore & corde benedico te ſolum meum refugium, qui & conturbatum non deſeruiſti, ſed miris & variis modis cor meum viſitaſti, vt ſcirem quæ patior, à te eſſe, quia etſi peccaui, & peccata mea multa ſunt & innumera, arenæ maris numero & pondere incomparabilia, non tamen qualia & quanta impoſuerunt, mihi ſunt. Et ecce porto...... ignominiæ impoſitæ, obtenebratur mihi ſol veſpere, mane, & meridie, benedicta diſpenſatio tua in me.

Veni ergo Diuionem vltra ſpem, & votum fratrum & filiorum noſtrorum, ſed & ibi turbata erant omnia nimietate infirmitatis quæ inuaſerat patrem noſtrum, quem tu ſanaſti orationibus filiorum ſuorum fidelium tuorum. Attamen infirmitas eiuſdem Patris mea fuit infirmitas, quia nec ei loquutus ſum, ad quem veneram accepturus de tanta tribulatione conſilium. Aliis rem non iudicaui propalandam, quòd adhuc agebatur vt credebam in clanculo, ſed Colticas abij, quia Prioris eiuſdem loci ſatis me credebam ſtrenuitati, cuius tamen bonitate non in longum fruitus ſum: & in craſtino eundem cum fratre qui nobiſcum aduenerat, Flauiniacum miſi, vt ipſe ſtultorum comprimeret inſolentiam, & edomaret ſuperbiam. Quò venientes, nuncios Epiſcopi inuenerunt, & ſimul villam ingreſſi ſunt, ſed intentione diuerſa. Mox enim vt ego Flauiniaco exiui, contrariæ partis filij non ſegnes in exequutione ſui propoſiti, Sedelocum ierunt Pontifici noſtro prima gaudia perlaturi, quod Abbas Flauiniacenſis ſuus & Eccleſiæ hoſtis apertus, à quo tanta paſſus Pontifex foret, Eccleſiam dimiſerat, fugæ præſidium laturus, non reuerſurus elegerit. Eccleſia jam ſine Paſtore, locus ſine rectore, caſtrũ ſine turore. Videret cuius hoc erat proſpicere, ne quod damnum inferretur matri Eccleſiæ, néve ille rediret qui receſſerat, quia omnia conſtaret amodò periclitari in eius præſentia. Audijt Epiſcopus, & lætatus eſt, & auditum omnibus proteſtatus eſt. Et qui debuerat vecordium coërcere præſumptionem, & perterrere exemplo Cham, qui quia patris verenda detexit, maledictionem hereditate poſſedit, Immemor fidei & pacis pactæ gauiſus eſt, quòd inueniſſet locum optatum quaſi ſuas iniurias vſciſcendi; & infamiam noſtram

antequam me conueniret legatis aut litteris, omnibus in Curia & extra Curiam publicandam curauit. Nec mora Hubaldum de ſuis illis fratribus infamatoribus noſtris ſociatum Flauiniacum miſit, & è diuerſo venientes legati ſui, & noſtri Cœnobium ingrediuntur. Noſtri Conuentu adunato, ſalute data, pauca pro tempore & re loquuti, cùm redarguiſſent eos verbis iuuenum eſſe nimium credulos, obtulerunt eis ex noſtra parte purgationem illatorum, ne diſſentirent à ſubiectione noſtra & obedientia, nec ſuſcepti ſunt. Ingreſſis & illis, qui expectabantur omnium fere votis & aſſenſu, reuoluuntur in nos mille conuicia, effunduntur opprobria, improperia dilatantur, quæ dum recolo horreo, dum horreo ſtupeo, & lux ipſa mihi eſt faſtidio. Non eſt inuentus èx omnibus, quibus benefeceram, qui vicem noſtram doluiſſet, & ſaltim verbum pro patre quanquam peccatore dediſſet. In Conciliabulo illo fratres & filij noſtri ſanctæ obedientiæ libellum repudij conſcripſerunt, domno Epiſcopo filiationem per legatos eius offerentes, ei villam ſeruari promittentes, & in omnibus mihi abrenunciantes. Decreuerat hoc facere manus tua, Deus, & peccata mea etiam maiora promeruerant, quia poſſederant nos Domini abſque te, nec indignabitur humilitas noſtra pati quæcumque decreueris, intuitu miſericordiæ tuæ. Tunc primùm legatis noſtris ad nos ſine fructu reuerſis, didici ſatius eſſe Deo abſque Flauiniaco ſeruire, quàm propter Flauiniacum Deum offendere, quod ego feceram, cùm faſtu ſuperbiæ turgidus, & obſequentium cuneis delinitus, Deum non vt debui reſpexi, nec timorem eius animo circumdedi. Fateor, ſenſi quod non dicam credere, ſed nec ſperare potui: quia vidi me omninò ſine amicis, qui, ex quo potui, ad huc ſemper laboraui vt congregarem mihi amicos. Sed licet ipſum fluuium Romanæ eloquentiæ beatum Ambroſium legiſſem in Libris de Officijs tubâ Sancti Spiritus intonantem & eructantem vires amicitiæ, nondum tamen ad plenum didiceram quis eſſet fructus eiuſdem amicitiæ, quod omnimodis neſcit qui vnicuique perſonæ actum congruum dare non nouit. Vnde fit vt plerumque noxio velimus aſſentariè gratificari, & innocenti amico non vereamur inſidiari, quod extra officium eſt. Quod dum ſtultus agit, violantur fœdera pacis, vt nec dicenda ſit amicitia quæ nulla eſt, quia in nullo congruit ei qui huiuſmodi eſt. Sit igitur benedictum nomen Domini, cuius iudicium conceſſa vel permiſſa dedit, & miſericordia abſtulit.

Sed quis poteſt inueſtigare vias hominis? Quanquam perſuaderet mihi mens & ratio, iudicio Dei id actitari, deliberaui tamen animo adire Lugdunum, vel quia intercepto nullum eſt conſilium, vel quia tot ſibi aduerſis ſuccedentibus, bonum eſt à multorum maximè ſapientum quærere caritate conſilium. Videbam enim me prægrauari à proprio Epiſcopo, & ideò recurrendum mihi videbatur ad Metropolitanum, ſecundùm ſcita Canonum, tum propter antiquam familiaritatem, & vt rebar indiſſolubile vinculum amicitiæ, quo iugi obſequio me peculiari ipſius famulitio deuinxerat ſedula noſtri deuotio, quod vtique vinculum nullus mihi videbatur poſſe reſcindere, nec ipſa manus referta munere: tum propter obſtinatam dicti Epiſcopi proteruiam, & proteruam obſtinationem, qua nemini vmquam inimico ignouit, nec noxio aut innocenti pepercit, quod furor animi eius animatus in nos nullo niſi magni cenſura iudicij foret medendus antidoto. Iui itaque, & inueniſſem vtique quod ſperaueram, niſi pluris conſtaret apud Archiepiſcopum numquam vacua à munere amicitia Epiſcopi ſeruitio noſtro. Attamen remiſſus ſum ab eo pro defendenda & tuenda parte noſtra ad illum, à cuius alarum patrocinio rapuerat me, domnum ſcilicet Diuionenſem: vt ipſe conueniret Epiſcopum, quoniam inconuentum, indiſcuſſum, inauditum me bonis Eccleſiæ ſpoliaſſet, quod Canonicis omninò ſanctionibus aduerſabatur. Veni itaque ebdomada ipſa ante feſtum S. Benigni, cùm in omni terra aduerſus me hoſtis clamaret, & non iam extra ſynagogam, ſed extra communem omnium habitationem ab inimicis pelli debere iudicarer. Audierant & ipſi malum meum; nam quis locus eſſet, quò bona fama noſtri præceſſerat, ad quem tanti infortunij rumor non acceſſiſſet? ſed eum plus dolor angebat qui plus dilexerat, quia plus laborauerat. Hei mihi! quid refero? Vide Domine, quia tribulor, vulneratum eſt cor meum caritate, quia à filiis viſcera materna quatiuntur & ſcinduntur. Inueni offenſos animos omnium, quia eo ipſo quo eos offenderam, ſcilicet in dimiſſione fratrum memet deſtruxeram; vnde & compaſſione pro his & alijs iudicio eorum merito carere debebam. Verùm vbi adueni, à Patre ſuſce-

ptus

ptus beniuolè, contuli cum illo incõmoda hominis vtriuſque, & conſiliaror mihi factus eſt bonus, iuxta quod eũ decebat dare, & meliùs quàm me decuiſſet accipere. Nã quia dixeram Epiſcopo, me ad eum venturum, cùm à Lugduno regrederer, qui me, vt audierã, & per meipſum probauerã, omnibus bonis ſpoliauerat, fuit conſilium vt priùs Flauiniacum irem loquuturus fratribus, caſatis, & ſeruientibus noſtris, & tẽtaturus quem erga me gererent affectum, quo vterentur animo; qui mihi vbi ab eis diſceſſerã vale fecerant, & reditum noſtrum maturiùs impleri rogauerant. Iui itaque, nuncio præmiſſo, Priorẽ, quem amoto eo qui mecum erat Priore Colticẽſi, in locum eius ſubſtitueram, ad me apud Vidiliacum, & cùm eo quos dignum duxi venire mandaui. Venerunt ſatis protrahendo, & immutata erat facies eorum, & cor eorum receſſerat à me, nec agnoſcebar ab illis quibus omnia bona feceram, & obſtupeſcebam, quia fugiebat à me vox & ſenſus. Dixi me veniſſe ad feſtiuitatem dedicationis, quæ poſtera die futura erat, non receperũt, quia villam Epiſcopo reddiderant, & me non ſuſcepturos promiſerant. Loquutus ſum de infamia mihi impoſita, pro qua defendẽda Eduam proficiſci paratus eram Cùm monuiſſem vt mecum irent, nec hoc audierunt, Epiſcopum vt dicebant verentes. Videns, quia omni eorũ qui mihi iurauerant deſtitutus eram ſolatio & amminiculo, & ſolus relictus, cùm omnia quæ offerebam, deriſui haberentur, deſtinaui per meipſum ad noſtrum reuerti Monaſterium, ſatis, & ſuper ſatis experta fidelitate, vbi ipſi ijdẽ qui mecũ erãt à me in craſtina, nec expectata feſtiuitate S. B. receſſerunt. Benedictus Deus, qui miſertus eſt noſtri, ipſe iudicabit cauſam meam, cũ liberã fecerit à peccatis quæ increuerunt ſuper nos, animã meam.

Miſi ergo Epiſcopo litteras, vt quod per meipſum non poteram, litteris implerem, quarũ textus iſte eſt. *Reuerendiſſimo Patri & Domino ſuo, N. Eduorum Epiſc. frater Hu. Flauiniacenſis Eccleſ. ſeruus ſalutem. A Lugduno regreſſus, vobis vt nuper apud Eduam condixeram, occurrere debui, ſed quia domnus Lugdunenſis cognita cauſa noſtra ſpeciali me Patris noſtri Diuionenſis patrocinio, à cuius me alarum tuitione rapuerat, commiſit, vt eius conſilio omnis ipſa cauſa noſtra muniretur & protegeretur, Diuionem peraceſſi. Volens verò Flauiniacum ire, quoſdam de fratribus, quoſdam etiam de nobilibus & ſeruientibus, ad me apud Vidiliacum venire feci, vt mecum irent, qui neque ſe mecum ituros, neque intra Flauiniacum recepturos dixerũt, timore veſtro, vt aſſerebant, acti. Monui vt mecum Eduam proficiſcerentur, noluerunt, ita omni noſtrorum amminiculo deſtitutus & ſpoliatus, Diuioni me recepi; & quod ſolùm potui litteras has veſtræ paternitati direxi, expoliationis indices, reſtaurationis ſupplices, defenſionis & purgationis meæ præſentatrices. Rogo itaque ne erga me aliter quàm ſancti Canones præcipiunt, agere velitis, quia & ego in noſtro Capitulo Eduenſi, quod iuſtitia dictauerit paratus ſum exequi. Aduertite, quæſo, quid debeatis nobis, vt & nos faciatis aduertere quid debeamus vobis. Valete.*

Hugonis Ab. Flau. ad Norgandum Ep. Eduenſ.

Has ipſas litteras apertas direxi Capitulo, & extunc vſque nunc Diuioni maneo, tuum Chriſte præſtolando auxilium, non vt Abbas, ſed quaſi vnus è fratribus, quod mihi eſt tutius.

Epiſcopus autem conſilio à ſeipſo accepto, per nuncium diem mihi cõſtituit apud Eduã, dicens me non eſſe ſpoliatum, & inde dandum iudiciũ ſi reueſtiri deberẽ. Ego cõmunicato conſilio reſpondi eis litteris directis in hæc verba. *Domino N. Eduenſi Epiſc. frater Hu. Flauiniacenſis Eccleſiæ ſeruus ſalutem. Miratur humilitas noſtra quomodo diſcretio paternitatis veſtræ diem mihi conſtituerit, Eduam quaſi ad iudicium proficiſcendi. Dicitis etiam, quod magis miramur, me non eſſe ſpoliatum. Nonne mox vt ad aures veſtras rumor infamiæ noſtræ peruenit, qui debueratis laborare ad liberandas, non infamandas perſonas, Flauiniacum miſiſtis, villam vobis ſeruari mandaſtis, fratres noſtros & filios noſtros, abiecto nomine in filiationem recepiſtis, me indiſcuſſo, inaudito, & nihil minus quàm proſcribi verente? Nonne apud Eduam in illo veſtro honorabili conſilio, cùm Lugdunum me profecturum dixiſſem, promittere me feciſti, vt de bonis Eccleſiæ non me intromitterem, neque aliquid cuiquam darem, quaſi ad tuendam & defendendam nequitiam meam? Vbi ſunt Abbates, Decanus, Archidiaconus, & meliores in Clero, per quos tali perſona, qualis Flauiniacenſis Abbas eſſe debet, conuentus eſt? Et ecce ad iudicium vocor, non reſtaurationis, non redintegrationis, ſed ad iudicium iudicij, ſi debeam inueſtiri. Vbi ſunt quæſo, decreta Apoſtolica, vbi conſtituta canonica, quæ neminem cenſent ſpoliatum vocandum ad iudicium, cùm non ſit vnde iudicari debeat iam nudatus? Sed heu miſero mihi! Cui ſoli vigor & integritas Canonũ deperiit. Diem igitur conſtitutam attendere nequeo, quia non debeo. Data die cõpetenti paratus ſum occurrere. Sin alias, in Lugd. Capit. paratus ſum me præſentare. Si ad altiora tenditis, & quæ dixi nihili penditis, Roman. appello iudiciũ, & interim ex parte Dei, & B. Petri, eiuſque Vicarij, domni quoque Lugdunenſis, & noſtri*

Altera eiuſdem ad eundem Epiſt.

Capituli Eduenſis interdico, ne mihi Abbatiam Flauiniacenſem auferatis, néve in ea aliquem ſubintromittatis.

Exemplar eatum Capitulo quoque miſſum eſt, cui cùm fuiſſet voluntas & definitio vt inueſtiret, noluit Epiſcopus. Attamen poſtmodum mandauit vt ij. feria ptimæ hebdomadæ in Aduentu, Eduam irem inueſtiturus, aut iij. feria ante Nat. Domini, media via iuſtitiam ei facerem, & ipſe mihi. Dixi me iturum, ſi mitteret Monachos & ſeruienres qui mecum irent, & in eo remanſit. Et interim publica & priuata ſatisfactione conciliaui mihi animos fratrum, ſubdendo me illis & corpore & voluntate, quia ſic mihi noueram expedire, cum quo benè agebatur, ſi ſaltem inter infimos priuato concedebatur viuere.

1100 *Conci. tum Anſanum.* Anno ab Incarnatione Domini M C. apud Anſam conuenerunt Archiepiſcopi, Lugdunenſis, Cantuarienſis, Senonenſis, Turonenſis, Biturieenſis; & Epiſcopi numero VIII. Eduenſis, Matiſconenſis, Cabilonenſis, Antiſſiodorenſis, Pariſiacenſis, Dienſis, & alij duo, & pace ſtatuta, de via Hieroſolymitana loquuti ſunt, eos qui vouerant, & vori exequutores non fuerant, à communione ſegregantes, quoadvſque vota complerent. Miſerat autem Lugdunenſis Legatos Romam, per quos velle ſuum Papæ oſtenderat de via eadem, vt cum ſua benedictione & abſolutione illò deberet ire, & Romanus Pontifex annuerat, ammonens vt per ſe iret, vt legationem ſuam ei committeret in Aſia, quam benè rexerat in Burgundia, & interim Legatos à latere ſuo mittendos pro poſſe inſtrueret, qui vices Papæ exequerentur, & ideò illud colloquium quammaximè ſtatutum fuerat, vt reuerſis miſſis ſuis cum litteris abſolutoriis, ibi quoq; à ſuffraganeis & diœceſi ſua viaticū acciperet.

Hoc anno obijt Philippus Catalaunenſis Epiſcopus, quo etiam anno magna fuit annonæ penuria, & multi fame periclitati ſunt.

Conc. apud Valent. Igitur anno Incarn. Domin. M C. aduenerunt miſſi ad Gallias Legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Iohannes & Benedictus, à quibus Concilium primò apud Eduam deſignatum, apud vrbem Valentinam inſtitutum eſt ij. Kal. Octobris, ad quod conuenerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates numero XXIV. occurrentibus Legatis domni Lugdunenſis Archiepiſcopi, quia ipſe infirmabatur, quanquam Epiſcopi diœceſeos eius, Lingonenſis, & Cabilonenſis (Matiſconenſis enim in redeundo à Roma captus à Wiberto in cuſtodia detinebatur) non interfuerint, prohibiri, vt dicebatur, ab eodem Lugdunenſi. Eduenſis autem interfuit, quia accuſabatur à Canonicis ſuis de ſimonia, & alijs quibuſdam pro cuius defenſione maximè illò conuenerant Lugdunenſes. Ibi ego in primo aditu Concilij purgationem illatorum offerens, accuſatoribus tacentibus & deficientibus, iudicio Concilij ad primam Abbaris Diuionenſis vocem de Abbatia inueſtitus, aſtantibus Canonicis Eduenſibus & laudantibus; cappa & baculo donatus, in circo reſidere iuſſus, poſt ſoluto Concilio ad propria ſum remiſſus, litteris Apoſtolicis munitus in hæc verba. *IOANNES & BENEDICTVS ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Legati, Monachis, Clericis, & Laicis ad Abbatiam Flauiniacenſem pertinentibus, obedientibus, ſalutem. Fratrem noſtrum Abbatem veſtrum Hu. nobis cariſſimum, quem ſancta Synodus iudicio Concilij de Abbatia inueſtiuit, dilectioni veſtræ commendantes remittimus, præcipientes ex parte Dei & beati Petri, vt Diuionem venientes eum vt Abbatem veſtrum requiratis, & in manu cariſſimi fratris noſtri Sanctæ Rom. Eccleſ. filij Diuionenſis Abbatis promittentes vos eum ſecurè & paternè tractaturos, cum honore debito ad Monaſterium eum reducatis. Obedientes benedictionibus multiplicemini. Inobedientes verò iram Dei in poſterum ſentietis, & à nobis pro contumacia ſententiam dignam excipietis. Et quia noſtrum eſt, obedire nolentibus aut differentibus præcauere vel obuiare, interdicimus omninò vobis in villa Flauiniacenſi, & in omnibus omninò locis ad eandem Abbatiam pertinentibus diuinum officium, donec præceptis noſtris quæ ſancta Synodus firmauit, obediatis.*

Legatorum Apoſt. sed. litera

Hugonis Abbatis litera ad ſuos Flauiniacenſes Imminente verò eodē Concilio ante menſem vnum & eo ampliùs miſſæ fuerant à me litteræ Flauiniacum, quarum textus iſte eſt. *Frater Hugo Flauiniacenſis expulſus Abbas, Girardo Priori & omnibus qui ſe profitentur filios Eccleſiæ Flauiniacenſis Monachis, Clericis, Laicis, caſatis, ſeruientibus, nobilibus & ignobilibus, cuiuſcũque ætatis aut conditionis. Audiuimus fratres, & ſcimus Concilium celebrandum à Cardinalibus ſanctæ Romanæ Eccleſ. ij. Kal. Octob. apud vrbem Valentinam, ad quod conuocati ſunt Archiepiſc. Epiſc. & Abbates. Ad hoc vos inuitamus ex parte Dei & beati Petri, eiuſque Vicarij domni Papæ Paſchalis, & Cardinalium Iohannis atque Benedicti, qui ad vices eiuſdem Papæ exequendas directi ſunt.*

Nos enim Concilio nos præſentabimus, Deo protectore, ſi vita comes fuerit, parati cum Dei adiutorio audire, reſpondere, & iudicari Canonicè. Veniant igitur accuſatores, criminatores, & teſtes, quicumque erga nos cauſam habent, qui expulſioni & ſpoliationi noſtræ conſenſiſtis, qui inauditum, indemnatum abiecistis, & ammoniti reſipiſcere, deſpexiſtis. Venite, ibi enim dabitur locus audiendi vos, vbi omnia Deo fauente iuſtè tractabuntur & canonicè.

His acceptis litteris, conſilio dato quendam de ſuis contra me conſpiratores illi miſerunt, hominem qui in ſcholis puerum occiderat, & Chriſtum, eiuſque genitricem, baptiſmumque abnegans, ſeruum ſe diaboli propria confeſſione fecerat, & abſque pœnitentia Monachus ordinatus fuerat: poſtea maligno ſpiritui traditus, & orationibus fratrum curatus, publicam indè confeſſionem fecerat, & quater profeſſione violata, tandem pro fornicatione & immundicia à populo de Monaſterio cum ſocijs ſuis, eis ſcilicet qui contra me conſpirauerant, projectus fuerat, & extra Eccleſiam ſuam Preſbyter ordinatus erat, cùm ante hæc omnia in Cella Colticenſi arca fracta, pecunia ſublata, Dalmatica furata, & in proprios vſus aptata ſacrilegiũ perpetraſſet, & alia quædã quæ referre pudet, commiſiſſet. In Epiſcopi ſociorumque Canonicorũ præſentia purgationem illatorũ ante alia in omniũ audientia obtuli, quod deficientibus accuſatoribus proſequi neceſſe non fuit, & ſic in eorum præſentia Abbatia iudicio Concilij mihi reddita eſt, & ſedi reſtitutus ſum. Litteræ quoque miſſæ receptæ non ſunt, quamuis à quibuſdam lectæ ſint. Die autem feſtiuitatis exceptionis corporis S. Prejecti, quæ celebratur VIII. Idus Nouembris, venerunt Diuionem duo ex fratribus Flauiniacenſibus miſſi ab eis, mandantes vt redirem, ipſi obedirent nobis. Concilium verò fratrum noſtrorum fuit, quia dicebant pro timore Sarmatiæ & Sombornonis, quorum caſtrorum habitatores Eccleſiam Flauiniacenſem impugnabãt, ſe non poſſe vt decebat ad nos venire, ſi hi qui præſentes aderant, litteris obedirent culpam clamando, & ſecuritatem & obedientiam in manu Prioris, quia domnus Abbas aberat, vt paternè ab eis tractarer, promittendo, & eos qui domi erãt, identidem facturos ſpondendo, vt Sarmatiam irem, ſuſcepturus ab eis iuxta tenorem litterarum. Iui, & nihil eorum factum eſt, cùm ad me quidam veniſſent, dicentes honeſtiùs id ſe facturos in Capitulo Flauiniac. Credidi adclamationibus omnium, & in ſuſceptione noſtra nullum honorem, nullum affectum, nullam reuerẽtiam expertus, quin potiùs dedecus, contumeliã, & omnem inueni irreuerentiam, ita vt etiam his qui mecum erant, panis negaretur, & equus ſeruienti, quem ſolũ mecum adduxeram, & ipſa omnis reuerẽtia etiam à minimis non nulli redderetur, imò ipſi qui diligebant nos vocati à meipſo ante me venire non auderent, ſicut proteſtati ſunt, prohibiti ab inimicis noſtris, & inſuper niſi citiùs monitus cameram exiſſem, iturus cum eis ad Concilium, quia retardabar pro equo famuli noſtri, minæ, & opprobria, & tumultuantis turbæ turbatio mihi intentaretur.

Mane diei ipſius in Capitulo litteras Cardinalium lectas omnibus expoſui, & expoſitis eis vtrũ obedirent requiſiui. In verbis verò eorũ & factis nulla inuenta eſt humilitas, aut erga ſtatuta Concilij obedientia. Sic in nulla re honoratus, ad Concilium Pictauenſe proxima hebdomada futurum accelerantes, apud Colticas vſque in diem quartum remorari, retrogradum iter arripuimus ſub ea occaſione, quia noluerunt ire eo quòd de inueſtitura ſermo ageretur, cùm etiam me coram eis profeſſus eſſem benè inueſtitum: vt vel ſic ducerer ab eis, qui nec vnum ſaltim fratrem amicum nobis & pernecesſarium comitatui noſtro, qui pro libitu eorum agebatur, adjungere volebant, cùm ipſi omnes eſſent inimici, re autem vera obedire noluerunt, quia parti ſuæ minus credentes, Concilij iuſtitiam, & domni Abbatis Diuionenſis noſtramque verebantur præſentiam. Quod hinc liquidò conjici poteſt, quia cùm me ita remorato quendam de ſuis illò miſiſſent cum litteris, & hoc me inſcio, nec Concilio interfuit, nec Cardinalibus loquutus, vt venit ſic rediit. Hic autem illius ſuperioris, quem Valentino Concilio clandeſtina fuga ſe ſubduxiſſe memorauimus, in perpetratione ſacrilegij pecuniæ, & Dalmaticæ ſublatæ, & in expulſione pro fornicatione Sanctimonialium, maritatarum, & puerorum, particeps & ſocius fuit, cauſa caputque mali Abbas deſignatus à ſibi ſimilibus, qui mortem Abbatis S. Germani Antiſſiodorenſis, à quo de Monaſterio fugâ lapſus ſuſceptus fuerat, & honeſtè habitus, tertia manu iurauerat, & ob id ad Cellam pulſus habitum dimiſerat, & iterum poſt ignominioſam eius expulſionem à me receptus, inhoneſtè & omninò perditè vixerat, ad hoc inhians dejectioni noſtræ, vt ipſe ſubrogaretur.

Verùm, quid mirum ſi iuuenilia pectora à vero & iuſto exorbitare cogit dominandi cupido, nullo religionis, humilitatis, caritatiſve radicata plantamine? cùm & ipſas mentes ſenij albeſcentis canicie venerandas, & quæ à primis annis religionem prætulerint, ab ipſa quoque tam diuturna Monachalis grauitatis imaginatione deſueſcere, & in patres armari faciat? Priorem ibi dictus Epiſcopus conſtituerat grandæuum, honoratum, & qui primò mecum ſemper fuerat. Hic vbi me Flauiniacum introduxit, cùm me in ſua præſentia paſſus fuiſſet dehoneſtari, irrogatis contumeliis, & virgam Paſtoralem in ipſo ingreſſu noſtro latenter, vi, & aperta rapinâ tuliſſet, illam noſtram Valentinenſis inueſtituram Concilij; in craſtinum, cùm omnia nobis perturbata relinqueret, exiuit, & per dies x. quibus inibi moratus ſum, tanta ſum artatus cuſtodia, vt omnis mihi negaretur ad publicum proceſſus, omnium ad me vetaretur acceſſus; & non ſolùm nulla inueſtituræ melioratio, verùm omnis erga me omnium rerum procederet deterioratio, illis priuatim & publicè per deuia & facinoroſa impunè gradientibus, & in nullo Religionis ſtatuta ſeruantibus, adeò vt propter eorum incorrigibilem & pudendam conuerſationem, & maximè quia inobedientes erant præceptis Apoſtolicis, compellerer egredi, donec finito Concilio Pictauenſi, vbi de cauſa Eduenſis inuaſoris, cuius tuitione eorum factio protegebatur, diffinitio ſynodalis expectabatur, Legatorum conſilio & iudicio negocium Eccleſiæ ventilaretur. tum præcipuè qnia ad propulſandam illius maliuoli infauſtam prælationem, maiores in Eccleſia Eduenſi, quorum erat iſtud noſtri diſſidij genus dirimere, Pictauis abierant, ſine quibus vecordium præſumptio non poterat coerceri. Miſerabilis & prorſus deſperata huiuſmodi hominum præſumptio, qui nec Deum reuerentur nec homines, dum intemerata à ſeculo præcepta ſpernunt Apoſtolica, & interdictum vſurpare non metuunt diuinum Officium. Non dubium quin eos ad hunc finem duxerit digna neceſſitas, vt quia contemnentes Deum, nec attendentes ſeipſos, in patres armantur, & publicantes pudenda eorum pietatis paternæ iura violant. quæ etiamſi publicata, nec tamen à ſe, irridere ſolùm voluiſſent, maledictionis Cham hereditarij poſſeſſores forent. Fiat illis, vt peccatum eorum, quod pœnitendo correctum non eſt, ſit & peccatum, & cauſa peccati, & idem peccatum quod ex peccato oritur, ſit non jam peccatum tantummodo, ſed peccatum & pœna peccati, vt putent ſe diuinæ legis ſtatuta impunè reſcindere, dum attrectant inhibita altaris ſacroſancta myſteria, non intelligentes quid ſanctus Leo dicat in Epiſtola ſua. quòd ſi quis contra canonum inſtituta venire temptauerit, & prohibita admittere auſus fuerit, à ſuo ſe nouerit officio ſubmouendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ. Quanta verò in eis & coëſſentibus ſit obcæcatio, hinc datur intelligi, quòd ipſi qui pro vita ſua damnabili & pudenda, omnibuſque nota à Monaſterio pulſi ſunt manu laïca, hij in hac fæce temporis Prælati, rectores, & domini conſtituantur. quondam ab eis à quibus nunc honorantur, publico opprobrio habiti, publica deſpectione, abjectione reprobati, verberibus & vinculis dedecoroſo ſchemate dehoneſtati, & qui publica notatus confeſſione à Clero reprobandus, & ſolùm in fine vitæ ſuæ communione donandus eſſet, hic Celerarius Monaſterij, Pater Congregationis, vt curam gerat de omnibus promotus eſt, quique poſt abnegationem Chriſti Dei & Domini ſine pœnitentia ordinatus Diaconus fuit, nunc poſt homicidij & abnegationis publicam pœnitentiam, Sacerdos & Princeps inſtitutus eſt.

Hæc autem fuit occaſio modernæ diſſenſionis, qoia videbarur eis propter promiſſionem præceptam in litteris faciendam in manu Abbatis Diuionenſis, velle me Flauiniacenſem Eccleſiam ſubdere ditioni Diuionenſis. quod ego nec ſperaueram, nec volebam.

Vvibertus Antipapa obijt. In ſpacio igitur temporis quo Valentinenſe celebratum eſt Concilium, obijt Vvibertus, xx. anno ex quo Sedem inuaſit Apoſtolicam, cùm haberet in captione Matiſconenſem Epiſcopum, & alios quamplures Clericalis ordinis, quos omnes pro abſolutione ſua in egreſſu ſuo per ſe abſoluit, monens Epiſcopum vt Romam remeans apud Papam pro ſua laboraret ereptione. Qui Papam adiens, reperit ibi Legatos Eccleſiæ Eduenſis ſuper ſuo Epiſcopo conquerentes, & geſta Concilij referentes, modumque accuſationis. quòd promiſerit Vvalterio Archidiacono præſente Stephano Cantore in dormitorio Eduenſi, ſi ipſe adjuuaret eum, ne mater eius vel frater, penes quos magnum erat poſſe, nocerent ei de Epiſcopatu adipiſcendo,

haberet quinquid vellet in Eccleſia & quòd pro hac accuſatione, cuius erant
auctores omnes ferè Canonici, illi quammaximè qui Concilio interfuerunt miſſi
ab alijs numeto XIII. de primoribus Eccleſiæ, & in ea meliores Archidiaconi
duo, Præpoſitus, Cantor, & alij nobilitate & ſcientia honeſtatéque præcellentes.
ego quoque ipſe qui ad quetimoniam Capituli Eduenſis iudicio Concilij in ſedem
& locum reſtitutus eram. quòd pro hac, inquam, accuſatione, quam eò enixiùs domi-
nus Abbas Cluniacenſis per Legatos ſuos, domnnſque Diuionenſis per ſe efferе-
bant, quo inclementiùs tyrannidem ipſius qui impetebatur, experti erant, contro-
uerſia in Concilio orta fuetit; dicentibus his qui partes accuſati defendebant, non
eſſe idoneas ad accuſandum perſonas, pro eo quòd oues Paſtorem reprehendere, aut
accuſate non habent, hij maximè qui electioni eius conſenſerant, & fauerant con-
ſecrationi. Audierant quoque anathema inuectum in eos, qui eam reprobandam
ſcirent, nec manifeſtarent, & rem ipſam ante conſecrationem actam conſtabat,
quodque poſt conſecrationem accuſarot ipſe Diaconij officium, locumque pro-
motionis ab eo ſuſceperit, & teſtis accuſationis, officium Cantoris, & vterque el
hominium fecerint, non eſſe ſufficientem accuſationem, in qua alter accuſator, al-
ter eſſet teſtis idemque accuſator. Legatis è contra reſpondentibus, in cauſa ſimo-
niæ nullum omninò, quanquam infamem, quanquam ſubditam perſonam, remo-
ueri ab accuſatione, cùm domnus Papa Gregorius VII. in Concilio Romano ad
accuſationem cuiuſdam Abbatis ſimoniacum quendam depoſuetit Epiſcopum,
eodem Abbate primò pro eadem ſimonia, cuius ipſe particeps & conſentaneus
fuerat, depoſito, ſufficientem eſſe in vno accuſatore, & vno teſte accuſationem.
Illis quoque qui impetebant obicientibus, & ſactamento probare volentibus,
quia iuniores erant, & non adeò in Canonibus exercitati, ignoraſſe quòd eſſet in
promiſſo illo peſtis ſimoniæ, & mox vt reſcinerunt prodidiſſe, ſicque à ſe jaculum
excommunicationis repellentibus. Adijcientibus etiam quòd electio eius in ipſo
exordio infirmata & omninò reprobata fuerit à Metropolitano, pro eo quòd anno
& die in excommunicatione manſerit, Archidiaconij officium in Eccleſia Lingo-
nenſi obtinendo, itemque Archidiaconi & Canroris (cùm non eſſet Diaconus) in
Eccleſia Eduenſi, contra vetitum eiuſdem Metropolitani & Legati, & in ipſis Præ-
laturis ſimoniacè viuendo. quodque poſtea quàm infirmara eſt, abſque conſcien-
tia Capituli Lugduni Diaconus ordinatus ſit. Referebant etiam ijdem Legati, vbi
ad iudicium ventum eſt, diſſenſionem accreuiſſe, dicentibus Epiſcopis, pro vſu
Gallicanæ Eccleſiæ, qui quaſi confirmatus erat in Concilio Clarimontenſi pro
præſentiâ Vrbani Papæ, itemque in Concilijs habitis à domno Lugdunenſi, pur-
gationem imponendam ipſi qui impetebatur, quãuis hoc Canonum auctoritatibus
firmare non ſufficerent. Legatis è diuerſo reſpondenribus, & canonicâ aſſertione
firmantibus, accuſatorum eſſe probare quod obiecerint, ſi legitimi ſunt, vel in cauſa
ſimoniæ vbi nulla requiritur legalitas, eo quoque qui accuſabatur Romanam Se-
dem appellante, cui appellationi non aſſenſum ſit ab eis: eò quòd cura, quam alij
in parte ſollicitudinis, ipſi haberent in plenitudine poteſtatis, qui Romana Ec-
cleſia, & Iudices in eadem eſſent Eccleſiâ. Cumque tardantibus Epiſcopis iudi-
cium dare, nox imminens & expectatio Epiſcoporum conuentum ſoluiſſet, dila-
tione data, ſententia ſuſpenſa, in craſtinum eadem re diutius ventilata, agitata, nec
terminata (petentibus omnibus Epiſcopis de iudicio diſſidentibus) induciæ datæ
ſunt vſque ad Pictauenſe Concilium. quò pars vtraque vocata eſt. eo tamen à Pon-
tificali & Sacerdotali ſuſpenſo officio, cùm idem per ſe & ſuos munera quædam
Epiſcopis nocte eadem miſiſſet, quæ à quibuſdam ſuſcepta, à quibuſdam ſunt re-
probata: quod etiam Cardinales non latuerit. adeò vt in plenario conuentu gratiæ
circumſedentibus redditæ ab eis ſint, quòd Sacerdotalia pectora auri ſacra fames
etſi temptaſſet, non irrupiſſet. Hæc quidem, cùm præſens eſſet Matiſconenſis, in
audientia domni Papæ referebantur. Aderant & litteræ Cardinalium Sedi Apo-
ſtolicæ directæ pro eadem cauſa; ne quod factum erat ad honorem Cardinales ſi-
nerent infringere. Et cùm rogaret pro confratre Epiſcopo, dimiſſus eſt ab eo, ac-
ceptis mandatis vt iuſtitiæ fauerent Cardinales, apud ſe ratum fore iudicium æqui-
tate Petri prolatum. ſicque rediit, & Pictauenſi Concilio interfuit, quod aggre- Pictauenſe Concilium.
gatum eſt in Eccleſia S. Petri, die octauarum S. Martini, Epiſcoporum & Abba-
tum numero LXXX. Affuit & Eduenſis cum Cabilonenſi, Dienſis quoque Epiſco-

pus, quem illò miſerat domnus Lugdunenſis, vt partes Auguſtudunenſis ſuâ vice tueretur. Aduenerunt & Canonici aduersùs eum numero xxxv. Repetuntur quæ jam in priori Concilio ſuper accuſatione eius objecta fuerant; quibus miro modo, multo documento, ſed non probabili, ab alia parte reſiſtitur. Manet controuerſia præfata, & ferè à toto Concilio repugnatur ſuperiùs dictis Cardinalium reſponſionibus pro vſu Gallicanæ Eccleſiæ, illis ſuam auctoritatem in nullo infringere volentibus, nec appellationi aſſentientibus. Datur tamen ei locus ſe purgandi cum idoneis perſonis, ſicut voluerat Concilium, & hoc impræſentiarum, non conceſſa dilatione induciarum quæ quærebantur, nec admiſſis ad purgationem, Cabilonenſi quem ſecum adduxerat, & Dienſi quem Archiepiſcopus miſerat. Quod cùm factum non fuiſſet, iudicio dato, eis fruſtra Sedem Apoſtolicam appellantibus, rogabatur ſtolam reddere & annulum. Et interim ipſe retrò altare ſecedens cum ſuis, nec iudicio parere voluit, nec ad conſeſſum remeare, vt præcipiebatur, aſſenſit. Quamobrem ab Epiſcopali & Sacerdotali eſt officio omninò depoſitus, & niſi obediret, à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſegregatus: omnéſque, qui ei vlteriùs vt Epiſcopo obedirent vel reuererentur, æterna maledictione mulrantur, vel qui ei opem ferrent in pertinacia perſiſtendi. Quid autem interceſſerit, quòd cùm Turonenſis Archiepiſcopus, & Redonenſis, & alij quamplures cooperatores ſe primò obtulerint defenſionis; & adiutores purgationis, quia erant de Prouinciâ Lugdunenſi, in tempore ſe neceſſitatis ſubtraxerint, reticere non debemus. Vbi audierunt Canonici noſtri id ab eis præſentari perſonæ illi, cuius ignorabant vitam & mores, ſolliciti ad eos conueniunt, priuatim conteſtantes & publicè, ne attaminarentur communione illius, nec dicendi ſacramenti, imò perjurij, quorum purgatione eadem certiſſimum erat periculum, ſi tamen purgatio dicenda eſſet criminis exaggeratio: aſſerentes ſi non adquieuiſſent, ſe quotquot erant Canonici, perjurium eorum ratione & ſacramento declaraturos, & iudicio ignis probaturos. Quod dictum ab incœpto eos prohibuit, maximè quia videbant viros tantæ auctoritatis & nobilitatis rationem ſuam euidenti aſſertione & documento probabili aſtruere. Et de eo quidem ita ſe res habet. Ipſe verò quanquam depoſitus, quanquam à conſortio & communione Eccleſiæ ſequeſtratus, ſtolam retinuit & anulum, bona tamen Epiſcopij Clerici prouidebant & diſponebant, quod & nunc vſque faciunt omnimodis id ægrè ferente Archiepiſcopo, quod extrà voluntatem ſuam & accuſatus & iudicatus, depoſituſque foret à ſe ſacratus Epiſcopus, querimonia extrà prouinciam ventilata per manus legatorum, nec ad ſe qui Metropolitanus & Primas erat prouinciæ infra prouinciam relata ſecundùm ſcita Canonica. Ad quod tamen exequendum, & itavt actum eſt peragendum, iuſtæ eos rationis euidens adduxit neceſſitas. Etenim cùm in ipſo primordio ſcandali Cardinales adueniſſent, hortatu & precibus eiuſdem pſeudo-Epiſcopi ad componendam pacem Eccleſiæ, quæ fœda dilaceratione, ſed neceſſaria ſcindebatur, Eduam in feſto S. Nazarij venerunt, & audita partis vtriuſque ſententia tanto fauore proſequuti ſunt, & tuebantur vices illius, quanquam iuſtitia Canonicorum parti faueret, vt de maxima diſſenſione ad pacis vnionem rediretur, & talis eos concordia ſociaret, cui quamuis ægrè à Canonicis aſſenſum eſſet. Quæ cùm tandem obſtinatione eius in irritum deducta fuiſſet, ab eiſdem pòſt Capitulo abnegatam iuſtitiam, ad audientiam Metropolitani & iudicium eius, de communitatis dilapidatione vnde agebatur, vocatus eſt. Quod reſpuit, & de priori benignitate Cardinalium confidens, ad deſignatum Valentinenſe Concilium eos ibidem reſponſurus & ſatisfacturus inuitauit, & nolentes ire coëgit imitatione ſuâ, illis & pro publico damno communitati eorum illato, & pro priuatis iniuriis hominium eius rejcientibus, & apertos ſe inimicos ex hoc maximè, quia de rebus domeſticis ad Concilium & extra Prouinciam vocabantur, proteſtantibus. Dolenda hominis miſeria, qui nullum vnquam dilexit, à nemine dilectus eſt, nulli in ſe peccanti ignouit, nulli poſt iram remiſſionem tribuit, in ſola pecuniæ aggregatione ſpem ſuam omnem conſtituens, non credatur nobis, ſi non in hoc vox vna conſonat omnium. Nec noſtrum eſt, etſi læſi ſumus, læſionis maledicto talionem rependere, qui ſcimus in nos peccantibus nos debere ignoſcere; ſed nec congruit veritati & pietati Eccleſiaſticæ, de his quibus in ſe peccantibus ignouerit, falſa pro veris concinnare, quia vera dilectio à fide veri neſcit deuiare. Tribuat illi Dominus, vt quia cœptis

ſuis omnia aduerſa reſpondere videt, non adiciat vt ſimilem principio finem faciat, ſed ſperet in nomine Domini, non in incerto diuitiarum, & innitatur ſuper Domino Deo ſuo. Amen.

De Philippo Francorum Rege, & Bertrada adulterina coniuge.

Et quoniam viros virtutis memoriæ commendare gratiſſimum omnibus & vtile arbitramur, non abs re videtur nobis ſi zelum horum legatorum contra impudiciſſimum Philippi Regis Francorum adulterium ſecundæ Ihezabelis veneficiis à vero & iuſto, vtili & honeſto deprauati, paucis explicemus. Nec indignetur erga nos quiſpiam, quòd quaſi regia à nobis carpatur vita, aut laceretur tantæ majeſtatis vel nominis excellens auctoritas. Non eſt noſtræ voluntatis aut ſtudij, in his vel tempus expendere, vel ſtudium atterere; ſed virorum facta fortia, quæ ſine illis, quorum comparatione fortia ſunt, & cum quibus decertatum eſt, memorari aut vix aut nullatenus poſſunt, à noſtro non patimur alienari labore, vt ſi fortia audere nequimus, ſaltim fortium benè acta timemur. Si ſileat ſchedula, tota conclamabit Francia, immò totus Occidens vnâ intonabit famâ, quòd Rex legitimo abdicato matrimonio, regiæ ſtirpis vxore repudiata, thori fide violata, regij cubilis decore obnubilato, regij germinis ſplendore obfuſcato, Comiti ſuo Andegauenſi vxorem ſubripuit, militi vtique ſuo cui fidem promiſerat, & carnis conſanguinitate propinquo: adeovt ex vna parte in tertio, & ex alia in quarta propinquitatis ſanguine necterentur, & fœdera conjugij, quæ ne dirimerentur regalis gladius vltor hactenus inhibuit, impudica & incontinens Regis diſſoluit laſciuia, impudica & inreuerens, ſcindenda & dirimenda tot annis violat obſtinatio. Verum quid mirum ſi in fluuio ſeculi; in torrente fluoris regij Leuiathan antiquus quem abſorbuit, inuenit; qui in deſcenſu Iordanis precioſa & electa rapit, in ordine Epiſcoporum qui præeſſe debent ipſos præſidentes ſibi ſubſternit? Rex regiæ caſtitatis oſor, regij thori violentus effractor, diadematis regij procax conculcator, etſi potuit Reginam à thoro & corona indebitè deicere, non poterat adulteram in ſolio regni benedictione firmare, niſi in ordine Epiſcoporum complices ſibi inueniſſet, vel ſibi ipſe miſerabili deſperatione promouere feciſſet, qui voluntatis eius exequutores, & Reginæ nouæ noui forent ſacratores. O impudentia! ô miſerabilis diſperſio lapidum Sanctuarij in capite platearum! ſi Regina immeritò abieitur, quid eſt quòd adultera, quòd cognato iuncta, marito reclamante, vimque paſſo, ſubinrroducitur? Si vis regia jus abnegat, fas ſubruit, nefas attollit, quid rogo, eſt quod nefas benedicitur, & in templo ſacrilegium attollitur, adulterium ſacratur, impudicitia promouetur, & hoc per manus Epiſcoporum? Nequius hîc aliquid video quàm in tempore beati Papæ Nicolai in Tietberga Regina repudiata, & Waldrada adultera ſubintroducta à Lothario Lotharij Imperatoris, qui Monachus factus eſt, filio, quia etſi ibi fallax Epiſcoporum iudicium, ſi Reginæ innocentis dejectio, ſi legitimi thori diuortium, ſi pellicis exaltatæ intra regales aulas proſtibulum: non illa tamen viro juncta, non à latere viri, conſanguinei, & militis rapta, non in ea nuptiarum vtrimque ſunt fœdera violata, ſed concubinariæ oblectationis antiquæ gurges inexplebilis intemperanter memoriæ reductus, dum concupiſcentiæ enerues laxat habenas, nec ſcit reuocare ſolutas, ſibi mortem, regno horrorem, Epiſcopis calamitatem, optimatibus miſerabilem induxit necem & confuſionem. Hic omnia confuſa, omnia horrentia, omnia diabolico aſtu & malignitate corrupta. Inuenit, inquam, Rex iſte in Epiſcopis, quos ſibi ſociaret, quos tanti ſacrilegij miniſtros efficeret, Philippum Trecenſem Epiſcopum, & Walterium Meldenſem: cui ob hoc Epiſcopatum dedit, vt ſacrationi, cuius Trecenſis eſſet operator, hic foret conſentaneus & miniſter. Sed quid ſuccenſemus Epiſcopis, quibus pietas Apoſtolica errati tribuit remiſſionem? Multa hi à domno Epiſcopo Lugdunenſi tunc temporis Legato Rom. Eccleſ. correcti inuectione, multa niſi ipſi præcauiſſent multati fuiſſent ſeueritate. Sed, vt præfati ſumus, Romana pietas, & errata donauit, & remiſſione ſua infamiam ſuperauit. Adeò vt compelleretur Archiepiſcopus datis à Roma ſibi Litteris, vtrumque in communione ſuſcipere & c[?]culo. Quod ex quo pietatis fonte manauerit, quærat qui volet, & ſi poteſt intelli-g[?]t. Regem quoque ipſum pellicis ſuæ proſtitutione ſuperbum, à reproba eiuſdem conjunctione ſequeſtrans temptauit, interdicta illi corona niſi obediret, ſed neſcit impetus mala quæ fecit, niſi cùm pro eiſdem peccatis cœperit jam puniri. Diu de his tractatum eſt, ſed renuit Apoſtolico mederi antidoto, cui veritas & iudicium ad

arbitrium pendet femineum: vſquequo Vrbano Papa decedente Paſchalis ſuccederet, & has Eccleſiæ columnas de quibus agitur, ad Gallias deſtinaret, quos iure columnas Eccleſiæ dictos ex ipſa ſui firmitate & inconcuſſa animi virtute, qui opera eorum ſolerter intuetur, colligere poteſt. Hij poſt Concilium Valentinum per ſeipſos Rege conuento, cum nullam in verbis vel actibus eius correptionem vel pœnitentiam, fodiendo circa arborem infructuoſam, & cophinum ſtercoris aggregando, repperiſſent; non paſſi tantam videre in Eccleſia Catholica ignominiam & conculcationem, membrum putridum in Concilio Pictauenſi à compage corporis Chriſti gladio anathematis præcidere non metuerunt. Aderat ibi Comes Pictauenſis ſumma prece eos depoſcens, ne dominum ſuum excommunicarent. Aderant & Epiſcopi identidem facientes, & cùm non impetrarent quod volebant, à conſeſſu & loco Concilij, idem Comes & ſui minas intendendo, aliqui quoque ex Epiſcopis, multi ex Clericis, innumerabiles ex laicis exierunt. Sic ordine turbato, pace in tumultum verſa, illi remanſerunt qui Finees zelum imitari geſtiebant, & ſicut ille ſcortum Zamariæ cum Chorami Madianita gladio pupugit, furorémque Domini placauit; ſic & iſti non veriti fremitum perſtrepentium, adulterantem Regem cum adultera quem corrigere nequiuerunt, pugione excommunicationis perfoſſum, vitæ, quæ in Chriſto eſt, extorrem reddiderunt. Hoc autem actum eſt, quando jam ſoluendum erat Concilium. Iamque laus Chriſti in ore eorum qui aſtabant pro dimiſſione Concilij, vt moris eſt, reſonabat, & æſtus turbæ tumultuantis vt feruor maris incandeſcebat pro domini ſui Regis excommunicatione inſanientis, cùm quidam è populo in ſuperioribus conſiſtens Eccleſiæ lapidem jecit, Cardinales ferire volens, cuius ictu Clericus quidam qui aſtabat capite illiſo proſternitur, ſanguine manant pauimenta, clamore confuſo domus impletur, furore & inſania intus & extra miniſtri Sathanæ debacchantur. Manent columnæ Chriſti immobiles, mortem ſi Dominus jubeat intrepidi opperientes, & ad ſaxa volantia mitris ablatis capita nuda retegentes, nec aliquando à laude Dei & prædicatione veritatis reticentes, quod voce proſequuti erant, ſanguine confirmare (ſi ſit neceſſe) geſtientes. Quorum conſtantia deuota, & deuotio conſtantiſſima, furentium facta eſt repreſſio, & ad pœnitentiam cordium inclinatio. Adeò vt Comites, & quotquot antea graſſabantur in confuſione eorum, humiliati ſint in conſpectu illorum ſatisfactione præmiſſa, & prætenta obedientia.

Tractatum eſt in Concilio eodem de expulſione Abbatis S. Remigij iniuſta, & Burchardi ſubſtitutione illicita, & cùm diù re ventilata conuerſatio eius ſancta, introitus legitimus, promotio atque ſacratio, inuenta fuiſſet autentica & canonica, quæ etiam litteris domni Papæ Vrbani roborabatur, quibus meritò fides adhiberetur, cùm jam ipſa etiam pars inimica reſtaurationem eius non reprobaret: pro quibuſdam litteris confictis, quaſi à Sede Apoſtolica directis, in quibus Cardinales nec ſtylum Romanum, nec pergamenum Romanum agnoſcebant, maximè cùm fine earum ſubſcriptum foret, *Valete*, quod Romana non habet auctoritas, pro illis inquam confutandis iudicatum eſt ad Sedem eundum Apoſtolicam, quibuſdam qui primò appellauerant, nec conceſſum erat eis, id ægrè ferentibus, quibus tamen euidenti ratione reſponſum eſt, etſi ſatisfactum non eſt.

Quantam autem fidei frugem virilis illa propugnationis cœleſtis ſeges attulerit, hinc colligi poteſt, quòd poſtea cùm apud vrbem Senonum Rex cum Regina ſua per xv. fere dies remoratus fuiſſet, clauſis tota vrbe Eccleſijs, nulla facta eſt ei Chriſtianitas, in tantùm vt Ihezabelis furor vſus nouitate profanâ manus impias in Deum expendens, miſſis apparitoribus Eccleſiam frangeret, & in ea ſibi Miſſam à ſui ſimilibus dici cogeret. Væ humanæ impudentiæ! Inerubida ſeruilis, & non regij animi cauillatio, Romanâ vſa leuitate, nunc vſque Reginam ſuam tuetur, & dedecoroſis amplexibus erroris & impudicitiæ æſtibus ſuccenſa, coronæ dignitatem dedecorat, & cùm olim ad exorandum Deum gentiles Reges, & abſque jugo leges dederint, & blaſphematoribus ſeu contemptoribus Dei vindictam intentauerint: hic regni Francorum propagator, Chriſtianæ legis propugnator, contraria præceptis prædeceſſorum peragit, Legis ſanctæ & Rom. Pontificum ſtatuta conuellit: & quod peius eſt, eiſdem patrocinantibus, ſi dici licet quod pudet, ignominiæ ſuæ defendit cauſas, excuſationes prætendit, & à quibus cogi debuerat vt reſipiſceret, eiſdem fauentibus admonetur, vt in iniquitate perduret. Agit hoc auaritiæ gurges

gurges inexplebilis, qui dum nequit expleri, nouit reſecanda tueri. Verùm de his iſta ſufficiant.

Anno Incarnationis Dominicæ MCI. Iohannes Tuſcolanus Epiſcopus à Papa in Angliam miſſus eſt propter cenſum beati Petri. Hic Canonicus S. Quintini Beluacenſis regularis, profeſſione violata, habitu depoſito, ad ſeculum rediјt : & cùm improperium ferre nequiret, Becci Monachus factus, cùm eſſet natione Romanus, Papa Vrbano ad Gallias veniente, familiaritatem eius adeptus eſt, Romamque reductus, & defuncto Lauicano Epiſcopo, cùm jam de Abbatia quadam muneratus eſſet, demum de Abbate in Epiſcopum promotus eſt. Iam Romam Cardinales redierant, ſententiam depoſitionis factam in Eduenſem inuaſorem palàm confirmantes, & teſtimonijs authenticis Canonicam eam pronunciantes, cùm à domno Lugdunenſe hoc eorum factum improbaretur palam & publicè. Hunc Hieroſolymam euntem prædictus Tuſcolanus ſiue Labicanus Epiſcopus inuenit in itinere, cum Cabilonenſe, & ipſo Eduenſis Eccleſiæ inuaſore, & abſentibus accuſatoribus extrà prouinciam purgationem Eduenſis ſuſcepit, Lugdunenſi proſequente, & iuramentum eius ita confirmante, Credo Norgaudum iſtum Eduenſem Epiſcopum vera iuraſſe ſ. m. d. a. Cabilonenſi quoque in id conſentiente, & idem iurante. Ego miror grauitatem tanti viri, pro ingenita ſibi bonitate & honeſtate famâ vbique celebrati cuius inadulatam conſtantiam Gallicana veneratur Eccleſia, ita ab vno homine potuiſſe decipi, vt nunc vſque partes illius manu teneat, tueatur, & protegat, & ferè ſolus ſit in noſtro orbe, qui de illo homine bona & recta ſentiat, cùm ſententiæ eius huic omnium ferè etiam abſentum & ignotorum repugnet generalitas, & generalis vnanimitas. Additur & huic miraculo, quia cùm ante ordinationem illius infauſtam, veniſſent ad eum bonæ memoriæ domnus Hugo Abbas S. Martini Eduenſis, Præpoſitus quoque eiuſdem Eduenſis Eccleſiæ, & Archidiaconus Signius, & electionem illam ſimoniacè factam approbauiſſent, Decania, Archidiaconia, Præcentura, & aliis quibuſdam Eccleſiaſticis officiis promiſſis, & daris, vt nunc potis eſt apparere, verba dixit eſſe ex odij fonte manantia, coëgitque viros ab incœpto interim ſilere, dum voci illorum tenuit aurem accommodare. Adeo vt eos etiam fecerit eidem ordinato profeſſionem facere, quem culpabant de tam manifeſta ambitione promittens : ſi ſimonia illa effectui manciparetur, ſe aliter loquuturum, nûc de occultis alieni cordis non debere temerè iudicari. Et nè aliquis eſſet, qui ordinationem illam à ſe factam improbaret, eandem profeſſionem, quam illi fecerant, omnes Canonicos qui conuenerant promittere fecit, & eos qui domi remanſerant idem agere mandauit, cùm in primordio electioni eidem omninò obſtitiſſet, quia ſemper Canonicis repugnaſſet decretis, in duabus Eccleſiis prælationem obtinendo, ſcilicet Archidiaconias duas, cùm non eſſet Diaconus, nec eſſe vellet, & Cantoris officium.

Ea igitur ſuſcepta purgatione, præfatus Iohannes Eduenſem ſecum reduxit, Lugdunenſe Romam tendente, vbi & Canonicorum Eduenſium aliquos inuenit cauſam ſuam agentes. Excommunicauerat enim eos idem poſt diſceſſum Cardinalium, qui à ſe dimiſſo apud Romanos Iudices accuſationem retulerant; & quia bona Eccleſiæ pro hac diſſenſione, dum quod cœperant ad perfectum elaborant deducere, aliquantulum diſtraxerant; & quia de his vocati ad iudicium, audientiam eius, quem ſibi inimicari cognoſcebant, non receperant, & quia domum Epiſcopalem ſibi reddere nolebant. Vnde Romæ quæſtione habita, & ipſi à Papa abſoluti pronuntiati ſunt, & domum cum litteris Apoſtolicis remiſſi, Lugdunenſi cum Dienſi Hieroſolymam proficiſcente. Norgaudus verò Eduam veniens cum Iohanne, apud S. Martinum hoſpitatus à Canonicis ſuſceptus non eſt, in eodem tamen Cœnobio Miſſas celebrabat, criſma fecit, & miniſterium Sacerdotale attemptare non timuit paruipendens quidquid Cardinales in eum intentauerant ; & de tuitione Archiepiſcopi, & pietate Apoſtolici, & ſua liberalitate confidens. At verò Cardinales in ſua ſententia permanentes, quod factum erat publicè reprehendebant, quòd non eſſet canonicum, ſed ab æquitate Petri alienum, & ob id à familiaritate & conſilio Papæ ſe ſubtraxerunt, itavt Iohannes, Româ relicta, Papiæ etiam nunc remoretur, regulariter degens cum fratribus in Eccleſia, de qua ad Palatium raptus erat. Benedictus verò in titulo ſuo remoratur, à Curiæ conſilio ſe remouens, & quod damnauit improbans. Ita turbata Eduenſe Eccleſia, Norgaudus Flauiniacum iuit, & Girardum aliquando Priorem Colticenſem contra interdictum

Capituli Eduenſis ibi Abbatem conſtituit, mercedem pertinaciæ ſuæ in hoc etiam conſequutus, vt omnia diebus ſuis in peius vergi videret, ſicut & de Eccleſia S. Martini religionem exturbauit, & ſecularitatem introduxit eum ibi ordinans, quem nomine tenùs domnus Archiepiſcopus interdixit: ſic & in hac ſummam infelicitatem de diſperſione & deſtructione Ordinis conſequutus, non intelligens quod dicitur in Sardicenſi Concilio cap. IV. *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſc. iudicio, qui in vicinis locis cõmorantur, & proclamauerit agendum ſibi negociũ in vrbe Roma, Epiſcop. in eius cathedra poſt appellationem eius qui videtur eſſe depoſitus, omninò non ordinetur, niſi cauſa fuerit iudicio Romani Epiſc. terminata.* Ita Norigaudus indiſcuſſum, inauditum, indemnatum me, Eduenſis Capituli audientiam & Lugdunenſis appellantem, & eum ad hæc non admitterer, Romam etiam appellantem, & ex parte Dei & beati Petri & Papæ ordinationi illi contradicentem, quantum in ſe fuit dejecit, & ipſe quod quæſiuit inuenit: nunc igitur ſi iuſtè, ſi canonicè egit, lætetur in paſtore quem conſtituit, & in grege cui tam idoneum paſtorem prouidit. Sin aliter, egrediatur ignis de Norigaudo, & deuoret eum cum ſuis. Egrediatur ignis de Gerardo & ſibi commiſſis, & conſumat Norigaudum cum ordinationibus ſuis.

Milo Legatus. Poſt hoc miſſus eſt Legatus in Franciam Milo ex Monaſterio ſancti Albini...... Epiſcopus. Hic fecit vt infra ciuitatem Norgaudus reciperetur, & quandam concordiam inter eum & Canonicos fecit, fecit etiam vt in Capitulo Cluniacenſi ſuſciperetur, & Epiſcopus acclamaretur, facta in eodem Capitulo ceſſione quarumdam Eccleſiarum numero...... abſque laude Canonicorum, & eorum qui erant cum eodem Norgaudo, & eorum qui contra eum venerant cauſas acturi in præſentia Legati.

Obitus VVillelmi iunioris Regis Anglorum. Anno Incarnationis Dominicæ MXCIX. obijt Vrbanus Papa, ſucceſſit Paſchalis. Obijt etiam Willelmus iunior Rex Anglorum. Quo etiam anno in Anglia, fons verum ſanguinem olidum & putentem manare viſus eſt. Ad quod ſpectaculum cùm ferè tota inſula cucurriſſet, inſolita rei nouitate ſtupefacta, Rex præfatus aduenit, & vidit, nec tamen ei profuit vidiſſe. Autumabat vulgus promiſcuum portentum iſtud mortem Regis portendere, quod etiam ei dicebatur à referentibus, ſed homo ſecularis, & in quem timor Dei non ceciderat, voluptatibus carnis & ſuperbiæ deditus, diuinorum præceptorum contemptor & aduerſarius, qui tamen ſatis regij fuiſſet animi, ſi non Deum poſtpoſuiſſet, faſtu regni inflatus nec cogitabat ſe moriturum. Ideò cùm temporibus eius miranda in Anglia contigiſſent, Domini recordatus non eſt, immò nec ſui ipſius, cùm etiam quibuſdam reuelationibus, quæ tamen ei non profuerunt, ad Deum conuerti moueretur quibus nec obediuit, pœnâ quæ ei diuino iudicio intentabatur perterritus. Impletum enim erat in illo quod dictum eſt, *Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnet*: & quia Deum deſeruit, ſanctam Eccleſiam opprimens, & eam ſibi ancillari conſtituens, à Deo quoque derelictus eſt. In ſylua, quæ adjacet Wintoniæ ciuitati, dum venationem exerceet, ſagitta à quodam percuſſus, quo lethali vulnere decidit, & exanimatus eſt, pœnitentiâ & communione carens, & apud eandem vrbem ſepultus. Temporibus eius ventus vehemens de flumine Tamiſiæ exurgens ædificia plura deſtruxit, nec aliquando tantus turbo ventorum ſæuientium illo auditus eſt. Hic irruens Monaſterio ſanctæ Mariæ in ciuitate Lundoniæ conſtituto, vbi hæc acta ſunt, tectum omne dejecit, trabes nouem numero vt erant compactæ, diſtantibus inter ſe ſpacijs inſimul arripiens, longiùs aſportauit vſque ad forum paſſus ferè L. & in eodem foro, quod dictu quoque incredibile eſt, ita diſtantibus æqualiter ſpaciis vt erant compactæ, terræ capitibus in ima demerſis, infixit; vt vix cubitus vnus de tanta earum longitudine foris appareret, quod & permanet vſque in hodiérnum diem. Quadros etiam ſuper muri altitudinem ſitos, ſupra quos tectum ſtabilitum erat, vſque ad ſeptem millia reuolare fecit, quod nunc vſque cernere poſſibile eſt, fuit autem circa horam diei nonam. In eadem etiam Eccleſia jacebat quidam æditus cum alio quodam in lecto vno, & inter medium eorum cùm jacerent diſtante inter ſe ſpacio, vna trabium vento acta per medium lecti terram intrauit, vt vix ſummitas eius appareret, nec læſit jacentes, niſi quòd timore penè exanimati ſunt.

In eadem ciuitate ſpacioſa & populoſa, cùm eſſent multi canes ad obſeruandas domos, qui quantò ſunt breuiores corpore, tantò ſunt acrioris & ferocioris naturæ, nocte obtenebrante ante domum maioris Eccleſiæ S. Pauli congregabantur, ita

inſiſtentes tranſeuntibus, ſi quem fortè offendiſſent ſolum aut impotentem; aut ſine baculo, vt nullus auderet abſque comitatu vel defenſione per locum illum tranſire, præſertim cùm jam plurimos morſibus attrectaſſent, & ſingulis noctibus ad huiuſmodi excurſus ferebantur. Iam propè nullus per illud iter agebatur, & ſi cui fortè incumberet neceſſitas itineris, diuerticula quærebantur, cùm congregati Lundouienſes in banno placito ſuo clamorem ſuper hoc bis terque fecerunt: & cùm præceptione data vt vnuſquiſque canes ſuos includeret noctibus & cuſtodiret, nec ſic reuocari ab incœpto potuiſſent: data ſententia adjudicatum eſt omnes debere occidi, die quoque conſtituta qua id deberet fieri. Quæ cum inſtaret, nocte ipſa quæ diem præcedebat, ita omnis multitudo canum illorum ferè vſque ad quatuor millia diffugiens non comparuit, vt nullus inueniretur qui diceret quò abierint, vel quid facti fuerint, & ita ciuitas liberata eſt.

Pudet referre illud inauditum ſeculis omnibus monſtrum, quod tunc temporis in eadem inſula contigit; ſed reticendum non eſt, vt quicumque audierit tinniant aures eius, & obſtupeſcat, & erubeſcat talibus inuolui, quibus nullus vnquam irretitus eſt, niſi qui à Deo derelictus in reprobum ſenſum traditus eſt, hominem dico maſculum impregnatum, & monſtrum illud cum dedecoroſæ concretione vſque ad quædam lineamenta corporis humani perductum, & hominem illum, quod deteſtabilius eſt, Clericum de Capella Regis Petrum dictum, per annum integrum, & eo amplius hoc portentuoſo & ignominioſo onere dehoneſtarum, & vſque ad mortem perductum, cùm ille palam & publicè confiteretur peccatum ſuum, quod ſi vellet, celare non poſſet, & aperiri ſibi vterum ad detrahendam & eruendam informis prodigij ſarcinam deprecaretur, nec impetraret ad hoc vſque ingraueſcente & recrudeſcente inſania, cùm fæminea pati cogeretur, & natura repugnaret, perductus eſt, vt mori ei neceſſe eſſet, ignominioſam mortem de ignominioſa vita conſequutus, & extra Cimiterium abſque officio Chriſtianis debito, ſuo tamen iuſſu & petitione, ſepulturâ aſini ſepultus. Cuius cadauer apertum ita in ſe habere inuentum eſt, ſicut relatum eſt. Frater hic erat Girardi, cui poſt Rex præfatus Eboracenſem dedit Archiepiſcopatum cuius vita cùm ſatis ſuperque eſſet norabilis, etiam diabolo ſactificaſſe impetebatur. Fuiſſet nimia in omnes magnates eius & amicos dæmonum oppreſſio, & in omnes ei obſequentes, niſi Camerarius eius, cui porcum parare, & ſibi clanculò afferri mandauerat, ammiratus quid vellet facere in locis abditioribus ſe occuluiſſet, cùm rogatus fuiſſet egredi, illis tamen locis de quibus liber eſſet videndi quæ ab illo operabantur acceſſus, & cùm eum cum dæmone loquentem audiſſet, cuius tamen vocem audiens formam non vidiſſet, & poſt cùm illum per neceſſarias tranſlatum iuſſu dæmonis ab illo vidiſſet, & poſt ab eo adoratum, infanda etiam quædam in conciliabulo illo audiſſet, cùm poſt euocato ei præceptum fuiſſet inſtruere conuiuium, conuocare omnes quotquot poſſet ad epulum, & de illo porco omnibus omnino prælibationem quandam parare, vt nullus eſſet qui non guſtaret ille porcum terræ infodiſſet, & de alio quod præceptum fuerat implere ſtuduiſſet: illo ita vt præceperat factum fuiſſe putante & credente, niſi à dæmone inſtructus fuiſſet, à quo quidquid Cametarius fecerat, publicatum ei eſt. Qua de re cùm Camerarius impeteretur, & capi mandaretur, ille qui hoc timens ſibi præcauerat, gladio educto ſeſe defendendo domum venit, & conſcenſo equo quem parauerat, ad Regem Henricum Willelmi ſucceſſorem confugit, cui omnia retulit paratus quod dicebat vti iudicatum fuiſſet approbare. Hæc & alia quædam monſtruoſa ferebantur hoc anno de eo per totam Inſulam, quando ibi fuimus, & dies quo de his & alijs diſceptatio haberetur, & iudicium daretur, conſtitutus erat, quem tamen non expectauimus. Hoc tamen de eo omnibus notum erat, eſſe eum malæ vitæ, & omnino Epiſcopi officio indignæ, quæ à pueto impura extitiſſet, nec aliquando emendationem ſuſcepiſſet. Quo etiam anno inundatio ſanguinis à præfato fonte manare dicta eſt, quam tamen non vidimus. In Capella autem omnibus diebus Dominicis ſiue feſtis Sodomitæ excõmunicantur. Alibi quoque enixa eſt vacca fœtũ informẽ bicipitem, quadricornẽ, ammirari quis poſſet tantam rerum nouitatem, niſi, quod mirabile, Deus tanta hominum crimina & peccata tantâ patientiâ ſuſtineret, vt jã pene rarus ſit qui credat Deum aut res humanas curare, aut in malefactores vindictam exercere, ita cernimur omnes in iniquitatibus efferbere. Quid enim nunc in

mundo, niſi omnis iuſtitiæ exinanitio? omnis iniquitatis & abominationis inundatio? Sed nos interim hæc triſtia ſeponentes, paulo ſuperiora repetamus,

Non autem prætermittendus à nobis eſt domnus Hugo Abbas S. Martini Eduenſis, qui ad eandem Eccleſiam in priſtinum ſtatum ordinis & religionis reſtituendam de Eccleſia Diuionenſi raptus, & ibi Paſtor inſtitutus, cùm multa aduerſa paſſus fuiſſet, & nec nocte nec die requieſceret; cùm etiam de Monaſterio expelli ad horam quos ſecum adduxerat à Diuione vi diſſet, & poſt ſecuri percuſſus penè cerebro vacuatus eſſet, indefeſſus perſtitit, & nouiſſimè, vt dicitur veneno vitam finiuit, brauium beatæ perennitatis adeptus. In cuius obitu omnis illa religioſitas cœpra deperijt. Quis autem eius ſucceſſor inſtitutus ſit referre ſuperſedeo, quia ad iniuriam domni Lugdunenſis referri poteſt, nec ſine eius nota diei; cùm ille, quem ipſe nomine tenus, ne intronizaretur abhuc Abbate viuente, interdixerat; vt dicitur, hic eo ſciente, eo ſuſcipiente, eo annuente ordinatus eſt, ſed hæc interim.

Mors Rodulphi Abbatis S. Vitoni.

Anno igitur præfato ab Incarn. Domini M. XCIX. domnus & pater noſter Rodulphus Abba poſt multa peregrinationis & laborum pericula, cùm ad æternæ repenſationis vocaretur gaudia repromiſſa, in Quadrageſima infirmari cœpit. Morabatur tunc apud Flauiniacum villam, honeſtam & optimam Monaſterij Cellam, vel propter incurſantium occupationum vitandas moleſtias, vel vt liberiùs ſpiritualibus intenderet theorijs, & ſuorum vtilitatibus. Et quamuis grauiſſimis infirmitatis corporeæ artaretur anxietatibus, pernox tamen in orationibus & vigilijs, diuinis interat officijs, diurnale ſeu nocturnale officium ante ſe religioſa deuotione celebrare faciens, & ad Miſſam ſemper in Oratorio ſuſtentatione obſequentium fultus iens, vbi verò immenſitate doloris & infirmitatis lecto in totum decubuit, quod ſolum poterat, affectu, deſiderio, manibus protenſis, & oculis totus ad Deum vigilabat: nec de rigore propoſiti, animo & fide conſtans quidquam minui patiebatur. Et jam fama infirmitatis eius vicinos & abſentes, longè etiam poſitos perterruerat fideles, & certatim confluebant omnes, mediocres, diuites, Comites, Duces, ipſi etiam Præſules, vt tanti viri ſolarentur alloquio & caritate; damnum enim ſibi maximum reputabant, ſi inſalutatus ab eis recederet. Quibus ipſe tanta ſedulitate, dapſilitate, induſtria, & caritate ſeruire ammonebat, vt cùm penè innumerabiles cotidie confluerent mirum videretur etiam his qui ſuſcipiebantur, vnde tanta abundantia, tanta largitas, tanta in omni apparatu hilaris, & non deficiens exuberaret caritas. Nec recuſabat, vt pleriſque infirmis moris eſt, intrantium & exeuntium deuotorum frequentiam, quin potius tanto affectu & officioſitate qua poterat, & geſtu corporis ſuſcipiebat, vt nullus eſſet qui non ſe refectum, qui non conſolatum, qui non adjutum, dum ſolum videre liceret, profiteretur. Direxerat iam Virdunum Epiſtolam infirmitatis ſuæ nunciatricem, & ipſi circumquaque miſerant ad congregandos fratres qui poſſent venire, & qui non poſſent, vt ſanitatem eius à Domino expeterent, aut exitum eius orationibus præmunirent.

Cùm igitur ad eum viſendum certatim vndique concurreretur, ipſe omnès commonefaciebat, omnibus fidem quam tenuerat, & pro qua exulauerat, tenendam inculcabat: dicens hanc eſſe veram fidem, hanc Catholicam & Apoſtolicam, pro qua nullus dubitare deberet pati aduerſa, imò nec ipſam mortem ſubire, aſſerens ſe, ſi vellent, & opportunum fuiſſet, in tam tremenda hora, cùm ad Dei iudicium feſtinaret anima, ſe paratum eſſe quod dicebat, ſacramento firmare, & pro fide eadem milliès, ſi Deus juberet, velle occidi, & cùm jam totus ad ſui diſſolutionem laboraret, inde tamen totus ei ſermo, totum deſiderium, tota affectio, vt hæc fides ſeruaretur, hæc tota virtute, tota anima cuſtodiretur, nec aliquis ante eum venit, qui non ad hoc commoneretur, dicens omninò damnatos eſſe quorum mens ab hac obſeruantia per ſe repelleretur, ſi contingeret eos abſque pœnitentia defungi, vt non per pœnitentiam vnitati corporis Eccleſiæ redintegrarentur. Aliquibus ergo diebus intercedentibus, quaſi præſagus vicini ſui tranſitus, fratres & filios quos Chriſto adquiſierat, ante ſe venire fecit, & ammirabili vultus & oris gratiâ de ſalute ſua eos commonefaciens, & in Domino ſperare ammonens, confitebatur quòd non benè eos rexerit, non ita paterno erga eos affectu egiſſet vt debuerit, quia homo eſſet qui nunquam in eodem ſtatu permanet. Et cùm eos ſatis paternè ammonuiſſet, vt in fide recta firmi perſiſterent, ſicut eum viderant conſtanter & firmiter perduraſſe, & omnes aſtantes vt flerent manu & voce qua poterat compeſceret. *Ego, ait, qui patris vice &*

officio, licèt immeritus fungor, primus vos abſoluam auctoritate Dei & ſanctorum, & officij mihi commiſſi, & vos poſt hæc patrem cariſſimum ſicut filij amantiſſimi & deſideratiſſimi, & ſic ſeparabimur corpore, non autem ſpirituali affectione. Vos præmittetis patrem, & ipſo affectu deducetis ad Dominum, ego, ſi Deus miſericordiam animæ meæ fecerit, quod credo & expecto, adiutor & corroborator ero fidei veſtræ omnibus diebus, & mei memorum memor ero per auxilium gratiæ Dei. Hæc dicens, ſtolam ſibi fecit afferri, & cum eam collo eius impoſuiſſent, iacẽtis tanta gratia & decore reſplenduit facies eius, & ita aptabatur ei, vt omnes mirarentur, & nunc vſque proteſtentur, quòd nunquam ita ei in tota vita ſua habitudo veſtimenti illius in gratia coaptata ſit, ſicut tunc, cùm omnibus diebus vſque ad id tempus, & horam, vix inuenta ſit perſona aliqua, cui ſic conueniret ornatus & appoſitio ſacratum veſtium, ſicut ei, in gratia, in honeſtate, in procetitate, in vultus & pronunciationis & habitudinis dignitate. Proſtratis ergo omnibus, abſoluit cunctos, & abſolutus ab eis eſt. Inde ſociatus omnibus in oſculo ſancto, cùm vidiſſet aliquos nobilium aſtantes, viros religioſos, & qui Deum pluris habuerant quàm ſeculum, ipſos etiam ad ſe euocauit & oſculatus eſt. Stabant in partẽ alteram & nobiles fæminæ, & ipſæ à ſeculo conuerſæ, ſoror ſcilicet Richardi Albanenſis Epiſcopi, & alia quædam non ignobilis familiæ, quas cùm ad ſe ſimiliter euocaſſet; & pro patris affectu eas filias & ſorores ſuas proteſtatus fuiſſet, dicens debere & ipſas patri vltimum vale dicere, manum eis porrexit vt eam oſcularentur, hanc deſignans ipſarum eſſe debere ad eum ſocialem vnionem, quòd non ſit licitum mulieres Sacerdotibus iungi in oſculo, & maximè religioſas religioſis. Cùm igitur & ipſas ammonitas vt his quæ alijs dicta erant, intenderent, & ſcirent eadem dicta eſſe & ſibi, à ſe dimiſſas gratiæ Dei aſſignaſſet, corpus Dominicum ſumpſit, & totus ad Deum conuerſus ſe & omnes pietati eius commiſit, præcipiens omnibus, vt quem nominaret domnus Godezo, qui ſibi aſſiſtebat, vir vtique boni teſtimonij & religioſæ conuerſationis, ipſum ſibi per obedientiam ſucceſſorem eligerent, & illi obedirent: & ſi alter illo neglecto & repulſo eligeretur, nullomodo ei obedirent. Dicebat enim nolle vt quod ipſe ædificauerat, alius deſtrueret. Cui præcepto cùm omnes ſe ſe aſſenſuros promiſiſſent, omnes manu protenſa benedixit, & clauſis oculis, præparabat ſe ad horam Domini venientis, vt aperiret ei, intraturus cum eo, & per eum ad nuptias agni. Legebantur ante eum paſſiones Dominicæ ab eo quem voluit, & cui præcepit, & cum recitaret lector quæ & quanta fecerunt ei, totus in ſe fremebat, adeò vt crebrò audiretur vox dicentis, *Inimici Dei quare hoc fecerunt? Non agnoſcebant Deum vera dicentem, mira facientem: Ah! quales pœnas modo luunt!* Venit ergo hora quam ſemper optauerat, & cùm paululum ſiluiſſet, oculis clauſis veluti dormiens ſpiritum efflauit. Corpus eius lotum & curatum pia filiorum diligentia, veſtibus ſacratis ex more indutum eſt, & ante altare S. Firmini pijs ſuorum humeris delatum eſt, & excubijs debitis, quas dictauit & potuit amor filiorum, honoratum eſt. In craſtinum Miſſa cum nimio luctu & vlulatu omnium celebrata, ad Monaſterium iter aggredi maturarunt, quò ſe ſepeliri mandauerat, quia inter filios in humili loco, ſicut præcepit & voluit, tumulari diſpoſuerat. Ideò autem egredi acceleratum eſt, ne veniente Duce vel Comite, ceteriſve patriæ primoribus, à quibus nimio diligebatur affectu, corpus eius retineretur, & ad Monaſterium perferri vetaretur, quod & contigiſſet, niſi ab his, quorum ſtudij id erat proſpicere, anticipatum eſſet, vt à villa elatum jam partem viæ peregiſſet, quæ ducit illò quò erat tendendum. Occurrebat corpori honorifico turba populi diuerſi ſexus & ætatis, & vbicunquè per villas intraſſet, ſigna pulſabantur, populus à vicis & agris conueniens venientes opperiebatur cum crucibus, thuribulo, & luminaribus. Illud autem mirabilius, quòd cùm à longè viderent venientes funeris obſequutores, hi qui erant in agris vel in paſcuis equorum, ruſtici boues relinquebant, equites equos aſcendebãt, & funus iniuſſi proſequebantur, & ne ſaltem oneri viderentur eſſe bajulis exequiarum, quæ neceſſaria erant ipſi ſibi præparábant, & cùm offerretur, non accipiebant. Cum tali igitur triumpho Tullum venerunt, & ab Epiſcopo & Abbate S. Manſueti parata ſolenniter proceſſione, tota congregatione albis induta, crucibus, vexillis, & diuerſo gloriæ apparatu elatis, corpus ſanctum excipitur, ante altare deponitur, & exequiis ſolemnibus honoratur. Itaque ibi pernoctatum eſt, vbi illuxit, ad Miſſam deuota fratrum caritas accingitur, & occurrentibus certatim fidelibus, cum ſumma deuotione, in laude Dei & fidelium oblatione percelebratur.

Expectabant Eccleſiæ maioris S. Stephani Canonici deferri ſibi glebam corporis, vt & ab ipſis exequiis debitis honoraretur, & per Monaſteria ciuitatis deportaretur, ſed ab his, quorum erat iter accelerare, permiſſum non eſt, quod ſatis ægrè ab Epiſcopo & Canonicis acceptum. Ea die longo ordine præcedentium & ſubſequentium, ventum eſt ad Monaſterium S. Michaëlis ſuper Moſam fluuium ſitum, vti tunc & nunc præſidet Abbatis officio domnus O. bonæ ſimplicitatis vir, innocentiæ & religionis domicilium, de eodem Cœnobio vbi vir Dei de quo agitur Monachicum ſcema ſuſceperat, raptus ad regimen animarum: Qui etiam tanta ſe inuicem caritate dilexerant, vt intelligeres quandam in eis caritatis & beneuolentiæ communionem, & ſimilem innocentiæ & religionis concordiam, vnde & iſte illum patri debito reuerebatur honore, & iſtum ille quadam tenerrima & inreprehenſibili amplectebatur filiatione, vtpote qui bonæ vitæ, bonæ famæ, bonæ conuerſationis erant & gratiæ. Hic vt audiuit patris defuncti adeſſe corpuſculum, quaſi qui ſuſcepturus eſſet pretioſiſſima pignora Sanctorum, ſic inſtituit proceſſionis officium, crucibus, vexillis, thymiamatheriis, ceróferarijs, & omni gloriæ apparatu, & ſic decoratis omnibus ſericis auroque textis veſtibus, obuius procedit corpori totus feſtiuus: excepto quòd cum lacrymis & gemitu, quanquam & hoc ſit feſtiuum eſſe, exequias Religioſorum, eorum maximè qui laborauerunt in verbo & opere, & de quorum vita non dubitatur, in quorum æſtimatione laus noſtra non periclitatur, celebrare ſolenniter in gemitus & animi contritione. Volebant aliqui reprimere impetum viri, ſed qui nouerat defuncti innocentiam, nihil nimis facturum ſe credebat ad eius pro Deo reuerentiam; fecit ergo nocte illa quod potuit, & dictauit æſtuantis affectus animi, & locata naue & nautis bajulis funeris per Moſam fluuium, ipſe præſens cum fratribus, quoadusque naui impoſitum aſpectui ſubduceretur, dirigit Virdunum, omnibus trito calle gradientibus, & pſalmodiæ officium non deſerentibus. Ventum eſt igitur ad quandam villam Ginſcort nomine populoſam, ſuprà præfatum alueum ſitam, tribus leugis ab vrbe longè poſitam, & illis remorantibus aliquantulum, qui per ſinuoſos & reflexos fluminis anfractus corpus deducebant, cùm illi jam veniſſent qui exequias deducebant, & remigantes expectarent, vellent etiam & ammonerent Clericos villæ, trium ſcilicet Eccleſiarum, vt corpori obuiam euntes funebria iuſta perſoluerent, ſicuti & alij fecerant etiam non ammoniti: maligna quædam & indigna obicientes Sacerdotes, nunquam ad id cogi potuerunt, vt conſueto iure humanitatis orationem progredientes darent; ſed malignum aſſeuerantes eum eſſe, qui erga Epiſcopos rebellione vteretur, ipſos Sacerdotio, Imperatorem regno quaſi detrudere moliretur, conclamabant beatam eſſe horam funeris eius, in quò omnis rebellionis & diſſentionis occaſio depoſiſſet. His ita garrulitate ruſticana perſtrepentibus, corpus pertranſiit, proſequentium turba cœptum iter proſecuta eſt, ruſticanorum veſaniam vltione diuina e veſtigio conſequente. Cùm enim hæc ſe feciſſe gauderent, & quadam ſuperba leuitate rectè ſe feciſſe applaudunt ſibi palam & publicè, impœnitentes ignis vltor inuaſit, & totam villam incendio ab integro concrematam needum menſe exacto fuiſſe conſtat. Non credent his, qui non credunt Deum vindictam retribuere in hoſtes populi ſui, ſanguinem ſeruorum ſuorum paratum vlciſci. Iam ad Monaſterium nuncius aduentantium exequiarum præcucurrerat, iam grex filiorum patri piæ deuotionis in occurſum corporis appropinquantis longo proceſſu ſe proripuerat, & prætergreſſa ciuitate ad ſuburbium vltramuraneum opperiens venientes in Eccleſia S. Victoris conſederat. Erat in eadem congregatione frater aliquantæ vtilitatis, ſi ſciſſet reprimere motus animi indignantis, & appetitus frangere carnis malè blandientis: vt quod plerumque malè ceperat benè noſſet dimittere, qui & ordinationi eius in initio, in medio, & in fine ſemper extitit contrarius, & omnibus propè factis eius & præceptis ſeu conſtitutionibus erat aduerſarius, ſed quod deſtruere non poterat, quia aliter nequibat, ægrè videbatur aſſentaneus. Erat etiam, vt videbatur, & vt aſſerebat, infirmitatibus carnis aliquantulum præpeditus, ſicut plerumque aſſolet ex indignatione & aduerſa habitudine, ſeu paſſionibus hominis interioris exteriorem corrumpi & indignari: dum non eſt qui medicamentum adhibeat, aut malagma plagæ liuenti imponat, quod illi quam maximè contingit, qui paſſiones animæ patri ſpirituali differt confiteri. Hic, dum alij accinguntur expeditioni, qua patri obuiam eant, operam dare dum conantur, & neceſſaria præparant, ad Priorem accedens cauſas infirmitatis enunciat,

non poſſe ſe iter illud conficere autumat, vt remittatur exorat. Prior tergiuerſationis eius non ignarus, quo pede claudicaret benè ſciolus, nec conceſſit, nec abnuit, ſed ei totum impoſuit, vt ipſe videret quid ageret; negocium iſtud dicens inter Deum & ipſum conſtare, qui cordis videret occulta, præcaueret ipſe ſibi, ſi vera eſſet impoſſibilitas quam prætendebat. Deum paratum vlciſci omnem doloſitatem, inobedientiam, & mendacium, ſe ſuper ſe nihil horum accipere, ſed Deo & ipſi totum imponere. Itum ergo eſt, illo remanente, & omnem illum pro mortuo apparatum quaſi grauiter ferente. Sed qui ad patris ire diſtulit exequias, ipſe eo qui ſibi confeſſionem daret, viaticum porrigeret, morienti exequias faceret, obſequio caruit: ſubita & inopinata morte defunctus, vt etiam poſt mortis eius maximum interuallum vix adueniret qui funeri eius iuſta perſolueret, Deo in hoc etiam ſerui ſui iniurias vlciſcente. Fratribus igitur, vt ad rem redeamus, in Eccleſia S. Victoris corpus patris operientibus, Epiſcopo verò cum Clericis & diuerſo, vt in talibus aſſolet, apparatu, ripæ fluminis aſtantibus, nautæ adueniunt cum corpore, & tota vrbe certatim occurrente, vt ex concertatione affectum omnium erga mortuum intelligeres, funus excipitur, & congregationibus præcedentibus, vt moris eſt, crucibus & reliquo apparatu circa corpus remanentibus, ad Eccleſiam majorem S. Mariæ iter protenditur, tota vrbe ſignis pulſantibus. Videre erat ſuburbanos homines, & etiam ruſticanos, compati doloribus Monachorum pro ſua deſtitutione mœrentium, & ex compaſſione in vocem cum lacrymis erumpere, & dicere: *Boni Monachi, non amplius recuperabitis patrem tam pium, tam amantiſſimum, meritò doletis, merito triſtamini.* Quod ideò erat mirabilius, & ad diuinitatis laudē honorabilius, quia qui aliquando ab ineptis & minus ſapientibus ſubuerſor legum & patriæ pro diſſenſione Regis, quia nolebat communicare deſtructoribus ſanctarum conſtitutionum diuinæ legis appellabatur, hic nunc ab omnibus in commune, & abſque detrectatione, pater ciuitatis, & patriæ, & qui non ampliùs recuperari poſſet, vir conſilij, murus & ſcutum domus Domini pronunciabatur, vt lacrymæ & gemitus dictorum fidem aſtruere videretur.

Sic deductum corpus à filijs, & ab omni ferè populo ciuitatis, à Canonicis occurrentibus infra Monaſterium S. Mariæ excipitur, & poſt exequias de more celebratas, Miſſa generalis cum oblationibus celebratur. Dehinc ad Monaſterium S. Vitoni proceſſio dirigitur. Præceſſerant autem fratres eiuſdem Cœnobij poſtquàm corpus Patris à Canonicis ſuſceptum eſt, & quaſi patrem recepturi, quem æternaliter eſſent habituri, ſic ſe competenti more adornauerant, & ita cauerant, vt Canonicis egredientibus portam vrbis, ipſi in ſuo ſuburbio occurrerent, & corpus honore condebito ſuſcipientes, eiſdem comitantibus, Cœnobio inferrent. Poſt quod à Canonicis diſceſſum eſt, & à filijs quæ iuſta ſunt corpori propenſiùs exhibita ſunt. Ita omnia ordinatè & compoſitè proueniebant, vt palam daretur intelligi quòd quia ipſe, cuius erat funus, ordinatè vixerat, honeſtè & ordinatè ſe habuerat, omnia quæ ei competebant, ordinata & compoſita à Deo ei prouiderentur. Nam & cum de petra, qua claudi debebat, ageretur, & vix inueniri poſſe videretur, ad locum vbi inueniri putabatur, artifices directi, prima irruptione ſeu aditu terræ quinque petras excauatas inuenerunt cum operculis, quarum quæ dignior & maior & habilior viſa eſt, receptui corporis beati aptata eſt. Dicebant aliqui vt iuxta domnum Berengarium Epiſcopum, qui inſtitutor fuit Cœnobij, ante altare ſcilicet S. Firmini ſepeliretur; pro eo quòd in Monaſterio, vbi precioſum corpus eius quieſcit, vitâ exceſſerat, ſed quia locus ille à conſpectu Congregationis nimium remotus erat, ante altare S. Benedicti, iuxta domnum Dadonem Epiſcopum, vbi etiam domnus Humbertus primus eius loci Abba requieſcere dicebatur, ſepultura eius initiata eſt, qua operosè accelerata, in craſtinum congregata eſt omnis ciuitas ad ſepeliendum eum, & Miſſa dicta, ſermone dato, terræ redditus eſt, reſurgendus in gloria, & nobiſcum ſemper ſpiritualiter conuerſaturus, quod & ipſe promiſerat, dum ſuos, qui præſenſentes aderant, ad Deum iturus, Deo, cuius erant, qui ſibi eos commiſerat, aſſignaret. Cui & hoc dignè poteſt in meritis aſcribi, quòd apud Deum viuens obtinuerit, vt inter ſepulcra Epiſcoporum XXV. ſepeliretur, vbi præter domnum Abbatem Richardum, & præfatum Humbertum, Ermenricum quoque æquè Abbates, domnum quoque Bernerium vrbis Præpoſitum, cui pro ſuæ ſanctitatis merito ſepultura illa conceſſa eſt, nullus ſepultus inuenitur, cùm locus ille Ducum, Marchionum, Co-

mitum, aliorumque procerum ſepulturâ inſignis habeatur.

Expleta igitur ſepulturâ ad conſolandos fratres in Capitulum venit Epiſcopus, cum Abbatibus, & Cleri primoribus, & cùm habitâ tractatione de morte patris, ad eligendum ſucceſſorem qui eſſet idoneus commonerentur, cuius protelatio religionis & honoris eſſet diminutio, maximè cùm conſtaret defunctum præcepiſſe, vt die eodẽ ſepulturæ ſuæ ſucceſſor ſibi eligeretur, de Capitulo egreſſus eſt Epiſcopus dans oportunum locum fratribus, vt de patre ſibi præponendo licentiùs ab eis tractaretur. Et cùm omnes exijſſent, & hi ſolùm ad quos pertinebat electio, remanſiſſent, & terræ proſtrati VII. Pſalmos, cum orationibus, quarum initium eſt, *Sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detenti, ſed in tuo nomine congregati*, decantaſſent, vbi aſſurgentes reſederunt, & à Priore ammoniti eſſent, vt quem idoneum iudicarẽt, eligerent, ſe ſi idoneũ noſſet electum, pararũ electioni aſſentire: aſſurgens ſupraſcriptus frater bonę vitæ, & teſtimonij ante conuerſionem, & poſt conuerſionem, fideles orationes toto Conuentui ex parte domni Abbatis Rodulfi perorauit. Quibus ammirantibus, & ſalutationem illam genibus terræ deflexis gratè & cum lacrymis excipientibus, ille adjecit: Iubere domnum Abbatem R. per obedientiam, vt ſucceſſorem ſibi quem ipſe nominaſſet, quem elegiſſet, cui onus ſuum imponendum decreuiſſet, eligerent. Qui cùm ſtupentes obedientiam excepiſſent, ille ſubjungens Priorem nominauit, & pro eadem obedientia, quæ ſibi ſicut & alijs injuncta fuerat, ne inobediens eſſet, eum cùm nominaſſet elegit. Aſſenſum eſt ei à cunctis, ſed ab eo, qui nominabatur, non eſt. *Ego*, inquiens, *dixeram, ſi idonea perſona eligeretur, me conſenſurum electioni, nunc, quia video vos infirmum & hebetem elegiſſe, & cuius infirmitas deſidiæ vobis fomentum ſit, non aſſentio, maximè cum & electio veſtra Canonum repugnet inſtitutis, & ob hoc infirma ſit, quòd non licet Prælatum Eccleſiæ ſucceſſorem ſibi eligere.* Dicebat hæc, & alia multa, cùm ille frater id ſolùm omnibus obiceret: *Domnus Abbas Rodulfus per obedientiam præcepit.* Quid multa? electio facta ad laicos relata eſt, & præceptum atque conſilium præfati Patris illis relatum eſt, in quo omnis aſſentiret congregatio. Quam electionem illis ſuſcipientibus, & in ea vna voce omnibus acclamantibus, ad Capitulum reuocatus Epiſcopus. Et cùm reſediſſet cum Abbatibus & Cleri Capitaneis, aſſurgens ſæpedictus frater idem, quod dixerat fratribus, recapitulauit Epiſcopo, ceteriſve primoribus, domnum videlicet Abbatem R. & iubere & precari, vt ſucceſſor à ſe electus, & nominatus ſibi daretur. Electionem igitur quantum in ſe erat, laudat Epiſcopus, & inquirit vtrum in hac conſentiret Conuentus & populus. Quibus pariter acclamantibus, cùm electus quæ dixerat eadem & ſimilia vellet repetere, & electionem in ſe factam niteretur improbare, à fratre cui præceptum fuerat concurritur, arripitur, & cùm ſederet, ab eo & reliquis qui ad hoc ipſum opem ſuam parauerant, præſentiæ Epiſcopi ſiſtitur, & vt baculum paſtoralem ſuſcipiat, ammonetur, cogitur, nec vincitur. Vbi inflexibilem eius animum vidit Epiſcopus, & qui aderant, inchoata Antiphona, *Confirma hoc Deus*, in Eccleſiam à fratribus aſportatur potius quàm deducitur, & in loco Abbatis ſiſtitur, ſigna manibus eius vi imponuntur, nec ab eo pulſantur, & à Conuentu vt moris eſt jam non reſiſtens, quia non proficiebat, deoſculatur, & ſequenti Dominica in Abbatem benedicitur. Actum eſt hoc anno ab Incarn. Domini MXCIX. IV. Non. Aprilis, IV. Feria, V. die depoſitionis bonæ memoriæ Patris Rodulfi. At verò ſepulchrum patris prædicti diligenter clauſum & bituminatum eſt, & ei tabula marmorea impoſita eſt, & quia eſt in ingreſſu chori, ante altare ſcilicet S. Benedicti, vt ibi à mandato cotidiano fratres redeuntes proſternantur, & oratione finitâ memoriam patris inibi quieſcentis faciant, conſtitutum eſt, & ne cui graue videretur, memoria quæ ſolita erat pro domno Abbate Richardo dici poſt matutinos, quæ quaſi ob grauamen fratrum ab eo intermiſſa eſt, quia id fratribus aliquibus, apud quos, vt dignum eſt, patris Richardi memoria celebris habetur, graue videbatur, repetita eſt, ne quaſi cauſarentur memoriam illius intermiſſam, & huius initiatam. Sed & vſquè hodie bonus vtrorumque patrum ſucceſſor, antè ſepulcrum tranſiens, oues ſibi ab eo cõmiſſas illi reconſignat: & vt ab eo regantur & protegantur, & paſtor & oues plerumque ore, ſemper autem animo ac deuotione exorat. Tribuat illi Deus vt curam, quam inuitus ſuſcepit, fideliter exequatur, vt ab auditu malo non timeat, ſed euge Dominicum audiat, & ſuprà multa conſtitui mereatur. Qui autem voluerit agnoſcere, quid de

patre

patre noſtro Richardo, huic patri noſtro Rodulfo ab Angelo oſtenſum ſit, vt ab eo fratribus reuelatum eſt, in vita præfati venerabilis viri Richardi quærat, & inueniet. Natus eſt autem iſdem vir, qui ſic ordinatus eſt, in Epiſcopio Leodienſi, non ignobilis familiæ, & eodem tempore quo & domnus Abbas R. ſeculo derelicto Monachicum habitum ſuſcepit: & in eodem Cœnobio quo & ipſe, & illo promoto ad Abbatiam cùm Prior eſſet, in locum eius ſubſtitutus eſt, & poſt cùm Diuionem commigraſſemus, clauſtralis ibi Prior habitus eſt, & poſtmodùm regreſſis fratribus ad Cœnobium, reuocante eum præfato Patre, ſub eo & ab eo Prior Virdunenſis inſtitutus eſt. Sic per ſingula Monaſteria & miniſteria probatus, ſemper aſcendens & proficiens ad regimen animarum loco & voto patris aſſumptus eſt.

Anno ab Incarnatione Dominici MCI. die feſtiuitatis S. Ceciliæ, ventus vehemens Normanniam intrauit, qui adeo vehemens fuit, vt quædam ædificia ſtrauerit, ſiluas autem ita deuaſtauerit, vt etiam annoſas quercus non aliquibus vt aſſolet in locis, ſed totam ſiluam, dum hæc eruta alteri innixa, eam cui innititur frangit & deicit, ab imis radicibus eruerit. Fuit autem circa mediam noctem, & durauit ferè vſque ad diem mediam, nec aliquando temporibus noſtris huiuſmodi ventus auditus eſt, qui quocumque irruit, ita omnia peſſumdederit.

Anno ab Incarnatione Domini M. CII. ordinatus eſt in Epiſcopum Anicienſem, Pontius Caſæ Dei Abbas, & Abbatiam Caſæ Dei procurandam ſuſcepit Aymericus. Legatus quoque in Burgundiam & Franciam directus eſt Richardus Albanenſis Epiſcopus, primò S. Stephani Mettenſis Eccleſiæ Decanus.

EXPLICIT.

ANALECTA MONVMENTORVM COENOBII FLAVINIACENSIS deſcripta ex ſchedis

R.P. IACOBI SIRMONDI, *Societatis* IESV, *Presbyteri.*

TESTAMENTVM Wideradi Abbatis filij Corbonis V. I. qui regebat Baſilicas S. Andochij Sedelocenſis, S. Reginæ Alſenſis, S. Ferreoli, vbi ipſi in corpore quieſcunt, & inſuper Monaſterium in re propria fundarat in loco nuncupante Flauiniaco in agro Burnacenſe, in pago Alſenſe ad honorem S. Præjecti, quod Magoaldo Abbati cum Monachis ſuis delegarat. Enumerantur quæ ſingulis illis Baſilicis per varios pagos donabat: & quibus legibus ac priuilegiis frui Monaſterium vellet ſicut Luxouienſe, aut Lirinenſe, aut Agaunenſe, Wideradus Abbas. Gerofredus defenſor, Amalſindus, Aldofredus. Actum Sinemuro caſtro die 15. Kal. Feb. reſcriptum per manum Haldofredi Notarij, ſuadente & deprecante eodem ven. Abbate Widerado, immò ſigillante per illuſtri viro Amalſindo ſigillo Regio: adſtante nobili & firmante vulgari populo vna cum defenſore Gerofredo clariſſimo viro. *Gerofredus Defenſor.* *Sigillum Regium.*

Alterum Teſtamentum, quo ſpecialius ea enumerat, quæ Monaſterio Flauiniaco, & Abbati Magoaldo, eiuſque Monachis donarat. Actum Auguſtoduno ciuitate publicè anno 4. regni D. N. Chilperici Regis, die ſabbato proximo ante Kalendas Iunias. In Chriſti nomine, ego VVidradus Abba hanc donationem à me factam cum bona voluntate relegi & ſubſcripſi. In Dei nomine Moderamus Chriſti dono vocatus Epiſcopus conſenſi. In Chriſti nomine Chedroaldus quamuis peccator Ep. ſubſcripſi: Ridelenus in Dei nomine Ep. ſubſcripſi: In Chriſti nomine Gauderannus ac ſi peccator Abbas ſubſcripſi. In Chriſti nomine Erimbertus Archidiaconus ſubſcripſi. Ego Boſelenus Subdiaconus hanc Epiſtolam à ſupraſcripto Patre rogatus ſtipulaui & ſubſcripſi, & notaui vt ſuprà. *Moderannus Ep.*

In Chriſti nomine vir inluſter Pippinus Major domus, Gayroino, & omni Congregationi S. Petri & S. Præjecti Flauiniacenſis Monaſterij ſalutem. Mittimus tibi *Eburnea tabula.*

iſtas tabulas eburneas ad honorem S. Petri & S. Præjecti, in quibus mandamus vt ſuſcipiatis illam piſcinam nomine Glennonem ad opus Fratrum, vt habeant inde refectionem, & orent aſſiduè tam pro me, quàm & pro omni progenie mea præſenti & futura. Et precor vt per omnem diem vnum pſalmum canatis: ſaluto te, & omnem Congregationem noſtram.

Karoli Regis Francorum, & Langobardorum, & Patricij Romanorum. Teloneum omne remittit Mon. Flauiniaco, portaticum, pontaticum, &c. Data die 5. Non. Maij, & ſcripta per Radonem apud Theodonis-villam Palatio publico, anno 7. prædicti Regis Karoli.

Lud. Pij. Imp. Confirmat ſuperiorem Karoli Patris. Data die Kal. Iulias anno Imp. 3. Ind. 8. apud Aquaſgrani.

Baio & Cylinia matrona eius dant Baſilicæ Flauiniacenſi & Gaguino Abbati ac Monachis in pago Alſenſi quæ habebant In villa Pruuiniaco cum Eccleſia ibidem conſtructa S. Symphoriani. Actum Flauiniaco caſtro publico, & exaratum à Ghyſ- betto Preſbytero, die Dominico ante medium menſem Maij anno 7. Childerici Regis ſuggerente & deprecante eodem V. I. Bajone cum matrona ſua Cylinia. *Childeri. Rex.*

Cylinia eadem augere cupiens eleemoſynam quam ſenior ac ſponſus eius inclytus Bajo menſe Majo fecerat, dat in pago Duſmenſi in villa Puteolis, &c. Actum Flau. anno 7. Childerici Regis, mediante menſe Iunio.

Gundradus Sacerdos Abbati Manaſſæ & Monachis dat, quæ in pago Duiſmenſi poſſidebat ſita in fundo Bacodrinſe cum integra colonia Montetellis. Actum Flauiniaco publicè anno .... regni Pippini Principis. Fit quoque mentio anni 17. Pipini Imperatoris 3. Idus Iunij.

Karolus gratia Dei, Rex Francorum, ac Patricius Romanorum Abbati Manaſſæ Flauiniacenſis Cœnobij ſalutem. Benedictum nomen Domini in ſæculum, quod iuxta Monachorum tuorum laudabilem conuerſationem plurimùm glorificatur in gentibus, eò quòd laus eius ſemper in ore veſtro verſatur. Petitionem itaque de conſtructione Cœnobij apud Corbiniacum, quam per Theodulfum Epiſcopum Aurelianenſem æquè Abbatem Cœnobij Floriacenſis libenter ſuſcepimus & clementer concedimus & præcipimus, vt Monachi, quos ibi mitteris, ne aliquando mandatorum Dei viam obliti, ſæpius in Flauiniacum reuertantur Cœnobium, ibique officia ſua confirment, & meliorati iuſſu tuo, & Monachorum tuorum reuertantur. Cenſum verò quencumque ſtatueris eis omni tempore ſoluant. Ab alio verò cenſu tuo amore liberos reddo, vti reddidi Flauiniacum. Mitto autem vobis capſam argenteam ſepulcri Saluatoris, & S. Iacobi Apoſtoli, Fratris Domini reliquias continentem: orans & ſupplicans, vt mei memores pro me & filijs noſtris aſſiduè apud Dominum intercueniatis. Saluto te, & omnem Congregationem noſtram. Ego Rado ſcripſi dictaui anno 8. Domini noſtri prædicti Regis Karoli, regnante Domino noſtro IESV-CHRISTO in æternum. *Theodulfus Ep. Aurel. & Abba. Floria.*

M ſ. Regij. Lotarius Imp. Confirmat ordinationem, quam Ludouicus pater, per Miſſos ſuos Aldricum Senonenſem Archiep. Albericum Lingonenſem, Moruinum Auguſtodunenſem Epiſcopos, & Boſonem S. Benedicti Abbatem inſtituerat propter euitandas diſcordias inter Abbates & Monachos de bonis Cœnobij. Ego Remigius Notarius ad vicem Agilmari recognoui, & ſubſcripſi. Data die Iouis 2. Nonas Decembris anno Imperij domni Lotharij in Italia 21. in Francia primo. Actum Luciniaco villa in Comitatu Belnenſe in Dei nomine feliciter.

Area cum caldaria. Raginaldus Comes Guillelmi Comitis filius, Amadei Abbatis precibus dat apud Salinam villam aream vnam cum caldaria, quæ alio nomine Bagerna vocatur, vt ibi fieret ſal perpetuus ipſorum vſibus profuturus. Actum Diuione caſtro. S. Raginaldi Comitis. S. Iudith Comitiſſæ vxoris eius. S. Guillelmi filij eius. S. Hugonis filij eius. S. Hugonis Ep. Antiſſiodorenſis, & Comitis Cabillonenſis. S. Theobaldi nepotis eius. S. Raginaldi Comitis Niuernenſis. S. Hugonis Epiſc. Lingonenſis. S. Beraldi Epiſc. Sueſſionis. S. Adizilini Abbatis. S. Barni præpoſiti ipſius Comitis Raginaldi, &c. Ego frater Milo dataui in menſe Maio 15. Kal. Iunij anno Incarn. Dom. 1037. Henrici Regis 12.

Achardus Ep. Lingonenſis concedit Adraldo & nepoti eius Miloni Monachis, vt altare S. Martini ſitum in pago Tornetrinſe in villa Chiduiaco cedant

Cœnobio Flauiniaco: ea lege vt ipſi, quoad viuant, illo fruantur, & debitum ſynodale Eccleſiæ S. Mammetis ſoluant paratam & eulogias. S. Achſardi Ep. Ego VVillelmus Leuita indignus ad vicem Rathetij Archicancellarij hanc ſcriptutam ſcripſi & dataui. 6. Idus April. regnante Lothario Rege, anno 12.

Aymo Brunus miles de Grimunc caſtello, moriens dedit quidquid in Eccleſia Marmaniæ in dominicatu poſſidebat. Teſtes Poncius Comes. Poncius de Rubromonte. Artaldus de Monte S. Baudelij. Hugo de Brienna. Hugo de Sinemuro. Tetbaldus de Domna petra. Actum anno 1100.

VValterius Eduenſis Eccleſiæ Ep. dat Miloni Prælato & Monachis Flauiniaci altare S. Geneſij, cum decimis eius, ſitum in Comitatu Alſenſi. Ego Radulfus Leuita dataui die Lunæ in menſe Ianuario anno 23. Lotharij Regis.

Karoli Calui Regis, regnante VVarino inluſtri Comite, & Rectore Monaſterij Flauiniaci, qui exhibuit literas immunitatis & tuitionis à Ludouico Pio ipſius genitore datas, idem Monaſterium ſub immunitatis tuitione recipit. Data 7. Kal. Iulias anno 10. regnante Karolo, indict. 12. Actum Oſeniuilla.

Iſaac Epiſcopus Lingonenſis rogatu Ionæ Ep. Eduenſis concedit Eygilo Abbati poſt futuro Archipræſuli Eccleſiæ Senonenſis, & Cœnobio Flauiniaci altaria conſecrata in honore S. Petri in duabus Eccleſiis, id eſt domni Petri & Acellis: & aliud altare S. Sulpitij Ep & Confeſſoris quod eſt in Eccleſia Fontanis, quæ videlicet Eccleſiæ ſunt in pago Attorienſi. S. Iſaac Lingonenſis Eccleſiæ Ep. S. VVarini Abbatis S. Amilonis Abbatis. S Amalrici Archidiaconi [Ego quuque in Dei nomine Aigrimus Lingonenſium Epiſcopus relegi, & meo ſigno ſignaui. S. Geyloni Lingonenſis Epiſcopi] Ego in Dei nomine Saloardus Leuita Cancellarij fungens officio dictaui anno Inc Dom. DCCCLXV. regni vero Caroli II. 25. die Sabbati menſe Octobri. Vel Archiep. Senon.

Stephanus Eduenſis Ep. litem diimit inter Monachos Flauiniacenſes & Hugonem de Meulenniaco filium Tetbaldi Ruſi Aduocati, de quodam fundo quem eius pater ab Odone habuiſſe dicebatur. Teſtes & adjutores huius concordiæ Ep. ille domnus Stephanus, Pontius Comes. Gotteſridus de Grimone. Hubertus de Brienna Pro altera patre Sauericus Comes. Hugo de Monte Regali, Hugo de Tilio. Archambaldus de S. Germano. Giſlebertus de Griſiniaco. Poſtea laudauit apud Sinemurum hoc totum Burcardus, coram Hugone fratte ſuo, in præſentia Ducis Hugonis.

Ioannes VIII. Papa Cum Carolus II. Imperator poſtulante Adalgatio Ep. Eccleſiæ Eduenſis Flauiniacum Monaſterium in perpetuum ipſi & ſucceſſoribus Epiſcopis conceſſiſſet, donationem confirmat, & ſtatuit, vt quæ fratrum ſunt, intacta maneant. Scriptum per manum Gregorij notarij Regionarij, & ſcriniatij S. R. E. in menſe Maio Ind. 10. Data 4. Kal. Iunias per manum Anaſtaſij Bibliothecarij S. Sedis Apoſtolicæ, imperante domno Karolo II. & poſt Conſulatum eius anno ſecundo. Anaſt. ſiue Bibliot.

Ardradus Gisloardi, quondam atque Plectrudis filius dat res ſuas ſitas apud Auenlenſe, & in fine Otiſiacenſe, vel villam Saſiriacum, & villas Diſſingiacum, & Miſciacum, & alia multa, Abbate Adalgario Epiſcopo. Actum menſe Februario 4 Nonas, die Purificationis S. Mariæ, regnante Carolu Simplici, anno tertio.

Girfredi Monachi purgatio quo Adalgarium Ep. ſe. veneno ſuſtuliſſe dicebatur in ſynodo Cabilonenſi 894 Indictione 12. & in Synodo Gualonis Ep. Eduenſis ad quem res à Cabilonenſi rejecta

Rotberti Regis Francorum. Concedit Amadeo Abbati & Monachis capellam ſui iuris intra mœnia Eduorum ciuitatis ſitam, S. Ioanni Euangeliſtæ dicatam, hoſpitandi cauſa Actum Eduæ anno Domini Inc. 1018. regni 30. VValterius Eduæ vrbis Præſul. Hugo Antiſſiodorenſ. Ep. Balduinus Turonenſis Ep. Theodericus Aurelianenſis Ep. Ego Balduinus Cancellarius relegi & ſubſcripſi.

VValterius Eduenſis Ep. anno 992. Indict. 5 Heldrico Abbate Monaſterij Flauiniac. quod olim ceſſauerat. nunc Ep. ipſo adnitente ad regularem profeſſionem redierat, poſtulante Abbatiæ ſedi ſuæ adnixæ decimas concedit ex capellis, &c. Et confirmauit Helmninus VValterij ſucceſſor.

Landricus Comes ſupplicante Heldrico Abbate alodũ quod vocatur Corbetum, quod olim VVilencus pilans porcum Cœnobio contulerat, quodque ipſe lat-

gitione VValerij Ep. & Monachorum dudum tenuerat, iam dicto reddidit lo[illegible]o, & notitiam hanc fieri iuſſit. Actum Antiſſiodoro publicè. S. domni Landrici Comitis. Bodo filius eius, Landricus filius eius. S. Richardi militis, &c. Scriptum manu VVillelmi S. Germani Monach. iuſſu Landrici Comitis, regnante anno 7. rege Rotberto 5. Kal. Aug.

Heldricus Abbas, conſentiente VValterio Ep. Eduæ concedit Girardi militis rogatu ipſius filijs Girardo & Vmberto poteſtatem Fontanas in Atoarienſi Comitatu, quam ipſi teneant & vnus heres ipſorum qui primus poſt ipſos veſtitus fuerit, itavt ſoluant quotannis in feſtiu. S. Petri 10 ſolid. Actum Flauiniac. 7. an. Rotber. Regis.

A[illegible]enſis Comes. Aymo Adminiſtrator reipublicæ Comitatus Alſenſis, atque Duſmenſis dat oratorium S. Germani, haud procul à ſilua quæ dicitur Campus ſigillatus, cum om[illegible]us quæ ad ipſum Dominicalem manſum aſpicere videntur, &c. Aymo in Chriſti nomine Comes. Gualo filius eius. VValterius filius eius. Hubertus, Gerardus, Helinandus nepotes eius Data die 18. Kal. April. an. 1004. regni Rotberti 17. apud Flauin

VValterius Ep. Eduenſis concedit Amadei Abbatis rogatu ſaluata villarum Iagliaci, VVilliaci, Riuiſiaci & Griſeiaci, quæ à ſæcularibus perſonis abſtracta ſub ſua dominatione reuocauerat & tenebat, concedit Monaſterio, à quo amiſſa fuerant tempore Rotmundi Epiſcopi, qui quòd languore corporis diu detentus ſit, ſæcularium poteſtati non adeò reſiſtere potuit, itavt etiam diſciplina regularis lapſa ſit. Fauente Monachorum precibus Brunone Lingonenſi Ep. cum Fulcone Sueſſionis Ep. & Comite Notkerico fratribus, &c.

Hugo Cabil. Comes & Ep. Auguſt. VValterius Ep. Eduæ Cœnobiolum Colchias deſertum, per laudationem Hugonis Cabilonenſis Comitis, cuius erat beneficium, Abbati Flauiniacenſi ad reſtaurandum committere ſtatuerat. Illo mortuo Helmoinus Auguſtodunenſis Ep. ſucceſſor perpetuo ſubdidit & contulit Cœnobio Flauiniacenſi quod Eduæ adnexum eſt ſedi, Monaſterium Colchas, quod S. Georgio dicatum eſt. Actum Auguſtid[illegible] Helmoinus Ep. qui iuſſit & firmari rogauit. Robertus gratia Dei Rex Francorum, firmator extitit, filiuſque eius Henricus. Hugo Ep. Antiſſiodorenſis. Lambertus Ep. Lingonenſis, Ganfredus Ep. Cabilonenſis, Beraldus Ep. Sueſſionis, Gauſlinus Ep. Matiſconenſis, Hugo Ep. Neuernenſis, Landricus Comes Otto Comes, nepos Hugonis Ep. Tetbaldus Comes, nepos ipſius Epiſcopi, Girardus Sinemurenſis. Anno Regis Roberti 30. Guillelmo ſcribente vice Raginaldi Cancellarij.

VVido filius Milonis, ex caſtro Tilij veniens cum Helmuino Ep. tradidit res quas pater ſuus ad ſepulturam dederat apud Maſcerolas, in territorio Moruennis addi[illegible]que paſcuaticum centum porcorum in ſilua Bruinni.

Corbiniacum. Helmuinus Eduenſis Ep. Amedei Abbatis rogatu, Corbiniacum Cœnobium, vt olim Flauiniacenſibus iterum ſubjugat, mortuo eo qui Abbatis nomine illi præfuerat, & regulari in eo diſciplina euerſa, &c.

Egg[illegible]lus Abbas anno 864. ſequenti die poſt humationem corporis S. Reginæ Martyris ij. Kal. Aprilis, vna cum Salocone Ionæ Ep. Eduenſis Coëpiſcopo, à Prumiæ Cœnobio veniens, annuente Treuerorum Antiſtite ad curam Flauiniacenſis Cœnobij oratu Karoli Regis, literarum monumenta inſpexit, vbi erat inſertum, quod Manaſſes Abbas olim à Carolo Magno licentia accepta Cœnobium in Aualinſe, ſeu Niuernenſe Comitatu, apud Ammonias in loco qui à Corbone

Corbo pater VVidradi. patre VVidradi Corbiniacus dicitur, ædificare voluerit, Flauiniacenſi ſubjectum. Itaque de conſilio Saloconis ipſe conſtruxit, & 12. ibi Monachos poſuit ſub Decano VVlfrido, & villas eis tradidit, quas VVidradus, qui locum dederat, in ſuo Teſtamento deſignauit, præcipiens, vt iuxta Caroli Magni ioſſum ſemel in anno Flauiniacum veniant, & ibi inſtruantur, & triplicem cenſum imponens.

Odo Rex. Anno 894. Odonis regnantis primo & ſeptimo inita eſt ſocietas inter Gregorium S. Martini Auguſtodunenſis Abbatem, & Geofredum Flauiniacenſis Cœnobij Prælatum.

Philippus Rex Francorum Raignaldo Abbate Flauiniacenſi rogante, qui ei carnis iunctus erat affinitate, & Aganone Ep. Eduenſi, ſuffragante conceſſit præceptum confirmationis omnium eius Eccleſiarum & poſſeſſionum Cœnobij, &c. Actum Aurelianis anno Incarnati Verbi 1085. anno verò Philippi Regis 23. ſeu potius 27.

ANONYMORVM
CHRONICA
BREVIA
DVO-DE-TRIGINTA,

Nunquam antea Typis commiſſa: cum aliquot alijs auctoribus & emendatioribus.

INDEX
CHRONICORVM QVÆ
SEQVVNTVR.

SANCTI Albini *Andegauenſis Chronicon duplex cum additionibus ex codice Petauiano*, &c.
Andegauenſe *Chronicon deſcriptum ex codice Vindocinenſis Cœnobij.*
Aquitanicum *Chronicon, ſeu Fragmentum Chronici Lemouicenſis.*
Antiſſiodorenſe *breue Chronicon.*
S. Benigni *breue Chronicon ad Cyclos Paſchales.*
Catalaunenſe *S. Petri Chronicon.*
Chronologus *Anonymus qui ſub Alexandro Imp. vixiſſe dicitur.*
Claudij, *fortè Taurinenſis Ep. breuis Chronica.*
Dolenſe *Chronicon auctius edito ope alterius MS. codicis.*
Eboracenſium *Præſulum Catalogus.*
Engoliſmenſe *Chronicon.*
Fiſcanenſe *Chronicon cum Appendice* Brennacenſi, *& Catalogo Abbatum Fiſcanenſium.*
Francorum Regum *breuis Chronica, cum Hiſtoricis quibuſdam Excerptis ex veteri ſtemmate Genealogico.*
Lemouicenſe *Chronicon.*
Leodienſe *Chronicon ex codice MS. S. Victoris.*
Maſſilienſe *S. Victoris ad Cyclos Paſchales.*
Metenſe *S. Vincentij Chronicon.*
S. Michaëlis *in Periculo maris cum Catalogo Abbatum.*
Prouinciæ *Comitum breuis Hiſtoria.*
Romanum iter *Petri de Columbario Card. Oſtienſis.*
Remenſe *Chronicon ex veteribus membranis.*
Remenſe *alterum cum Auctario Flodoardi.*
Rothomagenſe *Chronicon reſectis inutilibus.*
Ad Sigeberti *Chronicon breuis Appendix.*
De Ordine *Vallis Scholarium.*
Vezeliacenſe *Chronicon.*
S. Vitoni Virdunenſis *Chronicon.*
Breuis annorum ſumma ad an. Caroli Magni 22 &c.

CHRONICON
DVPLEX MONASTERII
SANCTI ALBINI
ANDEGAVENSIS.

Primum, Ab anno DCCCCXXIX. *ad* MCC. *Alterum ab anno* DCCLXVIII. *ad* MCVI.

ANNO DCCCCXXIX. Curtis Chitiaci ſancto Albino ſanctóque Licinio data eſt à Fulcone Comite, qui Rufus datus eſt ſub Epiſcopo Henrico.

DCCCCLXVI. De Monaſterio S. Albini Canonici ſunt ejecti præcepto Lotharij Regis Francorum à Gaufredo Comite cognomento Griſagonellâ, & Monachi ſunt intromiſſi XIII. Kalendas Iulij.

DCCCCLXXIII. Obijt Neſingus Epiſcopus.

DCCCCLXXIV. Rainaldus Epiſcopus ordinatur: & Adela Comitiſſa in eius præſentia, præſente etiam Harduino Turonenſi Archiepiſcopo, & marito ſuo Gaufredo Griſagonellâ Vndanis villam, Alodos, Inſulam montis, & Peregrinam ſancto Albino dedit in eleemoſynam.

DCCCCLXXVI. Prælium inter Karolum fratrem Lotharij & Lotharienſes.

DCCCCLXXVII. Otho Imperator Pariſius venit cum ingenti exercitu.

DCCCCLXXXVII. Obijt Gaufredus Comes pater Fulconis Comitis XII. Kal. Auguſti in obſidione Marſonis ſuper Odonem Rufinum facta. Hlotharius Rex obiit.

DCCCCLXXXVIII. Rainaldus Abbas ordinatur Guntetio Abbate eunte Hieroſolymam. Hugo Dux Francorum factus eſt. Robertus filius Hugonis Ducis Rex Francorum.

DCCCCXCII. Prælium Conquerentium factum eſt, in quo Fulco Comes victor factus eſt, & Conanus Brito occiſus. *Glaber l. 2. c. 3. Concretum à loco, qui Concretus dicitur.*

M. Prima incenſio vrbis Andegauæ, quæ euenit paucis diebus poſt combuſtionem Comitiſſæ Heliſabeth.

MI. Hubertus Abbas S. Albini ordinatur.

MV. Rainaldus Epiſcopus obiit ordinationis eius XXXI.

MVI. Hubertus Epiſcopus ordinatus eſt, & eodem anno Gaufredus Martellus natus eſt.

MXVI. Prælium Ponteleuenſe factum eſt.

MXXVI. Salmurum caſtrum à Fulcone Comite captum eſt.

MXXVII. Primaldus Abbas ordinatur.

MXXVIII. Monaſterium, quod dicitur ſanctæ Caritatis, dedicatum eſt.

MXXIX. Obiit Fulbertus Carnotus Epiſcopus.

MXXXI. Obiit Robertus Rex.

MXXXII. Gaufridus Martellus Agnetem duxit inceſto coniugio Kalendis Ianuarij & vrbs Andegaua horribili incendio combuſta eſt. v. kal. Octobris : inde bellum illud execrabile quod contra patrem ſuum per annos ferè ſeptem ſubſequentes impiè geſſit.

MXXXIII. Gaufridus Martellus Guillelmum Comitem Pictauenſem cæpit in bello duodecimo Kal. Octobris ; quare orta eſt diſcordia inter patrem & matrem.

MXXXVI. VValtherius Abbas ordinatus.

MXL. Obiit Fulco Comes pater Gaufredi Martelli.

MXLIII. Henricus Imperator Filiam Agnetis duxit vxorem, Kal. Nouembris. Fames per Galliam.

MXLIV. Theobaldus filius Odonis Comitis captus eſt. XII. Kal. Septembris à Gaufrido Martello,& ſequenti die, vrbem Turonis reddidit.

MXLVI. Hildegardis Comitiſſa obiit Kalendis Aprilis : *aliàs* IV. Non. April.

MXLVII. Obiit Hubertus Epiſcopus, & Euſebius Epiſcopus ordinatur.

MLIII. Leo Papa Normannos Apuliam per tyrannidem tenentes bello aggreſſus eſt.

MLIV. Leo Papa obiit.

MLV. Obiit VValterius Abbas quarto Kal, Iannarij.

MLVI. Theodoricus Abbas ordinatur XIX. kal. Februarij.

MLX. Obiit Theodoricus Abbas ſeptimo Kal. Ianuarias. Otbrannus Abbas ordinatur XII. kal Apriles.

MLXI. Obiit Gaufridus Martellus XVIII. kal. Decemb. cui ſucceſſit Fulco, cognominatus Rechin. Henricus Rex, obiit pridie Nonas Auguſti.

MLXII. Dedicatio ſanctæ Trinitatis Andegauenſis.

MLXVII. Gaufredus Barbatus Fulconi fratri ſuo trad.tus eſt, & Barones traditionis auctores crudeliter interfecti ſunt. Guillelmus Dux Normannorum Angliam acquiſiuit.

MLXVIII. Gaufridus Barbatus captus eſt in bello à Fulcone fratre ſuo.

MLXX. Corpora ſanctorum Præſulum Albini & Clari cum alijs reliquiis tranſlata ſunt Octauo kal. Nouembris.

MLXXVI. Obſidio Dolenſis caſtri.

MLXXVII. Exercitus de Fiſſa.

MLXXXI. Obierunt Euſebius Epiſcopus & Otbrannus Abbas. Fulco Rechin caſtrum Fixæ cepit, ſuccendit.

MLXXXII. Gaufridus Epiſcopus ordinatur : qui etiam eodem die Girardum Abbatem benedixit.

MLXXXV. Prælium inter Caſtroguntherianos & Lauallеoſes.

MLXXXVII. Obiit Guillelmus Rex Anglorum, quinto Idus Septembris.

MLXXXVIII. Combuſtio burgi ſanctæ Mariæ.

MXCIII. Obiit Gaufredus Epiſcopus ſexto Idus Octobris, ordinationis ſuæ an. 12.

MXCV. Vrbanus Papa venit in Gallias.

MXCVI. Gaufridus de Meduanâ, ordinatur Epiſcopus. Iter Hieroſolymitanum incipit quarto Idus Februarij.

MXCIX. Anno Milleno, centeno, vno minus anno,
Hieruſalem Franci capiunt virtute potenti,
In fine (*immo in medio, vtpote 15. die*) menſis Iulij. Vrbanus Papa obiit quarto kalendas Auguſti.

MCII. Rainaldus Epiſcopus ordinatur pridie Idus Ianuarij.

MCIV. Exercitus de Brioleto.

MCVI. Obiit Girardus Abbas S. Albini 5. Idus Ianuarias, qui fuit filius Higelli Comitis,& Archebaudus ordinatur, octauo Idus Februarij. Gaufridus Martellus àpud Candeium occiditur XIV. kal. Iulij. Buamundus Dux venit in Gallias.

MCVIII. Obiit Philippus Rex.

MCIX.

MCIX. Obiit Fulco Rechin Comes; cuius filius Fulco caſtrum Doatum, & caſtrum Inſulæ cepit. Fames per Gallias.

MCX. Obijt Helias Comes quinto Idus Iulij.

MCXII. Exercitus de Bracco ſacco.

MCXIII. Gaufridus Comes natus eſt IX. Kal. Septembris.

MCXIV. Guerta Burgenſium contra Comitem.

MCXV. Terribilis ventus fuit Nonis Octobris.

MCXVI. Obijt Robertus de Arbtiſſellis quinto Kal. Martias, ipſe fuit fundator Monaſterij Fontis-Ebraudi.

MCXVII. Ventus vehemens fuit in Vigilia Natalis Domini.

MCXVIII. Obſidio Alenchonis caſtri.

MCXIX. Hamelinus Abbas ordinatus eſt. Calixtus Papa venit Andecauam, prius Epiſcopus Viennæ.

MCXX. Fulco Comes & Rainaldus Epiſcopus Ieruſalem pergunt. Filius Regis Anglorum in mari necatur.

MCXXIII. Exercitus de Doato. Obiit Marbodus Epiſcopus, atque domnus Girardus Monachus.

MCXXIV. Exercitus de Molteriolo. Rainaldus Remenſis Archiepiſcopus eligitur. Obiit Calixtus Papa.

MCXXV. VVlgetius Epiſcopus ordinatur XII. Kal. Octobris.

MCXXVI. Obiit Atemburgis (*in alio MS. Ermentrudis*) Comitiſſa. Exercitus de Aureis vallibus.

MCXXVII. Hamelinus Abbas Epiſcopus Redonenſis efficitur Idibus Maij. Robertus Abbas ordinatur kal. Octobris.

MCXXVIII. Tranſlatio S. Albini Kal. Martij in nouam capſam. Mandat Balduinus Rex Ieruſalem Fulconi Comiti, vt fiat gener ſuus.

MCXXIX. Fulco Comes Ieruſalem pergit, & Gaufridus filius eius honore adepto ad Parteniacum exercitum ducit.

MCXXX. Exercitus de Mirabello.

MCXXXI. Gaufridus Comes firmat Caſtrum nouum. Fulco Rex Ieruſalem efficitur. Incendium de Aquaria. Innocentius Papa Ludouicum Regem Remis conſecrat duodennem.

MCXXXII. Henricus natus eſt tertio Nonas Martij.

MCXXXIII. Exercitus de Candeio. Gaufridus natus eſt Kal. Iunij.

MCXXXV. Obiit Henricus Rex Angliæ, tertio Nonas Decembris. Gaufridus Comes Domfrontum & Argentomagum in dominicum accepit.

MCXXXVI. Guillelmus natus eſt vndecimo Kal. Auguſti: ſiccitas magna fuit. Obiit Petrus Leónis.

MCXXXVII. Obiit Ludouicus Rex, & Guillelmus Dux Aquitaniæ: cuius filiam duxit coniugio Ludouicus Rex Franciæ, factuſque ſimul eſt Dux Aquitaniæ.

MCXXXVIII. Exercitus Valeſiæ.

MCXXXIX. Mathildis Imperatrix mare tranſit volens Angliam acquirere, & Gaufridus Comes Mirebellum in dominium accepit. Obiit Hermengardis Comitiſſa. Obiit Brictius Epiſcopus Nannetenſis tertio Kal. Nouembris.

MCXL. Obiit Hamelinus Epiſcopus quarto Nonas Februarij. Stephanus Rex Angliæ in bello capitur, & Mathildis plurimam Angliæ partem recuperat.

MCXLI. Gaufridus Comes Leſoias & Phaleſiam recipit.

MCXLII. Gaufridus Comes caſtrum Celſum obſedit, & cepit: qui poſtea in Normanniã properans caſtella plurima cepit. Moritaniũ capit, & poſt hoc Hẽricum filiũ ſuum per Robertũ Comitem Gloceſtriæ in Angliam ad matrẽ ſuam tranſmiſit.

MCXLIII. Gaufridus Comes Abrincatenſem vrbem, & Conſtancias: immò totã Normanniam citra Sequanã adquirit. Obiit Innoc. Papa, & Fulco Rex Ieruſalem.

MCXLIV. Cæleſtinus Papa obiit, & Gaufridus Comes Rotomagum, multáque caſtella vltra Sequanam ſtrenuè acquirens, Dux totius Normanniæ efficitur. Combuſtio Pontis Andegauenſis ſabbato poſt edictum. Guerra Baronum contra Comitem Gaufredum.

MCXLVI. Obiit Lucius Papa, ſtella Cometes apparuit, diuerſos ortus habens. Fames per Gallias. Pax fit inter Barones & Comitem.

MCLXI. Fames per Gallias & mortalitas magna.

MCLXII. Mathæus Epiſcopus Andegauenſis moritur, & Gaufredus Epiſcopus conſecratur. Henricus Rex in Angl. tranſiit & Gallenſes fortiter ſubjugauit.

MCLXIII. Balduinus Rex Hieroſolymitanus moritur & Amauricus frater eius in Regem electus eſt. Terræ motus factus eſt Vigilia S. Stephani Protomartyris, menſe Auguſto. Alexander Papa Turonis Concilium celebrat cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus Franciæ, Burgundiæ, Hiſpaniæ, Aquitaniæ, Angliæ, Normanniæ, Britanniæ.

MCLXV. Henricus Rex contra Britannos exercitum dirigens caſtrum Fulgeriarum obſedit, & viriliter cepit; cæteroſque Britones mira probitate & audacia ſubegit.

MCLXVI. Terræ motus factus eſt XII. Kal. Iul. Henricus Rex Aruernos rebelles adortus eſt, multaque eorum caſtella & vicos ſuccendit, & deſtruxit: Guerra inter Ludouicum Regem Francorum, & Henricum Regem Anglorum oritur.

MCLXVII. Henricus Rex Anglorum, & Dux Normanorum, & Aquitanorum Comeſque Andegauiæ Caluum montem caſtrum in Francia ſitum aduerſus Ludouicum Francorum Regem mira celeritate captum ſuccendit. Mathildis Imperatrix mater Henrici Regis moritur. Eudo Comes Britanniæ cæterique Britones & Vicecomes Toarcij cum multis Baronibus Aquitaniæ conjurationem facientes, Rege Francorum illis aſſentiente, ceteriſque Francis auxiliantibus contra Henricum Regem inſurgunt.

MCLXIX. Henricus Rex cum Ludouico Rege Francorum pacem habuit, & Aquitanos, & Britannos ſibi rebelles non ſine admiratione multorum hommagia ſua, & fidelitates facere coëgit.

MCLXX. S. Thomas Cantuarienſis in Anglia Martyr occubuit.

MCLXXIII. Interea dum Rex in Anglia moraretur, conſilio habito Richardus filius eius Pictauiam ingreſſus eſt, & plures eius patriæ Principes potiùs odio patris quàm amore filij in partem eius conuerſi ſunt. Henricus verò ſuperueniens terras, & oppida eorum ſubuertit: Sanctonas vi cepit. Richardum & eos qui cum illo ſeditionem fouebant, vſque ad munitionem Tabellici fugauit. Cum autem prædictus Rex in Anglia pacanda moraretur, exercitus Andegauiæ Mauritio de Credonio duce caſtellum Celſum inuaſit & diruit: inſuper Sabolium & munitiones adjacentes, videlicet de ſancto Lupo & ſancto Brictio fundens euertit. Orta eſt guerra inter Henricum Regem Angliæ, & tres filios ſuos Henricum iuniorem videlicet, quem Regem Angliæ conſtituerat, & Richardum Comitem Aquitaniæ, & Gaufridum Comitem Britanniæ. Qui tres cum maxima parte militum totius patriæ in Gallias ſecedentes Ludouicum Regem Galliæ patronum habuerunt & adiutorem. Qui collectis exercitibus Franciæ, Flandriæ, & Burgundiæ Normanniam inuaſit, & caſtrum Vernolium obſidione circumdedit, vbi cùm per menſem, ſed fruſtra laborauiſſent, & relictis machinamentis bellicis feſtinantiùs quàm adueniſſet, ne cogeretur, abſceſſit. Nec mora prædictus Rex Henricus major Rodulfum Surgeriarum, & Comitem Sceptrenſem, qui Britanniam & Normanniam vehementer depopulabantur cum alijs centum militibus in itinere Dolenſi facta ibi maxima cæde hominum ad ditionem coëgit, & munitiones eorum, qui guerram fouebant, funditus euertit. Eodem anno ter mille Flandrenſes, qui propter eandem diſcordiam conſilio Comitis Leiceſter, Angliam inuaſerant bellica clade, quod nec vnus euaſit, interempti ſunt, & Comes ipſe captus & Regi reſignatus: Secundo anno eadem inualeſcente diſcordia facta eſt conjuratio inter Principes Galliæ, quòd Angliam inuaderent, & eam Henrico iuniori ſubjugarent, paratis eorum nauibus ab itinere deſtiterunt. Henricus verò major in Angliam transfretauit humili vultu, & habitu vltra quàm Regalem deceret Majeſtatem ad ſepulcrum Beati Thomæ Martyris pœnitentiâ ductus ſe proſtrauit, ibique die ac nocte in lacrymis & orationibus vigilias celebrauit. Facto mane priuſquàm ab Eccleſia diſcederet, nunciatum eſt ei Regem Scotiæ, qui ex parte ſua Angliam inuaſerat, confectum eſſe, & retentum. Totius itaque Angliæ tumultu breui morâ ſedato Rex exhilaratus in Normanniam reuerſus eſt. Cuius aduentum Ludouicus Rex Galliæ percipiens, qui cum Principibus, qui de conjuratione re-

manſerant, & infinito exercitu Rothomagum obſederat, comitatu ſuo fame vehementer attrito inopinatus de nocte aufugit. Nec mora Gallis à propoſito deficientibus & iunior cum fratribus ſuis patrem recognoſcens ad libitum ſuum pacem cum eo fecit.

MCLXXV. Obiit Amamicus Rex Hieroſolymitanus.

MCLXXVI. Regnat imperioſa fames per Gallias.

MCLXXVII. Vigilia S. Andreæ factus eſt ventus vehemens: pinnaculum S. Albini ruit. Gaufredus Epiſcopus moritur. Pons Andegauenſis comburitur. Rodulfus Epiſcopus ordinatur.

MCLXXXVIII. Concilium Romæ celebratur ſub Alexandro Papa.

MCLXXIX. Philippus filius Ludouici apud Remos Rex inauguratur, Kalendis Nouembris.

MCLXXX. Obiit Rex Franciæ Ludouicus.

MCLXXXI. Alexander Papa moritur.

MCLXXXII. Die Veneris, & Sabbato ante Ramos Palmarum, ventus vehementiſſimus factus eſt, qui ferè omnes molendinos Ligeris ſubmerſit, multaque Eccleſiarum pinnacula ſubuertit.

MCLXXXIII. Lemouicenſis exercitus. Henricus Rex iunior moritur: cuius morte ferè vniuerſus orbis lamentatur.

MCLXXXVI. Obiit Gaufredus Dux Britanniæ, filius Henrici Regis Anglorum. Obiit Guillelmus Cenomanenſis Epiſcopus.

MCLXXXIX. Guerra inter Philippum Regem Franciæ & Richardum Comitem contra Henricum Regem Angliæ ſeniorem. Vrbs Cenomannis deſtruitur. Turonis capitur. Obiit Henricus Rex ſenior, pridie Nonas Iulij. Diſſenſio inter Guillelmum Abbatem S. Albini & Conuentum: pro quâ diſſenſione in manu Richardi Ducis, regimen Abbatiæ dimiſit. Iaquelinus ordinatur Abbas. Guillelmus Abbas euolutis paucis diebus poſt dimiſſionem moritur.

MCXC. Philippus Rex Franciæ, & Richardus Rex Angliæ, cum Comitibus, & Baronibus Ieruſalem proficiſcuntur. Clemens Papa moritur. Iaquelinus Abbas S. Albini moritur 4. Idus Iunij.

MCXCI. Gaufridus Abbas ordinatur, die Aſſumptionis beatæ Mariæ.

MCXCII. Vigilia S. Martini Vertauenſis, factus eſt ventus vehementiſſimus, qui pinnaculum vnius turris B. Mauritij fecit corruere.

MCXCVII. Obiit Radulfus Epiſcopus, Guillelmus ordinatur in Cathedra S. Petri. Cæleſtinus Papa moritur. Innocentius ordinatur.

MCC. Obiit domnus Guillelmus Andegauenſis Epiſcopus.

In Apographo quo vſus ſum, quodque penes me eſt, nonnulla adduntur, quæ ad annos MCCCXLIX. MCCCL. & ſequentes pertinent vſque ad diem 16. Maij, ſeu feriam tertiam ante Aſcenſionem Domini anno MCCCLVII. Pontificatus Innocentij VI. anno quinto, regni autem Ioannis Regis ſeptimo, qui fuerat captus anno præcedenti propè Pictauos die XIX. Septembris ab Eduardo Principe VValliæ Duce Cornubiæ, primogenito Regis Angliæ.

ALIVD CHRONICON EX CODICE EIVSDEM ABBATIÆ S. ALBINI ANDEGAVENSIS, A PRÆCEDENTI NONNIHIL DIVERSVM.

DCCLXVIII. Octauo Kal. Octobris, Pipinus Rex, pater Karoli Magni obiit.

MCCCXIII. Quinto Kalendas Februarij, obijt Karolus Magnus Imperator.

DCCCXL. Decimoquarto kalendas Iulij, obiit Hludouicus Imperator Karolomagni filius, & ſequenti anno prælium factum eſt apud Fontanetum à tribus filiis eius Hlothario, Karolo, & Hludouico.

DCCCLXXIV. Quarto kal. Iulij, Salomon Rex Britannorum à ſuis interfectus eſt.

DCCCCXXIX. Curtis Chiriaci & *vt in ſuperiori*.

DCCCCLXXXVII. Hugo Dux ſimul cum filio ſuo Rotbetto leuantur in Regnum Francorum.

MXXVSS. Odo Comes Ambaſium caſtrum obſedit: & eodem anno Brito Alanus Luſdum obſedit.

MXXXVII. Dedicatio S. Matris Eccleſiæ Carnotenſis facta XVI. kal. Nouembris.

MLIII. Leo Papa Normannos Apuliam per tyrannidem tenentes bello aggreſſus ſuperatus eſt.

MLVIS. Ciuitas Nannetica Comiti Goffrido ab Hoel Comite reddita eſt, qui non bonâ vſus fide auferre eam illi tentauit, ſed vix XL. dies retentam turpiter amiſit.

MXCV. Indictione III. pridie Nonas Aprilis Luna XXV. feria quarta poſt octauam Paſchæ nocte viſæ ſunt ſtellæ in modum pluuiæ de cœlo in terram miſſæ, Sol quoque octauo abhinc die toto cæruleus extans, ſed & Luna ſequenti nocte ſimiliter lucens cuncto orbi prodigio fuerunt. Eodem anno Vrbanus Papa Romanus deuenit in Gallias: Qui Concilium Claromonte egit XIV. kal. Decembris, in quo Philippum Francorum Regem pro inceſti adulterij crimine excommunicauit, vbi etiam Chriſtianam gentem, vt iter Hieroſolymitanum à barbatie paganorum adquietarent, ſubmonuit.

MXCVI. Tertio Idus Februarias cum prædictus Papa in Andecaua vrbe reſideret, Luna cum eſſet XIII. terribilem Eclipſin paſſa eſt à media nocte vſque ad lucem. Inde cruce ſignatus exercitus Chriſtianorum, & præcipuè Gallorum gens contra Paganos dimicatum ſuccingitur. Ducibus itaque Boamonte, & Raimundo, aliiſque lectiſſimis Comitibus tranſeunt, Turciſque deuictis omnem Græciam ab eorum dominatione liberant. Inde per bella grauiſſima pugnando, & vincendo famoſiſſimam vrbem totius pene Orientis caput Antiochiam petunt.

MXCVII. Tertio Nonas Octobris, apparuit ſtella à parte Aquilonis, non multum grandis, nec ſatis clara: cuius fumans radius in modum haſtæ longus verſus meridiem reſpiciebat. Apparuit autem ab occaſu ſolis vſque ad ſecundam vigiliam noctis octo fermè diebus.

Sequenti anno Helias Comes Cenomannorum captus eſt à Rotberto de Beleſmâ, defectione ſuorum, quarto kal. Maij feriâ quartâ, & redditus VVillelmo ſecundo Regi Anglorum, Fulcoque Andegauorum Comes Rechin cognominatus Cenomaniam vrbem, vt ſuam, ſequenti Sabbato recepit, quam tribus menſibus retentam Cenomanenſibus more ſuo ſibi fraudantibus, & à ſe deficientibus, reddidit eam in amicitia præfato Regi Anglorum, qui ipſam Vrbem magis pecuniâ, quàm viribus impugnabat, iamque penè poſſidebat.

Eodem anno capta Nicæa à Francis Chriſtianis, ac deinceps bello peracto cum Turcis, cum Deo iuuante vicerunt, ſequenti anno obſederunt Antiochiam atque ceperunt, ſed ea potiti rurſus ab ingenti multitudine gentilium obſeſſi, fame quoque trucidati, ad extrema pene perducti ſunt. Deo autem miſerante Domini lanceam, qua Domini latus perforatum eſt, diuinâ viâ repererunt. Et hoc miraculo multiſque aliis roborati rurſus cum eiſdem Gentilibus pugnantes vicerunt, victoréſque omnem Syriam, & Ciliciam, pluráque alia regna, ipsámque Ieruſalem obtinuerunt.

MXCVIII. Quinto Kal. Octobris, viſus eſt aer rubei coloris, adeò vt plus ſanguinem quàm ignem imitaretur. Viſus eſt autem ab exordio noctis pene vſque ad lucem, ab Oriente in Occidentem verſus Seprentrionem; in fine verò noctis clariſſima lux viſa eſt poſt ruborem. Nona verò nocte poſthæc, prima vigilia noctis factus eſt fragor ingens cum grandi terræmotu.

MCIII. Cum Fulco Rechin Andecauorum Comes filium ſuum majorem Gaufridum amore filij ſui iunioris multis, & magnis conſiliis atque molitionibus exhæredare voluiſſet, prædictus Gaufredus cognomento Martellus, volunratem patris ſui præſentiens, ſumpta amicitia cum Helia Comite Cenomanenſi, contra eum arma corripuit, ac mox Mazonem caſtellum ſuper patrem ſuum obſedit, primóque impetu cepit & incendit. Inde contra VVillelmum Comitem Pictauorum, quem prædictus Fulco cum ingenti exercitu ſuper Andecauos adducebat, audacter præliaturus accurrit, ſed Pictauenſibus, antequam ad rem ventum eſſet, diffugientibus,

Goffridus inde Andecauis veniens poſt paucos dies Brioletum caſtrum obſedit & cepit. Poſt non multos igitur dies dum Fulco Comes, quod volebat, implere non poſſet, pacem cum filio ſuo Gaufredo Martello fecit, pariterque ſequenti anno caſtellum Carceris ceperunt, & Toarcium magnum & nobiliſſimum caſtellum concremauerunt.

Sequenti anno MCV. prædictus Gaufredus Martellus, rogatu Henrici Regis Anglorum, & Heliæ Comitis, in Neuſtriam cum exercitu perrexit, & Bacuas vrbem vno impetu cepit & incendit.

MCVI. Menſe Februario ſtella Cometes parua quidem, ſed ingentem producens radium, apparuit per quatuor ferme hebdomadas, quo anno Boamundus Apuliæ Comes filiam Regis Francorum Philippi in coniugium cepit, & vſque Andecauis venit. Eodem anno quarto Nonas Maij, mane ſubito velut..... Quo tempore Goffridus Comes Martellus iunior exercitum præparabat Condatum caſtrum obſidere cupiens: quo obſeſſo & ad deditionem iam hoſtibus coactis idem Comes ab eiſdem quaſi fidelitatem ei facere cupientibus, ad colloquium euocatus ſagitta eſt interfectus XIV. Kal. Iunij, totuſque eius exercitus cæde, & inſidiis hoſtium laceratus, & diſſipatus cum ingenti totius populi luctu. Iuxta auunculum patris ſui in Eccleſia S. Nicolai Andecauis ſepultus eſt.

MCVIII. Obiit Philippus Francorum Rex menſe Auguſto, ſequenti anno obiit Fulco Rechin Andecauus, Comes XVIII. kal. Maij.

MCX. Fames grauiſſima totam ferè afflixit Galliam, & toto menſe Iunio ſtella Cometes apparuit, quæ aliquando quidem radium ad Orientem, & deinde ad Meridiem vertebat. Eo tempore, quinto Idus Iulij Helias Comes Cenomanorum obiit, honorem ſuum Fulconi iuniori genero videlicet ſuo, derelinquens, vir ingenio & audaciâ magnus.

ADDENDA EX CODICE PETAVIANO,
& aliis Mſſ. Apographis; neque enim omnia illa Andegauenſia Chronica eodem ſunt filo contexta.

MXLVII. Karofenſe Monaſterium dedicatum eſt XVI. Kal. Iulij. Idibus Decembris ordinatio Euſebij cognomento Brunonis.

VII. kal. Ianuarias, obiit venerabilis memoriæ Theodoricus Abbas Cœnobij S. Albini anno M.....ordinationis vero ſuæ ſexto.

MLXVII. Kal. Februarij, feria quarta, Luna ſexta, hora tertia, apparuit ſignum in Sole, habens ſimilitudinem Solis vnius in dextram, & alterius Solis in ſiniſtram, & coronam in ſummo cœli: & Concilium apud Pictauum fuit factum. In fine ipſius menſis, Luna apparuit ſanguinea, & cærulea in primâ vigiliâ noctis.

MLXXV. Finis Chronicæ Rainaldi Archidiaconi S. Mauritij.

MLXXXI. Octauo Kal. Martij, obiit Othbrannus Abbas ſancti Albini, vir bonæ memoriæ: in ipſo anno obiit quinto kal. Septemb. Andegauorum Epiſcopus Euſebius, qui alio nomine Bruno dicebatur, & Comes Andegauorum Fulco iunior obſedit caſtrum quoddam quod Fiſſa Ioannis dicitur, atque cepit, necnon ſuccendit, quod iam ſibi multoties antea rebellauerat. Quod Rex Anglorum ei antea, gente maxima congregata, excuſſerat VVillelmus, qui & ipſe à Fulcone bello laceſſitus, obſidibus pacis per fidem datis, fratre ſuo Conſule videlicet Moritaniæ, & filio ſuo, & multis aliis receſſit.

MLXXXII. duodecimo kal. Aprilis, feria tertia, Luna XXIX. poſt veſperas factus eſt ſubitaneus terræ motus. Ordinatus eſt Præſul Andecauis Gaufridus Decanus S. Mauritij Turonicæ ciuitatis. Eodem die conſecratus eſt Girardus Abbas S. Albini ab eodem Præſule.

MXCIII. Sexto Idus Octobris, obiit Gaufridus Andecauorum Epiſcopus ordinationis ſuæ anno duodecimo. Poſt hunc ordinatus, eſt Gaufridus filius Hugonis de Meduana, nono kal. Decembris, vix ſeptem annis in Epiſcopatu manſit: Accuſantibus nempe, & conquerentibus plurimis apud Papam, quod eo iubente

neophytus, & pene illiteratus fuiſſet ordinatus, monitu eiuſdem venerabilis Papæ ſedem deſerens Monachus Cluniaco factus eſt: poſt cuius abſceſſum ordinatus eſt Andecauis Epiſcopus Rainaldus M C I I. pridie Idus Ianuarias.

M X C V I. Milo Legatus Vrbani Papæ, antea Monachus S. Albini, duxit Vrbanum Andegauim poſt Concilium apud Claromontem.

M C V I. Apparuit Cometa longiores & latiores quàm ſolet extendens radios durans pluſquam quindecim noctibus. Eodem anno venit Boadmundus Dux Antiochiæ in Galliam, & accepit vxorem filiam Philippi Regis Francorum, & poſtea venit Andecauim, & receptus eſt in cunctis Eccleſiis cum honore maximo, & non minima reuerentia. Eiſdem autem diebus euenit terræ motus hora matutina, feria ſexta, quarto Nonas Maij. Reuerſo autem Boamundo Biturim, Goffridus Martellus iunior obſedit caſtrum, quòd vocatur Candcium, cum Comitibus tribus Alano Britonenſi, Helia Cenomanenſi, & Roberto Beleſmenſi, non minimoque exercitu: à Caſtellanis autem ſe fortiter defendentibus, & multos de exercitu occidentibus, cùm tandem diuerſa machinamenta ad diruendum caſtrum præparata, ſeque non poſſe euadere cernerent, caſtrum ſe reddere, & pacem facere velle finxerunt. Cumque de hoc inuicem priuatim Caſtellani, & Comes cum aliquantis ſuis amicis iuxta caſtrum loquerentur, paratis occultè archerijs eum ſagittâ in brachio grauiter vulnerauerunt. Qui ad mortem percuſſus, & optimè confeſſus, Dominico accepto corpore & adorata Cruce, eadem nocte, proh dolor! occubuit, & ad S. Nicolaum deportatus eſt inenarrabili totius patriæ planctu ab omni Monachorum & Cleri ordine honorificè in Eccleſia iuxta patruum ſuum Goffridum Martellum eſt tumulatus. Traditus eſt autem nocte & mortuus pro pace ac iuſtitia X I V. Kal. Iunij, feria ſexta. Tenuit autem honorem terrenum honorificè tribus annis, & totidem menſibus.

Eodem anno M C V I. vt conſtat ex Chartulario S. Nicolai eiuſdem vrbis Andegauenſis, ſexto Idus Octobris Luna noua, feria quarta, venit Rex Franciæ Philippus ad ciuitatem Andegauam cum Regina nomine Bertrada, receptuſque eſt à Fulcone Comite, & Andegauenſibus tam Clericis quàm Laicis, cum honore maximo & reuerentia: pridie confirmauit omnia bona S. Nicolai.

ALIVD CHRONICON ANDEGAVENSE DESCRIPTVM EX CODICE MS. VINDOCINENSIS COENOBII.

Ab anno DCLXXVIII. ad MCCLI.

ANNO DCLXXVIII. Principatus Pipini Senioris annis X X X V I I.

D C C X I V. Obiit Pipinus Senior pater karoli eius, qui dictus eſt Martellus, principatus anno X X X V I I.

D C C X L I. Obiit Carolus Martellus. Hic primus decimas abſtulit Eccleſiis: in ſepulcro eius ſerpens inuentus eſt: corpus verò eius non eſt repertum.

D C C X L I I. Pipini patris Caroli Magni principatus annorum decem.

D C C L I. Regnum Pipini annis X V I I.

D C C L I I. Hoc anno venit Stephanus Papa in Galliam & in Eccleſia S. Dionyſij Karolum inunxit.

[illegible]C L X V I I I. Obiit Pipinus pater Caroli Magni: Regnum karoli Magni annorum [illegible]em in Francia.

D[illegible]L X X V I I. Karolus Deſiderium Regem totámque Italiam capit.

[illegible]L X X V I I I. Regnum karoli Magni annorum X X V. in Italiâ.

D C C L X X X I V. Hildegardis Karoli Magni Regina obiit pridie kalendas Maij. W[illegible]tichindus Rex Alborum & Saxonum debellatus à Karolo cum ſuis baptizatur.

D C C X C V I. Adrianus Papa obiit, cui ſuccedens Leo mox Karolo Regi claues Confeſſionis S. Petri, & vexillum Romanæ vrbis duxit.

D C C X C I X. Leo Papa à Romanis captus & iniùriatus eſt: & Leutgardis obiit Regina, ſecunda vxor karoli Magni Imperatoris.

DCCCI. Karolus Imperator Romanorum factus Domni Leonis Papæ dehoneſtationem regaliter vltus, multos Romanorum exilio damnauit, obtinente eis Papâ vitam & membra.

DCCCIV. Domnus Alcuinus Abbas Monaſterij B. Martini Turonenſis obiit. Ipſo anno Domnus Leo Papa ad Karolum Regem in Franciam, vſque Remis venit, & receptus honorificè atque donarijs ornatus natale Domini cum eo celebrauit.

DCCCVI. Hoc anno Nonis Iunij feria quinta, prima Aurora incipiente, Luna XIV. ſignum Crucis mirabiliter apparuit in hunc mundum. Eodem anno tertio kal. Septembris Luna XII. die Dominico, hora tertia corona mirabilis in circuitu Solis apparuit.

DCCCIX. Hoc anno XVII. Kal. Auguſt. ſecunda feria incipiente hora diei quinta Ecclipſis Solis apparuit Luna XXIX.

DCCCX. Pipinus filius Karoli Magni Rex Italiæ obiit VIII. Idus Iulij.

DCCCXI. Karolus major filius Karoli Regis, obiit pridie Nonas Decembris.

DCCCXIV. Inclytus Imperator Karolus migrauit ad Chriſtum feliciter quinto kal. Februarij Initium regni Ludouici.

Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum,
Karolus orbis honor, orbis & ipſe dolor.

DCCCXXII. Hlotharius in ſucceſſionem regni ſubſtituitur.

DCCCXXIII. Pipinus Hludouici Imperatoris filius Rex factus in Aquitania.

DCCCXXIV. Karolus Rex natus eſt Hludouici filius, qui Caluus cognominatus eſt, & ipſo anno Hlotarius primogenitus eiuſdem Regis filius conſors Imperialis leuatus eſt dignitatis.

DCCCXXXIII. Hludouicus regnum amiſit, deficientibus à ſe Francis: & Lotharius filius eius illud ſuſcepit. Itemque Hludouicus illud recepit.

DCCCXXXIV. Prœlium inter Lambertum & Odonem Comites, in quo perierunt multi nobiles viri. Ipſe Odo Comes Aurelianenſium, Willelmus frater eius Comes Bleſenſium, Guido Comes Cenomanenſium, Teuto Abbas ſancti Martini.

DCCCXXXVIII. Ordinatio Dodonis Epiſcopi.

DCCCXL. Hludouicus Imperator moritur.

DCCCXLI. Prælium factum eſt inter Karolum & Hlotharium fratres apud Fontanetum, abhinc Karoli regnum Calui.

DCCCXLIII. Præliatum eſt à Rainaldo nobili Comite Nannetenſium contra Heriſpoium Nomenoi filium, & alios Britannos apud Metiacum, in quo prœlio victores Britanni facti per fraudem periuri & transfugæ Lamberti Comitis, prædictum Rainaldum, & omnes pene ſuos interimunt. Eodem ipſo anno ciuitas Nannetica à Normannis capitur vice primâ, prodente eam Lantberto perfido Comite, qui à fidelitate Francorum Regum ad Nomenoium Brittonem ſe contulerat. qui etiam ipſius conſilio in Britannia regnum vſurpare auſus eſt.

DCCCLI. Nomenoius Britannorum Tyrannus potiùs quàm Rex cælitus percutitur: cui ſuccedit vſurpatitio in regno Heriſpoius filius eius.

DCCCLV. Hlotharius Rex moritur priùs factus Monachus in Monaſterio Promiæ ob peccatum perſecutionis paternæ.

DCCCLVI. Domnus Herardus ordinatus eſt Turonenſium Archiepiſcopus.

DCCCLVII. Heriſpoius filius Nomenoi Rex tyrannicus Britonum à Salomone occiditur.

DCCCLVIII. Hoc anno pridie Idus Nouembres Hludouicus inuaſit regnum fratris ſui Karoli. Domnus Herardus Archiepiſcopus Generali Synodo in Turonicâ ciuitate habitâ quædam neceſſaria SS. Canonum Capitula excerpſit, quæ firmiùs cuſtodienda ſanxit XVII. Kal. Iunij.

DCCCLXI. Igneæ acies apparuerunt in cœlo circa Gallicinium, *In alio codice hæc periocha additur*: DCCCLXII. Oſſa B. Mauri, à loco ſepulturæ ſuæ effoſſa propter metum Normannorum, & prius per diuerſa loca aliquot annis deportata, tandem iuſſu Karoli Regis, qui dictus eſt Caluus, in Foſſatenſi Monaſterio depoſita ſunt.

DCCCLXVII. Nicolaus Papa obiit, & Adrianus ſucceſſit.

DCCCLXVIII.

DCCCLXVIII. Hlotharius filius Hlotharij illius, qui ſuperiùs Monachus factus obierat, fraterque Hludouici Imperatoris moritur Placentiæ, atque in Monaſterio S. Antonini ſepelitur: ipſo anno Hludouicus frater eius Beneuentum cum exercitu perueniens, quam expeditionem viuo adhuc & iubente patre inceperat, Saracenos, qui vrbem ceperant, expugnat, & occiſo Duce eorum Amalmacher, ciuitatem recuperat: & omnia pene Beneuentanorum caſtella, quæ à Francis receſſerant, & Saracenis conjunxerant, recepit. Loca ſanctorum, quæ impij Saraceni ac perfidi Chriſtiani fœdauerant, Deo adjutore reſtaurauit & purgauit.

DCCCLXIX. Tranſlatio S. Ermelandi Abbatis ex inſulâ Antro.

DCCCLXXIII. Hoc anno Karolomannus filius Karoli Regis, oculis mulctatus eſt, & ipſo anno XVI. Kal. Septembres, locuſtarum immenſa congeries per Gallias peruolauit, quas ſubſecuta eſt tanta niuium vis quanta nulla ætate in noſtris regionibus viſa refertur. In Franciâ verò Cometes apparuit diebus XXV. & fames extitit horribilis per Franciam, Burgundiam, & Aquitaniam, ita vt non eſſent qui ſepelirent cadauera morientium, ſed ſe inuicem homines manducarent.

DCCCLXXIV. Salomon Rex Britonum à ſuis interfectus eſt quarto kal. Iulij.

DCCCLXXV. Fames valida per vniuerſum Karoli regnum incubuit. Cometa viſus eſt menſe Iulio, & Eclipſis fuit Solis quinto Kal. Nouembres. Karolus minor veneno perijt, id eſt ille, quem dicit Ado Aquitanorum Regem iam factum aduerſâ fuiſſe dehoneſtatum injuriâ.

DCCCLXXVII. Karolus Imperator obiit, id eſt Caluus, & filius eius Ludouicus regnum recepit: & Eclipſis Solis facta eſt mirabilis hora VIII.

DCCCLXXIX. Hludouicus moritur Rex Germaniæ.

DCCCLXXXI. Hludouicus inuaſit regnum Hludouici conſobrini ſui Germanici.

DCCCLXXXIII. Hludouicus minor moritur filius Hludouici Germaniæ Regis.

DCCCLXXXVI. Karolomagnus moritur vnus filiorum Caroli Calui, qui Clericus factus oculis mulctatus eſt.

DCCCLXXXVII. Domnus Hugo Abba moritur, & Normanni aſcendunt vſque Pariſius, & Senonas.

DCCCXC. Odo Rex factus eſt.

DCCCXCII. Hoc anno viſus eſt Cometa in cauda ſcorpij per dies fermè LXXX. quem ſubſecuta eſt validiſſima ſiccitas toto Aprili ac Maio. IV. autem Idus Maij & XVII. kalendas Iunij, ita immenſum gelu vineas, & ſigalum decoxit, vt per omnem Franciam, Burgundiam, & Neuſtriam, & partem Germaniæ, modicum quid colligeretur. Precaria Georgij Lauſdunenſis cum Rainone Epiſcopo Andegauenſi facta eſt.

DCCCXCIII. Hoc anno Karolus Hludouici filius Rex factus eſt Remis, hic fuit ſollus, qui poſtea à Rotberto regno dejectus eſt.

DCCCXCVIII. Odo Rex obiit.

DCCCXCIX. Prælium factum eſt à Richardo Duce, contra Paganos in pago Tornodorenſi apud Argentolium cum victoria & cæde Paganorum.

DCCCCIII. Hoc anno Baſilica Beati Martini Turonenſis, illa, quam olim ſanctus Perpetuus condiderat, cremata eſt tertio, pridie Kal. Iulij, quam poſtmodum noſtra ætate Herueus Theſaurarius reædificauit.

DCCCCV. Vitæ B. Maurilij inuentio, vel potius augmentatio per Rainonem Epiſcopum, & Archanaldum ſcriptorem facta eſt.

DCCCCXI. Apud Carnotum præliatum eſt, die Sabbati, contra Paganos per Richardum atque Robertum Duces, & perempti ſunt fortiſſimi Paganorum ſexies mille octingenti. *Hanc quoque periocham ex altero codice deſcriptam non pigebit huic loco inſerere.* DCCCCXII. Hoc anno baptizatus eſt Rollo Normannus, per Franconem Archiepiſcopum Rotomagenſem, ſuſceptuſque ex fonte ſacro à Rotberto Francorum Duce, nominatus eſt ab illius nomine Rotbertus, permutato priore nomine barbarico.

DCCCCXVII. Initium Chronicæ Flodoardi.

DCCCCXIX. Karolus Rex à ſuis relinquitur.

DCCCCXXI. Richardus Dux obiit, & Rotbertus Dux Franciæ, vnctus in Regem à Galterio Senonum Archiepiſcopo, eodem anno interfectus eſt à militibus Karoli

Lotharienſibus,& Rodulfus Dux Burgundiæ inunctus eſt in RegemFranciæ à Galterio Senonum Archiepiſcopo.

DCCCCXXV. Warnerius Comes occiditur à Paganis.

DCCCCXXIX. Curtis Chiriaci ſancto Albino ſanctóque Licinio donata eſt à Fulcone Comite, qui Rufus dictus eſt, ſub Epiſcopo Herueo.

DCCCCXXXVI. Radulfus Rex Francorum, qui, occiſo Rotberto Tyranno à Lotharienſibus, regnum ſuſceperat, obiit: & Hludouicus filius Caroli Vltramatinus reuocatus à Francis regnare cœpit.

DCCCCXXXVII. Vngari in Burgundiam venerunt.

DCCCCXLII. Hoc anno apparuit Cometes in Occidentali parte cæli menſe Octobri, per XXI. diem ſubobſcuro capite longam facem velut fumum poſt ſe trahens, paulatim ad meridianam partem tendens, contra ſubſolanum. Inſequenti anno ſubſecuta eſt peſtis boum ingens per totam Germaniam, Franciam, Burgundiam, & Aquitaniam. Italiam diu non tenuit. Tertio verò anno III. Kal. Maij vineæ exuſtæ ſunt à gelu.

DCCCCLIV. Hlotharius filius Hludouici Transmarini Rex factus eſt. Idem poſtmodum Lotharingiam calumniatus eſt. Cuius expeditionibus Goffridus Andegauorum Comes pater Fulconis vltimi interfuit, multique alij noſtræ ætatis viri.

Hic au[illegible] Fr[illegible] calumnia[illegible] vſque in[illegible] ſeuſus.

DCCCCLVI. Obiit Hugo Dux, & Abbas S. Martini filius Rotberti Pſeudoregis, pater alterius Hugonis, qui & ipſe poſtea factus eſt .... Rex ſimul cum Rotberto filio ſuo, quem vidimus ipſi inertiſſimè regnantem, à cuius ignauiâ neque præſens Henricus Regulus filius illius degenerat.

DCCCCLXV. Hoc anno IV. Idus Maij in maxima parte huius regni in omnibus ferme villis, in quibus Eccleſiæ ſunt, cæleſtis ignis ſine vento, & tonitru ac turbine, non hominem neque pecus lædens, cecidit: & in quibuſdam locis dæmones in forma luporum ad imitationem caprearum balantes apparuerunt, & nocte auditi ſunt. Finis Chronicæ Frodoardi.

DCCCCLXXIII. Obiit Neſingus Andegauorum Epiſcopus pridie Idus Septembris: cui illico ſucceſſit domnus Rainaldus inclytus Præſul & memorabilis, vtpote illo adhuc viuente iam deſignatus Epiſcopus.

DCCCCLXXVI. Prælium inter Carolum fratrem Hlotharij & Hlotharienſes.

DCCCCLXXVII. Otto Imperator Pariſius venit cum ingenti exercitu.

DCCCLXXXVI. Hlotharius Rex obiit.

DCCCCLXXXVII. Obiit Goffredus Andecauorum Comes pater Fulconis vltimi XII. kal. Auguſti in obſidione Marſonis ſuper Odonem Rufinum facta.

DCCCLXXXVIII. Hoc anno Victor ſuum Paſchale compoſuit.

DCCCCLXXXXVII. Hugo Dux ſimul cum filio ſuo Rotberto leuantur in Regnum Francorum.

MI. Domnus Rainaldus Pius, & Munificus Andegauenſis Epiſcopus Canonicis ſuis Eccleſias potiſſimæ curtis illorum Spinacij reddidit, & de alodiis ſuis multis & grandibus eiſdem teſtamentum condidit.

MIV. Domnus Abbo Abbas martyrizatus eſt in Aquitania in Monaſterio ad Regulam prope Kaſſinogilum palatium quondam Regium, qui Cyclos XVIIII. ſcripſit.

MV. Obiit domnus Reinaldus.

MVI. Goſfredus Comes natus eſt pridie Idus Octobris.

MVII. Goſbertus Abbas ſancti....

MXVI. Pridie Nonas Iulij prælium Ponteleuenſe factum eſt inter Fulconem & Odonem Comites: Victoria penes Fulconem fuit.

MXX. Monaſterium S Nicolai apud Andecauum fundatum eſt.

MXXIII. Obiit Hugo Archiepiſcopus Turonenſium quarto Idus Iunij: cui ſucceſſit Arnulfus nepos VII. kal. Decembris.

MXXV. Rotbertus Rex, imo Regina eius Conſtantia, pacem fecerunt cum Comite Odone, & Fulconem Andecauorum elegantiſſimum in bellicis rebus Comitem ſolum nequiter reliquerunt in guerrâ, quam cum illis & pro ipſis ſumptam gerebat. Igitur Odo in Francia Regis impedimentis ſolutus, Fulconem expugnare ſperauit, & totis niſibus adorſus eſt. Annóque præſenti Montis Budelli caſtellum, quod circiter annis decem retro abhinc contra ciui-

tatem Turonicam firmauerat Fulco, obſedit, & turrem ligneam miræ altitudinis ſuper Domgionem ipſius caſtri erexit. In toto tamen labore tanto nihil aliud profecit, niſi quod interim Salmurum optimum caſtellum, quod adhuc tunc in Andecauenſi pago habebat, capiente Fulcone amiſit, & machina illa ad vltimum noctu ſuper eos qui vigilias exercebant, repente corruit, multóſque optimos & nobiles Franciæ milites, & ſuo caſu contriuit, & incendio quod confeſtim à Caſtellanis ſuperiectum eſt, concremauit. Ita Odo & damno & pudore pariter affectus abſceſſit.

MXXVII. Odo Comes hoc anno quaſi ſuperioris fortunam emendaturus Ambaſium caſtrum de improuiſo, cùm acturus aliud putaretur, obſedit, habens ſecum Roberti Regis filium Henricum iam regem factum, ſed tamen ibi quoque diu laborans, nihil profecit, defendente oppidum maximè inclyto Clerico Supplicio Caſtellano eius, & S. Martini Theſaurario ſuis rerum copiis ac ſapienti induſtria. Et eodem anno ciuitas Turonenſis combuſta eſt. Eodem ipſo anno Brito Alanus, Lus obſidens, à Fulcone obſides omnes, quos ei Herbertus dederat, extorſit.

MXXVIII. Domnus Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis Eccleſiæ, mirabilis modernorum temporum Doctor, obiit in Domino, quarto Idus Aprilis.

MXXXII. Combuſtio ciuitatis Andecauinæ prima noſtrorum temporum, & eodem anno Henrici Regis leuatio in regem Francorum.

MXXXVII. Dedicatio ſanctæ matris Eccleſiæ Carnotenſis facta eſt XVI. Kalendas Nouembres, & eodem ipſo anno exortum eſt bellum pluſquam ciuile inter Fulconem Comitem Hieroſolymitanum & filium ſuum Goffredum, qui cognominatus eſt Martellus, & ferè per annos quinque protractum eſt.

MXL. Dedicatio ſanctæ Trinitatis Monaſterij Vindocinenſis facta eſt pridie Kalendas Iunij. Hoc ipſo anno obiit Fulco Comes XI. Kal. Iulij.

MXLIII. Hoc anno fames fuit miſerabilis per totam Galliam, quæ maximam plebis partem inaudito mortium genere conſumpſit.

MXLIV. Teobaldus filius Odonis Comitis à Goffredo Comite Andecauorum captus XII. Kal. Septembris: poſtridie ciuitatem Turonum reddidit.

MXLVI. Obiit domna Hildegardis religioſa Comitiſſa.

MXLVII. Obiit domnus Hubertus dulcis memoriæ Andecauorum Præſul ſexto Nonas Martij: cui ſucceſſit domnus Euſebius Bruno VIII. Idus Decembris domni Clementis Papæ anno primo.

ML. Henrico Imperatori filius natus eſt, & à domno Papa Leone Nono baptizatus.

MLI. Henricus Francorum Rex vxorem duxit Scythicam, & Ruſam. Comes quoque Willelmus Pictauorum vxorem ducit.

MLIII. Leo Papa Normannos Apuliam per tyrannidem tenentes bello aggreſſus, ſuperatus eſt.

MLIV. Domnus Leo Papa obiit XIII. Kal. Maij.

MLV. Domnus Victor ſucceſſit, & ſynodus facta eſt Turonus.

MLVII. Ciuitas Nannetica Comiti Goffrido ab Hoel Comite reddita eſt, qui non bona vſus fide auferre eam illi tentauit: ſed vix XL. dies retentam turpiter amiſit. Ipſo eodem anno Rex Henricus Andecauam vrbem aduenit.

HVC VSQVE AVCTOR PRIMVS.

APPENDIX AB VNO VEL PLVRIBVS SCRIPTORIBVS ADDITA.

MLX. Obiit Henricus Francorum Rex anno ordinationis ſuæ XXIX. & eodem ipſo anno obiit Gauffredus Comes Fulconis filius XVIII. Kal. Decembris, feria tertia, hora diei prima Monachali habitu priùs ſuſcepto à domno Adraldo Abbbate S. Nicolai.

MLXII. Hoc anno pridie Nonas Apriles, apud ciuitatem Andecauam dedicatum eſt Monaſterium nouum in honorem & nomen Summi Saluatoris mundi Filij

Dei, & Domini noſtri IESV-CHRISTI per venerabiles Epiſcopos domnum Hugonem Archiepiſcopum Veſoncienſium, domnum quoque Euſebium Præſulem Andecauorum, domnum etiam VVlgrinum Pontificem Cenomanorum, atque Quiriacum Epiſcopum Nannetenſium.

MLXIV. Obiit Albertus Abba Majoris Munaſterij.

MLXVI. Hoc anno obiit Fulco Vindocini Comes XI. kal. Decembris natali S. Columbani meridie.

MLXVII. In hoc anno apparuit Cometa terribilis multarum calamitatum in ſequentibus annis ſubſecutarum, vt poſt patuit, portentrix. Nam in ipſo anno Comes Normannorum Guillelmus Anglorum regnum magno periculo aggreſſus impugnare, bello publico magna ac miſerabili cæde cruento expugnauit, atque in Regem leuatus coronari ſe fecit. Illo item anno Comes Britannorum Conanus iuuenis & malitioſus Andecauorum terram ſuperbè peruaſus eſt, peruaſioni ſuæ ac ſuperbiæ in ipſa Andecauorum terra ſubita morte præreptus eſt. Ipſo iterum anno Gaufridus Comes iunior, quem Barbatum cognominarunt, traditus eſt à ſuis Fulconi fratri ſuo, & ciuitas Andecauis pridie Nonas Apriles feria quarta Hebdomadæ, quæ dicitur pœnoſa, ſcilicet inter duo Paſcha. Quam traditionem vltio diuina terribilis celeriter ſubſecuta eſt. Nam die craſtina Dominica ſcilicet cœnæ anniuerſaria, ab Andecauina turba maligno ſpiritu turbata miſerabili modo peremptis tribus maximis auctoribus illius traditionis, Gaufrido videlicet de Prulliaco, Rainaldo de Caſtro-Gunterij, Giraldo de Monaſteriolo, quartóque capto, ac non multo poſt ſimili morte mortuo, Rotberto ſcilicet ipſius Andecauis Præpoſito, pluribus in locis plures, proinde vt exiſtimatio dedit, tribulati ſunt ac mortui. Inſequenti anno captus eſt item ſupradictus Comes Gaufridus à Fulcone fratre ſuo in bello publico, ac Fulco in Comitatum ab Andecauinis, vellent nollent, receptus eſt.

MLXXV. Hoc anno quinto kal. Nouembris XIII Luna nocte Dominicâ antequam dieſceret, vidimus tertiam Lunæ partem ab Auſtro nigriorem ſacco cilicino, quæ nigredo paulatim in ſpatio duarum defecit horarum.

MLXXVII. Hoc anno combuſtum eſt Cœnobium S. Petri Carnutenſis IX. Kal. Septembris, antequam fratres ad noctutnos ſurgerent, manente illæſa S. Hilarij Baſilicâ.

MLXXXI. Obiit Domnus Euſebius cognomento Bruno Andecauorum Præſul VI. Kal. Septembris: cui ſucceſſit Domnus Goffridus anno eodem octauo Idus Maij Dominica die Cathedra ſublimatus Epiſcopali. Eodem quoque anno defunctus eſt dulcis memoriæ Arnaldus Cenomannorum Epiſcopus tertio Kal. Decembris, feria ſecundâ.

MLXXXII. Obit Odericus huius loci Abba, vir famoſus ſuis diebus in ordine Monaſtico & diſciplina, quarto Nonas Octobris: vixit autem in Abbatia XXXVII. annos, tres menſes ac dies quatuor, cui ſucceſſit ſequente anno domnus Dauid Abba pridie Nonas Iunij, non viuens in Abbatia amplius quàm duos annos, duóſque menſes.

MLXXXV. In hoc anno obiit ſupradictus venerabilis bonæ memoriæ pater Dauid octauo Idus Auguſti, feria quarta, cui ſucceſſit domnus Abbas Berno, non in eodem, ſed in anno ſubſequenti, nono kal. Maij. Eodem anno quo Abbas Dauid, obiit Burchardus Comes bonæ indolis adoleſcens, filius Fulconis Comitis, Anſeruli cognominati, pridie Kalendas Martij.

MLXXXVII. Hoc anno obiit Guillelmus Rex Anglorum, qui prius quidem Normanniæ Comes fuerat, quique etiam cum multo exercitu mari tranſito Regem Anglorum.....nomine, in publico bello deuicit, ſeque creauit Regem totius Angliæ.

MXCII. Hoc anno combuſtum eſt Monaſterium nouum ſanctæ Trinitatis in Santonico, quarto Nonas Iunij, & in craſtinum caſtrum Subienſe, quo plures igne perierunt.

MXCIII. Abba Berno baculum paſtoralem ætate feſſus, ægritudine preſſus, vltra non valens ferre, coram cunctis fratribus in Capitulo dereliquit: atque in ipſo Capitulo electus eſt Domnus Abba Goffredus, iuuenis ætate, moribus maturus, forma modeſta, corpore formoſus, litteris maximè inſtructus, & cæteris bonis ador-

natus XII. Kal. Septembris, & ab Iuone Epiſcopo IX. kal. earumdem honorabiliter conſecratus.

MXCV. Hoc anno pridie Nonas Aprilis, intempeſta nocte ceciderunt ignitæ ſtellæ longo tractu per vniuerſum orbem. Eodem anno quarto kalendas Martias conſecrauit Vrbanus Papa Crucifixum S. Trinitatis Vindocinenſis Cœnobij, atque perdonauit ſeptimam partem peccatorum ſuorum omnibus, qui vnoquoque annoanniuerſarium eiuſdem conſecrationis diem ibidem celebrarent.

MXCVI. Sequenti anno VIII. Idus Aprilis, combuſta eſt Eccleſia S. Martini Turonenſis, totúmque caſtellum nouum.

MXCIX. Obiit domnus Abba Berno vir magnæ integritatis & innocentiæ, pater omnibus dulciſſimus: vixit in Monachatu LX. annis.

MC. Hoc anno fuit diſcordia inter Domnum Abbatem Goffridum, & Goffridum iſtius villæ Comitem, eodémque anno reconciliati ſunt ipſo Comite, Deo & domno Abbati nudis pedibus ſatisfaciente.

MCVI. In hoc anno apparuit ſtella, quæ modica quidem videbatur, ſed magnum & prolixum poſt ſe trahere candoris veſtigium ab omnibus admirabatur. Quæ plurimis diebus ac noctibus, tractum ſuum in occidentem tendere viſa plurimam deſolationem portendebat; nam in ipſo anno Goffridus Martellus iuuenis Comes Andecauorum, debellator & expugnator tyrannorum, protector & defenſor Eccleſiarum, in quadam obſidione occiſus eſt. Eodem quoque anno Buatmundus vir magnæ opinionis, & famæ, Dux Antiochiæ, accepta ab Apoſtolico licentiâ venit in Europæ partes, caſtella & ciuitates ſubmonendo, vt feſtinarent ire Ieruſalem, liberare videlicet eos, qui in captiuitate tenebantur, & illos adiuuare, qui Turcorum oppugnationibus vexabantur.

MCVIII. Obiit Philippus Francorum Rex, cui filius Ludouicus ſucceſſit in regnum.

MCIX. Hoc anno XVIII. kal. Maij, obiit Fulco Comes Andecauorum vir pietatis & miſericordiæ viſceribus plenus, frater Comitis Goffridi, qui Barbatus cognominabatur. In Monaſterio noſtro Andegauenſi S. Trinitatis, ſicut præcepit, eſt honorabiliter ſepultus.

MCXVII. Magnus ventus in vigilia Natalis Domini.

MCXXXII. Hoc anno combuſtum eſt Monaſterium S. Trinitatis Andecauis, cum omnibus ædificiis, & tota ſubſtantia, totóque burgo de Aquaria, necnon plurima parte ciuitatis. Eodem anno felicis memoriæ domnus Abbas Goffridus, dum cauſa idem Monaſterium reædificandi, & fratribus qui iuerant, neceſſaria miniſtrandi, Andecauim veniſſet, corpus, quod ſuum erat, terræ commendauit, ſpiritu verò, vt credimus, ad cæleſtia tranſmigrauit ſeptimo Kal. Aprilis: cui ſucceſſit domnus Abbas Fromondus, pridie Nonas eiuſdem totius Capituli communi electione, & quatuor Abbatum, qui præſentes erant & vocati fuerant, aſſenſione. Electus verò cum ab Epiſcopo Carnotenſi pro conſuetudine benedictionem poſtularet, ipſe autem è contra pro benedictione ab eo profeſſionem exigeret, ille ſe id nullatenus facturum eſſe reſpondit. Timere enim ſe, ne ſi pro benedictione contra dignitatem Monaſterij ſui profeſſionem faceret, maledictionem incurreret. Qua ratione & auctoritate priuilegiorum, quibus Vindocinenſe Monaſterium fulcitur, cùm victus eſſet, non ſolùm eum conſecrauit, verùm etiam eum, quod libertatem Monaſterij ſui defenderet, plurimùm laudauit.

MCXXXVII. Obiit Ludouicus Rex Francorum, cui Ludouicus eius filius ſucceſſit.

MCXXXIX. Obiit Fromondus bonæ memoriæ, Abbas Vindocinenſis XII. kal. Octobris: cui ſucceſſit domnus Abbas Hubertus vir morum honeſtate & ſanctitate plenus; rexit autem Monaſterium annis quinque, quinque menſibus, & octodecim diebus. Obiit autem XIV. kal. Aprilis.

MCXLVII. Ludouicus Rex Francorum, cum multo exercitu Hieroſolymam profectus eſt.

MCLI. Obiit Goffridus venerabilis Comes Andegauis anno, quo arcem Monaſterioli caſtellúmque funditus euerterat, cui ſucceſſit Henricus qui paullo antè Ducatum Normanniæ ſuſceperat. Ipſo anno obierat Helias frater prædicti Goffridi Comitis.

MCLIV. Hoc anno obiit Stephanus Rex Anglorum, frater Teobaldi Comitis, nepos Henrici Regis, cui ſucceſſit Henricus filius Goffridi Andecauorum Comitis.

MCLV. Obiit bonæ memoriæ domnus Abbas Rotbertus tertio Idus Februarias, feria quarta, cui ſucceſſit domnus Girardus Abbas, vir honeſtæ vitæ ac boni teſtimonij, electus videlicet, toto annuente Capitulo, *Hæc manu recenti in palimpſeſto: Omittit Guillelmum: cui fortaſſe ſucceſſit Girardus anno* MCLXI.

MCLIX. Hoc anno fuit exercitus Toloſæ & Caluum montem obtinuit Henricus Rex.

MCLX. Duo Papæ Romæ Alexander & Octauianus.

MCLXI. Ipſo anno Tebaudus Comes Tebaudi Comitis filius cum magno exercitu militum atque peditum caſtrum Vindocinum inuaſit, & obſedit. Qui priuſquàm ad caſtellum accederet, ſpolia eiuſdem caſtri & theſaurum Monaſterij S. Trinitatis commilitonibus ſuis verbo iam diſtribuerat, putans ſcilicet nullum ſibi reſiſtere poſſe. At Ioannes nobilis Comes Vindocinenſis duorum filiorum ſuorum Burchardi ſcilicet, & Lancelini fultus auxilio, multiſque ex vicinis partibus ad auxilium eius properantibus, caſtellum ſuum ſtrenuiſſimè defendit, ſicque prædictus Comes Tebaudus non peracto, quod voluit, territus & confuſus receſſit, non tamen ſine maximo damno ſuorum; ſed antequam hoc ageretur eodem anno Dominica Septuageſimæ Luna apparuit tota nigra, deinde ſubrubens, poſtea recepit ſplendorem. Tanta autem poſtea fames exorta eſt, vt matres proijcerent infantulos ad portas Monaſterij. Tunc Abbas Girardus inſtituit, vt quotidie à principio Quadrageſimæ vſque ad feſtiuitatem S. Ioannis darentur pauperibus tria ſextaria annonæ præter conſuetum beneficium. Pauperibus iacentibus in vicis & plateis portabatur panis, & caſeus, vel legumen vſque ad eandem feſtiuitatem.

MCLXIII. Hoc anno Rodulfus Seneſcallus tunc temporis in Santoniâ extorſit à Pagano Priore S. Georgij de Olerone CL. nummorum, inſcio Abbate Gerardo, & duodecim ſcyphos argenteos marciles propter boſcum de Sanzelia, quem proprium Regis eſſe aſſerebat. Quo cognito Abbas Gerardus, ſimúlque conuentus deſtinauerunt duos fratres ſuos ſcilicet Iacobum & Guillelmum de Meſnil, ad Regem in Anglia ſignificaturos ipſi Regi tantam iniuſtitiam indebitè illatam, & deprecaturos emendationem fieri ſuper tam damnoſo detrimento. Quos Rex clementer exaudiens & occaſionem iniuriæ ſupradictæ nequiſſimam, & iniuſtam eſſe intellexit, & pecuniam iniuſtè ſublatam per manum Stephani Turonenſis cuſtodis turris de Chinone, è proprio theſauro Monachis integrè reſtituit.

MCLXXVII. Hoc anno exulauit Conuentus Vindocinenſis Andegaui toto anno, & menſibus duobus à facie Ioannis Comitis.

MCLXXIX. Philippus Rex Francorum coronatur.

MCLXXX. Obiit Ludouicus Rex Francorum.

MCLXXXIII. Obiit Henricus iuuenis Rex Angliæ.

MCLXXXVI. Piæ memoriæ obiit domnus Girardus Abbas ſedis ſuæ XXVI. anno & dimidio: cui ſucceſſit domnus Lucas, Abbas. Hoc & anno natus eſt Ludouicus filius Philippi Regis Franciæ. Hoc anno aſportauerunt Saraceni partem Dominicæ Crucis de finibus Ieruſalem.

MCLXXXVIII. Combuſtio Vindocini à Comite Pictauenſi, Richardo, circa medium Auguſti.

MCXCI. Hoc anno cùm duo Reges contra Gentiles transfretaſſent Hieroſolymam in vigilia B. Ioannis Baptiſtæ Luna XXVII. facta eſt Eclipſis Solis.

MCXCIX. In hoc anno obiit Richardus Rex Anglorum, ſolo à ſummo Iudice ſuperatus, cui ſucceſſit in regno frater eius Ioannes.

Interdictum in totâ Franciâ propter vxorem ſuam Dacam, cui abjectæ Rex Philippus Alamannam ſuperduxerat.

MCC. Hoc anno Nonis Nouembris capta eſt illuſtris ciuitas Saracenorum Damieta à Chriſtianis.

MCCI. In hoc anno domnus Abbas Lucas ætate feſſus ægritudine preſſus paſtoralem baculum ſponte dereliquit coram cunctis fratribus in Capitulo, & in ipſo Capitulo de communi omnium voluntate ſtatim electus fuit domnus Abbas Hamelinus.

MCCII. Hoc anno Ioannes Rex Anglorum expugnauit Arturum Comitem Britanniæ, & cepit cum omni exercitu ſuo apud Mirebellum in die feſto, qui dicitur ad vincula ſancti Petri. Ipſe enim Arturus in illo caſtro obſederat matrem eiuſdem Regis. Eodem anno obiit Burchardus Comes Vindocini. Obiit domnus Abbas Lucas quarto kal. Nouembris, feria tertia, in die Simonis & Iudæ.

MCCX. Hoc anno profectus eſt exercitus ſuper Albigenſes.

MCCXV. Hoc anno Tempore Innocentij Papæ Tertij die S. Martini hyemalis, ſedit Generale Concilium Romæ, cui interfuit Hamelinus Abbas noſter locum ordine ſuum inter cæteros Cardinales obtinens, domum noſtram Beatæ Priſcæ Virginis Monachis reformauit.

.....Obiit piæ memoriæ domnus Abbas Hamelinus. In eodem anno Gaufridus Abbas, cui ſucceſſit Hugo Abbas, vir honeſtæ vitæ, & religioſæ.....obiit Hugo Abbas, cui ſucceſſit domnus Rainaldus Abbas.

MCCXXVII. Hoc anno obiit domnus Rainaldus Abbas, cui ſucceſſit domnus Rainaldus Prior, qui regit in pace Eccleſiam iſtam per XVI. annos.

MCCXLIV. Obiit Domnus Reginaldus Abbas. Eodem anno electus eſt Raginaldus in Abbatem, qui tunc temporis erat Prior Vindocinenſis confirmatus à Magiſtro Odone Tuſculano Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato in Francia, & benedictus ab eodem Pariſius in Eccleſia Beatæ Genouefæ.

MCCLI. *Sic quippe legendum, non* MCCXLVIII. *vt in apographis*: Proceſſio Paſtorum peſſima tempore, quod verſus aſſignant

M. ſemel, & bis CC: L, & I, ſimul addere diſce,
Paſtorum duxit ſæua Megæra chorum.

EXPLICIT.

CHRONICON AQVITANICVM;

Quod ab alijs dicitur Fragmentum Chronicæ Lemouicenſis: Ex Codice Memmiano Ab anno. DCCCXXXIV. ad MXXV.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXXXIV. Herio inſula à generali Monachorum habitatione deſtituitur menſe Iunio. Eo quoque anno Odo Aurelianorum Comes cum Lamberto Nannetenſi Comite congreditur & occiditur.

DCCCXXXV. Rainaldus Arbatilicenſis Comes XIII. kalendas Septembris cum Normannis dimicauit in Herio inſulâ.

DCCCXXXVI. Corpus ſancti Philiberti ſeptimo Idus Iunij, ex Herio inſula effoditur, & in Burgundiam perfertur.

DCCCXXXVIII. Pipinus Aquitaniæ Rex obiit Pictauis apud ſanctam Radegundem ſepultus.

DCCCXL. Tertio Nonas Maij, quarta feria hora octaua Eclipſis Solis fuit, & XII. Kalendas Iulij Hludouicus Imperator obiit: *& recentiori ſcriptura*: Iſte ædificauit Monaſterium S. Saluatoris Lemouicenſis, & dedit caſtrum Lemouicenſe cum totâ Capellaniâ dicti Monaſterij.

DCCCXLI. Hlotharius Imperator cum karolo & Hludouico fratribus certamen apud Fontanetum inijt, & per Warinum Prouinciæ Ducem ſuperatus fugam capeſſit, Francorum ſtrage innumerâ peractâ.

DCCCXLIII. Iudith Imperatrix karoli Calui mater obijt, apud beatum ſepulta Martinum Turonis. Eo anno Rainaldus nono Kalendas Iulij à Lamberto perimitur. Eo quoque anno Nannetis à VVeſfaldingis capitur, & karolus primò Britanniam petit.

DCCCXLIV. Bernardus & Herueus à Lamberto occiduntur, quorum Herueus Rainaldi filius fuit.

DCCCXLV. Sigoinus Comes à Nortmannis capitur & occiditur, & Sanctonæ vrbs concrematur, theſauris eius optimis exportatis. karolus iterato Britannias pergens cum Nomenoio dimicat.

DCCCXLVI. Normanni menſe Iulio Herio inſulam ſuccendunt.

DCCCXLVII. Normanni quarto Kalendas Aprilis Deas Monaſterium ſuccendunt, *Le Prieuré d'Aix, prés de la Rochelle.*

DCCCXLVIII. Burdigala à Nortmannis capitur & concrematur.

DCCCL. Karolus Caluus Britannias, tertia vice cum magno exercitu petit. Nomenoius Rhedonas & Nannetas capiens partem murorum portaſque earum deſtruxit.

DCCCLI. Nomenoius iubente Deo ab Angelo percuſſus interiit. Karolus quartâ vice Britannias repetens cum Eriſpoio filio Nomenoij certamen inijt vndecimo Kal. Septembris, partemque exercitus cum Viuiano Duce amiſit.

DCCCLII. Lambertus Comes à Gauzberto Cenomanenſium Comite Kalendis Maij occiditur. Eodem anno menſe Septembri Karolus nepotem ſuum Pipinum adquirit. Ranulfus quoque Pictauenſis, ac Raino ſiue Ramo, propinquus eius pridie Nonas Nouembris in Briliaco villâ cum Nortmannis dimicant. Gauzbertus Comes menſe Martio occiditur.

DCCCLIII. Lucionum menſe Majo à Nortmannis exuritur, & menſe Iunio Sancti Florentij Monaſterium, & Nannetis ciuitas, Turonis quoque exuruntur.

DCCCLV. Lutharius Imperator Monachus effectus in Prumia Monaſterio moritur.

MCCCLXIII. Turpio Engoliſinenſium Comes cum Normannis congreditur, & occidens eorum Regem nomine Maurum, ab eo ipſe occiditur.

DCCCLXVI. Emeno Turpionis frater Engoliſmæ Comes, cum Landrico Sanctonico Comite confligit, & occiſo Landrico ſaucius in caſtro Ranconia reducitur, & die octauo moritur.

DCCCLXXXVI. VVulgrinus Petragoricus Comes obiit. [v. Nonas Martij ex Ademaro.

DCCCCXXX. Ademarus Comes Emenonis filius quarto Nonas Aprilis obiit, apud ſanctum Hilarium Pictauis ſepultus.

MXXV. Obiit Odo Vicecomes ſexto kal. Nouembris apud S. Martialem Lemouicas ſepultus. Eodem anno Henricus Imperator obiit, & Cono imperium ſuſcepit. Eodem anno Baſilius Imperator Græcus obiit, & Conſtantinus frater eius Imperium ſuſcepit.

CHRONICON BREVE ANTISSIODORENSE.

Ex Apographo R. P. IACOBI SIRMONDI S. I.

M. V. Anno, Rotbertus Rex ciuitatem Antiſſiodori obſedit in vigilia S. Martini IV. Idus Nouembris.

MXVII. Hugo Rex filius Rotberti Regis in Regem aſſumptus eſt Compendio die Pentecoſtes.

M.XVIII. Pictauis, Beluacus, & multæ aliæ incendio flagrant.

M.XIX. Carnotum, Rotomagus, ciuitates optimæ exuſtæ ſunt, & caſtrum Corboili.

M.XX. Vineæ crematæ ſunt, & tempeſtas magna decidit.

M.XXII. Aurelianis igne cremantur Clerici diabolica ſuggeſtione à fide Catholica exorbitantes effecti, ac ſi denuo Manichæi hæretici.

M.XXIII. Ciuitas Antiſſiodori flammis acerrimis ad fundum cum Monaſteriis & ceteris Eccleſiis ad turrem & Capellam S. Albani cremata eſt.... Madrj. Eodem anno Rodbertus Rex & Imperator ſimul conuenerunt in loco.

M.XXXI. Venditus eſt ſextarius ſalis ſolidis XXIII. & tritici ſolid. IV. & Rodbertus Rex obiit.

M.XXXIII. Sol obſcuratus eſt natale S. Petri III. Kal. Iulias.

M.XXXVII. Odo Comes cecidit in prælio.

M.XXXIX. Obiit Hugo Epiſcopus, & in ipſo anno ordinatio Etiberti Epiſcopi.

MLII.

M.LII. Kal. Decembris ordinatio Gaufridi Epiſcopi 5. Kal. Ianuar.

M.L. Leo Papa habuit Concilium Remis cum Gallicanis Epiſcopis & ſuper his qui ſuas animas ex Simoniaca fecc inquinauerant, vnde Apoſtolica auctoritate Hugonem Lingonenſem, Gelduinum Senonenſem Epiſcopali honore priuauit, & alios videlicet multos per Galliam.

M.LVII. Hugo filius Rotberti Ducis incendio ſubdidit villam S.Bricij, & perierunt intra Eccleſiam viri & mulieres cum infantibus numero cx. & eodem anno ipſe interfectus eſt. Item eodem anno hæc Eccleſia dedicata eſt.

Anno M.LVIII. Clandeſtina irruptione captum eſt caſtrum S. Germani à militibus Rotberti Ducis & Tebaldi Comitis, qui ingreſſi nutu diuino territi quantocius exierunt, & hoc intra venerabiles Quadrageſimæ dies.

M.LIX. Vnctus eſt in Regem Philippus Remis die Pentecoſtes, & ſequenti anno mortuus eſt Rex Henricus.

M.XCIV. Obiit Robertus Epiſcopus.

M.XCV. Ordinatio Humbaldi: ipſo anno Vrbanus Papa habuit Concilium.

M.CLVII. Caſtrum Cæſaris diruptum eſt à Conſule Niuernenſi Non. Martij.

M.CLXV. xv. Kal. Maij VVillermus Comes Niuernenſis Stephanum caſtri ſacri Cæſaris infra marchiam in bello deuicit, & de ſuis multos occidit & cepit, & cum victoria magna Niuernis venit.

M.CLXVI. Comes muros circa villam fieri præcepit, & nundinas de terme in foro adduxit.

M.CLXX. Caſtrum Dongiaci diruptum eſt à Ludouico Francorum Rege, & Guidone Comite Niuernenſi v. Idus Iulij.

M.CLXXIV. Guido Comes Niuernis à Duce Burgund. captus eſt. Prid. kal. Maij.

EXCERPTA EX CHRONICO SANCTI BENIGNI DIVIONENSIS.

Ad Cyclos Paſchales.

ANNO DCCLIII Benedictus eſt Pipinus Rex à S. Stephano Papa Pariſiis & filij eius Karolus, & Karlomannus, & filia Giſila inter ſacra Miſſarum ſolemnia, præcipiente S. Petro, & S. Paulo, & B. Dionyſio.

DCCCXXIV. Natus eſt Karolus filios Lodouici in Franconofurt Idibus Iunij: in quo palatio nouo illo anno Imperator hiemauit, & à Paſchale Papa in die Paſchæ Romæ Lotharius coronatus, & Imperator eſt appellatus. Drogo, pridie Idus Iunij in Franconofurt Preſbyter eſt ordinatus: cui & Epiſcopatus Metenſis eſt datus.

DCCCXXXVIII. Albertus Ep. Lingonenſis obiit XII. kal. Ian.

DCCCXL. Ludouicus Imp obiit XII. Kal. Iulij. Eclipſis Solis accidit in diebus Litaniarum III. Nonas Maij 4 feria circa horam diei octauam, & permanſit fere hora dimidia adeò obſcura, vt ſtellæ in cælo clariſſimæ appareterent. Hoc anno ſanctæ memoriæ Agobardus Lugdunenſis Ep. obiit 8. Idus Iunij, & memorabile atque inſigne opus quod Forum Vetus vocabatur, Lugduni corruit ipſo die intrantis Autumni, quod ſteterat à tempore Trajani Imp. per annos ferè ſeptingentos. Amolo præfati Epiſcopi Diaconus ordinatur Ep. Lugdunenſis XVII. kal. Februarias, & lacrymabile bellum inter filios Imperatoris Ludouici, tres fratres ſcilicet Ludouicum, Lotharium, ac Karolum, haud procul ab vrbe Antiſſiodorenſium, in quo Chriſtianus vterque populus mutua ſe cæde proſtrauit VII. Kal. Iulij an. DCCCXLI. cuius etiam anni principio nocturnis horis lux ingens à parte Aquilonis emiſſa, & longè latéque diffuſa ferali portento noctem pæne in diem vertiſſe viſa eſt.

DCCCXLII. Diuiſio regni.

DCCCCLI. De Monaſterio S. Petri & S. Vitoni à Berengario Ep. & Monacho pelluntur Clerici, ſubrogantur Monachi, quibus præficitur Humbertus Abba primus.

DCCCCLIII. Coniuratio Liudolfi, & Ducis Contadi aduerſus Ottonem Regem.

DCCCCLVII. Liudulfus Ottonis Regis filius ſubjugata ſibi Italia, ibidem obiit.

DCCCCLXIII. Ordinatio D. Gerardi Pontificis 4. kal. Aprilis.

DCCCCXXCI. Ordinatus eſt Bruno Ep. per manus Burcardi Epiſcopi Lugdunenſis.

DCCCCXC. Ordinatio Domni & eximij patris Willelmi Diuionenſis Abbatis Cœnobij per manus memorandi Brunonis Lingondiæ vrbis Epiſcopi. Obitus Pij patris D. Rotberti Abbatis 3. kal. Auguſti.

MII. Iacta ſunt fundamenta Monaſterij Diuionenſis 12. Kal. Martij in menſe Februario.

MXV. Obiit Bruno Lingonenſis Eccleſiæ Præſul eximius, & pauperum Chriſti tutor & defenſor piiſſimus. Succeſſit Lantbertus.

MXXVII. Obiit Otto Burgundiæ Comes.

MXXX. Obitus patris eximij VVillelmi.

MXLIV. Obiit Richardus Abba piiſſimus. Succedit VValerannus frater Hugonis Lingonenſis Ep. & B. Richardus Virdunenſis Epiſc. cui ſucceſſit Theodericus.

MXLVII. ordinatus eſt Abbas Halinardus Lugdunenſis Archipræſul in loco qui dicitur Erbreſtein coram Henrico Cæſare filio Cononis.

MXLIX. Venit S Leo Papa in Galliam, & depoſitus eſt Hugo Lingonenſis Ep. cui ſucceſſit Harduinus.

MLII. Obiit Romæ Abbas & Archiep. Halinardus, cui ſucceſſit in Archiep. Hubertus & in Abbatia Ioannes Abbas Fiſcanni huius loci Monachus.

MLX. Obiit Rex Henricus. Philippus filius eius regnauit coadjuuante fratre eius Hugone Magno qui in exercitu Hieroſolymitano potens claruit.

MLXI. Obiit VValerannus Abbas. Succedit Grimoldus.

MLXV. Obiit Harduinus Lingonenſis Epiſc. cui ſucceſſit Raynardus cognomento Hugo.

MLXXV. Obiit Robertus Dux Burgundiæ. Succeſſit Hugo Henrici filij eius filius.

MLXXVII. Obiit Raynardus Lingonenſis Ep. ſuccedit Robertus. Obiit Adalbero Abbas Diuionenſis: & eodem anno in Concilio Auguſtodunenſi Domnus Iarento Prior Caſæ-Dei ordinatus eſt 15. kal. Octobris. Bellum in Saxonia in quo Rodolfus Rex occiditur.

MLXXXV. Rodulfus Abbas de Monaſterio S. Vitoni egregius perſecutionem paſſus pro Romana Eccleſia venit Diuionem

MXCV. Concilium Auguſtidunenſe 36. Epiſcoporum, vbi primò iurata eſt via Hieroſolymitana. Concilium apud Clarummontem à Papa Vrbano habitum.

MCVI. Paſchalis Papa venit in Gallias & ab ipſo dedicata eſt Eccleſia S. Mauricij 14. Kal. Martij, & Concilium ab ipſo habitum eſt apud Trecas, Idibus Maij.

MCX. Obiit Robertus Epiſcopus Lingonenſis. Succeſſit poſt duos annos Ioceranus.

MCXIII. Obiit D. Iarento Abbas. Succedit Ademarus.

MCXVI. Obiit Ademarus Abbas, ſuccedit Henricus.

MCXXI. Ad feſtum S. Mammetis dimiſit Ioceranus Epiſcopatum, & Guilelmus ſucceſſit 5. Kal. Octobris.

MCXXXVI. Obiit VVilencus Lingonenſis Ep.

MCXXXVIII. Igni combuſta eſt Eccleſia iſta cum toto caſtro & Eccleſiis in vigilia Apoſtolum Petri & Pauli. Multi etiam potentes ſunt defuncti: videlicet Lotharius Imp. & Ludouicus pater Rex Francorum. Obiit etiam Petrus Leo qui ſedem Apoſtolicam inuaſerat.

MCXL. Ordinatus fuit D. Robertus filius Ducis Auguſtidunenſis Epiſc. & eodem anno 15. Kal. Auguſti defunctus.

MCXLII. Obiit Hugo Pacificus Dux Burgundiæ.

MCXLV. Petrus Belnenſis dimiſit Abbatiam, ſuccedit Philippus.

MCXLVII. Eugenius Papa & Ludouicus Rex Dominica mediæ Quadrageſimæ fuerunt pariter Diuioni, & in craſtino, ſecunda videlicet feria conſecrata eſt Eccleſia Diuionenſis ab eodem Papâ.

MCLXII. Obiit menſe Septembri Odo Dux Burgundiæ relinquens filium Hugonem.

MCLXIII. Dimiſit Epiſcopatum Godefridus & Galterius filius Hugonis Ducis Epiſcopus factus eſt.

MCLXXV. Philippus dimittit Abbatiam 13. Kal. Ianuarias.

MCLXXVIII. Apud Veneriam pax inter D. Alexandrum & Fridericum Imp. reformata eſt, & ſchiſma ſopitum. Hoc anno ceſſauit Eccleſia iſta ligata à D. Papa Alexandro pro placitis domus de Moreiris, quæ Claræuallenſibus Monachis dimittere noluimus, & durauit interdictum à media Quadrageſima quæ tunc fuit 14. kal. Aprilis vſque ad tertiam ſeq. anni Dominicam poſt Albas quæ fuit 11. Kal. Maij, & tunc in Concilio Generali ab eodem Papa ſoluta eſt. Hoc etiam anno Sol obſcuratus eſt, Idibus Septembris circa horam nonam. Hoc ipſo anno in Sabbato magno Paſchæ viſæ ſunt ab omni populo tres columbæ ad horam Completorij ſuper turrim S Mariæ de ſublimi deſcendiſſe, & tanquam cereos ardentes ſecum detuliſſe.

MCLXXIX. Concilium Romæ Generale eſt celebratum à D. Alexandro Papa III. Ipſo anno Philippus Rex Francorum coronatus eſt Remis in feſto omnium Sanctorum.

MCXXCII. Ioannes dimittit Abbatiam 11. kal. Iulij, ſucceſſit Aymo.

MCXXCIII. Hugo Dux Burgundiæ, Beatricem filiam Delfini, Comitis Alboni duxit in vxorem apud S. Ægidium.

MCXXCV. Obſedit Hugo Dux Burgund. æ Vergey, & nihil penitus ibi fecit: immo Rex Galliæ dominio ſuo eam ſubjugauit.

MCXXCVI. Idem Rex Caſtellionem cepit & combuſſit.

MCXXCVIII. Obiit 12. kal. Aprilis D. Aymo Abbas huius loci. Eodem die D. Petrus electus eſt, & exhinc quinto die conſecratus eſt apud Trecas à D. Manaſſe Lingonenſi Epiſcopo, præſente alio Manaſſe Trecenſi Epiſcopo.

MCXC. D. Imperator, Rex Francorum Philippus & Rex Angliæ crucem ſumpſerunt Hieroſolymam proficiſcendi Saladino totam terram deuaſtanti occurrere volentes: & multi alij nobiles & potentes cum eis profecti ſunt.

MCC. Concilium apud Diuionem in Eccleſia iſta conuocatum eſt à domino Petro Capuenſi S. Mariæ in via lata Diacono Cardinale Apoſtolicæ Sedis Legato: & interfuerunt ibi Lugdunenſis, Remenſis, Biſuntinenſis, & Viennenſis Archiepiſcopi, & cum eis 18. Epiſcopi, & Abbates Cluniacenſis, Verzeliacenſis, S. Remigij Remenſis, S. Dionyſij Pariſiacenſis, & alij quamplures quorum numerum non expreſſimus, & durauit Concilium à feſto S. Nicolai quod eſt menſe Septembri vſque ad ſeptem dies. Poſt paucos verò dies prædictus Cardinalis apud Viennam particulare reuocauit Concilium, vbi promulgauit ſententiam à Domino Papa Innocentio datam in omni terra quæ ſubjacet & obedit Regi Francorum: ita quod in Eccleſiis nullum celebraretur officium diuinum præter baptiſma puerorum & pœnitentiam morientium: & durauit interdictum apud nos à tertia die poſt Purificationem B. Mariæ vſque in vigilia Exaltationis S. Crucis.

MCCIV. 16. kal. Maij capta fuit Conſtantinopolis à Francis. Hoc ipſo anno ceſſit D. Petrus de Graceio Abbatiæ iſti & ſucceſſit ei D. Niuardus, & 12. kal. Aprilis recepimus eum.

MCCVI. Ceſſit D. Niuardus, ſuccedit ei D. Walterius Pariſienſis Abbas..... & D. Adam fuit Abbas huius loci.

MCCXIV. 6. Kal. Auguſti Luna XVI. pugnauit Rex Francorum & Dux Burgundiæ contra Ottonem Imp. & deuicit eum: & ipſe Otto in fugam conuerſus eſt, & maxima pars ſuorum ſublimiorum Baronum capta fuit, & ducta ligata apud Pariſius.

MCCXXIII. Dom. Ludouicus Remis coronatur à Willelmo Archiepiſcopo in feſto S. Xyſti, præſente Ioanne Rege Hieruſalem, & ſeq. anno cepit *la Rochelle*,

Thoars, Niort, & Bordeaux. Eodem anno receptus fuit Ioannes Rex Hieroſolymorum in iſta Eccleſia in Exaltatione S. Crucis.

CHRONICON SANCTI PETRI CATALAVNENSIS.

Ab anno MIX. ad annum MCCXXIII.

MIX. anno. Ordinatio Rotgeri Epiſcopi fundatoris huius loci.

MXXXI. Obitus Roberti Regis Francorum, cui ſuccedit Henticus.

MXXXIV. Dedicatio huius Eccleſiæ in honore B. Petri & omnium Apoſtolorum.

MXXXVII. Bellum Barri, vbi Comes Odo interfectus eſt.

MXLII. Dormitio Rotgeri Epiſcopi Fundatoris huius loci: cui Rotgerus II. ſucceſſit.

MXLVII. Ordinatio D. Odylardi bonæ memoriæ Abbatis huius loci.

MXLIX. Leo IX. Papa benedixit Templum ſancti Remigij.

MLIII. Philippus Rex natus eſt.

MLIX. Philippus Rex Remis ordinatus eſt, cum ſeptem annorum eſſet.

MLX. Obiit Henricus Rex.

MLXII. Traditio Vitriaci. Alexander Papa ordinatus eſt.

MLXIV. Stella Cometes viſa eſt quando VVillelmus Normannorum Comes Angliam cepit.

MLXV. Obiit Rotgerus II. cui Rotgerus III. ſuccedit.

MLXX. Odylardus primus Abbas huius loci die ſancto Paſchæ corpus terræ tradidit.

MLXXIII. Obiit Alexander Papa, Gregorius ſuccedit.

MLXXIV. Ordinatio D. Lantberti Abbatis.

MLXXV. Redditio Vitriaci.

MLXXIV. Hyems valde magna.

MLXXXV. Obiit Gregorius Papa, Vrbanus ſuccedit.

MLXXXVII. Corpus B. Nicolai ex Myrræo in Barenſem Apuliæ vrbem transfertur.

MLXXXIII. Obiit Rotgerus Epiſcopus III. Philippus ſuccedit.

MXCV. Concilium Clarimontis, in quo fuit conſtructa via Ieruſalem.

MXCIX. Obiit Lantbertus Abbas: Garnerus ſuccedit. Ieruſalem capitur Idibus Iulij.

MC. Obiit Philippus Epiſcopus. Hugo ſuccedit. Obiit Vrbanus Papa, Paſchalis ordinatus eſt.

MCVI. Obiit VVarnerius III. Abbas huius loci. Ordinatio VVidonis.

MCVIII. Philippi Regis obitus. Ordinatio Ludouici filij eius vigeſimo-ſexto anno ætatis eius.

MCX. Obitus Guidonis Abbatis, & ordinatio D. Benedicti.

MCXI. Henricus Imperator Romæ Papam cepit.

MCXII. Septimo Kal. Maij conſpiratione plebis Laudunenſis interfectus eſt Epiſcopus.

MCXIII. Obiit Hugo Epiſcopus: VVillelmus ſucceſſor.

MCXVII. Tertio Kal. Ianuarij terræ-motus viſi per loca.

MCXVIII. Benedictus Abbas obiit. Radulfi ordinatio. Paſchalis Papa obiit.

MCXIX. Gelaſius Papa obiit; Calixtus ſuccedit.

MCXXI. Obiit piæ memoriæ VVillelmus Epiſcopus. Ebalus ſucceſſit.

MCXXIV. Ludouicus Rex contra Imperatorem exercitum duxit.

MCXXV. Obiit Calliſtus Papa, Honorius ſubſtituitur.

MCXXVI. Obiit Ebalus Epiſcopus. Obiit Henricus Imperator, Lotharius ſuccedit.

MCXXVII. Epiſcopus Herbertus ſubrogatur.

MCXXIX. Diſceſſio Rodulfi Abbatis. Philippus Rex Remis ordinatus eſt.

MCXXXV. Magnus ventus auditus eſt in die S. Simonis & Iudæ.

MCXXXVII. Obiit Ludouicus Rex. Ludouicus filius eius ſucceſſit.

MCXL. Obiit Hugo Abbas & ordinatio D. Ludouici.

MCXLII. Ludouicus Rex Vitriacum exurit.

MCXLIII. Obiit Gaufridus Epiſcopus: ſucceſſit VVido.

MCXLIV. Ventus magnus auditus eſt.

MCXLVI. Fames valida vbique terrarum, qualis vnquam ante non fuit.

MCXLVII. Obiit VVido Epiſcopus: ſubrogatur Bartolomæus. Ludouicus Rex Hieruſalem proficiſcitur. Eugenius Papa benedixit Eccleſiam S. Stephani.

MCXLVIII. Concilium fit Remis XI. Kal. Aprilis.

MCLI. Obiit Bartholomæus Epiſcopus Hieroſolymis.

MCXLII. Haymo ſubrogatur. Obiit Thebaudus Comes Campanenſis: Henricus filius eius Comes efficitur.

MCLIII. Obitus Eugenij Papæ: ſubſtitutio Anaſtaſij Boſo Catalaunenſis Epiſcopus fit.

MCLVII. Hoc anno in reædificatione Eccleſiæ B. Mariæ de Vallibus, quæ corruerat, fiunt miracula.

MCLIX. Obitus Anaſtaſij Papæ & ſubſtitutio Alexandri.

MCLXI. Obiit Boſo Epiſcopus.

MCLXII. Guido ſubrogatur & obit.

MCLXIV. Guido ſubrogatur.

MCLXV. Nonis Septembris dedicatio Eccleſiæ S. Ioannis Baptiſtæ.

MCLXVI. Ludouicus Abbatiæ ceſſit. Thomas ſucceſſit.

MCLXX. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus martyrizatus eſt.

MCLXXI. Septimo Idus Nouembris ingens ventus auditus eſt in hac regione.

MCLXXVI. Fames valida vbique terrarum itavt de ſextario frumenti accipiebantur ſolidi XV.

MCLXXVIII. Saraceni contra Ieruſalem exierunt, & Deo volente victi ſunt.

MCLXXIX. Concilium fit Romæ tempore Alexandri Papæ. Vnctio Philippi Regis fit Remis cum XV. annorum eſſet.

MCXXC. Obiit bonæ memoriæ Ludouicus Rex Francorum, Pater Eccleſiæ.

MCXXCI. Obiit Alexander Papa III. ſuccedit Lucius Papa III.

MCXXCIII. Guido Epiſcopus benedixit Eccleſiam S. Mariæ de Vallibus.

MCXXCV. Obitus Lucij & ſubſtitutio Vrbani.

MCXXCVII. Obiit Vrbanus Papa III. ſuccedit Gregorius VIII. obiit. Clemens ſuſtituitur. Eodem anno terra Hieroſolymitana à Saladin & exercitu capta eſt, & deſtructa, & ciuitas Ieruſalem ei reddita. Data propter hoc remiſſione peccatorum à Summo Pontifice ad terram illam proficiſcentibus, Thomas venerabilis Abbas noſter illuc profectus eſt.

MCXXCVIII. Hoc anno ciuitas Trecas combuſta eſt.

MCXC. Obiit Guido Epiſcopus Catalaunenſis.

MCXCVI. Ignis de cælo combuſſit Eccleſiam S. Petri.

MCCIV. Eclipſis Lunæ quinto Kal. Maij. Hyems qualis non fuit viſa temporibus hominum qui tunc erant. Eodem anno Rex Francorum propriam ſibi vendicauit Normanniam.

MCCXXIII. Vidimus in feſto B. Georgij grandinem ad modum oui gallinæ.

FINIS.

CHRONOLOGI ANONYMI QVI SVB ALEXANDRO IMP. VIXISSE ANNO CHRISTI CCXXXVI. DICITVR, LIBELLVS, SEV CHRONICON,

DE DIVISIONIBVS ET GENERATIONIBVS GENTIVM, è MS. Codice Collegij Claromontani Pariſienſis Societatis IESV.

PRÆFATIO.

QVONIAM quidem oportet inſtructum eſſe veritatis Diaconum, neceſſarium exiſtimaui, FRATER CARISSIME, hos in breui de ſanctis Sctipturis facere ſermones ad corroborandam doctrinam tuam, vt per paucas enarrationes non ſine cauſa inquiſitas virtutes veritatis citius cognoſcamus, abſcindentes prius indoctorum generatam contentionem quæ obumbrant huiuſcemodi indoctum edoceat. Summa autem cum induſtria præuidere cupientes iuxta veritatem cognoſcimus Gentium DIVISIONEM, & Parentum dinumeratam GENERATIONEM. Inhabitationis quoque tempora, diſpenſationes & Regum annos & Prophetarum tempora, qui & quibus Regibus, & quibus Iudicibus contigerint, quique Sacerdotes, quibus temporibus fuerint, & quæ diuiſio, quæ perditio facta ſit. Quo autem modo generatio ſeminis Iſraël de Patribus in CHRISTO completa ſit, & quot quantóque per quanta tempora dinumerentur anni à creatione ſæculi vſque in hunc diem.

Exiſtimauimus autem incipientes à Geneſi iuxta verbum, oſtenſionem, ſicut expetit, declarare, non ex noſtra quadam parte, ſed ex ipſis ſanctis Scipturis teſtificari. Hinc ergo occurſionem arripientes iuxta ordinem de Geneſi ſermonem faciemus.

INCIPIT NARRATIO.

SECTIO I.

LIBER GENERATIONIS HOMINVM.

QVO die fecit Deus Adam, ad imaginem Dei fecit eos.
Vixit autem Adam annis CCXXX. & genuit Seth.
Vixit autem Seth annis CCV & genuit Enos.
Vixit Enos annis CLXI. & genuit Cainan.
Vixit Cainan annis CLXX. & genuit Melelcel.
Vixit Melcleel annis CLXII. & genuit Iaret.
Vixit Iaret annis CLXII. & genuit Enoc.
Vixit Enoc annis CLXV. & genuit Matuſalam.
Vixit Matuſalam annis CXVII. & genuit Lamech.
Vixit Lamech annis CLXXXVIII. & genuit Noe.
Et erat Noe annorum D. & genuit tres filios Sem, Cham & Iapheth.
Poſt annos autem C. poſtquam generatus eſt Sem fit Diluuium, cum eſſet annorum ſexcentorum Noe.
Fiunt ergo ab Adam vſque ad Diluuium generationes X. anni MMCCXLII.
Hæ ſunt generationes Sem.
Sem cum eſſet annorum C. genuit Arfaxat anno ſecundo poſt Diluuium.
Vixit Arfaxat annis CXXXV. & genuit Cainan.
Vixit Cainan annis CXXX. & genuit Sala.
Vixit Sala annis CXXX. & genuit Eber.
Vixit Eber annis CXXXIV. & genuit Falec.

Vſque ad hunc generationes quinque, anni DXXIX. ab Adam autem generationes XV. anni ſunt MMDCCLXXI.

SECTIO II.

DIVISIO TERRÆ, ET DE TRIBVS FILIIS NOE.

POſt Diluuium Sem, Cham & Iafet, trium fratrum Tribus diuiſæ ſunt.

Et Sem quidem primogenito à Perſida & Bactris vſque in India longè vſque in Rinocorytis eſt.

Cham autem ſecundo à Rinocorytis vſque Gariraat.

Iafet autem tertio à Media vſque Gadira ad Borram.

Habet autem Iafet flumen Tigridem, qui diuidit Mediam & Babyloniam: Sem autem Eufratem, & Cham Geon, qui vocatur Nilus.

Confuſæ ſunt autem linguæ poſt Diluuium. Erant autem quæ confuſæ ſunt linguæ LXXII. & qui Turrem ædificabant erant gentes LXXII. quæ etiam in linguis ſuper faciem totius terræ diuiſæ ſunt.

Nembrot autem gigas filius Chus Æthiopis in eſcam mediis venando ſubminiſtrabat beſtias in cibum.

Vocabula autem LXXII. hæc ſunt.

SECTIO III.

FIlii Iafet Gamer, ex quo Cappadoces.

Magog, de quo Celtæ & Galatæ.

Madæ de quo Medi. Van de quo Græci & Iones.

Thobel, vnde & Thalienſes.

Moroc, vnde Illyrici.

Thiras, vnde Thraces.

Cethyn, vnde Macedones.

Et filij Gamer, Aſcanaz de quo Sarmatæ.

Rifan, de quo Sauromatæ.

Thogorma, de quo Armenij.

Et filij Van, Eliſam, vnde Siculi.

Tharſis, ex quo Hiberi, qui & Tyrreni.

Cithu, de quo Romani, qui & Latini, Rodij: omnes XV.

De his exciterunt Inſulæ gentium, ſunt autem Cyprij ex Citienſibus.

Ex Iafet ſiquidem inuenimus, & eos qui ſunt ad Borram ex ipſis de ea tribu Citienſium.

Sunt autem ex ipſis etiam gentes quæ ſunt in Ellada, præter eos, qui poſtmodum aduenerunt ibi: Reges qui habitauerunt ciuitatem quæ apud Græcos honoratur Athenas & Thebæorum: quoniam Sidoniorum ſunt inhabitatores, & quicumque ſunt alij ſimiliter, poſthæc apud Helladam tranſmigrauerunt. Cognoſcimus autem hæc ex Lege & Prophetis.

Erant ergò de Iafet ad confuſionem Turris Tribus XV. & hæ gentes Iafet à Media vſque Veſperum Oceani diffuſæ ſunt attendentes vſque ad Borram.

Medi, Albani, Gargani, Arrei, Armeni, Amazones, Culi, Corzieni, Benageni, Cappadoces, Paflagones, Mariandeni, Tibarenſes, Chalibes, Moſſynnœci, Colchi, Melanceni, Sarmatæ, Sauromatæ, Meotes, Scytes, Tauri, Thraces, Baſtarni, Illuri, Macedones, Hellenes, Græci, Libyes, Iſtri, Vieni, Dauni, Dapnes, Calabri, Pici, Latini, qui & Romani, Tyrreni, Galli qui & Celtæ, Libyeſtini, Celtiberi, Hiberi, Galli Aquitani, Illuriani, Baſanotes, Cyrtani, Luſitani, Vaccei, Cunienſes, Brittones qui & in inſulis habitant.

Qui autem eorum nouerunt litteras hi ſunt: Hiberi, Latini qui vocantur Romani, Græci, Armeni. Sunt autem fines eorum ad Borram vſque Gadiram, à Potameda fluuio vſque Maſtuſiadilion.

Terræ autem eorum hæ ſunt: Media, Albania, Amazonis, Armenia Minor, Armenia Major, Cappadocia, Paflagonia, Galata, Collis [fort. Colchis] Indiæ, Boſphorma, Mediaerris, Sarmatia, Tauriana, Scythia, Baſtarnia, Thracia, Mace-

donia, Dalmatia mollis, Theſſalia, Locria, Bœotia, Ætolia, Attica, Achaia, Pellenia quæ appellatur Peloponneſus, Acarnia, Epirotia, Illytia, Aodimus, Hadriace, ex qua pelagus Hadriaticum, Calcetia, (f. Galletia) Luſitania, Italia, Thuſgene, Meſſalia, Celtes, Gallia, Hiberia, Hiſpania Major.

Huc vſque definit terra Iafet, vſque ad Brittanicas Inſulas omnes ad Borram reſpicientes.

Sunt autem his & Inſulæ iſtæ: Britannicæ, Sicilia, Euboea, Rhodus, Chius, Leſbus, Cithera, Iacentus, Cefalenia, Ithace, Corcyra, & Cyclades Inſulæ, & pars quædam Aſiæ, quæ appellatur Ionia.

Flumen autem eſt his Tigris dividens inter Mediam & Babyloniam. Hi ſunt fines Iafet.

SECTIO IV.

FILII autem Cham: Chus ex quo Æthiopes.
Meſraim, ex quo Ægyptij.
Fud, de quo Troglodytæ.
Chanaan, de quo Afri & Phoenices.
Et Filij Chus: Saba, Euilat, Sabat, Regma & Sagabacata.
Filij autem Regma Saba & Dadàm.
Et Chus genuit Nembtoth.

Ægyptiorum patriæ cum Meſraim patre ipſorum VIII. Dicit enim &,

Meſraim genuit Ludim, de quo Lydij, Enemim de quo Pamphili, Labain de quo Laboez, Neptoin & Pattoſonin, vnde Cretes; Caſtoin, vnde Lycij, vnde exierunt Philiſtim, & Capturim, vnde Cilices.

Chananæorum ſunt patriæ cum patre eorum XII. Dicit enim &,

Chanaam genuit Sidona primogenitum, ex quo Sidonij, & Chetæum, & Iebyſæum, & Amotræum, & Gergeſſeum, & Araceum, & Euueum, ex quo Tripolitæ, & Aſeneum, & Aradium, vnde Aradij, & Samarcam, & Amathi, vnde Amathuſi. Eſt autem habitatio eorum à Rinocoruris vſque Gadiram.

Ex his autem naſcuntur Reges vel gentes: Æthiopes, Troglodytæ, Aggei, Iſabini, Ictyophagi, Velanni, Ægyptij, Phœnices, Libyes, Marmacidæ, Charifilittæ, Myſi, Moſſynœci, Friges, Magones, Bithyni, Nomades, Lycinni, Mariandeni, Pamfyli, Minſij, Dipiſideni, Lygallij, Cillces, Mauroſij, Cretæ, Magartæ, Numidæ, Macrones, Naſamones. Hi poſſident ab Ægypto vſque ad Oceanum.

Sunt autem Inſulæ in his communes hæ: Corſola, Lupadus, Agaudius, Meletæ, Cercenia, Menis, Cardinia, Galata, Corſuna, Cretæ, Gaulus, Rheda, Ethera, Careatus, Aſtypala, Chius, Leſbus, Tenedos, Imbrus, Iaſſus, Cobus, Cnidos, Niſurus, Megiſtæ, Cyprus. *Poteram hic multa emendare, ſed malui ſcripturam veteris codicis, vt in alijs repræſentare.*

Qui autem eorum ſunt litterati hi ſunt: Fenices, Ægyptij, Pamfyli, Phryges

Sunt autem fines Cham à Rinocoruris, quæ diuidit Syriam & Ægyptum, vſque Garita in longum

Nomina autem gentium hæc ſunt: Ægyptus & Æthiopia quæ tendit aduerſus Indiam, & altera Æthiopia, vnde proficiſcitur flumen Æthiopum, Erythrea, quod eſt rubrum attendens ad Orientem: Thebæa Libyæ quæ extendit vſque Syrtes, habens gentes has: Naſamonas, Macas, Tautameos: Libyæ quæ à Lepti extendit vſque minorem Syrtim: Numidia, Maſſeria, Mauritauia quæ extendit vſque Herculeas, quod eſt Heracleoticas ſtelas contra Gadiram.

Habet autem ad Borram maritimam Ciliciam, Pamfyliam, Piſidiam, Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Camaliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Myſiam aliam, Troadem, Æolidem, Bithyniam veterem, Phrygiam altiorem.

Habet etiam Inſulas has: Sardiniam, Cretam, Cyprum, & flumen Geon, qui appellatur Nilus. Diuidit autem inter Cham & inter Iafet, & os veſpertini maris. Hæc media Cham generatio.

SECTIO V.

DE Sem autem ſeniore filio Noe, ſunt tribus cognitæ xxv. Hi ad Orientem inhabitauerunt.

Filij Sem, Ælam, de quo Ælymëi & Aſſyrij:

Arfaxat, vnde Chaldæi & Ludij, vnde Lazones.

Aram, vnde Ethes priores hos excidit Abraham: & filij Aram Oſceni, de quo Lidij, & Gare de quo Gaſſeni, & Moſoc vnde Moſſyni.

Arfaxat genuit Sala, & Sala genuit Heber, vnde Hebræi: & Heber nati ſunt duo filij, Falec & Deboc, & Tactem, & Iectan. Iectan autem genuit Elmodac, de quo Indi, & Salef de quo Bochriani, & Aſarmot de quo Arabes priores, & Duram de quo Camahi, & Derra de quo Mardi, Ezei de quo Arriani, & Declan de quo Cedruſi, & Gebal de quo Scythij priores, & Abimelec de quo Hyrcani, & Sabat, vnde Arabi primi: & Vfir, de quo Armenij, & Euilat, vnde Gemnoſoſitæ. Hi omnes Bactriani.

Omnes autem de tribus filiis Noë ſunt LXXII.

Omnium autem filiorum Sem habitatio eſt ab Acris vſque Rhinocoruris quæ diuidit Syriam & Ægyptum, & Rubrum mare ab orâ Arſinoes, quæ eſt Indiæ.

Hæ ſunt autem quæ ſunt factæ ex his Gentes: Hebræi qui Iudæi, Perſæ, Medi, Pœnes, Arriani, Hyrcani, Aſſyrij, Indi, Macardi, Parthi, Germiani, Helymei, Geſſei, Arabes primi, Cedruſij, Scythæ, Arabes vltra, Sapientes qui dicuntur Gymnoſoſiſtæ i. nudi ſapientes.

Habitatio autem eorum vſque Rinocorura & Cilicia.

Qui autem eorum nouerunt literas hi ſunt: Iudæi, Perſæ, Medi, Chaldæi, Indi, Aſſyrij.

Eſt autem habitatio eorum, id eſt filiorum Sem, in longum quidem ab Indiâ vſque Rinocorura: lata autem à Perſida & Bactris vſque Indiam.

Vocabula autem Gentium hæc ſunt: Perſis, Bactriana, Hircania, Babylonia, Corbulia, Aſſyria, Meſopotamia, Arabia vetus, Alimales, India, Arabia eudæmon, Cæleſſyria, Commagene, & Phœnicia, quæ eſt filiorum Sem.

SECTIO VI.

GENTES autem quæ linguas ſuas habent, hæ ſunt: Hebræi qui & Iudæi, Aſſyrij, Chaldæi, Perſæ, Medi, Arabes, Madian, Adiabenici, Taleni, Alamoſeuni, Saraceni, Magi, Caſpij, Albani, Indi, Æthiopes, Ægyptij, Libyes, Chetæi, Cananæi, Pherezæi, Euuæi, Gergei, Iebuſæi, Idumæi, Samaritæ, Phœnices, Cappadoces, Syri, Cilices, Tharſenſes, Armenij, Hiberi, Librani, Scythæ, Colchi, Sanni, Boſphorani, Aſiani, Hiſpanenſes, Lycaones, Piſidæ, Galatæ, Paphlagones, Phryges, Achæi, Theſſali, Macedones, Thraces, Myſi, Beſſi, Dardani, Sarmatæ, Germani, Pannonij, Pœones, Norici, Dalmatæ Romani, qui & Latini, Ligures, Galli qui & Celtæ, Aquitani, Brittani, Hiſpani qui & Tyrreni, Mauri, Baccuates, & Maſſennes, Gætuli, Afri qui & Barbares, Mazices, Garamantes, qui & Marmaridæ, qui vſque Æthiopiam extenduntur.

SECTIO VII.

NECESSARIVM autem putaui & inhabitationes Gentium & cognominationes declarari.

Incipiam autem ab Oriente: Perſarum & Medorum inhabitatores Parthi & vicinæ gentes pacis vſque Syriam cœle.

Arabum inhabitatores Arabes eudæmones: hoc enim nomine appellantur Chaldæorum inhabitatores Meſopotameni:

Madianenſium inhabitatores Cynedocolpitæ & Troglodytæ & Icthyophagi.

Græcorum gentes quinque: Iones, Arcades, Bœoti, Æoli, Lacones. Horũ inhabitatores fuerunt Pontici, Bithyni, Troes, Aſiani, Cari, Legij, Pamfyli, Cyrinei, & Inſulæ plures, id eſt Cyclades quidem decem quæ Myrti pelagum continẽt. Hæc ſunt autẽ nomina earũ: Andrum, Teno, egiteo, Naxus, Gera, Gyarus, Delos, Finus, Renea,

Cymos, Marathon. Sunt autem & aliæ Inſulæ majores XII. quæ etiam ciuitates habeotplurimas, quæ dicuntut Sporades, in quibus iohabitauerunt Græci. Hæc ſunt autem nomina earum: Eubœa, Creta, Sicilia, Cyprus, Coos, Samus, Rbodus, Chius, Thapſus, Lemnus, Leſbus, Samothrace. Eſt autem ad Bœotiam Eubœa.

Ab Ione Ionides ciuitates XVI. hæ: Clazomena, Mitylene, Phocæa, Ptiene, Etythra, Samos, Teos, Colofon, Cius, Efeſus, Smirna, Perinthus, Byzãtium, Chalcedou, Pontus & Amiſos libera.

Romanorum, qui & Citienſium, gentes & inhabitationes hæ ſunt: Tuſci, Æmilienſes, Picenres, Campani, Apulienſes, Lucani.

Afrorum gentes & inhabitationes hæ ſunt: Lebdeni, Cinti, Numidæ, Naſamones, Saci.

Inſulæ autem hæ ſunt, quæ habent ciuitates: Sardinia, Corſica, Girda quæ & Benigga, Cercyna, Galata.

Maurorum autem gentes & iohabitationes hæ ſunt: Muſulani, Tingitani, Cæſarienſes.

Hiſpanorum autem gentes & inhabitationes hæ ſunt Tyranni & Turrenorum qui & Terraconenſes, Lyſitani, Bætiee, Autticoni, Vaſcones, Callecæ, qui & Aſtures.

Inſulæ autem quæ pertinent ad Hiſpaniam Terragonenſem tres ſunt, quæ appellantur Balearicæ. Habent autem eiuitates & has: Ebuſo, Palene, Pollentia, quæ dicitur Majorica, Caromæne, Magone quæ appellatur Minorica. Harum inhabitatores fuerunt Cananæi fugientes à facie Ieſu filij Naue: nam & Sidona qui condiderunt & ipſi Cananæi. Gadis autem Iebuſæi coudiderunt, & ipſi ſimiliter profugi.

Gallorum autẽ Narbonenſiũ gentes & inhabitatores: Amaxobij Græcè Sarmatæ.

Et hos autem neceſſarium fuit declarare tibi, ne ignotarum gentium vocabula, & gentes, & manifeſta flumina ignorares.

VIII.

INCIPIAM ergo dicere de gentibus ab Oriente.

Adiabenici & Taleni, contra Arabiam, Saraceni, Saraceni alij Atalenos contra Arabiam. Albani contra Pylas Caſpias. Madianitæ majores, quos expugnauit Moyſes, inter Meſoporamiam & mare Rubrum, Minor autem Madian eſt contra mare Rubrum iuxta Ægyptum, vbi regnauit Rauel ſocer Moyſi, qui & Iethro.

Contra Cappadocas à parte dextra Armenij, Iberij, Hircani, Scythæ, Colchi, Boſphorani, Sani, qui appellanrur Sannices, vſque Pontum extendentes, vbi eſt Acceſſus, Abſarus, & Sebaſtopolis, & Vſſi flumen quod eſt portus, & Paſius flumen, vſque Trapezunta extenduntur hæ gentes.

Montes autem ſunt nominati XII. Caucaſus, Taurus, Atlas, Parnaſſus, Cithæron, Helicon, Parthenius, Nyſſa, Lucabantus, Penius, Olympus, Libanus.

Flumina autem ſunt magna & nominata XLI. Indos qui & Fiſon, Nilus qui & Geon, Tigris, Eufrates, Iordanis, Ceſiſos, Tanais, Menos, Erimanthus, Alys, Aſopus, Thermodoo, Eraſinus, Rius, Boryſthenes, Alpheus, Taurus, Eurota, Mæander, Hermus, Axius, Pyramus, Bajus, Hebron, Sangarius, Achelous, Peneus, Ebenus, Sperchius, Cayſter, Simois, Scamander, Strymon, Parthenius, Iſter Illurius qui & Danubius, Rhenus, Rhodanus, Bætis, Eridanus, Thember qui nunc dicitur Tiberis.

Filiorum igitur trium Noe tripartitum ſæculum diuiſorum. Et quidem Sem primogenitus accepit Orientem: Cham autem mediterraneum: Iafet Occidentem. Et oſtenſis gentibus, quæ de quo creatæ ſint, neceſſariò decurremus ad annos.

IX.

FALEC annorum CXXX. genuit Ragau.

Ragau annorum CXXXII. genuit Seruch.

Seruch annorum CXXX. genuit Nachor.

Nachor annorum LXXIX. genuit Tharam.

Thara annorum LXX. genuit Abraham.

Abraham autem erat annorum LXXV. quo tempore edixit illi Deus, vt exiret

de terrâ ſuâ, & de domo patris ſui, & veniret in terram Chanaan.

Fiunt igitur à diuiſione vſquequo venit Abraham in terram Chanaan generationes quinque, anni DCXVI. ab Adam autem generationes XX. annis MMMCCCLXXXVII.

Conuerſatus eſt autem cum Chanaan annis XXV. & genuit Iſaac.

Iſaac annorum LX. genuit Iacob.

Iacob annorum LXXXVI. genuit Leui.

Leui annorum XL. genuit Caath.

Caath annorum LX. genuit Amram.

Amram annorum LXX. genuit Aaron.

In octogeſimo autem & tertio anno Aaron egreſſi ſunt filij Iſraël de Ægypto, ducente eos Moyſe.

Fiunt igitur omnes anni CCCCXXX.

In deſerto XL. annos facit populus ſub Moſe.

Ieſus Naue tranſito Iordane facit in terrâ annos XXVII. bellum agit annis VII. & poſtquam poſſedit terram, vixit annis XX.

Fiunt ergo, ex quo Abraham venit in terram Chanaan, vſque ad mortem Ieſu Naue, generationes numero ſeptem anni quingenti, ex Adam autem generationes XXVII. anni MMMDCCCLXXXIV.

SECTIO X.

POST mortem verò Ieſu peccans populus traditur Cuſarſaton Regi Meſopotamiæ, cui ſeruit annos VIII. & cùm clamaſſet ad Dominum, ſurrexit Gothoniel frater Caleb iunior de Tribu Iuda, qui denuntiauit ipſi Cuſarſaton & occidit illum, & geſſit ducatum populi annis XXXI.

Et iterum dum peccaret, traditus eſt Eglon Regi Moab, & ſeruiuit illi annis XVIII. conuerſo autem populo ſurrexit Aod vir de Tribu Effrem, & occiſo Eglon principatus eſt populo annis LXXX.

Mortuo autem Aod delinquens populus traditus eſt Iabin Regi Cananæorum: cui ſeruiuit annis XX. ſub eo Prophetauit Debora vxor Lapidoth de Tribu Effrem: & per ipſam ducatum geſſit Barac Aminoem de Tribu Neptalim. Hic denuntiauit Iabin Regi, & occidit eum, & regnauit iudicans cum Debora annis XL.

Poſt cuius mortem peccauit populus & traditus eſt Madianeis annis VII. ſuper quos ſurrexit Gedeon de Tribu Manaſſe, qui in trecentis viris CXX. hoſtium perdidit. Hic texit populum annis XL.

Huius filius Abimelec.

Poſt hunc præfuit populo Thola filius Folæ filij Caram de Tribu Effrem annis XX.

Poſt hunc iudicauit Iair Galadites de Tribu Manaſſe, & præfuit annis XXII.

Poſt hunc peccans populus traditus eſt Ammanitis annis XVIII. & cùm clamaſſet ad Dominum ſurrexit illis princeps Iepthe Galaadita de Tribu Gad, de ciuitate Maſeſarh, & geſſit ducatum annis ſex.

Poſt hunc iudicauit Elon annis X.

Poſt hunc iudicauit Hebron filius Allelon de Tribu Effrem annis octo.

Poſt hunc peccans populus traditur Allophylis per annos XL.

Poſt hæc conuerſis filijs Iſraël ſurrexit Samſon filius Manoe de Tribu Dan. Hic debellauit Allophylos & geſſit principatum annis XX.

Poſt hunc Heli Sacerdos iudicauit annos XX.

Poſt Samuel Propheta vnxit Saül in Regem & ipſe iudicauit populum annis XXX.

Poſt tempus cùm regnaret Dauid, eduxit arcam de domo Aminadab, & diuertit vitulos, & cùm reuerteretur oppoſuit manus filius Aminadab nomine Oza, & percuſſus eſt, & timuit Dauid, & induxit illam in domum Abeddarat Gerhæi, & fecit ibi menſes tres.

Regnauit autem Saül annis XXX. Erat autem illi Dux Abner filius Net. Ipſe autem Samuël vnxit Dauid in Regem.

Fiunt igitur ab Ieſu vſquequo conuerſus cepit Dauid regnum de Tribu Iuda, generationes IX. anni CCCCLXXX. ab Adam autem generationes XXXIV. anni MMMMCCCLXIV.

SECTIO XI.

DEinceps regnat Dauid annis XL. menſibus ſex. In Ebron autem regnauit annis VII. menſibus ſex, & in Ieruſalem annis XXXIII. ſub hoc Sacerdos Abiathar filius Abimelec ex genere Heli, & ex aliâ partiâ Sadoc. Prophetabant autem temporibus Dauid Gat, & Nathan. Erat autem ipſi Dauid Dux Ioab filius Saruiæ ſororis Dauid (f. ſororij) Hic dinumerauit populum, & erat numerus, quos numerauit filiorum Iſraël millies centies milleni: filij autem Iuda quadringenties ſepties milleni. Leui autem & Benjamin non dinumerauit, numerus autem eorum qui ceciderunt in Iſraël LXX. millia.

Poſt Dauid autem regnat Salomon filius eius annis XL. & ſub ipſo adhuc Nathan Prophetat & Achias ex Selon, & inter eos Sacerdos Sadoc.

Poſt Salomonem regnat Roboam filius eius annos XIV. ſub hoc diuiſum eſt regnum, & regnauit in Samariâ Ieroboam ſeruus Salomonis de tribu Effrem. Prophetat autem, & ſub Ieroboam Achias Selonites, & Sameas filius Ælami.

Poſt Roboam regnat Abias filius eius annis XVII.

Poſt Abiam regnat Aſab filius eius annis XLI. Hic in tempore ſenectutis pedes doluit, prophetabat autem ſub eo Azarias.

Poſt Aſab regnat filius eius Ioſafat annis XXV. ſub hoc prophetat Helias, & Micheas filius Iemblat, & Abdias filius Ananiæ; ſub Micheâ autem erat Pſeudopropheta Sedecias filius Cananæi.

Poſt Ioſafat regnat filius eius Ioram annis XX. & ſub ipſo prophetat Helias, & poſt hunc prophetat Heliſeus ſub filio Ioram Ochozia, ſub quo populus in Samaria filios ſuos, & ſtercus columbinum manducabat, regnante in Samaria Ioram.

Poſt Ioram regnauit filius eius Ochozias anno vno, & ſub hoc prophetat Gothel & Labdone.

Poſt hunc regnat Gotholia mater Ochoziæ, annis octo. Quæ exurgens occidit natos filij ſui, erat enim de genere Achab Regis Iſraël. Soror autem Ochoziæ, nomine Zoſabee, cùm eſſet Ioiadæ Sacerdotis vxor, furata eſt Ioas, filium Ochoſiæ, cui Ioiada Sacerdos impoſuit regimonium. Prophetat autem ſub Gotholiâ Eliſeus.

Poſt hanc regnat Ioas filius Ochoziæ annis XL. Hic inter fecit Zachariam filium Ioiadæ Sacerdotis.

Poſt Ioas regnauit filius eius Amaſias annis octo.

Poſt Amaſiam regnat filius eius Ozias annis LII. Hic leproſus fuit vſquequò moreretur. Iudicabat autem ſub eo Ioatham filius eius. Prophetabant ſub eo Oziâ Amos, & Eſaias filius eius, & Oſeæ filius Becheri, & Ionas filius Amathi ex Gofer.

Poſt Oziam regnat filius eius Ioatham annis XVI. ſub hoc Prophetæ Eſaias, Oſee, Michæas Morathita, & Ioel filius Batuel.

Poſt Ioathan regnat filius eius Achas annis XV. & ſub hoc Prophetæ Eſaias, Oſee & Micheas: Sacerdos autem Vrias. Sub hoc Salmanaſar Rex Aſſyriorum eos qui erant in Samaria tranſmigrauit in Mediam & Babyloniam.

Poſt Achas regnauit filius eius Ezechias annis 25. ſub hoc Prophetæ Eſaias, Micheas, & Oſee.

Poſt Ezechiam filius eius Manaſſe annis LV.

Poſt Manaſſe regnat filius eius Amos annis duobus.

Poſt Amos regnat filius eius Ioſias annis XXXI. Hic Idola & altarium Samatiæ diſſipauit. Sub hoc Paſcha celebratum eſt anno XVIII. regni eius. Nam ex quo mortuus eſt Ieſus Naue, non eſt ſeruatum Paſcha ſicut nunc, ſub hoc Celſias Sacerdos pater Ieremiæ Prophetæ inuenit in ſacrario librum Legis in XVIII. anno regni Ioſiæ. Prophetant autem ſub eo Oliba vxor Sellim à veſte Sacerdotis, & Sofonias, & Ieremias, ſub quo Pſeudopropheta Ananias.

Poſt Ioſiam regnat Sofonias annis quinque, menſibus vndecim.

Poſt Sofoniam regnat Ioachas filius eius menſes quatuor. Hunc ligauit Nechao Rex Ægypti, & adduxit in Ægyptum, ordinato in loco eius Eliachim, qui cognominatus eſt Ioachim, regnat annis XI. ſub hoc Prophetat Ieremias, & Buzi, & Vrias filius Amaæ ex Cariathiarim. Hunc Nabuchodonoſor ligauit catenis æreis Ioachim Regem Iuda, & duxit in Babyloniam.

Poſt Ioachim regnat filius eius Ioachim annis tribus, & hunc ducit adhuc compeditum Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & alios cum eo.

Per ipſum conſtituitur in loco eius frater Ioachim, cuius nomen Sedecias, qui & Iechonias, qui regnauit annis XI.

In anno duodecimo tranſmigrauit illum in Babyloniam, effoſſis oculis & populum tranſduxit cum eo, præter paucos, qui poſtea in Ægyptum deſcenderunt. Prophetant autem ſub Sedeciâ Ieremias & Abacum; in anno autem nono regni eius prophetauit in Babyloniâ Ezechiel. Poſt hunc Prophetæ Naum & Malachias, & Daniel, qui vidit de Hebdomadis in primo anno Darij Regis filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui regnauit ſuper Regnum Chaldæorum.

In primo autem anno regni ſui Cyrus dimiſit populum redire in Ieruſalem. Eo autem tempore, quo Templum ædificauit, prophetant ſimul Aggeus & Zacharias. Poſt quos Neemias filius Acheli de Semine Iſraël fabricauit ciuitatem Ieruſalem, cùm eſſet ab annis Artaxerxis Regis: & poſt hunc ſecundus Mardochæus.

XII.

Fiunt igitur à Dauid vſque Sedechiæ, qui & Iechonias, tranſmigrationem generationes XVIII. anni CCCCLXXVIII. menſes IX. ab Adam autem vſque in tranſmigrationẽ Babylon. ſub Iechonia generationes LI. anni MMMMVCCCXLII. menſes nouem.

Et poſt tranſmigrationem Babyloniæ vſque ad generationem Chriſti generationes XIV. anni DCLX. & à generatione Chriſti vſque ad Paſſionem anni XXX. & à Paſſione vſque ad hunc annum, qui eſt XIII. Imperij ALEXANDRI annus, anni CCVI.

Fiunt igitur omnes anni ab Adam vſque ad tertium decimum ALEXANDRI Imperatoris annum anni MMMMMDCCXXXVIII.

Vt autem & aliter oſtendamus non tantùm per tempora Regum, ſed etiam à quo Paſcha ſeruatum eſt, dinumerantes ſimul annos dicemus.

Ab Adam vſque ad Diluuium anni MMCCXLII.

A Diluuio vſque ad exitum Abraham de terra ſua MCXLV.

Hinc vſque quo exirent Iſraelitæ de Ægypto, educente eos Moſe, quando & Paſcha fecerunt, anni ſunt CCCCXXX.

Ab Exodo Ægypti vſque in tranſitum Iordanis, quando IESVS Paſcha celebrauit, ſunt anni XLI.

Ezechias poſt annos CCCCLXIV. celebrauit Paſcha.

Poſt Ezechiam Ioſias anno centeſimo quartodecimo Paſcha celebrauit.

Poſt Ioſiam Eſdras poſt annos CVIII. Paſcha celebrauit.

Poſt Eſdram ſeruatoris vſque generationem Chriſti poſt annos DLXIII. Paſcha fit.

A generatione autem Chriſti poſt XXX. annum, cùm paſſus eſt Dominus, Paſcha celebratur, ipſe enim erat iuſtum Paſcha.

A Paſſione autem Domini vſque in XIII. annum Imperatoris ALEXANDRI Cæſaris anni CCVI. ſeruatum eſt Paſcha, quod in commemorationem Domini noſtri IESV-CHRISTI ſeruatur à nobis.

Fiunt igitur omnes anni ab Adam vſque in hunc diem anni quinquies mille ſeptingenti triginta octo.

XIII.

REGES PERSARVM EX TEMPORE CYRI.

CYRVS regnauit Perſis annis XXX.
Poſt hunc Cambyſes annis nouem.
Smerdius Magus menſibus octo.
Darius annis XXXVI.
Xerxes annis XXVI.
Artaxerxes Longimanus annis XXXVI.

Xerxes dies ſexaginta.
Sogdianus menſes ſeptem.
Darius Nothus annis XVIII.
Artaxerxes Cyri iunioris frater annis LXII.
Oeor,qui & Artaxerxes annis XXIII. menſibus ſeptem.
Arſes Nothus annis tribus.
Darius annis XII. Hic eſt quem Alexander Macedo depoſuit in bello, quod fuit inenarrabile.
Fiunt omnes anni CCXLV.
Poſt quos tempora iam manifeſtè apud Græcos ex conſtructione Olympiadum ſunt clara, nam vſque ad Alexandrum Macedonem fuerunt Olympiades CXIV. quæ faciunt annos CCCCLVI. ab Iphito qui conſtituit Olympiades.
Ab Alexandro vſque ad Chriſtum Olympiades LXXX. quod ſunt anni CCCXX.
A Chriſto autem vſque annum XIII. Imperij ALEXANDRI Olympiades LVIII. quod ſunt anni CCXXXVI.
Sunt ergo omnes Olympiades vſque annum XIII. ALEXANDRI Cæſaris Olympiades CCLIII. quod ſunt anni MXII.

* * * * * * * * * * * *

XIV.

NOMINA CREATVRÆ.

ADAM, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Enoc, Matuſalam, Lamech, Noe, Sem, Arfaxat, Sala, Heber, Falec, ſub quo diuiſa eſt terra, Ragau, Seruc, Nagor, Thara, Abraham, Iſaac, Iacob, Iuda, Fares, Eſrum, Aram, Aminadab, Naaſſon, Salmon, Boz, Obet, Ieſſe, Dauid, Salomon, Roboam, Abiam, Aſa, Ioſaphat, Ioram, Ochozias, Ioas, Amaſias, Ozias, Ioatham, Achaz, Ezechias, Manaſſes, Amos, Ioſias, Ioſias autem genuit Ioanan & Ioachim & fratres eius, Eliachim qui & Ioachim & Sedeciam qui & Ieconias dictus eſt Salum.
In tranſmigratione autem Babyloniæ Ioachim genuit Iechoniam & Sedeciam. Ieconias autem genuit Salathiel, Fanneam & Sale, Saer & Ieconiam, Ortamno & Deebi & Filiſania, Zorobabel & fratres eius Abiut & Maſolam & Ananias, & Saladi ſoror eorum, & Sedbel & Thoul, & Archia, & Aſadia, & Sobeſec.
Ædificatum eſt autem ſanctuarium tempore Zorobabelis, cuius filius Abiud: dehine Eliachim, Azor, Sadoc, Achim, Heliud, Eleazar, Mathan, Iacob, Ioſeph, cui deſponſata fuit Virgo MARIA, quæ genuit IESVM CHRISTVM ex Spiritu Sancto.

SECTIO XV.

PROPHETARVM NOMINA.

ADAM, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Aaron, Ieſus Naue, Heldad & Modat, Natan, Dauid, Salomon, Elmodac, Achias Silonita, Sameas filius Elam, Ananias, Helias, Micheas filius Emblac, Abdiu, Heliſeus, Abladan, Amos, Eſaias, Oſee filius Beeri, Ioanas, Micheas, Raban, Iohel filius Batuel, Ieremias filius Heleiæ Sacerdotis, Sophonias, Buz, Ezechiel, Vrias, Sameas, Ambacue, Naum, Daniel, Malachias, Aggæus, Zacharias, & ſub Chriſto Simeon & Ioannes Baptiſta.
ITEM Mulieres Propheriſſæ, Sarra, Rebecca, Maria ſoror Moyſi, Debbora, Oliba, & ſub Chriſto Anna, Eliſabeth, MARIA quæ genuit CHRISTVM.

SECTIO XVI.

NOMINA REGVM.

SAVL de Tribu Benjamin.
Poſtquam autem tranſlatum eſt regnum in Tribum Iuda, Dauid, Salomon, Roboam, Abia, Aſa, Ioſafat, Ioram, Ochozias, Ioathan, Achaz, Ezechias, Manaſſes,

Amos, Ioſias, Ioachim, Eliachim, Sedecias, & Iecontas: ſub hoc tranſmigratio facta eſt ſub Nabuchodonoſor.

Nomina Regum, qui regnauerunt in Samaria ſuper decem Tribus ex quo regnum diuiſum eſt.

Ieroboam filius Nabath annis XXII.

Nabat filius eius annis duobus.

Saba filius Achiæ annis XXIV. Hic vindicauit domum Ieroboam.

Hela filius Baſe annis duobus.

Zambri annis XII.

Achab filius eius annis XXII.

Ochoſias filius Achab & Ioram filius Ieconiæ annis XII. ſub hoc filios ſuos & ſtercus columbinum hi, qui erant in Samaria, manducauerunt.

Iehu filius Namſi annis XXVIII. Hic in initio pius fuit: fecit vindictam ſuper domum Achab, occiſis Ioram & Iezabel, & Ochoſiâ Rege Iuda.

Ioachaz annis XVII.

Ioas filius eius annis XVI. Hic Amaſiam Regem occidit, & deſtruxit de muro Ieruſalem cubita CCCC.

Ieroboam filius Ioas annis XV.

Azarias filius Ieroboam menſibus tribus.

Selem filius Abia menſe vno.

Vnornane filius Gadi annis decem.

Falacias Manaæ annis duobus.

Facea filius Romeliæ annis decem. Hic obſedit Ieruſalem, regnante Achaz non poſſedit eam.

Oſee filius Dale annis octo, ſub hoc decem tribus tranſmigratæ ſunt in regioné Medorum à Salmanaſſar, qui & ipſum Oſee couligatum habens abijt, regnante Achaz ſuper duas tribus in Ieruſalem.

XVII.

NOMINA SACERDOTVM.

AARON genuit Eleazar, Finees, Achias, Razaza, Moriat, Arnatia, Amitob, Setis, Achiuas. Huius filius Helias Propheta, & Salon, Ioram, Amos Inadæ filius, Sedecias, Sedecia, Iehel, Vria, Ticem, Salon qui genuit Celeiam, cuius filius Hieremias Propheta, & Azarias filius Azazæ, Sareu, Ioſedech qui genuit Ieſum qui fuit Sacerdos, cùm inſtauraretur templum poſt captiuitatem, Celicias, Ioachim, Cædue.

Item alia patria, ex qua fuit Ezechiel Propheta: Iode, Fatuea, Amorius, Zadait, Samuhel, Euexia, Melchius, Salon, Comotius, Barracim, Soffonias, Maxſes, Celeius, Buzi, Ezechiel.

Item alia patria, vnde Heli Sacerdos, cuius filij Finees & Ofin rapiebant immolationem: Princeps patriæ de filiis Gaad, Achimelech, Habiathar, Vriu, Nathan, Heli.

Item patria Leuiticum, vnde fuit Samuhel Propheta: Chore qui reſtitit Moſi: filius huius Helcana, Sufem & Abiar, Zeraam, Chelchanu, Samuel. Huic fuerunt duo filij munerum acceptatores Iohel & Habia.

Initium patriæ Leuitarum, vnde ſunt Sacerdotes, miniſtri & Leuitæ. Ambram filius Cahaad filius Leui, filius Iacob. Leui genuit Gerſon & Cahaad, & Merari. Filij autem Gerſon Semei & Emeher. Hi filij Leuitæ & filij Cahaad, Ambram, Eſaar Cefron, Odiel, Ambram genuit Moyſen & Aarnn, & Mariam. Aaron genuit ex Heliſabet ſorore Naaſſon, Nadab, & Abiud, & Eleazar, & Ithamar. Mortui ſunt autem Nadab & Abiud offerenres ignem alienum. Poſt Aaron Eleazar ſuſcepit Sacerdotium, poſt Eleazarum Finees. Ithamar autem & filius eius: Iſaat autem frater Ambram & ipſe Leuita. Huius filij Chore & Nabith & Gazet: & filij Chore Air & Helcana & Abiaſap. Hic Chore reſtitit aduerſus Moyſen & Aaron, & Chao abſorptus eſt in Viriſeel. Cebron frater Amram, Aetcius, filij eius Miſahel, Eliſaphath, & Setis, & Dile. Hi Leuitæ traditi ſunt. Omnes autem Aaron & Filij eius Arcæ Teſtamenti, vt miniſtrarent ei, & tollerent eam, & facta eſt eis pars decima Sacerdotibus

initiata, & primogenita, & deſtinata Leuiticis data eſt lex, vt quæcumque accipe-rent à populo ex decimis decimas darent Sacerdotibus, vt exiſtimaretur eis tanquam oblatio. Initio eorum traditæ ſunt illis etiam ciuitates Refugiorum ſex, & harum prata ſementina in circuitu cuiuſque ciuitatis cubita bis mille, & aliæ ciuitates XLII. Sacerdotibus quidem decem, Leuiticis verò XIII.

Puto latiùs nos dixiſſe, quàm ſperauimus, tamen neceſſariè pro his, qui ſcrupuloſiùs requirere volunt, & multa legerunt: quos exiſtimo facile percipere, quæ ſcripta ſunt: ſed & illi, qui pauca legerunt, faciliùs ad intellectum poſſunt peruenire ex illis, quæ à nobis perbreuiata inquiſitione declarata ſunt.

XVIII.

MACEDONVM REGES IVXTA ALEXANDRINOS.

ALEXANDER filius Philippi, poſt Darium annis VII.
Ptolemæus Lagi, ſocer, annis XLII.
Ptolemæus filius, Philadelfus, annis XXXVIII.
Ptolemæus filius, Euergeta, annis XXX.
Ptolemæus, Euergetæ filius, annis XXV.
Ptolemæus Philopator, annis XVII.
Ptolemæus frater, annis XXIII.
Ptolemæus Fuſcus, annis duobus.
Euergeta annis XXVI.
Ptolemæus Alexus, annis XX.
Alexander frater Ptolemæi Alexi annis XVIII.
Ptolemæus Dionyſius Hecate annis XXIX.
Cleopatra filia annis XXV.
Fiunt in ſimul anni CCCXLVI.

XIX.

IMPERATORES ROMANORVM.

AVGVSTVS annis LVII.
Tiberius annis XXII. menſibus VII. diebus XXIII.
Caius annis tribus, menſibus nouem.
Claudius annis XIII. menſe anno, diebus XXVIII.
Nero annis XIII. menſibus octo, diebus XXVIII.
Galba menſibus quinque, diebus XXVI.
Otho menſibus octo, diebus ſeptem.
Vitellius menſibus nouem, diebus XV.
* *
Titus annis tribus, menſibus duobus, diebus duobus.
* *
Trajanus annis XVII. menſibur octo, diebus ſex.
Hadrianus annis XX. menſibus decem, diebus XXVIII.
Antoninus pius...... menſibus octo, diebus XXII.
Marcus annis XIX. menſibus quinque, diebus duodecim.
Commodus annis XII. menſibus octo, diebus XXIV.
Ælius Pertinax menſibus ſeptem.
Iulianus menſibus duobus, diebus ſeptem.
Seuerus annis XIV.
Antoninus cognomento Caracalla, Seueri filius, annis ſex menſibus, nouem diebus duobus.
Macrinus anno vno, diebus ſex.
Antoninus annis ſex, menſibus octo, diebus XXVIII.

ALEXAN-

ALEXANDER annis tredecim, diebus nouem.

XX.

REGVM HEBRÆORVM.

SAVL annis XXX, Dauid annis XL. Salomon annis XL. Roboam annis XVII. Abia annis tribus, Aſa annis XLI. Ioſafat annis XXV. Ioram annis nouem, Ocoſias anno vno, Gotholia mater annis octo, Ioas annis XL. Ameſſias annis XXXVIII. Ozias annis LVIII. Ioathan annis XVI. Achas annis XVII. Ezechias annis XXXIX. Manaſſes annis LV. Amos annis duobus, Ioſias annis XXXV. Ioachim frater Ioachaz annis XI. Ioachim filius Hemeras annis tribus captiuitatis, Sedecias annis XI. Nabuchodonoſor redux annis XV. Cymaroth filius annis XII. Baldaſar frater annis XIV. Darius Aſſuerus annis XLIII. Cyrus anno primo. *Cætera deerant in MS. Exemplari.*

Quid verò, quantùmque deſideretur, non aliunde meliùs cognoſci poteſt quàm ex ipſo indice, qui præfationi præmittitur in noſtro Codice MS. in hunc modum.

LIBER Generationis ab Adam vſque ad ordinem qui continetur in hoc libro.

Dinumeratio temporum & annorum: generationes vſque in hunc diem: Terræ diuiſio tribus filiis Noë.

Declaratio Gentium, quæ ex quibus factæ ſint? quantæ Inſulæ claræ? qui ex quibus gentibus tranſmigrauerunt? quot Flumina nominata? quot Montes nominati?

Quot Iudices? quis quot annis populum iudicauit?

Quot Reges in Tribu Iuda? & quis quot annis regnauit?

Declaratio Paſchæ, & quis quando ſeruauit ex temporibus Moyſi in hunc diem?

Reges Perſarum à Cyro, & quis, quot annis regnauit?

Reges Macedonum ab Alexandro, & quis, quot annis regnauit?

Imperatores Romanorum ab Auguſto, & quis, quot annis imperauit?

Tempora Olympiadum ab Iphito vſque in præſentem Olympiadem.

Nomina Patriarcharum à generatione.

Nomina Prophetarum. Mulieres Propheteiſſæ.

Nomina Regum Hebræorum & Regum qui in Samaria regnauerunt ſupra decem Tribus; & quis, quot annis regnauit?

Nomina Sacerdotum.

Nomina Epiſcoporum Romæ, & quis, quot annis præfuit?

Hactenus Index Præfationi præfixus.

CLAVDII CHRONOLOGI

QVEM TAVRINENSEM EPISCOPVM, NON TEMERE SVSPICAMVR, QVI ANNO DCCCXIV. SCRIBEBAT,

BREVIS CHRONICA

Iuxta Hebraicam SS. Codicum veritatem, nunquam hactenus edita in lucem

QVIA igitur fautore Deo annos à conditione mundi cum ſerie generationis iuxta Hebraicam veritatem pariter adnotatos Deo iuuante magna ex parte ſuperius iam oſtendimus, nunc eoſdem denuo recapitulando latius exponemus.

Igitur Omnipotens Creator cum vniuerſum perfeciſſet mundi ornatum tertia die poſt ornatum cœli condidit hominem. Qui ornatus cœli, id eſt Sol & Luna, & Stellæ ratione veridica in æquinoctio vernali inueniuntur primò eſſe creatæ quod apud nos ſecundum dies ſolares XII. Kal. Aprilis ſolemus nuncupare: & ita ratione deducta X. Kal. Aprilis Luna XVII. inuenitur Protoplaſtus Adam ex terræ limo eſſe formatus pariter atque animatus ſecundùm hanc noſtram ſupputationem. Secundus Adam Chriſtus Dei filius Deus pariter & homo Deus ante ſæcula homo in fine ſæculorum, Deus de Deo, homo de homine, Deus de Patre ſine initio & matre,

homo à certo initio de matre ſine homine patre, eodem tempore, ſed non eadem feriâ, id eſt x. Kal. Aprilis inuenitur reſurrexiſſe à mortuis.

Si quis fortè minus ſcripturarum Diuinarum ſtudiis eruditus de hoc opere dubitare temptauerit, redeat ad Diuinos ſecundùm Hebraïcam veritatem ſcriptos libros, & quidquid ibidem inuenerit, eos teneat & credat, méque damnare deſiſtat. Neque enim Chriſtianis fas eſt talem dare auctoritatem hominum Chronicis, qualis danda eſt illis libris, qui Spiritus Sancti ſunt auctoritate per Prophetas ſcripti. Et ſi cuius fortè in hac re obſtinata mentis perdurat intentio, eat ad Iudæos Eccleſiæ inimicos, & in eorum codicibus Hebreâ linguâ ſcriptis annorum ſummam requirat, & quidquid ibidem inuenerit, hoc credat & teneat, quia, vt ait Beatus Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei xv. ei linguæ potius credatur, vnde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio.

Adam à die conditionis ſuæ anno c x x x. genuit Seth.

Seth cùm eſſet annorum c v. genuit Enos, & impleti ſunt dies vitæ Adam in natiuitate Enos c c x x x v.

Enos anno vitæ ſuæ x c. genuit Cainan, & impleti ſunt dies vitæ Adam in natiuitate Cainan c c c x x v.

Cainan anno vitæ ſuæ l x x. genuit Malalehel, & impleti ſunt dies vitæ Adam in natiuitate Malalehel c c c x c v.

Malalehel anno vitæ ſuæ l x. genuit Iareth, & impleti ſunt anni vitæ Adam in natiuitate Iareth c c c c l x.

Iareth anno vitæ ſuæ l x i i. genuit Enoch, & impleti ſunt anni vitæ Adam in natiuitate Enoch d c x x i i.

Enoch anno vitæ ſuæ l x v. genuit Matuſalem, & impleti ſunt anni vitæ Adam in natiuitate Matuſalem d c l x x x v i i. ambulauitque Enoch coram Deo poſtquam genuit Matuſalem annis c c c. & non apparuit, quia tulit eum Deus anno l v i i. poſt mortem Adæ.

Matuſalem anno l x x x v i i. genuit Lamech, & impleti ſunt anni à conditione mundi in natum Lamech, d c c c l x x i v. & vixit Adam, poſtquam natus eſt Lamech, annis l v i.

Lamech anno vitæ ſuæ c l x x x i i. genuit Noë anno c x x v. poſt mortem Adæ, & impleti ſunt anni à conditione mundi in natiuitatem Noë m l x v.

Noë anno vitæ ſuæ d. genuit tres filios Sem, Cham, & Iapheth, & anno vitæ illius d c. venit Diluuium ſecundùm dies Lunares, menſe primo, ſeptima-decima die menſis: ſecundum ſolares verò dies, kalendis Aprilis, Luna x v i i. quem Hebræi, qui menſes, non à ſole, ſed à lunâ computant, ſeptimumdecimum diem vocauerunt primi menſis, ſeptima feria, quam nos Sabbatum nuncupamus, ingreſſus eſt Noë in arcam, & hac ipſa die venit Diluuium. Mirum omnipotentis Dei iudicium in humanum genus, quod per Adam Luna x v i i. accepit initium, in non cuſtodiendo Dei præceptum x v i i. in diluuio incurreret mortis ſupplicium.

Anno vitæ Noë d c. impleti ſunt anni à conditione mundi m d c l v i. eo enim anno, quo diluuium fuit, annus biſſextilis extitit: & ſi more noſtro computarentur feriæ vel Kalendæ, eſſent ipſo anno kalendæ menſis Ianuarij feriâ quartâ: & quia fuit annus cycli ſolaris i v. idcirco x i. fuerunt in Epacta & x i i i. kalendas Aprilis fuit Neomenia, id eſt nouæ Lunæ principium, & ipſius anni ſecundùm menſes Lunares primi menſis initium, impletique ſunt ipſo anno, anni Iubilæi à conſtitutione mundi x x x i i i. Cycli decemnouales l x x x i i. dies biſſextiles c c c c x i v.

§ II.

Secvnda ſæculi ætate, primâ huius die, quæ eſt x x v i i. dies menſis ſecundi, egreſſus eſt Noë de arcâ, vxor eius, & filij, & vxores filiorum eius, die primâ feriâ, quam nos propter Reſurrectionem Domini Dominicam nuncupamus: quia, ſicut ſupra iam dixi, ſi more noſtro ipſo tempore computarentur feriæ vel kalendæ, eſſent ipſo anno, quo egreſſi ſunt de arcâ, Kalendæ menſis Ianuarij, feriâ quintâ anno primo poſt biſſextum. Et quia fuit annus quintus Cycli ſolaris, qui eſt decemnoualis, & quartus Epactalis, xxii. fuerunt in Epacta, & fuit v i i. Idus Martij menſis Neomenia, id eſt nouæ Lunæ principium. Et hæc fuit ſecundùm Hebræos primi menſis initium, & anni principium.

Iuxta hanc noſtram ſupputationem, quæ fit per dies ſolares, exiſſe inueniuntur

de arcâ Noë, & filij eius quinto Nonas menſis Maij, Lunâ XXVII. ſtetiſſéque inueniuntur in arcâ iuxta dies ſolares annum integrum, qui facit dies CCCLXV. & quadra vna, id eſt horas ſex, & hebdomadas quatuor, id eſt dies XXVIII. quater enim ſeptem fiunt XXVIII.

Sem cùm eſſet centum annorum, genuit Arfaxad biennio poſt diluuium, quia XCVIII. anno vitæ ſuæ venit diluuium.

Arfaxar anno vitæ ſuæ XXXV. genuit Sale: in natiuitate Sale impleti ſunt anni poſt diluuium XXXVII.

Sale anno vitæ ſuæ XXXI. genuit Heber: In natiuitate Heber impleti ſunt anni poſt diluuium LXVII.

Heber anno vitæ ſuæ XXXIV. genuit Faleg: in natiuitate Faleg impletus eſt annus poſt diluuium CI. qui fuit annus vitæ Noë DCCI. & hac ratione deductâ vixiſſe inuenitur Noë poſt factam linguarum diuiſionem annis CCXLIX.

Faleg interpretatur diuiſio, cui propterea pater tale nomen impoſuit, quia tempore natiuitatis ipſius terra per linguarum confuſionem diuiſa eſt. Qui anno vitæ ſuæ XXX. genuit Reu: in natiuitate Reu, impletus eſt annus poſt diluuium CXXXI.

Reu anno vitæ ſuæ XXXII. genuit Seruch: in natiuitate Seruch impleti ſunt anni poſt diluuium CXLIII.

Seruch anno vitæ ſuæ XXX. genuit Nachor: in natiuitate Nachor impleti ſunt anni poſt diluuium CXCIII.

Nachor anno vitæ ſuæ XXVIII. genuit Thare: in natiuitate Thare impleti ſunt anni poſt diluuium CCXXII.

Thare anno vitæ ſuæ LXX. genuit Abram: in natiuitate Abræ impleti ſunt anni poſt diluuium CCXCII

Anno vitæ Noë DCCCXCII. natus eſt Abraham, qui fuit annus vitæ Sem, CCCXC. vixiſſe inuenitur Noë, poſt natiuitatem Abrahæ, annis LVIII.

Fiunt igitur iuxta ſupputationem à diluuio vſque ad natiuitatem Abrahæ anni CCXCII. & à conditione mundi MDCCCCXLVIII.

III.

TERTIA Mundi ætas à natiuitate cœpit Abrahæ Patriarchæ, qui cùm LXXV. annorum eſſet anno XVII. poſt mortem Noë, qui fuit annus vitæ Sem CCCCLXV. & patris ſui Thare CXLV. relictâ gente & patria ſua, ſecundum diuinum oraculum, venit in terram Chanaan, accipiens promiſſionem naſciturum de ſuo ſemine Saluatorem, in quo benedicerentur omnes gentes crediturae in Chriſtum, & ſeipſum in gentem magnam eſſe futurum: quarum vna ſpiritalis, altera eſt promiſſio carnalis.

His temporibus Ninus & Semiramis in Aſſyriis regnauerunt.

Abraham anno vitæ ſuæ centeſimo patris verò ſui Thare CLXX. & Sem CCCCXCI genuit Iſaac XLII anno poſt mortem Noë. Qui Iſaac primus & ſolus in tota Teſtamenti veteris ſerie legitur octaua die eſſe circumciſus, quod non ſine magno myſterio priuilegium donatum eſt filio promiſſionis.

Iſaac anno vitæ ſuæ LX. & patris ſui CLX. qui erat annus vitæ Sem, DL. poſt mortem Noë anno CII. aui vero ſui Thare XXV. genuit Eſaü & Iacob. Vixit verò Abraham poſtquam nati ſunt Eſaü & Iacob annis XV. & vixit Sem, poſtquam mortuus eſt Abraham annis XXXV. & impleti ſunt dies vitæ illius anni DC. Ante diluuium vixit annos XCVIII. & poſt diluuium DII. & mortuus eſt anno vitæ ſuæ DC. qui erat annus vitæ Iſaac CX & Iacob L. in natiuitate Iacob impleti ſunt anni Tertiæ ætatis CLX. & à conditione mundi MMCVIII.

Iacob autem anno vitæ ſuę XCI. genuit Ioſeph, qui erat annus vitæ Iſaac CLI. venditus eſt autem vitæ ſuæ XVI. qui fuit annus vitæ Iacob CVII. patris verò ſui CLXVII. permanſit ſeruus annis XIV. & eductus de carcere eſt anno XXX. vitæ ſuæ, qui fuit annus vitæ Iacob CXXI. & Iſaac patris ſui CLXXXI. Secundùm hanc rationem vixiſſe inuenitur Iſaac poſtquam eductus de carcere eſt Ioſeph, annis quatuor, quia CLXXXV. annorum erat quando mortuus eſt, & hic erat annus vitæ Iacob CXXV. qui etiam poſt mortem

patris ſui anno quinto deſcendit in Ægyptum anno vitæ Ioſeph XXXIX. vitæ verò ſuæ CXXX. deſcendit in Ægyptum in animabus LXX.

Manſerunt filij Iſraël in Ægypto poſt introitum Iacob annis CCXV. poſt mortem verò Ioſeph annis CXLIV. Inter mortem Ioſeph & natiuitatem Moyſi fuerunt anni LXIV. quia LXXX. annorum erat Moyſes, quando apparuit ei Dominus, & miſit eum ad Pharaonem.

Si quis iſta dubitat, vel calculandi & inueniendi ſummam annorum non habet ſcientiam, ſumat ab introitu Iacob in Ægyptum, & inueniet vſque ad mortem Ioſeph annos LXXI. his adde LXIV. fiunt CXXXV. quia LXIV. anno poſt mortem Ioſeph inuenitur natus eſſe Moyſes. His adde LXXX. annos vitæ Moyſis, quia LXXX. annorum erat Moyſes, ſicuti iam dixi, quando miſſus eſt ad Pharaonem, ad CXXXV. adde LXXX. & fiunt CCXV. A primâ igitur promiſſione Abrahæ vſque ad introitum Iacob in Ægyptum, fuerũt anni CCXV. & inde vſque ad tranſitum maris rubri anni CCXV. fiunt in ſummâ CCCCXXX. & hoc eſt, quod ait Apoſtolus in epiſtolâ ad Galatas: Hoc autem dico Teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt CCCCXXX. annos facta eſt Lex.

Fiunt igitur à natiuitate Abrahæ, vnde Tertia eſſe cœpit labentis ſæculi ætas, vſque ad Tranſitum maris rubri anni DV. & à conſtitutione mundi vſque ad introitum Iacob in Ægyptum anni MMCCXXXVIII. & inde vſque ad tranſitum maris rubri anni MMCCCCLI.

Sed dicit aliquis, quomodò poteſt fieri vt tam paucis filij Iſraël in terrâ Ægypti ſteterint annis, cùm ſcriptura libri Geneſeos narret, quod dixerit Deus ad Abraham: ſcito prænoſcens, quia peregrinum erit ſemen tuum in terrâ non ſuâ, & ſeruitute eos afficient annis CCCC. Non itaque, quod ait, in ſeruitute redigent eos, ad CCCC. annos referendum eſt, tanquam per tot annos eos habuerint in ſeruitute: ſed referendi ſunt CCCC. anni ad id quod dictum eſt, Peregrinum erit ſemen tuum in terrâ non ſuâ: quia ſiue in terrâ Chanaan, ſiue in Ægypto, peregrinum erat illud ſemen, antequam hæreditate ſumerent terram ex promiſſione Dei, poſteaquam ex Ægypto liberati ſunt, vt per ſpeciem locutionis, quam Grammatici hyperbaton vocant, dictum eſſe intelligatur: & eſt ſenſus vel ordo verborum: ſciendo ſcias, quia peregrinum erit ſemen tuum in terrâ non ſuâ CCCC annis. Illud autem interpoſitum legatur, Et in ſeruitute redigent eos, & nocebunt illis, ita vt ad CCCC. annos iſta interpoſitio non pertineat in extremâ enim parte annorum ſummæ huius, hoc eſt poſt mortem Ioſeph factum eſt, vt in Ægypto populus Dei duram peragerent ſeruitutem.

Teſtatur Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos: Fide Moyſes celebrauit Paſcha, & ſanguinis effuſione, ne qui vaſtabat primitiua Ægypti, læderet eos. Sed quia ab initio mundi, vſque ad præſens tempus annos vel ætates temporum inquirendo peruenimus, nunc ipſius Paſchæ tempus, vel diem, quæ prior in toto tempore veteris Teſtamenti celebrata eſt, ſubtiliter inquiramus. Si vis huius Paſchæ noſſe tempus, vel diem, vel feriam, aut Lunam; ſume annos ab initio mundi, qui ſunt vſque ad id tempus MMCCCCLIII. hos partire per quartam partem, & dic: quater DC. fiunt MMCCCC. & ſuperſunt LIII. Iterum dic: quater deni, XL. & ſuperſunt XIII. quater terni, XII. & ſupereſt I. & inuenies quòd primus annus tunc extiterit poſt biſſextum. Sume igitur ipſos dies biſſextiles, qui fuerunt in toto retro tempore DCXIII. Hos adde ad ſuperiores annos & inuenies ſummam eorum MMMLXVI. His iterum adde ſex dies, quos intercalares vocamus, & erunt MMMLXXII.

Et vt feriam ipſius anni inuenire poſſis partire ſupradictam ſummam, & dic ſepties CCCC. fiunt MMDCCC. & ſuperſunt CCLXXII. Iterum dic ſepties XXX. fiunt CCX. & ſuperſunt LXII. & rurſum ſepties octoni fiunt LVI. & ſuperſunt ſex, & inuenies quòd feria ſexta ſecundum dies ſolares extitit principium anni quam nos more gentilium Kalendas Ianuarias nuncupamus. Iterum ſume ſuperiores annos MMCCCCLIII. hos partire per decimamnonam partem: & dic; centies decem & nouem fiunt MDCCCC. & ſuperſunt DLIII. hos iterum partire ſub eandem partem, & dic; decemnouies XX. fiunt CCLXXX. & ſuperſunt CLXIII. hos denuo partire per eandem partem ſimiliter, & dic. decemnouies nouem fiunt CLXXI. & ſuperſunt duo: adde vnum & fiunt tria, & inuenies quòd tertius fuerit

annus Cycli ſolaris, qui eſt decemnoualis: ſubtrahe vnum, & remanent duo, ipſe eſt ſecundus annus Epactæ Lunaris. Iterum dic: vndecies bini fiunt XXII. tantos enim dies habet in duobus annis ſolaris curſus amplius Lunari. His adde VIII. & fiunt XXX. Et quia annus emboliſmus fuit tanti extiterunt in Epactâ. Iterum ſume ſummam numeri centum XXII. annorum triginta, qui fuerunt in Epactâ, & remanent CII. & inuenies quòd ſecundùm dies ſolares, Pridie Idus Aprilis feriâ ſecundâ Lunâ XIV. extiterit ipſum Paſcha. Iuxta dies verò Lunares III. Kal. Aprilis fuit Neomenia, id eſt nouæ Lunæ principium, & primi menſis Lunaris initium, & anni principium.

Secundùm verò ſupputationem noſtram, quæ fit per dies ſolares, Idus Apriles Luna XV. altera die poſt Paſcha inueniuntur exiſſe filij Iſraël de Rameſſe, & veniſſe in Socoth, & de Socoth XVIII. kal. Maij Luna XVI. in Phyairoth, & VI. kal. Iunij Lunâ primâ, qui eſt dies primus tertij menſis Lunaris, venerunt ad montem Sinai, & acceperunt Legem Deo loquente ad ſe per Angelum pridie kalendas Iunij, die quinquageſimo poſt agni occiſionem feria ſecunda, Luna quarta, quo die & Paſcha in Ægypto celebrauerunt.

Moſes anno vitæ ſuæ LXXX. eductum ex Ægypto rexit populum Dei Iſraël in deſerto annis XL. quorum primo anno tabernaculum Domino conſtruxit, & ſeptem menſibus omne opus perficiens, menſe primo, anni ſecundi primâ die menſis erexit, ſecundùm dies ſolares ipſo anno XIII. kal. Aprilis, feria prima fuit neomenia, id eſt nouæ Lunæ principium, & primi menſis initium: & Paſcha Hebræorum feria ſeptima, quarto nonas Aprilis, Luna XIV. quam illi XIV. primi menſis diem ſecundùm dies Lunares appellare conſueuerunt.

Iam ab hoc tempore per Duces & Iudices ſummam annorum requirere non nobis videtur immorandum, cùm tam euidenter Hiſtoria libri Regum teſtetur: Factum eſt igitur quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſraël de terrâ Ægypti in anno quarto, menſe Zio, ipſe eſt menſis ſecundus Regis Salomonis ſuper Iſraël, & ædificare cœpit domum Domini, è quibus ſubtractis IV. Salomonis & XL. Dauid colliguntur omnes anni ab egreſſu filiorum Iſraël ex Ægypto vſque ad primum annum regni Dauid CCCCXXXVI. à primâ promiſſione Abrahæ vſque ad prædictum annum primum regni Dauid, fuerunt anni DCCCLXVI. à natiuitate verò Abrahæ vſque ad eundem annum ſunt anni DCCCCXLI.

IV.

QVARTA ſæculi ætas incipit à primo anno regni Dauid, & perſeuerat vſque ad transmigrationem Babylonis, quæ facta eſt per Nabuchodonoſor Regem, habens annos iuxta Hebraïcam veritatem CCCCLXXIV. iuxta LXX. Interpretum tranſlationem amplius: Generationes iuxta vtroſque codices XVII.

Dauid Rex prior ex Tribu Iuda regnauit annis XL.

Salomon filius Dauid regnauit annis XL. qui quarto anno regni ſui ædificare cœpit templum Domino in Ieruſalem, collectis ab Egreſſu filiorum Iſraël ex Ægypto annis CCCCLXXX. vt Regum quoque libri teſtimonio eſt, quod in figuram vniuerſi corporis, quo in hoc ſæculo Chriſti ædificatur Eccleſia nimirùm actum, quæ in futuro tempore perficitur quod templum ſeptem annis perfecit, & ſeptimo octaui menſe dedicauit, qui fuit annus duodecimus regni ſui.

Roboam filius Salomonis regnauit annis XVII.

Abia filius Roboam regnauit annis tribus.

Aſa filius Abia regnauit annis XLI.

Ioſaphat filius Aſa regnauit annis XXV.

Ioram filius Ioſaphat regnauit annis octo.

Azarias filius Ioram regnauit anno vno.

Athalia regnauit annis ſeptem.

Ioas filius Azariæ regnauit annis XL.

Amaſias filius Ioas regnauit annis XXIX.

Azarias, qui & Ozias filius Amaſiæ regnauit annis LII.

Ioatham filius Oziæ regnauit annis ſex.

Ezechias regnauit annis XIX.

Manaſſes filius Ezechiæ regnauit annis LV.

Amon filius Manaſſe regnauit annis duobus.

Ioſias filius Amon regnauit annis XXXI.

Ioachaz filius Ioſiæ quem vinctum Nechao Pharao Rex Ægypti perduxit in Ægyptum, regnauit menſibus tribus.

* * * * . * * * * * * *

V.

* * * * *

DOMINI Saluatoris in carne ex libro Heſdræ Prophetæ & Historiâ libri Machabæorum & Ioſephi atque Africani Hiſtoriographi vſque ad Romana tempora comprehendit annos DLXXXIX. & ita fit vt à conſtitutione mundi, vſque ad Natiuitatem Domini Saluatoris in carne, quæ facta eſt anno Octauiani Cæſaris XLII. colligantur omnes anni MMMDCCCCLII.

Sed & in libro Chronicorum, quem idem ſanctus vir non plus mirabili veritate, quàm celeritate comprehendit, eoſdem annos ſimili modo ſecundum Hebraïcam veritatem à conſtitutione mundi, vſque ad Natiuitatem Domini in carne ſimiliter adnotauit.

Vnde ſciendum eſt, atque firmiſſimè credendum, & nullomodo dubitandum omnes annos à conſtitutione mundi, ſecundùm Hebraicam veritatem vſque ad euerſionem Hieruſalem, quæ facta eſt XI. anno Sedeciæ à Nabuchodonoſor non poſſe amplius minus fieri: ſed ſicut ſupra iam oſtendi, ita tenendi ſunt.

Quidquid verò reliquum ſupereſt tempus vſque ad Aduentum Domini in carne maiorum noſtrorum, qui Chronicas ſcripſerunt, iudicio relinquo. Nam ſi in his non fallimur annis, qui poſt euerſionem Ieruſalem comprehenſi ſunt, colliguntur omnes anni à conditione mundi vſque ad præſentem annum, qui eſt Incarnationis D. N. IESV CHRISTI DCCCXIV. quo piæ recordationis & bonæ ſemper memoriæ KAROLVS glorioſus Princeps ex hoc migrauit mortali ſæculo, & ei pius Princeps ſanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ HLVDOVICVS ſucceſſit Imperio, anni MMMMDCCLXVI.

Sed vt apertiùs appareat quod dicimus, computa eoſdem annos per quartam partem, & dic; quater mille, MMMM. & ſuperſunt DCCLXVI. quater centum CCCC. & ſuperſunt CCCLXVI. quater nonaginta CCCLX. & ſuperſunt ſex, ex quibus aſſume quatuor & ſuperſunt duo: præſens enim annus, qui nunc eſt, ſecundus eſt poſt biſſextum.

Item dic decemnouies ducenti MMMDCCC. & ſuperſunt DCCCCLXVI. decemnouies quinquaginta DCCCCL. & ſuperſunt XVI adde vnum & fiunt XVII. præſens enim annus, qui nunc eſt, decimus ſeptimus annus, eſt cycli ſolaris, qui eſt Decemnoualis. Subtrahe vnum & remanent XVI. ſextus decimus annus eſt Epactæ Lunaris. Vndecies deni CX. vndecies ſeni LXVI & fiunt CLXXVI. his adde octo, & fiunt CLXXXIV. hos partire per trigeſimam partem, & dic, ſexies triginta CLXXX. & ſuperſunt IV. & inuenies quod in præſenti anno ipſi currunt ad Lunæ curſum.

Si autem quæratur à me, quàm longo tempore, aut quot annis debeat præſens mortale ſæculum perdurare, neſcire me fateor, quia non vſpiam me legiſſe reminiſcor, & ideo nec de imperitia erubeſco, quia lectione non doceor, nec de periculo formido, quia quæ non lego nec præſumo, ne tranſgreſſor inueniar diuini oraculi, qui Apoſtolis de hoc interrogantibus ita reſpondit: De die autem illo & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, neque filius niſi Pater ſolus. Sed quid eſt quod Pater poſſit ſine virtute aut ſciat abſque ſapientia ſua, cum vtrumque ſit Patri, id eſt virtus & ſapientia ſua, ſed Filij neſcire eſt, nos neſcientes de hoc velle manere. Cæterum cunctis in commune fidelibus ſuademus, vt ſiue quis ex Hebraica veritate quæ ad nos per beatum interpretem Hieronymum pura perueniſſe etiam hoſtibus Iudæis in manifeſto eſt, ſiue ex LXX. Interpretum tranſlatione, quæ vel minus ſol-

licitè primò edita eſt, vt multi aſtruunt, vel à Gentilibus corrupta, vt Beato Auguſtino videtur, ſeu certè ex vtriſque commixto opere codicibus.

Cætera deſunt.

CHRONICON DOLENSIS COENOBII, INCERTO AVCTORE.

Ex Codice membraneo MS. quem mihi vtendum dedit V. C. Dominus Bolacre des Marés, *Generalium Regij apud Biturigas Theſauri Iudicum Præſes meritiſſimus.*

AVCTIVS NVNC PRODIT OPE ALTERIVS MS. Codicis.

ANNO DCCCCXVII. Fundatus eſt locus Dolenſis Monaſterij ab Ebbone ſeniore primo Domino Dolenſi.

DCCCCXIX. Obiit Guillelmus Dux Burgundiæ & Fundator Cluniacenſis Monaſterij.

DCCCCXX. Dedicatus eſt Dolenſis.

DCCCCXXIII. Roberti Regis occaſus & ipſo anno Radulfus Rex conſtituitur.

DCCCCXXVII. Obiit Berno primus Abbas Dolenſis.

DCCCCXXXV. Prima Hungrorum irruptio, occiſo Domino Ebbone Fundatore huius loci primo Domino Dolenſi & Radulpho Rege Francorum (mortuo)

DCCCCXLI. Secunda Vngrorum irruptio.

DCCCCXLII. Obiit ſanctus Odo ſecundus Abbas Dolenſis.

DCCCCLI. Obiit Franbertus tertius Abbas Dolenſis.

DCCCCLII. Obiit Radulphus Largus, ſecundus Dominus Dolenſis, qui ædificauit Caſtrum-Radulphi & dedit nobis Caſtrum Dolenſe & quidquid iuris habebat.

DCCCCLXVIII. Obiit Raynardus quartus Abbas Dolenſis.

DCCCCLXX. Obiit Ranulphus quintus Abbas Dolenſis.

DCCCCLXXVIII. Obiit Dacbertus ſextus Abbas Dolenſis.

DCCCCLXXXVIII. Obiit Abbas Cluniacenſis ſanctus Majolus, hyems fuit valida. *Errauit in obitu* S. *Maioli.*

DCCCCXC. Obiit Rocho ſeptimus Abbas Dolenſis.

DCCCCXCI. Renouatum eſt Monaſterium Dolenſe à fundamento.

DCCCCXCVII. Obiit Hugo octauus Abbas Dolenſis.

M. III. Datum eſt Monaſterium ſanctorum Donatiani & Rogatiani huic loco Dolenſi.

M. VIII. Sepulcrum Domini deſtructum eſt ſub Regibus Græcorum Baſilio & Conſtantino, Romanorum vero Henrico, Francorum Roberto.

M. XII. Obiit Radulphus Caluus tertius Dominus Dolenſis.

M. XIII. Eumenus bonæ memoriæ nonus Abbas Dolenſis.

M. XX. Fames magna fuit.

M. XXI. Secunda Dedicatio Dolenſis Monaſterij nono kalendas Februarij.

M. XXVIII. Defectum Luna paſſa eſt nocte quæ luceſcit in Paraſceue Paſchæ, quod fuit ſecundo Idus Aprilis Die vero præcedente Cœnæ Dominicæ depoſitio Domini Fulberti Carnotenſis Epiſcopi.

M. XXXVII. Odo Comes Campanenſis ab Imperatore interfectus eſt: Et Ebbo filius Odonis Senioris Dolenſis à Vicecomite Gaufrido Bituricenſium interfectus eſt. Et ipſo anno necdum finito menſe Ianuario decimo-octauo die ipſius, hoc eſt XIV. Kalendas Februarij, bellum cruentiſſimum fuit actum inter eundem Odonem Seniorem Ducem Dolenſem & Epiſcopum Aymonem & Vicecomitem Gaufridum Bituricenſem, ſed Domino pro eodem Odone Seniore mirabiliter pugnante, eos ſtrauit. Nam vbi phalangas eius eorum exercitus aſpexit, nimio terrore

correpti cum ſuis principibus in fugam conuerſi ſe præcipites in flumine, qui vocatur Carus, vnus ſuper alium dederunt: in quo diuerſis modis expirantes per alteram diem plus quàm mille reperti ſunt, exceptis iis, quos gladius trucidauit. Ipſe vero Epiſcopus in ipſo prælio vulneratus, nec tamen mortuus, armis relictis & ipſe & alij pauci per fugam elapſi euaſerunt. Caſtrum quod vocatur Caſtellus nouus, captum à Radulpho filio Odonis Senioris, pro quo eius frater interfectus fuerat Ebbo.

M.XLIX. Tranſitus ſancti Odilonis Abbatis Cluniacenſis.

M.LI. Obiit Ingelbodus duodecimus Abbas Dolenſis.

M.LII. Obiit Radulphus prudens quintus Dominus Dolenſis.

M.LIV. Datus fuit Monaſterio Dolenſi Prioratus de Maigniaco tempore Raimundi Abbatis huius loci.

M.LVIII. Obiit Radulphus infans, filius Radulphi prudentis ſine liberis.

M.LIII. aut potius M.LXIII. Hoc anno in Romano Concilio definitum eſt ab Alexandro II. quod Epiſcopus Nannetenſis Abbati Raimundo, & Monachis Dolenſis Cœnobij priùs redintegret damnum omne, quod eis violenter intulit, quàm iudicium inter eos celebretur. De reſtitutione ſpoliatorum cap. Grauis ad nos querela.

M.LXIII. Obiit Raymundus decimus-tertius Abbas Dolenſis piæ memoriæ, qui multum ornauit & decorauit Monaſterium iſtud, videlicet in eleemoſynis pauperum.

M.LXVII. Ordinatus eſt Guarmundus Abbas Dolenſis in Archiepiſcopum.

M.LXXXIII. Obiit Guarmundus decimus-quintus Abbas Dolenſis, & Archiepiſcopus Viennenſis.

M.LXXXV. Obiit Odo, filius Radulphi Prudentis, Dominus Exoldunenſis.

M.LXXXVII. Aduentus Domini Aldeberti Abbatis Dolenſis.

M.LXXXVIII. Caſtrum Radulphi combuſtum eſt.

M.XCII. Obiit Radulphus filius Odonis Dominus Exoldunenſis: & ordinatus eſt Domnus Aldebertus Archiepiſcopus Bituricenſis.

M.XCV. Celebratum eſt Concilium apud Claramontem ab Vrbano Papa ſecũdo.

M.XCVII. Obiit Dominus Aldebertus decimus-ſextus Abbas Dolenſis & Archiepiſcopus Bituricenſis. Eodem anno fuit maxima mortalitas.

M.XCIX. Vrbanus Papa & Rodulphus Theobaldus ſeptimus Dolenſis obierunt. Ieruſalem Turcis eripitur. Obiit Geraldus decimus-ſeptimus Abbas Dolenſis.

M.CI. Obiit Simon Agenenſis Epiſcopus, qui apud nos requieſcit.

M.CII. Obiit Hugo ſecundus decimus-octauus Abbas Dolenſis: ſucceſſit Ioannes primus.

M.CVI. In alio codice M.CVII. Hoc anno conſecrata eſt Eccleſia Dolenſis à Domino Papâ Paſchali, quo iubente altare Beatæ Mariæ conſecratum eſt ab Epiſcopo Placentino, præſente Leodegario Archiepiſcopo Bituricenſi, qui conſecrauit altare Beati Andreæ, tempore Ioannis Abbatis, ipſe vero Papa Apoſtolorum Petri & Pauli conſecrauit.

M.CXII. Obiit Radulphus ſenex filius Radulphi Theobaldi octauus Dominus Dolenſis.

M.CXVIII. Obiit Gaufridus Dominus Exoldunenſis filius Odonis Exoldunenſis.

M.CXXXVI. Obiit Wlgrinus Bituricenſis Archiepiſcopus. In alio codice mendosè ſcribitur Guillelmus.

M.CXXXVII. Ludouicus apud Burdegalam ciuitatem, filiam Pictauenſis Comitis Guillelmi Alienor duxit vxorem.

M.CXXXVIII. Obiit Ioannes primus, decimus-nonus Abbas Dolenſis: ſucceſſit Ioannes Pictauenſis.

M.CXLI. Obiit Radulphus Senior Dolenſis.

M.CXLIX. Conſecrata eſt Eccleſia Vodolionis à Domno Petro Bituricenſi Archiepiſcopo.

M.CLII. Combuſta ſunt à Ludouico Rege Caſtra & Caſtrum Meillanum & ab Ebbone Dolenſi principe Cloſis. Combuſta eſt maxima pars caſtri Dolenſis.

M.CLIII. Obiit Girbertus Abbas, Domnus Geraldus Abbas Dolenſis ordinatus eſt.

M.CLX. Obiit Ebbo ſecundus, nonus Dominus Dolenſis.

Hoc

Hoc anno Alexander Papa venit Dolum & ibi per menſem continuum demoratus menſe Septembri quinto Idus eiuſdem conſecrauit altare Crucifixi in honore ſancti Coſmæ, & eodem Epiſcopus Hoſtienſis conſecrauit altare Beatæ Mariæ Magdalenæ in honore ſancti Iacobi, & ſancti Stephani, & ſanctæ Cæciliæ.

M.CLXI. Facta eſt Eclipſis Lunæ, cùm eſſet tertia decima.

M.CLXXI. Martyrizatus eſt Beatus Thomas Cantuariæ Archiepiſcopus. Obiit & Petrus Biruticenſis Archiepiſcopus.

M.CLXXIII. Obiit Stephanus Bituricenſis Archiepiſcopus: Eccleſia Vedolionis & Eccleſia de Robore ſuccenſæ ſunt.

M.CLXXIV. Domnus Bernardus Liodenſis Epiſcopus Dolum venit.

M.CLXXVI. Domnus Girardus Moral Abbas Dolenſis, cum viginti duobus annis Eccleſiæ præeſſet, nomen Abbatis reliquit, & Ioannes de Rochâ factus eſt Abbas.

M.CLXXXIV. Obiit Ioannes de Rochâ vigeſimus-tertius Abbas Dolenſis, & Gerardus de Spinolio ordinatus eſt Abbas.

M.CXXXVI. Obiit Geraldus Moral, quondam Abbas Dolenſis.

M.CLXXXVII. Viſitatio Monaſterij Dolenſis per miracula tempore Philippi Regis Francorum & Henrici Regis Anglorum. Hoc anno Radulphus adoleſcens filius tertij Ebbonis, collecto magno exercitu forti, municipiiſque omnibus ferro & igni funditus euerſis, projecit Monachos noſtros de Cella Brueriæ, & de Creiſé, & de Spinolio.

M.CXCIV. Hoc anno obiit Abbas Geraldus de Spinolio, & Radulphus de Podio factus eſt Abbas.

M.CXCVII. Hoc anno Cæleſtinus Papa obiit, qui totam terram Caſtri-Radulphi excommunicauit propter controuerſiam Dolenſis Eccleſiæ & Andream de Caluiniaco.

M.CXCIX. Hoc anno obiit Richardus Rex Anglorum, nonis Aprilis.

M CC. Obiit Geraldus de Spinolio Abbas quondam.

M.CCI. Arturus, mendosè Areulus, & multi Barones capti fuerunt apud Mirabellum à Ioanne Rege Anglorum.

M.CCII. Obiit Andreas de Calueniaco, optimus miles, ſponſus Dionyſiæ, duodecimus Dominus Caſtri-Radulphi.

M.CCIV. Hoc anno Ludouicus cepit Niortum & Rupellam.

M.CCV. Philippus Rex cepit Locas & Chinon.

M.CCIX. Guillermus Bituricenſis Archiepiſcopus migrauit à ſæculo.

M.CCX. Cecidit Clocarium Dolenſe in feſto Cathedræ ſancti Petri: & nullum malum fecit, & quidam pauo qui in eodem clocario decubabat, poſt triduum inter trabes fuit repertus incolumis. Hoc anno Rex Saracenorum iuit in Hiſpaniam cum innumera multitudine Paganorum, & cœpit deuaſtare & occidere populum Chriſtianum. Quapropter Chriſtiani congregati ex diuerſis partibus ſcilicet XIV. millia hominum perrexerunt contra eos, & occiderunt ex eis LX. millia, & de mulieribus XV. millia vno die.

M.CCXI. Obiit Radulphus de Podio Abbas Dolenſis, dum Romam pergeret, apud ſanctum Leonardum de Corbine, & inde tranſlatus in Eccleſiam Dolenſem ibique cum maximo honore ſepultus ante altare Beatæ Mariæ Magdalenæ: Domnus Ioannes de Rocha ſecundus electus eſt in Abbatem.

M.CCXV. Innocentius Papa Tertius celebrauit generale Concilium Romæ. Præcedenti fuit Bellum Flandrenſe in quo Philippus Rex pugnauit contra Othonem, Comitem Flandrenſem, & Comitem Boloniæ.

M.CCXXI. Obiit Dionyſia vndecima Domina Dolenſis vxor Andreæ de Calueniaco.

M.CCXXIV. Obiit Philippus Rex Francorum tertio Idus Iunij. Ipſo anno coronatus eſt in Regem filius eius Ludouicus. Natus eſt Guillelmus primogenitus filius Guillelmi de Caluiniaco.

M.CCXXVI. Obiit Ludouicus Rex Francorum apud Aquamſparſam & Monpanecerium rediens ab Albigenſibus, & Ludouicus filius eius coronatus eſt in vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli.

M.CCXXXIII. Obiit Guillelmus de Calueniaco primus, decimus-tertius

Dominus Caſtri-Radulphi, & fuit illo anno Kariſtia magna.

M. CCXL. Hoc anno Guillelmus de Calueniaco ſecundus recepit ſuam terram à Rege Ludouico.

M. CCXLV. Innocentius Papa Quartus celebrauit Concilium menſe Iulio Lugduni.

M. CCXLVII. Hoc anno conſecrauit Odo Cardinalis Legatus in Franciâ altare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, menſe Aprili pridie Nonas.

M. CCXLVIII. Perrexit Ludouicus Rex & ſui Barones in partibus tranſmarinis.

M. CCLIII. Obiit Ioannes de Rochâ ſecundus, huius loci vigeſimus-tertius Abbas. Eodem anno Ioannes de Monte electus eſt in Abbatem.

M. CCLXVIII. Obiit Ioannes de Calueniaco Dominus de Leproſo.

M. CCLXXI. Obiit Guillelmus de Calueniaco quatuordecimus Dominus Caſtri-Radulphi. Præcedenti obiit Ludouicus Rex in partibus tranſmarinis.

M. CCLXXX. Hoc anno obiit vir nobilis Ludouicus Belli-Ioci Dominus de Monte-Ferrandi, ſexto Kalendas Octobris.

M. CCLXXXI. Decimo kalend. Iunij natus eſt Andreas de Calueniaco filius Guillielmi tertij Domini Caſtri-Radulphi.

M. CCLXXXII. Obiit Ioannes de Monte vigeſimus-ſeptimus Abbas cui ſucceſſit Eurardus *de Neozeroles* electus 1283. XVII. Maij.

M. CCXCIV. Guerra magna inter Regem Franciæ & Regem Angliæ in terrâ Vaſconiæ & in mari, & tunc deſtructa fuit à Francis inſula Oleronis, ſed per matrimonium inter prædictum Regem Angliæ, & ſororem Regis Franciæ, & inter primogenitum Regis Franciæ, & quandam Regis filiam pax poſtmodum reformata.

M. CCXCV. Obijt Eurardus *de Neozeroles* Abbas 12. Kal. Iûnij. Ioannes de Ybernali eodem anno electus eſt in Abbatem.

M. CCCVI. Clemens Papa Quintus cum vndecim Cardinalibus præſentibus & duobus, qui ſequuti fuerunt, cum compluribus Epiſcopis, Abbatibus & militibus Dolenſe Monaſterium viſitauit, & per duos dies ibidem moram contraxit. Agnus Dei magnam copiam conſecrauit. Iudæi exulati ſunt à regno Franciæ.

M. CCCVII. Fuerunt condemnati Templarij, & ordo eorum deſtructus per Clementem Papam, regnante Philippo.

M. CCCVIII. Obiit Ioannes de Yuernali Abbas & electus Guillelmus de Ceris.

M. CCCXXV. Obiit Guillelmus de Ceris Abbas huius loci XVII. Kalendas Nouembris. Eodem anno electus eſt Hugo *de Genetines*, ſed non obtinuit, quia Papa Ioannes XXII. reſeruauerat ſibi, & prouidit Eccleſiæ de Gaufrido de Ceris.

M. CCCXLII. Defecit Papa Benedictus, qui fuerat Papa per ſex annos, & fuerat natus in Manſo ſanctarum Puellarum, Diœceſis Carcaſſonenſis. Eodem anno fuit conſecratus Clemens Papa VI. die Dominicâ de S. Trinitate, & fuit natus in Caſtro de Malomonte in Diœceſi Lemouicenſi.

M. CCCXLIII. Obiit Fulcaudus de Rochechoard, Archiepiſcopus Bituricenſis, & fuit Archiepiſcopus Gaufridus de ſternis Lemouicenſis Diœceſis.

Anno M. CCCXLV. Fuit maxima multitudo Anglorum in Ducatu Guiennæ in tempore Paſchali, & acceperunt in regno Franciæ plura loca, & maximè villam de Nontron, & Bragayrac, & fuerunt per menſem apud Peyregnos, & poſteà retraxerunt, & fuit Dominus Ioannes de Francia, filius Regis Philippi Dux Normanniæ in dicta guerra, & retraxit ſe propter hyemem, & fuit à *Chaſtillon* ſuper Andram: & poſtea venit peregrinus B. Mariæ Burgi Dolenſis pedes de dicto Caſtro, & fuit in Capitulo Religioſorum, & Conuentus dedit ſibi vnam Miſſam quotidie ad Altare B. Mariæ Miraculorum, donec guerra finiretur pro pace, vel pro acceleratione fœderis.

Tum longo pòſt interuallo, recentiori manu.

M. CCCCLIX. Obiit Simon de Seris Abbas & electi ſunt Eurardus *de Zeron*, & Hugo Fume, Abbas de Bello loco; ſed prior obtinuit ex ceſſione alterius.

M. CCCCLXXVI. Obiit Eurardus *de Zeron*, & poſtulatus fuit Ludouicus de Combornio.

M.CCCCLXXXII. Obiit Ludouicus de Combornio Abbas huius Monaſterij, Protonotarius Sedis Apoſtolicæ. Electus fuit Frater Ioannes *Loubet* Prior de Sangiaco.

M. DI. Obiit Ioannes *Loubet*, & poſtulatus eſt in Abbatem Renatus *de Prie* Epiſcopus Bajocenſis, qui poſtea euectus eſt ad dignitatem Cardinalatus ſub Iulio ſecundo.

M.DII. Nonis Ianuarij obiit Andreas de Caluiniaco huius nominis vltimus.

M. DXVI. Adrianus *Gouffier* Cardinalis *de Boiſy* electus eſt in Abbatem iuſſu Regis. Eodem anno Maturinus *de Chauuigny* electus eſt in Abbatem B. Mariæ Exuldunenſis.

M. D.XX. Adrianus *Gouffier* Legatus & Abbas fecit ſuum iucundum aduentum.

M.DXXIII. Obiit D. Adrianus *Gouffier* die 24. Iulij, & electus eſt in Abbatem Iacobus *Loubé* die 15. Octobris.

M.D L. Obiit Georgius de Ambaſia Archiepiſcopus Rotomagenſis huius Monaſterij Abbas: ſucceſſit Cardinalis Robertus *de Lenoncourt*, qui commutauit cum D. Iacobo *Le Roy* Archiepiſcopo Bituricenſi ex domo *de Chauigny*, Diœceſis Turonenſis, cuius tempore Renatus *du Pleſſis*, ex domo *de Richelieu*, erat infirmarius Dolenſis Monaſterij.

DELATVS eſt ad me eiuſdem Viri clariſſimi operâ membraneus alter codex de Miraculis Beatæ Mariæ Dolenſis ab eiuſdem celeberrimi Monaſterij religioſo iam olim conſcriptus, in quo licet initio careat, fractis audaculæ manu primoribus folijs, pluſquam ducenta repertas prodigia Magnæ Matris erga ſibi deuotos amorem ac miſericordiam haud dubijs argumentis conteſtantia, ex quibus nonnulla, quæ cæteris eminere videbantur, deſcripta, tibi mox, Lector, apponam.

ANSEALDVS de Barbanſo famoſiſſimus eques in ſatellitio profano expertus eſt in ſe virtutem Dei Genitricis, & ita nobis confeſſus eſt. Ante quatuor annos in expeditione quadam Comitis Richardi vulneratus ſum faciem ſpiculo quadrato, quod oſſi maxillæ ſuperioris ita vehementer interſutum eſt & inhæſit, vt omnium Medicorum manus nutu deſperaret. Quid plura? Cicatrix vulneri obducta eſt. Septimana autem hac euoluta grauis ægritudo me vehementer afflixit: Heſterno verò ſabbato videlicet quod præceſſit Natiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ, dum cruciarer ægritudine & ferrum Chirurgi maxillæ meæ formidarem, repente conuerti me ad implorandum perpetuæ Virginis auxilium, votóque & fide dixi me eſſe hominem illius & per ſingulos annos vitæ meæ argenteum nummum pro ſeruitute illi ſolutum ire profeſſus ſum. Continuò ferrum illud quadratum diuinitus motum eſt & ſine dolore cecidit in os meum: aperto ore ſumpſi illud & aſtantibus oſtendi. Mirantur omnes & magnificauerunt Genitricem Dei, cuius pietas tanta beneficia etiam non merentibus impertitur. Mox equum aſcendi iuuamine meorum, nam morbi infirmitate longóque ieiunio mihi macerato defecerant vires. Ad hunc ſanctum locum veni pignus hominij mei vnum ſcilicet argenteum obtuli ſuper lapidem ſacrum. Retuli Monachis quæ circa me geſſerat Mater Domini benignitate conſueta. Monachi verò reſponderunt mihi quod hodiernâ Dominicâ huc redirem, mecúmque deferrem ſpiculum ad argumentum mihi beneficij collati. Ego autem ſpopondi, ſi vires ſufficerent, ita me facturum. Sic ingrediar ad altare Dominæ meæ, ibique reddam vota mea & profitebor biennij cenſum. Itaque fultus vtroque latere gradus altaris vtroſque ſuperaui. Igitur oratione completâ cenſúque ſoluto ſenſi me penitus ægritudinis moleſtiâ exoneratum. Et aio fulcientibus latus meum: Dimittite me, adminiculo veſtro non indigeo, virtus Dominæ meæ reſtituit mihi ſanitatem. Nunc verè ſcio, quia craſtino viſitabo locum iſtum & ſermonis mei deferam argumentum. Ego vobis illud oſtendo & ſicut mente ſpopondi, ita coram confiteor & ſacrilegam militiam in perpetuum abjuro. Hæc illo proſequente, multitudo equitum copioſa quæ illuc orationis causâ conuenerat, & plebs immenſa magnificabat Deum, eiuſque matris virtutem cum metu & lætitia glorificabat.

Dum talia cœlitus Dolis geruntur Rex Francorum vaſtabat Orientalem plagam quæ ſubjecta eſt Domino Caſtri-Radulphi: Caſtella, vici, &c. Tùm paulò pòſt.

Nunc euoluamus illud ſpeciale miraculum quod excellit priuilegio quodam & cuius causâ non dubito reliqua fuiſſe patrata. Tabeſcat inuidia blaſphema & tormento ſuo crucietur. Dominicâ die quæ præcedit Natiuitatem Præcurſoris Domini, PHILIPPVS Rex Francorum locauit tentoria ſua propè vicum Dolis. Non enim ſpatio dimidiæ leugæ castra diſtabant à vico. Et cum biduo ſequeſtri pro pace fruſtra laboraſſent, tertiâ feriâ videlicet Vigilia beati Ioannis Baptiſtæ duo Reges ſummo diluculo ordinauerunt acies ſuas ad pugnam. Tu noſti Beata Virgo, quid tuorum gemitus flagitarent, quid à te poſtularet cor contritum & humiliatum, & etiam illud præſignaueras quando cruor effluxit de imagine lapideâ filij tui, quando oram ſinus imaginis tuæ in diuerſa ſcidiſti. In articulo iſto pia Dei Genitrix oſtendiſti, quantum condoleres generi humano quod filij tui ſanguine pretioſo redemptum eſt & ſignatum. Iam coruſcabant enſes, arcus tenti expectabant ſagittas. In illo momento oſtendiſti virtutem tuam & benignitatem demonſtraſti. Equidem HENRICVS Rex Anglorum & RICHARDVS Comes filius eius acceſſerunt PHILIPPVM Regem & ſermone perſuaſorio cor illius permulſerunt. Acquieuit Regia pietas, & acceptam ſponſionem conſenſit, ne tot millium virorum ſanguis effunderetur. Itaque fœderis inita compoſitione vtraque pars illæſa & incolumis redijt ad ſua, prius tamen nobiles & ignobiles exercitus vtriuſque cum honore & reuerentiâ grates egerunt Matri Redemptoris. In hoc præcauit Dolenſi Eccleſiæ Virgo prudens & ſpeculatrix Sapientiæ Diuinæ, vniuerſale fecit ſpectaculum & ad ſuæ laudis præconium gentes innumeras congregauit, ad hoc ſcilicet, vt Comites, Principes, Reges, illuſtres, clariſſimi, ſpectabiles, & amplius quam centena millia potentia illius miracula & ciſmarinis & tranſmarinis gentibus nunciarent. Et horum teſtimoniis omnis dolus & perfidia retundatur, qui vniuerſa oculatâ fide cognouerunt: Nam ſi à Monachis inchoaretur huiuſce virtutis inauditæ prædicatio, contradicerent illis religionis hoſtes & nitorem atti mendacij nubilo contaminarent. Nec Romana Curia defuit huic ſpectaculo: nam duo Cardinales eius Soffredus & Bouo tranſegerunt in hoc Monaſterio hoc tempore quindecim dies, & hos docuit experientia miraculorum veritatem: nam quidam curſor eorum cruciabatur mirabiliter pedem, cui dolor vehementiſſimus perſuaſit vt cum fide locum ſacrum adiret, piæ Virginis opem imploraret. Qui factum quod vouerat implens, ſanatus eſt pedem integrè, & pro pede carneo cereum pedem obtulit beatæ Virgini, in argumentum receptæ ſanitatis. Hæc geſta ſunt ante fœderis optati lætitiam.

ASTRVVNT miraculorum veritatem Reges & Principes & occidentalis Europæ ferè vniuerſa multitudo. Perhibet & teſtimonium illuſtris filius Regis Anglorum & Cancellarius eiuſdem, qui perpetuæ Virgini Regio ſchemate conſtruit aulam. In cuius munificentia fulget magnificentia regalis: ſpero autem proculdubio quia penes Matrem Domini nobilis huius operis merces æternabit. Accingamur igitur narrationi, ſtiluſque noſter fungatur officio ſuo. In primis reuelemus, quod occultauimus vſque modo propter calumnias perfidorum. Teſtificantur enim aliqui fratres noſtri, quod in lapide priùs cruentato quaſi rècentis cruoris guttulæ ſæpiùs apparuerunt. Et hoc credimus diuinitus geſtum in aſſertione prodigij primi.

In caſtello cui nomen eſt Argentonio factum eſt diuinitus quod ſequitur. Vnicus cuiuſdam incolæ filius ferè triennis, languore correptus ad mortem vſque grauatus eſt. Itaque dum parentes nimio dolore æſtuarent, opem Matris Domini lacrymis & clamoribus inuocabant. Et ſi pietas eius infantulum reuocaret ad vitam, ipſum Dolis ei mancipatum ire vouerunt. Planctus illorum & eiulatus conuocauit vicinos vt obſequium pietatis præſtarent, cumque nulla caloris vitalis ſcintillula palpitaret in corpore, operuerunt ipſum linteolo & de more parabant exequias: ſed pater & mater extincti non ceſſabant clamoribus inuidioſis implorare Dei genitricis clementiam. Ecce redeunte ſpiritu corpus recaluit & infantulus motu ſe rediuiuum proteſtans manu properâ diſcooperuit faciem ſuam: luctus vertitur in lætitiam, mirantur omnes & laudant potentiam Matris Domini. Vt vero temporis opportunitas indulſit, pater & mater infantulum Dolis attulerunt, & ſicut vouerunt, illum Reginæ Cæli manciparunt.

Innumera deinceps Author ille eiuſce generis miracula recenſet, quibus omiſſis vnicum, quod agmen claudit, adſcribam.

Cùm RICHARDVS tunc Comes Pictauenſis à bellica congreſſione qua tenta-

uit expugnare viros fortes, quibus PHILIPPVS Rex Francorum Caſtrum Radulfi munierat, regreſſus,& ſpe fruſtratus fuiſſet, ſperabatur ab omnibus propter nimiam animoſitatem ſuam ad iterandam expugnationem acrioribus animis redire, vicum & vniuerſam terram Dolenſem euertere. Illi verò, qui in munitione poſiti erant hoc conſiderantes decreuerunt eumdem vicum cum ipſo Monaſterio bonis omnibus expoliare & ita deſtruere, ne Comes ſuperueniens aliquatenus ibi ſe recipere poſſet. Metu ſiquidem gemino plebs vniuerſa concuſſa ad ſingulare & ſolitum Dei genitricis confugiens patrocinium,euacuatis propriis domibus,Monaſterium ſanctum ciſtis & arcis atque diuersâ ſupellectile implet. Quod quædam mulier attendens ſpiritu cupiditatis arrepta ſe populo ingredienti immiſcuit, ciſtas & arcas adulterinis clauibus aperiens, & ab eis repoſita furtim ſubripiens. Et vt fraudem ſuam nemo perciperet ſimulatâ religione candelás more peregrinorum ſæpius altaribus offerebat togans Capicerium & eos qui altaria obſeruabant, ne luminaria ſua permitterent extingui. Dum ergo in templo tantum ſcelus tali fraude non timet impudens mulier actitare, quæ humanos oculos fefellerat,Beatæ Mariæ aſpectum decipere non valuit. Nam inter manus furta reportans tandem interecepta, Vicario, ad quem ex officio iſtud pertinebat, cuſtodienda mancipatur. Cumque per aliquot dies teneretur in vinculis ab eis qui eam cuſtodiebant audita eſt clamores & gemitus emittere,aſſerens ſe miſeram vehementi ardore cruciari, qui conſuetam doloſitatem ei improperantes,credebant illius dolorem doloſum eſſe. Interim Domnus Geraudus tunc Abbas habito cum Militibus & Iuriſprudentibus de illius punitione conſilio è domo adduci præcepit. Ad quam accedentes ingemiſcentem pedes eius & tibias aſpiciunt ampullatas, & ignis ardore denigratas. Et confeſtim non ſine ſtupore regredientes; quæ viderant,retulerunt. Quibus auditis Abbas, & qui cum eo erant diuino iudicio iam priuatam humano ſubijcere tormento non audentes,decreuerunt vt abjurato burgo abire,quo vellet, permitteretur. Data deinceps recedendi licentiâ ſoluta à vinculis vix de terra ſurgere valens baculo ſubnixa pergere cœpit. Quæ cum ad cœmeterium nouum claudicans & penè ruens acceſſiſſet & vlteriùs igne & dolore ingraueſcente progredi non poſſet, in dolio ibi fortè expoſito ſe recipiens nocte iam propinquante flens & eiulans procubuit. Cuius vociferationes à tranſeuntibus auditæ facto manè cùm populo in Palatio congregato innotuiſſent, Petrus de ſancto Dionyſio & plures alij ad eam intuendam perrexerunt. Cuius doloribus & miſeria permoti ad Palatium coram imagine Beatæ Mariæ,detulerunt, atque in tugurio, de quo ipſam imaginem reſpicere poſſet, depoſuerunt. Concurrit vndique ſexus vterque ad ſpectaculum, euidentem vindictam & terribilem cum admiratione aſpiciens, & audiens miſeram proferentem in auribus omnium reatum ſuum, inuocantem totis niſibus miſericordem Reginam. Verùm occulto Dei iudicio zelantis ſuæ matris iniuriam,& vt hæc videntes ſimilia non auderent attentare, ignis edax corpus miſerum membratim depaſcitur: poſt coxarum & femorum lacerationem cum exhalatione fœtida & intolerabili latera & ventrem occupans,brachia quoque & manus. His ita ſe habentibus Florentius, Seneſcallus Caſtri-Radulphi, miſſis ſatellitibus ſuis edicto Regio iuſſit omnia bona tam de Monaſterio quam vico Dolenſi ſine dilatione rapi & in caſtellum transferri,frangi dolia, effundi vina, vniuerſa importabilia comminui. Sed cùm turba ſatellitum burgum rapido curſu intrans ea, quæ in Monaſterio erant, primò diripere diſpoſuiſſet, venit ad Palatium, intuetur oculata fide laceras & fœtentes carnes, perquirit cauſam & ab ipſa patiente audit ſtupenda & timenda. Quibus auditis inſpectiſque ſtupefacta & vacua ad Dominum ſuum reuertitur, quid viderit, quare iuſſa non compleuerit, exponit. Sed Seneſcallus nec quicquam eis credens, comminans & quaſi furibundus factus, ait, Ego quidem propriis oculis quæ aſſeritis, verum vera ſint, experiri feſtinabo; ſed ſi aliter inuenero, condignam vltionem veluti Regij edicti contemptores ſentietis. Quo dicto feſtinus multis ſtipatus ſodalibus accedit ad ſtupendum ſpectaculum, & ſupra quàm audierat rem terribilem inſpiciens tremebundus accedit ad valuas Monaſterij propter merum rapientium obſeratas & eas humiliter ſibi poſtulat aperiri. Accedit deinde cum maxima reuerentia ad ſanctiſſimum altare Matris Domini, & facta oratione ſignatus, ſicut ipſe ſuppliciter petierat, ſanctorum reliquiis, ad valuas rediens, clauſas repetit. Superfluum eſt inquit amodo vt ianuæ iſtæ vel obſerentur vel obſeruen-

tur, quas tam terribili cuſtodia Beata Maria noſcitur obſeruare. Hæc dicens non ſolum à rapina, & deſtructione quam ſuis ſatellitibus imperauerat, abſtinet, ſed facto edicto Monaſterium & burgum cum omnibus rebus ſuis ſaluum & quietum exiſtere decreuit. Non ceſſat interim ignis rabies, quod ſupererat miſerrimi corporis, conſumere, adeo vt horrorem carnium cum ſanie defluentium oculi circumſtantium ſine lacrymis videre nequirent, nares fœtorem ſine pœna ſentire, aures querelas atque ſuſpiria patientis ſine compaſſione non poſſent audire, in quibus cum ferè per vndecim dies perduraret, tandem ex toto conſumpta emiſit ſpiritum.

ATQVE, hæc è multis pauca ſufficiant ſtrictim delibata, vt cætera Magnæ Matris in Dolenſi Monaſterio admiranda facta ex hac veluti promulſide quiuis deguſtare facilè poſſit.

CATALOGVS PRÆSVLVM EBORACENSIVM IN ANGLIA.

Ex Codice MS. Epiſtolarum Iuonis Ep. Carnotenſis.

ANNO ab Incarnatione Domini DCXXVII. Rex Eadvvinus prædicante Paulino baptizatus eſt. Et Paulinus per ſex annos continuos verbum Dei in Northanhymbrorum prouincia prædicabat. Deinde occiſo Rege Cantiam, vnde venerat rediit. Ipſe Eboracenſis primus Præſul ab Honorio Papa pallium acceperat, ordinatus à Iuſto Archiepiſcopo.

Recedente Paulino Eboracenſis Eccleſia proprium non habuit Epiſcopum, ſed Lindisfarnienſis Eccleſiæ Præſules Aidanus, Finanus, Colmanus & Tuda totius Horthanhymbrorum prouinciæ adminiſtrauerant Pontificatum.

Tertio autem anno Epiſcopatus Colmanni qui eſt triceſimus annus Pontificatus Scottorum in Anglia, finito conflictu de obſeruantia Paſchali miſſus eſt Wilfridus ab Alfrido Rege in Gallias vt ordinaretur Epiſcopus. Quo adhuc tranſmarinis in partibus demorante conſecratus eſt in Epiſcopatum Eboracenſis Eccleſiæ Ceadda, & tribus annis ſublimiter regens Eccleſiam, dehinc ad Monaſterium ſuum in Leſtingaen ſeceſſit, accipiente Wifrido Pontificatum totius Northanhymbrorum prouinciæ.

Interea mortuo Regi Oſuino ſucceſſit filius eius Hecfridus in regnum. Qui poſt Beatam Etheldritam, quam nomine tenus conjugem primo duxerat, Ermenburgam ſortitus eſt in matrimonium. In cuius corde malignus hoſtis ſibi hoſpitium fecerat, vbi odiorum & inuidiæ contra beatum Wlfridum conficiens fomenta, per linguam mulieris incendit animam regis ad expulſionem vſque Pontificis; ſed quia rex Pontificem de ſua ſede præter conſenſum Theodori Archiepiſcopi pellere nequibat, mandauit Archiepiſcopo vt adeſſet. Auditis quas accuſatores finxerant cauſis, pulſus eſt ab Epiſcop. VVlfridus anno ab Incarnatione Domini DCLXXVII. qui eſt annus ſui Epiſcopatus duodecimus, & per decennium exulauit.

Secundo autem regni anno Aldfridi qui poſt fratrem Hecgfridum regnauit ſedem & Epiſcopatum recepit, ſed poſt quinque annos denuo accuſatus ab eodem rege & plurimis Epiſcopis Præſulatu pulſus, beato Ioanne iam pro defuncto Boſan Eboraci ſubſtituto. Quatuor poſt hæc annis ſuperuixit beatus VVlfridus habens in Epiſcopatu XLV. annos.

Poſt quem ſuſcepit præſulatum Hoguſtaldenſis Eccleſiæ venerabilis eius Preſbyter Acca. Beatus vero Ioannes cum majore ſenectute minus Epiſcopatui adminiſtrando ſufficeret, ordinato in Epiſcopatu Eboracenſis Eccleſiæ VVilfrido Preſbytero ſuo ad Monaſterium, quod in ſilua Derorum eſt, ſeceſſit, ibique in pace terminauit vitam. Manſit autem in Epiſcopatu XXXIII. annis. At VVilfridus peractis ſui Epiſcopatus quindecim annis, ſucceſſorem habuit Hecgbertum, virum de regio ſemine nobilem & induſtrium, qui poſt Paulinum primus ab Apoſtolica ſede accepit pallium ſeptimo anno regni Ceoolulfi regis, centeſimo tertio anno poſt diſceſſum Paulini, hoc eſt anno Dominicæ Incarnationis DCCXXXV. Quo anno venerabilis doctor Beda obiit in Gyruum.

Porro Archiepiſcopus Ecgbertus XXXII. accepti Epiſcopatus anno ab Adriano Papa acceperat Pallium, ſeptimo anno regni Alcredi Regis. Quo videlicet Alberto XIV. ſui præſulatus obeunte Eanbaldus ordinatur pro illo anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXX. regnante Aelfunaldo.

Anno autem Incarnationis DCCXCVI. Eanbaldus XVII. ſui Archiepiſcopatus anno moriens, alterum Eanbaldum, qui eiuſdem Eccleſiæ Preſbyter fuerat, ſucceſſorem reliquit, regnante Eardalfo.

Poſt Eanbaldum Wlſius rexit Archiepiſcopatum Eanredo regnante. Moriens autem VVlſius VVimundum habuit ſucceſſorem, præfato Rege regnante. Cui XVI. Epiſcopatus ſui anno morienti VVlſhere ſucceſſit in Archiepiſcopatum.

His temporibus infinita barbarorum manus nauibus abducta in Angliam, ferro & igne vaſtauerunt. Eboracum veniens oppugnabat ciuitatem, vaſtantes omnia per circuitum. Paulo ante aduentum illorum Northſbrani expulerant Regem ſuum ſubſtituto in regnum Ella quodam Regij ſeminis extraneo. Sed inſtante neceſſitate reuocauerunt expulſum, & tam ille quàm alius qui pro eo ſubſtitutus fuerat adunatis totis viribus Northanhymbrorum apud Eboracum bello contra hoſtes agentes, non ſine magna inimicorum ſtrage vrrique Reges pene cum ſuis omnibus perierunt. Reliquis qui ſuperfuerant Pagani præfecerunt ſub dominio ſuo Regem Ecgbertum, reconciliatis ab eis hoſtibus. Inter has ſtrages remotius ſe agebat apud Haddingham Epiſcopus. Hac tempeſtate paſſus eſt martyr Eadmundus.

Poſt ſeptem autem annos Northumbrani, vno conſpirantes conſilio Regem ſuum Ecgbertum cum Epiſcopo VVlſhere de finibus ſuis propulerunt, & quendam Richſig in regnum ſubſtituunt. Deinde poſt annum Ecgberto Rege defuncto in ſedem ſuam & Eccleſiam reuertitur Epiſcopus. Qui XLVII. accepti Epiſcopatus anno vita decedens Ethelboldum habuit ſucceſſorem anno Incarnationis DCCCC.

Athelbaldus verò quarto, poſtquam acceperat Pontificatum, anno pallium accepit, regnante Eaduuardo filio Elfredi Regis.

Defuncto autem Athelbaldo ſucceſſit Lotheuuardus. Poſt quem VVlſtanus rexit Eccleſiam, regnante Eadredo fratre Ethelſtani Regis. Cui ſucceſſit Oſcytellus, & per XVI. annos Eccleſiam regens habuit ſucceſſorem Etheluuoldum, regnante Eadgaro Regis Eadmundi filio. Sed cum idem Ætheluuoldus quietiorem vitam magis diligeret, Oſuualdus ſuſcepit Eccleſiæ regimen, anno Incarnationis DCCCCLXXI. Sequenti autem anno Romam veniens à Papa Benedicto pallium accepit.

Poſt Oſuualdum iſti ſibi ordine ſucceſſerunt Aldulfus, VVlſtanus, Aelfricus, Kinſiris, Aldredus, Thomas, Geraldus, Thomas.

CHRONICON ENGOLISMENSE,

Exſcriptum ex Codice Conciliorum Bibliothecæ Tilianæ, Ab anno DCCCXIV. ad DCCCCXCI.

DCCCXIV. quinto Kalendas Februarij, Karolus Auguſtus moritur, & Hludouicus filius eius Imperium aſſumpſit. Indictio VIII. Epacta XVIII. I. Septembris.

DCCCXVI. XVI. annus Decemnoualis cycli hic incipit.

DCCCXXV. Hilbodus Abba efficitur.

DCCCXXXIV. Menſe Iunio Herus inſula à generali Monachorum habitatione deſtituitur. Oddo Comes cum Lamberto congreditur, & occiditur.

DCCCXXXV. Hero Inſula Rainaldus XIII. kal. Sept. cum Normannis congreditur.

DCCCXXXVI. S. Filibertus VII. Idus Iunias Hero inſula effoditur & transfertur.

DCCCXXXVIII. Pipinus Rex hominem exuit.

DCCCXXXIX. Arnulfi Abbatis aduenit hora.

DCCCXL. Tertio Nonas Maij quarta feria, hora octaua Eclipſis Solis efficitur, & XII. Kalendas Iulias Hludouici Imperatoris hora terminatur.

DCCCXLI. Septimo kalendas Iulias Hlotarius Imperator cum Carolo & Hludouico ſuis fratribus in bello congreditur, & terga verſus, Francorum ſtrages efficitur.

DCCCXLIII. Iudith Imperatricis anima egreditur. Rainaldus IX. kal. Iulias occiditur. Nanneris, ciuitas à VVesfaldingis capitur. Karolus prima vice partibus Britanniæ proficiſcitur.

DCCCXLIV. Bernardus & Heruæus occiduntur.

DCCCXLV. Sigoinus Comes à Normannis capitur & occiditur, & Santonas ciuitas concrematur, & theſauri eius exportantur optimi. Karolus ſecunda vice Britanniam proficiſcens cum Nomenoio congreditur.

DCCCXLVI. Herus inſula menſe Iulio à Normannis ſuccenditur.

DCCCXLVII. Normanni quarto Kal. Aprilis Dias Monaſterium incendunt.

DCCCXLVIII. Burdigala ciuitas à Normannis capitur & ignibus crematur.

DCCCL. Karolus tertiâ vice Britanniam magno cum exercitu perrexit, & Nomenoius Redones, & Nannetis capiens, partem murorum portaſque earum deſtruxit.

DCCCLI. Nomenoius iubente Deo ab Angelo iniquitatis Nonis Martij permiſſus interiit. Karolus quarta vice Britanniam repetens, cum Eriſpoio filio Nemenoij certamen init XI. kal. Septembris, partemque exercitus cum Viuiano Duce amiſit.

DCCCLII. Lambertus à Gauſberto kal. Maij occiditur. Ranulfus & Raino pridie Nonas Nouembris ad Briliaco villâ cum Normannis dimicant. Menſe Martio Gauſbertus occiditur.

DCCCLIII. Lucionnus menſe Maij à Normannis ſuccenditur, & menſe Iunij ſancti Florentij Monaſterium: & Namnetus ciuitas, Turonis quoque ſimiliter exuruntur.

DCCCLX. Obiit Elias Scotus Epiſcopus X. Kal. Octobris, qui detulit corpus S. Benigni martyris Engoliſmæ ciuitati.

DCCCLXIII. IV. Nonas Octobris Turpio Comes miles fortiſſimus defenſórque optimus, vir magnificus, amator Clericorum, Eccleſiarum ædificator, pauperúmque recreator, cum Normannis congreditur, & occiſo Mauro, ab illo occiditur: & tota illa regio à Normannis capitur & ſuccenditur.

DCCCLXIV. X. Kal. Ianuarij Domni Gerbaldi Epiſcopi anima ſublimatur ad æthera: raptus ideò, ne mutaretur malitiâ.

DCCCLXIV. Emeno cum Landrico congreditur XVIII. kal. Iulias, & occiſo Landrico, Emeno ſaucius ad Caſtrum regreditur ſuum, & poſt dies octo debitum naturæ perſoluit X. Kal. Iulij.

DCCCLXVI. Migrauit ad Chriſtum Anatolus Laicus bonæ memoriæ.

DCCCLXVIII. Tanta inedia omnium pene fuit Prouinciatum, & exiguitas panis, vt pro inopia victus homines infinitæ multitudinis fuere à comparibus interempti, atque beſtiarum more dentibus laniati. Et in ipſo anno pridie kal. Iunij Æquiliſina ciuitas adgreditur reædificari.

DCCCLXX. Lotharius Imperator rebus humanis exemptus. Hludouicus ſuus patruus ſumpſit Imperium. *Errat.*

DCCCLXXIV. XIX. Cyclus nouennalis eſt hic, VII. Indictio, nulla Epacta, Concurr. IV. clauis XVII. Terminus Nonis Aprilis Paſchæ dies III. Idus Aprilis Luna XX.

DCCCXCVI. Vulerinus Comes obiit.

DCCCXCII. Tertio Nonas Septembris Oliba Epiſcopus obiit.

DCCCXCV. Anatolus Epiſcopus obiit XII. Kal. Maij.

DCCCCXVI. Ilduinus Comes obiit VI. kal. Aprilis.

DCCCCXVIII. Quarto Idus Aprilis Lambertus Vicecomes, & Arnaldus frater eius gladio ſunt trucidati.

DCCCCXXII. Tertio Idus Iunij Iſlo ſacer obiit.

DCCCCXXIX. Septimo Idus Ianuarij obiit Eroigius Archidiaconus:

DCCCCXXX.

DCCCCXXX. Quarto Nonas Aprilis Ademarus Comes obiit.
DCCCCXL. Decimo Kal. Aprilis obiit Gumbaldus Epiſcopus, qui ſedit annos XLIII. dies XXI.
DCCCCLI. Indictione IX. quarto Idus Februarij Domnus Fulcaldus Epiſcopus migrauit à ſæculo, qui ſedit annis XII. menſibus XI. diebus decem.
DCCCCLVIII. Vnbertus Clericus frater Hugonis Ep. conſummationem peregit.
DCCCCLXII. Octauo Idus Aug. VVillelmus Comes valdè amantiſſimus obiit.
DCCCCLXIV. XV. kal. Febr. Eblo Epiſcopus glorioſam vitam finiuit: ſed glorioſiorem in Chriſto percepit. Hic ſedit annos XII. menſes IX. dies XVI.
DCCCCLXX. Septimo kal. Octobris, Bernardus Sacerdos obiit.
DCCCCLXXIII. Tertio kal. Aprilis obiit Aleduſ,& XIX. kal. Februarij Ranulfus Epiſc. obiit, qui ſedit annis nouem, menſibus nouem, diebus tredecim.
DCCCCLXXIV. Tertio Kal. Apr. Hugo Pontificali ordine Sacerdor. eſt functus.
DCCCCLXXV. Sexto kal Auguſti Ramnulfus Comes gladio eſt interfectus.
DCCCCXXC. Indictione VIII. V. Id. Apr. Elias Archid. migrauit ad Dominum.
DCCCCXXCI. XIII. Kal. Martij Monaſterium S. Petri Apoſt. maret Eccleſia Engoliſm. vrbis, eum tribus Eccleſ. & magna parte ipſius ciuitatis incendio exuritur.
DCCCCXXCVII. Indictio XV. Epacta XVIII. Concur. V.
DCCCCXC. Octauo kal. Decembris obiit Domnus Hugo Epiſcopus.
DCCCCXCI. Tertio Kalendas Octobris Grimoardus Pontificali ordine Sacerdotio eſt functus.

CHRONICON FISCANENSE.

Ab anno Chriſti primo ad 1220. Cum Appendice Brennacenſi ad 1246. ex veteribus membranis, quæ penes me ſunt.

ANNI ab Adam primo homine vſque ad Ninum Regem, quando natus Abraham ſunt anni 3084. qui ab omnibus Hiſtoriographis nuncupantur. A Nino ſiue ab Abraham vſque ad Cæſarem Auguſtum, id eſt vſque ad Natiuitatem Chriſti quæ fuit tempore eius pace facta cum Parthis, bellisque toto orbe ceſſantibus, fuerunt anni 2015. in quibus inter ſe ſcriptores artium otia negotiáque triuerunt. Anno ab vrbe condita 752. D. N. Virgo beatiſſima peperit D. N. IESVM CHRISTVM Octauiani Cæſaris 42. *Cætera quæ ſequuntur vulgaria ſunt, & Amanuenſis imperiti negligentia ad epochas Chronicas vitioſiſſimè illigata, vt ſæpè decem, viginti, aut plurium etiam annorum immanibus prochroniſmis vel metachroniſmis à recto veritatis tramite aberret. Pauca duntaxat ſeligam atque ea præſertim quæ ad Fiſcanenſes Abbates ac Normanicam Hiſtoriam ſpectant, quæ fuſiùs repetas ex Chronico Rotomagenſi,* quod infra ſuo loco adiungetur.

415. Hisdiebus per ſanctum Gamalielem Luciano Preſbyreto reuelatum eſt corpus S. Stephani,& perplures Eccleſias Occidentis delatæ ſunt eius reliquiæ.
486. *Lege* 496. Baptizatur Clodoueus à B. Remigio Remenſi Archiepiſcopo.
544. Obiit S. Benedictus pater Monachorum.
584. Clotarius filius Chilperici Rex eſt Francorum.
636. *Lege* 646. S. Audoenus ordinatur Epiſcopus.
679. Obiit Theodericus, ſuccedit Clodoueus.
876. Venit Rollo Dux Daniæ in Neuſtriam eum ſuis volens eam ſibi acquirere.
898. Obſedit Rollo Carnotum, ſed Ep. VVaſquelinus Ricardum Burgundiæ Ducem,& Ebaldum Pictauenſem Comitem in ſuum auxilium vocans Camiſiam S. Mariæ in manibus ferens fugauit Rollonem.
912. Facta eſt pax inter Karolum & Rollonem, deditque ei Karolus filiam ſuam, de qua nullum habuit filium.
918. Obiit VVillelmus Dux Aquitanorum qui Cluniacum conſtruxit Monaſterium in honore Petri & Pauli.
943. VVillelmus Dux Normannorum dolo occiditur ab Arnulfo Comite Flandrenſi, ſuccedit Ricardus filius eius.
963. Girardus Abbas obiit apud Cluniacum.
998. Obiit Ricardus Dux Normannorum, ſuccedit Ricardus filius eius.
1001. Willermus primus Abbas Fiſcampi.

1014. ſcribe 1024. Obiit Henricus Imp. ſuccedit Conradus.

1026. Obiit Ricardus Dux Normannorum, ſuccedit frater eius.

1028. Ioannes Abbas Fiſcampi ſecundus.

1031. Obiit Robertus Rex Francorum, ſuccedit Henricus filius eius.

1035. Obiit Robertus Dux Normannorum, ſuccedit Willelmus filius eius ſpurius, qui eo quòd eſſet cognatus Regis Eduardi Angliam acquiſiuit.

1039. Obiit Conradus Imp. ſuccedit Henricus filius eius.

1056. Incepit locus de Karitate.

1058. Facta eſt donatio ſancti Gabrielis.

1060. Obiit Henricus Rex Francorum, ſuccedit Philippus filius eius.

1064. Cenomanis ſubiugata eſt à Normannis.

1067. VVillermus Dux Norm. Rex fit Angliæ occiſo Haroldo.

1068. Maurilius Arch. Roth. obiit, ſuccedit Ioannes.

1078. Obiit Ioannes Abbas Fiſcampi, ſuccedit VVillelmus Abbas tertius.

1083. Obiit Mathildis Regina Anglorum, vxor VVillermi Regis, filia Balduini Comitis Flandriæ.

1087. Obiit VVillermus Rex qui Angliam acquiſiuit, ſuccedit VVillermus filius eius.

1090. Venerunt Monachi de Caritate.....

1093. Conſtructio ſanctæ Fidei Longæuillæ.

1099. Capta eſt Ieruſalem. Obiit VVillermus iunior, ſuccedit Henricus.

1104. Venit Robertus Dux in Angliam volens eam ſibi acquirere.

1105. Dedicatio de Caritate à Paſchali Papa 7. Idus Martij.

1106. Henricus Rex Anglorum cepit Robertum Ducem fratrem ſuum.

1108. Obiit Philippus Rex Franciæ, ſuccedit Ludouicus filius eius.

1116. VVillelmus Comes Niuernenſis captus eſt.

1120. Redeunte Rege Henrico in Angliam, VVillermus filius eius cum electa nobilitate militum ſubmerſus eſt in mari.

1127. Gaufridus Comes Andegauenſis duxit Imperatricem Mathildem.

1128. Obiit VVillermus Normaunus Comes Flandriæ, & Gaufredus Roth. Arch. ſuccedit Hugo.

1130. Henricus factus eſt VVintonienſis Epiſcopus.

1131. Dedicatio Eccleſiæ Cluniacenſis ab Innocentio Papa II.

1133. Natus eſt Henricus primogenitus Gaufridi Comitis & Mathildis Imperatricis menſe Martio.

1134. Obiit Robertus Cortehuſe, frater Regis Henrici apud Gloceſtriam.

1135. Obiit Henricus Rex Anglorum, ſuccedit Stephanus nepos eius.

1137. Obiit Ludouicus Rex Francorum, ſuccedit Ludouicus filius eius.

1139. Mathildis Imp. venit in Galliã cum fratre ſuo Roberto Comite Gloceſtriæ.

1141. Captus eſt Rex Stephanus 4. Kal. Febr. & kal. Nouembris liberatus eſt per Henricum fratrem ſuum VVintonienſem Epiſcopum.

1144. Crucifixus eſt puer quidam à Iudæis apud Noruicum.

1147. Obiit VVillermus Comes Niuernenſis.

1151. Obiit Gaufredus Comes Andegauenſis.

1153. Obiit Comes Theobaldus.

1154. Obiit Stephanus Rex Anglorum, ſuccedit Henricus filius Matildis Imp. filiæ Regis Henrici.

1157. Henricus Rex duxit exercitum in Grauelinges.

1158. Rex Franciæ dedit filiam ſuam Henrico filio Regis Angliæ.

1159. Henricus Rex duxit exercitum ad Toloſam.

1160. Maria Abbatiſſa filia Regis Stephani nupſit Matthæo Comiti Boloniæ.

1162. Thomas Cancellarius conſecratus eſt Arch. Cantuarienſis.

1163. Dominica prima poſt Pentecoſten Turonis Concilium celebratur ab Alexandro Papa.

1164. S. Thomas ſubiit exilium.

1165. Natus eſt Philippus filius Regis Ludouici.

1167. Matildis filia Regis nupſit Henrico Duci Saxoniæ.

1169. Fundata eſt Abbatia ſanctæ Mariæ de VValemont à Nicolao de Stoteuilla.

1170. Henricus primogenitus Henrici Regis coronatus eſt à Rogerio Eboracenſi Archiepiſcopo.

1171. S. Thomas Cant. Arch. migrat ad Chriſtum.

1172. Obiit Henricus Wintonienſis Ep. & Rex transfretauit in Hiberniam poſt feſtum ſancti Michaëlis, Nicolai.

1173. Reuerſus eſt Rex de Hibernia & transfretauit in Normanniam. Dedicatio Eccleſiæ de Wallemont.

1174. Rex Scotiæ captus eſt.

1175. Ludouicus Rex & Henricus Iuuenis Rex obſederunt Rotomagum cum nobilitate Francorum.

1176. Facta eſt pax inter Regem & filios ſuos.

1179. Ludouicus Rex venit ad S. Thomam & coronatus eſt Philippus filius eius. Fit noua moneta in Anglia.

1180. Obiit Ludouicus Rex Francorum, ſuccedit Philippus filius eius.

1183. Obiit Iuuenis Rex Henricus.

1185. Obiit Robertus de Stoteuilla.

1188. Diſcordia inter Reges Philippum & Henricum. Cruces pro pace ſumpſerunt.

1189. Obiit Henricus, ſuccedit Ricardus filius.

1190. Rex Philippus & Rex Ricardus ierunt Ieruſalem cum electa nobilitate militum.

1192. Rediit Rex Philippus de Ieruſalem & cepit caſtrum Gizortij, & alia oppida in Normannia.

1193. Captus fuit Rex Ricardus in Alemania.

1195. Rediit Rex Ricardus liberatus à carcere, & liberauit caſtra ſua in Angliâ de manu Ioannis fratris ſui qui ea tenebat, & fugauit Regem Philippum qui intrauerat Normanniam. Captus fuit Epiſcopus Beluacenſis.

1199. Rex Ricardus occiditur apud Limoziam. Succedit Ioannes frater.

1200. Facta eſt diſcordia inter Reges Philippum & Ioannem. Combuſta eſt Eccleſia Rothomagenſis cum ciuitate.

1201. Ludouicus filius Philippi Regis duxit vxorem pro pace neptem Ioannis Regis, & fit pax.

1202. Comes Flandriæ Balduinus fecit morã apud Venetias, volens ire Ieruſalem. Hic iterum fit guerra inter Reges Philippum & Ioannem. Capitur Arturus.

1204. Rex Ioannes perrexit in Angliam & Rex Philippus intrauit Normanniam & reddita eſt ei.

1207. Rediit Rex Ioannes in Aquitaniam & cepit oppida multa.

1209. Ludouicus nouus miles. Chriſtiani ierunt contra Albigenſes & præfuit eis.

1214. Vicit Philippus Rex Francorum Ferrandum Comitem Flandriæ & Othonem qui fuit Imperator.

1215. Synodus vniuerſalis Romæ ſub Innocentio Papa.

1220. Tranſlatio ſancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi Nonis Iulij.

Hæc Fiſcanniaut apud VVallemontenſe Cœnobium primum exarata delata ſunt Brennacum, vbi quæ ſequuntur, dubio procul omni deſcripta ſunt diuersâ prorſus manu à præcedentibus.

1204. Obiit Agnes Comitiſſa Branæ.

1218. Obiit Robertus Comes Drocenſis & Branæ filius Agnetis Comitiſſæ, & ſuccedit Robertus filius eius.

1223. Philippus Rex Franciæ obiit: ſuccedit Ludouicus filius.

1226. Ludouicus obiit: ſuccedit Ludouicus filius eiuſdem Ludouici.

1227. Henricus filius Roberti Comitis Branæ electus eſt in Arch. Remenſem.

1229. Facta eſt diſcordia inter Reginam & Clericos Pariſienſes, & multi ſubmerſi fuerunt in Sequana.

1230. Facta eſt diſcordia inter Regem Franciæ & Petrum Comitem Britanniæ, & fuit Rex cum tota nobilitate Francorum & Britannorum, & iterum facta eſt pax inter Regem & Comitem. Eodem anno facta eſt diſcordia inter Comitem Campaniæ, & Philippum Comitem Boloniæ, & Comitem Robertum, & alios nobiles Franciæ, qui tranſierunt Matronam, & combuſſerunt totas villas de Sparnaco, de Virtutibus & de Seſanna, & fugarunt Comitem Campaniæ, & in reditu obſederunt caſtra de

... & de Fimes, & ceperunt ea, & ſuccenſa eſt turris de Fimes.

1233. Obiit Philippus Comes Boloniæ, & in die quadrageſimo pòſt Comes Robertus dominus Branæ obiit, & ſuccedit Ioannes filius eius.

1238. Comes Campaniæ, Comes Britanniæ, Dux Burgundiæ, & alij nobiles Franciæ ierunt vltra mare contra Paganos, & capti fuerunt Comes Barri, & Comes Montisfortis.

1239. Obiit Henricus de Brana Archiepiſcopus Remenſis.

1242. Facta eſt diſcordia inter Regem Franciæ & Comitem de Marchiâ, & Rex Franciæ cum maxima nobilitate Francorum iuit in Marchiam, & cepit oppida multa, & iterum facta eſt pax inter Regem & Comitem. Eodem anno deſponſauit Ioannes Comes Branæ filiam Erchembaldi de Botbonio.

1245. Celebrata eſt ſancta Synodus Lugdunenſis à Domino Innocentio Papa IV. in Eccleſia S. Ioannis & Fredericus caſſatus, & Rex Franciæ Cruce ſignatus.

1246. Tranſlatum eſt corpus ſancti Euodij in Monaſterio Caſtri Branæ per venerabiles Patres Sueſſionenſem & Laudunenſem Epiſcopos, procurante domno Gerardo Abbate dicti loci in capſam quam fecit idem Girardus fieri, adſtante plebis multitudine copioſâ.

CATALOGVS ABBATVM FISCANENSIVM.

Ab anno circiter Æræ Chriſtianæ Milleſimo: ex veteribus Schedis exſcriptus & deductus ad noſtram vſque ætatem.

I. VVILLERMVS Abbas Monaſterium rexit per annos 29. in eodem ſepultus, in Capellâ S. Mariæ Magdalenæ.

II. IOANNES Dalye Italia progenitus Hieroſolymam profectus, ibique diu detentus in carcere, ad Monaſterium rediit, obiitque anno 51. ſepultus in Capella B. Ioannis Baptiſtæ.

III. VVILLERMVS la Pucelle, Bajocenſis Diœceſis, Bajocenſis Archidiaconus, poſtea Cadomi Monachus, tum Abbas Fiſcanenſis electione Guillelmi Regis, maximam Eccleſiæ partem compleuit: præfuit annis 29. ſepultus in Capella B. Mariæ Virginis.

IV. ROGERVS apud Argentias ortus in Diœceſi Bajocenſi, rexit annos 31. Monaſterium de prædeceſſoris ſui abſentia deſolatum, ſepultus in Capella S. Martini.

V. HENRICVS de Suilly ex ſorore Regis Angliæ Henrici I. progenitus, dominus & hæres fuit de Suleyo, moritur anno ſuæ ordinationis 49. ſepultus in Capella S. Petri.

VI. RADVLFVS ortus apud Argentias in Diœceſi Bajocenſi medietatem nauis Eccleſiæ, & duas turres aceruorum conſtruxit, rexit annis 30. ſepultus propè altare S. Taurini, ſub tumba ærea à ſolo eleuata.

VII. AIGARDVS Radulfi nepos & diſcipulus in eadem villa progenitus rexit annos tantùm duos & dimidium. Sepultus in Capella S. Nicolai. Portionem vini tertia parte Monachis auxit.

VIII. RICARDVS Morin apud Palues natus in Diœceſi Rotomagenſi, vir valdè ſimplex poſt annos quinque coactus reſignauit. Per Romanum nomine legatum poſt aliquas diſſenſiones electus eſt ſucceſſor. Sepultus eſt in Capella S. Martini.

IX. GVILLELMVS Vaſpail, ex Priore S. Audoëni Rotomagenſis electus, natus propè Cadomum in villâ Ros, Bajocenſis Diœceſis, vir apprimè literatus, rexit annis 31. Vocatus ad Concilium contra Fridericum Imperatorem, ab eo cum aliis incarceratus pecuniáque redemptus ad Monaſterium rediit. Miſit Pariſius Scholaſticos bonos & famoſos quibus ſe bene monetalem. Sepultus in Capella B. Mariæ verſus Capellam ſancti Andreæ.

X. RICARDVS de Treigoz, apud villam eius nominis ortus in Diœceſi Conſtantienſi præfuit annis 26. ſepultus in Capella B. Mariæ ad ſiniſtram partem.

XI. GVILLELMVS de Putot natus apud villam Putot Bajocenſis Diœceſis; præfuit annis 12. Sepultus in Capella S. Andreæ verſus Capellam B. Mariæ.

XII. THOMAS in Epiſcopatu Conſtantienſi apud S. Beoedictum in Vmbris natus, primus fuit apud Romanam Curiam perſonaliter confirmatus, licet Monaſterium Fiſcanenſe adeam oullomodo pertineat: rexit annos decem & dimidium. Sepultus io Capella S. Ioaonis ad dextram.

XIII. ROBERTVS de Putot, ortus apud Putot in Bajocenſi. Floret ſub eo Monaſterium in diſciplina religioſa. Præfuit annis 19. Sepultus inter Capellam S. Andreæ & Capellam S. Ioannis Baptiſtæ.

XIV. PETRVS Rogerij de Diœceſi Lemouiecnſi, in ſacrapagina ſolemnis Doctor & Prædicator valdè nominatus, vir ſapiens. Poſt multos anoos ad Eccleſiam Atrebatenſem tranſlatus, ac paulò poſt Cenomanenſis, tum Rotomagenſis ereatus Epiſeopus, tandem Cardinalis, denique Nonis Maij 1342. Pontifex Auenione creatus eſt & Clemens VI. appellatus. Moritor Aueoione.

XV. PHILIPPVS natione Burgundus, Prior de Longauilla, Apoſtolica auctoritate yocatus ſedit tres menſes, benedictione non ſuſeepta mortuus eſt.

XVI. ROBERTVS de Brechio Bajocenſis Diœceſis, de Suburbano Brechi, rexit annos duos, menſes oouem. Sepultus ante altare S. Tautini ad læuam propè parietem.

XVII. GVILLELMVS Bourget, de villâ Cadomi, Bajocenſis Diœceſis rexit annos duos. Sepultus ante altare S. Taurini ad læuam, propè parietem.

XVIII. GVILLELMVS Chouquet, de ciuitate Bajoeenſi ortus, rexit annos nouem. Sepultus ante altare, vbi quotidie celebratur Miſſa matutinalis ad læuam propè parietem.

XIX. NICOLAVS de Verneil, (aliàs de Hauteil) olim Abbas S. Medardi Sueſſionenſis, per Clemenrem VI. tranſlatus. Durus in ſubditos vaſſallos, & Monachos; à quibus in Romana Curia citatus reſignauit poſt annos 14. regiminis. Moritur Auenione.

XX. IOANNES de Grangia, Lugdunenſis Diœceſis, de vico Grangiâ, Abbatiam fortificari fecit. Gratioſus Regi tranſlatus in Epiſcopatum Ambianenſem poſt aonos 15. regiminis, fit Cardinalis.

XXI. PHILIPPVS du Foſſé, rexit aoois 9. Sepultus vbi quotidie Miſſa matutinalis celebratur ad dextram partem.

XXII. PETRVS Coruesye, natus in Epiſcopatu Rotomagenſi, villa Riuilla millibus quinque diſtante ab hoc Monaſterio, rexit annos nouem: Sepultus eſt in Capella S. Petri ad læuam propè parietem.

XXIII. ESTODVS de Eſtouteuilla in Iure Caoonico Doctor egregius Miſſam Clericorum fundauit & Choriſtas; rexit annos 33. Sepultus in naui Eccleſiæ; humili ſepulturâ contentus.

XXIV. ÆGIDIVS de Duremort rexit annis 22.

XXV. IOANNES de Hanella annis 25. Sepultus in naui Eccleſiæ.

XXVI. IOANNES Balluë, annis 12.

XXVII. ANTONIVS de la Haye ex Regali proſapia, ſacræ paginæ Profeſſor; rexit anois 10. cui ſucceſſit Antonius Ruffi, Abbas S. Georgij de Boqueruillâ, prope Rotomagum, Theologiæ Profeſſor erudituſſimus, à tota communitate vno excepto creatus: ſed Rex Franciæ præualuit.

XXVIII. ANTONIVS Bouyer Abbas, qui licet natus ex humili loco, Abbas fuit S. Audoëni, & huius loci, & Archiepiſcopus Bituricenſis & Cardinalis: rexit anois 15.

XXIX. HADRIANVS de Boiſy rexit annis v. Preſbyter Cardinalis Commendatarius poſt electos.

XXX. IOANNES de Lorraine annis 26. menſibus 8.

XXXI. CAROLVS de Lorraine Cardinalis.

XXXII. LVDOVICVS de Lorraine Cardinalis à Guiſia.

XXXIII. FRANCISCVS de Ioyeuſe Cardinalis.

XXXIV. HENRICVS de Lorraine Archiep. Remenſis.

XXXV. HENRICVS Borbonius Princeps Ep. Metenſis.

CHRONICA
REGVM FRANCORVM.
BREVITER DIGESTA.

Anonymo Auctore, qui ſub Rege Carolo Caluo ſcribebat ante menſem Septembrem, Anno DCCCLV. quo Lotharius Imp. obijt.

POST mortem Antenoris, qui capto Ilio, & Ænea in Italiam cum ſuis profecto Dux eorum, qui Mœotidas paludes ingreſſi ſunt Trojanorum; & deinceps à Valentiniano Imperatore cum Alanos rebellantes ab eiſdem paludibus fortiter repuliſſent, ob ferocitatem Franci appellati ſunt, extitit.

Hi ſuccedente tempore, ſicut in Hiſtoriographis legimus, fuerunt Duces eorum Sunno, Marcomirus & Gennebodus.

Sunno genuit FERRAMVNDVM, qui fuit primus Rex Francorum crinitus. FERRAMVNDVS genuit CHLODIONEM Regem.

CHLODIO regnauit annos XX. de cuius ſtirpe ortus eſt MEROVECHVS, à quo Francorum Reges Merouingi ſunt appellati.

CHILDERICVS filius MEROVECHI regnauit annis XXIV. & genuit CHLODOVECHVM, qui primus in Francorum Regibus Chriſtianus fuit.

CHLODOVECHVS filius Childerici regnauit annos XXX. Anaſtaſio Imperator.

A tranſitu vero Martini vſque ad mortem CHLODOVECHI ſupputantur anni CXII.

CHLODOVECHVS genuit TEODERICVM, CLODOMEREM, CHILDEBERTVM, & CLOTARIVM Hi Regnum patris poſt eius mortem diuiſerunt, ſed CLOTARIVS omnibus ſuperuixit, regnúmque Francorum ſolus obtinuit.

CLOTARIVS filius Clodouechi regnauit annos LI. Hic de diuerſis vxoribus ſeptem filios habuit, id eſt Guntharium, Childericum, CHARIBERTVM, GVNCHRAMNVM, SIGIBERTVM, CHILPERICVM, & Chramnum, ſed regnum patris hi quatuor, id eſt Charibertus, Gunthramnus, Chilpericus, atque Sigebertus poſt eius mortem diuiſerunt, cæteris eo ſuperſtite defunctis.

CHILPERICVS de Audouerâ Reginâ tres filios habuit Theodobertum, Merouecum & Chlodouechum, de Fredegunde quatuor, Chlodobertum, Theodoricum, CHLOTARIVM MAGNVM patrem DAGOBERTI, & quartum cuius nomen non reperi.

SIGEBERTVS filius Chlotarij ſuperioris regnauit annis XIII. GVNTRAMNVS frater eius regnauit annis XXXI. CHILPERICVS frater vtriuſque regnauit annis XXIII.

CLOTARIVS MAGNVS filius Chilperici, regnauit annis XLIV. Hic filium ſuum DAGOBERTVM ſupradictum cum Pipino Duce in Auſtriam regnatorem direxit. Huius Clotarij temporibus S. Audoënus exortus enituit.

DAGOBERTVS filius Clotharij regnauit annis XXII. Hic habuit duos filios SIGIBERTVM & CLODOVECHVM. Quorum SIGIBERTVM in Auſtriam cum Pipino ſupradicto Duce regnatorem direxit. CLODOVECHVM ſecum retinuit, qui & regnum eius poſt eum per annos XVI. ſolus obtinuit.

Huius CHLODOVECHI anno tertio Incarnationis Dominicæ DCXXXV. (ſcribe DCXXXVI.) ſub Martino Papa Audoënus, & Eligius apud Rotomagum vna die ordinantur Epiſcopi: Audoënus Rotomagenſis, Eligius Nouiomagenſis.

CHLODOVECHVS filius Dagoberti genuit tres filios CHLOTARIVM, CHILDERICVM, & THEODERICVM.

CHLOTHARIVS Major natu patri ſuo ſucceſſit. Huius temporibus S. Her-

melandus ortus eſt. Huius etiam temporibus Ebroinus qui beatum Leodegarium Epiſcopum Auguſtodunenſem interfecit, à Francis Major domus effectus eſt.

Chlothario autem poſt quatuor annos defuncto Theodoricvs frater eius ſucceſſit. Theoderico verò de regno, Ebroino autem de honore à Francis ejecto, Childericvs frater prædicti Theoderici & Chlotarij in regno ſucceſſit. Quo propter leuitatem à Francis cum vxore interfecto, ruſum Theodoricvs iam dictus in regnum ſtatuitur. Contra hunc Pipinus iunior filius Anſigiſi qui cum Martino in Auſtria decedentibus Regibus dominabatur, pugnauit ſecundò & victor extitit.

Hic Pipinvs de Plectrude vxore habuit filios duos, Drocum, & Grimoaldum: de alia vxore habuit Carolum primum.

Theodorico mortuo cùm regnaſſet annos xviii. Chlodovechvs filius eius ſucceſſit.

Huic quoque poſt duos annos mortuo Childebertvs frater eius vir inclytus in regnum ſucceſſit. Huius temporibus Beatus Hermelandus Abbas efficitur. Tunc etiam Grimoaldus filius Pipini ſecundi, iunior Major domus in Aula Regis Childeberti factus eſt.

Childeberto defuncto qui regnauit annos xiii. Dagobertvs filius eius ſucceſſit.

Dagobertvs regnauit annos quinque & mortuus eſt. Quo mortuo Franci Danielem quendam Clericum cæſarie increſcente ſibi Regem inſtruunt, & Chilpericvm nuncupant. Hic cum Raganfredo contra Carolvm Pipini filium ſupra memoratum dimicauit, ſed Carolus victor extitit, & Chlotharivm ſibi quemdam Regem inſtituit, qui eodem anno mortuus eſt. Rurſum Childericvs, & Raganfredus contra Carolum, Eudonem Ducem Aquitanum expetunt in auxilium, ſed Carolus tam Chilpericum & Raganfredum, quàm Eudonem victor exiſtens fugat.

Eudo in Aquitaniam regreſſus Chilpericvm cum Theſauris eius ſecum ablatum duxit. Carolus cum Eudone poſtmodum amicitias facit, & Chilpericvm reducit, non tamen in regnum reſtituitur, ſed moritur. Regnauit annos quinque.

Franci verò Theodericvm filium Dagoberti iunioris, Regem ſuper ſe ſtatuunt.

Carolvs ſupradictus genuit Carlomannum, & Pipinvm, quorum Carlomannus relictâ regni ſui portione, Romæ Clericus efficitur. Pipinvs verò pater Caroli Magni, regnum Francorum ſolus obtinuit, & per auctoritatem Zachariæ Papæ, & electionem Francorum inungente Bonifacio Archiepiſcopo Rex factus eſt. Childericvm verò qui ſolus Rex de ſtirpe ſuperiorum Regum remanſerat, regno priuarum Clericum effecit.

Pipinvs genuit Carolomannum & Carolvm Magnvm.

Pipino mortuo cum regnaſſet annos 35. Carolvs Magnvs Imperator Auguſtus ſucceſſit.

Illo quoque mortuo cum regnaſſet annos pluſquam xlvi. Hlvdovicvs Cæſar, regnum Francorum per xx. & ſex ſemis annos obtinuit. Cui defuncto tres filij eius Hlotharivs, Hlvdovicvs, & Carolvs, quarto Pipino, qui Aquitaniæ regnauerat, ante patrem mortuo, diuiſo regno ſucceſſerunt, qui nunc per Indictionem tertiam ſextumdecimum annum in iſto regno agere videntur. *Anno ſcilicet Chriſti 855.*

HISTORICA QVÆDAM EXCERPTA ex Veteri ſtemmate Genealogico Regum Franciæ.

Gennobaldvs, Marchomérvs, Svnno, Theodomeris. Iſti Duces vel Reguli extiterunt à principio Gentis Francorum diuerſis temporibus, ſed incertum relinquunt Hiſtorici, quali ſibi procreationis linea ſucceſſerunt.

Pharamvndvs: ſub hoc Rege ſuo primo Franci Legibus ſe ſubdunt, quas

Priores (forte primores) eorum tulerunt Wiſogaſtus, Arrogaſtus, Salegaſtus.

CHLOCHILO. Iſte tranſito Rheno Romanos in Carbonaria ſilua deuicit. Camaracum cepit & obtinuit. Annis 20. regnauit, ſub hoc Rege Franci vſque Summam progreſſi ſunt.

MEROVECHVS: ſub hoc Rege Franci Treuerim deſtruunt, Metim ſuccendunt, vſque Aurelianum perueniunt.

CHILDERICVS. Iſte à Francis ob vitia ſua regno pulſus & in Thoringiam fugatus eſt, & rurſus poſt annos octo in regno reuocatus, cùm interim regnaſſet Ægidius Romanus Magiſter militum.

DAGOBERTVS Rex in Francia. Hte multa bona contulit Eccleſiis.

SIGEBERTVS Rex in Auſtraſia. Huius Dux fuit Pipinus, poſt quem Grimoldus filius eius.

DAGOBERTVS. Hunc totondit perfidus Grimoldus: propter quod à Clodoueo occiſus eſt.

CHLODOVEVS. Iſte abſcidit brachium S. Dionyſij.

CHLOTHARIVS. Huius major domus Ebroinus mortuo Archenoldo:

CHILDERICVS Rex in Auſtraſia, Duce Wlfado, occiſus à Francis.

THEODERICVS Rex in Franciâ. Major domus Leodegiſilus, Hoc occiſo Ebroinus, poſt hunc Wararho Major domus, poſt quem Bertharius, poſt hunc Audebertus per Pipinum, poſtea Grimoldus, poſt Theobaldus filius eius. Hoc fugato Raganfridus.

CHILDEBERTVS Optimus Rex.

Daniel Clericus qui cognominatus eſt Chilpericus in Regem vſurpatur.

THEODERICVS annis XVII.

HILDRICVS. Iſte depoſitus eſt à regno & tonſuratus.

Finis ſtirpis Chlodouei in regno.

Regnante in Auſtria Childerico filio Chlodouei, filij Dagoberti, Duces eius ſiue Majores domus fuerunt hi duo Martinus & Pipinus iunior, filius Anſegiſili. Ab hoc progreſſa eſt Karoli Magni generatio huiuſmodi.

De Pipino & Plectrude DROGVS Dux in Campania. GRIMOLDVS Major domus in Francia ſub Childeberto. De alia matre quàm Plectrude CARLVS Martellus: cuius filij CARLOMANNVS: iſte factus eſt Monachus. PIPINVS, hic primùs leuatus eſt Rex de ſtirpe hac.

CHRONICON

LEMOVICENSE AB ANNO DXXXVIII. ad MXXXVII.

Ex Bibliotheca Memmianâ.

DXXXVIII. Eclipſis Solis facta eſt XIV. Kal. Martij ab hora prima vſque ad tertiam.

DXL. Eclipſis Solis facta eſt XII. Kal. Iulias, & apparuerunt Stellæ pene hora dimidia ab hora diei tertia.

DLXXX. Moritur Iuſtinus, ſucceſſit Tiberius.

DLXXXIV. Tiberio defuncto imperauit Mauritius.

DCIV. Mauritio ſucceſſit Focas.

DCXII. Deceſſit Focas, ſucceſſit Heraclius.

DCXXXVIII. Defuncto Heraclio, Imperauit Conſtantinus.

DCLXVII. Defuncto Conſtantino ſuccedit item Conſtantinus.

DCLXXXIV. Mortuo Conſtantino Imperatore Iuſtinianus.

DCLXXXVII. Pipinus primùm Regnum cœpit.

DCCVIII. Drogo Princeps Francorum obiit.

DCCIX. Primum Pippinus perrexit in Alemaniam contra VVitharium Ducem.

DCCXI. Hildebert Rex obiit.

DCCXIV. Pipinus obiit.

DCCXVI. Dagobertus Rex obiit. Leo Imperator cœpit.

DCCXVIII. Carolus filius Pipini regnum cœpit.

DCCXLI. Leo Imperator defunctus eſt, Conſtantinus filius eius regnum cœpit. Karlomannus & Pipinus regnum cœperunt. Carolus Princeps obiit.

DCCXLII. Karlomannus & Pipinus contra Hunaldum perrexerunt.

DCCXLVI. Karlomannus Romam perrexit.

DCCL. Pipinus electus eſt in Regem.

DCCLI. Hildericus tonſoratus eſt.

DCCLXVIII. Pipinus Rex obiit: Carolus & Carlomannus regnum ſuſcipiunt.

DCCLXXI. Karlomannus obiit.

DCCC. Domnus Carolus Imperator factus eſt.

DCCCIV. Alcoinus Abba obiit.

DCCCVI. Pridie Nonas Iunij Luna XIV. ſignum Crucis mirabili modo in Luna apparuit feria quinta prima Aurora incipiente, quaſi hoc modo.... Eodem anno tertio Kal. Septembris Luna XII. die Dominica hora quarta, corona mirabilis in circuitu Solis apparuit.

DCCCIX. Indictione ſecunda, XVII. Kal. Auguſti, ſecunda feriâ incipiente hora die quinta, Eclipſis Solis apparuit Luna XXIX.

DCCCXIV. Karolus Imperator obiit, & Hluduuicus regnum recepit: & conſtruxit Monaſterium Martialis ſancti Saluatoris Lemouicenſis.

DCCCXXIX. Hieremias Senonicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus diem obiit ſeptimo Idus Decembres.

DCCCXXXIII. Hludouicus regnum amiſit, & Lotharius illud ſuſcepit: Iterum Hludouicus recepit.

DCCCXXXV. Miraculum fuit beatiſſimi Martialis in Monte Gaudij.

DCCCXXXVIII. Pipinus Rex Aquitanorum obiit.

DCCCXL. Hludouicus Imperator obiit, & Eclipſis Solis facta eſt quartâ feriâ ante Aſcenſionem Domini hora diei nona, pridie Nonas Maij. Eodem anno bellum cruentiſſimum, & pluſquam ciuile inter Lotharium ſeniorem, & fratrem eius Carolum Fonteneti actum eſt. Canonicalis habitus in Monachalem habitum, & ſanctæ Religionis vitam mutauit in Monaſterio ſancti Martialis, pridie Kalendas Aprilis.

DCCCLIII. XI. Kal. Aug. dedic. Baſilicæ ſanctæ Columbæ, & X. kal. ipſius menſis tranſlatio corporum Sanct. Columbæ Virginis, & Lupi Confeſſoris & Epiſcopi.

DCCCLV. Karolus in Regem Lemonicas vnctus eſt.

DCCCLXI. VI. Idus Martias igneæ acies apparuerunt in cælo circa gallicinium, & obiit Abbo Abbas S. *Martialis.*

DCCCLXVII. Fames valida.

DCCCLXXIII. Karlomannus filius Caroli Diaconus oculis mulctatus eſt.

DCCCLXXVII. Karolus Imperator Magni Caroli nepos obiit, & Hludouicus filius eius cognomento Balbus regnum ſuſcepit.

DCCCLXXVIII. Hludouicus Rex filius Caroli obiit, & filij eius regnum ſuſceperunt, Hludouicus Franciæ, & Carlomannus Burgundiæ.

DCCCLXXXI. Hludouicus frater Carlomanni obiit, & regnũ Frãciæ Carlom. recepit.

DCCCLXXXIV. Carlomannus iunior Hludouici filius obiit.

DCCCLXXXVI. Hugo Abbas inclytus obiit. Karolus Imperator Pariſius contra Normannos venit.

DCCCLXXXVII. Monaſterium ſancti Germani à Normannis incenſum eſt. Eodem anno Guilboldus Epiſcopus Antiſſiodorenſis obiit.

DCCCLXXXVIII. Karolus Imperator obiit, & Odo regnum ſuſcepit.

DCCCLXXXIX. Normanni iteratò Antiſſiodorum repetentes ſuburbia eius incenderunt.

DCCCXCV. Exceſſit hominem Iordanus Proconſul.

DCCCCXLIV. Domnus Turpio Epiſcopus obiit.

DCCCCLII. Monaſterium S. Martialis igne crematum eſt: in quo ſancta altaria effracta ſunt, & multa ornamenta perierunt.

Rr

MX. Eclipſis Lunæ facta eſt nonis Octobris, hora tertia. Ipſo denique anno confractum eſt Sepulchrum Domini à Paganis tertio Octobris.

MXVIII. Dominico die mediæ Quadrageſimæ Lemouicis ad portam Eccleſiæ ſancti Saluatoris præ nimio impetu turbæ plus quinquaginta hominum mortui ſunt, noctu ſcilicet ante inchoatas Matutinas.

MXVII. Indictione XV. Baſilica Regalis Saluatoris inchoata reædificâri cœpit majori amplitudine à Iozfredo Abbate.

MXVIII. Hic obiit Gauzfredus Abbas ſecundus.

MXX. Obiit Geraldus Epiſcopus Karroſo ſepultus.

MXXV. Obiit Hugo Abbas, Rorgerins Cantor, Hildebertus Monachus.

MXXVIII. Dedicatio Eccleſiæ Saluatoris mundi ab Epiſcopis vndecim quorum hæc ſunt nomina, Iordanus Lemouicenſis, Archiepiſcopus Gotfredus Burdegalenſis, Iſembertus Pictauenſis, Arnaldus Petracoricenſis, Deus-dedit Caturcenſis, Roho Engoliſmenſis, Petrus Gerundenſis, Amelius Albienſis, Arnaldus Rothenenſis, Fulco Careaſſonenſis, Illus Santonenſis.

MXXXVII. XII. Kal. Maij feria ſecunda Eclipſis Solis facta eſt ab hora quarta vſque pone ſextam, non vt mos eſt, ſed ita Sole prius apparente.... deinde ita..... poſtea ita....

In alio codice iſta addita reperi.

MLIII. Monaſterium ſancti Martialis igne crematum eſt, & totum caſtrum vna cum tribus Monachis extinctis, in quo igne libri, cortinæ, cartulæ terrarum plurimæ perierunt.

MLX. XI. Kal. Maij, idem Monaſterium S. Martialis igne crematum eſt in feria 6 & caſtrum intus & fortis.

EXPLICIT.

CHRONICON LEODIENSE

Iam olim Deſcriptum ex MS. Codice Bibliothecæ S. VICTORIS PARISIENSIS

Ab Anno CCCC. ad MCXXXII.

ANNO CCCC. Obiit S. Martinus anno ſecundo Arcadij nocte Dominica.

CCCCXIII. Nono Kalendas Septembris Roma capitur ab Alarico Gothorum Rege.

CCCCXVIII. Faramundus regnat in Francia.

CCCCXXIX. Clodius regnat in Francia.

CCCCXLVII. Obiit Briccius Epiſcopus: ſuccedit Euſtochius.

CCCCXLVIII. Meroueus regnat in Francia.

CCCCLIV. Obiit S. Germanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus.

CCCCLVIII. Childericus regnat in Francia.

CCCCLXV. Obiit Euſtochius Turonenſis Epiſcopus.

CCCCLXXXIII. Chlodoueus regnat in Francia.

CCCCLXXXVII. Remigius & Vedaſtus Epiſcopi claruerunt.

CCCCXCIV. Obiit Perpetuus Turonenſis Epiſcopus.

DXII. A tranſitu S. Martini vſque ad obitum Chlodouei anni CXII. cõputãtur.

DXIII. Lotharius filius Chlodouei cum fratribus ſuis regnat in Francia.

DXXIII. Boethius occiditur.

DXXIV. Symmachus & Ioannes Papa interficiuntur.

DXXV. S. Benedictus magnis pollet miraculis.

DXXXIII. Caſſiodorus, Dionyſius Abbas, & Arator Poëta, & Iordanis Hiſtoriographus, & Priſcianus Grammaticus claruerunt.

DXLIX. Domitianus Tungrenſis & Nicetius Treuirenſis Epiſcopi claruerunt.

DLVI. Obiit S. Medardus Epiſcopus.

DLXIII. Chilpericus regnat in Francia.

DLXX. Obitus S. Vedaſti.
DLXXII. Obiit Eufronius Turonenſis Epiſc. ſuccedit Gregor. Hiſtoriographus.
DLXXIV. Obiit S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus.
DXXCVI. Lotharius regnat in Franciâ.
DCXIII. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus claruit.
DCXVI. Ieruſalem à Perſis capta: templum crematur, & Crux Dom. aſportatur.
DCXVIII. S. Ebregiſillus Tungris antiſtat.
DCXXVI. Ioannes Tungris ordinatur.
DCXXIX. Obiit S. Bauo.
DCXXX. Mortuô Lothario, Dagobertus regnat, qui in Auſtraſia ante plures annos à patre miſſus fuerat regnare ſub S. Arnulfo & Pipino.
DCXXXII. Amandus Tungris ordinatur Epiſcopus.
DCXXXIX. Dagobertus Sigiberto filio regnum dat Auſtraſiæ ſub ſancto Chuniberto & Pipino, retinens ſecum Clodoueum. S. Foillanus claruit in Galliâ.
DCXLII. S. Remaclus Tungris antiſtat.
DCXLVI. Mortuo Dagoberto, Chlodoueus filius eius regnat in Franciâ.
DCXLIX. Eligius fit Epiſcopus.
DCLIX. Obiit ſancta Gertrudis.
DCLXI. Mortuo Sigiberto in Auſtria filius Grimoaldi Hildebertus regnat, & poſt eum ipſe Grimoaldus frater ſanctæ Gertrudis. Obiit S. Amandus.
DCLXII. Obiit ſancta Aldegundis.
DCLXIII. Defuncto Clodoueo in Neuſtria, Lotharius filius eius ſuccedit.
DCLXV. Hildericus regnat in Auſtria filius Clodouei: poſtea etiam & in Neuſtriâ poſt Lotharium fratrem ſuum. Obiit S. Eligius.
DCLXVII. Lothario mortuo in Neuſtria frater eius Hildericus ex Auſtriâ aſſumitur.
DCLXXVII. Sanctus Lantbertus floruit.
DCLXXVIII. Hilderico interfecto, Theodericus frater eius regno reſtituitur.
DCXXCVII. Pipinus ſenior cœpit.
DCXXIX. Obiit ſancta Begga.
DCXC. Theodericus ſuperatur à Pipino. Obiit S. Remaclus.
DCXCII. Theodericus Rex obiit, Chlodoueus filius eius regnat.
DCXCVII. Hildebertus frater eius regnat.
DCCI. Sanctus Lantbertus martyrizatur.
DCCXIII. Obiit S. Viſmarus.
DCCXIV. Obiit Pipinus Princeps & Karolus Martellus Princeps ſuccedit.
DCCXV. Dagobertus regnat.
DCCXIX. Hilpericus regnat cum Raganfrido & Lotharium puerum Karolus ſibi facit Regem.
DCCXXIV. Theodericus regnat.
DCCXXXV. Obiit S. Hugbertus Epiſcopus.
DCCXXXVII. Obiit S. Erminus Epiſcopus & Abbas.
DCCXLI. Hildericus regnat. Karolus Princeps obiit, & Pipinus ſuccedit.
DCCXLVI. Karlomannus Monachus Viennæ moritur.
DCCLIV. S. Bonifacius Archiepiſcopus Mogonciâcenſis martyrizatur.
DCCLXVIII. Pipinus Rex obiit. Karolus & Karlomannus ſuccedunt.
DCCLXXIV. Carolus Regum Italiæ cepit, & Deſiderium Regem in exilium dir（exit Agilfrido Epiſcopo.
DCCC. Karolus fit Imperator Romanorum.
DCCCX. Pipinus filius Karoli Imperatoris moritur. Walcaudus ordinatur Ep.
DCCCXI. Karolus filius Imperatoris major natu moritur.
DCCCXIV. Karolus Imperator obiit. Hludouicus Imperio ſuccedit.
DCCCXXIII. Eleuatio S. Viſmari ſeptimo Kal. Apriles.
DCCCXXV. Tranſlatio S. Hugberti Epiſcopi in Andagio.
DCCCXXXIII. Ludouicus Imperator à ſuis imperio priuatur & traditur cuſtodiæ, ſed à filio Lothario erutus Imperio reſtituitur.
DCCCXL. Ludouicus Imperator obiit. Filij eius ſuccedunt Lotharius, Ludouicus, Carolus.

DCCCXLI. Bellum in Fontanido Lotharij, & Pipini nepotis eius contra Ludouicum & Karolum fratres ſuos.

DCCCLIII. Nortmanni fines Franciæ depopulantur.

DCCCLIV. Obiit Hatcarius Epiſcopus: ſuccedit Franco.

DCCCLV. Obiit Lotharius Imperator & Monachus.

DCCCLVI. Obiit Rabanus Epiſcopus.

DCCCLXII. Karolus filius Lotharij Rex Burgundiæ moritur.

DCCCLXIX. Lotharius Rex excommunicatus Placentiæ moritur.

DCCCLXX. Obiit Guntharius Archiepiſcopus, ſuccedit VVillebertus.

DCCCLXXVI. Ludouicus Rex Orientalis obiit, Ludouicus filius eius ſuccedit.

DCCCLXXII. Karolus Imper. Occidentalis obiit, Ludouicus filius eius ſuccedit.

DCCCLXXVIII. Ludouicus Rex Occidentalis obit: filij eius ſuccedunt.

DCCCLXXX. Ludouicus Rex Orientalis obiit.

DCCCLXXI. Karolus frater eius fit Imperator. Eodem anno Ludouicus Rex Occidentalis obiit.

DCCCLXXXIII. Karlomannus Rex Occidentalis frater eius obiit.

DCCCLXXXIV. Obiit Hincmarus Remenſis Epiſcopus.

DCCCLXXXVII. Karolus Imperator & Rex Occidentalis obiit, & Arnulfus Rex ſuccedit.

DCCCLXXXVIII. Odo fit Rex in Occidente.

DCCCXCI. Obiit VVilleberus Archiepiſcopus: ſuccedit Herimannus.

DCCCXCIII. Karolus contra Odonem fit Rex in Occidente.

DCCCXCV. Zuendeboldus fit Rex Lotharienſis.

DCCCXCVIII. Odo Rex obiit & Karolus totum Regnum tenuit.

DCCCC. Arnulfus Imperator obiit: Ludouicus filius eius ſuccedit.

DCCCCI. Zuendeboldus Rex interficitur. Obiit Franco Epiſcopus.

DCCCCXI. Ludouicus Rex filius Arnulfi obiit in Orientali Franciâ & Medianâ: & Chunradus Rex ſuccedit.

DCCCCXVIII. Chunradus Rex obiit, & Henricus ſuccedit.

DCCCCXXI. Bellum Suesſionicum.

DCCCCXXII. Karolus capitur.

DCCCCXXIV. Karolus Rex Occidentalis obiit, Rodulfus Rex ſubrogatur.

DCCCCXXVII. Ludouicus reſtituitur regno.

DCCCCXXXVI. Henricus Rex obiit, cui filius Otho ſuccedit.

DCCCCXXXVIII. Giſlebertus Dux cum Eurardo periit, Ludouicus Rex vxorem eius accepit.

DCCCCXLI. Cometes apparuit & fames ſubſecuta.

DCCCCXLV. Obiit Richerius Epiſcopus, ſuccedit Vbogo.

DCCCCXLVII. Obiit Vbogo Epiſcopus, ſuccedit Farabertus.

DCCCCLII. Obiit VVicfridus Archiepiſcopus, ſuccedit Bruno.

DCCCCLIII. Farabertus Epiſcopus obiit, Ratherius ſuccedit.

DCCCCLIV. Vngri populantur, Lotharius filius Ludouici regnat in Occidēte.

DCCCCLV. Ratherius Epiſcopus eijcitur, Baldricus ſubſtituitur.

DCCCCLVI. Liedulfus Rex obiit. Victoria de Vngris.

DCCCCLVII. Erluuinus Abbas excæcatur.

DCCCCLVIII. Raginerus Longicollus capitur.

DCCCCLIX. Baldricus Epiſcopus obiit, Eurardus ſuccedit.

DCCCCLXI. Otto puer à patre aſciſcitur in regnum.

DCCCCLXIII. Otto pater fit Imperator.

DCCCCLXV. Obiit Domnus Bruno Archiepiſcopus: ſuccedit Fulmarus.

DCCCCLXVIII. Otto iunior à patre conſors Imperij aſciſcitur Romæ.

DCCCCLXXI. Obiit Eurardus Epiſcopus.

DCCCCLXXII. Domnus NothKerus fit Epiſcopus.

DCCCCLXXIII. Otto Imperator obiit: alius Otto æquè Imperator ſuccedit. Bellum fuit in Perrona inter Raginerum &......

DCCCCLXXIV. Obſidio Buxudis.

DCCCCLXXV. Gelu magnum à Kalendis Nouembris vſque medium Martij.

DCCCCLXXVI. Bellum apud Montem Caſtrilocum:

DCCCCLXXVIII. Lotharius Rex Aquenſe palatium videre venit.
DCCCCLXXX. Lotharius pacem cum Imperatore pactus eſt.
DCCCCLXXXII. Bellum in Calabria.
DCCCCLXXXIII. Otto II. Imperator obiit, cui filius Otto ſuccedit.
DCCCCLXXXVI. Lotharius Rex obiit: Ludouicus filius ſuccedit.
DCCCCLXXXVII. Ludouicus Rex obiit: Hugo ſuccedit.
DCCCCLXXXVIII. Karolus Laudunum ingreditur.
DCCCCXCVI. Mortuo Hugone, Robertus filius eius ſuccedit.
M. Terræ motus factus eſt permaximus.
M.II. Otto Imperator obiit & Henricus ſuccedit.
M.VI. Henricus Rex obſidet Valentinianas. Fames valida, apparente longo tempore Comete.
MVIII. Notkerus Epiſcopus obiit: Baldricus ſuccedit.
MIX. Eclipſis Solis facta eſt circa horam diei ſecundam.
MXII. Henricus Rex Paſcha celebrauit Leodij.
MXIII. Bellum in Huard ſexto Idus Octobris. Circa meridiem XIV. Kal. Octobris terræ motus factus eſt.
MXV. Bellum in Florinis pridie Idus Septembris inter Godefridum Ducem & Lantbertum Comitem, in quo Lantbertus periit.
MXVIII. Obiit Baldricus Epiſcopus: ſuccedit VValbodo. Bellum in Freſonna inter Godefridum Ducem & Theodericum Comitem: obiit ſanctus Heribertus Archiepiſcopus: ſuccedit Pelegrinus.
MXXI. Obiit VVolbodo Epiſcopus: ſuccedit Durandus.
MXXIV. Henricus Imperator obiit. Conradus ſuccedit.
MXXV. Durandus Epiſcopus obiit: Reginardus ſuccedit.
MXXVI. Raginardus Epiſcopus Cœnobium S. Laurentij in Monte publico inſtituit.
MXXVIII. Henricus puer filius Conradi Imperatoris in regnum ſublimatur Aquis.
MXXIX. Conradus Imperator contra Sclauos proficiſcitur.
MXXX. Conradus Imperator contra Hungaros proficiſcitur.
MXXXI. Robertus Rex Francorum obiit: ſuccedit Henricus filius eius.
MXXXII. Henricus Rex vxorem duxit filiam Regis Anglorum. Obiit Pelegrinus Epiſcopus: ſuccedit Herimannus.
MXXXVII. Bellum apud Barum inter Gothclonem Ducem, & Othonem Comitem: Obiit Raginardus Epiſcopus: ſuccedit Hithardus.
MXXXIX. Obiit Conradus Imperator, ſuccedit Henricus filius eius.
MXL. Rex Henricus contra Odolricum Regem Boëmiæ vadit.
MXLI. Rex Henricus contra Hungaros vadit. Obiit Hithardus: ſuccedit VValtho.
MXLII. Rex Henricus cum paucis Obbonem de bello fugauit, & Lanceam inſigne Regis recepit. Petrum verò quem Obbo expulerat, regno Vngarorum reſtituit.
MXLIV. Gothelo Dux obiit: Godefridus filius eius priuatus paterno iure rebellat. Fames valida.
MXLV. Godefridus capitur & cuſtodiæ mancipatur.
MXLVI. Henricus Rex fit Imperator & tres Papæ ab eo deponuntur. Godefridus cum Balduino rebellat.
MXLVII. Godefridus palatium Neomagi incendit: Virdunum capit & incendit.
MXLVIII. Dux Albertus à Godefredo perimitur. VVatho Epiſcopus obiit: ſuccedit Deoduinus.
MXLIX. Henricus Imperator contra Balduinum proficiſcitur. Balduinus ſatisfacit Imperatori Aquis.
MLI. Balduinus cum Balduino filio ſuo rebellat: inuadit Montem Caſtriloci.
MLIII. Balduinus iunior Tudinium incendit. Balduinus major cum minore Hoium vaſtant, & incendunt vtrinque.
MLIV. Imperator Balduinum totis viribus populatur. Tornacum capit.

MLV. Obiit Herimannus Archiepiſcopus, Anno ſuccedit.

MLVI. Obiit Imperator Henricus: ſuccedit filius eius patri æquiuocus.

MLX. Henricus Rex Francorum obiit. Philippus filius eius ſuccedit.

MLXVI. Cometes apparuit.

MLXX. Godofredus Dux obiit: filius eius patri æquiuocus ſuccedit.

MLXXIII. Saxones rebellant, Gregorius Papa qui & Hildebrandus.

MLXXV. Rex Henricus iterata expeditione Saxones premit, & Principes eorum in deditionem accipit. Deoduinus obiit: ſubrogatur Henricus.

MLXXVI. Ducem Godefridum ſicarius interimit. Gelu magnum à medio Nouembri vſque ad æquinoctium vernale. Anno obiit: Hilduinus ſuccedit.

MLXXVII. Saxones iterum rebellant, creato ſibi Tyranno Duce Burgundiorum Rodulfo, annitente Hildebrando Pontifice: Signinus fit Archiepiſcopus.

MLXXIX. Rex Henricus Saxones aggreditur, & in congreſſu Rodulfus Tyrannus extinguitur.

MXXCI. Rex Henricus Romam vadit, Hildebrandum debellaturus. Terræmotus magnus ſexto kal. Aprilis.

MXXCII. Hermannus in Saxonia tyrannidem arripit. Rex Henricus Romam Leonianam obſidet.

MXXCIII. Rex Henricus Romam Leonianam capit: Romam oppugnat.

MXXCIV. Rex Henricus vrbem recipit: Hildebrandus expellitur: VVicbertus, qui & Clemens, Papa ſufficitur: ab eo Rex Henricus in Imperatorem benedicitur.

MXXCV. Saxones pace cum Imperatore pacta, iterum rebellant.

MXXCVI. Imperator contra Saxones pugnat.

MXXCIX. Herimannus fit Archiepiſcopus.

MXC. Annus peſtilens, multis hominum ſacro igne computreſcentibus.

MXCI. Henricus Imperator Mantuam capit. Henricus Epiſcopus obiit: ſuccedit Otbertus.

MXCIII. Mortalitas hominum maxima.

MXCV Fames diu concepta inualeſcit.

MXCVI. Chriſtiani indignantes loca ſancta Hieroſolymis à Paganis teneri, contra eos proficiſcuntur.

MXCVII. Cometes apparuit in Occidente menſe Octobri.

MXCVIII. Antiochia capitur. Chriſtiani Paganos vincunt.

MXCIX. Ieruſalem capitur Rex Babyloniorum bello fugatur. Fridericus fit Archiepiſcopus.

MC. Godefridus Dux & Princeps Ieruſalem moritur in Ieruſalem.

MCI. Henricus Imperator Henricum Lemburgenſem debellat, & poſtea Ducatu donat.

MCII. Henricus Imperator contra Robertum Flandrenſem proficiſcitur.

MCIII. Rotbertus Flandrenſis in gratiam Imperatoris recipitur.

MCIV. Hieroſolymitæ Accaron vrbem capiunt.

MCV. Filius Imperatoris Henrici à patre auerſus ſub obtentu religionis in eum inſurgit.

MCVI. Cometes apparuit. Henricus Imperator inſignibus regni, cogente filio priuatus, Leodij ab Epiſcopo excipitur, vbi & moritur, ſuccedit Henricus patri æquiuocus.

MCVII. Henricum Lemburgenſem Ducatum repetentem Dux Godefridus Louanienſis bello deuicit Aquiſgrani.

MCVIII. Henricus Imperator contra Robertum Flandrenſem vadit, & penè inefficax rediit.

MCIX. Philippus Francorum obiit & Ludouicus filius eius ſuccedit.

MCX. In menſe Maio Cometes apparuit. Guibertus fundator Cœnobij Gemmelacenſis eleuatur.

MCXI. Henricus Rex in Imperatorem Romæ benedicitur à Paſchale Papa.

MCXII. Eccleſia ſanctæ VValdetrudis, & S. Michaëlis de Periculo maris, & S. Mariæ Laudunenſis comburuntur.

MCXIII. Apud Rauennam, & Parmam ciuitates Italiæ ſanguis pluit.

MCXIV. Henricus Imperator vxorem ducit filiam Regis Anglorum.

MCXV. Fredericus Colonienſis Archiepiſcopus & alij quidam Principes Regni rebellant Henrico Imperatori.

MCXVI. Henricus Imperator propter aſperos in ſe motus regni ad Italiam ſecedit, & terram Mathildis Marchiſæ Longobardorum iure propinquitatis.....

MCXVII. Terræ motus magni per loca, terroréſque de cœlo, & ſigna fiunt, inter quæ Lunæ Eclipſis tertio Idus Decembres.

MCXVIII. Balduinus Rex Ieruſalem moritur: ſuccedit alter Balduinus. Otbertus Epiſcopus obiit: ſuccedit Fredericus.

MCXIX. Remis Fredericus à Calixto Papa in Epiſcopum Leodienſem benedicitur.

MCXXI. Fredericus Epiſcopus obiit.

MCXXIII. Adalbero Legienſium Epiſcopus ordinatur.

MCXXIV. Henricus Imperator Vltrajecti moritur.

MCXXV. Lotharius Dux Saxonum aſſenſu Principum in Regem eligitur: Lotharius Rex contra Bohemos vadit; & magnam ſtagem ſuorum facit.

MCXXVI. In Syria exercitus Chriſtianorum bis aggreſſus Saracenos Dei auxilio victor exit.

MCXXVII. Karolus Comes Morinorum Brugis ante altare Pſalmo ſcanens occiditur: & eadem die Guillielmus Comes Sodornenſium ante altare orans....

MCXXIX. Prælium apud Duras inter Alexandrum Epiſcopum Leodienſem, & Godefridum Comitem Louanienſem, vbi multa vtrimque ſtrages.

MCXXX. Rex Lotharius Spiram obſeſſam capit.

MCXXXII. Rex Lotharius cum Innocentio Papa Romam vadit.

EXCERPTA

Ex Chronico S. Victoris Maſſilienſis ad Cyclos Paſchales ab anno DXXXIX. ad MDLXIII.

DXXXIX. Ind. 2. Obitus ſancti C. S. (id eſt Cælij Siluerij) Papæ.

DLXVIII. Ind. I. Longobardi Italiam inuadunt.

DCLXI. Ind. IV. Tranſlatio S. Benedicti.

DCCXV. Ind. XIII. Senia Rex cum Saracenis ingreſſus eſt Hiſpaniam.

DCCLXVIII. Ind. VI. Obiit Pipinus pater Karoli Imperatoris.

DCCLXXXV. Ind. VIII. Gerundam ciuitatem homines tradiderunt Regi Carolo. Apparuerunt acies in cœlo, & ſignum ✠ in veſtimentis hominum: & multi viderunt ſanguinem pluere: & mortalitas magna ſecuta eſt.

DCCCI. Ind. IX. Introiuit Ludouicus in Barcinona filius prælibati Karoli, & tulit ciuitatem Saracenis.

DCCCCXL. Obiit Karolus Rex Ind. XIII.

DCCCCXCIII. Obitus Botrelli Comitis Barchinonenſis Ind. VI.

DCCCCXCVI. Ind. IX. obiit Vgo Rex.

M. Ind. XIII. Cepit Maſſilienſe Monaſterium reſtaurari domno Guifredo exiſtente ibi prius quinque annorum Priore: in quindecim annis ſequentibus viuente eodem ibi Abbate, qui ſic XV. anno Incarnationis Chriſti poſt milleſimum, obiit in ſenectute bona relinquens Monaſterium cum L. fratribus, quod prius accepit cum quinque, ſicut nobis retulerunt Fratres, qui tempore illius in Monaſterio nutriti fuerant.

MXVII. Ind. XV. Obiit Raimundus Barchinonenſis Comes filius Botrelli Comitis.

MXXI. Ind. IV. Obiit domnus Abba Wifredus.

MXXXV. Ind. III. Obiit Berengarius Comes Barchinonenſis & Sancius Rex de Caſtela.

MXLVIII. Ind. I. Obiit domnus Abba Iſaurus.

MLV. Ind. VIII. EODEM ANNO FACTVS EST LIBER ISTE, *Qua*

maiuſcula verba Rubricâ notata ſunt.
MLXI. Ind. XIV. Obiit Domnus Abba Petrus.
MLXIV. Ind. II. Obiit Domnus Abba Durandus.
MLXXI. Abbas Bernardus Maſſiliæ accepit Riui Poll. Cœnobium.
MLXXVI. Obiit Raimundus Berengarius Comes Barchinonenſis.
MLXXIX. Obiit Domnus Abbas Bernardus plenus Chriſti dilectione. Rexit Abbatiam annos XV.
MLXXXII. Raimundus Comes Barcinonenſis occiſus eſt.
MLXXXIII. Cœnobium ſancti Ioannis redditur Monachis.
MXCI. Obiit Domnus Abbas Ricardus: rexit Abbatiam annis XXIX.
MXCV. Ind. IV. Concilium Vrbani Papæ.
MXCVII. Oſca ciuitas capta eſt.
MXCVIII. XII. Kal. Aprilis facta eſt Abbatia Ciſtercienſis.
MXCIX. Ciuitas Ieruſalem capta eſt.
Hoc anno venerunt ſanctimoniales in S. Ioannis Cœnobium.
Obiit Abbas Oddo cognomento Alamannus: rexit Abbatiam annos quinque, poſtea factus eſt Epiſcopus Iauuenſis.
MCIII. Obiit Abbas Radulfus: rexit Abbatiam annos VI. Poſt ipſum factus fuit Abbas B. Garinus: rexit Abbatiam annos ſex, poſtea factus fuit Archiepiſcopus Arelatenſis.
MCII. Obiit Gaucelmus Abbas Maſſilienſis: rexit Abbatiam annum vnum.
MCXV. Capta eſt ciuitas Majorica. Monaſterium S. Ioannis redditur Clericis.
MCXVII. In iſto anno apparuit Luna mortua.
MCXVIII. Cæſar-Auguſta capta eſt à Rege Aragonenſi.
MCXXI. Domnus Ricardus Abbas Maſſilienſis poſtea fuit Archiepiſcopus Narbonenſis.
MCXXIX. Obiit Abbas Petrus Salamonis, rexit Abbatiam VIII. annis.
MCXXXI. Raimundus Comes Barchinonenſis.
MCXXXIV. Rex Aragonenſis Alfonſus tricesimo anno regni ſui poſt plurima bella quæ geſſit cum Moabitis apud Hiſpaniam,& poſt totius Hiſpaniæ luſtrationem apud Fragam ab eiſdem debellatur Moabitis in obſidione ipſius vibis, nec multo poſt Almunien caſtrum diem clauſit extremum.
MCXXXVII. Ollegrius Archiepiſcopus Tarragonenſis.
MCXLV. Obiit Abbas Domnus G. Petrus: rexit Abbatiam annos XV. Poſt ipſum fuit Abbas Domnus Fredolus, rexit Abbatiam tres annos: poſtea factus fuit Epiſcopus Foroiulienſis.
MCXLVII. Capta eſt Almaria. Colradus Imperator Romanorum, & Lodouicus Rex Francorum,& Ildefonſus Tholoſanus Comes, & plures alij Comites, & Principes horum duorum regnorum petierunt Hieroſolymam.
MCXLIX. Capta eſt Tortoſa.
MCLVII. Obiit Domnus Petrus de Nogaret Abbas Maſſilienſis, rexit Abbatiam annos XI. & quatuor menſes.
MCLX. Obiit Domnus Deodatus de Seuetiaco: rexit Abbatiam annos tres, menſes duos.
MCLXII. Obiit Raimundus Comes Barchinonenſis, Princeps Aragonenſis, & Marchio Prouinciæ ſeu Tortuoſæ.
MCLXVI. Obiit Raimundus Comes Prouinciæ, nepos ſupra ſcripti bonæ memoriæ Domini R. Comitis Barcinonenſis. Eodem anno Vgo Gauzfridi Vicecomes Maſſilienſis.
MCLXVIII. Hi ſunt Abbates Riuepollenſes ab ingreſſu Maſſilienſium vſque nunc: Anni ſcilicet Domini MCLXVIII.
Bernardus Profeſſus Maſſilienſis.
Benedictus Profeſſus Maſſilienſis.
Gaufredus Profeſſus Maſſilienſis.
Gaucelmus Profeſſus Maſſilienſis.
Helias Profeſſus Maſſilienſis.
Petrus Profeſſus Maſſilienſis.
Gaufredus Profeſſus Maſſilienſis.

MCLXXVIII.

MCLXXVIII. Tholonenſis vrbs à Rege Majoricæ debellata & capta eſt, & Vgo Gauzfridi Vicecomes Maſſilienſis, & nepos eius, & multi alij capti in Majoricam ducti ſunt: Eodem anno fuit Eclipſis Solis.

MCLXXIX. Concilium Domni Papæ Alexandri III. celebratum in Lateranenſi Patriarchatu.

MCLXXXI. Raymundus Berengarij Comes & Marchio Prouinciæ, frater Ildefonſi Aragonenſis Regis, & Comitis Barchinonenſis, vir nobilis ac ſtrenuus & omnibus amabilis, à proditoribus in die feſto Paſchæ interfectus eſt.

MCLXXXV. Chriſtiani ceperunt Palatium ciuitatis Majoricarum, & fuerunt liberati à captiuitate.

Pateat cunctis quod an. D.I. MCLXXXV. menſe Iunio Domnus Fulco Antipolitanus Epiſcopus Monaſterium Maſſilienſe reſtaurauit, cùm de manibus Iudæorum vallem Maſſiliæ liberauit. Qui eodem anno quarto Idus Iulias apud præfatum Monaſterium ſepultus eſt.

MCLXXXVII. Ieruſalem & vniuerſæ ciuitates regni, exceptâ Tyro, captæ ſunt à Saladino, & Crux Dominica Damaſcum ducta, capto Rege Ieruſalem.

MCXC. Francorum Rex Philippus & Ricardus Rex Anglorum, cum multitudine nobilium virorum mare tranſierunt. Qui paruo tranſacto tempore ciuitatem Aconenſem à manibus Moabitarum virtute Diuinâ recuperauerunt.

MCXCI. Obiit Domnus Aſtorgius de Camhaco Mimarenſis Diœceſis Abbas Maſſilienſis. Rexit Abbatiam decem annos & vnum menſem.

MCXCII. Obiit Raimundus Barralus Maſſilienſis Vicecomes, & Rex Aragonenſis obſedit Maſſiliam.

MCXCIV. Obiit Raymundus Comes ſancti Egidij.

MCXCVI. Obiit Ildefonſus Rex Aragonenſis.

Eodem anno obiit Gaufredus de Maſſilia Epiſcopus Biterrenſis.

MCC. Eccleſia Monaſterij Maſſilienſis cœpit reædificari menſe Ianuarij.

MCCIII. Obiit Willelmus Montiſpeſſulanij.

MCCIV. Ciuitas Conſtantinopolitana virtute diuina capta eſt à Francis. Eodem anno Petrus Rex Aragonenſis petijt Romam cum multis nobilibus Prouincialium, Vgone videlicet de Baucio, & Roncelino Vicecomitibus, ibique coronatus fuit à domino Papa Innocentio.

MCCVIII. Petrus de Caſtronouo Apoſtolicæ Sedis Legatus apud Arelatem interfectus eſt.

MCCIX. Vrbs Biterris fuit deſtructa à Cruce ſignatis.

MCCXII. Ildefonſus Rex Caſtellæ & Petrus Rex Aragonenſis, & Sancius Rex Nauarræ cum multitudine nobilium virorum, de diuerſis mundi partibus congregatorum pugnauerunt cum Maomelino Rege Marroc, & gente eius innumerabili in Hiſpanijs, & potenti Dei virtute vicerunt illum, & de exercitu eius interfecerunt plusquam centum millia Sarracenorum.

MCCXIII. Dedicatio altaris ſancti Blaſij, & ſancti Laurentij Martyrum. Petrus illuſtris Rex Aragonenſis, apud Toloſam in bello, quod habuit cum Francigenis, peccatis exigentibus interfectus fuit, de cuius morte tota Chriſtianitas lugere debet & triſtari.

MCCXV. Concilium Domini Papæ Innocentij III. celebratum in Lateranenſi Patriarchatu.

MCCXVI. Obiit Rocelinus Vicecomes Maſſilienſis & Monachus S. Victoris.

MCCXVIII. Obiit inclytus Simon, Comes Montisfortis in obſidione Toloſæ VII. Kal. Iulij.

MCCXIX. In feſto S. Leonardi Chriſtiani diuina virtute ceperunt Damiatam. Dedicatio altaris Omnium Sanctorum 4. kal. Decemb. & 3. Kal. Dec. dedicatio altaris S. Mauricij, & ſociorum eius.

MCCXX. Conſecratum fuit altare B. Ioannis Baptiſtæ & S. Ioannis Euangeliſtæ.

MCCXXII. Menſe Iunij captum fuit Caſtrum de Lambeſco, & funditus dirutum & penitus deſtructum à Berengario Comite Prouinciæ, & Maſſilienſibus. Eodem anno & menſe captum fuit ab eis caſtrum de Roca Martina. Menſe Octobris

die XI. kal. Nouembris Luna XIV. fuit Eclipſis Lunæ.

MCCXXV. XVI. kal. Martij ſimiliter fuit Eclipſis Lunæ, & fuit quaſi ſanguinea.

MCCXXVI. Menſe Septembris capta fuit ciuitas Auinionenſis à domino Lodouico Rege Francorum, & muri eius dirupti & foſſati ſolo adæquati.

MCCXXIX. Iacobus Rex Aragonenſis cepit gladio virtute diuina pridie Kal. Ianuarij ciuitatem Majoricarum. Eodem anno Raymundus Berengarij Comes Prouinciæ cepit ciuitatem Nicienſem.

MCCXXX. Iacobus illuſtris Rex Aragonenſis, cum Maſſilienſibus cepit Majoricas, & totam inſulam, tempore Natalis Domini, & poſt eodem anno Raymundus Berengarij Comes Prouinciæ debellauit Maſſiliam infra ciuitatem.... ab intranti Auguſto vſque poſt feſtum omnium Sanctorum, & non potuit obtinere.

MCCXXXVIII. Idem Rex cepit ciuitatem Valentiam, ſcilicet in vigilia S. Michaëlis.

MCCXXXIX. Tertio Nonas Iunij, ſexta feria, Luna XXVIII. fuit Eclipſis Solis. Dominus Epiſcopus Maſſilienſis Benedictus, & Theobaldus Rex Nauarrenſis, & Comes Campaniæ cum multis alijs pertexerunt Ieroſolymam. Et in alio anno Ricardus Comes cum alijs multis pertexerunt ſimiliter Ieroſolymam.

MCCXLIV. Inter feſtum B. Michaëlis, & feſtum Omnium Sanctorum venit domnus Papa Innocentius IV. Lucdunum.

MCCXLV. XVI. Kal. Auguſti in Eccleſia Sancti Ioannis Lugdunenſis, Concilio ſolemniter celebrato, Dominus Papa Innocentius IV. de communi voluntate omnium Cardinalium contra Fredericum olim Imperatorem ſententiam perpetuæ depoſitionis ſolemniter promulgauit, ſacro-ſancto Concilio approbante, ipſum & hæredes eius Imperio, & regno Siciliæ, & alijs regnis, poteſtatibus, honoribus ac omnibus dignitatibus ſententialiter omnino priuauit. XIV. Kal. Sept. obiit Illuſtriſſimus vir Raymundus Berengarius Comes Prouinciæ apud Aquis, cuius anima requieſcat in pace. Carolus Comes frater Lodouici Francorum Regis contraxit matrimonium cum Beatrice filia Illuſtris Comitis Prouinciæ bonæ memoriæ Raymundi Berengarij videlicet pridie Kalendas Februarij.

MCCXLVIII. Menſe Auguſti Lodoicus Dei gratia, Illuſtriſſimus Rex Franciæ transfretauit. Feſto B. Martini fuit capta ciuitas Sibiliæ à Rege Caſtellæ.

MCCXLIX. Obiit Raymundus Comes Toloſanus.

MCCL. In vigilia S. Luciæ obiit Fredericus olim Imperator.

MCCLI. Pridie kal. Maij Dominus Papa Innocentius IV. cum quibuſdam Cardinalibus viſitauit Monaſterium Sancti Victoris Maſſiliæ, & in feſto Inuentionis ſanctæ Crucis Dominus P. Cardinalis Albanenſis conſecrauit altare B. Mariæ Virginis, & eadem die exierunt è Monaſterio verſus Italiam.

Eodem anno Karolus Comes Prouinciæ in vigilia beati Bartolomæi cum magno exercitu intrauit Vallem Maſſiliæ contra Maſſilienſes quorum occaſione omnia bona Monaſterij tam in ædificijs quàm in molendinis, & in vineis ferè penitus deuaſtauit.

MCCLVII. Brito miles & ciuis Maſſilienſis filius quondam Ancelini Feri vir ſapiens, & ſummæ eloquentiæ inimicorum inualeſcente malitia fuit ejectus de ciuitate Maſſilia, & bona ipſius diſtracta. Hoc fuit actum III. Nonas Madij. Eodem anno III. Nonas Iunij Karolus Comes Prouinciæ accepit dominium totius ciuitatis Vicecomitatus Maſſiliæ perpetuo commune, & concilio eiuſdem ciuitatis penitus approbante. Sequenti verò die domnus Benedictus tunc Maſſilienſis Epiſcopus dedit & conceſſit prædicto Karolo Comiti Prouinciæ ius & dominium villæ Epiſcopalis Maſſiliæ, & tunc fuit eadem villa cum inferiori villa coadunata in omnibus & conjuncta.

MCCLXIV. Quatuor & mille, bis centum cum decies ſex.
Anni poſt Verbum Domini Gabriele ſonante
Eſſent. Cometes Iulij quaſi fine luceſcit.
Tunc in Caſtella Pagani bella mouerunt.
Anglia per Simonem manſit viduata Miniſtro.

MCCLXV. Princeps Mansfredus Frederici filius olim.
A Karolo Rege fuit armis namque peremptus.

Annis tranſactis poſt pacem Virginis almæ.
Sexdenis quinque necnon cum mille ducenis.
Fuit die Veneris ante feſtum Cathedræ S. Petri.

MCCCXXXIII. Quarto Nouembris obiit Domnus Ioannes Papa XXII. Sedit in Epiſcopatu anno XVIII. Hic rexit Eccleſiam Romanam viriliter in ſpiritualibus & temporalibus. Tempore ſuo anno Pontificatus ſui XIV. fuit creatus in Roma per falſos Doctores qui dicunt ſe habere poteſtatem eligendi Papam, vnus Antipapa qui vocabatur Nicolaus V. qui per magnam eruditionem ſuam tantum fecit, quod ipſum Antipapam confitendo hæreſim ſuam à Roma vſque in Auenionem fecit venire captum, & per omnes ciuitates, & locos nominatos magnos ipſe Antipapa confitebatur hæreſim ſuam: Quoniam ipſe creauerat plures Cardinales contra Dominum, & ſanctam Eccleſiam, populo Romano ei conſentiente, quod omnia quæ fecerat ipſe fecerat contra Dominum & ſanctam Eccleſiam plus timendo populum, quàm Deum: erat autem frater Minor. Obiit in Palatio dicti Domini Ioannis in ciuitate Auenionenſi, Anno Pontificatus ſui XVI.

Ipſo autem anno XVI. Decembris, fuit electus Papa Benedictus XII. Erat autem Cardinalis Monachus Abbas.

MCCCXLI. Obiit Benedictus Papa XII.

MCCCXLV. Andreas Rex Siciliæ filius Regis Vngariæ fuit peremptus per ſuos in Auerſa ciuitate.

MCCCXLVII. Obiit Amaluinus de Rocha Laura, Abbas huius Monaſterij, & ſepultus in Eccleſia antiqua in Capella S. Martini in qua ordinauit terciam hebdomadam redditus pro illo qui celebraret pro eo.

Incipit mortalitas vniuerſalis gentium circa partes iſtas quaſi circa feſtum omnium Sanctorum, & vix remanſit tertia pars ex ciuibus, & contagio circuiuit totum mundum, ac ante alibi inceperat quàm hic & durauit per tres annos & plus, ſed in his partibus durauit quaſi per ſexdecim menſes.

MCCCLVI. Proditio Regis Franciæ Ioannis per ſuos, & captio per Anglicos, ſcilicet per Principem de Galles, filium Regis Anglorum: & ſtetit captus in Anglia per annos duos. Exiſtente Papa Innocentio VI. & Rege Ludouico & Ioanna Præſidentibus in Sicilia, inſula Sicilia ſibi ſine vi armorum nutu Dei ſubjecta eſt in menſe Decembris. Eodem anno tranſlatum eſt caput Sancti Lazari in incaſtraturam.....

MCCCLVII. Tractatus proditioſus contra Regem Ludouicum & Iohannam eius conſortem, vt perderent Prouinciam, & Comitatum Forcalquerij: Cuius fuerunt auctores Amelius de Bauſſo, & Comes Auellini cum multis complicibus ſuis Vaſconibus ſcilicet Arnaldo, & Petro de Ceruala, & licet multa damna dederint, tamen Dei gratia, & S. R. E. diligentia, & domini Stephani Abbatis huius Monaſterij fruſtrati ſunt fine per eos intento. Iſto anno fuit deſtructa Albanea, & ſanctus Marcellus, & Rochaforte fuerunt deſtructa per Maſſilienſes, & multa alia caſtra ipſius Comitatus per alios.

MCCCCXXIII. Die Sabbati XX. menſis Nouembris circa Solis occaſum Alfonſus Rex Aragonum cum ſuo Scolio XXII. Galearum veniens de Neapoli intrauit ciuitatem Maſſiliæ eam prædæ & incendio vſque Martium immediatè ſequentem exponendo, & demum receſſit verſus Aragonem.

MCCCCXXIV. Die XVIII. Ianuarij in craſtinum S. Antonij obiit, domnus Petrus Flaminchi Abbas in caſtro de Auriolo, qui ſtatim fuit tranſlatus in Monaſterium. Hic XVI. Nouembris recepit poſſeſſionem Monaſterij per Procuratorem domnus Guillelmus de Lacu cum Bullis Papalibus Abbas, & vſque ad quam receptionem poſſeſſionis gubernauerunt Domini Ioannes de Vitulis Doctor Decretorum, & Prior de Remeta, ac Perſiuallus de Clauoto Eleemoſynatius, Vicatij per Conuentum dicti Monaſterij concorditer electi.

MCCCCXXVIII. Die Iouis de Veſpere poſt Solis occaſum inter horam ſextam & ſeptimam prima hora noctis quæ fuit dies XXIII. Septembris, fuit Eclipſis Lunæ vniuerſalis, & fuit tota nigra, quaſi non apparens.

MCCCCXXXIII. die XVII. Iunij, fuit parua Eclipſis Solis in ciuitate Maſſiliæ,

licet ſecundum quoſdam Aſtrologos dicta Eclipſis debuiſſet eſſe magna, tamen non fuit verum.

MCCCCLIIII. die XXVIII. Maij, magnus Thurcus cepit inclytam ciuitatem Conſtantinopolitanam, campanas, & reliquias, quas ibidem reperit, & omnia ſacra profanans, multamque Chriſtianorum ſtragem faciens & multos in captiuitatem ducens, quod proh dolor eſt dicendum.

MDXXIV. *Marchelhe fut aſſiegée de Borbon.*

MDXLII. *Le Dauphin aſſiegea la Cité de Perpignan. Le Duc d'Orleans prit la Duché de Luxembourg, & Yuoy.*

MDXLIII. *Franſſe bruye, Eſpagne s'enfuye: Sauoye ſe rend, Antoine de Leue ſe pend.*

EX ALIIS EXCERPTA.

Sacellum B. V. in territrio de Fabregolis caſtri de Pennis, anno 1056. conſtructum.

Guillelmus Groſſus Vicecomes Maſſilienſis 1188. vltima Maij obiit.

1206. 20. Aprilis obiit Gaufridus Roſtagni miles.

1209. 28. Februarij obiit nobilis Rufus de Caſtronouo.

1245. 19. Auguſti obiit Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes.

1262. Carolus Comes Prouinciæ Maſſilienſes rebelles mulctat.

1390. 23. Iulij Ludouicus Rex Siciliæ Comes Prouinciæ Neapolim tendit.

1481. Carolus III. Comes Prouinciæ Maſſiliæ 10. Decembris obiit, teſtamento condito. Eius corpus Aquas-ſextias defertur, & in Eccleſia Cathedrali ſepelitur.

CHRONICON
BREVE S. VINCENTII METENSIS
Ab anno DXI. ad MCCLXXIX.

ANNO DXI. Clodoueus Rex Francorum obiit, quatuor filij eius regnum diuidunt. Theodericus ſedem habuit Metim, Clotarius Sueſſionis, Childebertus Pariſiis, Clodomerus Aurelianis.

DXXXIII. Inuentio cryptæ S. Michaëlis.

DXXXV. Obiit Theodericus Rex Francorum ſuccedit filius eius Theodobertus Mettis.

DXLVIII. Obiit Theodebertus Rex Francorum, ſuccedit filius eius Teodovvaldus Mettin.

DLVI. Obiit Teodovvaldus abſque liberis, ſicque Monarchia ad Clotarium rediit.

DLXII. Obiit Clotarius Rex Francorum, cui ſuccedunt quatuor filij eius: Caribertus, Pariſius: Chilpericus, Sueſſionis: Guntrannus, Aurelianis: Sigebertus, Mettis.

DLXXV. Obiit Sigebertus, ſuccedit Childebertus filius eius Mettis.

DCLIV. Obiit Dagobertus Rex.

DCLXXXVIII. Pipinus Senior filius Anchiſi Major domus fit.

DCCXIV. Obiit Pipinus Senior.

DCCXVI. Karolus Martellus Major domus fit.

DCCXIIX. Obiit Lotharius Rex.

DCCXLI. Pipinus & Carlomannus patri in honore ſuccedunt.

DCCXLIV. Grodegangus Epiſcopus Metenſis.

DCCXLVII. Carlomannus efficitur Monachus.

DCCLXVII. Obiit Grodegangus Epiſcopus.

DCCLXVIII. Obiit Pipinus Rex. DCCLXIX. Angilrannus Epiſcopus Metenſis.

DCCLXXI. Karlomannus obiit.

DCCCI. Karolus fit Imperator.
DCCCXIV. Karolus obiit. Ludouicus Pius ſuccedit.
DCCCXVI. Ludouicus Pius fit Imperator.
DCCCXIX. Gundulfus Epiſcopus Metenſis.
DCCCXXV. Drogo Epiſcopus Metenſis.
DCCCXL. Ludouicus Pius obiit, & fit maxima diſſenſio inter filios eius.
DCCCXLI. Bellum ingens ſtragéſque magna inter filios Ludouici in campo, qui dicitur Fonteret.
DCCCLV. Lotharius Imperator obiit. Lotharius filius eius ſuccedit.
DCCCLVIII. Aduentius Epiſcopus Metenſis.
DCCCLXIX. Obiit Lotarius filius Lotharij: cuius regnum inuaſit Carolus Caluus frater patris eius.
DCCCLXXV. Obiit Ludouicus Imperator filius Lotharij, cui ſucceſſit Carolus Caluus frater patris.
DCCCLXXVI. Walo Epiſcopus Metenſis.
DCCCLXXVII. Obiit karolus Caluus filius Ludouici Pij.
DCCCLXXIX. Obiit Ludouicus filius Caroli.
DCCCLXXXIII. Rorbertus Epiſcopus Metenſis.
DCCCLXXXVII. Obiit Carolus frater Superiorum.
DCCCLXXXVIII. Arnulfus Rex efficitur.
DCCCC. Obiit Arnulfus: ſuccedit Ludouicus filius eius.
DCCCCXI. Obiit Ludouicus: ſuccedit Conradus.
DCCCCXVI. Obiit Rotbertus Epiſcopus Metenſis.
DCCCCXVII. Wigericus Epiſcopus Metenſis. Vngarij primitus regnum Lotharij ingreſſi ſunt.
DCCCCXIX. Obiit Conradus, ſuccedit Henricus primus.
DCCCCXXVI. Vngarij ſecundò regnum Lotharij vaſtarunt.
DCCCCXXVII. Berno Epiſcopus Metenſis.
DCCCCXXIX. Adelbero primus Epiſcopus Metenſis.
DCCCCXXXV. Obiit Henricus Rex.
DCCCCXXXVI. Otho Imperator.
DCCCCXXXVII. Vngarij tertiò regum Lotharij depopulati ſunt.
DCCCCLV. Vngarij, qui iam quartò regnum Lotharij intrauerant, ab Ottone Imperatore deuincuntur.
DCCCCLXIV. Deodericus primus Epiſcopus Metenſis.
DCCCCLXVIII. Hoc anno iacta ſunt fundamenta huius Eccleſiæ.
DCCCCLXX. Tranſlatio S. Luciæ, & aliarum reliquiarum, quas domnus Deodericus ab Italia in hunc locum tranſtulit.
DCCCCLXXII. Obiit Otho Imperator.
DCCCCLXXIII. Otto Imperator ſecundus.
DCCCCLXXXII. Bellum in Calabria contra Saracenos ab Ottone Imperatore.
DCCCCLXXXIV. Otto tertius, Imperator. Adelbero ſecundus Epiſcopus Metenſis.
MII. Henricus ſecundus, Imperator.
MXXIV. Conradus Imperator, qui & Cono.
MXXX. Hoc anno dedicata eſt hæc Eccleſia pridie Idus Maij.
MXXXVII. Bellum ante Bar caſtrum, vbi Odo Comes Francorum interimitur, & Gozelo Dux victor extitit.
MXL. Henricus tertius, Imperator.
MXLVII. Adelbero tertius, Epiſcopus Metenſis. Virdunum ſuccenditur à Duce Godefrido Barbaro.
MLVI. Henricus IV. Imperator.
MLXIV. Bellum Anglicum.
MLXIX. Obiit Godefridus Dux.
MLXXIII. Herimannus Epiſcopus Metenſis.
MLXXIX. Bellum in Saxonia, vbi occiditur Rodulfus Rex.
MLXXXVI. Bellum Sathanaci.
MLXXXVII. Obiit Willelmus Rex Anglorum.

MXC. Popo Epiſcopus Metenſis.

MXCV. Concilium Aruernæ, & monitu Vrbani Papæ Hieroſolymitanum iter incipit.

MXCVII. Antiochia capitur.

MXCIX. Ieruſalem capitur.

MCIV. Adelbero quartus, Epiſcopus Metenſis, poſtea ejectus.

MCVI. Henricus quintus, Imperator.

MCXI. Henricus Imperator Paſchalem Papam intra Eccleſiam ſancti Petri capit.

MCXIV. Bar caſtrum à Rege Henrico expugnatur, & capitur, capto ſimul Comite Rainaldo.

MCXVI. Domnus Ranulfus Abbas.

MCXX. Stephanus Metenſis Epiſcopus.

MCXXV. Lotharius Imperator.

MCXXXVI. Obiit Laudulfus Abbas huius loci: cui ſucceſſit Iſambardus Abbas.

MCXXXVIII. Conradus Imperator.

MCXLVI. Robertus Abbas efficitur huius loci.

MCXLVII. Iter Hieroſolymitanum ſecundum.

MCXLVIII. Concilium Remis ſub Eugenio Papa.

MCLI. Fames valida.

MCLII. Fredericus Imperator.

MCLIII. Occiſio Metenſium.

MCLIV. Expeditio Regis Frederici in Italia.

MCLIX. Inundatio aquarum. Schiſma inter Alexandrum & Victorem.

MCLXI. Dedicatum eſt Oratorium S. Luciæ Idibus Iulij.

MCLXII. Fames valida.

MCLXIII. Obiit Stephanus Metenſis Epiſcopus tertio kal. Ianuarij.

MCLXIV. Theodericus Metenſis electus.

MCLXV. Obiit piæ memoriæ Abbas Rotbertus huius loci.

MCLXX. Paſſus eſt glorioſiſſimus Martyr Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus.

MCLXXI. Obiit Theodericus: Fredericus electus.

MCLXXII. Theodericus eiectus.

MCLXXIV. Inundationes aquarum.

MCLXXVI Fames valida.

M LXXVII. Vnitas Eccleſiæ Dei reddita.

MCLXXIX. Concilium Romæ ſub Alexandro Papa. Theodericus Metenſis electus deponitur. Bertrannus Epiſcopus Metenſis.

MCLXXXII. Obiit Willelmus Abbas huius loci, ſuccedit Franco.

MCLXXXV. Inundatio aquarum.

MCLXXXVII. Terra Hieroſolymitana à Saladino capta & vaſtata.

MCLXXXIX. Iter tertium Hieroſolymitanum. Fredericus Imperator cum magno exercitu per Bulgariam & Iconium tranſiit. Accaron à Chriſtianis obſeſſa.

MCXC. Obiit Fridericus Imperator, & diſperſus eſt exercitus, multique in obſidione Accaron mortui ſunt. Succeſſit Henricus filius eius.

MCXCI. Philippus Rex Francorum cum magno exercitu mare tranſit.

MCXCVIII. Hoc anno fames valida. Venit quarta frumenti XX. ſolidis, & facta eſt mortalitas maxima. Obiit Henricus Imperator apud Meſanas, & duo fuerunt electi ad Imperium Philippus frater eius, & Otho Comes Pictus: id eſt Pictauienſis.

MCC. Obiit Abbas Franco.

MCCVIII. Hoc anno XI. Kal. Iulij paſſus eſt Philippus Romanorum Rex Bauembergæ qui prima die ſuæ minutionis à Palatino Comite gladio nequiter percuſſus occubuit.

MCCXI. Obiit Bertrannus Metenſis Epiſcopus: ſucceſſit Conradus Metenſis, & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulæ Cancellarius.

MCCXV. Concilium Romæ ſub Innocentio Tertio. Ibi degradatus eſt Otto

quondam Imperator & excommunicatus ab omni Concilio.

MCCXXI. Damiata Saracenis redditur. Suburbium Metenſe à Comite Campaniæ,& Comite Barenſi, & à Comite Lucemburgenſi cum omni poteſtate eorum obſeſſum eſt,& confuſi receſſerunt.

MCCXXXIII. Obiit Philippus Rex Francorum,ſucceſſit Ludouicus filius eius.

MCCXXV. Obiit Conradus Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, & Imperialis ante Cancellarius,& totius Italiæ Legatus.

MCCXXIX. Domus de Staples obſeſſa eſt à Ioanne Epiſcopo Metenſi.

MCCXXXI. Apud S. Germanum caſtrum vnum ædificatum à Ioanne Metenſi Epiſcopo,& Monachi à Prioratu reijciuntur.

MCCXXXII. Ciuitas Metenſis à Ioanne Metenſi Epiſcopo, & à Duce Lotharingiæ,& à Comite Barrenſi obſeſſa eſt, nec potuerunt præualere contra ciuitatem.

MCCXXXIII. Caſtrum de Florienges,nouum caſtrum, & alia à Metenſibus, & à Comite Barenſi expugnantur.

MCCXXXIV. Caſtrum ædificatum à Ioanne Epiſcopo Metenſi apud S. Germanum à Metenſibus & à Comite Barenſi expugnatur & redditur.

MCCXXXVIII. Obiit domnus Ioannes Metenſis Epiſcopus: ſucceſſit Iacobus frater Ducis Lotharingiæ. Balduinus electus Imperator Conſtantinopolitanus tranſiuit per ciuitatem Metenſem.

MCCXXXIX. Imperator Fredericus per totam Italiam equitauit bona deſtruendo.

MCCXLI. Comes Henricus Barenſis à Saracenis occiditur: ſucceſſit Theobaldus filius eius.

MCCXLVIII. Hoc anno iacta ſunt primitus fundamenta huius nouæ Eccleſiæ in tranſitu B. Nicolai.

MCCLI. Obiit Abbas Garinus fundator huius Eccleſiæ. Nicolaus Abbas efficitur.

MCCLVI. Obiit Nicolaus Abbas: ſucceſſit Gerardus antea Abbas S. Symphoriani.

MCCLVIII. Obiit Arnulfus Archiepiſcopus Treuirenſis: ſucceſſit Henricus de Feneſtranges.

MCCLX. Obiit domnus Iacobus Epiſcopus Metenſis: ſucceſſit Philippus de Florenges.

MCCLXIV. Reſignauit coactus Philippus: ſucceſſit Guillermus.

MCCLXIX. Obiit Guillermus Metenſis Epiſcopus: ſucceſſit Laurentius Notarius Papæ.

MCCLXX. Ludoicus Rex Franciæ cum maximo exercitu, videlicet Ioanne & Philippo filiis,& cum quinque Regibus,& plurimis Ducibus, Comitibus, Principibuſque & Militibus innumerabilibus tranſmare nauigando obiit cum Ioanne filio ſuo, cui ſucceſſit Philippus filius eius.

MCCLXXII. Obiit Gerardus Abbas: ſucceſſit Petrus.

MCCLXXIV. Gregorius Papa decimus fecit Generale Concilium apud Lugdunum, & accepit vniuerſam prouentuum Eccleſiæ decimam per ſex annos pro ſubſidio Terræ ſanctæ.

MCCLXXVI. Depoſitus eſt Petrus Abbas huius loci: ſucceſſit Regnerus.

MCCLXXIX. Obiit Laurentius Metenſis Epiſcopus, quondam Papæ Notarius: ſucceſſit Ioannes Epiſcopus frater Comitis Flandriæ.

CHRONICON DVPLEX SANCTI MICHAELIS IN PERICVLO MARIS.

In quibus multa ad Minorem Britanniam & ad Andegauenſem prouinciam ſpectantia.

ANNO ab Incarnatione Domini DVI. (arbitror legendum eſſe VID. vt annum CCCCXCIV. aut aliquem ex proximis deſignet) facta eſt reuelatio B. Mi-

chaëlis in Monte Gargano ſub Zenone Imp. (corrige Anaſtaſio) & Gelaſio Papa.
DCCVIII. Facta eſt reuelatio B. Michaëlis in Monte Tumba ſub Childeberto Rege Francorum, & Autberto Epiſcopo Abrincenſi.
DCCCLI. Venit Haſtingus in regnum Francorum.
DCCCLXXVI. Venit Rollo in Normannia v. kal. Decembris.
DCCCCXVII. Obiit Rollo, cui ſucceſſit Guillelmus filius eius.
DCCCCXLII. Occiſus eſt Guillelmus filius Rollonis, cui ſucceſſit Richardus filius eius qui primus poſuit Monachos in Eccleſia S. Michaëlis in periculo maris.
DCCCCLXVI. Mainardum ſcilicet primum Abbatem, qui fuerat Abbas S. Wandregiſili per quinque annos, & alium Mainardum nepotem ſuum cum aliis Monachis.
DCCCCXCI. (forte DCCCCXCVI.) obiit primus Richardus Dux Normannorum cui ſucceſſit ſecundus Ricardus filius eius. Hic Ricardus duxit Iudith ſororem Gaufridi Comitis Britanniæ, ex qua genuit duos filios Ricardum & Robertum qui ei ſucceſſit. Gaufridus verò Comes Britanniæ Hadeuiſam ſororem prædicti Ricardi, ex qua genuit duos filios Alanum & Eudonem.
MIX. Conſilio Ducis Ricardi ſecundus Mainardus iam grauatus ſenio elegit ſucceſſorem ſibi domnum Hildebertum Monachum eiuſdem loci.
MXXIII. Inchoata eſt noua Eccleſia B. Michaëlis à Ricardo II. Comite, & Hildeberto ſecundo Abbate, qui Abbas eodem anno obiit, cui ſucceſſit Almodus.
MXXVI. Obiit Ricardus II. Dux Normannorum, cui ſucceſſit Ricardus III. filius eius, qui eodem anno mortuus eſt: cui ſucceſſit Robertus frater eius.
MXXXIII. Ordinatus eſt Suppo Abbas Monaſterij S. Michaëlis.
MXXXV. Obiit Robertus Dux Normannorum rediens ab Ieruſalem, cui ſucceſſit VVillelmus filius eius nothus adhuc puer, vtpote ſeptennis.
MXLVIII. Factum eſt bellum apud VValeſdunas à VVillelmo Duce Normannorum contra Guidonem Comitem cognatum ſuum. Eodem anno Suppo dimiſit Abbatiam Montis & ſucceſſit ei Radulfus Monachus Fiſcanenſis.
MLIII. Factum eſt bellum apud Mortuum mare. Eodem anno Radulfo Abbati ſucceſſit Ranulfus Monachus eiuſdem loci
MLXIII. Subiugata eſt Cenomannis Comiti Normannorum Guillelmo.
MLXVI. Guillelmus Dux Normannorum mare tranſiens, victo Heraldo, regnum Anglorum ſubjugauit.
MLXXXVII. Obiit Guillelmus Rex Anglorum & ſucceſſerunt ei filij eius VVillelmus Rufus in Anglia, & Robertus primogenitus Dux in Normannia.
MXC. Obſeſſio Montis huius facta eſt à Guillelmo Rege Anglorum, & Roberto Duce, Henrico eorum fratre in hoc Monte incluſo.
MXCV. Papa Vrbanus tenuit Concilium apud Claromontem.
MXCVI. Iter Hieruſalem à Chriſtianis.
MC. Occiſus eſt Guillielmus Rufus Rex Anglorum & ſucceſſit ei Henricus frater eius.
MCII. Viſus eſt à nonnullis propè & procul poſitis S. Michaël Archangelus, prout credimus, in figura columnæ igneæ in nocte ſcilicet ſuæ feſtiuitatis penetraſſe Eccleſiam huius Montis.
MCVI. Factum eſt bellum apud Tenechebray inter Henricum Regem Anglorum, & Robertum Ducem Normannorum fratrem ſuum. In quo idem Dux & Guillelmus Comes Moritonij, & multi alij capti ſunt. Eodem anno Rogerius Abbas dimiſit Abbatiam S. Michaëlis, & Rex Henricus fecit eum Abbatem Cernelienſem. Huic ſucceſſit Rogerius Prior Gemeticenſis.
MCXII. Combuſta eſt Eccleſia S. Michaëlis igne fulminis cum omnibus officinis Monachorum, Burgo illæſo, cùm eſſet ſubtus Monaſterium, quod mirum eſt.
MCXVII. Factus eſt ventus validus in vigilia Natiuitatis Domini.
MCXIX. Factum eſt bellum inter Henricum Regem Anglorum, & Ludouicum Regem Francorum, in quo bello multi optimates Franciæ capti ſunt.
MCXX. Subuerſus eſt in mari ante Barbeflutum VVillelmus filius Henrici Regis Anglorum, & multi alij cum eo.
MCXXIII. Rogerius Abbas dimiſit Abbatiam Montis.

MCXXIV. Ricardus de Mere Monachus Cluniacenſis factus eſt Abbas Montis, quem tenuit per tres annos.

MCXXVIII. Occiſus eſt Willelmus Comes Flandrenſis filius Roberti Ducis Normannorum. Eodem anno Robertus de Torinneio, qui poſtea factus eſt Abbas Montis, aſſumpſit habitum religionis Becci.

MCXXXI. Bernardus Monachus Becci factus eſt Abbas Montis.

MCXXXV. Obiit Henricus Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, cui ſucceſſit Stephanus Comes.

MCXXXVIII. Debacchatione Abrincatenſium furentium combuſtum eſt caſtrum Montis, excepta Eccleſia, & officinis Monachorum menſe Auguſto.

MCXLI. Captus eſt Stephanus Rex Angliæ, apud Lincolium in bello à Roberto Comite.

MCXLIV. Reddita eſt turris Rotomagenſis Gaufredo Comiti Andegauenſi, & exinde factus Comes Normanniæ.

MCXLV. Cœperunt viri & mulieres humeris carros onuſtos lapidibus, & alia materia humiliter, & cum magna deuotione ad opus Eccleſiæ trahere, & ibi eueniebant multa miracula.

MCXLVII. Perrexit Conradus Imp. Alamannorum, & Ludouicus Rex Francorum, & ſocij eorum Hieruſalem, vbi parum vel nihil profecerunt.

MCXLIX. Obiit Bernardus Abbas Montis, & ſucceſſit ei Gaufredus Monachus eiuſdem loci, qui ſequ. anno mortuus eſt. De diſcordia quæ fuit inter Ricardum de Muſca, & Robertum Harditum propter Abbatiam Montis nihil attinet dicere, niſi quia ipſi, & Ricardus Abrincenſis Epiſcopus in itinere Romæ obierunt.

MCLI. Obiit Gaufredus Dux Normannorum, & Comes Andegauorum, & ſucceſſit ei Henricus filius eius natus ex Mathilde Imperatrice filia primi Henrici Regis Angliæ.

MCLIII. Concordati ſunt Stephanus Rex Angliæ, & Henricus cognatus eius Dux Normannorum.

MCLIV. Menſe Maio VI. Kal. Iunij feria quinta, infrà octauas Pentecoſtes electus eſt Robertus de Torinneio, Prior Clauſtralis Becci, ad regimen Eccleſiæ S. Michaëlis ab omni conuentu. Eodem anno obiit Stephanus Rex Anglorum. Succeſſit ei Henricus II. Dux Normannorum.

ALIVD CHRONICON EIVSDEM MONTIS

Quod iure ARMORICVM, aut ANDEGAVENSE dixeris.

CCCCXXI. Natus eſt S. Gildas. His diebus fuit Artus Rex Britannorum fortis, & facetus.

DXIII. Venerunt tranſmarini Britanni in Armoricam, id eſt minorem Britanniam.

DXXXIV. Occiſus eſt Cauallonus Rex fortiſſimus maioris Britanniæ.

DLXXX. Fuerunt ſancti Samſon, Maclous, Maglorius, & Paulus Epiſcopi.

DCXLIII. Dagobertus Rex Francorum, & S. Iudicael pacem fecerunt.

DCCCXXIII. Conſtructum eſt in Britannia minore Monaſterium Rorhonenſe ſub Ludouico piiſſimo Imperatore in Fiſco regio, Comnouio primo Abbate.

DCCCXLIII. Ciuitas Nanneris à Normannis capitur ſub Lamberto Duce, & Epiſcopum ipſius ciuitatis Gichardum in Miſſa, Surſum corda dicentem, occiderunt.

DCCCXLVII. Obiit Sergius Papa, cui ſucceſſit Leo. Hic direxit corpus S. Marcellini Papæ, & Martyris ad Nomenoium Principem, quod poſitum eſt in Monaſterio Rorhonienſi.

DCCCLI. Obiit Nomenoius ſubregulus Britannorum: cui ſucceſſit filius eius Eriſpoius.

DCCCLVII. Eriſpoius Rex Britonum à Salomone perimitur. Tempore huius Salomonis delatum eſt corpus B. Matthæi Apoſtoli in minorem Britanniam.

Te

DCCCLXIX. Salomon Rex direxit Romam Adriano Papæ ſtatuam auream cum multis aliis donariis.

DCCCLXXIV. Occiſus eſt Salomon Rex Britonum.

DCCCCXX. Normanni omnem Minorem Britanniam vaſtauerunt, cunctis occiſis vel eiectis Britonibus. Tunc aſportata ſunt corpora Sanctorum qui erant in Britannia, in diuerſas terras.

DCCCCXXXI. Britones qui remanſerant, omnes Normannos interfecerunt in feſto S. Michaëlis, cæſo primo Duce eorum Feletan.

DCCCCXLIV. Normanni Britonnes occidunt, & è terra ipſorum diſpergunt tempore Berengarij & Alani.

DCCCCLXVI. Monachi miſſi ſunt in Eccleſiam S. Albini Andegauenſis, Clericis depulſis à Fulcone Bono Comite Andegauenſi & Adela Comitiſſa.

DCCCCLXX. Fulco Comes Andegauenſis qui cognominatus eſt Hieroſolymitanus filius Gaufredi Griſegonellæ Comitis Andegauenſis dedit filiam ſuam Ermengardem Conano Duci minoris Britanniæ, ex qua genuit Gaufredum, qui ei ſucceſſit, & Iudith vxorem ſecundi Ricardi Ducis Normanniæ.

DCCCCLXXXI. Conanus Curuus contra Andegauenſes in Concurrum optimè pugnauit. Eodem tempore ſub Gaufredo Conani filio Mainardus Abbas Rothomenſe Monaſterium & Abbatiam S. Michaëlis de periculo maris optimè rexit, ſed Rothomenſem iuuens * dimiſit.

† Lubens aut iuuenis.

DCCCCXXCVII. Obiit Gaufredus Comes Andegauenſis pater Fulconis.

DCCCCLXXII. Secundum bellum fuit in Concurrum, in quo Fulco Comes Andegauenſis victor extitit, & Conanus Brito occiſus eſt 5. Kal. Iulij à filiis Iuhelli Berengarij.

M. Incenſa eſt vrbs Andegauenſis poſt incenſionem Comitiſſæ Eliſabeth.

MVIII. Obiit Gaufredus Dux Britanniæ filius Conani filij Iuhelli Berengarij, dum pergeret Romam cauſa orationis. Huius ſororem Iudith duxit ſecundus Ricardus Dux Normannorum: & ipſe Gaufredus duxit Hamdis ſororem prædicti Ricardi, ex qua genuit duos filios Alanum & Eudonem, qui ei ſucceſſit, partito Ducatu Britanniæ.

MXXVI. Sarmul captus eſt à Fulcone Comite Andegauenſi.

MXXXII. Gaufredus Martellus Andegauenſis Comes Agnetam Comitiſſam Pictauenſem duxit inceſto coniugio. Hic ædificauit Monaſterium S. Trinitatis Vindocini.

MXXXIII. Gaufredus Martellus cepit Willelmum Comitem Pictauenſem, cuius vxorem Agnetem ante duxerat.

MXL. Obiit Alanus Dux Britanniæ filius Gaufredi kal. Octobris, & ſucceſſit ei Conanus filius eius, quem genuit ex Berta ſorore Theobaldi Comitis Turonenſis.

MXLIV. Cepit Gaufredus Martellus Comitem Theobaldum Turonenſem, & extorſit ab eo vrbem Turonicam.

MLVI. Conanus Dux Britanniæ, cepit Eudonem patruum ſuum. Hic Eudo multos habuit filios.

DE ABBATIBVS MONTIS SANCTI MICHAELIS IN PERICVLO MARIS.

LOTHARII Regis tempore Hugone Archiepiſcopo Rotomagenſi anno DCCCCLXV. Ricardus Normanniæ Dux à Ioanne Papa XIII. deputatus Canonicos qui in Eccleſia S. Michaëlis de Mōte Tumba in periculo maris per 258. annos à fundatione dicti loci, expulit, & religioſos Ordinis S. Benedicti in ea conſtituit, villis multis, & aureis atque argenteis vaſis locupletauit & ornauit. Romæ eodem anno confirmata fuerunt omnia in Synodo, Maynardo Abbate. Richardo mortuo Richardus Dux filius omnia Fiſcani datis literis confirmauit, & à Richardo & Roberto filiis, aliiſque ſignari procurauit, inter quos Maugiſus Epiſcopus Abrincenſis. Cúmque inter Epiſcopum Abrincenſem & Abba-

tem occaſione iuriſdictionis, quam Dux olim Abbati in Monte conceſſerat orta
ſæpè lis eſſet, tandem compoſitio facta eſt inter Guillelmum de Oſtillon, Ep. & Ro-
dulfum Abbatem anno 1236.

In Monte Tumba B. Michaëlis reuelatio facta eſt Iuſtiniano Imper. Ioanne
Papa, , Childeberto Francorum Rege, Autberto Abrincatenſi Epiſcopo anno
708. in quo loco per annos 258. multa facta miracula Canonicis Eccleſiæ mini-
ſtrantibus.

DCCCCLXVI. Richardus Dux Monachos Canonicis ſubſtituit, & Maynar- I.
dum illis primum Abbatem præfecit de Monaſterio Fontanellæ, quod nunc Sancti
Wandregiſili vocant: quod Monaſterium Maynardus per 5. annos rexerat, priuſ-
quam veniret ad Montem.

DCCCCXCI. Mainardo primo ſucceſſit Mainardus nepos eius & Prior: cuius II.
tempore combuſtum fuit Monaſterium cum omnibus officinis.

MIX. Mainardus ſenio grauatus elegit ſibi ſucceſſorem Hildebertum: tempo- III.
re ipſius repertum fuit corpus Sancti Autberti, quod abſconſum fuerat à Canonicis.

Hildeberto ſucceſſit Hildebertus II. nepos eius: cuius tempore mulier peperit IV.
in arenis. Inchoata fuit noua Eccleſia à Richardo II. Duce, & ipſo Hildeberto
anno 1023. & eodem anno obiit. Eodem anno Suppo Abbas Fructuarienſis ſuſ-
cepit donum Abbatiæ Sancti Michaëlis. Et dum laboraret in renunciatione Fru-
ctuarienſis Monaſterij, & in adeptione integra Montis, duo Abbates rexerunt
Abbatiam S. Michaëlis, videlicet Almodus Abbas Cæſarij, alter Theodericus Ab-
bas Gemeticenſis. Hi duo requieſcunt in Abbatiis ſuis.

MXXXIII. Ordinatus fuit Suppo Abbas, multa bona contulit Abbatiæ, & V.
propter odium Monachorum receſſit, & reuerſus eſt ad ſolum proprium.

MXLVIII. Radulfus Monachus Fiſcanenſis, vir nobilis. Fuit cuſtos Monaſte- VI.
rij Ber..... Obiit in itinere Hieruſalem 1058. requieſcit in Porticu Eccleſiæ.

MLX. Duobus annis interpoſitis Ranulfus à puero Monachus, factus eſt Abbas. VII.
Hic miſit Guillelmo Duci, qui ſubiugauerat regnum Angliæ quatuor Monachos,
videlicet Rualem Priorem, poſtea Abbatem Hilde apud Waruic, Scollaudum
Theſaurarium poſtea Abbatem S. Auguſtini apud Cantuariam, Serlonem ſtrenuæ
nobilitatis & religionis iuuenem poſtea ædificatorem, & Abbatem S. Petri Glo-
ceſtrenſis, & Guillelmum de Agorn, Abbatem Tonelienſem. Præfuit annis 23.
multas terras Eccleſiæ propinquis ſuis largitus eſt. Requieſcit in porticu Eccleſiæ.

MLXXXV. Cepit regnare Rogerius Cadomenſis Monachus, qui fuerat ante VIII.
Capellanus Regis Anglorum.

MCII. Viſus eſt à nonnullis propè ac procul poſitis S. Michaël, prout credimus,
in figura columnæ igneæ nocte ſuæ vltimæ feſtiuitatis penetraſſe Baſilicam iſtius
Montis: & ſimile accidit tempore S. Mainardi Abbatis & Norgodi Abrincenſis
Epiſcopi.

MCIII. Ciborium nauis Eccleſiæ, quod Rogerius ædificauerat, corruit: partem
dormitorij oppreſſit, Monachis illæſis.

MCVI. Rogerius dimiſit Monaſterium Sancti Michaëlis, & factus eſt Abbas IX.
Ternelienſis in Anglia ab Henrico Rege Angliæ. Eodem anno Rogerio I. ſucceſ-
ſit Rogerius II. Prior Gemmeticenſis vir religioſus & ſapiens.

MCXII. Combuſta fuit igne fulmineo Eccleſia Sancti Michaëlis, Monachis, &
burgo illæſis.

MCXXIII. Rogerius poſito baculo Paſtorali ſuper altare B. Michaëlis Gem-
meticum remeauit habens ex iuſſione Regis marchas 25. ex reditibus Eccleſiæ S.
Michaëlis annuatim. Inſequenti anno mortuus eſt. Hoc fuit propter quandam in-
iuriam quam paſſus fuerat à quodam ſuo homine, qui calumniabatur quoddam feo-
dum in camera Abbatis, quod Abbas nolebat ei reddere.

MCXXIV. Richardus Monachus Cluniacenſis, & pene Laïcus, ſed genere & X.
moribus quantum ad ſæculum nobilis, factus fuit Abbas. Poſt tres annos, & dimi-
dium conſilio Regis Henrici & Matthæi Albanenſis Epiſcopi Legati curam Ab-
batiæ dimiſit, & ad S. Pancratium, vbi ſuſcepit Monachatum, rediit. Abbatia fuit
in manu Regis abſque Abbate ferè per triennium, & Rex fecit per miniſtros ſuos
æs alienum ſoluere quod Richardus de Mere mutuò acceperat, cuius ſumma fuit
700. libræ Cenomanenſes abſque vſura, quam Rex prohibuit reddi.

XI. MCXXXI. Rothomagi Henricus Rex in feſto S. Agathæ, dedit Abbatiam Bernardo Priori de Cernon Monacho Beccenſi. Hic multa bona fecit Monaſterio. Vas ex auro & argento in quo poſuit caput B. Autberti. Fecit & duo ſigna mediana optima, imitatus Radulfum Abbatem, qui fecit ſignum quod Rollonem vocant ad Britones arcendos de finibus Normanniæ. In Anglia apud S. Michaëlem de Cermeria Eccleſiam & conuentum Monachorum 13. ſub Priore prouidit.

XII. Huic Bernardo nondum ſepulto præpropera electione ſucceſſit Gaufridus eiuſdem Eccleſiæ Monachus 1149. Hic ſeq. anno mortuus eſt in maxima calamitate relinquens Eccleſiam ære alieno cauſa ipſius pacis erga Comitem. Sepultus in porticu Eccleſiæ.

MCLII. Mortuo Gaufrido Abbate, ad inſtantiam Richardi Abrincenſis Epiſcopi cognati ſui Richardus de Muſca, Monachus huius loci, electus fuit Abbas: & quia abſque ſcientia & aſſenſu Principis facta fuerat electio, Richardus ille non ſolum de Abbatia, ſed de tota terra Ducis Henrici eliminatus eſt, & omnis diſpenſatio Monaſterij per tres Laïcos qui ſibi inuicem ſucceſſerunt, per duos annos & dimidium facta eſt. Tandem Monachi caſſauerunt dictam electionem, & Robertum Cellerarium Fiſcanenſem cognomento Harditum, nec Clericum, nec Laïcum ſuggeſtione Rainaldi de S. Valerico aſſenſu Ducis Henrici elegerunt. Vnde Richardus de Muſca adijt Papam Eugenium, cuius præcepto Richardus Abrincenſis Epiſcopus benedixit prædictum Richardum Abbatem in Eccleſia S. Andreæ, cui benedictioni nullus Monachorum Montis interfuit, excepto vno, qui relicto conuentu, illum comitabatur. Tandem miſſis Monachis Romam pro vtraque parte, vterque ſcilicet Richardus de Muſca, & Robertus Harditi, & etiam Richardus Epiſcopus Abrincenſis eos ſubſecuti ſunt, & infra breue ſpatium peregrè obierunt ſcilicet anno 1153. Iſtos duos in Catalogo non enumero, quia nec in Eccleſia, nec in Refectorio Abbatis officio vnquam vſi fuerunt.

XIII. MCLIV. Menſe Maio 6. Kal. Iunij feria 5. infrà Octauas Pentecoſtes electus fuit Robertus de Torigneio, Prior Clauſtralis Becci. Plurima bona operatus eſt & fuit cuſtos caſtelli de Ponte Vrſonis. Obiit 1186.

XIV. MCLXXXVII. Martinus Abbas electus honorificè rexit nulla diſſipans, ſed antea diſperſa recolligens.

XV. MCXCI. Iordanus Abbas. Tempore huius combuſta fuit Eccleſia à Britannis. Obiit 1212.

XVI. Radulfus de Inſulis
XVII. Thomas de Cameris } Iſti rexerunt 24. annis.
XVIII. Radulf. de Villa Dei

XIX. MCCXXXVI. Ricardus Iuſtini. Obiit 1264.

XX. Nicolaus Alexander } Iſti rexerunt annis 34.
XXI. Nicolaus Fauigot.

XXII. MCCXCVIII. Obiit Ioannes le Fac Abbas & ſucceſſit ei Guillelmus de Ca-
XXIII. ſtro. Obiit 1314.

XXIV. Ioannes de Porta ſucceſſit Guillelmo. Iſtud Monaſterium cum omnibus ſuis pertinentiis retraxit de ſub Rege Nauarræ. Chartas confirmari fecit à Domno Philippo de Valeys Rege Francorum. Viriliter reſtitit contra illos qui volebant quòd Monaſterium ſolueret ſtipendia illorum quos Rex ponebat ad cuſtodiendum Montem. Obiit 1334. Sepultus eſt in Capella S. Ioannis noua quam ipſe dotauit, & duos Capellanos in ea conſtituit.

XXV. Nicolaus le Vitrier, Prior huius loci, in Monte iſto oriundus, qui per 27. annos, & ſex menſes honorificè rexit. Fortalitium Montis per Religioſos & ſeruitores Monaſterij, omnibus inuadentibus repulſis, in obedientia Regis Franciæ fecit cuſtodire. Guerris adhuc vigentibus deceſſit 1362. 3. Kal. Nouembres.

XXVI. Gaufridus de Seraone Prior huius loci in ciuitate Abrincenſi oriundus, rexit per 23. annos, & tres menſes. Multa feoda acquiſiuit. Eccleſia S. Michaëlis ab igne fulguris combuſta, campanæ quaſi plumbum liquefactæ. Anglici in rocha de Tumba Helenæ per eoſdem ædificata capti fuerunt vi armorum, & ab ea omnino expulſi. Obiit 1386.

XXVII. MCCCLXXXVI. Petrus Regis Abbas de Exaio, rexit annis 25.

XXVIII. MCCCCXI. Robertus Iolmeti Monachus huius loci, rexit annos 34.

BREVIS HISTORIA COMITVM PROVINCIÆ EX FAMILIA COMITVM BARCINONENSIVM.

Ex Archiuo Nicienſis Vrbis.

DEFVNCTO Gilberto Comite Prouinciæ relicta Tiburgia coniuge Comitiſſa, & Dulcia vnica filia circa annum MXC. Raymundus Berengarij vulgo Cap-deſtoupes à Cæſarie quam geſtabar, dictus, Comes Barcinonæ in Catalonia, ſi recte memini, nonus, quaſi miraculosè Imperatricem à crimine adulterij quo ſuſpecta dicta erat, duello more illius gentis contra duos proceres Germanorum liberaſſet, in remunerationem tanti beneficij Imperator eidem Raymundo Berengarij dictam Dulciam accedente conſenſu Tiburgiæ matris accepto dicto Comitatu Prouinciæ nomine dotis, matrimonio copulauit. Ex quo coniugio tres maſculi, vna fœmina ſuper fuere, videlicet Berengarius primogenitus, qui fuit maritus Petronillæ filiæ Ranemirij primò Monachi, & demum dimiſſa cuculla Aragonum Regis, Comeſque in teſtamento Patris Barcinonæ relictus, & accepta Petronilla Aragonum Princeps dictus. Gibertus ſecundo-natus qui fuit Comes Prouinciæ. Raymundus tertio natus, & Stephana quæ fuit vxor Raymundi de Bauxio. Mortuo deinde Giberto Comite Prouinciæ ab inteſtato abſque liberis, ſucceſſionem ſibi vendicabant Berengarius Comes Barcinonæ Aragonum Rex dictæ Petronillæ maritus, & Raymundus Berengarij nepos ex fratre Raymundo Berengarij iam defuncto, necnon Stephana vxor dicti de Bauxio. Qui quidem Raymundus nepos, maritus effectus neptis Federici primi Imperantis anno 1162. de dicto Comitatu Prouinciæ à dicto Federico inueſtituram accepit: propter quod querela exorta fuit inter eundem Berengarium, & dictum Raymundum eius nepotem. Demum commotione finita, his legibus, quod dictus Raymundus, Berengarij nepos precario nomine quamdiu viueret à dicto Berengario eius patruo dictum Prouinciæ Comitatum retineret. Stephana verò ſoror acceptis certis caſtellis à dicto Berengario, eidem omne ius ſuum remiſit. Defuncto Raymundo-Berengarij idem Berengarius Comes Barchinonæ, & Prouinciæ, maritus Petronillæ inſtituit hæredem ſuum tam in dicto Comitatu Barchinonæ, quàm in Comitatu Prouinciæ Idelfonſum primogenitum ſuum. Qui quidem Idelfonſus ex matris donatione fuit primus Aragonum Rex. Berengarius tamen pater iuſſit Raymundum filium ſuum ſecundogenitum dictum Comitatum Prouinciæ tenere, quamdiu viueret, & poſt illum Sanxium ſuum filium tertiogenitum cum Vinone filio dicti Sanxij Is Raymundus in obſidione Nicienſi Balliſta percuſſus interiit: propter quod Idelfonſus in Prouinciam venit & ciuitatem Arelatenſem à Bauxenſibus occupatam recuperauit, ligneis turribus ſuper flumine Rhodani in nauigiis fabricatis & muro applicatis. In cuius manibus Nicienſes anno MCLXXVII. de menſe Iunij in plano iuxta Varum iuramentum fidelitatis præſtiterunt, ſolutis 1180. ſolidis pro ſatisfactione iniuriarum & rebellionis: & deinde in Aragoniam rediit, relictis Sanxio eius fratre & Vinione eius filio precario nomine Comitibus. In quorum manibus dicti Nicienſes iuramentum fidelitatum præſtiterunt ſub anno MCCX. die 22. Auguſti. Idlefonſus verò Aragonum Rex, tres ſuſcepit liberos videlicet Petrum primogenitum quem in dicto regno hæredem inſtituit, Ildefonſum ſuum ſecundogenitum Comitem Prouinciæ fecit de omni iure quod dominus Montis-Peſſulani per ſe tenebat. Ferrandum verò tertiogenitum Monachum fieri iuſſit in Monaſterio Populeti. Ildefonſus autem Comes Prouinciæ factus Garſendam neptis Comitis Forcalquerij in vxorem duxit ex qua Berengarium-Raymundum vltimum Comitem Catalanum habuit, qui in vxorem habuit filiam Ducis Sabaudi. In cuius Berengarij manibus Nicentici iuramentum fidelitatum præſtiterunt ſub anno MCC XIX. die nona menſis Nouembris. Et hic Berengarius fuit famoſus pulchritudine quatuor filiarum ſuarum: videlicet Margaritæ primogenitæ quam S. Ludouico Regi Francorum copulauit, Helionoræ ſecundogenitæ quam Henrico III. Anglorum Regi dedit, de quibus meminit Hoſtienſis in ſumma, in titulum de Clandeſtina deſpon-

ſarione §. 1.coll. 3. verſu, quid igitur ſi tota patria. Sanxiæ tertio-genitæ quam Richardo Cornubiæ Duci, & demum depoſito Federico creato Imperatori, in marrimonio dedit, Beatricis quartogenitæ quam beatus Ludouicus expulſis initio Comitibus Prouinciæ Carolo fratri ſuo Andegauenſi Duci in vxorem dedit accepto dicto Comitatu Prouinciæ dotis nomine ſub anno 1246. Idibus Octobris, vt conſtat ex Archiuis Nicentienſibus.

ROMANVM ITER D. PETRI DE COLVMBARIO CARDINALIS OSTIENSIS.

Ad Coronationem Caroli IV. Imperatoris Romani.

Ex codice MS communicato à D. de Vyon, D. d'Herouual.

ANNO Natiuitatis Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto, Indictione octauâ, die Lunæ, nona die Februarij Reuerendiſſimus D. in Chriſto Pater Dominus Petrus de Columbario, Oſtienſis & Veletrenſis Epiſcopus Cardinalis exiuit Auinione eundo Romam pro Coronatione & inunctione Imperatoris Caroli, & diætas ſuas continuauit, vt inferius apparebit, ac ſuos fecit tranſitus eundo, & redeundo per ciuitates, caſtra, terras & loca, quæ inferius conſcribuntur.

Et primò fuit die Lunæ in prandio in Nouis propè Auenionem, ad duas leucas, & ibi iacuit illo ſero.

Item die Martis dicti menſis fuit in prandio in Argone, & ibidem pernoctauit, & diſtat à dicto loco de Nouis per tres leucas.

Mercurij XI. dicti menſis fuit in prandio in ciuitate Aquenſi, & ibi pernoctauit & diſtat ab Argone per ſeptem leucas.

Iouis XII. die, fuit in prandio in S. Maximino, & ibidem iacuit illo ſero, & diſtat à ciu. Aquenſi per ſex leucas.

Veneris XIII. die, fuit in prandio in Brinoniâ ſeu Brignola, & ibidem iacuit, & diſtat à dicto loco S. Maximini per tres Leucas.

Sabbato XIV. Febr. Fuit in prandio apud Loneques, & diſtat à Brinoniâ per quatuor leucas & iacuit in Draguinyaco *Draguinham*, & diſtat à Loneques per duas leucas, & in Draguiniaco fuit per totam diem Dominicam Carniſpriuij XV. Februarij.

Die Lunæ XVI. Fuit in prandio in Faencia Forojulienſis Diœceſis, & diſtat à Draguiniaco per quatuor leucas, & ibidem iacuit.

Martis XVII. Fuit in prandio in ciuitate Graſſæ, & ibidem iacuit & diſtat à Faencia per quatuor leucas.

Mercurij die Cinerum XVIII. dicti menſis fuit in prandio in ciuitate Niciæ, & ibidem iacuit, & diſtat à Graſſa per quinque leucas.

Iouis XIX. Fuit in prandio in dicta ciuitate Niciæ, & ibidem iacuit.

Veneris XX. Fuit in prandio in caſtro de Turbia & ibidem iacuit & diſtat à Niciâ per nouem millia quæ valent tres leucas.

Sabbato XXI. Fuit in prandio in ciuitate Vintimilienſi ſeu de Vintemilha, & ibidem pernoctauit, & fuit ibi Dominica in Quadrageſimâ per totam diem, & diſtat à Turbiâ per decem millia quæ valent tres leucas, & tertiam partem vnius leucæ. Et ibi incipit terra Domini de Mediolano, & Riperia Ianuæ.

Die Lunæ in vigilia B. Mathiæ Apoſtoli XXIII. Februarij, fuit in prandio in S. Romulo Diœceſis Albinganenſis, & diſtat à Vintimilia per X. milia, & ibidem pernoctauit.

Martis in feſto B. Mathiæ XXIV. Fuit in prandio in Portu Mauricij prædictæ Diœceſis, & ibidem iacuit, & diſtat à loco S. Romuli per quindecim millia quæ valent quinque leucas.

Mercurij XXV. Fuit in prandio in ciuitate Albingana, & ibidem iacuit, & diſtat à Portu Mauricij per viginti miliaria, & ibidem fuit bene hoſpitatus in domo cuiuſdam nobilis de Albengâ, & multum bene honoratus per communitatem ci-

uitatis & multa fuerunt ibi præſentata.

Iouis XXVI. Fuit in prandio in Caſtro de Petra ſeu dela Prea, quod eſt Epiſcopi Albinganenſis prædicti, & ibidem iacuit, & fuit ibidem ad expenſas dicti Epiſcopi, & diſtat à dicta ciuitate Albinganenſi per decem miliaria.

Veneris XXVII. Fuit in loco Finarij ſeu Final, Diœceſis Saonenſis, & diſtat à dicto loco de Petra per quinque miliaria, & ibidem fuit tota die cum dominis Gregorio Manuele, & Alerano de Carrero Marchionibus Saonæ, dominis dicti loci Finarij, & fuit in eorum domo ad expenſas eorum egregiè cum tota familia hoſpitatus.

Sabbato XXVIII. Fuit in ciuitate Saonenſi in prandio, & ibi iacuit, & diſtat à Final per quindecim milia, & fuit per totam diem dominicam primam Martij ſecundamque Dominicam Quadrageſimæ.

Die Lunæ ſecunda Martij, fuit in prandio in loco de Vulture ſeu de Votre Diœceſis Ianuenſis, & ibidem iacuit, & diſtat à Saonâ per viginti milia.

Martis III. Fuit in prandio in ciuitate Ianuæ à Clero & populo multimodè honoratus, & in domo Prædicatorum egregiè hoſpitatus, & ibidem fuit dicta die Martis, & die Mercurij ad expenſas communitatis dictæ ciuitatis, & die Iouis ſequenti ad expenſas ſuas.

Veneris VI. die Martij fuit in prandio in loco vocato Roco, & ibidem iacuit & diſtat à dicta ciuitate per duodecim milia.

Sabbato ſequenti fuit apud Clarij dictæ Diœceſis in prandio, & ibidem iacuit, & diſtat à loco de Roco per duodecim millia.

Dominica tertia Quadrageſimæ VIII. Martij, fuit in prandio in loco vocato Ceſtre dictæ Diœceſis, & ibidem iacuit, & diſtat à loco de Clarij per quinque miliaria.

Die Lunæ IX. fuit in prandio in ciuitate Brignan loco ſterili & male ædificato & pauperrimo, & ibidem iacuit, & diſtat à Ceſtre per octodecim millia.

Martis X. Fuit in prandio in Burgo dicto Serzana Lunenſis Diœceſis, & ibidem iacuit, & diſtat à ciuitate Brignancenſi per octodecim milia.

Mercurij XI. Fuit in prandio in Burgo de Petra ſancta, Diœceſis Luguenſis ſeu de Luca, & ibidem iacuit, & diſtat à Serzana per ſexdecim milia.

Iouis XII. Fuit in prandio, in ciuitate Piſarum, & ibi inuenit præfatum Dominum Imperatorem tunc Romanorum Regem qui dicto Domino Cardinali obuiam venit, & eum multum honorauit, vt inferius patebit, & ibi fuit diebus Iouis prædicta, Veneris, Sabbati, Dominica, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Sabbato ſequentibus, & diſtat à Petra ſancta viginti miliaria.

Dominica ſequenti XXII. die Martij fuit in prandio in Burgo ſancti Miniati Luguenſis Diœceſis, & ibi iacuit, & diſtat à ciuitate Piſarum per viginti miliaria.

Lunæ XIII. Fuit in prandio in Burgo Podij Bonizij ſeu de Pegi boni floris Diœceſis, & eſt de dominio Florentinorum, & ibidem iacuit, & diſtat à dicto loco S. Miniati per viginti miliaria.

Martis XXIV. Fuit in prandio, in ciuitate Senarum, & ibidem fuit diebus Mercurij, Iouis, & Veneris ſequentibus, & diſtat à Podio Boniſij per viginti milia, & etiam ibidem inuenit Dominum præfatum Imperatorem.

Sabbaro XXVIII. Fuit in prandio in Burgo de Bono conuentu, & diſtat à Senis per duodecim milia, & dicta die iacuit in Burgo S. Quirici, & diſtat à Bono conuentu per octo milia.

Dominica XXIX. Fuit in prandio in caſtro de Radicofano quod eſt de patrimonio Eccleſiæ, & diſtat à S. Quirico per duodecim milia, & iacuit in Burgo vocato Aquapendente qui eſt de patrimonio Eccleſiæ, & diſtat à Radicofano per duodecim milia: malum iter eſt & longum.

Lunæ XXX. Fuit in prandio in caſtro de Montisflaſcone quod eſt de patrimonio Eccleſiæ, & diſtat ab Aquapendente per...... & ipſa die iacuit in ciuitate Viterbienſi quæ eſt de patrimonio Eccleſiæ, & diſtat à Montisflaſcone per octo milia, & ibidem fuit die Martis tota die.

Mercurij prima die Aprilis, fuit in prandio in ciuitate de Sutre quæ eſt de patrimonio Eccleſiæ, & ibidem iacuit, & diſtat à Viterbio per duodecim milia. Iacuit etiam ibidem dominus Rex Romanus.

Iouis die 2. Aprilis, fuit in prandio in caſtro de Sezano, & diſtat à Sutre per duodecim milia, & ibi fuit pranſus dictus dominus Imperator cum dicto domino Cardinali.

Item die Iouis prædicta intrauit Vrbem quæ diſtat à dicto caſtro per viginti miliaria, & in dicta vrbe fuit diebus Veneris, & Sabbati ſanctis, & dominico Paſchæ quo fuit facta Coronatio, & inunctio præfati Imperatoris: & die Lunæ ſequenti de mane fuit ad dictum Dominum Imperatorem in ſancto Laurentio extra muros Vrbis, poſtea reuenit in prandio in Vrbe, vbi fuit die illa, & die Martis ſequenti.

Mercurij VIII. Aprilis prædictus dominus Cardinalis fuit in Oſtia in prandio & ibi iacuit, & fuit ibidem die Iouis ſequenti in prandio, & eadem die fuit in veſpere in Vrbe & ibidem fuit die Veneris ſequenti tota die.

Sabbato XI. Fuit in prandio in Monaſterio B. Mariæ de Crota Ferrata, & ſunt Monachi Græci, & diſtat ab Vrbe per decem milia. & fuit in ſero in ciuitate Velletrenſi, & ibi fuit diebus Dominico, & Lunæ ſequentibus, & diſtat à dicto Monaſterio de Crota Ferrata per octo milia.

Martis XIV. Fuit in prandio in caſtro de Zagarolo, quod eſt domini Agapiti de Columna, & diſtat à ciuitate Vellerrenſi per octo milia. In ſero fuit in ciuitate Tiburtina ſeu de Tyuoli, & diſtat à Zagarolo per octo milia.

Mercurij XV. Fuit in prandio in caſtro de Fara, quod eſt Abbatis B. Mariæ de Farfa, & diſtat à ciuitate Tiburtina per ſedecim milia: in ſero fuit in caſtro de Montepelino, quod eſt dicti Abbatis, & diſtat à Fara per quatuor milia.

Iouis XVI. Fuit in prandio in caſtro Turrij, quod eſt Eccleſiæ infra Comitatum Sabinæ, & diſtat à Montepolino per octo miliaria: in ſero fuit in ciuitate Narniæ quæ eſt Eccleſiæ infrà dictum Comitatum, & ibidem fuit die Veneris XVII. Aprilis, & diſtat à loco Turrij, per quatuordecim milia.

Sabbato XVIII. Fuit in prandio in caſtro Aqueſparte, quod eſt communitatis Tudertinæ ſeu de Todi, & Diœceſis dictæ ciuitatis de Todi, & infrà Comitatum de Todi, & ibidem iacuit, & diſtat à dicta ciuitate Narniæ per decem milia.

Dominica XIX. Fuit in prandio in loco de Montifalcone, quod eſt Diœceſis, & Comitatus prædictorum, & diſtat ab Aqueſparte per quindecim milia, & ibidem fuit dominus Legatus. In ſerò fuit in ciuitate de Fullino, quæ eſt communitatis dictæ ciuitatis, & diſtat à Montefalcone per quinque milia, & ibidem inuenit dominum Legatum vbi pranſus fuit die Lunæ ſequenti, & ipſe die Lunæ fuit in ſero in ciuitate Aſſiſij, vbi eſt corpus B. Franciſci, & diſtat à Fullino per quinque milia.

Martij XXI. Fuit in prandio in ciuitate Peruſij, & ibidem iacuit, & ſtetit die Mercurij tota die, & diſtat à ciuitate Aſſiſij per decem milia magna.

Iouis XXIII. Fuit in prandio in Monaſterio S. Archangeli & diſtat à Peruſio per octo milia: in ſero fuit in ciuitate Cluſij ſeu de Cluſa quæ eſt communitatis Peruſij, & diſtat à dicto Monaſterio per decem milia, & in dicto loco de Cluſa eſt Annulus B. Mariæ Virginis in Monaſterio B. Muſtiolæ.

Veneris XXIV. Fuit in prandio in Monte Politiano qui eſt communitatis Senarum, & diſtat à Cluſio per octo milia: in ſero fuit in loco S. Quirici, & diſtat à loco Montis Politiani per decem milia.

Sabbato in feſto S. Marci Euangeliſtæ XXV. fuit in prandio in Bono conuentu, & diſtat à S. Quirico per octo milia: in ſero fuit in ciuitate de Senis & diſtat à Bono conuentu per decem milia, & ibidem fuit diebus Dominico, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Sabbati, & Dominico ſequentibus.

Lunæ IV. Maij, fuit in prandio in Burgo Podij Boniſij, & ibidem iacuit, & diſtat à ciuitate Senarum per duodecim milia.

Martis V. Maij, fuit in prandio in Burgo S. Caſſiani, quod eſt communitatis Florentiæ, & ibidem iacuit, & diſtat à Burgo Podij Boniſij per duodecim milia.

Mercurij VI. fuit in prandio in ciuitate Florentiæ, & ibidem fuit diebus Iouis, & Veneris, & diſtat à Burgo S. Caſſiani per octo milia.

Sabbato IX. fuit in prandio in caſtro de Prato Diœceſis Piſtoriæ, quod eſt communitatis Florentiæ & diſtat à dicta ciuitate per decem milia. Fuit in cœna in ciuitate Piſtoriæ, & diſtat à caſtro de Prato per decem milia, & ibidē fuit die Dominico.

Lunæ XI. Fuit in prandio in Burgo vocato de Paiſſa, quod eſt communitatis Florentiæ, & Diœceſis Lucanæ, & diſtat à Piſtoriâ per decem milia: fuit in cœna in

ciuitate

ciuitate Lucanâ quæ eſt cõmunitatis Piſarum, & diſtat à dicto Burgo per dec. mil.

Martis XII. Fuit in prandio in eadem ciuitate Lucanâ, in cœna in ciuitate Piſarum, & diſtat à ciuitate Lucana per decem milia, & ibidem fuit vſque in diem Mercurij poſt Pentecoſtem in prandio XXVII. Maij: ita quod ſtetit ibidem XV. diebus.

Die Mercurij poſt Pentecoſten XXVII. Maij, fuit in cœna in Petraſancta, & diſtat à ciuitate Piſana per viginti milia.

Iouis XXVIII. Fuit in prandio in dicto loco de Petraſancta, vbi erat dominus Imperator. In cœna fuit in Burgo de Serzana, & diſtat à Petraſancta per ſedecim milia.

Veneris XXIX. Fuit in prandio in Burgo de Villafranca, quod eſt Marchionis de Malaſpinâ, & diſtat à Serzana per quatuordecim milia: in ſero fuit in burgo Pontremuli, ſeu de Pontremel, qui eſt domini Mediolanenſis, & diſtat à Villafranca, per octo milia.

Sabbato XXX. Fuit in prandio in Burgo de Verſero, ſeu de Verſe, & ibidem, fuit tota die ipſa, & die Dominico ſequenti, feſto Sanctiſſ. Trinitatis, & diſtat à loco Pontremuli per duodecim milia.

Die Lunæ prima Iunij, fuit in prandio in Burgo vocato Trenchin, ſeu Trencha, & ibidem incipit Lombardia, & diſtat à Verſero per duodecim milia: in ſero fuit in longo de Fomono Diœceſis Parmenſis, & diſtat à Terrenchio per octo milia.

Martis II. Iunij, fuit in prãdio in Burgo S. Domnini, & ibid. iacuit, & diſtat à Fornouo per duodecim milia, & ibidem incœpit facere expenſas Dominus Mediolanenſis.

Mercurij III. Fuit in prandio, & in cœnâ in ciuitate Placentiæ ſeu de Pleyzenſa, & ibidem fuit die Iouis ſequenti in feſto Corporis Chriſti tota die, & diſtat à Burgo S. Domnini per viginti milia.

Veneris V. Fuit in prandio, & in cœnâ in ciuitate de Laude, & diſtat à Placentia per viginti milia.

Sabbato VI. Fuit in ciuitate Mediolanenſi, & ibidem fuit die Dominico, & diſtat à ciuitate Laudenſi per viginti milia.

Lunæ VIII. Fuit in prandio in loco vocato Mezero, & diſtat à ciuitate Mediolanenſi per quindecim milia: in cœna fuit in ciuitate Nouariæ, & diſtat à Mezerone per decem milia.

Martis IX. Fuit in ciuitate Vercellenſi tota die, & diſtat à Nouaria per duodecim milia, & eſt in Pedimonte.

Mercurij X. Fuit in Burgo de Montecaluo, qui eſt Marchionis Montisferrati, & fuit ibi tota die, & diſtat à ciuitate Vercellenſi per viginti milia.

Iouis XI. Fuit in ciuitate Aſtenſi quæ eſt dominorum Mediolanenſium, & ibidem fuit tota die, & diſtat à dicto loco Montiſcalui per octo milia.

Veneris XII. Iunij, fuit in prandio in caſtro de Querio, ſeu de Quier Taurinenſis Diœceſis, quod eſt communitatis Sabaudiæ, & Principis Moraniæ, & ibi fuit in ſero, & diſtat à ciuitate Aſtenſi per ſedecim miliaria.

Sabbato XIII. Fuit in prandio in Burgo S. Ambroſij Diœceſis Taurinenſis quod eſt Abbatis S. Michaëlis, & ibidem iacuit, & diſtat à dicto loco de Querio per ſedecim milia.

Dominico XIV. Fuit in prandio in loco de Secuſia ſeu de Suza, dictæ Taurinenſis Diœceſis quæ eſt Comitis Sabaudiæ, & ibidem iacuit, & diſtat à Burgo S. Ambroſij per decem milia.

Lunæ XV. Fuit in prandio in loco Vlrienſi, videlicet in Monaſterio; Qui locus eſt præfati Comitis, & ibidem iacuit, & diſtat à Secuſia per quatuor leucas.

Martis XVI. Fuit in prandio in Burgo de Brianſonio, qui eſt Dalphini, & ibi iacuit, & diſtat à locu Vlrienſi per quinque leucas.

Mercurij XVII. Fuit in prandio in caſtro S. Criſpini quod eſt Archiepiſcopi Ebredunenſis, & diſtat à Brianſono per quinque leucas: in ſero fuit in ciuitate Ebredunenſi quæ eſt communitatis Dalphini, & Archiepiſcopi, & diſtat à S. Criſpino per tres groſſas leucas, & ibidem fuit die Iouis ſequenti tota die.

Veneris XIX. Fuit in prandio in Burgo Caturicarum ſeu de Chaorge, quæ eſt Dalphini, & Archiepiſcopi Ebredunenſis, & diſtat ab Ebreduno per quatuor leucas.

Sabbato XX. Iunij, fuit in prandio, & in cœna, in ciuitate Vapincenſi, & diſtat à loco Caturicarum per tres leucas, & ibidem fuit die Dominico.

Y y

Lunæ XXII. Fuit in prandio in Monaſterio Alamoni, & diſtat à ciuitate Vapinenſi quatuor leucas, in ſero fuit in ciuitate Ciſtericenſi, ſeu de Ciſteron, quæ eſt Ludouici Regis Siciliæ, & diſtat à loco Alamoni per quatuor leucas.

Martis XXIII. quæ fuit Vigilia Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, fuit in prandio in Caſtro de Forcalqueyo, ſeu de Forcalquier Ciſtericenſis Diœceſis qui locus eſt dicti domini Regis, & ibidem iacuit, & diſtat à ciuitate Ciſtericenſi per ſex leucas magnas.

Mercurij in feſto Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ XXIV. Iunii, fuit in prandio in caſtro vocato Cyreſta, & diſtat à Forcalqueyo per tres leucas: in cœna fuit in ciuitate Aptenſi, & diſtat à Cyreſta per tres leucas.

Iouis XXV. fuit in prandio in Burgo Inſulæ Cauallicenſis Diœceſis qui eſt Domini Papæ, & ibidem iacuit, & diſtat à ciuitate Aptenſi per quinque leucas groſſas, & ibidem fuit tota die Veneris.

Sabbato XXVII. Iunij, intrauit Auinionem qui diſtat ab Inſula Cauallicenſi per quatuor leucas. Laudetur Deus. Amen.

CHRONICON BREVE REMENSE.

A Chriſto nato ad annum ſalutis MCXC. *Ex Veteribus membranis, quæ penes me ſunt.*

CHRISTVS natus eſt de Virgine anno quadrageſimo ſecundo Octauiani.
Chriſtus in Templo audit Doctores & interrogat anno Incarnat. ſuæ XII.
XV. Obiit Octauianus, ſuccedente Tiberio.
XXX. Chriſto baptizato doctrina, & miracula eius incipiunt.
XXXIII. Paſſus eſt Dominus.
XXXVIII. Defuncto Tiberio imperauit Gaius.
XLII. Decedente Gaio regnauit Claudius.
LIII. Incipit Cyclus primus Bedæ Preſbyteri.
LVI. Mortuo Claudio ſuccedit Nero.
LXVIII. Petrus & Paulus martyrizantur.
LXX. Neroni ſuccedit Veſpaſianus.
LXXIX. Veſpaſiano ſuccedit Titus.
LXXXI. Defuncto Tito regnauit Domitianus.
XCVII. Succeſſit Nerua defuncto Domitiano.
XCVIII. Mortuo Nerua regnauit Trajanus.
CCCCL. Beatus Remigius natus eſt Remenſium futurus Pontifex.
CCCCLII. Terræ motus penè aſſidui, & ſigna plurima in cœlo oſtenduntur. Veſpere ab Aquilone cælum efficitur rubens vt ignis intermixtis per igneum ruborem clarioribus ſignis in haſtarum ſpeciem deformatis. Luna obfuſcatur, Cometes apparet, & multa alia ſigna quæ non eſſe otioſa oſtendit inſtans rerum conſequentia.
CCCCLIII. Nichaſius Remorum Archiepiſcopus decollatur XVIII. Kal. Ianu.
CCCCLXXII. Remigius Epiſcopus factus eſt.
XCXIV. Ludouicus Rex Francorum à beato Remigio Remis baptizatus eſt.
DXXIV. Boethius lōgo exilio fatigatus à Theodorico Gothorum Rege perimitur.
DXLIV. Beatus Remigius obijt.
DLV. Hiems niue & glacie ita exaſperatur, vt volucres, & feræ indomitæ manu capi poſſent.
DLVI. Terræ motus terribilis nimiùs per decem dies factus eſt, & quaſi ſpecies lanceæ in cœlo apparuit à Septentrione in Occidentem.
DLX. Miſerabilis in Italia mortalitatis peſtilentia facta eſt.
DLXIII. In Gallia mons ſuper Rhodanum fluuium multis diebus dans mugitum tandem ab alio monte ſibi vicino diſciſſus cum Eccleſiis & domibus, hominibus & beſtiis in Rhodanum eſt præcipitatus.
DLXVI. Multa ſigna in Sole, & Luna apparuerunt.
DLXXVII. Hiſpani & Franci de Paſcha celebrando diſſentiunt. Hiſpanis XII. kalendas Aprilis, Francis verò XIV. kalendas Maii Paſcha celebrātibus, ſed Francos

rectè celebraſſe per hoc diuinitus claruit, quòd ſontes in Hiſpaniâ qui in Sabbato ſancto Paſchæ ad baptizandum diuinitus ſponte repleri ſolent, non in Hiſpanorum, ſed in Francorum Paſcha repleti ſunt.

DLXXXV. Incipit Cyclus ſecundus Bedæ Preſbyteri.

DCX. Pluuiæ adeò inundant, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuij inundarent, & tanta clades, vt nullus grauiorem ſæculo fuiſſe meminerit.

DXCIV. Conſtantinopoli naſcitur puer quadrupes, & alter duos vertices habens.

DXCVI. Sol à mane vſque ad meridiem minoratus eſt, & vſque ad tertiam ſui partẽ.

DCXXXI. Terræ motus factus eſt per triginta dies, & apparuit in cœlo ſignum in modum gladij portendens imminentem Sarracenorum potentatum.

DCXXXVIII. Saraceni Ieruſalem biennio obſeſſam capiunt.

DCLV. Ignis de cœlo cecidit, & timor magnus ſuper homines venit: peſtilentia grauiſſima tribus æſtiuis menſibus graſſata eſt, cunctis viſibiliter apparente bonum & malum Angelum noctu ciuitatem circuire: & quoties iuſſu boni Angeli malus Angelus venabulo, quod manu ferebat, oſtium cuiuſcumque domus percuſſiſſet, tot ex eadem domo ſequenti die interibant.

DCLXXVIII. Ab Auguſto per tres menſes ſtella radiis cælos penetrans à parte Orientis à galli cantu vſque in mane apparebat, & maxima mortalitas à parte Orientis ſubſecuta eſt.

DCXCV. Deſectio facta eſt Solis hora diei tertia, ita vt quædã clarè ſtellæ paterent.

DCCXXIII. Rigobertus Epiſc. Remenſis à Karolo ſuo in baptiſmate filiolo ab Epiſcopatu deponitur pro eo quod ſibi contra Raganfredum eunti vrbem Remenſem præ timore Raganfredi aperire noluit.

DCCXL. Signa in Sole, Luna & ſtellis apparent.

DCCLXIII. Gelu magnum à Kalendis Octobris vſque ad Februarium. Stellæ ſubito viſæ de cœlo cecidiſſe Ita omnes exterrnerũt, vt putarẽt finẽ mundi imminere.

DCCXCVIII. Sol obtenebratus eſt per dies ſeptendecim.

DCCCVIII. Tranſlatio S. Bartholomæi Apoſt. à Lipari inſula in Beneuentum.

DCCCXIV. Carolus Magnus defunctus eſt.

DCCCXXIV. In Gallia ante Solſtitium æſtiuale aëre in tempeſtatem conuerſo repente ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cuius longitudo pedes quindecim, latitudo ſex, groſſitudo duos pedes habuit.

DCCCXXXIII. Sol & Luna per eclipſiin deficiunt.

DCCCXXXV. Ebo Remorum Archiep. deponitur, aliique multi, qui cum eo in dejectionem Ludouici Imper. conſpirauerant, damnantur & exiliantur hoc anno.

DCCCXL. Ludouicus Imperator defunctus eſt:

DCCCXLI. Bellum ad Fontenedum factum.

DCCCXLV. Ordinario Hincmari Archiepiſcopi v. Nonas Maij.

DCCCLII. Tranſlatio corporis Sancti Remigij Remorum Archiepiſcopi.

DCCCLXXIII. Tranſierunt locuſtæ Remis XVII. kalendas Septembris. In craſtino autem fuit denſa nebula valdè. Eodem autem ſequenti anno

DCCCLXXIV. Extitit talis ſuper terram nix qualem nemo memoratur ſe vidiſſe. Vnde & de bobus & de ouibus magna pars periit.

DCCCLXXV. Hiems ſolito aſperior & prolixior nix & gelu à Kal. Nouembris vſque ad æquinoctium vernale.

DCCCLXXX. Ludouicus regnum inuaſit Ludonici conſobrini ſui: ſol hora diei nona ita obſcuratus eſt, vt ſtellæ in cœlo apparerent.

DCCCLXXXII. Bellum in Auall.

Anno v. Præſulatus Fulconis Remenſis Archiep. metu Normannorum tranſlatus eſt Sanctiſſimus Martyr Chriſti Dionyſius ad Remenſem vrbem in Eccleſiam quæ modo dedicata eſt in honore eius, ibique moratus fermè per triũ curricula annorum.

DCCCXCVII. Odo Rex moritur.

DCCCC. Fulco Remorum Archiepiſcopus perimitur à Winemato ſatellite Balduini Flandrenſium Comitis.

DCCCCLXXII. Reſtitutus eſt Ordo Monachorum in monte Or.

DCCCCLXXV. Gelu magnum à kal. Nouembris vſque ad æquinoctium vernale.

DCCCCLXXVI. Sanctus Theodericus leuatus.

DCCCCLXXIX. Igneæ acies viſæ ſunt in cælo per totam noctem v. Kal. Nouembris.

DCCCCLXXXV. Lotharius Rex defunctus eſt.

DCCCCLXXXVII. Obiit iuuenis Ludouicus Rex.

DCCCCLXXXIX. Fertur annonam pluiſſe de cœlo in Haſbanio. Alij etiam piſciculos paruos pluiſſe de cœlo ferebant. Nix nimia decidit, imber poſtea continuus qui Autumnalem ſationem omnimodo denegaret.

DCCCCXCI. Ordinatio Gerberti Remorum Archiepiſcopi.

DCCCCXCIV. Ordinatio Geratdi in Diaconatum.

DCCCCXCIX. Leuatus eſt domnus Gerbertus Archiepiſcopus in Apoſtolatum.

Millefimo anno IESV-CHRISTI ſecundùm ſupputationem Dionyſij multa prodigia viſa ſunt.

MV. Cometes horribili ſpecie flammas huc illúcque iactans in Auſtrali parte viſus eſt.

MVI. Hoc anno fames, & mortalitas tam grauiter inualuit per totum orbem, vt tædio ſepelientium viui adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis.

MVII. Natus fuit Geruaſius IV. nonas Februarias apud Caſtrum Lidi.

MIX. Eclipſis Solis facta eſt hora diei ſecundâ.

MXVII. Cometes ſolito mirabilior in modum trabis maximæ per quatuor menſes apparuit.

MXXIII. Eclipſis Solis facta eſt in Paſcha.

MXXVII. Eclipſis Solis facta eſt circa meridiem tertio kalendas Iulij.

MXXXIX. Octauo Idus Aprilis viſa eſt in cœlo inter Auſtralem & Orientalem plagam ignea trabes miræ magnitudinis quæ ſuper Solem currens iam ad occaſum vergentem viſa eſt in terrâ eadem, cuius veſtigia diu videri potuerunt. Pridie Idus Maij eclipſis Solis fuit.

MXLVII. Nix tanta fuit in Occidente, vt ſiluas frangeret.

MXLVIII. Dedicata eſt Eccleſia Beati Remigij, & tranſlatio eius à domno Leone IX. Papa.

MLV. Obiit Leo Papa nonus. Suſcepit beata Virgo Maria in Archiepiſcopatu Remenſi Geruaſium Epiſcopum Cenomanicum Idibus Octobris.

MLVI. Geruaſius Archiepiſcopus ædificauit Remis Eccleſiam ſancti Dionyſij ſociorúmque eius.

MLIX. Philippus Rex Remis ordinatus à Geruaſio in die Pentecoſtes

MLX. Obiit Henricus Rex piiſſimus pater Philippi pridie Nonas Auguſti.

MLXVI. Sexagenus erat ſextus milleſimus annus.

Cum pereunt Angli ſtellâ monſtrante Cometâ.

Obiit Geruaſius Archiepiſcopus.

MLXVII. Facta eſt hiems horrida à feſto ſancti Briccij vſque ad feſtum ſancti Gregorij.

MLXXXI. Magnus terræ motus factus eſt cum graui terræ mugitu ſexto kalendas Aprilis prima hora noctis portendens forte imminens malum quod in toto orbe ſonuit, & vnde terra doluit & dolet. Henricus enim Imperator ad debellandum Papam Hildebrandum Italiam periit, contra quem Papa vrbibus & caſtellis munitis ſe ad bellandum accingit, eúmque Romam hoſtiliter adeuntem non recipit.

MLXXXVII. Tranſlatio S. Nicolai à Myra in Barium.

MXCIII. Iaculum ignitum à meridie ad Aquilonem per cælum ferri viſum eſt Kalendis Auguſti prima hora noctis.

MXCVI. Pridie Nonas Aprilis viſæ ſunt penè omnes ſtellæ currere quaſi puluis cum fertur à vento: & hoc factum eſt à galli cantu vſque ad auroram, & Ieruſalem Chriſtiani adeunt cum armis ex omnibus terris. Eclipſis Lunæ facta eſt III. Idus Februarij.

MXCVII. Viſa eſt Cometa.

MXCIX. Ieruſalem capitur Iuli cum dicitur Idus.

MCVI. Viſa eſt Cometa à 12. Kal. Martias vſque IV. Nonas ipſius. Obiit Manaſſes Archiepiſcopus.

MCVIII. Obiit Philippus Rex Francorum IV. kal. Auguſti.

MCXII. Baldricus Lauduni Epiſcopus occiditur.

MCXVII. Hic incipit Cyclus tertius Bedæ Preſbyteri. Vigilia S. Rigoberti ad

Veſperas Remis terra mota eſt,& multis aliis locis : & motæ ſunt in Eccleſiis Imagines Domini,& multa in eis dependentia.

MCXVIII. Vigilia Natalis Domini fuit ventus vehemens qui multa ædificia ſtrauit. Obiit Paſchalis II. Papa.

MCXIX. Menſe Octobri celebratum eſt Concilium Remenſe à Domno Papa Calixto II.

MCXXII. Peccatis hominum Deo offenſo ſuccendit plebs Remica villam ſancti Theodorici,exiſtentibus Rogationibus Kalendis Maij.

MCXXIV. Obiit Rodulfus Archiepiſcopus.

MCXXV. Obiit Henricus Imperator huius nominis quintus,& Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus.

MCXXIX. Philippus Rex Remis ordinatus à Rainaldo Archiepiſcopo die Paſchæ XVIII. Kal. Maij.

MCXXXI. Celebratum eſt Remenſe Concilium à Domno Innocentio Papa,in eodem Concilio ordinatus eſt Ludouicus puer Rex, mortuo fratre ſuo Philippo Rege.

MCXXXVII. Obiit Ludouicus Rex menſe Auguſto, & magnus calor factus eſt.

MCXXXVIII. Obiit Rainaldus Archiepiſcopus.

MCXL. Facta eſt diſſenſio Remis & reſpublica coniurata à ciuibus.

MCXLIII. Facta eſt nix profundiſſima à feſto S. Nicolai vſque ad Purificationem B. Mariæ.

MCXLIV. Factus eſt ventus vehemens qui multa tecta Eccleſiarum, & turrium, & claucaria etiam diruit XIV. Kal. Februarij.

MCXLVI. Facta eſt fames valida Remis: adeò vt ſextarius frumenti venderetur vndecim ſolidis.

MCXLVII. Ludouicus Rex Francorum , & Dux Aquitanorum, cum magno exercitu profectus eſt Ieruſalem.

MCXLVIII. Celebratum eſt Concilium Remis à domno Eugenio Papa XII. Kalendas Aprilis.

MCL. Obiit Vtſio Abbas S. Dionyſij IV. Kalendas Martias.

MCLI. Receptus eſt Odo in Abbatem S. Dionyſij XII. Kal. Ianuarias.

MCLXI. Obiit Samſon Archiepiſcopus Remenſis Monachus Igniaci factus XI. Kal. Octobris. Cui ſucceſſit Henricus XIX. Kal. Februarij.

MCLXII. Venditus fuit ſextarius frumenti decem ſolidis , & Bartholomæus Remenſis Archidiaconus conſecratur Beluacenſis Epiſcopus.

MCLXXI. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus occiditur à quodam ſatellite Anglici Regis V. Kal. Ianuarias.

MCLXXIV. Robertus de Atea Præpoſitus, & Cameracenſis electus, interfectus eſt V. Idus Octobris feria ſexta.

MCLXXV. Interfectus eſt Abbas Claræuallenſis Igniaci à quodam Monacho eiuſdem Eccleſiæ Hugone de Baſoches, pridie Idus Octobris.

Hoc anno deceſſit domnus Henricus Francorum Regis filius, bonæ memoriæ Remorum Archiepiſcopus.

MCLXXIX. Celebrata eſt coronatio Regis Philippi per manum Guillermi Remenſis Archiepiſcopi.

MCLXXXV. Ea vini fuit abundantia, vt quodcumque vas hominum ad recondendum non ſufficeret , multæque vineæ vindemiandæ brutis animalibus relictæ fuerint.

MCLXXXVII. Tantus fuit vini defectus, vt infinitæ vineæ ſine omni fructu inuenirentur : vbique aliquando fuerant collecti centum modij vini, vix vnus inuentus eſt.

MCLXXXVIII. Capta eſt Ieruſalem à Saracenis, dominante Salahadino in Octobri. Crux verò,& Rex in Iulio deuictis Chriſtianis.

MCXC. Rex Francorum Philippus ad expugnandos paganos peregrè profectus eſt in craſtinum S. Ioannis Baptiſtæ.

REMENSE ALTERVM, CVM APPENDICE FLODOARDI.

DCCCXXX. Ludouicus Imperator à Pipino filio ſuo apud Compendium malè dehoneſtatur.

DCCCXXXIII. Idem Imperator à Lothario filio perfidiſque conſiliariis regnò priuàtur, & in Monaſterio S. Medardi cum Monachis clauditur: Conjux verò eius in Monaſterio puellarum cuſtodiæ mancipatur: quæ omnia poſtea non impunita extiterunt.

DCCCXXXV. Ebo Remorum Arch. deponitur, alijque qui cum eo in deiectionem Ludouici Imp. conſpirauerant, damnantur.

DCCCXLI. Ciuile bellum prouenit, cuius auctor Lotharius. Carolus victor extitit. Lotharius Ludouicus, & Carolus filij Ludouici Imp. inter ſe regnum diuiſerunt.

DCCCCXXVI. Mortuo Seulfo Archipræſule electus fuit Hugo filius Heriberti Comitis adhuc quinquennis.

DCCCCXXXII. Rodulfus Rex obſidens Remenſem vrbem cum exercitu magno fecit eligi domnum Artaldum Monachum S. Remigij in Archiepiſcopum concordantibus Clericis & Laïcis qui erant in obſidione, fauentibus etiã multis, qui incluſi tenebantur. Igitur poſt tres hebdomadas vrbe reddita conſecratus fuit Artaldus à decem & octo, tam Archiepiſcopis quàm Epiſcopis, & fuit in pace annis octo. Nono autem Epiſcopatus ſui anno Herbertus Comes cum Principe Hugone, & Guillelmo Normannorum Duce expulit eum, filiúmque ſuum Hugonem iam Diaconum introduxit, & ciuitate potitus eſt. Qui ergo ſcire voluerit quomodo præfatus Hugo conſecratus fuit, & quando poſt acceptum pallium deiectus fuit, & Artoldus reſtitutus, in Flodoardo cuncta reperiet.

DCCCCLXI. Deceſſit domnus Artoldus, poſt quem Odelricus Archiepiſcopus in cathedram Remenſem eleuatus eſt, qui dedit nobis Vindeniſſam.

DCCCCLXVII. Defuncto Odalrico Adalbero Archiepiſcopus ordinatus eſt.

DCCCCLXXXIX. Hic primus eſt annus Arnulfi Arch. Remenſis.

DCCCCXCI. Ordinatus eſt Gerbertus in Archiep. Remenſem, expulſo præfato Arnulfo ab Hugone Rege patre Roberti Regis.

DCCCCXCV. Arnulfus Archiepiſcopus cùm fuiſſet tribus annis in captione detentus Aurelianis à præfato Hugone, Gregorius Papa indignè ferens eius dejectionem, miſit in Franciam Legatos duos, fecitque eum liberari de manibus Hugonis & reſtitui in ſedem Remenſem. Gerbertum quoque qui ſedem eius iniuſtè occupauerat fecit deponi, & Epiſcopos qui in conſecratione eius aſſenſum dederant ab officio Epiſcopali ſuſpendi præcepit.

DCCCCXCIX. Hic leuatus eſt domnus Gerbertus in Apoſtolatum.

AVCTARIVM FLODOARDI

Ex Codice Igniacenſi, qui continet breuiarium Flodoardi Libris duobus comprehenſum cum appendice. Poſt Epitaphium Fulconis Epiſcopi Lib. IV. *Cap* VIII.

De cuius morte Sigloardus Remenſis Canonicus compoſuit hunc rythmum.

O Fulco Præſul optime,
O cunctis amantiſſime
Re Pontifex & nomine,
Homo, ſed maior homine,
Vir nobilis proſapiæ,

Et talis ſapientiæ
Qualis nullus eſt hodie.
Toto formoſus corpore,
Magnæque eloquentiæ,
In tuo flentes funere

Vix poſſumus reprimere.
Det tibi Chriſtus requiem
Atque coronam perpetem.
Nos autem te plorabimus
Diebus atque noctibus:
Nam amaſti veraciter,
Nos & tractaſti dulciter,
Adornaſti Eccleſiam,
Gubernaſti familiam
Per ſummam Dei gratiam,
Bene rexiſti patriam:
Sed quidam ſerpens lubricus,
Et non pater, ſed vitricus,
Tibi tendens inſidias
Noſtras auxit iniurias.
Maledictus à Domino
Puniatur in baratro.
Cum gladio & fuſtibus,
Et armatis militibus,
Inuaſit te Guinemarus,
Nulli dulcis, ſed amarus;
Cui nihil abſtuleras;
In quem nihil peccaueras.
In die qua te tradidit,
Et te & ipſum perdidit.
Quam cito clerus audiſt
Tantum malum, infremuit.
Et plebs & ordo gemuit,
Ruit illoc, & rapuit
Corpus & ſecum detulit,
Multaſque fudit lacrymas
Dum celebrat exequias.
Tranſlatus in Eccleſia,
Stans rectus ad altaria.
Abbates & Epiſcopi
Hunc ſuſtentant reueſtiti.
Induunt eum infula
Pallioque & tunica,
Stola collo imponitur,
Et candela accenditur.
Nec deeſt ibi baculus
Sed applicatur manibus.
Tunc decanus Pontificum
Iubet & rogat populum,
Vt orent omnes Dominum
Pro anima Pontificis
Ne mergatur in inferis,
Sed lætetur cum ſuperis,
Et vt Deo dent hoſtiam
Quæ purget eius animam.
Tunc omnes Deo ſupplicant;
Cum lacrymis & rogitant.
Tenent candelam ſinguli
Pontifices, Presbyteri.
Tyrannum excommunicant;
Et vincitem mortificant,
Omnemque cœtum militum
Qui dederunt auxilium.
Poſt hoc defunctum efferunt,
Et honeſte ſepeliunt.
Eiuſque ante tumulum
Commendant Deo ſpiritum.
In requie ſit anima
Nunc & per cuncta ſecula
Amen, amen, fiat ita
Dicat omnis Eccleſia.

Explicit rythmus Sigloardi Canonici.

DEnique Winemarus eius interemptor &c. c. vſque finiuit. At vero præfatus Fulco vt pote vir ſapiens, Deumque timens teſtamentum ſuum iamdudum ordinauerat, & de iure patrimonij ſui quibuſdam Eccleſiis diſtribuerat, inter quas Eccleſiæ Remenſi pro animæ ſuæ remedio villam Nemincum quæ ſita eſt in Epiſcopatu Nouiomenſi contulit, cuius reditus pro illius memoria annuatim recolenda Canonicis Remenſibus diuiduntur. De cuius etiam villæ cenſu Canonici Nouiomenſes habent ſingulis annis ſolidos LX. illius monetæ. Cuius autem conuentionis cauſa nummi iſti Eccleſiæ Nouiomenſi ab Eccleſia Remenſi perſoluantur, hîc apponere non incongruum æſtimamus: vt ergo facilius hoc oſtendamus, memoriale ſcriptum illius pacti huic operi adnectamus.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, præſentibus & futuris ſanctæ matris Eccleſiæ filiis ſit nota conuentio habita inter Canonicos ſanctæ Mariæ Remenſis, ac Sanctæ Mariæ Nouiomenſis de tertia parte villæ, quæ dicitur Bidricus. Harduinus Nouiomenſis Eccleſiæ Archidiaconus, poſtea autem Lingonenſis factus Epiſcopus, ipſam tertiam partem villæ ſupradictæ, quæ ſibi à parentibus iure hæreditatis ceſſerat, fratribus Eccleſiæ Nouiomenſis pro remedio animæ ſuæ contulerat, quam dum longè remoti tenerent, prædones regionis per inuaſiones crebras atque prædationes vehementer vaſtabant. Qua neceſſitate compulſi, ſed & à fratribus Remenſis Eccleſiæ commoniti, ad trecenſum eam dederunt pro libris III. nummorum Vermandenſium, quos ſingulis annis acciperent de cenſu apud Nemin-

cum in feſto S. Dionyſij. Quod ſi de cenſu ſoluendo iniuſtitia facta fuerit, emendetur lege fori. Si vero villa ipſa vaſtata fuerit, Remenſes fratres ab hac conuentione ideo non reſiliant, & ſi emendata fuerit, Nouiomenſes fratres in ſua conuentione ideo nihilominus permaneant. Huius vero conuentionis ratio facta eſt conſilio atque conſenſu Widonis Archiepiſcopi, Odalrici Præpoſiti, Richardi Decani, Odonis Cantoris, necnon totius congregationis. At ex altera parte ſimiliter conceſſa eſt iſta conuentio Balduini Nouiomenſis Epiſcopi voluntate, atque conſilio Haganonis præpoſiti, Rotberti Decani, totiuſque congregationis communi ſuffragio. Inſuper etiam vtraque pars volentes pactum hoc fore perpetuum, ſcriptum fieri delegarunt, quod eſſet in ſempiternum prædictæ conuentionis teſtimonium. Actum anno Incarnationis Dominicæ MILL. LI. Indictione III. regnante Henrico Rege, anno XXIII. Archiepiſcopatus domni Widonis anno XVIIII. Balduini Epiſcopi Nouiomenſis anno VIII.

Item Lib. IV. cap. XIX. poſt finem capitis.

DE iſto Seulpho ſolebant dicere noſtri anteceſſores quòd ipſe ampliauerat templum hoc quantum continet longitudo arcuum trium. Dicebant quoque quòd ipſe veterem turrim conſtruxerat, quam domnus Samſon Archiepiſcopus dirui fecit, quando etiam ipſe Eccleſiam duorum arcuum longitudine ampliauit, & in vnoquoque latere turrim vnam ædificare inchoauit anno Incarnati Verbi M.C.LII. Sed quoniam de prædicta opinione nulla in libro FLODOARDI mentio inuenitur, incertum eſſe videtur, quod neque ſcipto, neque teſte aliquo comprobatur. Porro iſte Flodoardus, qui huius operis eſt auctor, fuit contemporaneus Heriuei Archipræſulis, Seulphi quoque atque Artoldi, vt ex ipſius verbis perpenditur, & qui minora horum opera enarrauit, rem iſtam magnam, ſi verum eſſe sciret, forſitan non omiſiſſet. Sanè præfatus Seulfus, vt ſcriptum habemus, immunitatem clauſtri nobis largitus eſt, videlicet domos vendendi, emendi, ſeu inuicem commutandi, pro qua largitione annuatim defunctionis eius diem recolimus, cui etiam obſequio Tilpini atque VVidonis memoriam, qui pridie quam iſte deceſſerunt, & multa Eccleſiæ bona contulerunt, non immerito adiungimus. Nunc itaque paululum digreſſi, ad narrationis ſeriem articulum reducamus.

CHRONICVM ROTOMAGENSE,

SVBLATIS MINVS NECESSARIIS
Ab anno Chriſti primo ad 1344.

Quod mihi commodatum eſt à D. Antonio De Vyon, D. d'Herouual, Antiquitatum Gallicarum ſtudioſiſſimo.

ANNO ab vrbe condita 752. natus eſt Chriſtus anno 42. Octauiani Imperatoris. *Iis autem quæ vulgaria ſunt omiſſis, nonnulla excerpſimus ad Gallicam Hiſtoriam propiùs ſpectantia.*

Anno Chriſti 96. Sanctus Dionyſius martyr.

180. Antonino ſuccedit Commodus. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus inſignis habetur.

306. S. Mellonus Rotomagenſis Archiepiſcopus ſecundus, quia Sanctus Nigaſius fuerat ante.

314. Celebratur Concilium Arelatenſe primum, in quo fuit Auicianus Rotomagenſis Archiepiſcopus tertius.

325. Seuerus Rotumagenſis Archiep. quartus.

342. Euſebius Rot. Arch. quintus.

365. Marcellinus Rot. Arch. ſextus.

386. Petrus Rot. Arch. ſeptimus.

405. Sanctus Victricius Rot. Arch, octauus. Innocentius Papa miſit decretalem

talem Epiſtolam Victricio Roth. Arch. vbi conſtituit Sabbato iejunare, quia eo die Dominus iacuit in ſepulcro.

417. S. Innocentius Rot. Arch. nonus.

426. S. Euodius Rot. Arch. decimus.

434. Siluester Rot. claruit Arch. vndecimus.

442. Malſonus Rot. Arch. duodecimus.

451. Germanus Rot. Arch. decimus tertius.

459. Creſcentius Rot. Arch. XIV.

Sub Clodoueo claruerunt S. Remigius Remenſis Arch. & S. Gildardus Roth. Arch. XV. & S. Laudus Conſtantienſis Ep. quem conſecrauit Gildardus.

Claruit S. Flauius XVI. Rot. Arch.

S. Prærextatus Roth. Arch.

584. Interficitur Prætexrarus Roth. Arch. Succedit Melantius, licet indignè, quia, vt ferunt, de necis eius conſenſu calumniatus eſt.

596. Hildulfus Roth. Arch.

625. S. Romanus miræ ſanctitatis Arch. Roth. claruit.

634. (Reſcribe 646.) S. Romanus obiit, & S. Audoenus ordinatus eſt.

655. S. Philibertus.

657. S. Wandregiſilus Abbas.

660. Rege Francorum Clodoueo mortuo, regnauit Clotarius filius eius.

680. S. Audoenus migrauit ad Dominum, cui ſuccedit ſanctus Anſbertus Arch.

695. Obiit S. Anſbertus Arch. Rot. ſuccedit Grippo.

713. S. Wlfrannus.

719. Rainlandus Rot. Arch.

722. Hugo Archiep. Rot. præfuit in Eccleſiis Pariſienſi, Bajocenſi, & Abbatiis Gemeticenſi & Fontenellenſi.

730. Obiit Hugo Rot. Arch. ſuccedit Robertus.

739. Ragenfredus Arch.

741. Karolo defuncto Carolomagnus, & Pipinus Majoratum adipiſcuntur.

752. Pipinus Rex efficitur.

753. VVido Fontenellæ.

754. Remigius adeptus eſt ſedem Eccleſiæ Rot. ejecto ab Epiſc. Ragenfridò.

772. Meinardus Roth. Archiep.

780. Guilleberrus Roth. Archiep.

808. Tranſitus ſancti Leugeri Epiſcopi & Confeſſoris, Capellani ipſius Caroli.

828. Ragoatdus Epiſcopatum Roth. accepit.

838. In iſto anno accepit Guiuildidus Arch. Roth.

842. Tranſlatio S. Audoëni, quando Normanni vaſtauerunt Rothomagum, ſuccenderunt Monaſterium eius Idibus Maij.

849. Paulus Arch. ordinatus fuit.

851. Venerunt Normanni in Sequanam, & iterum venerunt alij Normanni.

855. Obiit Paulus Archiep. In hoc quoque anno fuit ordinatus VVanilo Arch.

865. Venerunt Normanni medio Iulio.

866. Obiit VVanilo Arch. & ſucceſſit Adalardus.

876. Hoc anno Rollo cum ſuis Normanniam penetrauit 15. Kal. Decembris.

873. Capta eſt ciuitas Ebroaeenſis, ſed Epiſcopus Seba nomine euaſit.

898. Rollo cum exercitu ſuo Carnotenſem ciuitatem obſedit: ſed Epiſcopus eiuſdem vrbis Walteli nomine, vir religioſiſſimus, Richardum Burgundiæ Ducem, & Ebalum Pictauienſem Ducem in ſuo auxilio prouocans tunicam ſanctæ Mariæ Virginis in manu ferens Rollonẽ Ducẽ diuino nutu fugauit & ciuitatem liberauit.

911. Ludouicus filius Arnulfi obiit. Burcardus Dux cecidit, Conradus filius Conradi in Regem eleuatur.

912. Hoc anno baptizauit Franco Rollonem. Facta eſt pax inter Carolum & Rollonem, deditque ei Karolus ſuam filiam Giſlam, de quâ nullum filium habuit. Mortua Giſla accepit Rollo propriam vxorem, filiam Comitis Siluanectenſis VVitdonis, de quâ genuit VVillelmum.

915. Hoc tempore relatus eſt beatus Audoënus de Franciâ in Normanniam.

917. Obiit Rollo primus Dux Normannorũ, cui ſucceſſit VVillelmus filius eius.

919. Conradus Rex obiit & Henricus ſuccedit. Hoc tempore obiit Franco, cui ſuccedit Gunhardus.

936. Henricus obiit, & Otho ſuccedit. Hoc tempore factum eſt prœlium inter VVillelmum Comitem, & Richulfum fraudulentum, ceteróſque infideles V. Villelmi Comites in loco, qui dicitur Pratum belli.

938. Hoc tempore baptizauit Henricus Præſul ſanctiſſimus Bajocenſis Eccleſiæ primum Richardum filium VVillelmi.

942. Obiit Gunhardus Epiſc. cui ſuccedit Hugo Monachus habitu, non opere.

943. Occiditur Guillelmus Dux Normannorum, filius Rollonis, 16. Kal. Ianuarias, cui ſuccedit Ricardus filius eius, qui Vetus dicitur.

Rollonis natus Guillermus, Longa vocatus
Spata, Deo gratus, iacet hoc tumulo tumulatus.
Panem Canonicis in honore Dei Genitricis
Contulit: ergo pia iuuet ipſum Virgo Maria:
Vt qui cuncta videt, ſibi viuo pane frui det.

951. Otho Rex Italiam ingreſſus eam ſibi ſubiugauit.

957. Ludulfus Othonis Regis filius ſubjugata ſibi Italia obiit.

961. Otho puerulus in Regem eleuatus in Aquiſgrani palatio.

972. Otho Imperator obiit.

983. Otho minor Imperator obiit, & Otho filius eius infans ſuccedit.

989. Rotenus Arch. Rotomagenſis.

986. Obiit primus Ricardus Dux Normannorum, filius VVillelmi; cui ſuccedit Ricardus II. filius eius.

999. Gerbertus Papa.

1001. Tunc ſumpſit Abbas VVillermus primum regimen loci Fiſcanni.

1002. Otho Imperator obiit, & Henricus ſuccedit.

1006. Obiit Heldebertus Abbas, qui reſtaurauit Monaſterium S. Audoëni.

1017. Obiit Iuditta Comitiſſa.

1024. Henricus Imperator obiit, ſuccedit Cono Imperator Auguſtus.

1025. Obiit VVillermus Monachus, filius Ricardi Comitis.

1026. Obiit Ricardus ſecundus Dux Normannorum. Succedit Ricardus III. qui eodem anno mortuus eſt. Robertus frater eius ſuccedit.

1931. Obiit Robertus Rex Francorum. Obiit Gunnordis Comitiſſa.

1033. Obiit Mathildis, filia Ricardi Comitis.

1035. Obiit Robertus Dux Normannorum, cui ſuccedit VVillermus filius eius in puerilitate.

1036. Obiit Robertus Archiepiſcopus, ſuccedit Malginus, qui culpâ ſuâ exigente depoſitus eſt.

1039. Obiit Conradus Imp. ſuccedit Henricus filius eius.

1047. Bellum apud Vallumdunas.

1054. Bellum apud Mare mortuum.

1055. Depoſito Malgino ſuccedit Maurilius Roth. Archiepiſcopus.

1056. Obiit Henricus Romanus Imp. cui ſuccedit Henricus filius eius.

1060. Obiit Henricus Rex Francorum, cui ſuccedit Philippus filius eius.

1061. Ioannes Abrincenſis Epiſcopus......

1063. Dedicatio ſanctæ Mariæ Rothom. Eccleſiæ. Hoc anno ſubjugatur Cenomannis Comiti Normannorum VVillermo.

1065. Obiit Edvvardus Rex Anglorum.

1066. VVillermus Dux Normannorum tranſit mare in kalendis Octobris cum validâ Normannorum manu, cui occurrit Haroldus cum eo pugnaturus, commiſſóque prælio pridie Idus Octobris ruit Haroldus, eiuſque exercitus: VVillelmus eleuatur in Regem die natali Domini apud Londoniam in maximâ vrbe Anglorum.

1067. Obiit Maurilius Rothom. Archipræſul, Monachus Fiſcanenſis. Huic ſuccedit Ioannes, filius Radulfi Comitis, fratris Ricardi primi, qui priùs Abrincenſi Eccleſiæ ſeptem annis, & tribus menſibus præfuit, & poſtea rogatu Alexandri Papæ concedente VVillelmo Principe Normannorum, & Rege Anglorum adeptus eſt cathedram Metropolitanæ Rothom. Eccleſiæ.

1073. Gregorius Papa, Hildebrannus vocatus.

Hoc anno inuaſerunt Monachi S. Audoëni Ioannem Rothomagenſem Archiep. miſſam celebrantem in feſtiuitate eiuſdem ſancti cum armata manu virorum: vnde iudicatum eſt in Concilio in eadem ciuitate congregato, præſidente Rege Anglorum VVillermo, Monachos huius criminis reos per Abbatias in carceribus retrudi ad placitum Archiepiſcopi, indéque plures diſperſi ſunt: vnus Nomenatus nomine apud Fiſcanum, alter apud S. VVandregiſilum, nomine Benedictus, tertius apud Gemeticas nomine Radulfus.

1074. Hoc anno congregatum eſt Concilium in Rothomagenſi vrbe, præſidente VVillermo Anglorum Rege & Normannorum Principe, & Ioanne Archiepiſcopo cum ſuis ſuffraganeis, Odone Bajucenſi Epiſcopo, Hugone Lexouienſi, Michaële Abrincenſi, Gilberto Eboracenſi, Roberto Sagienſi.

1079. Obiit Ioannes Roth. Arch. Huic ſucceſſit VVillermus Arch. qui fuerat Monachus, & Abbas S. Stephani Cadomenſis.

1084. Hoc anno obiit Matildis Angliæ nobilis Regina, decorâ nobilitate largiflua, multa apud nos habentur beneficia.

1087. Obiit VVillermus Rex Anglorum Dux Normannorum & amor: & lætitia tanta viguit iſta Eccleſia, quòd eandem viuere fecit, & Deo ſeruire in continuâ pace atque concordiâ. *Recentiori manu.* Cui ſucceſſit Guillermus eius filius.

1095. Vrbanus Papa Concilium tenuit apud Clarummontem; cui interfuerunt Epiſcopi & Abbates Normanniæ, in quo à præfato Papâ ſancitur, vt crucibus in veſtibus fixis Chriſtiani cum armis Ieruſalem pergerent, quod & factum eſt.

1096. Hoc anno perrexit Comes Robertus Normanniæ Ieruſalem, & multi alij: & eodem anno fuit interfectio Iudæorum apud vrbem Rotomagenſem.

1099. Hoc anno occiſus eſt ſiniſtro caſu ſagittæ in nouâ Foreſtâ VVillermus Rex Anglorum, filius illius VVillermi Regis, qui ipſam terram conquiſiuit. Cui ſuccedit frater eius Henricus. In hoc ipſo anno, antequam hoc contigiſſet de Rege, cœpit ſanguis decurrere de quodam fonte in ipſa Anglia, & multa alia ſigna horribilia.

1106. Hoc anno factum eſt bellum apud Tenerchebrium inter Regem Anglorum, & Robertum Comitem Normannorum fratrem eius: in quo idem Robertus Comes captus eſt, & Comes de Moritolio, & multi alij proceres Normanniæ.

1108. Obiit Philippus Rex Francorum, cui ſuccedit filius eius Ludouicus.

1109. Euenit vltimum Paſcha in Letaniâ Majore. Obiit VVillermus Rothom. Arch. cui ſuccedit Gaufridus.

1116. Hoc tempore vrbs Rothomagi pene tota combuſta eſt igne exorto à vico Iudæorum. Cecidit fulmen in Eccleſiam S. Mariæ Rotomagenſis; ita vt columnas ſuper altare Crucifixi diffinderet, nec tamen aliquid inde læderet.

1117. Eodem anno fuit Eclipſis Lunæ, & ventus vehementiſſimus.

1118. Obiit Robertus Comes de Mellent. Ipſo anno Matildis Anglorum Regina conjux Henrici Regis.

1119. Factum eſt bellum propè Villam …..ſçolas inter Ludouicum Regem Francorum, & Henricum Regem Anglorum, in quo Rex Ludouicus ſuperatus fugit cum paucis, & capti ſunt Guido de Claromonte, & Burchardus de Monte-Morenſi, VVillelmus Criſpinus, & Oſinundus de Caluomonte, & multi alij.

1120. Hoc anno ſubmerſus eſt in mari apud Barbarum fluctum VVillermus puer, filius Henrici Regis Angliæ, & Ricardus frater eius, & Ricardus Comes de Ceſtrâ, & multi alij.

1124. Factum eſt bellum propè Burgum Turoldi, & Brixeium inter familiam Regis Henrici eo abſente, & VVillermum Comitem de Mellent, & Amalricum Comitem Ebroicenſem, & VVillelmum Louel, & Hugonem de caſtello, & Hugonem de Monteforti, cùm venirent de munire turrim de VVareuilla, & tunc ſuperati fugerunt, & omnes pene ſupradicti ſunt capti, excepto Amalrico Comite Ebroicenſi, qui per conſentaneos euaſit, & VVillelmo Louel, qui pedes fugit per noctem, & multitudo militum cum eis capta eſt.

1128. Obiit Gaufredus Roth. Arch. cui ſuccedit Hugo. Hoc anno interfectus eſt VVillermus nubiliſſimus Comes Flandriæ, filius Roberti Comitis Normanniæ, miles nulli comparabilis probitate, qui poſt ſuperatam penè Flandrenſium ineffabilem nequitiam, dum Aloſt quoddam Caſtrum in terra Ducis de

Louen obſediſſet, & inimicos ſuos viriliter oppugnaſſet, in tantum ſcilicet, vt prædictum caſtrum ſe reddituros fide promitterent, idem in dextera manu percuſſus lanceâ ſexto Kalendas Augusti occubuit.

1133. Eclipſis Solis quarto Kalendas Auguſti circa horam tertiam, & eadem die Rex Henricus Anglorum transfretauit in Normanniam non rediturus, niſi mortuus.

1135. Ventus vehementiſſimus in feſto Apoſtolorum Simonis & Iudæ incipiens à media nocte, & perſeuerans vſque ad tertiam diei horam, talis & tantus, vt turres Eccleſiarum deijceret, nemora plus tertiâ parte proſterneret. Eodem anno obiit Rex Anglorum Henricus quarto kalendas Decembris, cui ſuccedit Stephanus nepos eius. *Rec. manu.* Hoc anno Monaſterium de Prato propè Rotomagum fundatum eſt.

1136. Hoc anno cœpit ignis in capite magni pontis, verſus portam Beluacenſem, & comburens totum vicum, pertranſiénſque patum (forte per atrium) ſanctæ Mariæ Eccleſiam ipſam non attigit, ſed verſo vento repulſus rediit per ſanctum Amandum, & ſanctum Audoënum, & vtramque Eccleſiam funditus combuſſit, & vicos circumquaque deleuit: cœpit autem ignis die Exaltationis ſanctæ Crucis mane ante Primam, nec ceſſauit vſque ad Veſperam. Eodem anno euenerat primum Paſcha videlicet vndecimo kalendas Aprilis.

1140. Caſtrum de Pratellis obſeſſum eſt & captum.

1141. Factum eſt bellum apud Lincoriam inter Stephanum Regem Anglorum, & Robertum Comitem Glocestriæ: in quo captus eſt Stephanus Rex, & multi ex vtraque parte capti & interempti. Hoc euenit die Purificationis ſanctæ Mariæ. Eodem anno Regina vxor Stephani Regis cœpit ſupradictum Robertum Comitem apud Wintoniam, & ideo vterque liberatus eſt de captione.

1143. Gualerannus Comes Mellentis multis comitatus militibus, & peditibus combuſſit Ermentruuillam, & Monaſterium ſancti Seueri, & intus multos vtriuſque ſexus.

1144. Factus eſt ventus 14. Kal. Februarias, quantus ab omnibus illius temporis auditus non fuerat, vi cuius nemora plus mediâ parte ceciderunt, & in ipsâ die intempeſtatis horâ Gaufridus Comes Andegauenſis maritus filiæ Regis Henrici in Eccleſia ſanctæ Mariæ Rotomagi honorificè ſuſceptus eſt, iam ſibi reddita ciuitate. Ipſe verò octauo kal. eiuſdem menſis obſidens turrim eiuſdem ciuitatis, quæ in Regis Stephani fidelitate tenebatur, factis aduerſus eam fruſtra diuerſis machinamentis, & plurimis congreſſionibus, tandem nono kal. Maij eiuſdem anni per alimentorum penuriam coactis ad pacem obſeſſis illam recepit.

1145. Hoc anno per totam Normanniam, & in quibuſdam aliis partibus, facta ſunt plauſtra, quæ diuerſis ornata rebus omnis ætas & ſexus, præeuntibus proceſſionibus, ipſi in funibus cum ingenti deuotione trahebant ad Eccleſias, in quibus pernoctantes, & ſe plurimùm affligentes laudes Domino aſſiduè perſonabant: quorum plerique ipſa plauſtra, cum omnibus, relinquebant Eccleſiis: plerique ea vacua reducebant ad eaſdem vel alias Eccleſias ducenda iterum. Huic operi tantam gratiam contulit Deus, vt in Eccleſiis, & perſæpe in viis, miracula innumera, & vix credibilia ſuper infirmis fierent, cunctique odia, & inimicitias dimitterent, & iniurias ſibi, & amicis ſuis illatas quique etiam ferociſſimi condonarent.

1154. Henricus Dux Normannorum filius Matildis Imperatricis 13. Kalendas Ianuarias apud VVeſtmonaſterium electus, & in Regem inunctus.

1158. Hoc tempore dedit Papa Alexander Florem Ludouico Regi Francorum: & vide in Magnis Chronicis quid ſignificet ille flos.

1163. Obiit VVillelmus Longa ſpata filius Mathildis Imperatricis tertio Kal. Februarij.

1164. Obiit Hugo Roth. Arch. cui ſuccedit Rotrodus.

1171. S. Thomas Cantuarienſis Arch. in eadem Eccleſia obiit martyrium.

1173. Quinta feria Maioris Hebdomadæ, cùm ſacrum chriſma ab Epiſcopo Ebroicenſi Ægidio, in Eccleſia Beatæ Mariæ Rothomagi conſecraretur, ignis in ciuitate exortus eſt, qui tredecim parochias cum ipſis Eccleſiis ex toto combuſſit. Multi etiam homines in ipſo igne conſumpti ſunt.

1174. Hoc anno menſe Iulio die feſtiuitatis S. Mariæ Magdalenæ Rex Fran-

ciæ Ludouicus, precibus generi ſui Henrici Regis iunioris filij Henrici Regis Angliæ, filij Mathildis Imperatricis, cum omnibus Principibus regni ſui, & innumerabili multitudine peditum venit, & ciuitatem Rothomagenſem vſque ad Vigiliam Aſſumptionis B. Mariæ obſedit, & eam modis quibus potuit capere, & deuaſtare conatus eſt: ſed in præfata Vigilia ſpe ſua fruſtratus, multis quoque de exercitu ſuo interemptis, quia minùs cautè venerat, inaniter receſſit. In hac obſidione Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Comes Henricus, & Theobaldus Comes iuuenes, & alij plures Comites fuere.

1183. Obiit Rotrodus Archiepiſcopus: cui ſucceſſit VValterus de Conſtantiis Linconienſis Epiſcopus, qui fuerat Rothomagenſis Eccleſiæ Canonicus.

Hoc etiam anno iunior Henricus Rex Anglorum filius Henrici Regis, confœderato ſibi Gaufredo fratre ſuo Britanniæ Duce, cùm aduerſus Ricardum fratrem ſuum Aquitaniæ Ducem in ipſis Aquitaniæ finibus innumerabilem congregaſſet exercitum, & aduerſus patrem ſuum, morte præuentus eſt apud caſtrum, quod vocatur Martel, qui in morbo præcepit corpus ſuum ad Rotomagenſem Eccleſiam ſepeliendum transferri. Sed eum inde aſportatum vrbem Cenomanorum prætériſſet, tunc ciues Cenomanici ex compacto irruentes in eos, qui corpus deferebant, ſeditiosè, & cum violentiâ corpus eis abſtulerunt, & in Eccleſia S. Iuliani ſepelierunt. Aſt ex quo fuit hoc Rothomagenſi Capitulo nunciatum, alto conſilio nobiles perſonæ, videlicet Domnus Robertus de Nouoburgo eiuſdem Eccleſiæ Decanus cum largis & copioſis expenſis, & ſecum Domnus Iuo Archidiaconus ad Regem profecti ſunt longè vltra Cenomanum, & ipſe Rex Rotomagenſi Eccleſiæ iuri denique acquieſcens, quia defuncti filij voto cum ratione contraire non poterat, virili & indeficienti inſtantiæ prædictorum Decani, & Archidiaconi iuſſit reddi corpus, & ipſi ad Eccleſiam S. Iuliani deinde peruenerunt, & expulſis inde vniuerſis Cenomanorum Clericis ac Laicis, ſuiſque intus receptis, clauſis Eccleſiæ ianuis, corpus Regis de terra extrahi fecerunt. & triumphaliter inde illud perduxerunt in Rotomagenſem feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quam ipſe Rex eodem feſto viuens obſederat, ſicut alio loco ſupra ſcriptum eſt in hoc libro 1174. & in præfata Eccleſia receptum Regis corpus cum ſolemni proceſſione Archiepiſcoporum, Abbatum, aliarúmque perſonarum plurium, & nobilium procerum atque militum & innumerabilis multitudinis Cleri ac populi more regio propè altare Beatæ Mariæ datum eſt ſepulturæ.

1185. Hoc anno receptus VValterus de Conſtantiis in Archiepiſcopum Roth. in feſto B. Mathiæ.

1187. Hoc anno Crux Domini capta eſt, & rex Hieroſolymorum Guido, & cum eo Principes præclari innumerabiles. Obiit Henricus Abbas Fiſcanni.

1189. Ricardus filius Henrici Regis Anglorum filij Mathildis factus Dux Normanniæ in Eccleſia Rotomagenſi per manum VValteri de Conſtantiis Archiepiſcopi Rotomagenſis. Obiit Henricus Rex Anglorum filius Mathildis.

1190. Profecti ſunt Reges Hieroſolymam.

1191. Rex Galliæ Philippus, & Rex Angliæ Ricardus iter arripuerunt Hieroſolymitanum in Aprili. Hoc anno nonu Kalendas Iulij facta eſt Eclipſis Solis, ſcilicet Vigilia S. Ioannis.

1193. Kal. Maij captis Marchiæ caſtello Giſſortio cum viculis, & caſtellulis, vrbs Rothomagenſis obſeſſa eſt à Philippo Rege Francorum vſque ad III. kal. *eiuſdem* menſis, quia tunc ſpe ſua fruſtratus receſſit inanis.

1194. Hoc anno die Paſchæ direptæ ſunt omnes domus Canonicorum Rothomagi à ciuibus Rothamagenſibus, & diſtractæ poſſeſſiones eorum.

1196. Interdicta eſt ciuitas Rotomagenſis & tota Normannia pro caſtro, quod Richardus Rex illuſtris firmauit in rupe Andeleij contra dignitatem Rothomagenſis Eccleſiæ, Epiſcopis contradicentibus, & inobedientibus, vt Regi placerent: Archiepiſcopus autem exul ad ciuitatem Romanam profectus eſt, & Lexouienſis Epiſcopus, & Ebroicenſis contra ipſum, vt cauſam eius ad nihilum perducerent, ſi poſſent, ſed ſpe ſua, & voluntate fruſtrati ſunt.

1197. Hoc anno per aſſenſum Domni Papæ, & Eccleſiæ Rothomagenſis recepit Walterus Archiepiſcopus excambium pro Andeleio, & Epiſcopi, qui prius inobedientes fuerant, ſuſpenſi venerunt ad pedes eius proſtrati in proceſſione ſo-

lemni in feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis, Mitris & baculis Paſtoralibus redditis in manu eius, & ipſe miſericordiâ motus eis gratiam ſuam officioſè reddidit.

1199. VValuherts Archiep. dedit Capitulo decimam de Diepa. Hoc anno octauo Idus Aprilis, obiit illuſtris Rex Ricardus apud Chaluz ex vulnere, quod ibidem recepit, cùm turrim loci ſubuerti faceret. Eodem anno in octauis Paſchæ, frater eius Ioannes factus eſt Dux Normannorum in Eccleſia Rotomagenſi per manum VValtheri Epiſcopi, & ad ſubſecutam proximam Aſcenſionem Dominicam factus eſt Rex Angliæ apud VVeſtmonaſterium, & ſtatim orta eſt guerra inter Philippum Regem Francorum, & Ioannem Regem Angliæ.

1200. Hoc anno quarto Idus Aprilis in nocte Paſchæ, combuſta eſt tota Eccleſia Rothomagenſis cum omnibus campanis, libris, & ornamentis Eccleſiæ, & maxima pars ciuitatis, & multæ Eccleſiæ. Eodem anno in menſe Iulij facta eſt pax inter prædictos Reges, ita quòd ciuitas Ebroicenſis remanſit Regi Francorum: ſed illa pax non durauit per annum.

1202. Guerra inter Reges. Hoc anno iter arripuit Comes Flandriæ Balduinus, & multi alij nobiles ad terram Hieroſolymorum, & quidam Canonici Rothomagenſes: ſed Comes & ſui in Conſtantinopolim profecti ſunt, & ciuitatem ceperunt, & poſtea in bello occiſi ſunt, ciuitate illa retentâ cum terrâ, quam occupauerant.

1203. Nonis Octobris prima Vigilia noctis cœpit ignis iuxta portam Rodobeccæ, per quem Eccleſia ſancti....... & tota fere parochia S. Dionyſij......... præſente Rege Angliæ, & maxima pars ciuitatis.

1204. Regreſſo Rege Ioanne in Angliam ſapienti vſo conſilio ne à proditoribus ſuis Baronibus Regi Francorum captus traderetur, idem Rex totam occupauit Normanniam præter ciuitatem Rothomagenſem, quam in Maio obſedit per tres ſeptimanas, & reddita eſt ei ex deſperatione ſuccurſus ex parte Regis Angliæ.

1205. Dirupta eſt magna turris Roberti per Regem Franciæ Philippum, & nouum caſtrum ædificatum ex altera parte ciuitatis per eundem Regem iuxta fortem, qui vulgo dicitur Gaalor. Eodem anno Magiſter R...... de Ableges electus eſt in Baiocenſem Epiſcopum, & à Curiâ Romana ad Eccleſiam Rotomagenſem miſſus ad ordinandum in Preſbyterum, & conſecrandum in Epiſcopum, & ordinatus eſt à VValthero Arch. 5. kal. Martij, & in craſtino in Epiſcopum conſecratus.

1206. Kalendis Martij fuit Eclipſis Solis apud Rothomagum quæ incepit ante Tertiam, & durauit vſque poſt Nonam, & eodem die, vt dicebatur, pluit ſanguis apud Andeleium in tribus locis; qui à multis viſus fuit & collectus. In feſto ſancti Michaelis reddidit VValtherus Archiepiſcopus Capitulo Rothomagenſi decimam de Diepâ, quam eiſdem dudum contulerat, ſed pro guerrarum turbine nec ipſe plenè redditum ſuum de eadem villa, ſed nec Canonici decimam ſuam habere poterant. Sed tunc ad plenum ſunt reſtituti, & eadem die decimam habuerunt 31. libras, & 14 ſolidos, de quibus habuerunt 37. Canonici, qui tunc fuerant ſinguli ſexdecim ſolidos Turonenſes. Eodem anno dedit VValtherus Archiep. Capitulo Capellaniam de Blia integrè, retentâ ſibi & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum donatione quatuor præbendarum, quarum ſingulæ debent eſſe de quindecim .... Donatiu verò centum ſolidorum ſterlingorum Clericis chori, & centum ſolidorum pauperibus ciuitatis per manum Capituli fiet.

1207. In Annunciatione Dominicâ dedit VValtherius Archiepiſcopus Capitulo Rothomagenſi Eccleſiam de Borduuillâ. Poſitum fuit interdictum in Eccleclesia Rothomagenſi & in omnibus Eccleſiis ciuitatis pro homine Magiſtri Guillermi de Marliz Canonici, quem cepit Major pro quadam meſleâ factâ in ciuitate, & detinuit vſque ad diem Lunæ 7. Kalendas Aprilis. Rex tamen ſæpiùs ſcripſit, tum monendo, tum præcipiendo, tum comminando; & poſtea nobiles & majores de conſilio ſuo miſit ſcilicet B. de Royâ, Fratrem Guarinum familiarem Clericum ſuum vices Cancellarij agentem, & Ioannem de Roureio, & alios quoſdam, vt Capitulum inducerent ad relaxandum interdictum pro honore Regis, & poſtea audiretur cauſa detentionis hominis Canonici, & bene facerent remitti pro honore Eccleſiæ Rotomagenſis: ſed nullatenus potuerunt impetrare, donec ille homo liber fuit redditus domino ſuo in pleno Capitulo per manum Majoris, qui detinuerat, præſenti-

bus in Capitulo trecentis hominibus & ampliùs, & Major dedit ſtatim vadium in manu Decani de emenda pro detentione & captione hominis Canonici, & plegios dedit de emendâ Ioannem de Roureio tunc Caſtellanum de Archis, & Robertum Deſtel, & Gaufridum de Meſnillo milites, & ſic in laude Dei libertate Eccleſiæ plenè redditâ ſolutum eſt interdictum.

Eodem anno 16. kal. Decembris obiit VValtherus venerabilis Rothomagenſis Archiep. magnificus benefactor Eccleſiæ Rothomagenſis, & ſedit 23. annis menſibus 9. Eodem etiam anno die Dominicæ Natiuitatis in ſerò facta ſunt tonitrua & coruſcationes in cœlo.

1208. Robertus, cognomento Pullus, factus eſt Roth. Arch. Eodem anno multi in Gallia cruces pectoribus affixerunt pugnaturi contra Albigenſes hæreticos. Interfectus eſt Philippus Dux Saxonum, & Otho ab omnibus in Imperatorem electus. Eodem anno Anglia interdicta eſt pro Magiſtro S..... de Languetonâ viro honeſto literatiſſimo conſecrato in Archiepiſc. Cantuarienſem..... poteſtas Ioannis Angliâ expulit, & omnes Monachos Cantuarienſes, qui per diuerſas Abbatias Franciæ, & Normanniæ diſperſi ſunt, propter quod Rex poſt ammonitiones, cùm nollet acquieſcere, excommunicatus eſt.

1209. Otho Rex Alemaniæ coronatus eſt in Imperatorem à Domno Papa Innocentio, quamuis aliqui ciues Romani contradicerent, & ſtatim orta eſt diſcordia inter Domnum Papam, & ipſum, & ciues Romanos pro quibuſdam caſtris.

1210. Hoc anno à Kalendis Ianuarij cœpit gelu grauiſſimum, & durauit per duos ferè menſes, ita quòd ſatio hyemalis ex parte magnâ impedita, & periclitata eſt, & quod ſeminatum fuit de frumento ſic euanuit in multis locis, quòd nec tantum colligi potuit, quantum fuerat ſeminatum. Eodem anno Ioannes Comes de Breinne corpore formoſus, & armis ſtrenuus electus eſt in Regem Hieroſolymorum, illùcque profectus filiam Marchionis ſuperius prænominatam duxit in vxorem, & coronatus eſt in Regem, & contra inimicos Crucis Chriſti viriliter pugnare cœpit. Eodem anno Rex Angliæ Ioannes in Hyberniam transfretauit, & totam terram ſibi ſubjugauit, & Regem de Coignoth ſibi fecit tributarium. Eodem anno nocte ſequente diem Paſchæ ignis combuſſit Parochias ſancti Candidi & S. Dionyſij, paucis domibus remanentibus.

Hoc anno Cruce-ſignati contra Albigenſes profecti ſunt, & Domnus Papa omnibus, qui quadraginta diebus moram facerent in expugnandum illos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus rite confeſſi fuiſſent, remiſſionem plenam indulſit, factâ commutatione pœnitentiæ pro labore itineris, & mora prædictâ in expugnandis illorum caſtris. Simon Comes Montisfortis vir Catholicus armis ſtrenuus electus eſt ad terram illam cuſtodiendam & habendam, qui poſtea multos labores pro Chriſti fide ſuſtinuit. Eodem anno apud Pariſius, & apud Rotomagum, & in aliis quibuſdam locis, multi tam Clerici, quàm Laïci, & mulieres, deprehenſi ſunt, & conuicti de hæreſi, & combuſti ſunt.

1211. Ioannes Rex Angliæ totam Walliam acquiſiuit, quod nullus prædeceſſor eius facere potuit, & multò plura acquiſiuit, quàm in Normanniâ amiſerat. Idem promiſit Domno Papæ, quod Archiepiſcopum S. Cantuarienſem reciperet, & damna Eccleſiæ Dei illata reſtitueret, & poſtulauit ad hæc videnda Legatum mitti, & miſſus eſt à Domino Papa Innocentio Pandulfus Subdiaconus eius. Sed Rex audito mandato Domini Papæ, cùm peteret ab eo idem Subdiaconus iuramentum ſecundum formam Eccleſiæ & ſic abſolueretur, Rex neque iurare voluit, nec Archiepiſcopum recipere, nec damna reſtituere, & ſic rediit ille Legatus infecto negotio. Eodem anno menſe Septembri, Comes Bolonienſis fecit muniri caſtrum Moritaniæ contra Regem Franciæ, quod eodem menſe ab eodem Rege obſeſſum eſt, & ei redditum, & omnia caſtra eiuſdem Comitis, ſed & tota terra eius in manu Regis capta ſunt. Dicebatur tum publicè, quod idem Comes confœderauerat ſibi Pictauenſes, Britones, & Flandros, Anglos, & Imperatorem, & dicebant in ſuccurſum eius fore venturum. Sed hæc omnia falſa fuerunt. Eodem anno feria tertia in hebdomada Paſchæ prima vigilia noctis incepit ignis in Parochia ſancti Machuti, & totam ciuitatem Rothomagenſem combuſſit, & domos, & ædificia Archiepiſcopi, Cathedrali Eccleſia miraculosè conſeruata per Dei gratiam, & Abbatia S. Audoëni, & S. Laudi, & domibus lapideis, quas ignis deuo-

rare non potuit,remanentibus. Eodem anno, cùm Capitulum Rotomagenſe peteret à Domino Archiepiſcopo Roberto decimam quorumdam prouentuum de Dieppâ, & ipſe diu ſoluere, aut Capitulo reſpondere diſtuliſſet, Capitulum ſuper ipſum Cathedralem Eccleſiam interdixit in craſtino Octauarum Natiuitatis B. Virginis, & fuit interdicta vſque in diem ſancti Michaëlis, & tunc domino Lucâ Ebroicenſi Epiſc. mediante ſoluit Capitulum interdictum, & in craſtino dominus Archiep. & Capitulum compromiſerunt in arbitros, ſcilicet Abbatem Bellibecci, Magiſtrum R....de Aquila Decanum Abrincenſem, Theobaldum Theſaurarium, & Magiſtrum R..... Balbum Archidiaconum Rotomagenſem, quod eorum ſtarent arbitrio appellatione remotâ ſupradicta querela de prouentibus ratum habituri, quidquid ſtatuerent. Et ſic Decanus ad mitigandum animum Archiepiſcopi dixit Archiepiſcopo præſente Capitulo: Domine verum eſt, quòd ceſſauimus & credimus nos benefacere, & credimus, quòd non malo animo fecimus: tamen ſi ex facto vel ex alio aliquo indignationem vel iram concepiſtis contra nos, ſicut homines faciunt, rogamus pro Deo, vt vos placabiles nobis reddatis, & nos in gratiam veſtram recipiatis.

1212. In Hiſpaniis Chriſtiani cum paganis pugnant, & potiti victoriâ, multos perimunt Saracenos, & reliquos ad ſugam compellunt. Reginaldus Comes Boloniæ à Philippo Rege Francorum omni terra ſpoliatus, & à regno expellitur, ſed ab Othone & Ioanne Anglo recipitur.

1213. In Prouinciâ iuxta caſtrum quod Murellum dicitur, geſtum eſt bellum æterna memoria dignum cùm Comes Simon de Montefort, multas hæreticorum ſtrages faciens plebis Prouinciæ vrbes, & oppida ſibi ſubjugaſſet, Rex Aragonum, Comes Toloſanus, Comes Conuenarum, Comes Luxenenſis, collecto exercitu copioſo ſupradictum caſtrum obſederunt, erectiſque machinis oppugnare cœperunt. Res noſtro Comiti Simoni innotuit, qui mox paucis admodum viris collectis Regi Aragonum & ſuis audacter occurrit, diſpoſitiſque aciebus pugnare cœperunt pridie Idus Septembris, in qua pugnâ Rex Aragonum, cum pluribus de ſuo exercitu occubuit. Reliqui verò in fugam conuerſi, & confuſi ad propria remearunt. Otho Imperator à Domino Papâ Innocentio excommunicatur. Fredericus Rex dictus infans Apuliæ Romanum ſibi vindicare conatur imperium.

In hoc anno pueri & puellæ in Regno Francorum cum aliquibus adoleſcentulis & ſenibus vexilla, cereos, cruces, & thuribula portantes proceſſiones faciebant per vrbes, vicos & caſtella cantantes & Gallicè proclamantes: Domine Deus exalta Chriſtianitatem, & redde nobis veram Crucem. & multa alia decantabant, & vnaquæque proceſſio, quia variæ erant, pro voluntate ſua variabat. Res verò iſta à multis ſæculis inaudita fuit admirationíque, vt credimus, præſagium fuit eorum quæ in ſequenti anno contigerunt. Nam Dominus Papa ad regnum Galliæ, & ad omnia regna Catholica Legatos deſtinauit, & tantam multitudinem hominum ad ſuccurſum terræ ſanctæ cruce ſignari fecit, quorum numerum ſolius Dei ſcientia colligit.

Eodem anno Philippus Rex Francorum collecto exercitu & multo nauium apparatu transfretare propoſuit in Angliam, vt Regem Ioannem expelleret, & regnum ſibi ſubjugaret. Congregata ex omni parte infinita nauium multitudine in portu qui vocatur Dam, Angli ſubitò nauibus armati ſuperueniunt, & nauali apparatu Regis Francorum violenter abducto, transfretandi ei adimunt poteſtatem. Vnde Rex irâ ſuccenſus contra Ferrandum Comitem Flandriæ qui cum ipſo non venerat totam Flandriam ipſo penitus expulſo ſibi ſubjugauit.

1214. Stephanus Cantuarienſis Archiepiſcopus cæteríque Anglorum Pontifices, Monachi & Clerici, qui pro cauſa Eccleſiæ tenebantur exilio, mediante Cardinale Regi reconciliantur, & ab eo recipiuntur in Anglia, & ſua ipſi recipiunt: ſimúlque regnum ab interdicti ſententiâ, Rex à nexu excommunicationis abſoluitur, & facta eſt magna pro Eccleſiæ pace lætitia. Ferrandus Flandrenſis Comes à Philippo Rege Francorum pulſus à Flandriâ Othonem Alemaniæ, & Ioannem Angliæ Reges expetiit, & pepigit fœdus cum eis, quorum fretus auxilio regreſſus in Flandriam, eam pene totam de manu Regis Francorum potenter eripuit, auxilio virorum illuſtrium Willelmi Comitis Sareſburiæ fratris Regis Angliæ, & Comitis Bolonienſis Reginaldi. Ioannes Rex Angliæ in Aquitaniam claſſe tranſuectus recon-

conciliatis ſibi magnatibus terræ multis magnam partem terræ ſuo iuri reſtituit. Philippus itaque Rex Francorum, miſſo contra eum Ludouico primogenito, ipſe collecto exercitu Flandrenſibus quorum vires iam nimis excreuerant, cenſuit occurrendum. Igitur intra fines Flandriæ fit vtriuſque concurſus, & diſpoſitis aciebus inter Mauritaniam, & Tornacum ſexto Kalendas Auguſti, die Dominica, pugna committitur, & in conflictu plurimi ceciderunt Franci, tamen palmam victoriæ obtinuerunt. In hoc bello capti ſunt egregij pugnatores quatuor Comites, Pilitus Alemannus, Ferrandus Flandrenſis, VVillermus Sareſburienſis, Reginaldus Bolonienſis, & Seneſcallus Othonis, & milites alij plures. Poſt hæc Rex Philippus contra Regem Anglorum mouit exercitum, ſed legatis interuenientibus, quinquennales inter eos firmantur induciæ, & ita redijt Rex Francorum, & Rex Ioannes in Angliam ſe recepit. Terræ motus in Aduentu Domini 13. Kalendas Ianuarij ter in vnâ nocte factus eſt. Globus igneus magnitudinem bouis excedens, & magnum lumen emittens viſus eſt in aëre circa ortum diei Idibus Ianuarij. Eclipſis Lunæ facta eſt 16. kal. Martij.

1215. Romæ Generale Concilium à Papâ Innocentio celebratur circa Lateranum: quod incepit in feſto Omnium Sanctorum, & diu durauit, quoniam nunquam audiuimus celebratum ita multis conſtitutionibus ſuper ſtatu Eccleſiaſtico promulgatis; Iudæis indixit ſignum circulare in pectoribus bajulare, vt inter ipſos & Chriſtianos diſcretio ſeu diuiſio veſtium haberetur. Eodem anno orta inter Regem Angliæ Ioannem, & Barones eius regni grauis diſſenſio, itaque Barones coniurationem fecerunt quòd nunquam de eo vel de heredibus eius terram tenerent.

1216. Ludouicus Philippi Francorum Regis primogenitus confœderatis ſibi magnatibus Angliæ, & obſidibus ab eis receptis cum multis nauibus, & armatorum exercitu copioſo in Angliam transfretauit, quem Barones cum gaudio receperunt & ciuitate Londonienſi ei reddita, omnes homagium, & fidelitatem iuratoriam fecerunt. Inde verò per conſilium eorum recedens ciuitatem VVintonenſem & caſtrum obſedit, & cepit, & caſtra plurima maritima, & de conſilio eorum Baronum caſtrum de Doura fortiſſimum obſedit. Ioannes Rex Angliæ obiit in feſto S. Lucæ Euangeliſtæ, cui ſuccedit Henricus filius eius puer duodennis in quinta die poſt mortem patris coronatus. Innocentius Papa obiit cui ſuccedit Honorius.

1217. Bellum apud Lincolnienſem vrbem inter exercitum Regis Anglorum, & Barones aduerſarios ipſius qui caſtrum Lincolnenſe diu obſederant. In quo videlicet prælio iam dictus Anglus, & ſui de eiſdem hoſtibus ſuis ampliſſimè triumpharunt. Ibi periit Thomas Comes de Perrico ſuper quo plurimi doluerunt, & cum eo plurimi: capti verò eſſe referuntur milites tam mediocres quam illuſtres fermè quadringenti. Eodem verò anno conuenerunt plurimi magnates Francorum, vt venirent in auxilium Ludouici & aſcendunt naues in feſto S. Bartolomæi. Quo audito, fideles Regis Angliæ occurrerunt eis, & pugnauerunt cum eis in mari, & triumphauerunt, captis viris nobilibus Roberto de Cortenaio, VVillermo de Batris, & multis aliis. Euſtachio etiam Monacho decapitato, Tractatum eſt de pace inter Ludouicum & Regem Angliæ, & acquieuit Ludouicus petitioni Regis liberatis omnibus captis in guerra, & rediit Ludouicus in Franciam. Rex verò Anglorum ſedit in ſolio regni ſui, & facta eſt lætitia magna in populo.

1218. Cruce ſignati per mandatum, & indulgentiam Domini Papæ de diuerſis Chriſtianorum regnis ad terram Hieroſolymitanam iter arripuerunt. Inter quos Rex Hungariæ, Dux Auſtriæ, & multi alij nobiles Romani Imperij in quibus plures Galliæ nobiles, fratres etiam Henrici Regis Angliæ filij Ioannis Regis. Et Ricardus Comes Ceſtriæ, & multitudo magna Anglicorum iter arripuerunt, & inſpirante diuina clementia ciuitatem Damiatæ obſederunt: in quâ obſidione multos habuerunt cum Saracenis conflictus: ſed nunquam potuerunt per eos ab obſidione moueri.

1219. In feſto Decollationis ſancti Ioannis in obſidione Damietæ commiſſum eſt prælium inter Chriſtianos & Saracenos, & quia plures Chriſtianorum

minus prouidè ſchabuerunt in bello, præualuerunt Saraceni, & capti ſunt in bello illo viri nobiles, Electus Ep. Beluacenſis, VValtetus Domini Regis Franciæ Camerarius, & filius eius, & multi alij capti ſunt: in quo conflictu multitudo magna Chriſtianotum interfecta eſt, ex quo magnum Saracenis accteuit gaudium, ſed Dominus qui non derelinquit præſumentes de ſe, & de ſua vittute gloriantes humiliat, gaudium eorum conuertit in lamentum. Eodem ſiquidem anno in feſto S. Leonardi reddidit altiſſimus Damietam non in fortitudine manuum hominum, ſed in virtute potentiæ ſuæ, nullo Saracenorum repugnante.

1220. Dominus Deus exercituum magnificauit miſericordiam ſuam cum exercitu Chriſtianorum reddens eis aliam ciuitatem fortiſſimam nomine Taphnes quam Saraceni audito aduentu Chriſtianotum à Deo petterriti vacuam & immunitam reliquerunt. Eodem anno ciuitas combuſta fuit circa Rodobeccum. Eodem anno die Martis in craſtino Octauarum Apoſtolotum Petri & Pauli tranſlatum eſt corpus B. Thomæ Martyris à crypta, in quâ prius fuit ſepultum, vſque in Eccleſiam, & ibi in thecâ auro puriſſimo, & lapidibus pretioſis mitabilitet ornata collocatum. Huic tranſlationi interfuerunt omnes Epiſcopi & Abbates Angliæ, Archiepiſcopus Remenſis, & plutes Epiſcopi, & Abbates Franciæ, intet quos Magiſtet Radulfus, & Ioannes Archidiaconus, & etiam Willelmus Cancellarius, & plures alij Canonici Rotomagenſes interfuerunt loco Archiepiſcopi, qui intereſſe non potuit; qui de teliquiis eiuſdem Martyris impettarunt, & in Eccleſia Rotomagenſi honorificè collocarunt.

1221. Hoc anno quatto Nonas Maij, obiit Rotbertus Archiepiſcopus Rotomagenſis, vir ſimplex, manſuetus, & pius, apud Mortuum mare, ſepultus Nonis Maij.

1222. Conſecratus eſt Theobaldus electus Rothomagenſis in Archiepiſcopum in majori Eccleſia Rothomagenſi, pridie Nonas Septembris, & eodem anno quatto Kalendas Februarij ſuſcepit pallium ſuum. Hoc anno viſa eſt ſtella circa occaſum Solis Decembrilis, primæ magnitudinis, ardens velut facula, radios ſurſum erigens, & in acutum velut in conum colligens terræ vicina videbatur, quod aliquod prodigium portendere ferebatur. Hanc dicebant eſſe Cometam.

1223. Obiit Rex Philippus Galliæ illuſtriſſimus, qui benè nouit, Parcere ſubjectis, & debellate ſuperbos. Cui ſuccedit Ludouicus filius eius octauo Idus Auguſti Remis cum glotiâ coronatus eſt.

1224. Hoc anno facta eſt hyems grauiſſima, & ventus vehemens qui concuſſit ſegetes & ſubuertit turres Eccleſiarum in pluribus locis Franciæ, & Normanniæ. Eodem anno facta eſt fames valida ferè per totum orbem, & præcipuè in Flandriâ, ſed Deo gratias nullum audiuimus fame interiiſſe.

1225. Beatus Laurentius quondam Dublinienſis Atchiepiſcopus, qui in Eccleſiâ S. Mariæ Augi requieſcit, à Domino Papa Honotio probatis per teſtes omni exceptione majores ſignis, & virtutibus, quas per illum Dominus operari dignatus eſt, & conuocatis Catdinalibus, & omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & omnibus aliis, qui in Curiâ præſentes aderant, canonizatus eſt ſolemniter, omnibus apptobantibus, & Deum collaudantibus, qui in ſanctis ſuis ſemper eſt mirabilis, & in catalogo Sanctorum Confeſſorum ſcriptus, & iniunctum eſt feſtum eius celebrari 8. Kal. Februatij. Hoc eodem anno combuſtio Rotomagi circa ſanctum Saluatotem. Eodem anno celebratum eſt Concilium Pariſius à Domino Romano Apoſtolicæ ſedis Legato 5. Kal. Febr. & ibidem ad prædicationem ipſius, & admonitionem, Luduuicus illuſtris Rex Francorum cruce ſignatus eſt, & ad debellandum Comitem Toloſæ, & alios hæreticos Albigenſes, & totam terram illam ei conceſſit auctoritate Apoſtolica iure hæreditario poſſidendam.

1226. Sexto Idus Nouembris, obiit Ludouicus Rex Franciæ filius Philippi Regis apud Montem Panchetij in reditu ſuo de Auenione, & delatum fuit corpus eius ad Eccleſiam ſancti Dionyſij, & in eadem ſepultum propè patrem ſuum, cui ſuccedit Ludouicus filius eius puer circiter duodecim annorum.

1227. Obiit Honorius Papa, cui ſuccedit Gregorius. Hoc anno cum dominus Theobaldus Rothomagenſis Archiepiſcopus voluiſſet adducere marrennum apud Rothomagum quod fecerat fieri in foreſta ſua de Lowets, Balliuus de Valle

Rodolij marrennum illud arreſtauit, cuius rei facta denunciatione Epiſcopo loci, Epiſcopus illum excommunicauit. Ex hac occaſione ſeu excommunicatione Dominus Rex Francorum traxit eundem Archiepiſcopum in Curiam coram ſe dicens quod iniuriatus erat ei, eo quod fecerat Balliuum ſuum excommunicari eo inrequiſito. Item conquerebatur de eo quòd idem Archiep. ceperat Foagium de Villeta, quæ eſt in Parochiâ de Louiers, cùm illud foagiũ ad ſe pertineret ratione feodi quod de ipſo tenebatur, & miles qui illud tenebat ipſum aduocabat dominum. Item dicebat dominus Rex quod Archiepiſcopus non debebat facere marennum in foreſta de Louiers, ad vſus aliorum manetiorum niſi rantummodo ad vſus manerij de Louiers. Item conquerebatur dominus Rex de dicto Archiepiſcopo eo quod excommunicauerat Decanum, & quoſdam Canonicos de Gornaco, qui ſunt ſub protectione eius, & de patronatu ipſius. Citari fecit Rex eundem Archiepiſcopum quod reſponderet quare non veniebat ad Scacarium reſponſurus, & iuri pariturus de his quæ ei objiciebantur ſicut alij Epiſcopi, & Barones faciebanr in Normannia. Propter iſtas cauſas fuit Archiepiſcopus citatus coram Rege apud Vernonem, & comparuit, & dixit quod non tenebatur reſpondere in curiâ ipſius de iſtis, tum quia quædam earum erant ſpirituales, tum quia feodale nihil tenebat de eo pro quo teneretur reſpondere in Curia ſua: de qua reſponſione Rex, & Regina valdè irati fuerunt, & receſſit Archiepiſcopus, iis non pacatis, vnde Rex conuocauit pluries Barones ſuos & conſuluit eos quid eſſet agendum ſuper tali reſponſione Rothomagenſis Archiepiſcopi. Item citatus fuit idem Archiepiſcopus, & præſentibus Baronibus quæſitum fuit ab eo ſi de aliqua re reſponderet in Curia domini Regis, & reſponſum fuit quod nihil audierat de quo teneretur reſpondere; quia nihil tenebat niſi propriam Eccleſiam vnde dominium ſuum tenebat. Vnde iratus Rex per conſilium ſuorum Baronum confiſcauit omnes Archiepiſcopi poſſeſſiones ſæculares, vnde Archiepiſcopus habito tractatu cum Epiſcopis ſuis omnia dominia & caſtella quæ Rex tunc habebat in Archiepiſcopatu ſuo interdicto concluſit, exceptis tantummodo ciuitatibus: & inde exulauit ad Curiam Romanam profecturus, & infirmitate detentus Remis miſit ad Curiam Romanam. Impetrato autem quod Legatus nomine Romanus qui tunc veniebat ad partes Gallicanas cauſam audiret, Archiepiſcopo prius reſtituto per rigorem iuſtitiæ, per Legatum Archiepiſcopus plenariam habuit reſtitutionem mobilium & immobilium, cum fructibus inde perceptis, & reportato in ciuitate Rotomagenſi marenno per Capellanum de Valle Rodolij quod ipſe arreſtauerat, & Archiepiſcopo reddito ita remanſit Archiepiſcopus de omnibus iſtis querelis in pace ad laudem Domini noſtri IESV-CHRISTI.

1228. Combuſtio Rotomagi à ſancto Patricio vſque ad Sequanam in feſto S. Laurentij Martyris.

1229. Theobaldus de Ambianis Rothomagenſis Archiepiſcopus in feſto ſancti Firmini quod ipſe de aſſenſu Capituli triplici feſto ſtatuerat celebrari, in eodem feſto celebratis ſolemniter diuinis laudibus ad feſtum pertinentibus in confinio diei & noctis diem clauſit feliciter extremum. Eodem anno electus fuit in Archiepiſcopum à majore parte Capituli Thomas de Freauilla tunc Decanus Rotomagenſis: ſed alia pars viriliter reſtitit ei: durauit contentio per annum, & amplius & tandem in Curiâ Romanâ finita fuit.

1231. In menſe Maio conſtitutus in Curia Romana Decanus Rotomagenſis Thomas de Freauilla in præſentiâ fratrum renunciauit electioni de ſe factæ in manu domini Papæ: ad cuius reſignationem dominus Papa dedit Eccleſiæ Rotomagenſi Dominum Mauricium Epiſcopum Cenomanenſem in Archiepiſcopum & Paſtorem qui receptus fuit in eadem Eccleſiâ die dominica ante Feſtum Beatæ Mariæ Magdalenæ. Idem Thomas de Freauilla Decanus Rotomagenſis electus in Epiſcopum Bajocenſem à domino Mauricio Archiepiſcopo Rotomagenſi confirmatus; & conſecratus fuit in Eccleſia Rotomagenſi primâ Dominicâ Paſſionis Domini ab eodem, & tunc vacauit Decanatus Rotomagenſis per annum & amplius.

1232. Poſt deceſſum Æliciæ Abbatiſſæ Monaſterij Villaris, celebrata fuit electio in eodem Monaſterio, & fuerunt duæ electæ, & repræſentata fuit electio Mauricio Archiepiſcopo qui electionem examinauit, prout debuit, & comperto quod non fuit ſeruata forma Concilij in eligendo, electionem de vtraque

factam caſſauit, & capitulum iure eligendi ea vice priuauit, aſſignauítque eidem Capitulo Abbatiſſam Leciam de Vonſemoncel: ſed ipſa non obtinuit Abbatiam propter contradictionem Regis, & ipſe Archiepiſcopus excommunicauit omnes Moniales adhærentes Regi in hoc facto & contradicentes prædictæ Abbatiſſæ.

1233. In menſe Iulij ſaiſiuit dominus Rex Ludouicus iunior Regalia domini Rotomagenſis Archiepiſcopi propter cauſas quæ expreſſæ ſunt ſuperius in tempore Theobaldi Archiepiſcopi, & propter quaſdam alias cauſas, propter quod dominus Archiep. Roth. Mauricius ſuppoſuit totam Diœceſim Rotomagenſem interdicto, & incepit interdictum à vigilia S. Michaëlis, & durauit vſque ad feſtum Sanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani anno reuoluto. Quia tunc ei reddita ſunt bona ſua cum omnibus quæ recepta inde fuerant tempore intermedio. Hoc anno Magiſter Stephanus de Caſtro Auuri factus eſt Decanus Rotomagenſis per Mauricium Archiepiſcopum, quia compromiſit Capitulum in ipſum.

1234. In octauis Epiphaniæ Domini obiit Mauricius Rotomagenſis Archiepiſcopus apud Salicoſam & delatum fuit corpus eius, & ſepultum in Eccléſia Rotomagenſi. Hoc anno celebrata electione in die Veneris ante Ramos Palmarum, quia nihil actum fuit alia die ad hoc aſſignata electus fuit Magiſter VV....de Dunelmo à majore parte Capituli, & quoſdam habuit contradictores, & quia noluit conſentire electioni de ſe factæ; ſed conſenſum ſuum poſuit in voluntate Domini Papæ, delata eſt cauſa ad Curiam Romanam, & ſcripſit Dominus Papa Iudicibus ad hoc electis à partibus, vt requirerent vtrum vellet conſentire, vel non: & quia non conſenſit requiſitus, reddita fuit electio Capitulo Rotomagenſi, & durauit iſta contentio ferè per annum. Eodem anno poſt deceſſum Ricardi Epiſcopi Ebroicenſis quondam Abbatis Beccenſis electus fuit Radulfus de Chierre, Archidiaconus Ebroicenſis in Epiſcopum Ebroicenſem, qui præſentatus fuit Capitulo Rotomagenſi, vacante ſede, & examinatis, tam electione quam electi perſona, à Capitulo confirmatus prout conueniebat in Eccleſia Rotomagenſi de mandato Capituli à Theobaldo Epiſcopo Bajocenſi fuit ordinatus in ordinibus Septembris, in craſtino conſecratus ab eodem.

1235. Hoc anno VVillelmo de Fontibus Abbate ſancti VVandregiſili recepto in Monachum Ciſtercienſem apud Brolium electus fuit VV.... in Abbatem, & Capitulo Rotomagenſi, vacante ſede, præſentatus, & examinatis electione, & perſona electi, per ipſum Capitulũ obtinuit benedictionẽ die Dominica ante feſtum Mariæ Magdalenæ. Eodem anno mortuo VV.....Epiſcopo Abrincenſi electus fuit VV.... de ſanctæ Mariæ Eccleſia Decanus Abrincenſis in Epiſcopum Abrincenſem, quo præſentato memorabili patri Petro Rotomagenſi electo, & examinatis tam electione quàm perſona electi, prout debuit, & ab eodem Petro electo confirmato præſente ipſo Petro in Eccleſiâ Rotomagenſi, de mandato ipſius ordinatus fuit in Ordinibus Aduentus Domini, & in craſtino conſecratus ab Epiſcopo Siluanectenſi. Eodem die & eodem anno quo conſecratus fuit Epiſcopus abſolutis monialibus de Monaſterio Villaris in formâ Eccleſiæ à Petro Rotomagenſi electo, quæ fuerant excommunicatæ à Mauricio Rotomagenſi Archiepiſcopo, de conſenſu partium litigantium data fuit Margarita monialis de Guerres, in Briâ, in Abbatiſſam Monaſterij Villaris à prædicto Petro electo, & benedicta prædicta die in capella dicti electi. Hoc eodem anno, die Veneris infrà Octauas Paſchæ celebrata fuit electio in Eccleſia Rotomagenſi, & fuit electus concorditer vir venerabilis Magiſter Petrus de Collemedio Præpoſitus Eccleſiæ beati Audomari in Flandriâ: & quia non conſenſit requiſitus, miſſum fuit ad Curiam ad ipſum poſtulandum, & iniunxit ei dominus Papa mandato quod reciperet in virtute obedientiæ, & ſic ad vltimum conſenſit infrà Octauas B. Dionyſij apud Pariſius in domo Templariorum: & ſic permanſit electus habens omnem adminiſtrationem bonorum Archiepiſcopatus, tam ſpiritualium quàm temporalium vſque ad Vigiliam B. Laurentij Martyris.

1236. aut 1237. In Vigilia B. Laurentij Martyris, Magiſter Petrus de Collemedio, obtenta à domino Papâ licentiâ quod non iret ad Curiam conſecrandus, prout ei prius mandatum fuerat, & ei pallio allato per nuncios ſuos ad hoc deſtinatos conſecratus fuit ſolemniter in Eccleſia Rotomagenſi, prout decuit, prædictus vir venerabilis Petrus electus, à venerabili viro VV..... Epiſcopo Abricenſi, excuſatis Bajocenſi præ infirmitate & Conſtantienſi aliis præſentibus Epiſcopis Normanniæ:

Nouiomenſi, Sueſſionenſi, Meldenſi, Cameracenſi, cum multis alijs Clericis, præſenti etiam Comite Montisfortis, & multis alijs Baronibus & Militibus Franciæ & Normanniæ & Flandriæ, & eodem die poſt conſecrationem recepto pallio apud ſanctum Audoenum rediit ad Eccleſiam B. Mariæ, & ibi ſolemniter receptus fuit cum pallio, prout decuit & debuit.

1238. Combuſtio Rothomagi à vico Iudæorum vſque ad fontem Gualot in craſtino ſanctorum Geruaſii & Protaſii. Hoc anno Richardus de Montibus de Parochia Hoſſiæ captus & detentus pro homicidijs & furtis & iudicatus & traditus ſeruientibus ad ſuſpendendum die Martis in Rogationibus per contradictionem capituli remanſit, & ſeruatus vſque in diem Aſcenſionis, & tunc redditus fuit ſancto Romano.

1239. Die Martis poſt Paſcha Arch. Petrus arripuit iter verſus Curiam Romanam, & præpeditus guerra Imperatoris vltra Lugdunum non proceſſit. In vigilia beati Iacobi Apoſtoli, poſt Completorium viſum eſt ſignum admirabile multis in cœlo quaſi Lunæ igneus incipiens à meridie & attingens vſque ad Aquilonem, & durauit quaſi per ſpacium dimidiæ horæ. Eodem anno in Feſto B. Ioannis Baptiſtæ, arripuit iter Hieroſolymitanum Rex Nauarræ, Comes Montisfortis, Comes Barri, Robertus de Cortenayo, & multi alij Barones & Milites regni Francorum. Eodem anno tranſlata Corona Saluatoris è ciuitate Conſtantinopolitana, recepta fuit in craſtino ſancti Laurentij Martyris à Rege Ludouico iuniore cum magna reuerentia. In craſtino ſancti Martini Hyemalis capti ſunt in bello à Saracenis Comes Montisfortis & multi alij Barones regni Franciæ: Comes Barri interfectus, & cum eo plures alij.

1240. Profecti ſunt Hieroſolymam Comes Ricardus frater Henrici Regis Angliæ & plures alij Comites, Barones, cum magna multitudine militum & aliorum de regno Angliæ: Menſe Octobri citatus fuit Dominus Petrus Rotomagenſis Archiepiſcopus, & multi alij Prælati de regno Franciæ ad Concilium Generale celebrandum in Curiâ Romana, qui arripuerunt iter ad Purificationem B. Mariæ proximè ſequentem.

1241. Fuit maxima ſiccitas per quam deperijt magna pars ſegetum & multa inconuenientia exinde venerunt, tam in animalibus quàm pecudibus, & in multis alijs rebus. eodem anno cùm prædicti Prælati de regno Franciæ & Angliæ elegiſſent ire nauigio Romam ad mandatum Domini Papæ occurrit eis filius Imperatoris, cum Piſanis, & multitudine armatâ, & eoſdem cepit, & raptos duxit ad imperium patris ſui, qui eos incarcerauit & diu detinuit incarceratos. Eodem anno obijt Papa Gregorius quartus, & vacauit ſedes poſt obitum eius per decem ſeptimanas: poſtea creatus fuit alius, qui dictus fuit Cæleſtinus, qui ſolummodo vixit per decem & ſeptem dies, nec vnquam vſus fuit Bulla, cui ſuccedit Innocentius quartus.

1245. Hoc anno celebrauit Innocentius Papa IV. Lugduni Concilium vniuerſale circa natiuitatem B. Ioannis & in illo Concilio fuit depoſitus Federicus quondam Imperator. Dominica qua cantatur Cantate, receptus fuit in Archiepiſcopum Rotomagenſem dominus Odo Adam Abbas S. Dionyſii.

1247. Hoc anno obijt Odo Archiep. Rotomagenſis in Kalendis Maij, & vacauit ſedes ferè per annum.

1248. Die Paſchæ receptus fuit Odo Pigaut Archiep. Rotom. ſolemniter in Eccleſia Rotomagenſi. Eodem anno cœpit ignis iuxta portam Beluacenſem, qui combuſſit Eccleſias S. Laurentij & S. Gildardi, & totam Abbatiam ſancti Audoëni circa feſtum ſancti Laurentij. Hoc anno profectus eſt Ludouicus Rex Francorum Hieroſolymam circa Pentecoſtem, & plures alij Comites & Barones cum magna multitudine militum & aliorum de regno Franciæ.

1249 In vigilia Trinitatis capta eſt Damieta à Ludouico Rege Francorum & exercitu Chriſtiano. Interfectus eſt Robertus nobilis Comes Attrebatenſis frater Ludouici Regis Francorum, die Martis in carnicapio à Saracenis in la Maſſole, & cum eo multitudo magna Chriſtianorum, & in Paſcha ſequenti fuit Ludouicus Rex Francorum frater Comitis captus, & omnes fratres eius & tota Chriſtianitas.

1251. Die Paſchæ in ſero quaſi in media nocte cœpit ignis in vico Sacerdo-

tiſſarum, qui totum combuſſit. Hoc anno ſurrexerunt quidam Ribaldi qui faciebant ſe paſtores, odientes Deum & ſanctam Eccleſiam, ſimulantes proficiſci poſt Regem ad terram Hieroſolymorum.

1252. Obiit Blanca Regina mater Regis Ludouici.

1255. Redit Rex Ludouicus de partibus Hieroſolymitanis, circa Natiuitatem B. Mariæ Virginis.

1258. Fuerunt vina peſſima per totum orbem, maximè in regno Franciæ.

1261. Obiit Alexander Papa IV. cui ſuccedit Vrbanus Papa IV. & fuit conſecratus circa decollationem S. Ioannis Baptiſtæ.

1263. In octauis Beatæ Mariæ Magdalenæ conſecrati ſunt in Eccleſia Rotomagenſi à domino Odone Archiep. Rotom. Magiſter Odo de Lorrex Bajocenſis & dominus Radulphus de Cheuri in Epiſcopum Ebroicenſem.

M. Semel, & C. bis LX. tria, ſicque videbis.

Quando deceſſit Vrbani feſta dies ſit.

1264. Celebratum eſt Pariſius Generale Concilium à Domino Simone titulo ſanctæ Cæciliæ Cardinale Apoſtolicæ Sedis Legato in craſtino ſancti Bartholomei Apoſtoli. Obijt Vrbanus Papa IV. in craſtino ſancti Remigij, & vacauit ſedes vſque ad feſtum ſanctæ Agathæ, & tunc fuit creatus in Papam Epiſcopus Sabinenſis qui vocatus fuit Clemens IV. Eodem anno fuit bellum apud Leans inter Henricum Regem Anglorum & Barones regni Angliæ, in quo videlicet bello multi interfecti ſunt & capti fuerunt in eodem bello Ricardus Rex Alamanniæ frater dicti Regis & dominus Edoüardus filius eiuſdem Regis & plures alij à domino Simone Montisfortis Comite de Lieceſtria, & dictum bellum fuit in tertio Idus Maij.

1265. Pridie Nonas Auguſti, bellum commiſſum eſt in Anglia iuxta Eueſem in Diœceſi Vvigornienſi inter dominum Eduardum primogenitum domini Henrici Regis Anglorum & Barones ſibi adhærentes ex vna parte, & Simonem de Monteforti Comitem Leceſtriæ ex alterâ, in quo ipſe Comes miſerabiliter interfectus fuit, & fruſtratim comminutus. Corruit autem in ipſo bello filius ſuus primogenitus Henricus nepos Regis de quo dolendum eſt & plures alij in ipſo bello interfecti ſunt, & multi capti. Hoc anno menſe Maio arripuit iter verſus Romam dominus Carolus Comes Andegauiæ frater Ludouici Regis Francorum, ad liberandum regna Siciliæ & Apuliæ de manu Manfredi filij Frederici quondam Imperatoris qui ea occupauerat violenter poſt mortem patris ſui. Eodem anno quarto Kalendas Martij commiſſum eſt bellum inter prædictum Carolum in Apulia & Manfredum qui deuictus eſt & interfectus, & multi Proceres Apuliæ capti ſunt.

1266. Ad Parlamentum apud Pariſius conuocati ſunt omnes Milites Regni Francorum, & fuit celebratum die Iouis ante *Lætare Ieruſalem* in quo Parlamento cruce ſignatus eſt Ludouicus Rex & filius eius primogenitus, & multi alij. Hoc anno circa feſtum omnium Sanctorum captum eſt caſtrum Saphet à Soldano Babyloniæ, & fuit ibi magnus conflictus, in quo interfecti ſunt circiter mille & ſexcenti Chriſtiani. Eodem anno peſtis animalium quæ durauit per duos annos per regnum Franciæ.

1267. Hoc anno conceſſit Clemens Papa IV. decimam omnium prouentuum Eccleſiaſticorum regni Franciæ vſque ad triennium domino Ludouico Regi Franciæ ad defendendum terram Hieroſolimytanam, XII. Kal. Septembris conſecratus eſt venerabilis vir Magiſter Guido de Merulâ quondam Cantor Rotomagenſis in Eccleſia à Reuerendo Patre Odone Dei gratia Rotomagenſi Archiepiſcopo præſentibus Epiſcopis prouinciæ.

1268. Obijt Clemens Papa IV. & vacauit Sedes per tres annos & quatuor menſes.

1269. Hoc anno circa *Lætare Ieruſalem* arripuit iter Ludouicus Rex Franciæ, cum tribus filijs ſuis, & infinita multitudine Militum verſus terram Hieroſolymitanam, ſed mutato concilio applicuerunt verſus terram Tunetorum.

1270. Obijt Ludouicus Rex circa feſtum S. Bartolomei in caſtris ante Carthaginem in regno Tunetorum, cui ſucceſſit Philippus filius.

1271. Viterbij interfectus eſt in quadam Eccleſia ciuitatis Henricus de Ale-

mannia à Simone Montisfortis & Guidone fratre eius. Odo Rigaut Arch. Rotom. rediens de partibus Apuliæ & Siciliæ receptus eſt, ſolemniter in Eccleſia Rotomagenſi in feſto ſanctæ Trinitatis.

1272. Obijt Henricus Rex Angliæ, cui ſuccedit Eduardus filius eius. Hoc anno electus eſt in Papam quidam Archidiaconus Leodienſis, qui vocabatur Theobaldus & morabatur tunc temporis in partibus Hieroſolymitanis, & vocatus eſt Gregorius X.

1274. Concilium Lugduni à domino Gregorio Papa celebratum Kalendis Maij, in quo Concilio conceſſit dominus Papa decimam omnium prouentuum Eccleſiaſticorum vſque ad ſex annos, ad proſequendum negotium Crucis in terram Hieroſolymitanam.

1275. Obijt Odo dictus Rigaut Arch. Roto. die ſanctorum Proceſſi & Martiniani, & vacauit ſedes per tres annos, duobus menſibus minùs. Eodem anno electus eſt in Archiep. Magiſter W..... Theſaurarius Rothom. concorditer in craſtino Natiuitatis Beatæ Mariæ. Sed quia inuentum eſt quòd detinebat Theſaurariam, & antea plures dignitates alias detinuerat ſiue diſpenſatione, conſuluit eidem dominus Papa, vt cederet electioni de ſe factæ, & dominus Papa remiſit electionem Capitulo Roth. qui aſſignantes diem Lunæ ante *Lætare Ieruſalem*, ad eligendum, fuit electus in Archiep. Magiſter W.... de Flauacuriâ ferè à duabus partibus Capituli. Obijt Gregorius X. circa Octauas Epiphaniæ Domini cui ſuccedit Innocentius V.

1276. Concilium Bituricenſe Idibus Septembris, celebratum à Domino Simone Apoſtolicæ Sedis Legato. Obijt Innocentius Papa V. circa feſtum B. Ioannis Baptiſtæ, cui ſuccedit Adrianus Papa, qui ſolum vixit per tres ſeptimanas, poſtea creatus eſt alius qui vocatus fuit Ioannes Papa XXI. qui vixit per annum.

1277. Pridie Idus Maij ſcilicet die veneris ante Pentecoſtem in ſero corruit camera domini Papæ, de qua ruina dominus Papa grauiter vulneratus ſeptimo poſt dictam ruinam mortuus eſt, & vacauit ſedes per ſex menſes, & amplius. Die ſanctæ Catherinæ creatus eſt in Papam dominus Ioannes Caitanus Diaconus Cardinalis, & vocatus eſt Nicolaus Papa III.

1278. In tranſlatione ſancti Nicolai fuit confirmata electio facta de Mag. VV.... de Flauacuriâ à domino Papa Nicolao, & conſecratus fuit in Curia à prædicto Papa, die Dominica ante Aſcenſionem Domini videlicet XI. Kalend. Iunij, & die Mercurij ſequente pallium ſuum recepit in feſto ſancti Vrbani. Die Mercurij ſequenti ante Pentecoſtem videlicet primâ die Iunij arripuit iter reuerſurus in Franciam. Petrus de Brochia amicus & familiaris Regis Philippi propter multa crimina ſibi obiecta, vt dicebatur, & proditiones factas contra Regem & regnum, die Iouis in craſtino Apoſtolorum Petri & Pauli in patibulo Pariſius ſuſpenſus fuit. Eodem anno Henricus Prior B. Mariæ Magdalenæ reddidit clauem de Fonte B. Mariæ circa natiuitatem Domini, Domino Archiepiſcopo Rot. & dictus Arch. eandem clauem reddidit Capitulo Roth. & dictum Capitulum remanſit in ſua poſſeſſione de Fonte prædicto. Eodem anno pridie Kal. Ianuarias facta ſunt tonitrua & coruſcationes in cœlo, & cecidit fulgur ſuper turrem B. Georgij de Blanqueruilla. Eodem tanta abundantia annonæ fuit, vt ſumma melioris frumenti venderetur tantum viginti ſex ſolidos Turonenſes & mina miſtilioni venderetur tres ſolidos vel minùs.

1279. Obijt Guido de Borbonio Decanus Rotomagenſis pridie Kalend. Septembris. Statutum fuit in Parlamento Pariſius à Domino Rege Philippo & eius Baronibus, quod nullus poſſit dare in ſuo conuiuio cum potagio præter duo fercula cum quodam interferculo, & fuit pœna appoſita contra omnes ſuper hoc delinquentes. Eodem anno in craſtino Natiuitatis Domini factus eſt Decanus Rothomagenſis Magiſter Philippus de Ambleuilla, per viam comptomiſſi, & ſtatim eâ die fuit electio dicti Decani per dictum W..... Archiepiſcopum confirmata. Eodem dominus Simon titulo ſanctæ Cæciliæ Preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus fuit vocatus ad Curiam Romanam à Domino Papa Nicolao, qui arripuit iter circa feſtum ſancti Michaëlis.

1280. In Natali S. Ioannis ceſſauit decima ſex annorum Domino Regi Francorum conceſſa à domino Papa Gregorio X. totuſque annus fere fuit pluuioſus

maximè æſtas & automnus. XI. Kal. Septembris, die Iouis octauis Aſſumptionis B. Virginis obijt Nicolaus Papa III. & vacauit ſedes per dimidium annum. Eodem anno Magiſter Renoldus de la Bonbloniere Canonicus Pariſius conſecratus eſt in Ep. Pariſienſem die ſancti Michaëlis & die S. Dionyſij ſolemniter receptus in Eccleſia Pariſienſi. Hoc anno tanta fuit abundantia aquarum circa octauas Epiphaniæ, quod alueus Sequanæ tribus pedibus aſcendebat ſupra calceiam verſos ſanctum Matthæum, & ſex pedibus ſuper calceiam de Matrinuilla, & per totum menſem Februarium continuè ſequentem fuit gelu grauiſſimum & durauit vſque ad Kalendas Aprilis. Die ſancti Petri ad Cathedram creatus fuit in Papam Simon titulo ſanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, & vocatus fuit Martinus Papa IV. Circa Purificationem B. Mariæ apud Pruuinum interfectus eſt Maior villæ à plebe eiuſdem villæ. Hoc facto multi fugientes ad Monaſteria, videlicet ad domos Prædicatorum & fratrum Minorum ibi fuerunt extracti cum violentia & ſuſpenſi de mandato domini Ioannis de Acon.

1281. Obijt Philippus Epiſcopus Ebroicenſis circa Octauas Aſſumptionis B. Mariæ, & electus eſt eodem anno & conſecratus dominus Nicolaus de Anrolio in Epiſcopum Ebroicenſem. Eclipſis Lunæ pridie kalendas Septembris.

1282. In octauis Aſcenſionis Domini pridie Idus Maij profuſa fuit quædam campana quæ vocatur campana Archiepiſcupi Rigandi. Creatus eſt in Epiſcopum Conſtantienſem Euſtachius de Rothomago à Domino Papa Martino. Eodem anno miſit Petrus Aragoniæ & Siciliæ Rex Karolo filio Regis Franciæ literas quæ ſequuntur: Magnifico Principi domino Karolo Regi Hieroſolymitano illuſtri Petrus Dei gratia Aragoniæ & Siciliæ Rex. Cùm veniſſemus ad partes Barbariæ ad impugnandum Saracenos miſimus nuncios ad Romanam Curiam, cum quibuſdam noſtris petitionibus, quarum nullam potuimus obtinere, & propterea venimus in Siciliam audientes Siculos querulantes quòd vos grauatis eos & hoſtiliter impugnatis, vnde noſtrum auxilium implorant, & quia eos nolumus deſerere, nec poſſumus propter vxorem noſtram & liberos noſtros, ad quos regnum illud iure hæreditario noſcitur pertinere, vos rogamus quatenus in hijs iniurijs & moleſtijs penitus deſiſtatis & talibus latoribus præſentium credatis in his quæ nobis dixerunt ex parte veſtrâ. Reſponſio Karoli. Karolus filius Regis Franciæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Andegauenſis & Forcalcariæ Comes, Hieroſolymitanus & Siciliæ Dei gratia Rex, almæ vrbis Senator, Petro ſolo nomine Regi Siciliæ dicto: ſi tibi nomen nomine acquiſitum volueris retinere, de ſpelunca quam nunc inhabitas decet te caput demittere. Si tu inuentus experiendi ſumas audaciam inuenies quanta ſtrenuitas ſolet in noſtris militibus inueniri, qui te diu auidiſſimè duxerunt expectandum, & ne te mora tuarum virium, quod abſit, impediat experientiam, citò locum quo latitas actore Domino viſitabunt. Eodem anno Rex Franciæ generalem fecit exactionem omnibus Prælatis & Eccleſijs Collegiatis propter hoc quod intereſſe volebat cum Rege Carolo verſus Landas de Bourdiaus ad bellum quod debebat fieri inter dictum Karolum & Petrum de Aragonia. Ad declarandum miracula quæ per merita ſancti Ludouici Regis quondam Franciæ fiebant in Eccleſia B. Dionyſij de mandato Apoſtolico miſſus eſt Archiep. Rotomagenſis cum alijs duobus Pontificibus, qui per longum tempus ibidem exiſtentes, multa miracula dicti Regis ſunt renunciata ſummo Pontifici ab eiſdem. Vvielmus Princeps Vvalliæ qui bellabat contra Regem Angliæ capitur, & capite abſciſſo trunco ſuſpenditur, & caput eius in lancea confixum ſuper principalem portam Londoniarum ad ſpectaculum ponitur. Fratres Minores impetrauerunt à Domino Papa, vt poſſent audire confeſſiones & abſoluere, Prælatis minimè requiſitis, propter quod orta fuit magna contentio inter Prælatos regni Franciæ & Fratres prædictos.

1283. Philippus Rex Franciæ cum magno exercitu iter arripuit verſus Landas Bourdiaux, vbi debebat pugnare Karolus Rex Siciliæ contra Petrum de Aragonia à Domino Papa condemnatum; ſed pugna non fuit die præfixa videlicet primâ die menſis Iunij. Qui dictus Rex Philippus circa Toloſam per longum tempus moratus eſt cum parte exercitus ſupradicti, & alia parte ad propria regreſſa cum grauiſſimis laboribus & expenſis. Poſtea mandauit Parlamentum ſuum apud Bituricas in octauis ſancti Martini Hiemalis, & inde rediens in Franciam infecto

negotio

negotio cum pauca vtilitate. Eodem anno Petrus Comes Alenconienſis obijt, cùm eſſet in expeditione verſus Apuliam, cum principe de la Morée, cuius oſſa ſui apud S. Dionyſium reportantes, ſunt tradita ſepulturæ. Eodem tota Romaniola venit ad obedientiam Domini Papæ, non tam deuotione & amore, quàm timore Francorum. Adam frater Litielini Principis VValliæ, eodem Principe occiſo, vt dictum eſt & ſuſpenſo, dum rebellaret contra Regem Angliæ captus eſt, & cum equis diſtractus. Indicantibus proceribus regni ſuſpenditur, poſtea depenſus eſt, & corpus eius in quatuor principalibus caſtris mittitur ſuſpendendum. Vxor eius præ nimio dolore mortua ſepelitur. Eodem anno die S. Benedicti quinto Idus Iulij, Magiſter Ioannes de Noëntel, titulo Sanctæ Cæciliæ Preſbyter Cardinalis Legatus in Franciâ à Domino Papa Martino ad certa negotia peragenda, cum magna ſolemnitate eſt receptus. Karolus Rex Siciliæ receptus eſt Pariſius ſolemniter die Dominica ante Aſſumptionem Virginis glorioſæ.

1284. Hoc anno quinto Idus Aprilis videlicet die Paſchæ, Cantore inchoante Majorem Miſſam, & Archiepiſcopo Guillélmo eam celebrante, cecidit fulgur in Eccleſia Rotomagenſi, iuxta Crucifixum, & aliqui aſſiſtentes ſtupore perterriti ceciderunt in terram, amittentes loquelam, ſed ducti ad altare B. Mariæ ſanati ſunt. Alij læſi fuerunt incombuſti, tam in capitibus quàm in brachio: ſed per Dei gratiam omnes ſanati ſunt. Et eſt certum quod in eadem hora cecidit ſimiliter in diuerſis Eccleſiis Diœceſis Rothomagenſis, videlicet apud Fouille, apud Longamuillam & Nouumcaſtrum. Eodem anno bellum in mari ante Neapolin inter Principem Salernitæ filium Karoli Regis Siciliæ, ex vna parte, & Siculos, in quo bello captus fuit dictus Princeps, & incarceratus ad Meſſanam ciuitatem: multi enim de Gallicis in eodem bello interfecti fuerant. Eodem anno die S. Chriſtophori obijt Karolus Rex Siciliæ apud Brandis. Celebratum eſt Concilium Pariſius à Domino Ioanne titulo ſanctæ Cæciliæ, Preſbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato 16. Kalend. Septembris, & ibidem ad prædicationem ipſius, & monitionem Philippus Rex Francorum illuſtris, & duo filij eiuſdem aſſumpſerunt Crucem de bellando contra Petrum quondam Regem Aragoniæ à domino Papa Martino IV. condemnatum: qui Petrus inuaſerat regnum Siciliæ fraudulenter, & ob hoc conceſſa eſt decima Regi Franciæ per quadriennium. Tertio menſis Martij, die Lunæ proxima poſt *Lætare Hieruſalem*, arripuit iter Philippus Rex Franciæ, cum exercitu magno verſus Aragoniam.

1285. Philippus Francorum Rex filius Ludouici Regis, venit circa Aragoniam pro impugnando dictum regnum & Petrum Regem à Romana Curia pro ſuis deteſtabilibus exceſſibus condemnatum, in cuius mora, protractione & regreſſu multi milites, & alij ex parte dicti Philippi debellati & interfecti fuerunt, fame & ſiti perierunt, & cum maximâ confuſione dictus Philippus cum ſuo exercitu in Galliam redire incepit, in quo receſſu ſpolia Gallorum per potentiam Aragonum & Gallorum impotentiam remanſerunt. Dictus vero Rex tertiâ die menſis Octubris dicto anno in receſſu eodem viam vniuerſæ carnis ingreſſus Eodem anno quarto kalend. Aprilis videlicet die Iouis proxima poſt Paſcha, obijt Martinus Papa IV. cui ſuccedit Honorius Papa IV.

1286. Obijt Matthæus Abbas Sancti Dionyſij in Francia, die ſanctorum Coſmæ & Damiani, per quem totum regnum Franciæ regebatur, & ad nutum eius omnia fiebant, & quem volebat, exaltabat & contra. Hoc anno die Mercurij ante Feſtum S. Apoſtoli Matthæi incarceratus fuit Thomas Nauguet, tunc temporis Major vrbis Rothomagenſis in caſtro Rutomagenſi, cum pluribus eiuſdem ciuitatis propter tailliam Domino Regi debitam, non ſolutam pro Communiâ villæ, & pru alijs caſibus, qui ad noſtram notitiam non deuenerunt Eodem anno die Mercurij ante Paſcha obijt Honorius Papa IV. & vacauit Sedes Romana fere per annum; & in ſequenti feſto Cathedræ S. Petri frater Hieronymus Preſbyter Cardinalis qui fuerat Miniſter Ordinis Fratrum Minorum, in Papam eligitur vocatus Nicolaus IV.

Eodem anno 1287. in vigilia S. Ioannis Baptiſtæ, fuit bellum in mari ante Neapolim, in quo bello fuit captus Guido de Monteforti, & multi alij interfecti ſunt nobiles & ducti ad Meſſanam ciuitatem.

1289. Oritur diſcordia inter Regem Francorum Philippum & Regem Anglo-

rum Eduardum, pro qua ſedanda mittunrut duo Cardinales, videlicet Benedictus Cajetanus, qui fuit poſt modum Bonifacius Papa VIII. & Gerardus de Parma, qui in ſedanda diſcordia modicum profecerunt. Naſcitur Philippo Francorum Regi Ludouicus qui poſt ipſum regnauit. Hoc anno ciuitas Tripolis capitur per Soldanum, Chriſtianis ibi exiſtentibus occiſis vel captiuatis.

1291. Nicolaus Papa IV. Romæ moritur in die Paraſceuæ, vacauitque Sedes Apoſtolica annis duobus & tribus ferè menſibus.

1292. Mortuo Imperatore Radulpho Principes Electores Imperij Adulfum de aunatione in Regem eligunt.

1294. Die ſeptima Iulij, Frater Petrus de Mutrone, vir miræ ſanctitatis, in Papam eligitur, aſſumpto nomine Cæleſtini quinti: ſedit vſque ad Vigiliam ſequentis feſti Sanctæ Catharinæ, qui in præſentiâ Cardinalium in Conſiſtorio ceſſit Papatus oneri & honori. Benedictus Cajetanus Cardinalis, poſt ceſſionem Cæleſtini V. in Vigilia Natiuitatis Domini in Papam aſſumitur, & vocatus eſt Bonifacius Papa VIII. vir vtique magnanimus, & non mediocriter literatus.

1295. Bonifacius Papa ſtatuit Apoſtolorum, Euangeliſtarum, & quatuor Doctorum feſta duplici officio celebrari.

1296. Fuit Rotomagi tanta inundatio aquarum, quòd pons fuit ruptus: ſed veniente proceſſione cum brachio S. Romani propter inſtans periculum aqua repente viſibiliter & miraculosè ſe retraxit.

1297. Bonifacius Papa Sextum librum Decretalium à ſe editum, ad ſtudia miſit. Hoc etiam anno, menſe Auguſti Bonifacius Papa apud Vrbem veterem Ludouicum huius nominis Nonum quondam Francorum Regem Philippi Regis auum canonizauit & Sanctorum Confeſſorum catalogo annotauit. Orta diſcordia inter Bonifacium Papam & Columnenſes propter fratris proceſſum, Iacobum & Petrum de Columnâ à Cardinalatus dignitate deponit.

1298. Fit grauis pugna inter Adulfum Regem Alemanniæ, & Albertum Ducem Auſtriæ, in qua Adolfus Rex occiditur, & eodem anno præfatus Albertus per Electores Imperij in Regem eligitur. Papâ Bonifacio Viterbij cum ſua Curia reſidente fit ibidem, & in adjacentibus partibus maximus terræ motus qualis antea viſus non fuerat. Item bellum inter Regem Franciæ, & Comitem Flandriæ & Regem Angliæ & treugis irritis compromiſerunt Reges in Papam Bonifacium.

1299. In Scaquario Paſchæ fuit facta inhibitio Balliuo Rotomagenſi ne aliquis malefactorum morti traderetur, & dum quidam de mandato Balliui ad patibulum duceretur per Magiſtros Scaquarij reductus fuit ad carceres. Albertus in Regem Romanorum electus miſſis ad Papam Bonifacium ſolemnibus Ambaxatoribus electionem ſuam petijt confirmari: ſed Papa pro tunc ipſum non admiſit, ſed repulit.

1300. Papa Bonifacius conceſſit, hoc anno viſitantibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ peccatorum indulgentiam generalem ſtatuens & concedens indulgentiam conſimilem ipſa limina viſitantibus, quolibet anno centeſimo, & ibi fuit concurſus maximus populorum.

1301. Tempore Autumnali fuit viſa ſtella comata in parte Occidentali, in ſigno Scorpionis, quæ aliquando ad Orientem, & aliquando ad Meridiem ſuos radios emittebat. Orta diſcordia inter Papam Bonifacium & Regem Francorum Philippum. Papa ſcribit Regi quòd ſibi in ſpiritualibus & temporalibus ſuberat: ſed Papales literæ concrematæ ſunt, & nuncij non graranter recepti. Eodem anno in quadrageſima Philippus Rex Francorum conuocat Patiſius Prælatos, Barones, Communitates regni ſui, & fuit contra Papam appellatio ad Concilium Generale.

1302. Rebellantibus Flandrenſibus contra Regem Franciæ Philippum fit bellum menſe Iulij prope Curtracum, in quo Robertus Comes Atrebatenſis patruus Regis, & vna cum eo quaſi totus flos militiæ Gallicanæ decedit, non quidem virtute hoſtium, ſed incautela pugnantium cadentium in foſſata, quæ aduerſarij antea fecerant & cooperuerant fraudulenter.

1303. Bonifacius Papa electionem Alberti in Imperatorem electi, quam antea repulerat, confirmauit in odium Regis Franciæ. Eodem anno in vigilia Natiuitatis B. Mariæ, Bonifacius Papa Anagniæ, vnde oriundus erat, & ibi

cum ſua Curia reſidebat, capitur, & theſaurus ſuus diſcerpitur, & poſt triduum liberatus Romam vadit, vbi ſequenti menſe Octobris, non tam ex infirmitate, quàm præ cordis anguſtiâ, cùm eſſet corde magnanimus, diem clauſit extremum. Eodem anno mortuo Bonifacio fuit Nicolaus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, qui fuerat Magiſter Ordinis Prædicatorum, in Papam eligitur, & fuit vocatus Benedictus Papa XI. qui ſatis citò poſt promotionem ſuam fecit proceſſus generales contra illos, qui capi fecerant Papam Bonifacium, & ſpecialiter contra Guillelmum de Nogareto, & Sarram de Columna, & quoſdam alios.

1304. Benedictus Papa XI. menſe Iulij moritur, & vacauit propter diſcordias Cardinalium vſque ad menſem Iunij anni ſequentis. Hic diſcordiam inter Eccleſiam & Regem Franciæ propter ipſum Bonifacium ſuſcitaram ſedauit, & priuilegia quæ Bonifacius ſuſpenderat, Regi reſtituit & reintegrauit. Hoc anno menſe Aprili valuit ſumma bladi octo libris & octo ſolidis, & melior decem libris, & tunc Archiepiſcopus Guillelmus de Flauacurrâ quotidie erogabat pauperibus in pane & argento vſque ad trecentas libras, & multo plus volebat erogare, ſed gentes eius nullatenus permittebant.

1305. M. ſemel & tres C. & V. conjungere diſce, ſplendor in expenſis Guillelmus de Flauacuriâ Præſul Rotomagenſis corpore tunc fragilis Nonis deceſſit Aprilis. Corpus ſuum iacet in Eccleſia Rotomagenſi in Capella noua Beatæ Mariæ, in introitu ad manum ſiniſtram. Menſe Iunij in vigilia Pentecoſtes Bertrandus de Gutto Arch. Burdigalenſis natione Vaſco in Papam eligitur, & vocatur Clemens V.

1306. Iudæi expulſi fuerunt de regno Franciæ, & eodem anno Clemens Papa prouidit Eccleſiæ Rotomagenſi de Archiepiſcopo Bernardo nepote ſuo. Moritur Rex Angliæ Eduardus vir vtique omni probitate famoſus, cui ſuccedit filius Eduardus, qui eodem anno menſe Februario contraxit matrimonium apud Boloniam ſuper mare, cum Iſabella filia Regis Philippi Pulchri.

1307. Templarii capti fuerunt Idibus Octobris per totum regnum Francorum horâ vnâ inopinatè de mandato Regis Franciæ Philippi propter hæreſis & ſodomiæ crimina, de quibus fuerant & erant generaliter infamati.

1308. Imperator Albertus per nepotem ſuum filium fratris occiditur. Eodem anno Henricus Comes Luxemburgenſis per Principes Electores, eligitur in feſto Epiphaniæ & Aquiſgrani in Regem Alemanniæ coronatur.

1309. Menſe Iulij Clemens Papa V. confirmauit electionem Henrici Comitis Luxemburgenſis in Imperatorem Romanorum electi. Eodem anno eclipſis ſolis vltima die Ianuarij, & eodem anno moritur Rex Siciliæ Karolus & ſuccedit filius eius Robertus.

1310. Hoc anno factis proceſſibus per Archiepiſcopum Senonenſem, cum ſuis ſuffraganeis in ſuo Prouinciali Concilio ob hoc de mandato Apoſtolico concurrente contra Templarios, fuerunt publicè condemnati Pariſius quinquaginta quatuor ex eis, fuerúntque relicti curiæ ſæculari & combuſti: & paulo poſt in Concilio Prouinciali apud Siluanectum Remenſis Archiepiſcopus, & apud Pontiſaram Rotomagenſis Archiepiſcopus in Concilio Templarios condemnarunt, & poſtmodum Magiſter Major dicti Ordinis Templariorum ſolus cum ſocio ſuo condemnatus extitit Pariſius, & ambo combuſti in parua inſula ante Auguſtinos Pariſius.

1311. Papa Clemens Generale Concilium celebrauit in ciuitate Viennæ, & prima Seſſio fuit eiuſdem Concilij XVII. Kal. Nouembres, & fuit præſens in dicto Concilio Rex Franciæ Philippus, & tres eius liberi, videlicet Ludouicus Philippus & Carolus qui poſt ipſum ſucceſſiuè regnauerunt. In hoc Concilio Generali fuit caſſatus & perpetuâ prohibitione ſuſpenſus Ordo Templariorum, & eorum bona fuerunt applicata Ordini Hoſpitaliorum ſancti Ioannis Hieroſolymitani, & in eodem Concilio fuerunt editæ multæ Conſtitutiones Clementinæ, quæ vſque ad tempus ſucceſſoris Clementis publicari non potuerunt. Hoc etiam anno menſe Aprilis Papa Clemens Auenioni in Conſiſtorio publicè excuſauit Regem Franciæ Philippum de eo quod factum fuerat contra Bonifacium Papam VIII. dicendo quòd Rex fecerat ad bonum finem, & Guillelmum de Nogareto abſoluit, injunxitque ei pœnitentiam, & ſpecialiter quod in proximo Generali paſſagio perſonaliter transfretaret.

1312. Clemens Papa Ægidium Aſſellini Aruernia Archiepiſcopum Narbonen-

ſem ad Archiepiſcopatum Rotomagenſem tranſtulit, & Bernardum Archiepiſcopum Narbonenſem fecit.

1313. Philippus Franciæ, Eduardus Angliæ, & Ludouicus filius Philippi Regis Nauarræ Reges Crucem Dominicam aſſumpſerunt Pariſius de manus domini Cardinalis de Freauuilla titulo S. Euſebij & Apoſtolicæ ſedis Nuncij, & cum eis Crucem aſſumunt Karolus Valeſiæ & Ludouicus Ebroicenſis Comites fratres Regis Francorum, & aliorum nobilium multitudo cum multis ignobilibus & innumerabilibus In feſto Pentecoſtes Rex Philippus tres filios ſuos, Ludouicum, Philippum & Karolum nouos Milites ordinauit, & fuit Pariſius maximum feſtum, vbi & ijdem filij Regis alios Milites nouos accinxerunt numero quadringentos, & vltra, & in hoc feſto fuit præſens Rex Angliæ Eduardus gener Regis Franciæ. Hoc eodem anno moritur Imperator Henricus menſe Augusti, & Clemens Papa V. Sanctum Petrum de Marrone quondam Papam Cæleſtinum V. Sanctorum Confeſſorum catalogo ſociauit.

1314. Fuerunt deſtructi duo Milites familiariſſimi Regis Nauarræ Ludouici, qui erant de ventre vulgaſſ Franciæ, collaterales dicti Regis primogeniti Regis Philippi Pulchri, & fuerunt excoriati viui, & genitalia eis ſciſſa, & fuerunt ſuſpenſi, pro eo quòd imponebatur eis adulterium cum vxoribus filiorum Regis Philippi commiſiſſe. Clemens Papa V. XII. kalendas Maij in caſtro de Roquamora ſuper Rhodanum moritur, vacauitque ſedes propter maximam diſcordiam Cardinalium, qui propter commotionem familiarium ſuorum conclaue exire compulſi ſunt, ab inde vſque ad menſem Auguſtum anni 1316. Eodem anno in Vigilia S. Andreæ moritur Rex Francorum Philippus, cui ſuccedit eius primogenitus Ludouicus Rex Nauarræ, cœpitque regnare ſub nomine Regis Franciæ & Nauarræ. Eligitur in diſcordia in Regem Alemanniæ Ludouicus Dux Bauariæ & Fridericus Dux Auſtriæ, factûque bello inter Ludouicum & Fridericum, idem Fridericus capitur, & Ludouicus abſque confirmatione aliqua regnum vſurpauit.

1315. Ludouicus nonus Rex Franciæ cum exercitu magno Equitum & peditum vadit in Flandriam quæ, ſibi & eius progenitoribus rebellauerat, & adhuc rebellabat: Sed fortuitò tanta fuit aquarum inundatio, quòd oportuit Regem negotio infecto recedere. Hoc anno circa Natale apparuit ſtella comata quæ durauit vſque verſus finem Februarij; & paulo poſt apparuit alia ſtella comata verſus Orientem, ſed minor primâ.

1316. Nonis Iulij, Rex Franciæ & Nauarræ Ludouicus moritur, relicta ſolum quadam filia ex prima vxore & Regina Clementia vxore ſecunda remanente prægnante: Philippus verò frater ſuus ſuſcepit dictorum regnorum gubernacula ſub nomine Regentis, & ſubſequenter eodem anno XIV. die Nouembris natus eſt filius ex Reginâ Clementiâ, & Ioannes vocatum eſt nomen eius: ſed infra octo dies moritur, & ſic translatum eſt regnum ad dictum Philippum fratrem Ludouici. Iacobus Ducſa Cardinalis Epiſcopus Portuenſis oriundus de Caturco in Papam eligitur in Lugduno die 7. Auguſti & aſſumpſit nomen in Papatu Ioannes XXII.

1317. Papa Ioannes XXII. canonizauit & ſanctorum Catalogo annotauit Ludouicum quondam Epiſcopum Toloſæ filium Karoli Regis Siciliæ virum ſanctum, qui fuerat de Ordine Fratrum Minorum.

1318. Obijt Ægidius Archiepiſcopus Rothomagenſis de Aluernia & ſucceſſit G..................... de Duroforti Vaſco, per prouiſionem Sedis Apoſtolicæ. Ioannes Papa XXII. Eccleſiam Toloſanam in Archiepiſcopalem, nec non Montiſ-albani, Riuenſem, Lomberienſem, ſancti Papuli, Mirapicenſem, Vaurenſem dicto Archiepiſcopo ſuffraganeas. Item in Prouinciâ Narbonenſi Electenſem, & ſancti Pontij Thomeriarum. In Bituricenſi Tutellenſem, ſancti Flori, Caſtrenſem & Vabrenſem. In Burdigalenſi Condacenſem, Sarlatenſem, Malleacenſem & Lucionenſem Eccleſias in Cathedrales erexit.

1320. Reformatur pax inter Regem Franciæ Philippum & Flandrienſes mediante Gaucelino Cardinali Apoſtolicæ Sedis Nuncio ob hoc miſſo. Ioannes Papa canonizauit S. Thomam quondam Epiſcopum Herfiodonenſem regni Angliæ. Hoc anno fuerunt Paſtorales iuuenes laſciui & fatui & iuuenculæ multæ impetu dictorum iuuenum commotæ, qui pluribus malefactoribus ſibi ſub

ſpecie ſimplicitatis & bonitatis adunatis, multa commiſerunt maleficia, & Iudæos in pleriſque partibus trucidarunt, & deinde dicti qui ſe Paſtorales nominari faciebant, comprehenſi in multis regni partibus & iuſtitiati fuerunt, & alij aufugerunt.

1321. Gelu fortiſſimum quod incepit poſt Epiphaniam Domini, & durauit vſque ad medium menſem Martium, & fuit in fine Februarij, fortius quam ante & aſperius, & tanta fuit abundantia niuium bis quàm vnquam aliàs viſa, & durauit nix vſque ad medium menſem Aprilis. Hoc anno die ſecunda Ianuarij Rex Franciæ & Nauarræ Philippus, nullis relictis liberis maſculis, moritur, & ſic deuoluta ſunt regna Franciæ & Nauarræ ad Karolum fratrem ſuum Comitem Marchiæ. Hoc anno orta infamia contra leproſos regni Franciæ, qui ſanos volebant potionibus in puteis, & fontibus appoſitis inficere ſeu occidere, & ſibi regni principatum aſſumere, omnes leproſi quaſi per totum regnum longè plus per populum quàm per ſæcularem locorum iuſtitiam combuſti ſunt.

1323. Ioannes Papa XXII. Auenioni, vbi cum ſuâ curiâ reſidebat, canonizauit S. Thomam de Aquino, de Ordine Prædicatorum menſe Auguſti.

1325. Hoc anno, quia Ioannes Papa XXII. electionem factam de Ludouico de Bauariâ ad Imperium noluerat confirmare, idem Ludouicus malo vſus conſilio pro Imperatore ſe gerens contra voluntatem Papæ, intrauit Italiam. Eodem anno circa iſtud tempus orta diſcordia inter Regem Franciæ Karolum & Regem Angliæ Eduardum ſororium ſuum cùm Regina Angliæ ſoror Regis Franciæ, & filius eius Eduardus veniſſent in Franciam pro tractando pacis negotio, Rex Angliæ peruerſo vſus conſilio Reginam vxorem, & filium banniuit: propter quod Regina & filius Francorum fulti auxilio transfretant in Angliam, Regem obſident, & finaliter capiunt & occidunt: & ſic iunior Eduardus poſt talem mortem patris eſt aſſumptus in Regem.

1327. Prima die Februarij Rex Franciæ Karolus obiit, nullis relictis heredibus maſculis; ſed Regina vxore remanente prægnante, quæ poſtmodum in ſeptimana Paſchæ peperit filiam: & ſic Philippus Comes Valeſij filius quondam Karoli Comitis Valeſij, & dicti Regis defuncti patrui ſucceſſit in regno Franciæ. Philippus verò filius Ludouici quondam Comitis Ebroicenſis, qui deſponſauerat Ioannam filiam quondam Ludouici Franciæ & Nauarræ Regis ſuccedit in regno Nauarræ.

1328. Menſe Maij Ludouicus de Bauaria veniens Romam inſano ductus conſilio creauit Antipapam fratrem Petrum de Corbario Ordinis Fratrum Minorum, & ab eodem Antipapa ſic creatò fecit ſe Imperatorem coronari. Idem quoque Antipapa fecit Anticardinales, & omnes Officiales Curiæ: & fecit ſe vocari Nicolaum Papam V. ſed in eodem anno, menſe Auguſti idem Ludouicus, & Antipapa de vrbe expulſi fuerunt ad ciuitatem Piſanam, vbi recepti fuerunt.

1329. Philippus Rex Franciæ ordinauit fieri monetam valdè bonam de pondere & lege temporis beati Ludouici proaui ſui, quæ incepit habere plenum curſum in Paſchate anni trigeſimi. Hoc anno facta conuocatione Prælatorum totius regni Franciæ coram Rege fuerunt multi articuli propoſiti contra iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed Prælati virtuoſiſſimè reſponderunt, & viriliter ſteterunt, & Magiſter Petrus Rogerij Clericus Senonenſis Magiſter in Theologia reſponſionem fecit ſolemniter pro Prælatis.

1330. Frater Petrus de Corbario Antipapa per Piſanos capitur, & ad Papam Ioannem apud Auenionem adducitur, vbi publicè confeſſatis ſuis erroribus, & abſolutione à ſententiâ excommunicationis obtenta in priuata cuſtodia eſt detentus, in quâ miſer & infelix diem clauſit extremum. Menſe Nouembri Guillelmus de Duroforti Arch. Rot. moritur, & 14. die ſequentis Decembris Ioannes Papa XXII. Magiſtrum Petrum Rogerij, natalibus Lemouicenſem, Archiepiſcopum Senonenſem ad Eccleſiam Rotomagenſem tranſtulit: Iſte Petrus fuit famoſiſſimus Magiſter in Theologia & vir magni conſilij: & hunc Papa Ioannes primò Monaſterio Fiſcanenſi in Abbatem, deinde Eccleſiæ Attrebatenſi in Epiſcopum præfecit: qui ſubſequenter ad dictam Senonenſem, & deinde ad Rothomagenſem Eccleſias tranſtulit. Hic ordinauit feſtum S. Martialis Apoſtoli triplici officio in Eccleſia Rotomagenſi celebrari. Hic etiam duas Capellanias ad altare B. Mariæ in Capella fundauit.

1331 In octauis poſt feſtum S. Michaëlis Rex Franciæ Philippus Ioannem filium ſuum primogenitum accinxit. Idem poſtea quadringentos & vltra nouos milites ordinauit, & fuit ſolemne feſtum Pariſius, in quo interfuerunt cum Rege Francorum Ioannes Bohemiæ, & Philippus Nauarræ Reges, & eadem ſeptimana Prælati, & Barones regni in Regis præſentia congregati, & de ipſius Regis mandato præſtiterunt corporaliter iuramentum, quòd ipſum Ioannem primogenitum Regis in Regem Francorum reciperent, & haberent quoties Regem patrem migrare contingeret ab hac luce. Eodem anno Philippus Rex circa feſtum Natalis Domini contulit Ioanni primogenito ſuo Ducatum Normanniæ, & Andegauiæ, & Cenomanenſem Comitatus pacto expreſſo: quod ſi ipſum Ducem antequam perueniret ad Coronam regni decedere contingeret, ſtatim liberè reuerterentur, & reunirentur regno: & infrà octauas ſequentis Epiphaniæ idem Dux Normanniæ venit Rotomagum, vbi fuit valde lætè receptus & idem homagia recepit, & fuerunt mutata ſigilla Curiarum Regiarum ſub nomine Ducis. Circa iſtud tempus Rex Anglorum Eduardus proſequitur Dauidem Regem Scotorum puerum impuberem, & regnum Scotiæ bello premit. Rex Dauid cum ſponſa ſua ſorore Regis Angliæ confugit ad Regem Franciæ per mare, qui ipſos benignè ſuſcipiens allocauit eos in Caſtro Gallardi ſuper Sequanam in Normannia vſquequo puer Dauid creuiſſet, & interim Scoti qui remanent in regno contra Regem Angliæ viriliter ſe defendunt non ſine multa ſtrage habitantium hinc & inde.

1333. Menſe Iulio Ioannes Papa indixit generale paſſagium vltra-marinum, & Regem Franciæ Philippum deputauit ipſius paſſagij..... quod paſſagium debebat facere idem Rex infrà Kal. Auguſti anni 36. & nihil horum quæ promiſit adimpleuit, quamuis idem Papa multa priuilegia alia vltra decimam r. tione paſſagij eidem Regi conceſſit. In craſtino feſti B Michaëlis Philippus R. F. & alia maxima multitudo Prælatorum, & Nobilium recipiunt Crucem in pratis ſancti Germani iuxta Pariſius de manu Petri Rogerij Archiepiſcopi Rotomagenſis ad hoc ſpecialiter per ſedem Apoſtolicam deputati.

1334. Decembris die 4. Ioannes P. XXII. moritur Pontificatus ſui anno 19. & eiuſdem menſis 21. Iacobus de Furno Ordinis Ciſtercienſis Preſbyter Cardinalis; natione Toloſanus, in Papam eligitur, & fuit vocatus Benedictus XII.

1336. Ludouicus de Bauariâ pro Imperatore ſe gerens, mittit Ambaxatores ad Papam Benedictum petens reconciliationem & abſolutionem à ſententiis in eum latis per Papam Ioannem propter ſchiſma, & rebellionem, quam fecerat contra Eccleſiam Romanem, ſed ipſius requeſta pro tunc non fuit exaudita pro eo quod non petebat in formâ debitâ, & dicebatur quod abſolutionem impediebat Rex Franciæ Philippus, quod ſatis apparebat per multa argumenta. Eodem anno naſcitur Philippo F. R. filius, & vocauit eum nomine patris ſui Philippum, eodémque anno naſcitur & filius Ioanni Duci Normanniæ Regis primogenito qui vocatur Karolus. Eodem anno fit compoſitio inter Archiep. Petrum Rogerij, & Decanum & Capitulum ſuper iuriſdictione Canonicorum, & Capellanorum, & Clericorum Chori: quæ hinc inde ſcripto ad perpetuam rei memoriam roboratur.

1337. Oritur grauis diſcordia inter R F. Philippum & Eduardum R. A. & fuerunt multæ ſtrages hominum in terra, & in mari, & maximè in partibus Vaſconiæ, & Xanroniæ, & Normanniæ, propter quas Benedictus Papa mittit P........ titulo ſanctæ Praxedis Hiſpanum Preſbyterum, & Bertrandum de Monte Fauentio S. Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinales pro reformandâ concordiâ inter Reges. Eodem anno Rex Angliæ peruerſo ductus conſilio alligat ſe cum Ludouico ſchiſmatico de Bauaria contra Regem Franciæ, pecuniâ multâ datâ. Eodem anno R. F. Philippus imponit ſubſidium generaliter incolis regni ſui & mittuntur vbilibet exactores, propter quod Prælati & Barones, & Communiæ Normanniæ cogitantes, quantum hoc poſſet eorum ſubditis eſſe prouidendum in futurum, apud Pontem Audomari, & Rotomagi pluries ſe congregant, & pluries miſerunt ad Regem pro ſuis, & propriis, & communibus libertatibus defendendis, & communibus expenſis viriliter negotium proſequuntur. Stella comata viſa fuit per menſem & vltra in menſibus Iulij & Auguſti. Eodem anno in Capitulo Generali Rotomagi conſideratis antiquis ſtatutis Eccleſiæ prædictæ, etiam antiquorum Ca-

nonicorum auditis opinionibus & relationibus fuit declaratum quòd omnes Capellani dictæ Eccleſiæ tenerentur in Eccleſia reſidentiam facere perſonalem, niſi cum eis fuerit canonicè diſpenſatum, quódque tenentur dicti Capellani chorum frequentare, & ſi non frequentius, ſaltem in omnibus proceſſionibus intra & extra Eccleſiam faciendis, necnon diebus Dominicis ac feſtis triplicibus & duplicibus ſaltem in ambabus Veſperis ac Miſſâ majore, & ad hoc etiam eorum ſucceſſores tenebuntur. Iſtáque in eorum inſtitutione quilibet inter alia obedientiæ, fidelitatis ac alia conſueta capitula & iuramentum facere tenebuntur proprio iuramento.

1338. Rex Angliç Eduardus cum exercitu ſuo transfretauit in Brabantiam volens ſibi Regnum Franciæ vindicare, dicens ipſum regnum ſibi tanquam proximiori debitum, vt ſucceſſione Karoli quondam Regis auunculi ſui propter quod Rex Franciæ Philippus, & cum eo Rex Boëmiæ & Rex Nauarræ, Dúxque Normanniç cum exercitu valde magno vadunt Ambianis, exinde, ſi opus eſſet vlterius progreſſuri, ſed nihil agendo ab Ambianis receſſerunt. Hoc etiam anno Benedictus Papa XII. Arch. Roth. Mag. Petrum Rogerij in Cardinalem Eccleſiæ Romanæ aſſumpſit die 17. Decembris, & cum eo alios quinque Preſbyteros Cardinales creauit, & die 15. Februarij ſubſequenter Aymericum Guenam natione Turonenſem Epiſcopum Antiſſiodorenſem ad Eccleſiam Rotomagenſem tranſtulit, & fuit receptus in perſona ſuorum Vicariorum in Vigiliâ Pâſchæ immediatè poſt ſeruicium Miſſarum. Alia ſtella comata viſa fuit in ſeptimana Paſchæ, quæ durauit per 15. dies & vltra. Rex Angliæ non audens Francorum regnum intrare, vadit ad Ludouicum de Bauariâ, fortificatíſque colligationibus inter eos idem Ludouicus conſtituit eum ſuum Vicarium in Imperio, & ex tunc Rex Angliæ in Brabantiam rediens publicè ſe geſſit pro Vicario Imperij, & contra Romanam Eccleſiam, & Regem Franciæ totis viribus machinatur. Electores Imperij ſe alligant cum Ludouico de Bauariâ & declarationes faciunt contra Romanam Eccleſiam.

Quæ ſequuntur aliâ manu diuerſóque ſcripturæ genere exarata ſunt.

1339. Cùm Rex Franciæ Philippus pro ſubſidio guerræ ſuæ talias & impoſitiones varias & diuerſas vbilibet per totum regnum fieri mandaſſet, Prælati, & Barones Ducatus Normanniæ conſiderantes, quòd iſtud, ſi permitteretur fieri, eſſet contra libertates & priuilegia Normanniæ, & maximè contra declarationes, & priuilegia Ludouici quondam Regis Franciæ & Nauarræ, & per hoc in futurum ad conſequentiam trahi poſſet, pluries propter hoc congregati deliberationibúſque multis locis ſuper confirmatione priuilegiorum dicti Ludouici Regis, & renocatione attentatorum, apud Regem viriliter inſtiterunt, fuitque magna & virtuoſiſſima Prælatorum conſtantia: quare quamuis Rex & Conſilium ſuum vellent, & offerrent ſemper à principio dicta priuilegia, quantum ad homines & ſubditos Eccleſiarum, & Nobilium confirmare, ipſi tamen Nobiles, & Prælati attendentes quòd totus populus dicti Ducatus vt vnicus & conformis eiſdem legibus & conſuetudinibus regitur, & libertates & priuilegia toti populo ſint communia & communes, noluerunt aliquatenus conſentire, niſi habitatores villarum, & locorum ad Regem, & Ducem Normanniæ Ioannem filium ſine medio pertinentes, ſicut & cæteri habitatores dicti Ducatus dictis priuilegiis plenè & perfectè gauderent. Negotium igitur huiuſmodi ſic prudenter fuit apud Regem proſecutum multis Magiſtris & diebus, maximè per Archiepiſcopum Rotomagenſem Petrum Rogerij poſtmodum Cardinalem, Guillelmum Bertrandi Bajocenſem, & Ioannem Auſtſune Abrincenſem Epiſcopos, necnon Radulfum Comitem Augi Conſtabularium Franciæ, Ioannem Comitem de Haricuriâ, & Robertum Bertrandi Mareſcallum Franciæ, qui negotium pro totâ prouinciâ fuerunt viriliter proſecuti, quòd ad vltimum hoc anno circa feſtum Paſchæ fuerunt dictæ libertates & priuilegia per Regem & Ioannem Ducem eius filium ſub ſigillo in cerâ viridi ex certâ ſcientiâ confirmata ad vtilitatem totius Prouinciæ Normanniæ, & inſuper priuilegium dicti Ludouici Regis in illa parte in quâ fit mentio quòd Rex non poterit imponere, niſi vrgens neceſſitas & euidens vtilitas id expoſcat, fuit valdè vtiliter declaratum, quòd videlicet in causâ retrobandi, & non aliis vendicabit ſibi locum. Literæ autem ſuper his in hac Rotomagenſi Eccleſia, & in pleriſque aliis locis dicti Ducatus

ad perpetuam rei memoriam conſeruantur. Diſcant ergo poſteri vniformiter exemplo iſtorum pro libertatibus patriæ vigilare. Præfatus Mag. Petrus Rogerij de Archiepiſcopo Cardinalis effectus fuit valdè gratus Prælatis, Baronibus, & populo Normanniæ in tantum, quòd quando receſſit ab eis, obtulerunt, & aſſignauerunt ſibi mille libras annui redditus ad vitam ſuam, quas emerunt de pecunia pro communibus Eccleſiæ vtilitatibus congregata: quod fuit dicto Cardinali ad honorem ipſius, Prælatis verò & Baronibus ad ſummam magnificentiam reputatum.

1340. Reuerentiſſimo in Chriſto Patri & domino ſuo ſpeciali domino Ambaldo diuina prouidentia Epiſcopo Tuſculanenſi eius deuotus miſeratione diuina Archiepiſcopus Toletanus Hiſpaniæ Primas & regni Caſtellæ Cancellarius cum humili ſui recommandatione ſeipſum. Reuerentiſſime pater exultans ingenti lætitia laudes omnipotenti Deo iocunda mente referens veſtræ ſignifico dominationi quòd magnificis Principibus dominis meis Caſtellæ & Portugalliæ Regibus illuſtribus 29. die præſentis menſis Octobris ad ripam maris peruenientibus, ibique ad vnam leucam ab exercitu blaſphemorum hoſtium de Bellamarim, & de Granata regnum abſque vllo impedimento caſtrametatis in craſtinum videlicet penultima die eiuſdem menſis valdè mane Miſſa per me Domino meo Regi Caſtellę celebrata dum Corpus Domini tenerem in manibus dandum dixit: Archiepiſcope ſubſiſtite paululum, & tunc flexis genibus præſente multitudine copioſâ ſic ait: Domine Iesv-Christe mihi in hoc mundo honorem, & hoc corpus tribuiſti, die hodierna animam meam, & hoc corpus tibi offero: quibus dictis lacrymatus cum ſumma humilitate, & deuotione ipſum Corpus Domini recepit, & ſtatim armis bellicis benedictis, & ſumptis, ambo Reges prædicti duxerunt greſſus ſuos verſus dictos perfidos Reges, cúmque Dominus meus Rex Caſtellæ ex vno latere ad pedem cuiuſdam arcti, & aſperi cacuminis, vbi Rex de Bennamarin erat grandi ſtipatus exercitu, & Rex Portugalliæ ex alio latere verſus ſummitatem cacuminis, vbi erat Rex Granatæ, in quibus partibus tanta erat Equitum, & peditum Saracenorum multitudo quòd faciem terræ operiebat, ipſos perfidos Reges, & eorum catervas eadem quaſi hora de miſericordia Redemptoris confiſi potenter & ſtrenuè tanquam ſerui Crucis vnicè vindices Crucifixi, quaſi hora tertia aggreſſi, & aliquali conflictu ibi habito, eo, qui eſt Dominus exercituum, rorem ſuæ benedictionis infundente, modica reſiſtentia ex aduerſa parte præſtitâ, ipſis Saracenis dorſa præbentibus verſus eos agiliter aſcendimus, & per eorum caſtra tranſiuimus, ipſorum cuneos penetrando eóſque ſuis tentoriis & omnibus quæ habebant derelictis & dimiſſis ſe fugæ præſidio committentes, inſequuti fuimus verſus cacumen montium, & aſperitates, ad quas confugerunt. Fuit tamen ibi captus, & tentus communis per dominum Regem Caſtellæ quidam infans, nomine Abconar filius Regis de Bennamarin, quem in Regem de Tremuria ſtatuerat, & ad tentoria noſtra laſſi, & fatigati in primo ſomno redimus. Quot autem Saraceni ibi fuerint gladio peremptí, quótque in mari ſubmerſi, & ſuffocati, eſſet dictu incredibile, nec poteſt bene numerus ſciri, tanta noſcitur eſſe ſtrages. Fuerunt duæ vxores, quarum vna erat filia Regis de Tunens, quatuor filij, duæ filiæ paruulæ, & multæ concubinæ Regis de Bennamarin in ſuo tentorio rubeo interempti: inſuper roncinos, ſummaria, camelos, tentoria, iocalia pretioſa, & alia ſpolia, quæ Equites pedites & plebeij noſtri inde habebunt, inæſtimabilia eſſe noſcuntur. Nobiles tamen, qui zelo deuotionis & fidei militabant, nihil inde ſumunt præcipuum, cùm de inſecutiune Saracenorum per eorum caſtra redierunt, totum erat ſublatum: nec quicquam niſi ſolum veſtigia ibi remanſerant Nunc quoque prædicti domini mei Regis conceſſam huiuſmodi victoriam potentiæ ſupernæ virtutis aſcribentes illum magnificantes in cuius obſequio militant, ſedulas orationes ad Deum effundunt, ex eo quod ille nequam tenebrarum filius, qui ſe virtute Saracenica ſatagens. Chriſticolarum terram fœtore peſſimo inquinare ad totius Chriſtianitatis ruinam, & excidium ſe parabat, exiit triumpho mirifico ſuperatus, & ſi pro vno ſolo menſe hîc victualia haberemus, cùm non habeamus, niſi pro duobus diebus caſtrum Abgeſur indubiè poſſet capi: Adaugeat Dominus benedictionibus dies veſtros. Datum in exercitu propè Cariſſam anno D. 1340.

1342. Benedictus Papa XII. deceſſit vigilia ſancti Marci, & in craſtino ſancti

Ioannis

Ioannis ante Portam Latinam quæ dies fuit ſecunda Rogationum, fuit electus in ſummum Pontificem Petrus Rogerij Cardinalis Rothomagenſis vulgariter appellatus, qui fuerat Archiep. Roth. & prius Senonenſis, & antea Atrebatenſis Epiſc. & appellatus eſt Clemens VI. iſte Clemens creauit in Ordinibus ſanctæ Crucis ſequentis decem Cardinales, quorum vnus erat frater ſuus Monachus, & alius nepos & iuuenis, & omnes erant Lemouicenſes, exceptis duobus vel tribus. Eodem anno feria ſexta feſto ſancti Sulpitij bonæ memoriæ Aymericus Arch. Roth. deceſſit apud Pitaruillam, fuitque inhumatus ſequenti quinta feria in Eccleſia Rotomagenſi in Capella B Mariæ iuxta ſepulturam Archiepiſcopi Odonis Rigaudi in dextra parte dictæ Capellæ. Succeſſit eidem Aymerico Nicolaus Rogerij Abbas patruus Clementis Papæ VI. & erat antiquus octogenarius, & vltra, quando fuit creatus in Archiepiſcopum per dictum Papam nepotem ſuum.

Anno Domini 1342. feria 6. ſancti Sulpitij circa meridiem Aymericus A. R. apud Pitaruillam, diem clauſit extremum, cuius corpus ſequenti quarta feria apud Rotomagum apportatum circa horam Nonæ, ad Eccleſiam S. Pauli ſub monte B. Catherinæ depoſitum eſt. In cuius obuiam totus Clerus Roth. & Religioſi quicumque proceſſionaliter proceſſerunt & corpore dicti defuncti Archiep. ſcupi in coffio cooperto pergentes propiùs vſque ad Monaſterium S. Audoëni cum ſexaginta torchiis quælibet de ſex libris & vltra ceræ deportato, Abbas dicti loci Pontificalibus ornamentis ſimplicibus ornatus cum cruce, candelabris, textu Euangeliorum & thuribulo, & totus conuentus per manus Cantoris, & Theſaurarij Roth. vel eorum loca tenentium receperunt, dicentes dicti Cantor, & Theſaurarius: Vnum nobis tradidiſtis mortuum, vobis reddimus: & quia indecenter dicti Monachi dictum corpus receperunt, vt puta quia ianuis Eccleſiæ ſuæ clauſis, & vſque ad Crucem atrij ſui non venerant, citati poſtea in pleno Capitulo Abbas cum pluribus ſe excuſantes per proprium iurarunt dicentes, quòd propter preſſuram gentium, & tempus pluuiuſum non poterant dictum corpus ita decenter recipere, ſicut debebant, & imo ſupplicabant quod eis parceretur, confitentes expreſsè quod vſque ad prædictam Crucem debebant corpori obuiare & ibidem recipere: quam excuſationem admiſit Capitulum, & gratam habuit. Corpore igitur per Monachos ſuſcepto & ante majus altare ſuum poſito, Canonici cum vniuerſo Choro ad Eccleſiam Roth. reuertuntur gentibus defuncti Archiepiſcopi in Abbatia remanentibus & procurationem recipientibus tota die atque nocte. In craſtinum autem ſcilicet feria quinta Miſſa ab eiſdem Monachis de Requiem ſolemniter celebrata, & corpore defuncti in lecto pannis ſericis, & Pontificalibus ornamentis decenter in aperto ornato, per manum Monachorum extra ſuam Eccleſiam ante Crucem in atrio gentibus Archiepiſcopi defuncti corpus traditur, & apud S. Amandum cum ſexaginta torchijs deportatur, nullo panno ſerico nec luminari apud Monachos remanente: vbi à Sanctimonialibus reuerenter receptum ante majus altare ſuum ſtatuentes Miſſam de Requiem ſolemniter celebrant, & eâ celebratâ, nullóque panno & luminari retentis, à Sacerdotibus ciuitatis indumentis omnibus Sacerdotalibus excepta caſulâ reueſtitis excipitur, & ad Eccleſiam Rot. per dictos Sacerdotes cum 60. torchiis deportatur, campanis omnibus Eccleſiæ pulſantibus ab hora qua per Monachos ante ſuam Crucem liberatur. Ad introitum autem Eccleſiæ Roth. per Archidiaconum, & alios de Choro reuerenter ſuſceptum intrà Eccleſiam deportatur, & inter majus altare, & candelabrum ſeptem ramorum ſtatuitur, & ad pedes eius apponuntur quinque candelabra quæ quotidie ſunt retro altare, & in quolibet candelabro, & in quolibet ramo ponitur vnus cereus de melioribus & groſſioribus qui poſſunt in theſauro reperiri, & tot cerei circa latera defuncti quantis annis præfuit Archiep. defunctus, vt vniuerſus cereorum reſpondeat numero annorum, & tanti cerei accenſi in pilaribus in circuitu altaris quanti ſunt in Natali Domini vel Paſchate. Et licet habeatur ad expenſas Sacriſtæ hæc ordinatio cereorum apud S. Audoënum, & S. Amandum cum expenſis dictarum Abbatiarum; debet obſeruari altare ſolemniter cum feretris, & apertura tabulatum, & paliotis præparati oportet, Cantore cum quatuor Canonicis tenentibus Chorum cum tribus de ſecunda forma. Epiſcopus Ebroicenſis Miſſam celebrauit, & corpus defuncti tumulauit, aſſiſtentibus Præſulibus, & Abbatibus cum cappis, & baculis ornatis, ſepultura decenter ornata, & tres cerei duo ad caput, & vnus ad pedes vſque ad ſeptimam diem per ſacriſtam aſſignantur, & quolibet die Placebo, & Dirige,

ante ſepulturam decantantur, Miſſa cum in Choro decantatur vſque ad ſeptimam qua officium totum integrè ante ſepulturam bene ornatam celebratur, & dicta ſepultura bene ornata decem torchiis..... dicta die, & die 30. per executorem defuncti decoretur ſepulruta eius in Capella B. Mariæ à parte dextra iuxta ſepulturam Odonis Rigaudi, quondam Archiepiſcopi, & ſunt contiguæ dictæ ſepulruræ.

1343. Vniuerſis præſentes literas inſpecturis. Nos miſeratione Diuinâ Petrus Præneſtinus S. R. E. Vicecancellarius R. Ambaldus Tuſculanus Epiſcop: Apoſtolicæ Sedis Nuntij, notum facimus per præſentem quod nuper à ſanctiſſimo Patre domino noſtro Clemente diuina prouidentia Papa VI. ad Franciæ & Angliæ regna pro reformandâ pace & concordia ſeu iurandis ſufferentiis aut treugis inter Sereniſſimos Principes Dei gratia dominos Philippum Franciæ, & Eduardum Angliæ Reges illuſtres, qui faciente ſatore zizaniæ ad inuicem periculosè plurimum diſſidebant, & alligatos & confœderatos eorum ſpecialiter deſtinati ad dictum regnum Franciæ perſonaliter accedentes ſuper præmiſſis cum quibuſlibet eorumdem Regum diuerſos tractatus habuimus, & tandem magni Principes domini Odo Burgundiæ, & Petrus Borbonij Duces, &c. *de conditionibus treugæ inter dictos Reges.* Actum in Prioratu B. Magdalenæ de Maleſtricto Diœceſis Veneteníis anno 1343. die 19. Ianuarij, &c. *Non potuit integrè exſcribi, ideòque à nobis prætermiſſum.*

BREVIS AD SIGEBERTI CHRONICON APPENDIX.

Ab anno MCXIII. ad MCLXII.

MCXIII. Domnus Sigebertus venerabilis Monachus Gemblacenſis Cœnobij, vir in omni ſcientia literarum incomparabilis ingenij, Deſcriptor in hoc libro præcedentium temporum quarto Nonas Octobris obiit: & ſuis grauiſſimum mœrorem ſuæ abſentiæ reliquit. Defuncto Sigeberto nos amodo noſtrorum annorum tempora computabimus.

MCXV. Domnus Iuo Carnotenſis Epiſcopus obiit.

MCXVIII. Gelaſius Romanæ Eccleſiæ cẽteſimus ſexageſimus quintus præſidet.

MCXIX. Calixtus Romanæ Eccleſiæ centeſimus ſexageſimus ſextus præſidet.

MCXXIV. Honorius Romanæ Eccleſiæ CLXVII præſidet.

MCXXV. Henrico Imperatori ſuccedit Lotharius.

MCXXX. Innocentius Romanæ Eccleſiæ CLXVIII. præſidet.

.... Primum Paſcha XI. Kalendas Aprilis contigit.

MCXXXV. Defuncto Rege Anglorum Henrico, qui filium non habebat, ſucceſſit ei Stephanus nepos eius.

MCXXXVII. Ludouicus Francorum Rex obiit: cui Ludouicus filius eius, quem & ipſe adhuc viuens à Papa Innocentio Remis ante aliquot annos conſecrari fecerat, in regnum ſuccedit.

Mortuo Lothario ſuccedit Conradus nepos Henrici ſuperioris.

MCXLIII. Celeſtinus Romanæ Eccleſiæ CLXIX. præſidet.

MCXLIV. Lucius Romanæ Eccleſiæ CLXX. præſidet.

MCXLV. Eugenius poſt eum CLXXI. fit Papa Romanus.

MCXLVI. Facta eſt Eclipſis Solis quinto Kal. Nouembris hora tertia die Dominica. Concilium Rhemis præſidente Eugenio Papa qui in Franciam venerat.

Ludouicus Francorum Rex Hieroſolymitanum iter aggreſſus, Sarracenorum paſſus inſidias, cum magno ſuorum diſpendio rediit.

MCXLIX. Henricus Ludouici Regis Senioris filius fit Epiſcopus Bellouacenſis. Hic enim Henricus cum in maxima quadam eſſet proſperitate & iuuenis, fit Monachus Ciſtercienſis.

MCL. Congelatis in terra ſegetum radicibus fit maxima frugum inopia.

MCLII. Obiit Theobaldus Trecaſſinorum Comes glorioſus. Conrado ſuccedit Fredericus.

MCLIII. Anaſtaſius fit Papa CLXXI.

Stephanus Rex Anglorum moritur, cui ſuccedit Comes Henricus Andegauorum Comitis Gaufredi filius.

MCLIV. Adrianus CLXXIII. Papa Romanus.

MCLVII. Magna contentio inter Regem Francorum & Anglorum pro Toloſa ciuitate.

MCLXIII. Eclipſis Lunæ XIV. Cal. Septembris.

MCLIX. Alexander Papa CLXXIV.

MCLXII. Obiit Samſon Remenſis Archiepiſc. vir ſcientia & ſanctitate clarus.

DE ORDINE VALLISSCHOLARIVM.

Qualiter, à quibus, & quo tempore ſacer ordo Vallis-Scholarium ſub regula ſancti Auguſtini ſumpſit habitum.

Ex noſtro apographo collato cum M S. Codice.

I.

NVNC operæpretium reor generationibus futuris diligentiùs deſcribere, qualiter Vallis-Scholarium ordo ſumpſit exordium quámq; copioſâ benedictione gratiæ Dei à principio ſui perfuſus ſit, ſicut partim per litterarum monimenta tradiderunt nobis viri ſancti, qui ab initio ſacræ religionis auctores extitere; partim verò per majorum relationem didicimus, ſi fratres quos in ſeculis superuenturis diuina gratia ad ordinem noſtrum vocare dignabitur, hanc noſtræ paruitatis paginam, quam ad ipſorum conſolationem elaborauerimus, legere dignum duxerint conſiderantes quam nobili regum mamilla lactati ſint. Erubeſcant filij degeneres inueniri. Porrò ad hoc opus non ſolùm deuotio nos inuitat, verùmetiam vtilitas superuentura compellit. Cunctis namque ſapientibus liquet omnipotentem Deum approbare religionem quam tantis chariſmatum benedictionibus à principio perfundere, & in quâ tantos, tantæque perfectionis Nazareos ſuſcitare dignatus eſt. Quorum tamen omnium non eſt modò noſtrum dicere nomina, ſed illorum præcipuè ſanctiſſimorum Patrum, qui hunc ſacrum ordinem Valliſcholarium inceperunt & ordinauerunt, ſed quis dignè æſtimare, ne dicam referre, ſufficiet, quàm præclarè in diuerſis mundi partibus, non ſolùm in majoribus, verùmetiam minoribus quibuſlibet Valliſcholarium ordinis domibus ſacræ religionis vigor effulſerit? quàm ſublimes in virtutibus? quàm graues & humiles in moribus? quàm optimi fratres? quàm deuoti? quàm ad voluntariam paupertatem pro Chriſto tolerandam, atque ad obedientiam, & opus bonum parati ſubditi? quàm multi ſpontaneæ tribulationis anguſtiâ directi felici diſceſſu tranſierunt ad terram viuentium ad videndum Deum deorum in Sion.

II.

In almâ vniuerſitate Pariſienſi erant viri diuinis & humanis diſciplinis ad plenum eruditi, celeberrimi & famatiſſimi Theologicæque Facultatis Profeſſores magiſtri Guillelmus, Richardus, Euurardus, & Manaſſes. Quorum primùm & venerabilis ſenectus, & morum grauitas, decor ſapientiæ, & humilitatis manſuetudo cæteros præcellere dignos reddebant. Quippè quorum omnes ſermones ſemper in gratiâ ſale erant conditi, & omnium bonorum operum erant gratia pleni. Hi non multùm longè ab inuicem poſiti ſedentes ſolitarij, & ſtudentes facti quaſi in extaſi viderunt ſtare ante ſe quandam ſublimem arborem & decoram, ramorum & frondium ornatu mundũ decorantem; eúmq; hora conſueta, qua licebat eis ſtudia ſua referre & communicare, pia inter eos contentio haberetur de præmiis beatorum & ſupplicijs damnatorũ, & ſicut eis moris fuerat, vt cum familiariter colloquerentur, intulit ipſe venerãdus Magiſter Guillelmus dicens: ego ſtudens librum Ezech. Prophetæ, non ſolum ſemel & bis, ſed iam trina vice ante me vidi ſtare quandã magnã arborem pulchram & fulgidam, cuius rami videbantur mundum perornare: quod cæteri tres retulerunt ſimiliter, & ſimilem arborem pluries ſe vidiſſe, conſiderantes tantam, & tam

continuam arboris condenſæ viſionem magnæ futuræ rei ſignum euidens cum gratia diuina eis oſtenſum eſſe, habita maturiſſima, & grauiſſima deliberatione cum plurimis doctiſſimis, & eiuſdem almæ matris Vniuerſitatis Pariſienſis viris & magiſtris, qui non poſſent decipi, nec decipere voluiſſent, aliquem ordinem ſalubriùs viuendi, prout deſurſum à patre Luminum eis deſcenderat, nouiter inſtituere, & incipere deliberauerunt. Tunc ille omni reuerentia dignus Magiſter Guillelmus ipſos celebres viros conſcholares ſuos, & contemporaneos magiſtros Richardum, Euurardum, & Manaſſem, qui ſecum ab ineunte ætate nutriti laudabiliter vixerant, allocutus eſt dicens: Ecce conſcripti patres ciuitatis ſupernæ ciues decreti: Ecce quomodo exhibitione ſigni tanti probamur à domino diligi, gratiam Dei in vacuum non recipiamus, vt cum Apoſtolo gloriari poſſimus eius gratiam in nobis vacuam non fuiſſe. Ecce iam apud homines nobilitate generis, & liberalium artium acquiſitione celebres habemur. Nunc & apud dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, & ſanctos Angelos habeamur feliciores: veram Sapientiam induere feſtinemus, viam pœnitentiæ, quæ ducit ad vitam, viriliter arripientes, cuius quidem ſapientiæ brauium apprehendere merebimur, ſi Deum fideliſſime timuerimus, teſte ſcripturâ, quæ dicit: Timentibus Deum, nihil deeſt, nec iis qui diligunt eum in veritate. Principium ſalutis noſtræ timor domini eſt: hinc enim eſt initium conuerſionis, & virtutum cuſtodia acquiritur, qui cùm penetrauerit hominis mentem, contemptum omnium rerum parit, & mundi gignit horrorem, illucque ſæpè nos compellit animum defixum habere, quo nos ſperare debemus migraturos. Eya, Chariſſimi, noſtrum genus nobile, altámque parentelam noſtram, etiam cætera, quæ poſſidemus, præter amare Chriſtum, obliuioni tradamus, ſicut ſcriptum eſt: obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. mundum in maligno poſitum, & omnia quæ eius ſunt contemnamus, cum voluntate non repetendi, iuxta vocem domini Ieſu Chriſti dicentis: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*, non propriam voluntatem: & ſi mundus in ſui exordio floruit, à ſapientibus vilior & contemptibilior relinquatur, iam in ſeipſo aruit, apud corda ſapientum vileſcit, iam ſecuris minans interitum ad radices putridæ & ſiccæ arboris poſita eſt, & in ignem exterminij velociùs quàm creditur inijcietur; fugientem fugiamus, labentem non retineamus, & ſi aliquando mundus nos retraxit à Deo, nunc tantis plagis plenus eſt, vt ipſe jam nos inuitare videatur ad Deum. Eamus igitur ab hinc, & elongemur fugientes cum Prophetâ, & maneamus in ſolitudine: Potens eſt dominus, qui ſuorum mirabilium theſauros ſuis Prophetis, & ſanctis Patribus in figuris, & ænigmatibus oſtendebat, mirandæ viſionis noſtræ optatum facere ſucceſſum, aut per nos, aut per eos, qui exemplo noſtro ſibi deuotè & fideliter ſeruient, adhærebuntque. Ac vt ille ſanctæ exhortationis verba finiuit, ipſi conſcholares, & magiſtri ſibi obtemperantes, velut Chriſto eos vocanti, leui iugo pœnitentiæ & ſolitudinis colla ſubmiſerunt, parati ſecum degere, & penuriam pati, & dies ſuos complere, dicentes. Ergo parentes, agros & poſſeſſiones noſtros ſine differentiâ relinquamus, & nudi nudum Chriſtum ſequamur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

III.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo primo, iter arripuerunt, & ſic ſolam cœleſtium rerum meditationem animo gerentes, Angelo ſalutis eos comitante, peregrè proficiſcuntur. Cùm denique in finibus Campaniæ verſus Lingonas deueniſſent, & huc illúcque montes excelſos, & valles profundas conſpicérent, ad quandam vallem longè à frequentatione hominum poſitam, potiùs feris, quàm hominibus habitabilem, altis rupibus circumquaque vallatam, gratia reficiendi feſſa labore corpora declinauerunt. At ſubito de ſub rupis pede fons limpidiſſimus emanat, qui tunc vſque hominibus nunquam viſus fuerat. Quo comperto cognoſcentes illum locum horroris & vaſtæ ſolitudinis diuina diſpoſitione ſibi eſſe paratum, Reuerendiſſimum Patrem & dominum Magiſtrum Guillelmum de Ioinuilla ſacræ Theologiæ Profeſſorem, tunc temporis famoſæ ciuitatis Lingonenſis Epiſc. poſtmodum præclariſſimæ ciuitatis Remenſis Arch. adeunt, lachrymoſis precibus cohortantur, ſingultibus atque gemitibus pulſant humiliter, petunt partē illius vallis ad fundandum parietes ſibi in Eleemoſynam

tribui : nam & ipſo iure patrimonij Eccleſiaſtici & auctoritate Epiſcopali ſibi competebat. Suſcipit Pius Epiſcopus peregrinos, & reficit laſſos, pauperes alloquitur, viſionem intelligit, directionem eorum multùm mirabilem, & per viſum à Deo concurſum miratur, limpidi & noui fontis audit rumorem, gloriatur patriam tantis decorari patribus, Eccleſiæ Lingonenſis Decanum & Capitulum conſulit, largitur quod petunt, obtinent quod volunt, deuotas gratiarum actiones Domino bonorum omnium largitori referunt: Miratur Magiſter Fcdericus Decretorum Doctor facundiſſimus, vir prudens, auctoritate magnus, & omni honeſtate fultus, Electus & confirmatus Epiſcopus Cathalaunenſis, qui cum pluribus Epiſcopis apud Lingonas erat benedictionis gratiam aſſecuturus, miratur diutius tantorum virorum ſingularem affectionem quos nuper celeberrimos & eloquentiſſi nos nominari, & à ſeculi maioribus ſalutari, & venerari audierat: Ecce conſpiciunt eremi loca quærere, ciborum delicias ſpernere, ſæculi luxum calcare, viſus hominum fugere, & tota mentis auiditate viam pœnitentiæ & beatæ paupertatis ſuſcipere & amplecti. Quid agit deuotus Epiſcopus Cathalaunenſis ? Se cogitat eſſe moriturum, diem calamitatis ſub corde tacita mente reuoluit, ſupplicia epulonis diuitis, & præmia pauperis Lazari retractat, & penſat; pauper Chriſti efficitur, omnia præter Chriſtum contemnit, mundum relinquit, & apud Cathalaunum ad inſtantiam ſuam ſubſtituto paſtore idoneo ad antra deſerti in pœnitentia victurus cum ipſis ſponte ſe conuertit. Eunt igitur ipſi quinque viri Dei gaudentes à conſpectu Reuerendiſſimi Præſulis, quoniam digni habiti ſunt in nomine Domini IESV dicatam ſibi vallem obtinere, conſtruunt exigua cellarum tuguria, modicóque contenti pabulo in illa vaſtiſſima valle demorantur. Itaque ſapientium & prudentum virorum freti conſilio certam viuendi formam ſibi eligentes, propoſuerunt ſub regula beati Auguſtini militare, officium Eccleſiaſticum habentes & habitum ſecundum propoſiti & facultatis congruentiam, more fratrum Sancti Victoris, iuxta Pariſios, quam piam electionem, & ſalubre propoſitum jam memoratus Dominus D. Guillelmus Lingonenſis Epiſcopus authoritate ſua ordinaria laudauit & ratificâuit, & ad eius ſupplicationem Honorius Tertius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Summus Pontifex authoritàte Apoſtolica confirmauit, & ſui ſcripti patrocinio communiuit & approbauit Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo-octauo.

IV.

Sic ibi degentes ſupra nominati quinque pauperes Chriſti, cum triginta ſeptem Scholaribus & fratribus compleuerunt dies ſuos in bono, & anni ſui permanent in gloria. Poſt quorum quidem venerabilium quinque & aliquorum Scholarium & confratrum ſuorum felices deceſſus, accidit, vt aëris intemperati grandinum & aquarum ab alto & ab vtroque rupium latere torrentium inundatio & frequens ſcopulorum diſſolutio ruens ſuperuenientium fratrum illic habitantium cellas deſtrueret funditus, & eorum quorundam vitæ terminum anticiparet. Placuit igitur in conſpectu Domini, vt inde ad locum humanæ naturæ aptiorem, qui fuerant ſuperuenientes Scholares & fratres reſidui transferrentur, quod & factum eſt per Reuerendum Dominum D. Robertum de Thorota tunc Lingonenſis vrbis, poſtea Leodienſis Epiſcopum. Ipſe enim in alia valle non longe ab ipſa vaſtiſſimâ poſita, omnibus placida, pratis pulchra, lapidibus abundante, arboribus nemoroſa, telluris fertilitate ditata, vbertate fructuum iucunda & aëre ſalubri, illis in honorem & Dei B. V. M. pulchram Eccleſiam cum magnis ædificijs & Religioſis officinis pro ipſis ſuperuenientibus fratribus & eorum ſucceſſoribus ſuis ſumptibus iuſſit ædificari, & ipſos ſuperuenientes conſcholares & fratres tranſtulit intro, vt in hac valle commorantes in perpetuum Domino famulentur. Tranſlata ſunt etiam ab ipſa vaſtiſſima valle in illam amœniſſimam vallem oſſa corporum ſupranominatorum quinque Patrum & confratrum ſuorum jam defunctorum, & ibidem in medio Eccleſiæ venerabiliter tumulata. Quæquidem amœniſſima vallis ipſorum venerabilium Patrum ob ſanctitatem & ſuperuenientium ibi Scholarium & fratrum dignam conuerſationem à cunctis Vallis Scholarium eſt denominata, & ab ipſis omnes aliæ in ordine ſub-

ſecutæ perſonæ, illic & in quibuſlibet alijs ipſius ordinis Monaſterijs conſtitutæ, titulum, mores & ſalubrem viuendi formam ſumpſerunt. Tranſlati ſunt ergo in eam vallem, quæ nunc Vallis Scholarium dicitur, Anno Domini milleſimo ducenteſimo quarto. Tantorum Patrum doctrinis & exemplis veri diſcipuli effecti, eruditionis ſanctæ inſtruamur affectu, vt piè viuentes æternæ gloriæ participes effici mereamur. Amen.

CHRONICON VEZELIACENSE.

Ab anno DCLX. ad MCCCXVI.

Ex Antiquo MS. Cœnobij Vezeliacenſis, cuius Apographa plura vidi, tum illud quod communicauit nobis V. C. Iacobus Cholet in Suprema Pariſiorum Curia Patronus eruditiſſimus. Ex eo vulgaria quæque ac mendis infecta reſecuimus, quiſquilias ac furfures pro more noſtro ſecreuimus, vt chartæ parceremus ac Lectorum tædio: quod vtinam feciſſent, faceréntque, qui chartis pluteos onerant.

DCLX. Fundatum eſt Floriacenſe Cœnobium.

DCCXVI. Carolus, qui dictus eſt Tudites, Major domus efficitur.

DCCXVII. Bellum inter Carolum & Rainfredum Principes Francorum.

DCCXXI. Eudo eijcit Saxones (Saracenos) de terra ſuâ.

DCCXXXII. Carolus pugnat contra Saracenos Pictauis.

DCCXXXV. Carolus peruadit Guaſconiam.

DCCXLI. Mortuo Carolo ſuccedunt duo filij.

DCCLII. Stephanus Papa. Iſte veniens in Franciam Childericum Regem in Clericum totondit, & Pipinum Regem fecit.

DCCLX. Pipinus intrat Aquitaniam.

DCCLXI. Pipinus Claromontem cremauit.

DCCLXII. Biturica capitur, Guaſcones ſuperantur.

DCCLXIV. Sol eclipſim patitur, ſtellarum caſus de cælo.

DCCLXV. Gelu quinquaginta pedum altitudinis.

DCCLXVII. Conſtantinus Papa. Lemouix capitur: Guaiferus occiditur.

DCCLXVIII. Stephanus Papa: Pipino mortuo filij eius Carlomannus & Carolus à Stephano Papa inuncti regnant.

DCCLXXI Carolus Monarchiam obtinet.

DCCLXXVIII. Carolus Hiſpanias intrat.

DCCCI. Carolus adijt Romam & reſtituto Leone Papa, primus Regnum Francorum Imperator creatur.

DCCCIV. Obijt Theodulfus Abbas Floriacenſis & Epiſcopus Aurelianenſis.

DCCCXIII. Carolus obijt: Filius eius Ludouicus imperat.

DCCCXXII. Ludouicus Romæ ſuſcipitur & natus ei filius Carolus Caluus.

DCCCXXXVIII. Nicolaus Papa. Huic oblata ſunt Monaſteria Pulterienſe & Vezeliacenſe, in quo tunc erant Moniales à Girardo de Roſſilone Comite per manum Haironis Abbatis Pulteriacenſis: qui cum priuilegijs vtriuſque Monaſterij rediens attulit ſecum corpora SS. Martyrum Pontiani, Euſebij, Peregrini, atque Vincentij vtrique Monaſterio diuidenda.

DCCCXXXIX. Forum Veneris Lugduni corruit.

DCCCXLI. Succedunt Ludouico, Ludouicus, Pipinus, Lotharius & Carolus inter quos exoritur bellum apud Fontanetum, & diuiditur regnum.

DCCCXLIV. Berta Comitiſſa huius loci fundatrix obijt, & apud Pulterias ſepelitur.

DCCCXLV. Raynerius Normannus Pariſium inuadit.

DCCCLXVI. Eudo I. Abbas Vezeliacenſis præſidet.

DCCCLXVII. Burdegalam Normanni capiunt. Leo Papa.

Illuſtris Comes Girardus fundator huius loci, obijt apud Auinionem ciuitatem ſuam.

DCCCLV. Mortuo Lothario, Ludouicus imperat.

DCCCVLII. Dedicatio Monaſteriorum Pulterienſis, & Vezeliacenſis à Domino Ioanne Papa facta & inde Trecis Concilium tenuit: *referenda ad annum 878. nam vt ſæpe monui nonnulla luxata ſunt.*

DCCCLXXXVI. Dani Rollone Duce Rotomagum capiunt, & terram occupant, dicentes eam Normaniam.

DCCCXCII. Carolus filius Ludouici puerulus fit Rex.

DCCCCXCV. Arnulfus Rex Romæ Cæſar habetur.

DCCCXCVIII. Odo moritur, Carolus regnat, & Ludouicus imperat.

DCCCXCIX. Ricardus Dux Burgundiæ, expugnauit Normannos, & occidit apud Argentolium, pridie Kal. Iunias, *aliàs 5. Kal. Ianuarij.* Zundebaudus filius Arnulfi occiditur. Conradus in Regem eleuatur. Mortuo Zundebaudo bellum inter Conradum & Adelbertum, in quo Conradus occiditur.

DCCCCVII. Aymo Abbas Vezeliacenſis.

DCCCCX. Conſtructio Cluniaci à Guillelmo Pio.

DCCCCXII. Rollo Dux Normannorum, cum ſua gente Chriſtianus efficitur, & Robertus vocatur, conjunctus in matrimonio filiæ Caroli Regis Francorum.

DCCCCXIII. aut potius DCCCCXVII. Dolenſis Eccleſia ab Ebbone fundatur.

DCCCCXXI. Obijt Ricardus pater Rodulfi Regis.

DCCCCXXIII. Bellum inter Carolum & Robertum Tyrannum, in quo cecidit Robertus, & Rodulphus regnum obtinuit annis XV.

DCCCCXXVI. Bellum in monte Callau, vbi Garnerius Comes cecidit.

DCCCCXXIX. Carolus obit Peronæ. Rodulphus Rex anno ſeptimo regni ſui in pago Senonico, *alij habent Lemouico,* bellum fecit cum Normannis & vicit.

DCCCCXXXV. Otto Imperator Rom. Hungari in Burgundiam venerunt.

DCCCCXXXVI. Rodulfus Rex obit & ſepelitur Senonis, cui ſuccedit Ludouicus filius Caroli reuocatus ab Hugone Magno, & Comite Viromanduorum, qui habuit filiam Roberti Comitis Andegauorum.

DCCCCXXXVIII. Barbari Galliam inuaſerunt.

DCCCCXLI. Guido Abbas Vezeliacenſis.

DCCCCLVI. Gerardus Abbas Vezeliacenſis.

DCCCCLVII. Hugo Magnus menſe Auguſto obſidet vrbem Pictauis, ſed diuinitus exercitus fugit. Hic ex filia (fortè filius) Roberti Comitis Andegauorum genuit Hugonem, Ottonem, atque Henricum: quorum Hugo Rex Francorum, Otto Dux Burgundiæ poſtea effectus eſt.

DCCCCLXI Otto Ottonem filium ſuum Regem facit.

DCCCCLXIII. Otto Dux Burgundiæ.

DCCCCLXV. His temporibus Robertus Abbas Vezeliacenſis fuit.

DCCCCLXVI. Dedicatio S. Michaëlis in periculo maris.

DCCCCLXXXVI. Carolus Stultus vltimus proſapiæ Caroli regnat.

DCCCCLXXXIX. Hugo Capito filius Comitis Andegauenſium regnat.

DCCCCXC. Bellum inter Ligerim & Elauerim fluuios inter Landricum Comitem Niuernenſem & Archembaldum Principem.

DCCCCXCVIII. Robertus filius Hugonis regnat. Ioannes Papa duobus menſibus. Siluester Papa. Hic eſt Gerbertus, cuius tumba ſudat ante obitum Paparum.

MI. Henricus Dux Burgundiæ patruus (malè frater) Regis Roberti obijt apud Polimiacum.

MII. Henricus Imperator Romæ. Robertus Rex Antiſſiodorum obſedit, & dedit cum ſorore (aliàs filiâ) Rainaldo filio Comitis Niuernenſis Landrici.

MIV. Ioannes Papa menſibus quinque. Ioannes Papa.

MVIII. Eurardus Abbas Vizeliacenſis.

MIX. Sergius Papa.

MXI. Ermannus Abbas Vizeliacenſis.

MXII. Benedictus Papa.

MXIV. Sepulchrum Domini deſtructum eſt, ſub Regibus Græcorum Baſilio & Conſtantino, Romano Henrico, Francorum Roberto, quod tenuerunt Turci per annos 92.

MXVII. Hugo filius Roberti Regis in Regem vnctus.

MXVIII. Pictauis, Beluacum, & aliæ multæ ſuccenſæ. Carnotum & Rotomagus exuſtæ, vineæ crematæ.

MXXIV. Cono qui & Conradus Imperator Romæ.

MXXVIII. Obijt Comes Landricus.

MXXXI. Obijt Robertus Rex qui genuit Henricum Regem, Robertum Ducem Burgundiæ & Hugonem Epiſcopum Comitémque Antiſſiodori, atque Adelaidem Rainaldi Comitis Niuernenſis vxorem.

MXXXIII. Benedictus Papa.

MXXXIV. Pariſius incendio flagrat.

MXXXVI. Henricus Rex mortua vxore ſua Alemanni Regis filia duxit Annam filiam Regis Ruſſulorum (Ruſſorum) ex quâ ſuſcepit filios Philippum Regem & Robertum & Hugonem cognomine Magnum. Ipſe Hugo genuit Rodulfum Comitem Viromanduorum.

MXXXVII. Gaufredus Abbas Vezeliacenſis.

MXXXIX. Henricus imperat Romæ.

MXL. Raynaldus Comes filius Landrici apud Siluiniacum occiſus eſt.

MXLII. Fames valida per ſeptem annos.

MXLVI. Silueſter Papa diebus 56. Gregorius Papa.

MXLVIII. Clemens Papa menſibus nouem. Damaſus Papa. Leo Papa. Hic habuit Concilium Rhemis cum Gallicanis Epiſcopis, & excommunicauit Simoniacos, Haduinum Senonenſem & Hugonem Lingonenſem Pontificali priuauit honore, & alios multos.

MLII. Bonifacius Abbas Vezeliacenſis.

MLV. Victor Papa.

MLVI. Cœnobium Charitatis cœpit.

MLVII. Stephanus Papa.

MLVIII. Benedictus Papa.

MLIX Philippus vngitur in Regem. Hic duxit filiam Balduini (*melius Florentij*) Comitis Hollandiæ, ſororem (*lege priuignam*) Roberti Flandriæ Comitis, & genuit ex ea Ludouicum & Conſtantiam vxorem Boamundi Antiocheni.

MLX. Obijt Henricus Rex Francorum.

MLXIII. immo 1066. Willelmus Comes Normanniæ, regnũ obtinuit Anglorum.

MLXV. Rex Philippus ab Arpino emit Bituricas pretio 6000. ſolidorum. Poſtea mota eſt guerra inter Fulconem Rechin Comitem Andegauorum & Goffridum Martellum fratrem eius.

MLXXIV Berno Abbas Vizeliacenſis.

MLXXV. Obijt Robertus Dux Burgundiæ: Hugo Henrici filius ſuccedit. Antiſſiodorus ſuccenſa eſt.

MLXXXIII. Stephanus Abbas Vizeliacenſis.

MLXXXVI. Willelmus Dux Aquitanorum obijt qui ædificauit Nouum Monaſterium Pictauis.

MLXXXVII. Guillelmus Baſtardus Rex Anglorum obit. Ioſcerannus Abbas Vizeliacenſis. Victor Papa. Gerardus Prior de Caritate primus obit.

MXCV. Concilium Auguſtoduno, vbi primùm via prædicata eſt Hieroſolymitana.

MXCVI. Concilium Claromonte ab Vrbano Papa. Arnaldus Abbas Vizeliacenſis.

MXCVIII. Ciſtercij ordo exoritur. Infinitus populus Francorum iuit Hieruſalem & Antiochia capta eſt.

MXCIX. Hieruſalem capta eſt. Bellum inter Comitem & Aymonem. Willelmus Rex Anglorum ſagitta perit. Paſchalis Papa.

MCIV. Tantæ tempeſtates, quod corpora exhumarentur. Dedicatio Eccleſiæ Vezeliaci ab Artoldo ædificatæ.

MCVI. Henricus Imperator Romæ.

MCVII. Paſchalis in Franciam venit. Synodum Trecas tenuit.

MCVIII. Rainaldus Abbas Vizeliacenſis præfulget.

MCVIII. Mortuo Rege Philippo ſuccedit Ludouicus.

MCXI. Henr. Imp. Paſchalem Papam cepit & in vincula conjecit.

MCXVI

MCXVI. Willelmus Niuernenſis Comes apud Analum captus eſt. In Do-l...ſi Cœnobio, cuidam Monacho Miſſas agenti apparuit puer ſuper altare loco ...ſtiæ ante calicem.

MCXVIII. Obiit Mathildis Regina Anglorum.

MCXIX. Merſus eſt in mari VVillelmus filius Regis Anglorum Henrici.

MCXX. Ordo Præmonſtratenſis incipit.

MCXXIV. Balduinus Abbas Vezeliacenſis.

MCXXV. Lotharius Dux Saxonum imperat.

MCXXVII. Carolus Comes Flandriæ à ſuis occiditur dolo.

MCXXVIII. Obit VVillelmus Dux Aquitanorum.

MCXXIX. Philippus puer coronatur, viuente patre.

MCXXX. Innocentius Papa. Albericus Abba Vezeliacenſis. Philippus puer ſuffocatus eſt Diſſenſio Romanæ Eccleſiæ. Damnato Petro Leone, Gregorius, qui & Innocentius, ab Eccleſia receptus, venit in Galliam, Synodum Claromonte & Concilium Remis habuit, & Ludouicum filium Regis Ludouici inunxit.

MCXXXV. Henricus Rex Anglorum obijt. Stephanus nepos illius regnat: & nox facta eſt hora diei tertia.

MCXXXVI. Signum horribile apparuit quarto nonas Martij.

MCXXXVII. Ludouicus Rex Franciæ obit. Filius eius regnat. VVillelmus Dux Aquitanorum obijt prius. Eius filiam Rex Ludouicus duxit Alienoridem.

MCXXXVIII. Tranſlato Alberico Pontius Abbas Vezeliacenſis ordinatur. Hic frater Petri Cluniacenſis Abbatis de Cluſino Monaſterio aſſumptus eſt.

MCXL Hugo Didaſcalus moritur.

MCXLI. Hugo Dux Burgundiæ obijt. Succedit Odo filius eius.

MCXLIV. Vox loquens de terra audita eſt apud Giſortium.

MCXLV. Ciuitas Edeſſa à Paganis capitur.

MCXLVI. Rex Ludouicus apud Vezeliacum crucem Hieroſolymitani itineris in die Paſchæ accepit & maxima multitudo cum eo.

MCXLVII. Rex iuit Ieruſalem.

MCL. Rex Ludouicus à Ieruſalem redijt.

MCLII. Comes Theobaldus obiit.

MCLIII. Bernardus Clarauallenſis obijt.

MCLV. Puer naſcitur in pupilla cuius ocul. naturaliter ſcriptum legitur, *Homo Deus*, in alterius verò *Vir bonus*.

MCLVI. Burgenſes Vezeliaci prauam communiam, quam aduerſus Abbatem Pontium, & Dominos ſuos, Fratres ſcilicet Monaſterij Vezeliaci, fecerant, coacti à Rege Ludouico abiurauerunt in manu illius.

MCLXI. Comes Guillelmus moritur. Mortuo Abbate Pontio ordinatus Abbas Vizeliaci Guillelmus Abbas Ponteſiæ.

MCLXII. Colloquium Regis & Imperatoris. Odo Dux obijt.

MCLXIII. Concilium Turonis.

MCLXV. Philippus filius Regis Ludouici natus eſt. Guillelmus Comes Niuernis & mater eius Ida excommunicantur pro Eccleſia Vezeliacenſi.

MCLXVI. Comes pacem fecit cum Vezeliaco, & crucem accepit.

MCLXVII. Poplicani exuſti ſunt apud Vezeliacum.

MCLXVIII. Prædictus Comes moritur apud Accaron. Burgenſes Vizeliaci coniurati ſunt aduerſus Eccleſiam.

MCLXX. Circa Feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli in trans-marinis partibus per XV. dies terræ motus factus eſt magnus per quem multæ vrbes & Caſtella Chriſtianorum & Saracenorum, & maxima pars murorum Antiochiæ corruerunt.

MCLXXI. Willelmus Abbas obijt, Girardus ſubſtituitur.

MCLXXXVIII. Circa tranſlationem Sancti Martini Accaron ciuitas, & multæ aliæ ciuitates & caſtella à Saladino capta ſunt, & Crux Domini capta, cum Rege, & in ipſo anno circa Feſtum S. Michaelis ciuitas ſancta Hieruſalem, ab ipſo Saladino capta & omnes gladio iugulati.

MCXCVI. Guillelmus de Brene, aut Berens cum exercitu ſuo combuſſit Aſchemium & Spiriacum, & Blannum & plura alia loca noſtra.

MCXCIX. Richardus Rex Anglorum obijt. Ioannes frater eius regnum accepit.

MCCVI. Hugo Abbas reſignauit cui ſucceſſit Galtherius bonæ memoriæ Abbas.

MCCXVI. Galterius Abbas reſignauit. Succeſſit Petrus Abbas.

MCCXXVI. Mortuo Petro Vezeliacenſi Abbate, ſucceſſit Sauericus Abbas.

MCCXXX. Mortuo Sauerico Abbate ſucceſſit Guichardus Abbas. Eodem die orta eſt guerra Guidonis Niuernenſis Comitis & Forenſis & Mathildis Comitiſſæ contra Eccleſiam Vezeliacenſem & Burgenſes eiuſdem villæ.

MCCXLV. Guichardus Abbas reſignauit. Succeſſit Hugo Abbas de Capella.

MCCXLVIII. Ludouicus Rex fuit in tranſmarinis partibus & Damietam cepit & poſtea cæſus fuit à perfidis.

MCCL. Lata fuit ſententia à domno Hugone Abbate in totam villam Vizeliaci & confirmata ab Innocentio Papa.

MCCLII. Mortuo Hugone Abbate Vezeliacenſi, ſucceſſit Ioannes Antiſſiodorenſis.

MCCLIII. Apud Volthenetum puella naſcitur habens vbera lacte plena.

MCCLXVII. Carolus Comes Andegauenſis factus eſt Rex Siciliæ & fuit in Apuliam & cepit illam & interfecit Manfredum & Conradinum & primates & eiuſdem terræ & Nocheriam cepit & ſibi eam ſubjugauit.

Releuatio corporis B. Mariæ Magdalenæ Vizeliaci, & tunc Rex Ludouicus fecit poni in auro proprio brachium & mentonem B. Mariæ Magdalenæ cum Angelo argenteo.

MCCLXX. Ludouicus Rex Franciæ iuit in tranſmarinis partibus cum tribus filijs ſuis, ſcilicet domino Philippo Rege & domino Ioanne Comite Niuernenſi & domino Petro, & cum eo Theobaldus Rex Nauarræ & Comes Campaniæ, & Comes Atrebatenſis, & multi alij. Ipſe verò Ludouicus Rex obijt, & Ioannes filius eius, & quamplures alij.

MCCLXXIV. Fuit Concilium Lugduni celebratum à domino Gregorio Papa X. vbi fuerunt CCCC. Prælati mitrati vel circiter, & alij quamplures, & fuerunt ibi Greci & Tartari conuerſi ad fidem Eccleſiæ Romanæ. Ibi autem multa ſtatuta & prouiſa fuerunt. Ioannes Abbas Vizeliacenſis in hoc Concilio Lugdunenſi diem clauſit extremum, & fuit prouiſum dicto Vezeliàcenſi Monaſterio per dominum Gregorium Papam X. & Cardinales de fratre Milone de Columba, vel de Columbarijs Priore Lilbenſi, qui dictum Monaſterium deſolatum & nudatum ferè bonis omnibus, debitorúmque onere prægrauatum inuenit.

MCCLXXXI. Abbas Milo bonæ memoriæ obijt: Gaufridus Coneſtabulus huius Eccleſiæ eligitur.

MCCLXXXVII. Gaufridus Abbas reſignauit, & Guillelmus Decanus huius Eccleſiæ ſubſtituitur.

MCCXCV. Fuit Abbas Hugo de Auxeio, qui multa bona fecit Eccleſiæ, & laudabiliter eam rexit per 26 annos.

MCCCXVI. Succeſſit Blenetus per viam Spiritus Sancti electus, & fuit mortuus ante confirmationem ſuam, & ſucceſſit Guillelmus per prouiſionem Eccleſiæ Romanæ, & fuit tranſlatus in Monaſterio Moliſinenſi, vnde vocatus fuerat. Ioannes de Conflantio ſibi ſucceſſit, qui multa expendit, & permutauit cum Attaudo Flotte Abbate S. Medardi, qui vtrumque Monaſterium tenuit quando diſceſſit.

Haſtenus Codex antiquus Vezeliacenſis, in quo adtexitur Breuis Hiſtoria Comitum Niuernenſium, quam licet aliàs ediderim in Miſcellaneis curioſis pag. 558. & ſeqq. Tom. II. Placet tamen eamdem hoc loco iterum Lectoribus repræſentare ad plura Apographa à nobis denuo exactam.

ORIGO ET HISTORIA BREVIS NIVERNENSIVM COMITVM,

Auctore, vt quidam ſcribunt, Hugone Pictauino Monacho Vizeliacenſi, qui vixit circa annum MCLX.

Alij Anonymum ſcriptorem vocant, qui ſub Ludouico VII. floruit: ex varijs eiuſdem Codicis MS. Apographis

CAſtrum Niuedunum, quod nunc dicitur Niuernis, ſitum eſt ſuper fluuium Neuium in extremis Burgundiæ finibus, cui ſubterfluit Ligeris amnis, qui diuidit Galliam Celticam & Galliam Aquitanicam. Igitur caſtrum illud antiquiſſimum quidem, ſed inſtar viculi exiguum. Præfuit ei Comes Raterius, qui iure hominii de dominio Comitis Burgundiæ illud tenebat. Is forte accuſatus ab Alicherio milite, quod thorum domini ſui violaſſet, conflictum duelli cum ipſo accuſatore iniit infra inſulam, quæ Victoris nomine hodieque appellatur. Cum ergo Raterius haſtam vibraſſet, percuſſit Alicherium ſub maxillâ & transfodit os eius, dixitque: os ipſum luet mendacium quod loquacitet protulit. Nequaquam ait Alicherius, mendacium, ſed tam longum ſilentium adulterii tui os meum luit, ſtatimque feroci animo inſurgens percuſſit Raterium, qui cadens deuictus & conuictus poſt modicum expirauit. Fuit autem diebus multis caſtrum prænominatum in manu Comitis Burgundiæ, ad quem iure dominij pertinebat. Tempore illo Rex Francorum moriens puerulum filium reliquit. Hunc proceres Francorum communicato conſilio tradiderunt Richardo Iuſticiario in tutelam committentes illi totius regni curam. At ille pio affectu puerum enutriuit, & regnum iuſtè diſpoſuit. Et erat caſtellum in territorio Niuernenſi, nomine Maers, munitione & ſitu loci fortiſſimum, hominúmque frequentiâ ditiſſimum. Huius habitatores itineris contigui viatores ſpoliabant, captiuabant, occidebant. Richardus caſtellum obſedit. Cui obſidioni cum aliis optimatibus & Epiſcopis totius Galliæ interfuit etiam Hildegarius Epiſcopus Heduenſis. Hic genere Pictauenſis Diaconus Regis Francorum extiterat, &c. Venit & ipſe inter alios ad obſidionem quemdam ſecum habens nepotem, nomine Landricum, & applicuit exercitus ad caſtellum, & expugnauit illud fortiter. Vt autem vidit dominus oppidi, quòd ſuſtinere non poſſet, grande conuiuium ciuibus ſuis præparauit, & recumbentibus omnibus ipſe ſimulato languore, ſurrexit, & clam conſcendens equum per medias acies effugit. Et aſcendentes velociſſimi quique fugientem inſecuti ſunt: ſed eum nullatenus apprehendere potuerunt. Cui forte occurrens Landricus nepos Hildegarij, qui præerat Curſarijs, percuſſum impulit ab equo, & captum duxit ad tentorium Hildegarij. Et quoniam non eſt Sacerdotis quemquam tradere morti occultato milite miſit equum illius Duci exercitus. Quo requirente militem, reſponſum eſt ei, quod auiditate retinendi equum, militem miles neglexerit. Miſſi ergo apparitores ſcrutati ſunt tentorium Hildegarij, inuentum militem ſimul cum equo ſuo ſuſpenderunt in patibulo, captúmque caſtellum dederunt poſſidendum Hildegarij nepoti Landrico. Qui Landricus acceptâ vxore ſtirpis Andegauorum genuit ex ea filium, nomine Bodonem, quem Bodo de Montibus ſuſcepit de ſacro fonte. Is cum adoleuiſſet, petijt à Patrino ſuo aliquid ſibi dari. Cui ille reſpondit. Quid filiole tibi vis dari? At ille, Volo, inquit, vt tantum terræ mihi concedas, quantum contigui montis vmbra die perluſtrauerit. Quo conceſſo ſurrexit iuuenis ſummo mane in diebus æſtiui temporis, & cœpit proprios limites circum circa ponere, ſicuti ſole vergente vmbra diuertebat, & ædificauit ibi caſtellum, quod dictum eſt Moncellis; & dilatauit terminos patris ſui, genuitque filium nomine Landricum. Et factus eſt Landricus homo magnæ liberalitatis, & ſuſcipiebat ferè quotquot erant tranſeuntes per viam, nobiles & mediocres perſonas, properantes ad limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Eo quippe tempore omnis Gallicana & Britannica natio eadem plurimùm frequentabat limina. Contigit autem ipſum Landricum eandem alli-

quando cum multis alijs Principibus peregrinationem ſubire. Inter quos fuerunt Comes Pictauorum & Comes Andegauorum, necnon Comes Burgundiæ. Qui pariter cum Landrico redeuntes ſanctæ Dominicæ Reſurrectionis diem apud Biteruam, fortè Niuernam, celebrauerunt. Vt autem itineris laborem leuarent, fecerunt ibidem triduum. Sequenti verò die Paſchæ fecit omnibus conuiuium Landricus filius Bodonis: & cùm à prandio ſurrexiſſent, Comes Pictauorum inuitabat Landricum, quatenus auorum ſuorum patriam ſecum repeteret, vbi eum maximis beneficis cumularet. Cui cum Landricus grates referret: Meçum potius, ait Comes Andegauorum venire debes, quo te maternum genus innitat. Et reſpondens Comes Burgundiæ dixit: Cur paternum ſolum hac vel illac peregrinaturus relinques, cum ego ibidem ſatis admodum poſſim velimque ditare? Ad hæc Landricus reſpondit Comiti Burgundiæ. Verum eſt, Inquit, quod plurimum poſſis. Peto ergo, vt paruulam illam Inſulam Caſtri Niuernis concedere mihi digneris, quo mihi Comitis conceſſa dignitate & tibi honor proueniat, & ego contiguam hereditatem tutiùs retineam. Reſpondit Comes Burgundiæ: Concedo, ait, ſicut vis, & Comitatum Niuernis ſaluo iure hominij tibi & hæredibus tuis deinceps tribuo. Iſte Landricus primus huius generis Comes Niuernis factus, cœpit vſquequaque dilatare terminos ſuos. Habuitque filium nomine Renaldum qui coniunctus matrimonio ſorori Regis Roberti filij Hugonis Capitonis Comitatum Antiſſiodori coniunxit Comitatui Niuernis. Cuius Comitatus gratia bello cum Duce Burgundiæ confligens apud Saigniacum occiſus eſt, triumphum ſimul & hereditatem ſanguinis Guillelmo filio ſuo relinquens. Guillelmus autem per quinquaginta fere annos cum tanta Comitatum tenuit induſtriâ & bellorum exercitio, quod infra præſcriptum ſpatium nec etiam vnius anni ſummam colligere potuerit, quo pacem tenuerit: nec minori frequentia tempore quo ſanguinem vel aliam corporis curam leuabat 50. militum familiari contubernio vſus fuerit: & tamen poſſeſſionibus multis ditatus quinquaginta millia ſolidorum in theſauro ſuo ſemper habuit, de quibus circa terminum vitæ ſuæ baſilicam Sancti Stephani extra muros ciuitatis Niuernis ædificauit. Dilatauit & ipſe terminos intra fines Lingonum Comitatum Tornodorenſium apponens Comitatui Niuernis & Altiſſiodori, vnum de tribus componens: genuitque filios duos Guillelmum & Renaldum, è quibus Guillelmus curam Tornodori obtinuit; Renaldus autem Malliacum & Huben duo nobilia oppida poſſedit, vterque tamen ſuperſtite patre vitâ exceſſit. Sanè Guillelmus Tornodorenſis ex propriâ vxore vnam filiam habuit, quæ coniuncta eſt in matrimonio Aimoni Borbonenſi. Renaldus autem primam vxorem habuit, filiam vnicam Comitis Foratenſis, de quâ filiam ſuſcepit, quæ coniuncta eſt Miloni de Curteniaco. Qua defuncta iterum Renaldus duxit vxorem Idam nomine filiam Lancelini de Balgentiaco, ex qua filium genuit, nomine Guillelmum, quem moriens patris tutelæ dimiſit. Quo, id eſt, auo vita exempto Monarchiam Niuernenſis & Antiſſiodorenſis atque Tornodorenſis prouinciæ obtinuit, fineſque ſuos circa Ligerim & Alerium fluuios dilatauit. Qui iuſtitiæ licet cultor eximius exiſteret, Vizeliaci tamen Monaſterium inſolitis conſuetudinibus ſibi vendicare primus attentauit. Hic genuit Guillelmum & Renaldum, quibus militia prouectis cum vterque Hieroſolymitanum iter cum Ludouico Rege Francorum & Duce Aquitanorum arripuiſſet, pater illorum terrena celeſtibus commutans, Cartuſiæ Conuerſus factus eſt. *FINIS.*

CHRONICON S. VITONI
VIRDVNENSIS.

Ab anno DCCCCLII. ad MDXCVIII.

DCCCCLII. De Monaſterio Sancti Vitoni pelluntur Clerici, ſubrogantur Monachi ſub abbate Humberto.

DCCCCLIX. Berengario Epiſcopo ſuccedit Vicfridus, qui fundauit Eccleſiam S. Pauli Virdunenſis.

DCCCCLXXXVI. Wicfrido Epiſcopo ſuccedit Adelbeto.

DCCCCXC. Adelbetoni ſuccedit Heymo, qui fundauit Monaſterium monialium S. Mauri Principes Francorum expellunt Carolum Regem ſuum de regno, quem Otto Imperator reſtituit graui bello Sueſſionis eiſdem Principibus ſuperatis, & ob hoc Lothatienſe regnum ab eo dono accepit. Otto Imperatot debellat Sartacenos in Calabria. Girbertus Aquitanicus Monachus ſtudio & ſapientia claruit, in tantum, vt ab Ottone Archiepiſcopus Rauennatium, & poſtea Papa Romanis daretur: & multa ſtudia veterum Philoſophorum renouauit: poſt Boëtium apud Latinos inſigis habitus.

MV. Obiit Fingenius Abbas S. Vitoni: ſuccedit Richardus.

MX. Hungari Chriſtiani fiunt coacti ab Ottone (Henrico)

MXII. Blachero Abbati ſuccedit Gardinus.

MXXIII. Gardinus Abbas obiit, ſuccedit Ebetninus.

MXXV. Heymoni Epiſcopo ſuccedit Rambertus, qui fundauit Monaſterium S. Agerici.

MXXXVIII. Rayemberto Epiſcopo ſuccedit Richardus.

MXLVI. Obiit Richardus Abbas S. Vitoni, ſuccedit Valetanus. Obiit Richardos Epiſcopus Virduni, ſuccedit Theodericus.

MXLVIII. Ciuitas Virdonenſis à Duce Godefrido & Balduino Comite deprędatur, & vna cum Monaſterio S. Mariæ incenditur.

MXLIX. Dedicata eſt Ecclefia B. Mariæ Magdalenæ à Leone Papa IX.

MLX. Obiit Valeranus Abbas, ſuccedit Grimoldus.

MLXIX. Obiit Godefredus Dux filius Gotelonis: ſuccedit filius eius Godefridus Gibboſus.

MLXXI. Obiit Ermenfridus Canonicus ædificator Eccleſiæ S. Magdalenæ.

MLXXVI. Obiit Godefridus iunior Dux, ſuccedit Godefridus, qui dicitur Bullonienſis.

MLXXVII. Rodulfus Abbas Grimoldo ſuccedit: gelu validum quatuor menſibus obtinens.

MLXXX. Tranſlatum eſt corpus D. Richardi Epiſcopi & ſepultum ante chorum in noua Baſilica S. Mariæ.

MLXXXII. Seditio magna inter Regnum & Sacerdotium: pro quâ à Monaſterio S. Vitoni per ſeptennium Monachi expulſi ſunt, vſque poſt mortem Theoderici Epiſcopi Virdunenſis.

MLXXXVI. Bellum in Sathanaco.

MLXXXVIII. Theoderico Epiſcopo Verdunenſi ſuccedit Richerus.

MXCI. Obiit Hermannus Epiſcopus Metenſis.

MXCV. Conſecratio Richeri Epiſcopi. Concilium Epiſcoporum pene totius Orbis, exceptis Lotharingis, Allemannis, Hungariis, apud Claromontem Aruerniæ.

MXCIX. Obiit Rodulfus Abbas, ſuccedit Laurentius. Hieruſalem capitur.

MCVII. Richeto Epiſcopo ſuccedit Richardus electus.

MCXI. Monaſterium S. Vitoni expulſis Monachis à Richardo Epiſcopo deſertũ.

MCXIV. Monachi S. Vitoni ad Monaſterium redeunt poſt mortem Richardi Epiſcopi vacauit Epiſcopatus tribus annis ſemis.

MCXVI. Succedit Henricus Epiſcopus Virdunenſis.

MCXVII. Bellum ante Virdunum Raynaldi & Willelmi.

MCXX. Ciuitas Virdunum à Comite Rainaldo capitur, & maxima pars vrbis cum Monaſteriis S. Saluatoris, S. Petri, ſanctique Agerici incenditur & ſpoliatur.

MCXXII. Ciues Virdunenſes Comiti de Grandiprato hanc vrbem per traditionem reddiderunt, à quo aliquanto tempore poſſeſſa: multa mala ibi commiſit.

MCXXIV. Concordia facta eſt ioter Regnum & Sacerdotium.

MCXXIX. Vrſio Epiſcopus eligitur Abbas S. Dionyſij Remenſis.

MCXXXI. Vrſio Epiſcopatui renuntiauit: eligitur Adelbeto Archidiaconus, & die ſancto Paſchæ Pariſius conſecratur ab Innocentio Papa.

MCXXXII. Turris Virduni capitur & euertitur.

MCXXXIX. Laurentius Abbas S. Vitoni obiit. Sigardus ſuccedit.

MCXLII. Obiit Sigardus Abbas, Cono ſuccedit.

MCXLVII. Eugenius corpus S. Vitoni in nouo feretro die ipſius feſtiuitatis

tranſpoſuit,& die S. Martini Eccleſiam B.Mariæ dedicauit.

MCL. Combuſtum eſt Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ,& magna pars vrbis.

MCLII. Obiit Conradus Rex Romanorum : ſuccedit Fredericus Dux Elſatij.

MCLIII. Bellum ante Mozon ,,vbi Metenſes interieruot.

MCLVI. Ordinatio Alberti Epiſcopi duobus annis ante obitum Adalberonis.

MCLVIII. Obiit Adelbero Epiſcopus Virdunenſis.

MCLXIII. Obiit Adelbertus Epiſcopus Virdunenſis ,& Monachus S. Vitoni, ſuccedit Richardus dictus Ioſans.

MCLXXI. Obiit Richardus Epiſcopus : ſuccedit Arnoldus. Paſſus S. Thomas Cantuarienſis.

MCLXXVIII. Obiit Cono Abbas S. Vitoni , qui turres lapideas , & locum theſauri dictum fieri iuſſit,& feretrum S. Vitoni compleri. Cui ſuccedit Richerus.

MCLXXIX. Richerus Abbas ſponte finitur,ſuccedit Alleſtanus iunior qui ipſo anno obiit,& ſuccedit Alleſtanus Senior.

MCLXXXI. Arnoldus Epiſcopus ſagitta in capite percuſſus ante caſtrum ſanctę Menechildæ. Henricus ſuccedit.

MCLXXXSII. Alleſtanus Senior Abbatiæ renuntiauit. Thomas Abbas Mauri montis ſubrogatur.

MCLXXXVI. Henricus Epiſcopatui renunciauit, & Albertus eligitur.

MCLXXXVII. Thomas Abbas renunciauit, Hugo eligitur.

MCXCVII. Hugo Abbas ceſſit,cui Stephanus ſuccedit,qui per alium percuſſus Abbatiæ renunciauit. Eodem anno in Abbatem eligitur Lodoicus frater Alberti Epiſcopi.

MCCVIII. Seditio magna Virduni inter ciues & Clericos : multa mala perpetrantur. Obiit Albertus Epiſcopus, cui ſuccedit Robertus Primicerius.

MCCXVII. Obiit Robertus Epiſcopus Virdunenſis,cui ſuccedit Ioannes de Aſpero monte , qui fundauit Monaſterium S. Nicolai in prato. Factum eſt incendium huius ciuitatis à gradibus S. Mariæ,& ab Anſelmi vici porta vſque ad pontem Braheli generaliter à muro vſque ad murum.

MCCXXII. Obiit S. Dominicus Inuentor Ordinis Prædicatorum.

MCCXXIV. Ioannes Epiſcopatui renunciauit tranſiens ad Epiſcopatum Metenſem, cui Rodulfus de Teſta, ſuccedit Cantor de Lyons. Lodoicus Abbas S. Vitoni tabulam argenteam ante majus altare fieri iuſſit.

MCCXXXII. Canonizatur S. Dominicus.

MCCXXXVII. Octauo Idus Martij Lodoïcus Abbas ſenio feſſus Abbatiam reſignauit, qui opus ſumptuoſum Monaſterij inchoauit , & anno ſequenti obiit: cui ſucceſſit Guillelmus Abbas S. Manſueti, olim Monachus S. Vitoni, qui in eodem opere ſumptuoſo in ædificiis domorum & capellæ , in capſis Sanctorum, in campanis optimis & maximis , & in acquiſitione fundorum fideliſſimus inuentus eſt ſicut prædeceſſor ipſius.

*MCCXLV. Obiit Radulfus Epiſcopus,ſucceſſit Guido de Traignel,qui eodem anno obiit: cui Guido de Melloto ſuccedit. Seditio magna inter ipſum & ciues. Pace facta eodem anno tranſiuit ad Epiſcopatum Altiſſiodorenſem , cui ſuccedit Ioannes Darc.

MCCLIII. Obiit Ioannes Darc electus Virdunenſis Diaconus, cui ex prouiſione Domni Papæ Iacobus Archidiaconus Landunenſis ſuccedit natione Gallicus ex ciuitate Trecenſi.

MCCLVI. Iacobus Virdunenſis Epiſcopus ex Papæ præcepto tranſlatus eſt ad Patriarchatum Hieroſolymitanum : cui ſuccedit Robertus Mediolanenſis.

MCCLIX. Obiit Guillelmus Abbas. Vacauit Sedes per octo annos durante lite inter duos electos, videlicet Dominicum Præpoſitum , & Rodulfum Priorem Montis S. Martini, qui tamen obtinuit , & propter hoc ſumptuoſum opus Monaſterij ceſſauit, multis damnis per eum huic Eccleſiæ factis. Obiit Innocentius Papa , ſuccedit Iacobus præfatus Virdunenſis Epiſcopus Patriarcha,dictus Vrbanus Papa IV. qui ſolemnitatem ſanctiſſimi ſacramenti inſtituit.

MCCLXV. Carolus frater Ludouici Regis Comes Andegauenſis deuicit Manfredum.

MCCLXXI. Obiit Robertus II. Epiſcopus Virdunenſis : ſucceſſit Vlricus de

Sauinaco Præpoſitus B. Mariæ Magdalenæ.

MCCLXXIII. Obiit Vlricus Epiſcopus, poſt hunc vacauit Sedes per tres annos.

MCCLXXVI. Succedit in Epiſcopatu Gerardus de Grandiſono.

MCCLXXVIII. Obiit Gerardus Epiſcopus, ſuccedit frater eius Henricus de Grandiſono.

MCCLXXXI. Obiit Radulfus Abbas, ſuccedit Ioannes.

MCCLXXXVI. Obiit Ioannes Abbas, ſuccedit Thiericus. obiit Henricus Epiſcopus, vacauit Sedes per annos quatuor.

MCCXC. Succedit in Epiſcopatu Iacobus de Reuigneio Clericorum generaliſſimus.

MCCXCII. Obiit Thiericus Abbas, Gobertus Eleemoſynarius eligitur, ſed Philippus Dorne Prior de Corbigney.....

MCCXCVI. Obiit Iacobus Epiſcopus in Curia Romana: qui ibi erat ob diſcordiam contra ciues Virdunenſes, ſuccedit Ioannes de Richericurte, dictus de Aſpremonte.

MCCXCVII. Obiit Philippus Abbas: ſuccedit Hugo de Remis.

MCCCII. Obiit Ioannes Epiſcopus, ſuccedit Thomas de Albomonte.

MCCCIII. Obiit Hugo Abbas, ſuccedit Haudotus de Faillero, Prior de Manau.

MCCCV. Obiit Raudotus Abbas, ſuccedit Nicolaus Maiſel Celleratius. Obiit Thomas Epiſcopus Virdunenſis, ſuccedit Nicolaus de Nouauilla ſuper Horne.

MCCCXII. Nicolaus Epiſcopus reſignauit onera ſui Epiſcopatus, ſuccedit Henricus de Aſperomonte.

MCCCXIII. Henricus de Lucembourg Imperator in Euchariſtia intoxicatur in Italia.

MCCCXVI. Obiit Nicolaus Abbas S. Vitoni, cui ſucceſſit Simon de Nanceio Prior Flauiniaci. Magna fames & maxima mortalitas hominum.

MCCCXVIII. Obiit Simon de Nanceio, ſuccedit Theobaldus de Bazella, Prior de Manau.

MCCCXIX. Obiit Theobaldus Abbas, ſuccedit conſanguineus eius Etardus de Bazella, qui debita & impignorationes ſuorum prædeceſſorum deleuit.

MCCCXXV. Archiepiſcopus Treuerenſis, Rex Bohemiæ, Comes Bartenſis, & Dux Lotharingiæ cum eorum Comitatu ter in anno fuerunt ante Metenſem: propter hoc patria tota fuit combuſta.

MCCCXXXII. Tonitrua magna, & coruſcationes in craſtino Natiuitatis: Maiores ciuitatis Virdunenſis à communitate fuerunt relegati.

MCCCXXXVI. Combuſſerunt ciues villam de Barri, in reditu ad pontem de VVay multi fuerunt occiſi, & vulnerati à Barenſibus.

MCCCXL. Erardus Abbas S. Vitoni fieri iuſſit duas majores medias campanas.

MCCCXLIX. Obiit Erardus Abbas. Baſtianus Prior Calidi-fontis eligitur, ſed Raymundus Dachie gratia Sedis Apoſtolicæ obtinuit.

MCCCLIII. Raymundo Abbati ſuccedit Gerardus de VVondenayo, gratià Sedis Apoſtolicæ, qui bona Monaſterij malè diſſipauit, cenſus & reditus obligauit, literas & chartas ſummè neceſſarias impignorauit, homines & ſubditos depauperauit, & ſuis bonis ſpoliauit. Monaſterium redegit ad paupertatem, quod vix in anno duodecies matutinæ cantabantur in eo. quæ omnia parcat ſibi Deus.

MCCCLXXXI. Obiit Gerardus de Vodenay, Abbas, ſuccedit Ioannes de Prie, Prior Flauiniaci.

MCCCLXXXII. Obiit Ioannes Abbas, ſuccedit Henricus de Paſſauant, dictus de Champenoy, Prior Calidi-fontis, qui debita & impignorationes ſui prædeceſſoris valdè minorauit.

MCCCXCI. Obiit Henricus Abbas bonus gubernator. Reginaldus Pallardelli gratia Sedis Apoſtolicæ ſuccedit Monachus S. Michaëlis.

MCCCCIII. Leobaldus de Caſauria Epiſcopus Virdunenſis obiit. Ioannes de Sarraponte, filius Ioannis Domini de Commerceyo militis ſuccedit, qui multa paſſus fuit incommoda per prædones, & aliquos vaſſallorum Epiſcopatus iniquè & ſine cauſa.

MCCCCXIII. Ignis in vigilia S. Vitoni in campanili neglectus liquefecit campanas duas groſſiores, quas Abbas Reginaldus anno ſequenti reſtaurauit.

MCCCCXVII. Reginaldus Abbas obiit: ſuccedit nepos eius Stephanus Burgenſis Eleemoſynarius S. Vitoni, rector fideliſſimus.

MCCCCXX. Tranſlatus eſt Ioannes Epiſcopus ad Catalaunenſem per permutationem inter ipſum & Ludouicum de Bar Cardinalem, Epiſcopum Portuenſem, Ducem Barrenſem, Marchionem de Ponte, Dominum de Caſſel, & Adminiſtratorem Epiſcopatus Virdunenſis.

MCCCCXXX Obiit Ludouicus Epiſcopus Cardinalis, ſuccedit Ludouicus de Hairacourt, Cantor Virdunenſis.

MCCCCXXXI. Stephanus Abbas S. Vitoni ex illo magnifico opere Eccleſiæ S. Vitoni per Lodoïcum, & Guillelmum Abbates incepto, & ad ruinam deducto meliores capiendo lapides aliud nouum incepit, & vſque ad meridianum portale introitus compleri fecit.

MCCCCXXXVI. Tranſlatum eſt corpus Lodoïci Abbatis ab antiquo opere ad nouum.

MCCCCXXXVII. Dedicata ſunt quatuor altaria priora noui ædificij ſexto kal. Iunij. Ludouico Epiſcopo Virdunenſi obtinente Epiſcopatum Tullenſem, Guillelmus Abbas S Theodorici prope Remos auctoritate Apoſtolica, ſuccedit in Epiſcopatu Virdunenſi.

MCCCCXLIX. Guillelmus Epiſcopus permutando tranſlatus eſt ad Tullenſem, & Ludouicus Epiſcopus Tullenſis rediit ad Virdunenſem, qui benè rexit.

MCCCCLII. Obiit Stephanus Abbas, Ioannes de Arenceyo eligitur Camerarius: ſed XV. menſibus elapſis à Sede Apoſtolica deijcitur ad inſtantiam D. Guillelmi Hugonis Cardinalis, cui adminiſtratio tribuitur. Poſt nouem menſes Antonius de Senecey Prior Flauiniaci dando penſionem quadringentorum ducatorum.

MCCCCLV. Obiit idem Guillelmus Cardinalis & penſio eius.

MCCCCLVI. Obiit Ludouicus Epiſcopus Virdunenſis. Guillelmus de Haracourt conſanguineus eius Præpoſitus Montisfalconis ſuccedit.

* * * * * * * * * * * * * * *

MCCCCLXXV. Obiit Henricus Abbas, ſuccedit Matthæus.

MCCCCLXXXI. Obiit Matthæus Abbas, ſuccedit Geraldus.

MDX. Obiit Varicus Abbas, ſuccedit Nicolaus Gobert, qui nouum opus Eccleſiæ perfecit.

MDXLIII. Obiit Nicolaus Goberti Epiſcopus Panadenſis Abbas.

MDLVI. Obiit Richardus Waſbourus Archidiaconus qui Annales ſcripſit.

MDXCVIII. Reformatio Monaſterij S. Vitoni ab Erico Vademontano Epiſcopo Virdunenſi.

BREVIS ANNORVM SVMMA AB ORBE CONDITO VSQVE AD ANNVM KAROLI MAGNI XXII.

Ex codice MS. V.C. Sebaſtiani Hardy in Præfecturâ Pariſienſi Senatoris Regij, poſt Catalogum Pontificum Romanorum.

AB exordio Mundi vſque ad Diluuium ſunt anni duo millia ducenti quadraginta & duo.

A Diluuio vſque ad Natiuitatem Abrahæ, ſunt anni ſeptingenti quadraginta duo.

Ad Paſſum autem Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM peracti ſunt ab ortu Mundi quinque millia ducenti viginti, & quinque anni.

A Paſſione Domini noſtri IESV CHRISTI vſque ad Sedem beatiſſimi Marcellini Papæ, ſunt anni ducenti ſeptuaginta ſex, menſes nouem.

De Apoſtolato iam fato Chriſti Martyris Marcellini vſque tempus glorioſiſſimi Domni Karoli Regis, vigeſimi ſecundi regni eius, hoc eſt vſque VIII. kalendas Apriles ſunt anni Quadringenti nonaginta & menſes tres.

APPENDIX

APPENDIX AVTISSIODORENSIS CHRONICI

editi ſupra pag. 292. Ex alio MS Codice locupletiori.

MXXXIII. Factum eſt Concilium de pace in hac vrbe.

MLX. Facta ſeditione inter Iterium & Aganonem Crociacum caſtrum concrematũ eſt à Tetbaldo Comite ſuperueniente cum grandi multitudine militũ;

MLXIV. Concrematum eſt Monaſterium S. Germani pridie Kal. Aprilis, & omne caſtrum infrà & extra exigentibus inhabitantium peccatis.

MLXXII. Tota vrbs Autiſſiodori igne ſuccenſa eſt præter tuttim, & capellam S. Albani......

MLXXVI. Obitus Goffridi Epiſcopi, & electio Roberti.

MCXXXVII. Ordinatio domni Hugonis Epiſcopi Pontiniacenſis.

MCXLIII. Glacies pontes aquarum confregerunt.

MCXLVII. Rex Galliæ & Aquitaniæ Dux perrexit Hieroſolymam cum exercitu ſuo.

MCXLIX. Hic annus XXX. eſt ab incenſione magna Virziali.

MCLIII. Pridie Kal. Dec. ordinatio domni Alani Claræuallis.

MCLVII. Pro Caſtro *Cæſaru* dicitur in alio MS. *Cenſurij*.

MCLXVII. 6. Nonas Iulij conſecratio domini Willelmi Præpoſiti Senonenſis huius Eccleſiæ Theſaurarij.

MCLXVIII. Comes Hieruſalem iuit.

MCLXXVI. Fuit diluuium aquarum.

MCLXXIX. Philippus cùm eſſet XIV. annorum, inunctus fuit Remis in Feſto Omnium Sanctorum, coram Ludouico patre ſuo.

MCLXXX. 7. Idus Aprilis Caſtrum Malliaci ſuo igne penitus concrematum. Eadem quoque hebdomada Monaſterium Curbiniacenſe cum omnibus officinis Monachorum, & maxima parte villæ combuſtum fuit.

MCLXXXI. Obiit Tuciaci VV. de Narbona huius Eccleſiæ Epiſcopus piiſſimus, qui hanc Eccleſiam totam de nouo cooperuit, & primus Epiſcoporum ſepultus eſt in Eccleſia B. Mariæ vltra aquam. Obiit 3 Kal. Martij.

MCLXXXIII. Ordinatus fuit domnus Hugo Epiſcopus 4. Idus Martij, & in craſtino conſecratus.

MCLXXXIV. In vigilia Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ ciuitas Senonis ſuo igne penitus concremata eſt cum Eccleſia B. Protomartyris Stephani, & multi viri, & fœminæ combuſtæ.

MCLXXXVIII. Optima pars Autiſſiodori ſuo igne combuſta eſt in vigilia B. Magdalenæ.

MCXC. Philippus Rex Francorum & Richardus Rex Anglorum apud Virziliacum in octauâ S. Ioannis Baptiſtæ cum exercitibus ſuis conuenientes iter Hieroſolymitanum aggreſſi ſunt.

APPENDIX AD CHRONICON LEODIENSE.

Quod omiſſis inutilibus, vulgaribúſque periochis ab anno CCCC. ad MCXXXII. deduximus, edidimuſque ſupra à pag 334 ad 339 Quantum ex lacunis vetuſti codicis eruere potuimus.

MCXXXIII. Dominus Bruno ſuccedit Federico Colonienſi Epiſcopo.

MCXXXIII. Quarto Nonas Auguſti meridie ita Sol obſcuratus eſt, vt ſtellæ in cœlo apparerent. Rex Lotharius veterem Romam ingreſſus Innocentium Papam in Patriarchio Lateranenſi....& ille eum in Imperatorem benedicit.

MCXXXV. Albeto Metenſium Primicerius Leodienſium Epiſcopus eligitur.

MCXXXVI. Æſtatis tempore circa ſolſtitium inſolitus calor.

MCXXXVII. Æſtus maris inſolito motu terminos ſuos tranſit.

MCXXXIX. Lotharius Imp. & Fredericus Dux Bauariæ pacificantur. Obiit

CCc

Imp. Lotharius, cui ſucceſſit Conradus.

MCXL. Ericus Comes Namucenſis exercitu clam collecto vrbem Foſſenſem aſſultu,& incendio, cùm nihil de eo timeretur, ſummo mane aggreſſus cum templo B. Martyris Foillani, & omnibus officinis combuſſit, & direptis omnibus quæ inibi fuerant, munitionem cum Epiſcopali domo deſtruxit.

MCXLV. Obiit ſecundus Albero Leodienſium Ep. cui ſucceſſit Henricus II.

MCXLVI. Fames grauiſſima multos afflixit.

MCXLVIII. Henricus Ep. caſtrum Foſſenſe reædificat, deinde muro circumdat.

MCLI. Obiit Heremundus. cui ſucceſſit Fridericus nepos eius.

MCLII. Bellum apud And...... inter Henricum Leodienſem Ep. & Henricum Namucenſem Comitem, vbi Epiſcopus victoriam obtinuit.

MCLV. Rex Fredericus Romam cum exercitu veniens, in Imperatorem benedicitur, & ſibi rebelles expugnat.

MCLXII. Fredericus Imp. Mediolanum obſidione, & fame ad deditionem compulit, & ciuitatem deſtruxit.

MCLXVI. Eccleſia S. Gertrudis in menſis primo comburitur cum omnibus officinis, & quadam parte villæ. Henricus Ep. obiit, & Alexandro ſuccedit.

MCLXVIII. Alexander Ep. obiit: Naulfus ſuccedit.

MCLXXIV. Eccleſia Foſſenſium media nocte comburitur cum clauſtro, & omnibus officinis cum Baſilica Epiſcopi & parte villæ prædictæ.

MCLXXV. Reuelatum eſt corpus B. Foillani Martyris in medio caſtro, ſub Lamberto Ep. Leodienſi.

MCLXXVII. Eccleſia S. Gertrudis comburitur cum omnibus officinis, & quadam parte prædictæ villæ.

MCLXXXVIII. Comes Hanoniæ Balduinus Henricum Namucenſem Namuci obſidet, villam incendio vaſtat, caſtrum ſibi ſubijcit.

MCXCI. Eclipſis Solis in vigilia S. Ioannis Baptiſtæ. Accaron capta eſt.

MCC. Obiit Albertus Epiſcopus Leod. ſuccedit Hugo.

MCCVIII. Philippus Imp. occiditur à Comite de Vitelisbach.

MCCXII. Henricus Dux Brabantiæ cum exercitu ſuo, cùm nullus de eo metus haberetur in die Aſcenſionis Domini, & Inuentione ſanctæ Crucis, quæ ſimul euenit, ciuitatem Leodium intrauit, & tribus diebus illam deuaſtauit: omnem ordinem, omnem ſexum mirabili tyrannide violauit, corpus Epiſcopi per manus ſuorum in Eccleſiis dehoneſtauit.

MCCXIII. Iterum idem terram cum exercitu ſuo in craſtino S. Dionyſij........ in Heſbain venit illam incendio & rapina deuaſtauit: quem dominus Hugo de Petraponte collectis militibus.....

MCCXXIII. Fuit hiems contigua à feſto Dionyſij vſque ad feſtum Marci Euangeliſtæ.

MCCXXV. Archiepiſcopus Colonienſis Engelbertus interfectus eſt à Frederico cognato ſuo Comite de Althenai, qui poſtmodum abjudicatus eſt cum heredibus ſuis vſque ad quartam generationem, & fugatus.... Idem verò Comes iuxta Leodium captus, & poſtmodum Coloniam ductus ſupplicio rotæ interiit.

MCCXXIX. Obiit Hugo Epiſcopus cui ſucceſſit Ioannes nepos eius.

MCCXXXII. Repoſitum eſt venerabile corpus B. Foillani Ep. & Martyris in feretro à Ioanne Leodienſi Epiſcopo. Eodem anno Fernandus Comes Flandriæ concuſſit Floreſſiam.

MCCXXXVIII. Obiit Ioannes Leodienſis E. & cùm electione celebratâ eſſet diſcordia, altera pars capituli Leodicenſis elegit..... Eodem anno Sol paſſus eſt Eclipſim à meridie vſque ad horam Veſperæ......

MCCXLVIII. VVillelmus Rex villam Aquenſem capit.

MCCLVIII. Cepit Henricus Comes Luceburgenſis caſtrum Namucenſe in die S. Vincentij Martyris. Eodem anno Margareta Comitiſſa Flandrenſis obſedit villam Namucenſem circa Auguſtum.

MCCLIX. Conſecratus dominus Henricus in Epiſcopum.

MCCLXXI. Archidiaconus Leodienſis electus eſt in Papam.

MCCLXXIII. Richardus Imp. Romanorum obiit, cui ſucceſſit Rudolfus.

MCCXCIV. Ioannes Dux Brabantiæ percuſſus à quodam milite interiit.

MCCCI. Diſcordia exorta inter Hugonem de Chalons, Epiſcopum Leodienſem, contra Eccleſias, & ciues Leodienſes. Idem Dominus Epiſc. Romam citatus & perſonaliter comparens quoquomodo ſuo ceſſit Epiſcopatui, ſucceſſit dominus Adolfus.

MCCCVIII. Vaſtatum fuit caſtellum de...... per dominum Th. de Barro, tunc Leodienſem Epiſcopum.

MCCCX. Fuit conflictus inter homines terræ de Florinis & de.....& obtinuit victoriam dominus de Oxabares, & multos cepit.

MCCCXXII. Fuit guerra inter Adulfum Ep. Leodienſem ex vna parte contra Comites Luceburgenſem, Reſtelenſem, & Namucenſem.

MCCCXXXIII. Die Praxedis Iulij 21. die calidiſſima in crepuſculo noctis irruit ſubito tanta tempeſtas quæ vaſtauit infinita loca, & ſpecialiter totum locum Foſſenſis parochiæ, omnia bona in campis, & arbotibus: quæ incepit in Hannonia, & durauit vſque Coloniam. Eodem anno die 4. menſis Auguſti in ſecundo pulſu Nonæ exiuit ignis de quadam domo, qui combuſſit domum cuſtodiæ, & grangiam, & mediam partem Clauſtri Foſſenſis, & totam domum Epiſcopalem, inſuper & totam villam, ita quod non remanſit nec vna domus.

MCCCLVI. Menſis Auguſti die 19. Bolanus Flonicenſis combuſſit Ayſal & Rodium deſuper Vitnal. Eodem verò die Ioannes Comes Namucenſis cepit Gemblacum & eodem anno menſis Octobris die vltima videlicet nocte Omnium Sanctorum combuſtum fuit Flonicum per Dominos de Botgueual, & de Ayſal. Fueruntque menſes Septembris, & Octobris ita pluuioſi, vt vix ſemina poſtea ſeminari ſine pluuia ſolo die. Et eodem anno Weſtilinus Dux Brabantiæ combuſſit in nocte B. Virginis Catharinæ Thenas in, Heſbania, VVaſegium, Bronchon....., complens alias bonas villas Comitatus Namucenſis.

MCCCLVIII. Nona die menſis Februatij, fuerunt audita tonitrua magna, viſæque coruſcationes magnæ poſt licentiam ſcholarium de ſero, cecidítque tempeſtas ſuper........illa nocte: fuitque hiems magna à feſto B. Thomæ vſque ad Purificationem.

MCCCLX. Fuit menſis Auguſtus adeo ſiccus, vt vix fuerit dimiſſum ſolum inſtans in collectione bladi: cepítque mortalitas hoc anno poſt Auguſtum per majorem partem terrarum, vt dicebatur, in menſibus Septembris Octobris & Nouembris. Et hoc anno cepit gelu ad feſtum S. Nicolai, & terminauit ad..... fuitque magna copia fructuum.

MCCCLXIII. Menſis Septembris die 23. in prima hora noctis fuit Eclipſis Lunæ, durauitque per vnam horam, & hoc anno fuit mortalitas Pariſiis & Leodij, itaut Canonici Leodienſes exierunt ciuitatem propter mortalitatem.

Et anno ſequenti Sol paſſus Eclipſim menſis Martij die 4. inter meridiem & Nonam: & hoc anno cepit hiems ad feſtum S. Nicolai, durauit per quindecim ſeptimanas niue exiſtente ſemper ſuper terram, fuitque magna cariſtia animalium.

MCCCLXV. Fuit captum à domino Ioanne de Erche, Epiſcopo Leodienſi cum ſuo exercitu caſtrum Ruminienſe, feria ſexta ante Dionyſij: ſeditque exercitus idem antedictum caſtrum per nouem ſeptimanas. Hoc anno fuere aquæ ita magnæ in ſecundo feſti Pentecoſtes tertia die menſis Iunij, vt trabes, vaccæ, porci & animalia venirent per villam Foſſenſem flotando de porta ad poſticum vſque ad portam vallis.

MCCCLXVI. Incepit pluuia in primo feſto Paſchæ, & quaſi continuè durauit vſque ad menſem Auguſtum, & fuit bladum ſatis carum vſque poſt Auguſtum.

MCCCLXXI. Menſis Auguſti die 22. captus eſt VVeſtelinus Dux Brabantiæ, dominus Robertus, & dominus Ludouicus Namucenſes fratres, pluresque alij nobiles & ignobiles ante Iuley: ſtetitque ipſe Dux ferè per annum in Vindex caſtro captiuatus. Et hoc anno fuit parum vini adeò vt maxima pars hominum biberent multas ceruiſias.

At ſeq. anno fuere multa vina, & multi fructus, in tantum vt ad Natiuitatem Domini adhuc eſſent in ſiluis, & in hortis.

MCCCLXXIII. Fuit abundantia bonorum præcipuè fructuum, adeò vt in Qua-

dragesima modius pomorum haberetur pro tribus antiquis groſſis : ſextarium cœparum pro vno groſſo antiquo, ſextarium verò piſorum pro vno antiquo groſſo cum dimidio: fuit etiam abundantia glandium, vt multi porci in nemoribus Canonicorum iſtius Eccleſiæ & alibi efficerentur pingues.

MCCCLXXIV. Fuerunt ſaltatores ſeu balatores quædam gentes Leodienſes, & de diuerſis partibus, quæ obſeſſæ erant dæmonibus : ſaltabant & chorizabant per plateas, vicos, ac etiam Eccleſias eorum opera facientes, quaſi ſimili modo in ciuitate Leodienſi, & circa hanc prouinciam, quaſi à Paſcha vſque ad Natiuitatem Domini. Denique mediantibus quibuſdam factis conjurationibus à Clero Leodienſi inuentis Clerus Leodienſis eos mediante adiutorio diuino, ſine quo nihil fit, ſanabat & eijciebat dæmonia ex dictis obſeſſis corporibus. Hoc anno combuſta fuit Andana die Donati, fortuito per quoſdam pueros, qui coquebant piſa in quadam grangia. Hoc eodem anno verſus Epiphaniam fuit maxima copia aquarum, ita vt nauiculæ ducerentur de Eccleſia in Eccleſiam; periclitabantúrque multæ villæ in inferioribus partibus Alemaniæ.

MCCCLXXV. Fuerunt aquæ adeo magnæ in fine Martij quòd multi dicebant quòd in tantum magnæ erant, ſicuti anno præcedenti.

MCCCLXXXIV. Menſis Auguſti die 17. patiebatur Sol Eclipſim ab hora tertiadecima ipſius diei vſque ad horam 14. vel vltra : & hoc pro tertia parte quantitatum ipſius, prout à reſpicientibus ſpectari poterat, reſiduo remanente in ſuo lumine.

HISTORIA AVTISSIODORENSIVM EPISCOPORVM,

CVM HERICI MONACHI LIBRIS DVOBVS
DE MIRACVLIS S. GERMANI EP.

Et nonnullis alijs eodem ſpectantibus.

SYLLABVS
OPVSCVLORVM
QVÆ SEQVVNTVR.

GESTA Pontificum Autiſiodorenſium ab Anonymis ſcriptoribus diuerſis ſcripta temporibus.

PRIMA PARS, Incipit à S. Peregrino Ep. & Martyre.

SECVNDA PARS, ſeu Tomus II. incipit à Guillelmo de Greſſibus 65. Epiſcopo, & deſinit in vitam Jacobi Amioti à Federico Morello Latinè redditam.

PASSIO *S. Peregrini* Epiſcopi & Martyris.
VITA *S. Aunarharij*, ſiue Aunarij Epiſcopi,
DE Miraculis *S. Germani* Epiſcopi, libri duo, Auctore *Herico* Monacho Autiſſiodorenſi.
DE Eccleſia *S. Germani* Autiſ. ex vetuſto codice Petauiano.

DE Geſtis Abbatum *S. Germani* Autiſſiodorenſis, Auctore Fratre *Guidone* Abbate, eiuſdem loci, anno Domini MCCXC. ab anno DCCCCLXXXIX. incepta.
APPENDIX eiuſdem Tractatus de eodem *Guidone* Abbate, & *Gauchero* ibidem Abbate.

HISTORIA *Selebienſis* Monaſterij in Anglia, quod fundatum eſt in honore S. *Germani* Autiſ. Ep. anno Domini MLXIX.

HISTORIA
EPISCOPORVM
AVTISSIODORENSIVM,
IN LVGDVNENSI QVINTA,
Duas in partes ſeu Tomos diſtributa.

PARS PRIMA.

Incipiunt Geſta Pontificum Autiſſiodorenſium.

CAPVT I. DE S. PEREGRINO.

SANCTVM PEREGRINVM, Beati Sixti Apoſtolicæ Sedis Primatis interceſſionibus ſimul & meritis conſecratum Epiſcopum textus paſſionis ipſius ſcire cupientibus fideliter edocet. Siquidem Chriſtianitatis religio, quæ, à tempore beati Clementis Papæ, per fideliſſimos verbi Dei miniſtros Sauinianum videlicet Senonenſem Pontificem, Dionyſium Pariſiacenſem, Vrſicinum Bituricenſem, Martialem Lemouicenſem, Saturninum Toloſanum, Memmium Catalaunenſem, cæteróſve per Gallicanas prouincias ſe ſe diffuderat, paulatim à ſtatus ſui rectitudine obſoleſcere cœperat. Quippe quæ tam validis, támque tyrannicis oppugnabatur incurſibus.

Imperator namque Aurelianus erga dominum cœli profanus, cupiens placere dijs ſuis, in tantam rabiem perſecutionis circa Chriſtianos exarſerat, vt poſt multorum Martyrum agones, quos apud vrbem Romam crudeli morte damnauerat, etiam in Gallias ad delendum Chriſtianitatis nomen per ſemetipſum emerſerat. Veniens itaque apud ciuitatem Senonicenſem, quoſcunque ibi reperit Chriſtianos ſimul & Beatam Columbam Virginem gladio animaduerti præcepit. Deinde vero ferocitatis ſuæ comites ad inueſtigandos Chriſtianos per omnem Galliam miſit. Egreſſi igitur funeſti ſatellites à conſpectu Imperatoris circumibant vrbes, & caſtella; nec non & latebroſa Syluarum: Et vt ſuorum criminum ſinguli potirentur effectu, Pagos quoſque ſibi indagandi ſollicitudine diuiſerunt. Tum demum Pagus Autiſſiodorenſis in ſortem impiſſimi Alexandri ſacri lateris Protectoris obuenit. Vocabatur eo tempore ſacri lateris Protector cuius erat Officium cuſtodiendi imperatorem, ne ab aliquo quoquomodo vulnerari ſubitò potuiſſet. Plurimi etenim Chriſtianorum ex diuerſis ciuitatibus præceptum Domini ſequentes, vbi ait: cum vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, relinquentes proprias ſedes, ad Pagum Autiſſiodorenſem ſe contulerunt, eo quod eſſet eo tempore ex maxima ſui parte nimia Syluarum opacus denſitate: Quod minimè latuit Alexandrum Sacri lateris Protectorem. Cúmque perueniſſet ad lo-

eum, qui Totiacus vocatur, reperit Priſcum virum Chriſtianiſſimum maxima nobilitate pollentem, multiſque & ibidem cohortibus præminentem: qui cum pluribus à Veſuntionenſi ciuitate aduenerat, quorum agmina Alexander ferociſſimo curſu irrumpens, ait; Quæ vos ſeditio in hoc loco glomeratim conſiſtere compulit: aut cuius religionis eſtis vos? Cui ſanctiſſima multitudo reſpondit, nos non ſeditio, ſed reuerendiſſima ad hunc deuexit religio locum; Chriſto enim noſtrarum libamina precum deferimus congregari, qui diſperſionem noſtram ſanguinis ſui effuſione redimendo coniunxit. Videns itaque inſuperabiles in fide Chriſti Athletas omnes gladio perimi iuſſit: ſimili modo & Sanctos Dei Martyres Benignum Preſbyterum, Andochium, atque Tyrſum, quos ab Epheſina vrbe ſanctus Polycarpus Diſcipulus Beatiſſimi Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ in Gallias direxerat, plurimis affectos ſupplicijs, iſdem crudeliſſimus Imperator ad cœleſte regnum tranſmiſit. Nec minus ſanctum Symphorianum cum alijs quampluribus, quos ipſi jam Chriſto luctati fuerant, tormentis varijs affectos necari præcepit. Hac igitur perſecutione vbique debacchante, pauciſſimi viri reperiebantur, qui ſe Chriſtianos eſſe faterentur.

Euoluto autem aliquanto temporis ſpatio, à fideliſſimis Chriſtianis latenter auribus Sixti Papæ vrbis Romæ nunciatur, qui poſcebant vt talem virum dirigeret, qui iam fidei extinctam lucernam ſuis deberet illuminare eloquiis, & barbarorum infidelitatem opitulante diuino auxilio compeſceret. Tunc memoratus Papa prædictum virum Dei Peregrinum Preſbyterum & Corcodumum Archidiaconum Leuitico gradui mancipauit, Iouianum Subdiaconum eſſe conſtituit; Iouinianum vero Lectorem, cùm eſſet vir per omnia eloquens, atque in diuinis ſcripturis apprime eruditus eis comitem collocauit: hos etenim ſummi Dei cultores Beatiſſimus Sixtus Papa vrbis Romæ, cùm omni fiducia ad Portum Marinum vſque perducens, Verbum Domini ſpecialius præcipiebat vſque ad mortem fiducialiter prædicare. Athletæ quippe Domini nauali tramite Maſſiliam petentes Lugdunum vſque perducti, celare ſe nullatenus potuerunt, exinde ad Autricum peruenientes, cœperunt publica voce Chriſti gloriam prædicare, vbi nobilium ingens tunc reſederat turba, Deorum vanas obſeruare culturas: ſchiſcitantibus verò paganis, Chriſtianos ſe eſſe teſtati ſunt, & ob prædicationem verbi Domini ſeſe inibi aduenisse. Tunc denique beatiſſimis Sacerdotibus prædicatione fulgentibus pro virtutum aſſiduitate quas per ipſos diuina exercebat potentia quotquot ipſius loci primorum fuit ad Chriſtianitatis gratiam conuolarunt; moxque Sanctus Peregrinus Epiſcopus nouum populis dogma impertiens, paruo ambitu Eccleſiam conſtruxit, Chriſtique nomini conſecrauit. Cúmque reſtincta inibi fuiſſet omnis deorum cultura, fratres, quos ſecum ab vrbe deduxerat, ibidem relinquens, vt cœptum prædicationis expleret officium, Interranum expetie, vbi tunc præcipua Paganorum multitudo ad feſta Iouis celebranda ſummopere concurrebat. Quid ibi egerit, vel quos agones pro Chriſti nomine contulerit, hiſtoria paſſionis eius euidentiſſimè declarat. Iſtic Beatiſſimus Pontifex nimia jam perſecutione ſæuiente, ab vrbe quidem eſt egreſſus, ſed Martyrium ſuum capitis abſciſſione compleuit, ſub die decimo ſexto Kalendarum Iuniarum, Imperatoribus Galieno & Valeriano, Æmiliano & Baſſo Conſulibus.

CAPVT II. De S. Marcelliano.

Marcellianus, Natione Gallus, ſedit annus XXXIX. Hic in Prædicationis Officio fideliter elaborans, felici curſu migrauit ad Chriſtum III. Idus Maij, & ſepultus eſt in monte Autrico. Fuit autem temporibus Alexandri & Maximi Imperatorum, Aureliano & Marcellino Conſulibus, Præſulantibus apud vrbem Romam Felice atque Eutychiano.

CAPVT III. De S. Valerio.

Valerius ſedit annos XVII. Fuit autem temporibus Diocletiani & Maximiani, Caro & Carino Conſulibus, Adminiſtrantibus apud vrbem Romam dignitatem Sacerdotij Gaio, Marcellino, & Marcello Præſulibus, qui etiam ab iiſdem Tyran-

nis

nis Martyrizati ſunt, qui beatus vit fideliter curſum vitæ peragens II. non. Maij migrauit ad Chriſtum, & ſepultus eſt apud montem Autricum ſecus prædeceſſorem ſuum Sanctum Marcellianum Epiſcopum....

CAPVT IV. De S. Valeriano.

Valerianvs, Natione Gallus, ſedit annos xxx. Fuit autem vir maximæ ſanctitatis, atque ſimplicitatis; ſed hic beatus cùm à progenitoribus ſancti Amatoris ad eius nuptias veniret rogatus, videlicet vt vtroſque ſua benedictione ſanctificaret: Dei nutu arrepto ſacramentorum libello pro benedictione coniugali leuiticam eis impoſuit: hic etiam cum cæteris Coepiſcopis, Seuerino ſcilicet Senonenſi, Solemni Carnotenſi, Camilliano Tricaſſinenſi, Pronicio Meldenſi, Marcello Pariſiacenſi, ſanctum Euuertium Aurelianorum ordinauit Epiſcopum, fuit enim temporibus Melciadis Papæ, ſanctique Siluestri ſub Conſtantino Imperatore, Conſtantio & Voluſiano Conſulibus, qui plenus ſanctitatis obiit pridie Non. Maij, & ſepultus eſt iuxta prædeceſſores ſuos in Monte Autrico.

CAPVT V. De Eladio.

Eladivs ſedit annos xxiii. fuit autem temporibus Conſtantij & Conſtantini filiorum Conſtantini ſub Marco, Iulio, atque Liberio Romanis Pontificibus. Hic Beatiſſimus Pontifex dum verbo & exemplo multos ad Chriſtum conuerteret, ad eum ſanctus Amator ſimul & Martha jam eius ſponſa ſpiritalis effecta concurrunt, ac procedentes coram eo votorum ſuorum deſideria pandunt, ſicque ille ſe Clericum fieri depoſcebat. Tunc Antiſtes conſiderans atque contemplans Dei eos amore frui, & propter eiuſce dilectionem velle ſecularem habitum commutare, vtriſque impiger paruit, illum crinibus exonerans, illam Caſtimonialium cœtui deuotiſſimè iungens ac ſocians, & hic plenus ſanctitate, & virtutibus, vt in geſtis eiuſdem ſancti Amatoris legimus, corpus terræ, animum cœlo tranſmiſit, ſub die VIII. Iduum Maiarum, & ſepultus eſt ſecus prædeceſſores ſuos in Monte Autrico.

CAPVT VI. De S. Amatore.

Amator, natione Autiſſiodorenſis, ex patre Proclidio, matre Iſiciala, ſedit annos xxx. menſem vnum, dies v. fuit enim temporibus Conſtantij & Iuliani Apoſtatæ atque Iouiniani Imperatorum, ſub Pontificibus Romanis, Felice, Damaſo, Syricio, atque Anaſtaſio. Hic Beatiſſimus Pontifex in iuuenili ætate poſitus cùm eſſet genere nobiliſſimus, coactus eſt à parentibus deſponſare puellam ſimiliter nobilitate pollentem nomine Martham, ſed cum jam tempus copulationis vrgeret, & (vt ſuperius mentionem fecimus) Beatus Valerianus ad eorum nuptias inuitatus diuino inſtinctu pro benedictione, leuitico eos mancipaſſet officio, talibus adgreditur adſociatam ſibi virginem verbis: dic quæſo immortali ſponſo dedita virgo, putaſne intellexiſſe benedictionem in nobis effuſam Epiſcopi: cui virgo, intellexi dilectiſſime iuuenis, & nimio ſum proſtrata terrore formidinis, cui rurſus adoleſcens, ne quæſo paucas, nec hoc imperitiæ deputes, ſed potius Dei potentiæ adſcribe. Illis ergo alternatim ſe præceptis Dominicis fouentibus aſpicit beatus Amator Angelum Dei duas coronas habentem in manibus, qui dixit eis; ſuſcipite iuuenes munus vobis Domini pietate conceſſum, & veſtrum in omnibus incontaminatæ mentis cuſtodite propoſitum. Has voces ex ore Angeli prolatas peruigiles iuuenes audientes, votorum effecti compotes in ſua virginitate permanſerunt. Nihilominus & puellæ, quæ præſentes in obſequio dominorum aderant, talia cernentes & ipſæ virginitatis titulum profeſſæ ſunt, qui poſtmodum ab Eladio Epiſcopo tonſus, ac poſt eius exceſſum ab omni populo Pontifex electus, talem ac tantum ſe in diuinis præbuit rebus, vt & cœcorum oculos illuminaret, paralyticos curaret, dæmones de obſeſſis corporibus pelleret, & mortuos ſuſcitaret, vt liber de vita illius editus manifeſtè declarat.

Hic etiam Sanctiſſimus Præſul prædicationibus inſiſtens, multos ab idolorum cultura, ad fidei veritatem conuertit, vt quia adhuc nouitas erat Chriſtianorum ab Idolis ad Dominum conuertentium, parua adhuc ibidem erat Baſilica, ad Por-

ram, quæ Balneatis nunc templi à priſcis Authoribus nuncupatur. Quæ per prædicationem Beatiſſimi Amatoris ita cœpit pullulare, & Chriſtianos palmites propagare, vt præ multitudine, eos intra anguſtias breuitatis nullo modo caperet Eccleſia. Igitur nobiliſſimus quidam tunc temporis Ruptilius ciuis Autiſſiodorenſis habebat infra clauſtrum ipſius ciuitatis amplum atque excelſum domicilium paterno ſibi reſtamento demiſſum. Quod cernens Beatus Amator Eccleſiæ Dei conueniens fore, ſic Ruptilium allocutus eſt; nouimus te Deo authore ſacri lauacri laticibus regeneratum, & debes ei, qui te de erroribus Idolorum eripuit, & ſuæ veritati adſciuit, in omnibus obedire. Noſti, Clariſſime Vir, quod domus Dei parua ſit, & non ſufficiat populo Chriſtiano, & quoniam iniuſtum eſſe arbitror te famulum melius quàm Dominum habitaculum poſſidere, conſenti nobis, vt hæc tua domus Chriſto Domino in Eccleſiam conſecretur. Ille verò Ammonitionem ſancti viri aſperè ſuſcipiens, primum quidem affirmauit ſe ei nullatenus conſentire, ſed poſtea validiſſima correptus infirmitate, ſancto viro quod deſiderabat tradidit. Tunc famulus Domini compos effectus voti ſui, eandem domum Chriſto Domino ſub die v. nonarum Octobrium conſecrauit, ac populis colendam tradidit, hæc eſt baſilica in honorem Protomartyris Stephani Chriſtianis populis frequentata.

Siquidem in hac eadem baſilica Germanum virum nobiliſſimum omni ſtrenuitate pollentem, qui eo tempore culmen Ducatus apud Gallias à Romanis Principibus obtinuerat, Angelo docente vbi arripuit, cæſariémque capitis totondit, ac demum Domino ſibi reuelante ſucceſſorem elegit: hic denique febre correptus ſub die Calendarum maiorum Pontificalem thronum aſcendens inter manus obſequentium Clericorum, nec non & cateruas flentium populorum, hora diei tertia emiſit ſpiritum: Continuò itaque Chorus Sanctorum (quod eſt dictu mirabile) aduenit, ſpiritúmque eius cum Hymnis & Laudibus in ſpecie columbæ deuexit ad cælum, qui ſepultus eſt comitantibus miraculis per manus Beatiſſimi Germani jam tunc Preſbyteri iuxta prædeceſſores ſuos in monte Autrico, & ceſſauit Epiſcopatus dies xxx.

CAPVT VII. De S. Germano.

Germanvs, natione Autiſſiodorenſis, ex patre Ruſtico, matre Germanilla, ſedit annos xxx. dies xxv. Militauit autem ſub Valentiniano maiore, atque Gratiano, dignitate verò Sacerdotij functus eſt ſub Theodoſio, Arcadio, & Honorio, vſque ad Valentinianum Iuniorem Conſtantij & Placidiæ filium, Præſulantibus apud vrbem Romam Innocentio & Zozimo, Bonifacio, atque Cæleſtino. Nam vt in geſtis Pontificalibus legimus, cum Bonifacio ſub contentione Eulalius ſimul ordinatus eſt eodem die apud vrbem Romam Apoſtolicæ ſedis Epiſcopus: quod audiens Placidia Auguſta cum filio ſuo Valentiniano Auguſto, dum ſederent Rauennæ, retulit Honorio Auguſto Mediolano ſedenti, eodem tempore ambo Auguſti miſſa authoritate hoc præceperunt, vt ambo ab vrbe exirent donec examinarentur: hæc ideo præmiſimus, vt quo tempore beatus Germanus floruit certiùs demonſtraremus; fuit enim nobiliſſimus genere & ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudijs liberalibus inſtitutus, atque vt in eum perfectio litterarum plena conflueret, poſt auditoria Gallicana intra vrbem Romam iuris ſcientiam plenitudini perfectionis adiecit, tantúmque apud Romanos dignitatis, poteſtatis & gloriæ adeptus eſt munus, vt etiam togam mereretur. In quo actu dum multiplici laudis luce reſplenderet, ſublimem genere, diuitijs, moribus, Euſtachiam nomine, ſortitur vxorem, ſicque eum Reſp. tranſmiſit ad Gallias, vt illic culmen ducatus, totiuſque poteſtatis obtineret dignitatem: cumque huiuſmodi fungeretur officio, Sanctus Amator, qui tunc temporis Autiſſiodorenſem regebat Eccleſiam, Eduam profectus eſt, diuinâ pulſatus reuelatione, vbi Iulius Præfectus ac Reip. Rector præſidebat. Quem adgreſſus Sanctus Amator ſic alloquitur, finem meum Domine, mihi imminere cognoui, & quia non eſt alter, qui regimen ſanctæ Eccleſiæ ſuſcipiat, niſi illuſtriſſimus Germanus (ſicut mihi Dominus Deus meus reuelare dignatus eſt) poſco celſitudinem tuam, vt licentiam tribuas mihi roganti eundem Germanum tonſorari, cui præfectus: licet neceſſarius ſit atque vtiliſſimus Reipub. noſtræ, tamen quia Deus ſibi illum elegit (ſicut tua beati-

tudo teſtatur) contra Dei præceptum venite non poſſum. Hac itaque accepta licentia, vir Beatiſſimus regreſſus eſt ad propria. Accidit autem quadam die, vt Germanus ſtipatus congerie ſuorum Eccleſiam ſancti Stephani ingredi voluiſſet, quod competiens Beatus Amator, ei obuiam factus eſt, ſicque eos allocutus eſt dicens, exonerate filij cariſſimi iaculis manus, & arma ex humeris veſtris reiicite, & ſic domum Dei ingredimini, quoniam hæc domus eſt orationis, non Martis ſtatio petulantis, illi vero hæc audientes viro Dei citius obediunt. Tunc Sanctus Amator videns Germanum illuſtriſſimum, nihil oneris truculenti portantem præcepit oſtiarijs fores Eccleſiæ repagulis arctare, ipſe verò glomeratâ ſecum turbâ Clericorum atque nobilium virorum, manus iniiciens Germanum apprehendir, & inuocato Nomine Domini cæſariem eius capitis detraxit, talibus eum exhortans verbis atque confirmans: Satagere te oportet, Venerabilis frater, quo incontaminatum atque immaculatum cuſtodias honorem à Domino tibi commiſſum; ſcitu namque quia me decedente Omnipotens Deus tibi paſtorale commiſit Officium, quod & factum eſt. Paucis itaque diebus interpoſitis, Sanctus Amator à Chriſto vocatus vltimum ſpiritum exhalauit: cùm ſubito vniuerſi populi Germanum vno ore proclamant antiſtitem: Quorum votis non valens reſiſtere, ſuſcepit Sacerdotium, triceſima die poſt obitum Sancti Amatoris inuitus, coactus, addictus, ſed repente mutatur ex omnibus, deſeritur mundi militia, cæleſtis aſſumitur, ſæculi pompa calcatur, humilitas conuerſationis erigitur, vxor in ſororem mutatur ex coniuge, ſubſtantia diſpenſatur in pauperes, paupertas ambitur. ô Virum cui ſumma ſemper debentur, qui amore vitæ æternæ voluntariam amplexus eſt paupertiem, totum Chriſto dedit, ſibi nihil retinuit! Iam verò enarrari non poteſt, quâ hoſtilitate vim ſibi ipſe conſciuerit, quas cruces quæve ſupplicia corporis ſui perſecutor induerit; nam qualem quantúmque ſe exhibuerit, ideò lingua mortalis expedire non ſufficit, quia ſupra hominem fuit omne quod geſſit. Quibus itaque miraculis claruerit prætermittimus, quia extant libri ad multorum vtilitatem exinde compoſiti. Eccleſiam, cui præfuit, non ſpiritalibus ſolummodò, verum & temporalibus copioſiſſimè extulit incrementis, cuius in poſſeſſionibus facultas ante ipſum quàm fuerit perexilis facilè colligi poteſt, ſi qualibus eam copiis auctam reliquit & queis rationibus inſpectetur. Nam quantum ad natales, nobiliſſimus fuit nobilium, quantum ad fortunam, in poſſeſſionibus & prædijs ditiſſimorum ditiſſimus: omnium quæ ei ex iure Paterno ceſſerunt, in vita ſua heredem fecit Eccleſiam, quam ex parte maxima patrimoniis conſtare hodie cognoſcimus. Sunt autem prædia hæc numero perpluta, quantitate maxima, finibus ſpatioſa, ſibique contermina, ſitus qualitate iucundiſsima, redituum vbertate præclara: horum in vno (cui Epponiacus ex vetuſto nomen eſt) Venerabilis genitor eius Ruſticus ſuperiùs nominatus cum Genitrice Germanilla, in Eccleſia Beati Ioannis nomine dedicata, decenter conditi requieſcunt. Hic Beatiſsimus Pontifex Baſilicæ Sancti Stephani Protomartyris agrum nobiliſſimum, cui Varciacus nomen eſt, cum vniuerſo apparatu & appendiciis ſuis contulit: Similiter Vetciſum mirabile in ſe continentem palatium cum appendiciis ſuis, Puliacum quoque, ſeu Marciniacum, ſed & Tociacum cum ſuis ſimiliter appendiciis, fundum quoque Patriniacum & Cùriacum æquè cum appendiciis ſuis, multa denique & alia, quæ nobis modernis incognita, Deo verò ſunt omnia nota: fecit & Monaſterium in honorem Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani, vbi & Monachos eſſe cunſtituit, eorúmque ſtipendiis hæc prædia delegauit, id eſt villam (cui Monticellus nomen eſt) ad vinum colligendum, Fontanetum verò ad frumenta ferenda, agrum autem, cui Miciglis vocabulum eſt, ad buculatum cæterarúmque pecudum nutrimenta ſeruanda, vbi poſtmodum Sanctus Marianus à fratribus eiuſdem Monaſterij miſſus eſt ad eadem pecora cuſtodienda: monſtratur hodiéque in eodem Monaſterio Oratorium eiuſdem S. Germani numine conſecratum, vbi incunctanter nouimus fuiſſe cellulam afflictionum eius & cruciatuum conſciam, cui neſcio oſtiolum an feneſtram dixerim tanta erat humilitate perexiguum, vt nemo quamuis quantelli corporis niſi pronus perinde repere potuerit; fecit & baſilicam in honore SS. Martyrum Agaunenſium Mauricij, ſcilicet, ſociorúmque eius, vbi & hæc dona obtulit, Vuatchiacum in Pago Senonico, cum vniuerſis appendicijs ſuis, in Pago quoque Autiſſiodorenſi

Coruallem cum Appendicijs ſuis, necnon & Molinis ſimiliter cum Appendicijs ſuis: In quo etiam Oratorio Sanctum Saturninum vitæ probatiſſimum ſuúmque Diſcipulum ordinauit Preſbyterum, vt ſub profeſſione Sacerdotalis tituli Martyrum inibi memorijs deſeruiret. Fecit & Baſilicam Sancti Albani Martyris infra muros ipſius vrbis, quam in honore eiuſdem Martyris dedicauit, reliquiáſque ipſius quas ſecum à Britannijs detulerat, ibidem honorificè compoſuit. Quot ſanè Venerabilium Martyrum buſta Pontificatus eius tempore ab eodem Beatiſſimo Pontifice comperta claruerunt? Quis iure excipiendum iudicat? Sanctæ igitur illius multitudinis, quam cum Beato Priſco apud locum Quotiacum Aurelianæ perſecutionis trucidauit immanitas, ſacratiſſima corpora propter ſæuientem rabiem clam ſubducta in ciſterna quadam vetuſtiſſima à Chriſtianis (qui tunc exiſtebant rariſſimi) paſſim congeſta ſunt; Horum memoria longo labentium temporum obſcurata defluxu, ad tempus vſque Germani Sanctiſſimi cunctis ignota delituit. Quo Præſule Deus in cuius conſpectu ſuorum ſemper eſt mors precioſa Sanctorum, diſponens illorum patrocinio populis ſubuenire, veneranda eorum corpora declarauit, vbi Eccleſiam ædificauit, ac Monaſterium Monachorum eſſe conſtituit. Hoc vero Monaſterium permanſit vſque ad tempora, quibus Hunni omnem pene Galliam deuaſtarunt. Quorum perſecutione idem Cœnobium deſtructum, & ad ſolitudinem iterum redactum eſt. Caput quoque præſcripti beatiſſimi Priſci Martyris, miris modis eidem Sancto Pontifici reuelauit omnipotens Deus, cui recondendo quatuor ab vrbe millibus Baſilicam conſtruens conſecrauit, ſicque populis colendam tradidit.

Eodem tempore ex Britannijs directa legatio Gallicanis Epiſcopis nunciauit Pelagianam peruerſitatem in locis ſuis latè populos occupaſſe, & quamprimum fidei Catholicæ debere ſuccurri; ob quam cauſam Synodus numeroſa collecta eſt, omniumq; iudicio duo præclara religionis lumina vniuerſorum precibus ambiuntur. Germanus ac Lupus Trecenſis Apoſtolici Sacerdotes, terram corporibus, cælum meritis poſſidentes: & quantò laborioſior neceſſitas apparebat, tantò eam promptiùs heroes deuotiſſimi ſuſceperunt, celeritatem negotij fidei ſtimulis maturantes: Hi itaque Oceanum mare, Chriſto duce, conſcendentes in Britanniam peruenerunt, quam inſulam Beati Pontifices ſuis prædicationibus, atque virtutibus impleuerunt: tandem peracto conflictu cum Pelagianis, confirmant antiſtites fidem verbo veritatis ſimul & miraculorum ſignis: ſed & bellum Saxonum Pictorúmque aduerſus Britones eo tempore iunctis viribus ſuſceptum, diuina virtute retundunt, cùm Germanus ipſe Dux belli factus, non tubæ clangore, ſed clamore Alleluya, totius exercitus voce ad ſydera leuata, hoſtes in fugam vertit immanes. Compreſſa itaque peruerſitate damnabili, eiúſque autboribus confutatis, animíſque omnium fidei puritate compoſitis, beatiſſimi Sacerdotes ea qua venerant proſperitate redierunt. Igitur non multo interiecto tempore iterum & Britanniis nunciatur Pelagianam peruerſitatem iteratò paucis authoribus dilatari: Qui aſſumpto ſecum Seuero Treuerorum Archiepiſcopo totius ſanctitatis viro, iterum ad ſupradictam Pelagianam hæreſim deſtruendam Britannias petiit; prædicatio deinde ad plebem ei præuaricationis emendatione conuertitur, omniúmque iudicio prauitatis authores capiuntur, ſicque Sacerdotibus traduntur ad Mediterranea deducendi, quod in tantum ſalubriter factum eſt, vt in illis locis, nunc fides intemerata perduret. Itaque omnibus rite compoſitis, beatiſſimi Sacerdotes cum triumpho ad propria ſunt reuerſi. Teſtantur hodiéque quamplurimi didiciſſe prædictos hæreticos à Germano ſanctiſſimo, Cæleſtino Papæ fuiſſe tranſmiſſos. Hic itaque diuiniſſimus Pontifex, orbíque in tenebris agenti lumen inextinguibile datus Dominus Germanus Epiſcopus, poſt mirabilem in ſæculo vitam, poſt Gallias Britanniáſque, ipſam denique Italiam doctrinâ & miraculis reſperſas, à Chriſto vocatus, ſalutiferóque confortatus viatico, apud Rauennam Italiæ ciuitatem Spiritu Sancto plenus obijt, Valentiniano iuniore Conſtantij filio cum matre Placidia orbis terrarum obtinente Monarchiam, à quibus ibidem pro admiratione ſanctitatis atque aſſiduitate miraculorum, vt liber geſtorum eius latiùs explicat, honorificè ſuſceptus, Domino Chriſto ſibi apparente obitus ſui prænoſcens diem, multâ licet cum difficultate obtinuit, vt gleba ſui corporis propriæ redderetur ciuitati. Tum in apparatu defuncti ſua certatim ſtudia omnes contulerunt. Acolius Regalis Præpoſi-

tus cubiculi (cuius dudum puerum ab atrociſſimi dæmonis peſte curauerat) venerabile corpus multiformi aromatum compoſitione confecit: Auguſta vt viuo obſequuta fuerat, mortuo quoque ex animo deſeruire deſiderans, ſacri glebam cadaueris operoſis ac valdè ſubtilibus tumulauit indumentis, ad id deuehendum conſeruandúmque ex cypreſſo mundiſſimâ loculo coaptato: Quibus ita compoſitis, ne quid deeſſet Sanctis Officiis, anxiè præcauit Imperator, iter inſtruxit, euectiones neceſſarias præbuit, miniſtros comitéſque deducendo funeri deſtinauit, quod expenſarum & totius humanitatis impendiis copioſè proſecutus eſt; Epiſcopis ea fuit cura permaxima, ne ſacris exequiis vel ad horam deeſſent officia religionis, quæ ipſi & in præſenti inſtruunt, & ne proceſſu itineris deficiant, ordinatione præmittunt. Ita funus ſatis ambirioſè inſtructum magno proſequentium agmine promouetur ad Gallias. Saturnus erat Beatiſſimi Germani Presbyter & diſcipulus, cuius ſuperiùs mentionem fecimus, vitæ ſanctitate præclarus. Is eo profecto in Italiam, iuſſu ac vice illius in vrbe remanſerat: quâ ergo nocte glorioſus Domini Confeſſor apud Rauennam fœlici migrauit exceſſu, iſte Autiſſiodori poſitus ſacrum eius tranſitum Angelo nuntiante cognouit, ac diuina inſtructus reuelatione populis denunciauit, quorum ingenti ſecum coacta multitudine ad Alpium iuga ptoperat, vbi excipiunt Galliæ patronum proprium tanto eius funeri propenſiùs ſeruituræ, quanto potiorem famulatum reuerentiæ mixtus amoris extorquebat affectus. Ex pridie igitur kalendarum Auguſtarum die, quâ confeſſor eximius ſarcina leuatus carnis, cæleſtibus eſt inſinuatus ſacrariis, tertius & quinquageſimus voluebatur dies, cum ſacri theſaurus corporis propriæ refuſus vrbi ſolemni obſequio populorum excipitur, atque intra principalis, cui ſederat, Eccleſiæ ambitum collocatur, ibi per decem continuos dies ingentibus officiorum impenſis excolitur, donec omnibus quæ ad ius ſepulchri pertinent officioſiſſimè apparatis, vt virum decebat Apoſtolicum, ſepulturæ traderetur: Rite omnibus præparatis, cùm & confluentium nulla eſſet requies, & qui conuenerant vix iam regionis amplitudine caperentur, die Kalendarum Octobrium intra ſepulchri abdita theſaurus cæleſtis deponitur, tanto orbis terrarum officio, tanta humani generis pietate, vt luce clarius conſtaret omnibus, ſummi in Cœlo eſſe meriti, cuius in terris tanta prouidebantur honori. Fuit autem Ciuitas ſine Epiſcopo annis quatuor.

CAPVT VIII. De alodio.

Alodivs ſedit annos xxx. menſem I. dies xii. hic Alodius cuius meriti vel dignitatis extiterit, hinc colligi valet, quod Beato Germano adhuc ſuperſtite Monaſterio illius Archimandrita præfuit. Ipſo quoque poſt ad cæleſtia regna ſublimato in Pontificatus ſortem ei ſuccedere meruit. Is imitator & hæres magiſtri, multis verbo & exemplo profuit, huius præſulatus tempore Sanctus Marianus à partibus Bituricenſium adueniens, Monaſterio Sancti Germani ſe ſociari poſtulabat, quia idem Monaſterium antiquæ beatitudinis retinens ſtatum odore ſuauiſſimo redolebat, qui beatus vir quàm excellentiſſimæ memoriæ, quantæque ſanctitatis extiterit, libellus de vitâ ipſius editus pleniùs manifeſtat. Sanctus itaque Alodius optimorum locuples ſtipendiis meritorum in pace deceſſit 4. Kalendarum Octobrium, atque in beati Germani Baſilica decenter ſepultus eſt. Poſt cuius deceſſum manſit Ciuitas abſque Epiſcopo annis x. Ob ſæuitiam ſcilicet vaſtantium Gallias barbarorum. Fuit autem temporibus Leonis magni atque Hilarij Romanorum Pontificum, imperantibus Leone atque Zenone.

CAP. IX. De fraterno.

Fraternvs ſedit die I. Is qua die à fidelibus Epiſcopus eſt ordinatus, à barbatis eſt martyrio coronatus die 3. kalendarum Octobrium, & ſepultus eſt in Eccleſia Beatiſſimi Germani, fuit autem Ciuitas ſine Epiſcopo dies 6.

CAPVT X. De Censvrio.

Censvrivs ſedit annos xxxviii. menſes 3. dies 6. Hic eſt cuius tempore Conſtantius Orator obtentu Sancti Patientis Lugdunenſis Epiſcopi vitam Beati Germani mirabili ſtylo edidit omníque diligentia elaboratam eidem poſtmodum Epiſcopo Cenſurio habendam direxit. Ipſe verò Pontifex beatus, imitator prædeceſſorum fideliter exiſtens, 28. ætatis ſuæ anno vita defunctus 4. Idus Iunij obiit ſanctitatis plenus boniſque omnibus copioſus: ſepultus eſt autem in Eccleſia ſancti Germani Epiſcopi. Fuit autem temporibus Felicis, Gelaſij, Anaſtaſij, Symmachi, atque Hormiſdæ Romanorum Pontificum, Imperantibus Anaſtaſio & Iuſtino ſeniore. Fuit Ciuitas ſine Epiſcopo anno 1. menſibus 2.

CAPVT XI. De Vrso.

Vrsvs ſedit annos 6. menſes 4. ex hoc viro ſanctiſſimo fideli relatione vulgatur, quòd iuxta ſancti Amatoris Baſilicam recluſus Anachoreticam duxerit vitam, vbi Oratorium vſque hodie eſt eius nominis memoriæ ſacrum: contigit eo tempore vrbem repentino afflatam incendio conflagraſſe, ſed ad virum Dei cùm ſublatus in altum clamor populi perueniſſet, ſuccurrendum periculo ratus, familiarem illuc baculum deſtinauit. Ipſe precibus obnixiùs atque inſtanter incubuit, eo inter minaces flammas, & quæ adhuc ſupererant, conſtituto, dicto citius incendium omne deflagrauit. Hac occaſione ſancti viri merito declarato vrbis decedente Pontifice vi extractum Præſulatui ſuffecere: cella eius in Eccleſiam ceſſit, exegit vitæ ſuæ tempus annis lxxxi. moribus & meritis precioſus fragilitatis molem 3. Kal. Auguſtas exceſſit, atque in Baſilica ſancti Germani, iuxta prædeceſſores ſuos honeſtam meruit ſepulturam. Fuit enim temporibus Ioannis Papæ atque Fœlicis: hic eſt Ioannes, quem Theodericus Rex hæreticus Rauennæ in cuſtodia affligendo interfecit, Imperante Iuſtino, Lampadio & Oreſte Conſulibus. Fuit autem Ciuitas ſine Epiſcopo anno vno menſes vi.

CAPVT XII. De Theodosio.

Theodosivs ſedit annos viii. dies xxiii. 16. Kalend. Auguſtarum diem excepit vltimum peracto vitæ ſuæ tempore lxx. & v. annis, proque ſuæ merito ſanctitatis nobilem in Eccleſia Beati Germani ſortitus eſt ſepulturam: fuit autem temporibus Bonifacij & Mercurij, qui & Ioannes vocatus eſt, vſque ad Agapitum, Imperante Iuſtiniano Auguſto, Lampadio Conſule. Inuenimus & hunc ſanctum virum interfuiſſe Concilio Epiſcoporum, quod actum eſt ex iuſſu glorioſiſſimi Clodouei Magni Francorum Regis apud Aurelianenſem Galliæ Ciuitatem. Fuit Ciuitas ſine Epiſcopo anno vno.

CAPVT XIII. De Gregorio.

Gregorivs ſedit annos xii. menſes 6. exactóque ſuæ vicis officio xiv. kal. Iun. humana deponens in Eccleſia Beati Germani ſupremum promeruit munus, omne vitæ ſuæ tempus lxxxiv. annis exegit. Fuit autem temporibus Siluerij & Vigilij Roman. Pontificum, Imperante adhuc prædicto Iuſtiniano Auguſto. Fuit autem Ciuitas ſine Epiſcopo menſes 7. regnante adhuc Clodoueo glorioſiſſimo Rege.

CAPVT XIV. De Optato.

Optatvs ſedit annum 1. menſes 8. die 5. hic conſtruxit Baſilicam in honore ſancti Chriſtophori Martyris iuxta Baſilicam ſancti Germani ab Orientali parte, cooperantibus duobus Preſbyteris ſuis Sanctino atque Memorio. Hic Sanctiſſimus Pontifex, excurſo vitæ ſuæ tempore, pridie Kal. Septembrium, cum eiſdem Sanctis Preſbyteris ſuis vitam finiuit temporalem, & adeptus eſt ſempiternam, cum qui-

bus pariter & ſepultus eſt in eadem, quam conſtruxerat Baſilica. Poſt modum verò labentibus annis, conſilio Nobilium, ac ſapientum tranſlata ſunt eorum ſacra corpora in Eccleſiam Beati Germani, tam officioſè, tam ſolemniter, vt in omnibus martyrologiis, & maximè vetuſtis dies tranſlationis eorum inſertus habeatur 6. Non. menſis Maij. Tranſitus autem vel depoſitio eorum pridie kal. Sept. vt prædiximus annotatur: vno eodémque ſanè Sarchophago omnes pariter requieſcunt. Fuit Ciuitas ſine Epiſcopo anno 1. Extitit autem temporibus ſupradicti Vigilij Papæ. Imp. adhuc Iuſtiniano Auguſto. Regn. verò Clodo. Fr. Rege.

CAPVT XV. De Droctaldo.

Droctoaldvs Epiſcopus obiit 6. Idus Nouemb. nihil aliud ex eo memorabile reperire potuimus, quod præſenti Operi inſerere quiuiſſemus.

CAPVT XVI. De Elevtherio.

Elevtherivs ſedit annos xxviii. menſes viii. dies ix. fuit autem temporibus Pelagij primi vſque ad Ioannem, Imperante Iuſtino minori. Huius præſulatus tempore Rex Clodoueus deſerit & filij eius Childebertus & Clotarius in Regnum ſuccedunt, is verò Sanctus vir ſimul cum Beato Leone Archiepiſcopo ſuo Senonenſi videlicet Pontifice, ex euocatione Domini Childeberti Regis ſecundo Concilio Aurelianenſi de vtilitate Eccleſiarum Dei in Regno ſuo conſiſtentium ac diuerſorum negotiorum tractaturus interfuit. Obiit autem plenus dierum in ſanctitate permanens xvi. kal. Septemb. & coniunctus eſt ſepultura ſancti prædeceſſoribus ſuis in Baſilica ſancti Germani Epiſcopi. Fuit Ciuitas ſine Epiſcopo anno vno, menſibus 2. diebus x. Errat hic Auctor hoc loco ſic in aliquo- nosdam.

CAPVT XVII. De Romano.

Romanvs ſedit annos iii. dies iv. Hic bonis operibus glorioſus, vt fertur, deciſione capitis Martyrium conſummauit, pridie Nonarum Octob. & ſepultus eſt iuxta prædeceſſores ſuos in Baſilica Sancti Germani Epiſcopi; fuit autem temporibus ſupradicti Ioannis Papæ vſque ad Benedictum, Imperante Iuſtino minore, fuit Ciuitas ſine Epiſcopo menſibus ſex, diebus ſex.

CAPVT XVIII. De Ætherio.

Ætherivs ſedit annos nouem, menſes vi. obiit v. kal. Auguſtas, & ſepultus eſt in Baſilica Beati Germani. Fuit enim temporibus Benedicti Papæ, Imperante Tybetio Conſtantino: fuit Ciuitas ſine Epiſ. dies iv.

CAPVT XIX. De Avnario.

Avnarivs, Natione Aurelianenſis, ex patre Paſtore, Matre Ragnoara, ſedit annos xliii. menſes x. dies xx. Imperante Mauricio hic Beatiſſimus Pontifex cum moraretur adoleſcens in Palatio Domini Gontranni Regis, erat enim genere nobiliſſimus, Spiritus Sancti gratia afflatus reliquit Regnum terrenum, vt in regno cœleſti cum æterno Rege maneret: tunc neſcientibus parentibus ſuis Turonicam Ciuitatem adiit duobus ſecum pueris comitantibus, ibique ad ſepulchrum Sancti Martini ductus amore Dei comam capitis depoſuit: exinde Sanctum Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum petiit, qui tunc in Dei rebus præcipuus habebatur, quem ipſe nimio cum amore ſuſcipiens tanta cum eruditione & diſciplina inſtruxit, vt virum decebat Apoſtolicum: diuina igitur gratia fauente, creſcentibus meritis Spiritu Sancto repletus Eccleſiæ Antiſſiodorenſi conſtituitur Pontifex, ibique ipſa die feſtiuitatis Beatiſſimi Germani pridie Kal. Auguſtarum in eadem Baſilica Epiſcopatus ſuſcipiens officium, merito cum ſanctitate florebat. Hic habuit fratrem germanum Auſtrenum nomine Aurelianorum Pontificem, nepotem quoque ex ſorore Agia Lupum virum ſanctiſſimum Senonum Archiepiſcopum miraculis coruſcan-

tem. Hic itaque Sanctus vir Aunarius iam factus Epiſcopus cœpit virtutibus florere, & miraculis coruſcare. Et quid dicam de illius doctrina, qualis amor in ciuibus, quæ diligentia in Clericis, in pauperibus quàm fidelis diſpenſator, quàm magna cura fuerit illi in Sanctis, non poreſt mortalis lingua percurrere, erat enim in facie illius Angelica viſio, in ſermone erudita expoſitio, in diſpenſatione largiſſima humanitatis gratia, reficiebat eloquiis mellifluis omnes, ſale vero prædicationis diuinæ fidelium corda condiebat, miráque auiditate populus erga cultum Dei ardebar, Deo per ipſum faciente miracula, quem tantis ac talibus ditauerat & illuſtrauerat virtutibus: Quibus igitur miraculis claruerit, cuiúſque gloriæ in Chriſto fuerit, libellus de vita ipſius editus ſcire cupientibus pleniùs manifeſtat; legimus namque in antiquis Canonibus hunc beatiſſimum Præſulem interfuiſſe Mariſcenſi Synodo, quæ habita eſt anno XXIV. Regni Domini Guntranni glorioſiſſimi Regis, reſidentibus in eodem Concilio venerabilibus Archiepiſcopis, Priſco Lugdunenſi, Euantio Viennenſi, Prætextato Rotomagenſi, Bertechranno Burdegalenſi, Artemio Senonicenſi, Sulpitio Bituricenſi, Syagrio Auguſtodunenſi, cùm aliis quampluribus; in qua Synodo, mulra quæ vtilitati Sanctæ matris Eccleſiæ conueniunt, vtpote tantos ac tales decebat viros pertractantes præcipua quæque XX. Capitulis perſtrinxerunt. Similiter inuenimus interfuiſſe eundem ſanctum virum alteri Synodo, quæ apud eandem vrbem celebrata eſt ex euocatione eiuſdem Principis, ab iiſdem venerabilibus Epiſcopis, vbi etiam honeſta quæque atque vtiliſſima ſanctæ Dei Eccleſiæ pertractantes, maxima verò in X. & VIII. Capitulis diuiſerunt, extant quoque epiſtolæ Pelagij Papæ ad eundem Beatiſſimum Pontificem, quatum vnam nimia vetuſtate fuſcatam, ab authenticis librorum nequaquam pleniter extrahere valuimus, alteram verò huic operi inſerendam dignum duximus.

Exemplar literarum Pelagij Papæ vrbis Romæ ad Aunarium Antiſſiodorenſem Epiſcopum.

DIlectiſſimo fratri Aunatio Pelagius. Quantum Deo placitot ſedis Apoſtolicæ veneratione vos redditis, tanto commodatior illi cuius ſedes eſt ſit veſtræ fiducia charitatis, nec aliter vnam ſolámque Dei confitemur Eccleſiam, niſi omnes ad petram ſuper quam fundata eſt fides Catholica conſtruamur: propter quod dilectionis tuæ deſideriis ſucceſſit effectus, & celer, & facilis, quia eorum Sanctuaria quærantur, à quibus Principibus ſumpſit prædicatio veritatis exordium. Quòd verò in veſtris regionibus abundare indicatis Eccleſias nouas, gratulanter ſuſcipimus, tamen ſi ſcienter expetere ſtudium Propheticæ vocis amplecteris, quærite faciem eius ſemper. Quantum namque humanis intellectibus Incarnationis Domini noſtri veritas aperitur, tanto amplius & honoratur & colitur. Sicut autem vos cupitis Deo noſtris orationibus commendari, vos etiam noſtris neceſſitatibus & anguſtiis, quibus inceſſabiliter oneramur, interceſſionis continuum ferte ſolatium orantes, & quibuſcunque valetis viribus id agentes, quatenus ſicut prædicationi ſedis Apoſtolicæ conſonatis, ita eius paci veſtra impetratio congaudeat & quieti. Deus te incolumen cuſtodiat, frater cariſſime. Datum pridie Kalend. Nouembrium. Imper. Dom. Mauricio Tyberio Imp. Auguſto anno 3. Indictione quinta.

Cæterum idem Beatiſſimus Pontifex plurima conſtituit in Eccleſia Autiſſiodorenſi, ſicut in antiquis Canonibus reperitur, quæ vt præcipuo obſeruarentur vigore, conſilio & authoritate Chriſtianiſſimi Guntranni Regis ſummopere roborauit. Nam ad tutelam gregis ſibi à Domino commiſſi, præcepit, vt tam in Ciuitate Autiſſiodorenſi, quàm per parochias ipſius pagi hæc debeat inſtitutio cuſtodiri.

Prima die Kal. Januar. Ciuitas cum Clero & Populo Rogationes faciat.

II. *Die Epponiacus & Vendoſa.*
III. *Die Gaugiacus & Nautriacus,*
IV. *Die Coreuicus cum Clero & Populo,*
V. *Die Bacerna & Accolacus.*
VI. *Die Matriacus cum ſuis,*
VII. *Die Curcedomus cum ſuis.*
VIII. *Die Drogia cum ſuis*
IX. *Die, Varciacus cum ſuis*
X. *Die, Columbariacus cum ſuis*
XI. *Die Campus Lametij cum ſuis*
XII. *Die Bargiacus cum ſuis*
XIII. *Die, Domiciacus cum ſuis*

xiv. *Die Soliacus cum ſuis*
xv. *Die Maſſua cum ſuis*
xvi. *Die Condida cum Draptiaco*
xvii. *Die Eliniacus cum ſuis*
xviii. *Die Nouus Vicus cum ſuis*
xix. *Die Brioderus cum ſuis*
xx. *Die Gremus cum ſuis*
xxi. *Die Blanoilus cum ſuis*
xxii. *Die Caſiniacus Nantiniacus cum cella Saluij & Mauri.*
xxiii. *Die Laoderus cum ſuis*
xxiv. *Die Vitriacus & Arcucius,*
xxv. *Die Balgiacus cum ſuis*
xxvi. *Die Interranus cum ſuis*
xxvii. *Die Tauriacus cum ſuis*
xxviii. *Die Liccadiacus cum ſuis*
xxix. *Die Pulnerenus cum ſuis*
xxx. *Die Odona cum ſuis.*

Item conſtituit vt per duodecim menſium capita ita eædem celebrentur Litaniæ.
Kalendis Ianuary Baſilica Domini Germani,
Kalendis February Baſilica Domini Amatoris,
Kalendis Martij Monaſterium Domini Mariani,
Kalendis Aprilis Baſilica Sancti Petri Apoſtoli,
Kalendis Maij Baſilica Domini Valeriani & Monaſterium Vulfini,
Kalendis Iunij Baſilica Domini Martini,
Kalendis Iuly Baſilica Domini Iuliani,
Kalendis Auguſti Monaſterium Decimiacenſe ad Sanctum Ciricum,
Kalendis Septembris Monaſterium Fontanetenſe,
Kalendis Octobris Monaſterium Coiacenſe ad Sanctos,
Kalendis Nouembris Monaſterium Saſſiacenſe,
Kalendis Decembris Monaſterium Manniacenſe.

Cæteris verò diebus menſium vt ſupra: pari verò conditione inſtituit, vt omnibus dominicis diebus ab vniuerſis Archipreſbyteris vel Abbatibus taliter vigiliæ in propriis locis fiant.

Hoc eſt a die Sancto Paſchæ vſque ad Calendas Octobris à primo ſero vſque ad illuceſcentem diem, à Kalendis vero Octobris vſque ad natalem Domini à Gallorum Cantu, & à natale Domini vſquè in Paſcha à media nocte. Item conſtituit à quibus vigiliæ in Baſilica Sancti Stephani in Ciuitate cum Abbatibus celebrentur.

Dominica nocte Baſilica Domini Germani ad Monaſterium Decimiacenſe.
Secunda feria Baſilica Domini Amatoris & Monaſterium Fontanenſe.
Tertia feria Monaſterium quod Dominus Germanus conſtruxit, vbi Sanctus Marianus requieſcit, ſimulque Seſſiacus.
Quarta feria Baſilica Sancti Petri, & Monaſterium Manuacenſe.
Quinta feria Baſilica Domini Martini & Monaſterium Vulfini.
Sexta feria Baſilica Domini Valeriani & Monaſterium quod dicitur Varrenas.

Denique congregauit venerabilem Synodum in vrbe Autiſſiodorenſi vbi plurima pertractans de ſalute populi ſibi commiſſi, neceſſaria quæque & valde vtilia in quadraginta & quatuor Capitulis perſtrinxit, hæc ſunt nomina eorum qui eadem Capitula confirmantes ſubſcripſerunt, quia eadem capitula non duximus inſerenda.

AVNARIVS *in Dei nomine Epiſcopus Conſtitutionem hanc confirmaui & ſubſcripſi. Vuinebaudus Abba ſubſcripſi. Deſideratus Abba. Frannulfus Abba.* Gregorius *Abba. Amandus Abba. Cæſarius Abba.* Baudouens *Abba. Tegridus Abba, Audoneus Presbyter, Ananias Presbyter Aliique quamplurimi, qui præſentes adfuerunt, ſubſcripſerunt*

Qui etiam Sanctus Pontifex in cunctis vtilitatibus quàm fuerit ſtudioſus, demonſtrat exemplar epiſtolæ ad Stephanum Africanum Presbyterum ab eo directa, vt vitam Sancti Germani metricè, Sanctique Amatoris nobili ſtylo deſcriberet proſaicè, hunc habens modum.

Dilectiſſimo atque amantiſſimo & internæ mihi vinculo charitatis connexo fratri Stephano Presbytero, Aunarius gratia Dei Epiſcopus in Domino æternam ſalutem. Tuæ nobis doctrinæ multis iam experimentis comprobata prudentia compulit nos quamdam tuis humeris imperioſam ſuperponere ſarcinulam, ſed eam quæ tibi non ſit oneris, ſed honoris. nec quæ deorſum iniquo pondere premat, ſed quæ potius cælum vſque ſuſtollat. Cognitum tibi eſt, chariſſime frater, & quæ ſit humanarum mentium diuerſitas, & quemadmodum in ſtudiis contrariis non ſolum inane vulgus verum etiam vniuerſa ſcindatur nobilitas, & quidam quidem Proſaico oblectantur ſtylo, quidam autem numeris ſe rythmiſvè ac cantibus verſuum delectari fatentur: ergo vt omnium votis occurrerem & nullus ſuo deſiderio fraudaretur, placuit mihi vt vitas Beatiſſimorum Confeſſorum quaſdam pede libero deſcriberem,

quaſdam verò lege, metrica impeditus digerere, ob quam rem obſecro vnitam mihi tuæ dilectionis amicitiam, vt Beatiſſimi Germani Epiſcopi vitam in verſuum qualitatem commutare non deſiſtas; Sancti vero Amatoris Proſaica modulatione deſcribas vt ſectatores Apoſtolicæ prædicationis effecti, omnibus omnia efficiamur, & nulli quidquam debeamus, niſi vt inuicem diligamus: indiuiduam mihi charitatem veſtram diuina cuſtodiat pietas, venerabilis frater.

Reſcriptum antefati Presbyteri.

DOMINO *Beatiſſimo & Apoſtolicis inſulis decorato Patri ſpirituali Aunario Epiſcopo Stephanus omnium ſeruorum Chriſti famulus: decurſis litteris Apoſtolatus veſtri, quo ſancti deſiderij ardor ſumma alacritate prætendat luce clarius approbaui: eſt ergo deuotionis veſtræ propoſitum virorum opinatiſſimorum Germani & Amatoris floridæ vitæ nobiles actus deſcribere, ſed ad eos lepidiſſimi callis veſtri dirigatur intentio, qui poſſunt virtutum lumina æquiparis affatibus inſpicere. Verùm ego cuius iners ingenium gemino rigore torpeſcit, & lingua balbutiens faucium inter rancidulos curſus, ſqualido ſitis impedita rigore non loquitur, ſed potius ſtridet, quomodo potero diuinitus inſpirata virorum Sanctiſſimorum munera polito expedire ſermone, qui nec priuata poſſum humano caſu congeſta negotia explicare: ridiculo, ni fallor, inexplicabili, ac ludibrio ſemet impendit, quiſquis vltra virium ſuarum poſſibilitatem onus aſſumit. nonne ferarum ſectatores, ſi minus captioſa induſtria formauerit, audax temeritas peſſundabit? Nunquam tiro victoriæ monimenta parma quæ eſt picta geſtauit, ſi eum docta veterani exempli manus non inſtruxit. Nunquam etiam aeris ſibi conceſſum patulum iter ales tutius ſecauit, cui prænia dux penniger mater non fuerit: iacebit profecto fluctuum eliſione truncatus quiſquis ſuæ procacitatis fiſus autoramento indocilem ratis dexteram ingerit clauo, ſic vnuſquiſque in diuerſum imperitiæ hamo inſcinditur ſi doctorum fauoribus minimè adiuuetur. Ergo Beatiſſime vir quæſo vt illa mihi culmen apicis tui imponat, quæ facile me poſſe perficere non dubitat, ſi tamen & in hoc opere quidquid illepide aut infacete ruſtica garrulitas digeſſerit, æquanimiter feras, aggrediar, & faciam quæ paterna infert ac iubet authoritas: vale in longum tempus domine Papa.*

Is quoque vir angelicus Beatus Aunarius; cum eſſet genere nobiliſſimo maxima dona prædiorum ſuorum Deo Omnipotenti obtulit, quibus & heredem ſanctam fecit Eccleſiam. Dedit itaque Baſilicæ ſancti Stephani agros villáſque, quæ ei paterno iure ceſſerant, hoc eſt Briodeſum cum Venolio, & cæteris appendicijs ſuis Noluetum quoque & Gaionnum, ſimulque Oſcellum cum appendicijs eorum, in Pago denique Aurelianenſi ſiue Bleſenſi, Melduuum, & Brigium cum appendicijs ſuis, Roccam quoque & Manuiſum, & Villarem cum appendicijs eorum, atque villam Boue cum appendicijs ſuis. Similiter dedit & Baſilicæ domini Germani (vbi corpus ſuum ſepulturæ mandari decreuerat) agrum quendam nobiliſſimum in Pago Vvaſtanenſi, qui Curbilias dicitur; cum omnibus appendicijs ſuis, vt in Pago Aualenſi Decimiacum cum Vidiliaco & Calminiaco, cæteriſque appendicijs eorum, nec non & in Pago Senonico Baldiliacum cum appendicijs ſuis; ſicque ſanctus vir omnibus ritè diſpoſitis, plenus dierum, ſanctitate quoque & miraculorum gloria clariſſimus die VII. kalend. Octobrium migrauit ad Chriſtum, cœlo gaudente, terra plorante, ſepultus eſt itaque iuxta prædeceſſores ſuos in Baſilica ſancti Germani, & ceſſauit Epiſcopatus diebus VII.

CAPVT XX. DE DESIDERIO.

DESIDERIVS, Natione Aquitanus ex matre Necteria, ſedit annos X. & VIII. dies XXV. vir nobiliſſimus atque mitiſſimus amator Cleri atque totius ſanctæ religionis. Fuit autem temporibus Clotarij glorioſi Regis, ſub Romanis Pontificibus Gregorio, Sabiniano, Bonifacio, itémque Bonifacio, Imperantibus Phoca atque Heraclio. Cuius ſæcularis dignitas tanta extitit, vt ei nemo ſuo tempore quamuis potentiſſimus ex æquo ſe conferre potuerit. Fuit enim propinquus Brunechildi Reginæ, & filiis eius tam Francorum quàm Burgundorum Regibus. Quorum munificentia principali ingentem prædiorum amplitudinem conſecutus eſt: huius genitrix iam dicta Necteria in Monaſterio ſancti Amantij, quod eſt ſitum in Pago Caducino, ſepulta requieſcit. Quod idem po-

ſtea in matris memoriam, & venerationem reliquiarum Sanctorum prædeceſſorum ſuorum Germani atque Amatoris, quas ipſe ibidem deportauerat, honeſtis donariis, & maximâ fundorum dote perornauit, vt ſequens lectio declarabit: nam & Pallium Pontificale à beato Gregorio expetiit, à quo talem pro hac petitione accepit epiſtolam.

GREGORIVS *Deſiderio Epiſcopo Autiſſiodorenſi, fraternitatis veſtræ deſiderium Ioannis Regionarij relatione cognouimus, quod quidem libenter parati ſumus implere, ſi diligenter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem à veſtra ſibi relatum dilectione quod Eccleſiæ veſtræ quædam olim priuilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa ſint, atque vſum Pallij eius Sacerdotes antiquitus habuiſſe: quod quia vobis magnopere poſcitis reformari, in Eccleſiæ noſtræ ſcrinio requiri fecimus, & inuenire nil potuimus: ſed quàm quantò ſtudioſius ita cupitis adipiſci, tantò vos arbitramur ſollicitos eſſe in inquirendis Chartis Eccleſiæ veſtræ monemus vigilantem curam impendere, & ſi qua exinde ſcripta inueniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ ſit veſtræ tranſmittere. Nam qui noua non concedimus, vetera libentiſſimè reparamus.* Itaque Sanctus Epiſcopus adeò fundorum diues extitit, vt nulla vel Medianæ Burgundiæ, vel Aquitanicæ Prouinciæ principalis Eccleſia inueniatur, quam non rebus auxerit peropimis. Baſilicam ſanè beati Stephani, cui ſedit, miro decore ampliauit, ingenti teſtudine à parte Orientis applicita, auróque ac muſiuo ſplendidiſſimè decorata, inſtar eius quā Syagrius Epiſcopus Auguſtoduni feciſſe cognoſcitur. Altare quoque antiquum eo tranſponens ſub die XIII. Calend. Maiarum ſolemniter dedicauit, vbi & hæc dona obtulit: Miſſorium anacteum deauratum penſantem libras l. habentem in ſe ſeptem perſonas hominum cum tauro & litteris Græcis. Dedit & alium Miſſorium, ſimiliter anacteum grauellatum penſantem libras XL. & dimidium qui habet in medio rotam cum Stephadio, & in gyro homines & feras. Item Miſſorium tertium anactcum penſantem libras XXXV. Suſum habet in ſe hiſtoriam ſalis cum arbore & ſerpentibus. Item Miſſorium quartum anacteum penſantem libras XXX. habet in ſe Æthiopem, & alias imagines hominum. Item bacchonicam auratam penſantem libras XII. vncias II. habet in ſe piſcatorem cum fuſcina, & centaurum cum opere maritimo. Item bacchonicam aliam anacteam circulatam & nigellatam penſantem libras XIV. & vncias IX. Item aliam bacchonicam ſimiliter anacteam penſantem libras XIII. habet in ſe luſores. Item aliam bacchonicam anacteam penſantem libras X. & habet in ſe hominem cornutum & arborem, & duos homunciones infantes in manibus tenentes; caucos anacteos IV. penſantes libras XI. & vncias II. habent in ſe homunciones, & feras: vnus ex ipſis deauratus. Dedit ſcutellas anacteas ex quibus vna nigellata penſat lib. IV. habet in ſe vrſum caballum tenentem. Item aliam ſcutellam anacteam penſantem lib. III. habet in ſe leonem taurum tenentem. Item aliam penſantem libras II. & vncias IX. habet in ſe leonem capram tenentem. Item aliam ſcutellam ſimiliter anacteam penſantem lib. II. habet in ſe hircum cum cornibus. Item aliam penſantem lib. I. & vncias VII. habet in ſe ceruum paſcentem. Item alium penſantem lib. I. & vncias IX. habet in ſe leopardum tenentem capram. Dedit item ſalariolas IV. anacteas quæ penſant lib. IV. dedit & gabatas VI. quæ penſant lib. XVI. Item gabatam vnam medianam anacteam penſantem lib. III. & habet in fundo ſigillos IV. & in gyro prunellas, cancellos decoratos cum capitellis penſantes lib. VI. & ſemiſſem. Dedit & hicinarios II. anacteos penſantes, lib. IV. & vncias III. Item hicinarios III. anacteos penſantes lib. V. Item dedit cochleares IX. penſantes lib. II. & ſ. Item cochlearem vnam penſantem, lib. I. & vncias X. habet in medio rotellam nigellatam, & in gyro liſtram. Dedit & anaſum vnum, penſantem lib. II. habet leonem & taurum deauratos. Item fuſcinam vnam præſcriptam: habet caput leonis, penſat lib. III. Dedit & vrceum anacteum qui penſat lib. IV. & ſ. & agemanilis penſat libras III. & ſ. Item cannas II. pariles deauratas penſantes, lib. V. huic in gyro effigies & feruſculas, dedit. Item Miſſorium planum penſantem, lib. VIII. & ſ. habet in medio rotam, & in rota monogramma. Item alium Miſſorium penſantem lib. VIII. habet in medio Crucem cum duobus hominibus. Item bacconicam anacteam penſant. lib. X. habet in ſe homunciones V. cum dua-

bus feruſculis pennatis. Item aliam bacconicam anactеam penſantem lib. VIII. & ſ. habet in medio hominem caballicantem, & ad pedes ſuos viperam. Item aliam bacconicam anacteam circulatam penſant. lib. VII. & ſ. habet in ſe tres homines grandes, & in gyro homunciones & feras. Dedit item gabatas anacteas deauratas penſant. lib. XVIII. habet in ſe homunciones cum piſciculis, gabatam mediatam anacteam deauratam penſ. lib. VIII. habet in medio homines, & piſculos maritimos. Item gabatas liliatas V. pariles penſantes lib. IX. & ſ. Item gabatam medianam anacteam penſ. lib. III. habet in medio caput hominis cum barba. Item gabatam medianam puram penſ. lib. 12. & vnc. III. habet in medio gallum. Item gabatam anacteam colinellatam penſ. lib. III. habet in gyro homines & feras. Item ſcutellam anacteam penſantem lib. II. habet in medio homuncionem & campolum cum arbore. Item ſcutellam anacteam penſ. lib. II. habet in medio duos homunciones cum lanceis. Item ſcutellam paruam penſ. lib. I. habet in medio totelliunculam in gyro nigellatam. Item ſalariolam anacteam penſantem lib. I. habet in medio hominem cum cane. Item concham anacteam penſant. lib. IX. habet in medio hominem & mulierem, & ad pedes eorum crocodillum. Item ſalariolam paruam cruciculam habentem, penſ. vncias IX. Item ſuppoſtorium anacteum penſantem lib. I. & ſ. cocleares XII. penſ. lib. III. & vnc. II. Item cocleates XII. penſ. lib. II. & vncias IX. Item cocleares XII. penſ. lib. III. habent caudas ſcriptas. Item Ichinarios columellatos III. penſat vnuſquiſque lib. I. Item Ichinarium vnum penſ. lib. I. & vnc. I. Item cancellum penſ. lib. I. & vnc. I. Item vrceum anacteum penſ. lib. III. & habet anſam prunellatam, & in medio caput hominis. Agmanilia penſ. lib. II. & vnc. X. habet in medio rotam liliatam, & in cauda caput hominis. Item recentarium deauratum penſ. lib. II. & ſ. habet deforis cauaruras. Item alium recentarium penſ. lib. I. & vnc IX. habet in medio liſtellam & feras. Item ſchinonem penſ. lib. I. habet caudam nigellatam. Item colatorium penſ. vnc. II. ſunt in ſumma lib. CCCCXX. vnc. VII.

Item quoque Sanctus Epiſcopus qualiter ſuorum hæredem bonorum Chriſtum, & Eccleſiam ſibi à Deo commiſſam inſtituerit, ſequens pandit authoritas; dedit namque Baſilicæ Sancti Stephani agrum Magniacum ſitum in Pago Autiſſiodorenſi, quem cum domina Brunechilde commutauit, cum domibus, & adiacentijs, vel omnibus inſtructis ad ſe pertinentibus. agrum quoque Matriacum in honore Sancti Memmij conſtruxit cum agello vel cum cæteris appendiciis ſuis, cum mancipiis, vineis, ſyluis, paſcuis & cum omni iure & termino ſuo, greges quoque boum, equorum, ouium, armentorum & porcorum eidem Baſilicæ ſolemniter delegauit. Similiter agrum Ganniacum ſitum in Pago Tornodorenſe cum ædificiis, mancipiis & vniuerſis appendiciis ſuis. Domum etiam vel areas infrà muros Ciuitatis Cabilonenſis ſitas, quas cum Vvadelino Epiſcopo commutauit, ſimiliter cum vineis quæ ſunt ſitæ in montanis in eodem Pago in agro Miliacenſi cum vinitoribus & reliquis mancipiis, ſyluis, terris, & vniuerſis appendiciis eorum. Dedit & agrum Puniacum ſitum in Pago Aualenſe, iuxta caſtrum Cenſurium quem cum illuſtri viro Macone commutauit, cum omnibus ædificiis, mancipiis, vineis, ſyluis, & cæteris appendiciis ſuis: agrum quoque Genuſiacum vel Talniſiacum cum nucleatorio ſitos in territorio Senonico, cum ædificiis, mancipiis, terris, ſyluis ac vniuerſis appendiciis eorum. Domos quoque vel areas infrà muros ipſius Ciuitatis Senonum ſitas, ſimúlque oleas in Suburbano poſitas. Similiter dedit in Pago Sanctonico, villam Siuiriacum quam cum dominâ Brunechilde Regina commutauit, cum ædificiis, mancipiis, & omnibus appendiciis ſuis, villam quoque Flaccianam ſitam in Pago Foroiulienſi, quam ei dominus Theodericus Rex conceſſit, & ſuo præcepto confirmauit, cum ædificiis, mancipiis, oliuetis, ac vniuerſis rebus, ad ſe iure pertinentibus. Item in territorio Sanctonico agros nobiliſſimos, quos cum viro Apoſtolico Mammone Eccleſiæ Cadurcinæ Epiſcopo vel Clero ipſius Eccleſiæ commutauit, hoc eſt Melredante & Lopiacum, Noiogalum, & Vriliacum cum vniuerſo apparatu & appendiciis eorum. Item in Pago Aualenſe agellum qui appellatur Piciacus cum vniuerſis ad ſe iure pertinentibus. Similiter in Pago Auguſtodunenſi villam Dementiriacenſem, cum colonica, rilio, & cæteris appendicijs, ſuis, dedit etiam jam dictæ matri Eccleſiæ agrum Palliacum ſitum in Pago Aualenſi cum vniuerſo apparatu & appendicijs ſuis. In Pago quoque Senonico Patticia-

cum quem cum Domino Aëtio Epiſcopo commutauit, ſimiliter cum ædificiis, mancipijs & cæteris appendiciis ſuis. Villam quoque ſuper fluuium Choræ poſitam Campaniam nomine, & colonicas ad ſe pertinentes, Riuiacum & Cratium, ſimulque Nouam villam ſitam tam in Pago Aualenſe quàm in Autiſſiodorenſe, cum ædificiis, mancipiis, terris & vniuerſis appendiciis eorum.

Huius præſulatus tempore præſcripta Brunechildis Regina per manus ipſius Pontificis obtulit Deo & ſancto Stephano calicem miræ pulchritudinis ex lapide onychino auro puriſſimo decoratum. Præterea Baſilicæ Domini Germani, vbi corpus ſuum ſepeliri decreuerat, hæc dona obtulit, miſſorium argenteum, qui Thorſomodi nomen ſcriptum habet. Penſat. lib. xxxvii. habet in ſe Hiſtoriam Æneæ cum libris Græcis. Item alium miſſurium planum, penſ. lib. xxx. Item bacconicam anacteam penſant. lib. xv. Habet in medio leonem cum vrſo & in circuitu homunciones & feras. Item aliam bacconicam penſ. lib. ix. & ſ. habet hominem & mulierem & ad pedes eorum feruſculas. Item ſcutellam anacteam penſ. lib. v. & vnc. vi. habet in ſe hominem caballicantem, ſerpentem in manu tenentem. Item ſcutellam anacteam penſ. lib. iii. habet in medio rotelliunculam nigellatam cum fera. Dedit & gabaras ij. ab intus liliatas pariles penſ. lib. viii. & vnc. vi. Vrceum anacteum penſ. lib. iv. habet anſam nigellatam & in medio caput leonis. Agmanilia penſ. lib. iii. & vnc. ix. habet in medio Neptunum cum tridente.

In die verò ſepulturæ ſuæ præcepit idem præcipuus Pontifex cum corpore ſuo deferri baſilicæ Domini Germani, centum ſolidos auri puriſſimi ad ſuam ſepulturam exornandam. Sunt in ſumma lib cxix. & vnc. v. Cæterum idem ſanctus contulit eidem baſilicæ Domini Germani prædia ſui iuris, hoc eſt Bringam in Pago Senonico cum ædificiis mancipiis, vineis, terris ac omnibus appendiciis ſuis. Item Roboretum in eodem Pago cum appendiciis ſuis. Agrum Seſſiacum ſitum in territorio Autiſſiodorenſi, quem ipſo ſuggerente, Domina Ingundis Regina baſilicæ Domini Germani delegauit, atque ſuo præcepto habendum confirmauit. Ipſe ſanctus Epiſcopus vſufructuarium vitæ ſuæ tempore eadem Regina iubente, poſſedit & poſt obitum ſuum vt abſque vllius conſignatione vel iudicio jam dicta baſilica Domini Germani reciperet, præcepit. Item agellum Fetiolas ſitum in Pago Autiſſiodorenſi ſuper fluuiolum Lupæ cum ædificiis, pratis, ſyluis cum grege armenti & grege porcorum eidem baſilicæ ad Xenodochium pauperum delegauit. Item dedit in Pago Sanctonico villas Saturiacum & Vtſionem cum ædificiis, mancipiis, ſyluis ac vniuerſo apparatu eorum, nec non & areas cum domibus ſuprapoſitis tam in Metullo quàm in vrbe Senonicâ, quas de Vigiligunde matrona dato precio comparauit. Dedit item per manus Palladij tunc Preſbyteri & baſilicæ Domini Germani Abbatis, poſtmodum verò ſui in Epiſcopatu ſucceſſoris eidem baſilicæ Orgiacum & Marciacum, cum omni integritate ad ſe pertinente, ſimulque Nanrillam & Pociacum cum omnibus ædificiis, mancipiis, vineis, plantis nouis, & vniuerſis appendiciis eorum. Nam & Dominus Clotharius Rex ſimúlque eius nobiliſſima coniux Domina Ingundis Regina per manus eiuſdem Domini Deſiderij Epiſcopi, eandem baſilicam magnis & optimis ornauerunt donarijs: Fredam verò, quæ ſacratiſſimo corpori eſt ſuperpoſita, Rex auro argentóque mirifice decorauit, Regina nihilominus calice ſimulque patena ex auro puriſſimo gemmis pretioſiſſimis exornato deuotiſſimè honorauit. Cæterùm Baſilicæ Domini Amatoris dedit villam nominis Talonenſem ſitam in Pago Autiſſiodorenſe, cum ædificiis, mancipiis, terris, cum pecoribus & gregibus equarum & porcorum, & omnibus appendiciis ſuis. Baſilicæ Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ eſt in ſuburbano ciuitatis Autiſſiodorenſis, agellum, qui nuncupatur Brittoilus, ſitum in Pago Autiſſiodorenſi cum ædificiis, mancipiis, ſyluis, terris, cum gregibus porcorum & equarum & omnibus appendiciis ſuis. Monaſterio quod Dominus Germanus Pontifex ſuper ripam fluminis Ichaunæ conſtruxit, vbi bonæ recordationis Dominus Marianus Confeſſor corpore requieſcit, Villarem qui appellatur Capelinatius, ſitum in Pago Autiſſiodorenſe ad integrum cum pecoribus & gregibus porcorum Baſilicæ Domini Iuliani Martyris vbi Niginaldus Alba præerat; villam in Pago Watinenſe, quæ appellatur Manſiones Teudbaldi, ſeu villaris Auroli, cum ædificiis, mancipiis, pratis cum pecoribus & gregibus

porcorum & cæteris appendiciis ſuis. Monaſterio Puellarum, quod in honore Domini Martini vltra fluuium Ichaunæ eſt conſtructum, agellum, qui appellatur Necariola, quem de Eperia Sanctimoniali fœmina dato pretio comparauit, cum ædificiis, mancipiis, terris, pratis, ſyluis & cæteris appendiciis ſuis. De Baſilica quoque Sanctorum Martyrum Geruaſii & Protaſii, ita in teſtamento ſuo poſuit; Baſilicæ Dominorum Sanctorum Martyrum Nazarij, Geruaſij, Protaſij & Celſi pueri, quam Marinus Diaconus noſter pro noſtro ſolatio ædificate videtur; vbi etiam & reliquias eorundem Martyrum condidimus, agellum, cuius vocabulum eſt Briennico iuxta agrum Nanturiacenſem, quem nos cum bonæ recordationis Domino Euodio quondam Epiſcopo commutauimus, ſimulque Accolatum ſupra fluuium Choræ poſitum, ſicut à nobis præſenti tempore poſſidentur, ad iam dictam Baſilicam pro animæ noſtræ remedio decreuimus eſſe donatos ad ipſam Baſilicam, vel ibidem deſeruientibus perpetualiter poſſidendos. Nam his ſupra ſcriptis Monaſteriis vnicuique Baſilicæ Sanctæ Columbæ & Sancti Leonis, quę ſunt conſtructæ iuxta Senonicam vrbem, agellum, qui vocatur Viſcla, ſitum in eodem Pago, cum ædificiis, terris, ſyluis & vniuerſis appendiciis ſuis: ea ratione vt rectores harum Baſilicarum eandem villam æquâ ſorte inter ſe diuiderent. Baſilicæ quoque Domini Vrſicini Bicicrinſenſis, Beati Germani quondam Diſcipuli, agellum de villa materni boni, ſitum in territorio Autiſſiodorenſi, cum ædificiis & mancipiis ac terris ad integrum. Item dedit Baſilicæ ſancti Amantij quæ eſt extructa in Pago Cadurcino ad ſtipendium Monachorum ibidem Deo deſeruientium vbi & Genitrix ipſius, ſicut iam ſupra meminimus, corpore requieſcit, villas vel prædia, quorum hæc ſunt vocabula Marciniacum & alterum Marciriacum cum appendiciis eorum, Lintiniacum, Concluſam, Vltraridam, Siniriacum, Augiriacum, Teponniacum, Vetrarias, Quintiacum, & Cremonem, quæ ſunt ſitæ in Pago Cadurcino, cum ædificiis, mancipiis & omnibus appendiciis eorum. Item villam Criſpiniacum ſitam in eodem Pago ea ratione diſtribuit, vt duas partes Baſilica Sancti Amantij acciperet, tertiam verò Baſilica quæ ad ſanctos Brittones dicitur, vbi Epiſcopi corpore requieſcunt, vendicaret. Item agrum qui appellatur Caſſinatus in eodem Cadurcino territorio conſiſtentem cum omnibus appendiciis ſuis. Item portionem de atro Macrinio & Reclinis ſitum in territorio Albienſi, cum ædificiis, vineis, mancipiis & cæteris appendiciis ſuis. Item in Pago Rotonenſi Vallem Catemariam, Verſellas, Groſſumniagum, Siacum & Atratum cum ædificiis, mancipiis, & omnibus appendiciis eorum. Item Vitaliacum ſitum in Pago Cadurcino cum omni integritate. Præterea dedit & Baſilicæ Sancti Saturnini Martyris, quæ eſt ſita in ſuburbano Toloſanæ ciuitatis villam, quæ vocatur Siluiniacus, ſitam in eodem Pago cum omni integritate & appendiciis ſuis. Similiter & agrum Melgiacum ſitum in eodem territorio, cum ædificiis, mancipiis, terris & cæteris appendiciis ſuis. Dedit item ſeniori Eccleſiæ Caducinæ villam quam Betto tenuit, & ipſe ex Regum munificentia accepit, ſitam in territorio Burdigalenſi: cum ædificiis, mancipiis & vniuerſis appendiciis ſuis. Multa quidem & alia poſſedit, ſicut teſtamenti ipſius pagina manifeſtat, quæ tam nepotibus, quàm cæteris ſuis propinquis largitus eſt: ſed & mancipia non minus duo millia permiſit eſſe ingenua, quibus & ea quæ ad præſens poſſidere videbantur, ad proprium habere permiſit. Qui verè felix, feliciter vitæ peracto tempore plenus virtutibus migrauit ad Chriſtum ſub die VI. Kalend. Nouemb. & ſepultus eſt iuxta S. Aunarium in Baſilica Beati Germani.

CAPVT XXI. De Palladio.

Palladivs ſedit annos XXVI. menſes III. fuit enim temporibus Dagoberti Regis, Præſulantibus apud vrbem Romam Deus-dedit, Bonifacio, Honorio, Seuerino, Ioanne, atque Theodoro. Hic fuit vir ſtrenuus atque temporibus Domini Deſiderij prædeceſſoris ſui, Abbas Monaſterij Sancti Germani. Poſt cuius exceſſum, eò quòd eſſet vir ſapiens, largus atque miſericors ab omni populo in Epiſcopatum eligitur, accepto verò Sacerdotio totum ſe Eccleſiaſticis tradidit diſciplinis: nam Baſilicam Sancti Stephani, plurimis & maximis ditauit donariis, fecit enim duas cruces ex auro puriſſimo, quas & obtulit, ſed & plurima vaſa argentea,

argentea, quæ ad noſtram vſque ætatem in theſauris eiuſdem Eccleſiæ ſeruata perſeuerant, hæc nos ipſius nomine vidimus inſignita: fecit & Monaſterium ſancti Iuliani Martyris, vbi ædificauit Baſilicam altarium, quam in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ dedicauit, quod Monaſterium Virginum eſſe conſtituit, quod ante ipſum infra muros ciuitatis paruo ambitu conſtructum, virorum fuiſſe certiſſimum eſt. Nam & id Monaſterium maximis ædificiis extulit, ac muro vndique circuncinxit, & quia omnes Eccleſiæ Autiſſiodorenſes ſuæ ditioni erant ſubiectæ, tamen Sancti Stephani, quam ex Sancti Germani villis copioſe ditauit. Fecit & Baſilicam prope muros ciuitatis in honore Sancti Euſebij Vercellenſis Pontificis & Martyris, cuius teſtudinem à parte Orientali ex muſiuo ſimul & auro compſit ac dedicauit, variiſque muneribus ampliauit: quod etiam Monachorum eſſe conſtituit ac muro vndique circuncinxit. Fecit & Baſilicam Sancti Germani in Pago Autiſſiodorenſi, in loco qui dicitur Vercifus, quam & nobili teſtudine ex muſiuo & auro decorauit. Hic etiam conſtituit vt per ſingulos annos feſtiuitate Sancti Germani, quæ celebratur die Kalend. Octobrium, expleta miſſarum celebritate ob amorem & reuerentiam tanti præſulis à manu Epiſcopi centum ſolidos accipiant Canonici Baſilicæ Sancti Stephani, quatenus alacrioribus animis delectet eos per ſucceſſiua tempora eiuſdem feſtiuitatis celebrare gaudia. Obijt autem IV. Idus Aprilis, & ſepultus eſt in Baſilica S. Euſebij, quam ipſe vt prædiximus, ſuo opere conſtruxerat, & ceſſauit Epiſcopatus dies x.

CAPVT XXII. De Vigilio.

Vigilivs ſedit annos xxv. menſes quinque. Fuit enim temporibus Martini Papæ & Eugenij atque Vitaliani, regnante apud Francos ſiue Burgundiones Clothario Iuniore. Nam & genere nobilis extitit, & ſanctitate præclarus. Inter cetera namque virtutum ſuarum inſignia etiam Monaſterium in ſuburbio ciuitatis Autiſſiodorenſis extruxit, quod pluribus ditatum muneribus, vt teſtamenti ipſius ſeries demonſtrat, in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ dedicauit: quod etiam muro circuncingens Monachorum eſſe conſtituit, ſimulque xenodochium pauperum ibidem eſſe præcepit. Fertur enim de eodem ſancto viro veridica relatione quod iubente Wararone Principe Palatij, qui, Ebroino in eodem Principatu ſucceſſerat, in Cotia Sylua Martyrium ſit perpeſſus. Imitatus videlicet eſt eundem anteceſſorem ſuum Ebroinum, qui olim Sanctum Leodegarium Auguſtodunenſem Epiſcopum gladio animaduerti præceperat. Martyrizatus eſt autem ſanctus Vigilius ſub die v. Iduum Martiarum. Cum autem ſacrum corpus eius ad propriam veheretur vrbem, contigit eius tranſitum per vrbem fuiſſe Senonicam, cùmque pertranſiret quandam domum, qua rei vincti catenis tenebantur, ſubitò omnia vincula dirupta ſunt, ſicque miſerorum turba ergaſtuli illius noctes euadens, ſacri cœpit corporis exequiis deſeruire: extant hodieque in teſtimonium tanti miraculi eædem catenæ ſacro eius inhærentes ſepulchro. Sepultus eſt autem in Baſilica ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam ipſe conſtruxerat, fuitque ciuitas ſine Epiſcopo dies v.

CAPVT XXIII. De Scopilione.

Scopilio ſedit annos viii. fuit enim temporibus Adeodati, Doni, Agathonis Romanorum Pontificum ſub Theoderico Rege, de quo nihil aliud dignum ſcripturæ reperimus, niſi quod quædam vaſcula argentea in theſauris Eccleſiæ, cui præfuit, conſpeximus eius nomine inſignita. Sepultus eſt autem in Baſilica Sancti Euſebij Martyris.

CAPVT XXIV. De Tetrico.

Tretievs, ſeu Tetricus, ſedit annos xv. menſes iii. Hic fuit temporibus Rom. Præſulum Leonis, Benedicti, Ioannis, Cononis, Sergij ſub Childeberto Iuniore Francorum Rege, qui appellatus eſt iuſtus, vir mitiſſimus & omni bonitate ornatus: nam & ante Epiſcopatum extitit Abbas Monaſterij Sancti Germani,

in quo officio poſitus talem taı tumque ſe exhibuit, vt merito ab omnibus ſummo frequentaretur ſtudio: erat enim largus, pius, caſtus, atque miſericors: Deo igitur fauente omnis populus à minimo vſque ad maximum diuina inſpiratione permoti eum in Pontificum Ordinem elegerunt, ſicque à Baſilica ſancti Germani extractus Deo dignus Pontifex eſt electus & ordinatus Sacerdos. Cœpit enim mox accepto Sacerdotio, Prædicationibus inſiſtere, Eccleſiamque ſibi à Deo commiſſam ſpiritaliter erudire. Hic beatus vir primo anno ordinationis ſuæ habito Concilio conſtituit qualiter Abbates, vel Archipreſbyteri in Eccleſia Sancti Stephani diuinum perſoluerent Officium. Taliter vero ordinauit, vt deſeruiret.

Kalend. Ianuarij 1. Hebdomada, baſilica ſancti Germani.
2. Hebdomada, baſilica ſancti Amatoris.
3. Hebdomada, baſilica ſancti Petri.
4. Hebdomada, baſilica Monaſterij ſancti Iuliani.
Kalend. Februar. 1. Hebdomada, baſilica ſancti Mariani.
2. Hebdomada, baſilica ſancti Euſebii.
3. Hebdomada, baſilica ſancti Martini.
4. Hebdomada, baſilica ſanctæ Mariæ.
Kalend. Martij prima Hebdomada, baſilica S. Nazarii.
2. Hebdomada, Monaſterium Longoretenſe.
3. Hebdomada, Monaſterium Seſſiacenſe.
4. Hebdomada, Scolius Vicus.
Kalend. Aprilis prima Hebdomada, Bacernæ Vicus.
2. Hebdomada, Vendoſa & Gaugiacus.
3. Hebdomada, Nauteriacus & Licaiacus.
4. Hebdomada, Tauriacus.
Kalendis Maij, prima Hebdomada, Choræ Vicus.
2. Hebdomada, Corcedomus & oratorium S. Memmij.
3. Hebdomada, Troia & Cornacus & Auciacus.
4. Hebdomada, Varciacus.
Kalend. Iunij, prima Hebdomada, Bargiacus & Nantoniacus.
2. Hebdomada Maſſua.
3. Hebdomada, Condida.
4. Hebdomada, Dultriacus & Soliacus.
Kalend. Iulij prima Hebdomada, Nouus Vicus.
2. Hebdomada, Brioderus.
3. Hebdomada, Giemus & Laoderus.
4. Hebdomada, Blaueilus.
Kalend. Auguſti, prima Hebdomada, Clerici Dominici.
2. Hebdomada, Eliniacus.
3. Hebdomada, Baugiacus.
4. Hebdomada, Tauriacus.
Kalend. Octobris, prima Hebdomada Clerici Dominici.
2. Hebdomada, baſilica ſancti Germani.
3. Hebdomada, baſilica ſancti Amatoris.
4. Hebdomada, baſilica ſancti Petri.
Kalendis Nouemb. prima Hebdomada, Domiciacus.
2. Hebdomada, Monaſterium ſancti Iuliani.
3. Hebdomada, baſilica S. Mariani.
4. Hebdomada, baſilica ſancti Euſebij.
Kalend Decembris, prima Hebdomada, baſilica Sanctæ Mariæ.
2. Hebdomada, baſilica ſancti Martini,
3. Hebdomada, baſilica Sanctorum Geruaſii & Protaſii.
4. Hebdomada, Monaſterium Longoreti & Seſciaci.

Hac itaque conſtitutione roborata, conſtituit vt Abbates Preſbyteri cum clero ad ſupraſcriptum officium peragendum conuenientes ex Dominico Cellario ab Oeconomo Eccleſiæ ſtipendium ſufficiens accipiant, ſi verò tardi occurrerint, aut negligenter apparuerint, x L. dies à vino abſtineant. Vice-dominus autem aut Cellarius, ſi quod iure miniſtrare debent, in aliquo ſubſtraxerint, retruſi in Monaſterium

naſterium per annum dimidium paoe & aqua contenti debitam pœnitentiam perſoluant. Is itaque Beatus Epiſcopus villam, quæ ei ex ſucceſſione parentum aduenerat, Maximiacum nomine, ſitam in Pago Senonico, cum ædificiis, mancipiis, vineis, ſyluis, & vniuerſis appendiciis ſuis, Baſilicæ ſancti Stephani, cui Deo auctore præfuit, habendam delegauit. De cætero, conſummato fœliciter vitæ ſuæ curſu, à quodam inſtigante diabolo, vt fertur, Archidiacono ſuo, nomine Regenfredo, dum ſcamno ſopore reſolutus quieſceret, gladio verberatus Martyrio vitam finiuit xv. Kalend. Aprilis, & ſepultus eſt cum ſumma deuotione fidelium in Baſilica ſancti Euſebij Martyris. Nam de eodem Rageofredo antiqua relatione vulgatur, quòd mox vt à domo, in qua ſuum interfecerat Pontificem, eſt egreſſus, ſubito turbine raptus nuſquam comparuit. Fuit autem ciuitas ſine Epiſcopo annis III. Nam de ſcamno ſuper quod interfectus eſt plures ex dolore dentium, ob meritum S. viri obtinuere remedium. Sed & in eodem loco ob memoriam & reuerentiam Martyris, à ſucceſſoribus ipſius, eius eſt nomine conſtructum oratorium, quod hactenus fidelium deuotione veneratur & colitur. Extant hodiéque tabulæ eiuſdem ſcamni, eius Martyrium deſignantes.

CAPVT XXV. De Flocoaldo.

Flocoaldvs ſedit annos v. menſes quatuor, dies x. Obijt XVIII. Kalend. Aprilis, & ſepultus eſt in Baſilica Sancti Euſebij. Fuit autem ciuitas ſine Epiſcopo dies VII.

CAPVT XXVI. De Savarico.

Savaricvs ſedit annos v. menſes IV. Hic, vt fama confirmat, eo quòd eſſet genere nobiliſſimus, cœpit à ſtatus ſui ordine paulultim declinare, & ſecularibus curis pluſquam oportet Pontificem inhiantem inſiſtere, in tantum, vt tam Pagum Aurelianenſem quàm Niuernenſem, Tornodorenſem quoque atque Aualenſem, nec non & Tricaſſinum militari manu inuaderet, ſuiſque ditionibus ſubiungeret. Nam eo tempore Franci inter ſe diſſidentes cùm plurima ciuilia bella commouerent in ſyluâ Cotiâ in inuicem irruentes maxima cæde ſe ſe mactauerunt: tunc idem Epiſcopus poſtponens Pontificalem dignitatem, vndecumque collecta plurima multitudine, cum Lugdunum pergeret, vt eam ſibi ferro ſubiugaret, diuino fulmine perculſus, citâ morte interiit, ſicque ad propriam ciuitatem reportatus, atque in Baſilica Sancti Germani iuxta prædeceſſores ſuos eſt ſepultus. Fuit enim temporibus Dagoberti iunioris Regis atque Danielis (qui mutato nomine vocatus eſt Chilpericus, atque ex Clerico Rex eſt effectus) Pipino cum Plectrude maiore domus Principante regente.

CAPVT XXVII. De Hainmaro.

Hainmarvs vocatus Epiſcopus tenuit principatum annos xv. Fuit enim vir ſtrenuus atque nobilitate generis non mediocriter decoratus, ſimul quoque fundorum dignitate ditiſſimus. Nam in tantum eius poteſtas ſeculariter excreuit, vt vſque ad Ducatum pene totius Burgundiæ perueniret. Contigit autem eo tempore Pipinum filium prioris Karoli Aquitaniam ex euocatione Eudonis Aquitanorum Ducis aduerſus Aimonem Cæſarauguſtæ Regem perrexiſſe, qui Lampagiam ipſius Eudonis filiam in coniugium ſumpſerat, & fœdera coniugij ruperat. Conuenientes autem in locum, qui Iberra dicitur, dum interſe pugnare cœpiſſent, hic Hainmarus cum ſuis in Sarracenorum multitudinem irruens, maxima eos cæde proſtrauit, deuicit, atque ſimul cum Rege ſuo, Chriſto propiciante, victor extitit. Sicque Pipinus cum triumpho Franciæ partes repetiit, ſed non multum poſt prædictus Eudo pactum, quod pepigerat cum Pipino, fallaci mutatione deſeruit. Vnde factum eſt vt iſdem Hainmarus præcipiente iam dicto Pipino, iterum Aquitaniæ partes collectâ ſuorum multitudine repeteret, atque Eudonem ad bellum prouocaret, quibus in vnum congreſſis, tanta ſubitò cæde Aquitani corruerunt, vt vix ipſe dux eorum Eudo per fugam dilapſus euaderet. Sed quorundam inſidiante inuidia, quæ proſperis rebus ſemper adeſſe ſolet, ſuggeſtum eſt Regi, quod ipſe

Eudo non aliter niſi ex conſenſu Hainmari euaſiſſet. Quâ de clauſa euocatione ab eodem Rege apud Baſtoneam villam, quæ eſt ſita in Saltu Arduennæ, cuſtodiæ Carcerali eſt mancipatus. Interiectis itaque paucis diebus cuiuſdam nepotis ſui ingenio extractus, arrepto equo fugam iniit, cuius poſt tergum cum ſummâ velocitate aduerſarij inſequentes in loco, qui Luſaus dicitur in Pago Tullenſi, eum conſecuti ſunt, qui videns ſe eorum inſidias euadere non poſſe, totum ſe ad diuinum contulit auxilium: nam dum extenſis brachiis in modum crucis oculis ad cœlum eleuatis ſupernam gratiam exoraret, lanceis perſequentium confoſſus, ſimul cum prædicto nepote ſuo occubuit. Ibique dicitur fuiſſe ſepultus. Seruatur hactenus Autiſſiodori in altare matris Eccleſiæ crux aurea ligni dominici, oſtentans in ſe ſigna martyrij eius. Sed & quaſdam res proprietatis ſuæ Eccleſiis Dei fideliter diſtribuit, conſilium & ordinationem nactus Domini Theodranni iam tunc ex ſua voluntate ordinati Pontificis. Dedit itaque Baſilicæ ſancti Stephani ad ſtipendium Clericorum ibidem Deo deſeruientium villam, quæ dicitur Matriacus, ſitam in Pago Senonico, cum ædificiis, mancipiis, vineis, ſyluis, & vniuerſis appendiciis ſuis. Item in Pago Autiſſiodorenſi ad xenodochium prædictæ matris Eccleſiæ villam, quæ dicitur Miliacus & alteram quæ vocatur Viriliacus, cum vniuerſis appendiciis eorum. Cæterùm Baſilicæ ſancti Germani ad ſtipendium Monachorum villam Abundiacum nomine ſitam in Pago Autiſſiodorenſi cum ædificiis, maneipiis, ſyluis & omnibus appendiciis ſuis. Item in Pago Vaſtinenſi villam, quæ dicitur Pons Maxentij ſimiliter cum appendiciis ſuis. Dedit idem ad xenodochium eiuſdem Baſilicæ Domini Germani villas ſitas in Pago Autiſſiodorenſi, hoc eſt Nigtontum cum appendiciis ſuis. Linerolas quoque ſimiliter cum appendiciis ſuis, ſimúlque Lagunas. Nam Boniacus atque Vitriacus, tempore interfectionis ſuæ in fiſcum ceſſerunt dominicum.

CAPVT XXVIII. De Theodranno.

Teodrannvs adhuc ſuperſtite Hainmaro ex eius conſenſu eſt ordinatus Epiſcopus. Obijt autem III. Non. Decemb. & ſepultus eſt in Baſilica S. Euſebij.

CAPVT XXIX. De Qvintiliano.

Qvintilianvs Epiſcopus fuit nobilis genere, cuius pater Quintilianus Monaſterium Miteretenſe conſtruxit, ac rebus propriis ditauit, xenodochiúmque Brittonum Romam pergentium ibidem eſſe conſtituit. Hic Beatus Epiſcopus ante Epiſcopatum Abbas fuit Monaſterij ſancti Germani: ſed ob vitæ meritum ac generis nobilitatem à Monaſterio populi electione vocatus, paſtor eſt Eccleſiæ ſubrogatus: ſepultus eſt itaque iuxta prædeceſſores ſuos in Baſilica S. Germani.

CAPVT XXX. De Cilliano.

Cillianvs Epiſcopus ſedit annos ſex, menſes duos: obijt autem pridie Nonas Auguſtas, & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Germani.

CAPVT XXXI. De Clemente.

Clemens Epiſcopus ſedit annos v. menſem I. dies x. Hic cæcitatem corpoream paſſus iuxta Baſilicam Apoſtolorum Petri & Pauli diuerſorium habuit. Obijt XIII. Kalend. Aprilis, & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Amatoris.

CAPVT XXXII. De Aidvlfo.

Aidvlfvs ex Cantore Epiſcopus, ſedit annos xv. fuit temporibus Caroli maioris, & perdurauit vſque ad Pipinum in diuinis officiis ſtrenuus, & Epiſcopali largitate famoſus: eius tempore, res Eccleſiaſticæ ab Epiſcoporum poteſtate per eundem Principem abſtractæ in dominatum ſecularium ceſſerunt, ſiquidem centum tantummodo manſis Epiſcopo derelictis, quidquid villarum ſuperfuit, in ſex

Principes Baioarios diſtributum eſt: Abbatiæ verò ſingulis Abbatibus dilargitæ, quam Eccleſiæ humiliarionem idem religioſus Pontifex pene exitialiter doluit, adeò vt paralyſis morbo correptus vniuerſis ſui corporis officiis priuaretur. Eodem itaque diuerſorio cum Clemente prædicto adhuc ſuperſtite clauſus ſtipe Eccleſiaſtica vſque ad diem ſui obitus alebatur, Maurino ex voluntate eiuſdem Pontificis ſubminiſtrante publicas functiones, hic contulit Baſilicæ Sancti Stephani res proprietatis ſuæ in Pago Tornodorenſi in villâ, quæ Montiniacus dicitur, ea ratione vt ſtipendijs pauperum perpetuo deſeruirent, obijt autem Idibus Nou. & ſepultus eſt in Baſilica S. Germani.

CAPVT XXXIII. De Mavrino.

Mavrinvs Epiſcopus, ſedit annos xxviii. fuit circa exordium regni Caroli magni, vir ſtrenuus, & facundâ vrbanitate eloquentiſſimus, atque ſanctitatis titulis admodum decoratus, fertur namque Prophetico ſpiritu nonnulla prædixiſſe; quæ mox rei probauit euentus, & quanquam poteſtate ſeculari impar, multis tamen etiam potentiſſimis dignitate ſe parem exhibuit: de hoc certiſſimè conſtat, quòd ingenio & prudentia ſingulari res, vt dudum prædiximus, Eccleſiæ ſuæ ſubſtractas, annuente magno Carolo, tunc Rege, poſtea Imperatore, recuperauerit. Acceptum namque aurum, vt fertur, in eadem ciuitate in turre Brunechildis inuentum, atque, vt dicitur, libratim diſtributum orarij quo vtebatur nodis hinc inde coërcuit, atque collo ſuſpenſum, ante prænominati Regis præſentiam nouo ordine detulit, pariterque commiſſæ ſibi Eccleſiæ paupertatem ac ſuæ tenorem petitionis Regis auribus intimauit, id ſe præcogitaſſe aſſerens, vt ſingulos Palatij Principes ſingulis auri libris in ſui adiutorium conciliaret, ſed poſtea mutaſſe ſententiam, atque vt ipſe ſolus cuncta acciperet, rectius iudicaſſe.

Annuit benignitas Principis, & vt decedentibus ſingulis, qui tunc res Eccleſiaſticas obtinebant, paulatim cuncta reciperet præcepto regio edixit. Sicque annuente Deo res proſperè ceſſit, vt fero intra biennium nullus pene eorum reſtiterit, quibus prædia Eccleſiaſtica contra licitum deſeruiebant: ea tempeſtate Abbatia Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij, nec non & ſancti Martini, ſancti quoque Euſebij in vſus S. Stephani redierunt. Maxima quoque villarum pars, quæ fuerant eatenus abdicatæ. Hoc Præſule primus Comes pagi Autiſſiodorenſis, Ermenoldus nomine, in ſuo ipſius prædio Monaſterium in Saluatoris honore conſtruxit, quod idem Epiſcopus ſolemniter dedicauit, atque ex rebus Sancti Stephani villam, cui Cocciacus nomen eſt, in augmentum dedit, nihilominus præfatus Comes obtentu Epiſcopi idem Monaſterium Sancto Stephano poſtea delegauit. Super altare quoque matris Eccleſiæ, hic ipſe Pontifex Pallium precioſiſſimum auro & margaritis obrulit decentiſſimè exornatum. Crucem etiam ex auro puriſſimo & gemmis precioſis compoſuit nomine inſcribens ſuo. Sed & imitator exiſtens bonæ memoriæ prædeceſſoris ſui contulit res proprietatis ſuæ Sancto Stephano, vt pauperum indigentiis ſubminiſtrarent. Sunt autem eædem repoſitæ in Pago Tornodorenſi in villâ, quæ dicitur Fonranetus: nihilominus & ſtipendiis Canonicorum agellum proprietatis ſuæ contulit, cuius vocabulum eſt Villare, non longè à Varciaco, quod ipſe à quadam matrona obtinuerat, nomine Rocla. Deceſſit viii. Idus Auguſti, atque in Eccleſia ſancti Getuaſij tumulatus eſt, quam & ipſe quoque renouauerat.

CAPVT XXXIV. De Aarone.

Aaron Epiſcopus ſedit annos xiii. De hoc conſtat, quòd proficiſcente Romam Carolo Magno ſub Leone Papa, ad decus Imperij roborandum cum ipſo pariter profectus eſt, atque in ipſa expeditione Abbatiam ſancti Mariani à præfato Imperatore obtinuit. Hic idem Pontifex ciborium ſuper altare Sancti Stephani auro argentóque mirifice compoſuit. Obijt idibus Februarij, & ſepultus eſt in Baſilica Sancti Geruaſij.

FFf ij

CAPVT XXXV. De Angelelmo.

Angelelmvs Epiſcopus, natione Baioarius, ex patre Obtelmo & matre Hogarde, ſedit annos xvij. hic cùm eſſet vir ſummæ ſimplicitatis & charitatis, Preſbyter ordinatus & Baſilicæ Sanctorum Geruaſii & Protaſii Abbas præſtitutus eſt: Sanè decedente Aaron Pontifice, Ieremias Senonenſis Archiepiſcopus iuſſu Caroli Imperatoris Autiſſiodorum veniens in Eccleſia S. Germani Cleri & populi collegit cætum, ibi generali conſenſu accedente, hic idem Angelelmus ab omnibus electus eſt Epiſcopus & ordinatus: ſuſcepto igitur Pontificali miniſterio totum ſe in diuinum transfudit ſeruitium, in orationibus aſſiduus, in lachrymis frequens, in eleemoſynis præcipuus, ac pene ſuo tempore ſingularis: fertur enim interdum amore largitatis ægritudinem ſimulaſſe, vt abſque vllius contradictione, quæ habere poterat, in vſus pauperum erogaret. Eccleſiam Sancti Stephani non ſimplici largitate ditauit, altare ſenioris Eccleſiæ, tabulis argenteis vbique compegit, altare quoque ſanctæ Mariæ nihilominus tabula argentea decorauit, Sancti quoque Baptiſtæ Ioannis altare ſimili ornamento decorauit, ante altare S. Stephani tres coronas argenteas præcipui ponderis præparauit, in circuitu altaris decem candelabra maxima & argentea conſtituit, calicem argenteum optimum cum patena condonauit, ac ſuo nomine præſignauit; ſed & crucem permaximam inibi collocauit, quam auro argentóque vultu Saluatoris decentiſſimè decorauit, altare argentea tabula ornatum ante eam ſtatuens. Eandem Eccleſiam ſignis quatuor maximis & ſonoris decorauit, fecit & capſam præcipui operis auro argentôque elegantiſſime compram, vbi capſam Beatiſſimi Amatoris, cum multis Sanctorum pignoribus condidit. Tapetia etiam optima ad ſedilia Baſilicæ exornandæ plurima contulit. Huius tempore Ludouicus Imperator facto generali conuentu, Canonicis Regularem vitam impoſuit, atque ob tutelam religionis Clauſtri cuſtodiam inſtituit, ac diuerſas competentéſque officinas eorum vſibus ordinauit, qua authoritate idem Pontifex delectatus villam, cui Puluerenus nomen eſt, fratrum Canonicorum ſcilicet ſtipendiis depurauit: Et quia quædam beneficiata erant, quæ protinus auferri non poterant, decretum eſt, vt illis decedentibus, continuò Canonici in ſuos vſus reflecterent. Res etiam, quæ ex iure proprio ei ceſſerant, tam in Biliaco, quàm in Amau, eorundem vſibus delegauit. Qui etiam vaſa argentea plurima & præcipua in theſauris eiuſdem Eccleſiæ collocauit, ſancto Germano calicem argenteum, cum patena dedit eiuſdem ſchematis cuius & ſuperiorem fecerat, huiuſmodi largitatem ſui nominis inſcriptione deſignans. Sancto quoque Amatori calicem argenteum cum patena tribuit eiuſdem operis quanquam ponderis minoris Sancto Petro ſimiliter. Altare ſancti Euſebij tabulâ argenteâ exornauit, calicem argenteum cum patena dedit, Euangelium quoque argenteum cum candelabris argenteis, ac thuribulo nihilominùs argenteo præparauit, cortinas etiam altaris, ac nonnulla pallia condonauit. In Cœnobio Sancti Saluatoris, tabulam argenteam cum ſigno ſonoriſſimo dedit. Per totam denique ſuæ poteſtatis diœceſim Eccleſiis quidem vicanis ad præparandum calicem & patenam tres libras argenti diſtribuit. Minoribus verò capellis ſuis duntaxat ad opus ſimile ſolidos xv. deſtinauit, in vicis quoque præfatis congruam argenti quantitatem largitus eſt, ad cruces in Eccleſiis exornandas. His & huiuſmodi bonorum operum frugibus plenus deceſſit, ſub die Non. Iuliar. atque in Baſilica ſancti Germani honeſtè tumulatus eſt.

CAPVT XXXVI. De Heribaldo.

Heribaldvs Epiſcopus, ex patre Antelmo Baioario, matre Frotilde Vaſtinenſi, ſedit annos xxxiii. Hunc ab ineunte ætate in Palatio educatum poſt deceſſum auunculi ſui Angelelmi clerus & populus ſolemni electione factâ pontificatui ſuffecerunt, Aldrico Senonum Archiepiſ. cum Coepiſcopis ex præcepto Ludouici Imperatoris huius negotium procurante. Conſtat autem eum in Eccleſia Beati Germani & electione deſignatum & ordinatione promotum. Fuit autem vir admodum nobilis, formâ elegans, eloquio nitidus, ſingulari prudentiâ circunſpectus.

Quamobrem & apud Reges plurimum valuit, itaut in Palatio Archicapellanus effectus, ſeculari quoque dignitate potentiſſimus eâ tempeſtate extiterit; atque vt ſe habent humana, quandiu quidem huiuſmodi poteſtatis apice floruit, ſecularibus negotiis ſe ſemediocriter dedit. Diuino autem reſpectu tandem inſpiratus, atque, quod à ſæculi appetitu plurimum ſolet compeſcere, infirmitatis corporeæ mole grauatus, & mores, & ſtudia in diuerſa tranſtulit, ſéque totum Diuinis ſeruitiis & Eccleſiaſticis vtilitatibus ex animo mancipauit, in orationibus continens, in lachrymis profuſus, in ſeruorum Dei ſubſidiis largus, in Eccleſiarum reparatione feruentiſſimus, in pauperum recreatione ſingulariter mirabilis, mirabiliter ſingularis. Eccleſiam Sancti Stephani, & parietibus & laquearibus renouauit, vitreis quoque ac picturis optimis decorauit, Coronas argenteas quatuor inſtituit, circa altare Sancti Stephani tabulas argenteas, & ſculpturâ & operis elegantia renouauit, capſam etiam auro argentoque mirificè decorauit, vbi veſtimenta ſacratiſſimi Germani repoſuit: Baſilicam Sancti Ioannis Baptiſtæ poſt defectum veteris ab imis extruens fundamentis in ſublime faſtigium extulit, ac x. kalend. Ianuarij ſolemniter dedicauit. Poſtmodum verò ſanctorum Martyrum Alexandri & Chryſanthi pignora, quæ ab vrbe Româ detulerat, in eadem Eccleſia decenter condidit, fredámque cum cancellis benigno ſtudio exornauit, atque ad luminaria eorundem Sanctorum patrociniis iugiter obſeruanda, agellum quendam 5. manſorum vocabulo Bunuorum ex agro Marriacenſi, & ex præcepto Apoſtolico benigno amore contulit, Baſilicam Sanctæ Mariæ laquearibus, picturis & vitreis renouauit. Congregationem Canonicorum, tam literarum eruditione quàm Eccleſiaſticæ induſtriæ ſtudiis illuſtrauit, adhibitis vndecunque præceptoribus, qui rem diuinam & ſtudio proueherent & inſtantia amplificarent: ſed & in ſtipendiis eorundem quam largus extiterit non licet ambigere, quam qui ex prædictis eorundem rebus quippiam detinebant, protinus vt diſceſſerunt abſque vlla intercesſionis relaxatione, eorundem vſibus reſeruauit: nam ipſorum veſtiario villam, cui Condida nomen eſt, reſtituit, cellamque Sancti Remigij cum ſuis appendiciis duáſque vineas Corticarnum, & Plautas eidem vſui deputauit. Cúmque Regi Carolo poſt patris Ludouici exceſſum, & carus eſſet & intimus, eius munificentia villas quaſdam obtinuit, quæ olim iuri Eccleſiaſtico fuerant abdicatæ, quarum hæc ſunt vocabula Gaiacus cum appendiciis ſuis, Garſiliacus ſimiliter, Camplemeſij ſimiliter, Maximiacus ſimiliter, quam ex æquo diuidens, mediam partem luminaribus Eccleſiæ diſtribuit, reliquam medietatem Canonicorum ſtipendiis ſeruire præcepit, regio præcepto hoc corroborante: atque vt in præfati Regis memoria ex eadem villa bis per annum refectio præparetur, vna per Præpoſitum, altera per eiuſdem Eccleſiæ Archiclauum immutabiliter ſanciente. Hic idem Pontifex ſecundo anno belli ciuilis, qui eſt annus Dei hominis facti octingenteſimus XLI. corpus Beatiſſimi Germani præcepto Regum Caroli & Ludouici ex loco, in quo primum tumulatum fuerat, venerabiliter Kalendis Septembris tranſmurauit, quod ita & ſoliditate integrum, & veſtibus reperit incorruptum, vt quondam fuerat à venerabili Auguſta Placidia decentiſſimè compoſitum. Ita optimarum virtutum fruge fœcundus, plenus ætatis & probitatis, appoſitus eſt ad patres ſuos ſub die VII. kal. Maias, atque vt ipſe petierat in Baſilica ſancti Germani in Crypta ſancti Stephani nobilem ſepulturam accepit, cuius etiam altare viuens adhuc tabula argentea decorauerat, calicémque itidem argenteum cum patena condonauit.

CAPVT XXXVII. De Abbone.

Abbo ex Monacho Epiſcopus ſupradicti Heribaldi Pontificis germanus; ſedit annos II. menſes X. vir ſtrenuus, omnimoda eloquentia præclarus, atque tam in diuinis Scripturis, quàm in ſecularibus principaliter eruditus. Fuit autem Abbas Cœnobij Sancti Germani, poſt fratris autem deceſſum iuſſu Caroli Regis electus Pontificatui ſubſtitutus eſt. Quis ſanè vir fuerit, quantúmque optima præditus voluntate, temporis breuitas atque mors immaturè proueniens oſtendere non permiſit. Is Sancto Stephano Crucem auream cum gemmis pretioſis contulit, palliúmque peroptimum largitus eſt, cocleam à parte Occidentali, à fundamentis inchoauit, altare Sancti Stephani auro puro gemmíſque exornare decreuerat, ſed morte

intercedente præpeditus, non modicas auri expenſas ad id peragendum reliquit. Tali affectu bonæ voluntatis plenus morte præuentus eſt ſub die III. Non. Dec. atque in Eccleſia Sancti Germani honorificè tumulatus.

CAPVT XXXVIII. De Christiano.

Christianvs Epiſcopus, Natione Alemannus, ex patre Arcamberto, & matre Emelinde, ſedit annos XIII. Fuit autem vir ſimplex, & tanquam naturali quadam animi vultúſque hilaritate perfuſus, humilitate præcipuus, & familiæ Eccleſiaſticæ amator ardentiſſimus. Hic cochleam ab Occidentali parte à prædeceſſore ſuo inchoatam ad perfectum vſque perduxit. Hic ipſe Pontifex beatiſſimi Amatoris corporis membra à primæ ſepulturæ loco vna cum Archiepiſcopo Burdegalenſi, Frotario nomine, feſtiuè in Cryptam ipſius domus tranſuexit. Huius etiam ſtudium fuit, vt quæ Canonicis ex rebus ſtipendio debitis deerant, celeri largitatis clementia reſtauraret. Dedit ſiquidem eiſdem Canonicis Albaris villam, quatenus ex eius redditibus illius memoriale omnibus agatur annis. Deceſſit 10. kal. Decemb. atque iuxta prædeceſſores ſuos ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Germani.

CAPVT XXXIX. De Vvala.

Wala Epiſcopus, genere Francus, patre Ardrado, matre Vvitelai, fratre optimæ recordationis Anſegiſo Senonum Archiepiſcopo, ſedit annos VII. dies XLVIII. Hic primo tempore ſuæ ordinationis ad lectionem ſapientium mundi ſe contulit, dehinc onus vaſallorum, quos ſecum adduxerat ex Comitatu Carlemanni, decenter atque prudenter, quia grauabant Eccleſiam, à ſe remouit. Huius ſiquidem patris, de quo loquimur, ſtudium fuit Magiſtros litterarum charitatiuè amplecti, eorúmque alloquiis & conſiliis vti, ſuóque conuiuio participari. Quocirca duo luminaria Collegij noſtri Rainogala & Alagus collaborante Herrico Theoſopho ſimul & Monacho, geſta Præſulum iſtius ſedis compendioſè atque commaticè elucubratis paginis indiderunt. Fuit verò huic viro ſincera & conuiſceralis affectio, cum ſeruis Dei, quos ita ſibi vnanimes bonis ſuis reddiderat, vt etiam in extremis penſum diei pro illo gratanter perſoluerent. Suo etiam tempore præcipui patres, Dominus Trutbertus ſcilicet atque Hictarius ſenior deceſſerunt, Horum primus Prophetico ſpiritu plenus ægritudinis ſuæ tempore manſit, & à ſacro Domini natalitio, quo cœpit ægrotare, quoſdam, qui deerant à Collegio fratrum quaſi præſens agnoſcebat; ſequens verò cuius eſſet meriti dies ſepulturæ innuit; ad quam cùm adeſſet frequentia Clericorum & populi, & obſequium ſepeliendi rependerent, ictu vno mallei corpuſculum, quod vix labore vnius diei parari poterat, ſectum eſt. Talia dixiſſe me nemo floccipendat, ſed quibus amicitiis fruebatur, agnoſcat: nocturno non modo ipſe minimè deerat officio, ſed & abſentes nominatim requirebat, fratres pueróſque: librorum copiam, ſi vſquam noſſet, ardenter deſiderabat huc aduehere, Eccleſiæ theſaurum ac ſi ſacrilegium vitabat contingere, donaria argentea vel aurea palliáque peroptimi ſancto contulit Stephano. Eccleſiarum reſtaurationes inſtantiſſimè peregit, ac ſuo tempore penè fœliciter conſummauit, & cum nonnulli Diœceſanos ſuos expolient, propinquóſque direnr, iſte à conſanguineis maxima percipiens Eccleſiæ ſuæ filiis impertiebatur: neque enim alienis, ſed propriis tranſigebat donis: in omni conuictu atque ſecreto præſentia ſuorum vſus Clericorum: non patiens quicquam ſiniſtrum de illis audire vel loqui: vtens vulgari prouerbio, neſciant laici quid faciunt Clerici, & pares paribus ſocientur. Mors autem immmatura eum ſubripuit, ſed Chriſtus ſuper aſtra ſuſtulit cuius corporis membra Saxiaci Monaſterij tegit vrna, diem VII. Idus Marr. clauſit extremum, ſuperſtitem relinquens fratrem, qui ſibi fœliciter vixit, & illa quoqne pro eius memoria facienda largitus eſt in Riuo duos manſos cum Regali & Epiſcopali conſenſu Canonicis Sancti Stephani, & in adminiſtratione luminis diuini altaris Sancti Stephani in Piſealiolo villa manſum vnum.

CAPVT XL. De Vrtbaldo.

Vrtbaldvs, Natione Francigena, Cameracenſis Ciuitatis indigena, à Ludouico glorioſiſſimo ac ſemper Auguſto huic Ciuitati futurus directus eſt Epiſcopus, parentibus nobiliſſimis genitus, patre ſcilicet Leutfrido, genitrice Doda, legale inuicem caſtè ſeruantibus coniugium. Hic à primo ætatis tyrocinio ſpiritualibus imbuitur diſciplinis, liberalium artium ſtudiis apptimè inſtructus, Ioannis Scoti qui ea tempeſtate per Gallias ſapientiæ diffundebat radios, factus pediſſequus, cuius diſcipulatui longo inhærens tempore, diuina ſimul & humana proſpicere, proſpera æquè & ſiniſtra æquali lance didicit ponderare. Dehinc iuuentutis ſolidum robur adeptus ad aulam introductus eſt Regiam, vbi Regio militans ſeruitio, Chriſto ſibi fauente huius ſedis Vvala decedente Epiſcopo meruit ſuſcipere thronum, prælibato Rege Ludouico dignè famulatum illius remunerante, huiúſque Eccleſiæ & Cleri & plebis conniuentiâ in vnum, vt Pontifex ordinaretur applaudente, ſicque opitulante Deo, cum ſumma totius populi exultatione die Non. Apcil. ab Anſegiſo venerabili Archiepiſcopo ordinatus eſt Epiſcopus: vbi quàm floridè vixerit, quanto ſtudio domum ſibi creditam ſublimare voluerit, quàm mitis erga gregem dominicum, largúſque diſpenſator extiterit, multi adhuc ſuperſunt, qui oculus ſe vidiſſe teſtantur. Nullum ſolis æſtum, nullum denique hiemis horrebat algorem, quin beati Protomartyris Stephani Eccleſiæ decori peruigil inſudaret, vnde multa munerum Regiæ munificentiæ xenia obtulit, vt beati Iuliani Abbatiam, Sancti Stephani ſeruitio applicaret, quod multa cum difficultate peregit, ſed regale præceptum, quod ex eo adeptus fuerat, mors immatura poſſidere prohibuit: mors, inquam, quæ raró triſtibus, ſæpiſſimè tamen lætis ſeſe immergit. Hic ab Occidentali parte Eccleſiæ Sancti Stephani duo conſtruxit altaria: Superius in honore Sanctæ Crucis, per quam omni mundo ſalus effulſit; inferius vero beati Gregorij pro noſtris calamitatibus interceſſoris, eximíique Pauli Apoſtoli, Amatoris etiam, atque Germani, ac Martini, & Benedicti honore honeſtiſſimè dedicauit, ſuæ ſalutis non immemor, qui per beatum Gregorium animam in imis erebi faucibus alligatam nondum baptiſmi lauacro renatam, cùm ſalubre tamen ac generale baptiſmi præceptum ſupernis ſedibus nouerat eſſe illatum, abſque dubio confidens eius precibus, ſe poſſe etiam in morte ſaluari. Congregationi denique ſibi cõmiſſæ medietatem Chichirei villæ, Regio confirmans præcepto attribuit, vt die ſuæ ordinationis, ſuíque obitus atque ſenioris ſui Regis Ludouici, & ſacrorum altarium, hoc eſt Cryptarum, dedicationis die refectio congtua pararetur, quo ſaltem muneris collatione & per ſingulos annos venerationis eius apud poſteros reuiuiſceret memoria. Canonicis quoque Sancti Euſebij in Molendinis villa, manſos contulit octo per præceptum Regium perpetualiter eorum deſtinans vſui, vt eorum interuentu fragilitatis illius fieret dilectio. Poſtremo dum talia aguntur, ſubitus vitæ irrepſit occaſus omniúmque quæ videntur & tranſeunt oblitus, ſola mortis cœpit trepidatione vrgeri, reum ſe clamitans, ſceleratiſſimum confitens, veniam à cunctis, vt neceſſe fuerat, flebiliter depoſcens, ſpes ad cœlum erigitur, mens & conſilium ad Chriſtum non ſerò conuertitur, atque poſt beati Stephani, cuius ſedi præfuerat, interuentum, Sancti Clementis ſe ſuffragiis committit, atque in limine domus extra Eccleſiam corporis ſui glebam ſepeliri efflagitat, ſicque totus conuerſus in melius, felici ad Chriſtum tranſitu migrauit; quem non extra, ſed intra Eccleſiam beati Clementis affectus Cleri recondit, per quem viuens adhuc apud clementiam ſummi iudicis, obnixè ſe credidit adiuuari. Rexit Eccleſiam annis vii. menſe i. & diebus viii. obiitque iv. Idus Maij. manſit Eccleſia abſque Pontifice menſes iii. dies xvii.

CAPVT XLI. De Herifrido.

Hertfridvs, Natione Carnorenſis, vixit glorioſè in Epiſcopatu xxii. ann. menſem i. dies xvi. Hic vir nobiliſſimus qualiter hanc ſuſcepit dignitatem, qualis in Pontificatu, qualis & ante fuerit non allegare literis indecentiſſimum eſt, eo ſiquidem tempore Carolus nulli virtute ſecundus totius orbis gubernabat Impe-

rium, quo hoſpite, fœlices extitere res mundi, quia & Rex Philoſophabatur, & Philoſophus regni moderabatur habenas: nam licet in diuerſa, vtpote Regum omnium potentiſſimus, extenderetur animus, liberalium artium ferulas à Palatio nunquam videret deeſſe, ſed Regiæ dignitatis aulam totius ſapientiæ Gymnaſium mirareris exiſtere. Ad hunc locum quique nobiles, & Regni optimates diſcendi gratiâ humani, & Eccleſiaſtici habitus ſoboles deſtinabant, certi vtriuſque diſciplinæ dogma oppidò refulgere. Inter alios denique ſuperbi ſanguinis iuuenes, inibi exultantibus animes confluentes, aderat præfatus vir ex nobiliſſima Armoricani tractus proſapia deriuatus, Herifridus nomine, morum ſanctitate probariſſimus, vultu & conuerſatione Angelicus, ardens in humanis tenebris diuinæ contemplationis radius. Huius Pater Herifridus nominatus eſt, mater verò Hiſemberga eſt nuncupata. Nobiles genere, nobiliores ſanctitate. Qui licet forent coniugati ſæculo, erat tamen in cæleſtibus illorum conuerſatio: qui præfatam prolem tenerè diligentes, Omnipotentis & beatæ Mariæ ſeruitio tradiderunt. In Carnotenſi vrbe, vnde & ipſi oriundi erant, ingenti gratulatione eum tonſurantes: ibi aliquanti ſper liberalibus inſtitutus ſtudiis, vt in eum literalis ſcientia concurreret, domino Gauterio Sanctæ Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopo id procurante, ex cuius proceſſerat progenie, ad ſupradicti Imperatoris famulatum ſeruiturus dirigitur. Illic plenè ſcripturarum perſcrutans paginas, ſenioris hic inhæſit ſeruitio, vt nunquam ab eius vellet præſentia diſcedere, nunquam ab Eccleſiaſticis negotiis ſeparari. Interea vrbis Autiſſiodorenſis in vnum collocata Cleri & plebis congerie, de eligendo Paſtore conſilium quæritur, atque ad Regiæ magnificentiæ aures nuncius percitò dirigitur: nec mora Rex audito Antiſtitis obitu, omni cupiditatis ardore depoſito diuina perordinante Clementia conſilio aulæ Regiæ procerum acclamantibus cunctis domino Herifredo cum ſumma reuerentia nominando Paſtoralem confert baculum, atque ad Senon enſem vrbem dirigit ordinandum. Quem diuiniſſimus Archipontifex Gauterius cum ſummo honore excipiens conſenſu Cleri & plebis illuc huius rei gratia confluentis, feſtiuitate Sancti Ioannis, quâ capite præciſo cœleſtibus eſt inſinuatus ſacrariis, in Nigello Cœnobio ordinauit, & cum ſumma exultatione in hanc ſedem inthronizauit. Vbi qualiter vixerit, & quàm nobilem ſe normámque virtutum omnibus præbuerit, plus ſuperſunt, qui hæc luce clarius norunt: & quoniam hoſtis humani generis aduerſus iuſtos amplius fraudis ſuæ peruigil tendit muſcipulas, diuerſa huic viro Apoſtolico ingeſſit tentamina, vt à veritatis tramite exorbitantem ad ſua male ſuadens verteret conſilia. Nam Ciuitas improuisè flammis exuſta, penitus verſa eſt in cineres tantum & rudera. His ita geſtis, charus domini Herifridus hoc animo induxit ſuo, nunquam ſibi aliquod facturum in vrbe habitaculum, donec ædes Dei Eccleſia, ſcilicet beatæ ſemper Virginis Mariæ ac Sancti Ioannis, ſimúlque primi Martyris Stephani in priſtinum redigerentur ſtatum. Quas paruo contentus tuguriolo mox reædificare cœpit, & funditus eas opere mirifico exornauit. In huiuſmodi ſtudio vſque ad vitæ terminum permanſit, ſicque Eccleſiis nobiliter reſtructis, anteceſſorum ſuorum domos condere mors infœlix prohibuit. Multa denique præfatæ ſedi ſubſtracta erant beneficia, quæ ſolerti cura ſummáque vigilantia Regalibus præceptis ac Apoſtolicis priuilegiis ſancita ſuo loco reſtituit, ex quibus Malliaci cum ſuis adiacentiis medietatem altari ad concinnanda luminaria contulit, alteram Canonicis ad refectionem die obitus ſui præparandam conceſſit. Creuennum etiam villam & Narciacum ac Nouicum, cum ſuis appendiciis ſibi ſuiſque ſucceſſoribus perpetuo ſeruitura diu multúmque laborans impetrauit. Attadum denique & in Capilliaco manſum vnum in Lindriaco alium, & farinarium, quod eſt ſecus murum vrbis, ad parandum in die ordinationis ſuæ edulium fratribus conceſſit. Oratorium ſanè beatiſſimi Clementis, quod eſt in eadem vrbe, flammis exuſtum reſtaurauit, eique per deprecationem Herimberti, qui his iure beneficiario vtebatur, Chimiliacum villam cum Eccleſia Sancti Andreæ, quæ eſt in Gurgiaco, attribuit, præcepto confirmans Regio. Eodem pacto, vt idem Herimbertus Eccleſiæ ſibi commiſſæ fideliſſimus filius, qui omnium Eccleſiarum reſtaurationi poſt prælibatum Pontificem inſudauit, eiſdem rebus adhuc viuens frueretur, vnúſque poſt illum, quem eligeret, propinquus, ſicque neceſſaria præfato ſubminiſtrarent oratorio, & die feſtiuitatis Sancti Clementis Martyris congruum Canonicis impertirent paſtum, quatenus ipſius apud Deum Omnipotentem interuentu, cui Angelicis etiam manibus in mari præparata

rata eſt domus, criminum fluctibus exoneratam ad æternæ quietis portum ſuæ virtutis anchora introduceret, & clementiæ ſuæ ſinu iugiter confoueret. Idque Domini Gauterij Archimandritæ, ſuæque Diœceſcos Pontificum authoritate in perpetuum durabile ſanxit. In Arbrico quoque manſa quatuor, altari Eccleſiæ S. Stephani, in Archiclaui dominio condonauit, in Senonico etiam Pago & Comitatu apud Noerolium villam ſupra fluuium Ichaunæ manſa videlicet XXXVI. & tertiam partem manſi, quod quondam fuit beneficium Aganonis, cum alodio in Pomerio villâ ſupra fluuium Oroſæ, quod Wlfagius Sancto Stephano dedit ad reſtaurandam Eccleſiæ ipſius martyris fabricam in miniſterio Archiclaui contulit, eo tamen tenore, vt & villam & alodium iam dictus Wlfagius ac filius eius Anſeiſus teneant, & in cenſu XV. ſolidos Archiclauo perſoluant. Illis verò mortuis, eædem res in miniſterium redeant Archiclaui. Innumera quippe ſunt ſanctitatis eius inſignia, quæ penitus narrari carnalis lingua minimè ſufficiet. Nunc ſiquidem beatum virum de Chriſto iugiter ruminantem ægritudo podagricæ paſſionis ſubitò inuaſit, chiragræ etiam ac omnium in corpore artuum langor ingens, qua diu multúmque grauatus eſt moleſtia: ſed tamen animus à diuina meditatione nunquam vacabat beatæ ſemper Virginis Mariæ ac Sancti Ioannis Dominicæ Incarnationis præuii, nec non etiam Domini Stephani ſuffragiis iugiter ſe efflagitans releuari. Quadam autem die validiſſimus tumor pedibus eius ſe ſe ingeſſit, adeò vt ſapiendi ac mandendi facultatem ei penitus velaret: tum ſubitò coruus ales cadauerum amica obli ta propriæ naturæ partem ſtanni, quâ fuerat cocleare coopertum, ore patulo arripuit, & ante Epiſcopi feneſtram iuxta quam cubitabat, proiecit: quæ ſtanni particula ante Præſulem allata eſt, quam Pontifex arripiens, inuocato Domini nomine, fidenſque ſe meritis Sancti Stephani poſſe ſanari ſtannum pedibus ſuperpoſuit, móxque dolor abceſſit, nec mirum, ſi hæc auis Domini imperio malagma pedibus Sancti viri contulit, quæ etiam Heliæ famem carnis edulio refecit. Aliquandiu præterea deſiderans vti colloquio Domini Rithueri Auguſtætricorum Epiſcopi, villarem ſupra fluulum Ichaunæ adiit, quo præfatus Pontifex alacriter obuius proceſſit, vbi mutuis ſe ſe cõfouentes amplexibus, longam de religione protulere ſententiam: Erat autem ibi fons delicabiles ebulliens aquas, quas vir magnificus Herifridus Epiſcopus intuens lagenam fictilem eadem lympha plenam deferri iuſſit, equóque inſidens, & facto deſuper Crucis ſigno vas accepit. Aſt equus ferociſſimus lagenam inſolitam ſuper ſe ſentiens exiluit, ſicque vas vt plenum fuerat ſolo tenus proiecit; mira res, vas enim vt plenum fuerat, ac ſi manibus leniter deponeretur, ſuper tellurem reſedit, & aquas in ſe ſe, ne vergerentur, retinuit. Mirati ſunt omnes qui aderant. Idem quoque lympham ad ſe demum reportari iuſſit, & numen Domini benedicens ſufficientiſſimè hauſit, ſuóque Coepiſcopo & reliquis hoc admirantibus bibendam dedit. Hoc meritum fuiſſe Pontificis Herifridi, & Domini Rithuei nemo ſanum ſapiens dubitet. Cæterum poſt longa inter ſe affamina & dulcia inter Sanctos oſcula, quique redierunt in ſua. Cúmque ad Ciuitatis mœnia Dominus Herifridus redire diſponeret, deprecatus eſt eius magnificentiam Hermembertus illi fideliſſimus, quo in Eccleſiam Sancti Andreæ quæ eſt in Gurgiaco ea nocte moraturus ſeсederet, cui id quod petebat conceſſit. Vbi ea die moratus eſt; cúmque ea quæ Pontificem decebant, præfatus Hermembertus pararet, repente febrium vapore ſic accenſus eſt, vt nihil niſi feruorem ſentiret. Quod Herifridus glorioſus aſpiciens, inuocato nomine Domini, ne amplius hanc ſentiret moleſtiam, per eundem Dominum interdixit, móxque dolor omnis in eo conquieuit: deinde cibo ſumpto nox ruit, & præſcriptus Præſul cubitum perrexit. Igitur Omnipotens Deus ſicut ſecretorum ſcrutator eſt incircunſcriptus, ita etiam ſeruos ſuos diuerſis occultè examinauit generibus: namque vt ſe habet humana fragilitas, propter tantum ſibi collatum munus ne ſe præſul extolleret, æſtus, quos ſua obteſtatione & merito ab alterius corpore ſubmouit, ad proprias vires iuſta Dei ſententia retorſit, quippe qui lætus & incolumis thoro membra intempeſtæ noctis ſilentio locauerat, à ſomno excitatus ingentem febrium dolorem in toto corpore ſenſit, quâ ægritudine percuſſus ad Sancti Andreæ Eccleſiam pernici greſſu confugit, ibíque quod reſiduum noctis fuerat, Domino ſupplicans peregit, dehinc illuceſcente die ſacra Miſſarũ ſolemnia celebraturus accingitur. Quo hauſto à diuino fonte cõſilio, Corp. & Sang. Dom. libamen ſumeret, vt eius virtute cuncta infirmitatis infeſtatio conquieſceret. Quod diuina virtus pe-

tenti non denegans. Illicò enim vt redemptionis noſtræ donum inæſtimabile ore ſumpſit, febrium calor ac ſi nunquam in eo fuiſſet, extinctus eſt. Illud præterea non omittendum, quod & in ſede Pontificali, & in locis circumpoſitis, diuulgatum nouimus; aſſerunt enim hi, qui illius tempore ſcholaribus ſtudiis inſiſtebant, quòd ſi mane eius benedictione, aut ſaltem præſentia frui mererentur, omnem, ne eo die virgis aut baculo cæderentur, exclusam eſſe formidinem: omnibus quippe omnia factus eſt, ſenes enim ad potiora ſuo inuitabat exemplo, iuuenes placido, ne deſiperent, corrigebat eluquio, adoleſcentes pietatis ſummæ ſuſtentabat gremio, diuites vt ſua domino largirentur, ſeque diuitiarum diſpenſatores non dominos conſtitutos eſſe reminiſcerentur, iugi ſtudio informabat; pauperibus etiam velut hilaris dator ſua minimè negabat: nam Clericos ſtipe & veſtibus indigentes, quamdiu aderat, ſecum vt filios reficiebat, cunctáque neceſſaria ſubminiſtrabat. Alicubi quoque proficiſcens nominatim ſingulos, quos neceſſitas vrgebat, propter Canonicum victum iugiter diario, donec rediret, miniſtris alere præcipiebat. Huius erat ſtudij, huius ſollicitudinis vt de ouili dominico nullam ouem Lupi iugiter inſidiantis murſus laceraret, ſed vt bonus Paſtor gregem ſibi creditum ieiunando pernuctando orando iugiter defendebat. Dum talia aguntur, omnipotentiſſima diſpoſitrix & moderatrix æquiſſima Dei virtus Deique ſapientia famuli ſui meritum probare non diſtulit: nam prolixus langor compagem corporis grauiter diſſoluere cœpit, ita ut nullum membrum ſuo valeret iungi officio. Nec tamen ſic à Dei ſui ceſſabat obſequio: lingua enim tantùm incolumis laudes Domini perſonabat, eiúſque mentem diuinarum ſcripturarum meditatio confouebat, vtque in futuro ſalutari hoſtia, qua Chriſtus eſt, non indigeret, ipſe in præſenti hoſtia viua fiebat, vſus egregij prædicatoris Pauli exemplo dicentis; Ego iam immolor & tempus meæ reſolutionis inſtat: fidenter dici poteſt, quia ad ſuum Omnipotens Deus inuitabat collegium, cuius in terris poſitus ſectabatur exemplum: triſtabatur Clerus lugubri mœroris pallio obſitus, ac Paſtoris benedictione indigens, eúmque diutino languore fatigari ſuſpirans, lamentabatur. Præſul autem vt vicinum ſenſit appropinquare exitum, ſciens non poſſe quod deliberauerat proficere, ſummam denariorum, quam ad hoc collegerat, diſpertiuit, triginta ſcilicet libras ad faciendam ante altare Sancti Stephani tabulam: viginti quoque ad ornanda beatæ Mariæ beatique Ioannis altaria: reminiſcens Eccleſiam Sancti Euſebij penitus eſſe deſtructam, dedit ei in Loconuaco villa manſa duo & dimidium, in Ceriaco ſimiliter, in aqua Niolo tertiam partem manſi, medietatem altari conferens, alteram Canonicis eiuſdem loci largiens, idque longe ante mortem Coëpiſcoporum ſuorum manibus perpetuò durarurum firmauit, reliqua omnia Canonicis ſuíſque erogauit fidelibus. Nudus, inquiens more Sancti Iob, egreſſus ſum ex vtero matris meæ, nudus & reuertar illuc; omnibus enim membris emortuis ſola in ore lingua palpitans Domino confitebatur. Quid plura? Tandem ægritudo per artus diffuſa ad vitalia redit. Conuenit illic copioſa Ciuitatis multitudo. Occurrunt omnes benedictionis munera implorantes, aderat Clerus eiulans, & pro exitu animæ Pſalmos decantans, moxque præparatis cineribus, & ſuperiecto cilicio vt virum decet Chriſticolam ſe deſuper extendi iuſſit, ſicque cum aliis grates Domino perſoluens & Sanctæ Crucis ſigno ſe cunctóſque, qui aderant, muniens, fœlici tranſitu migrauit ad Dominum, ſepultúſque eſt honorificè ante altare ſemper Virginis Mariæ intra vrbis mœuia, cui viuens perpetuo ſe deuouerat ſeruiturum.

CAPVT XLII. DeUeranno.

Gerannvs Epiſcopus, Natione Francus, Sueſſionis oppidi indigena, Patre Orardo genitus, Matre Vvia editus, rexit Epiſcopatus Cathedram IV. annos, menſes VI. dies XI. Sic ab ortu natiuitatis ſuæ lacteis infantiæ fomentis educatus, vbi primæuum puerilis æui exorſus eſt ingredi veſtibulum, exemplo prouido parentum animos ſollicitante cura rudibus ſcholæ committitur ſtudiis, quibus adhuc tenerrimum ſtupidúmque balbutientis infantiæ ſenſum mos eſt erudiri, modò mulcendo, modò blandâ ſeueritate terrendo. Denique poſtquam Dauidicis eſt eruditus melodiis, ſummi authoris fauente Prouidentia, Clericatus eſt normam adeptus, atque glorioſi Martyris Geruaſij

concioni allectus, vbi regulariter inſtitutus, & venerabilium loci illius Patrum Moriger factus hiſtoricos librorum campos faceto linguæ plectro tranſcurrere, atque canoros Muſicæ Artis modos in aula Chriſti mellitæ vocis boatu reſonare didicit. Creſcebat quotidie in eo ſpecialis ſapientia, vita caſta, mores probi, & cum his omnibus locuples rerum abundantia. Huius horrea atque cellaria frumento & vino redundantia tenax non poſſedit Philargyria, ſed ea omnibus fecit communi munifica eum inhabitans charitas, oſtium domus eius viatoribus patuit, beneficia conſolationis præbuit; gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus, detecta miſerorum terga veſtimentis contexit, atque purulenta pupillorum capita lympha cum lomento emaculari fecit, his atque huiuſcemodi bonorum operum exhibitionibus exornatus, ita omnibus cœpit complacere illius Eccleſiæ Patribus, fratribuſque, quo non iam vt filius, ſed velut pater ſuſciperetur à cunctis. Quid dicam? Siquidem ab imis miniſteriorum gradibus gradatim conſcendens ad Præpoſituræ promotus eſt officium, ſimúlque cum eo Archidiaconatus promeruit apicem, in qua honorum dignitate ſublimatus, ita ſe modificare vigilanter ſtuduit, quatenus nec faſtus typho ſupra ſe erigeretur, nec adulantium fauoribus à ſtatu conceptæ religionis moueretur, excubias gregis Chriſti poſt vigilem Paſtoris curam inſtantiſſimè agens, à ſe & ab aliis vitiorum monſtra abegit atque competentia corporeæ neceſſitudinis alimenta ac indumenta fideliter miniſtrauit. Talibus vt dictum eſt præconiis, & aliis multimodis vſque ad poli ſydera euectus, ita mundo opinatiſſimus enituit, vt & Regiæ majeſtati gratantiſſimus, præſulibus carus, proceribus acceptus, Clericis omnibus venerandus, militibus dilectus, ſupremis humilibuſque perſonis, atque vtrique ſexui foret amabiliſſimus. Factum eſt ergo poſt tranſitum Domini piíque Paſtoris Herifridi Autiſſiodorenſis, Eccleſiam variis ærumnarum exceſſibus laceſſiti, maximéque pro electione Paſtorali, ad quam nonnulli, non zelo ſpiritali, ſed anxiâ honoris ambitione exanhelabant. Erat autem ea tempeſtate vir quidam potens Ragenardus nomine, eiuſdem Ciuitatis Vicecomes, fundorum ædificiorúmque poſſeſſionibus locupletiſſimus, auri argentíve theſauris ditiſſimus, ac rerum omnium abundantia copioſiſſimus, parentum nobilitate clariſſimus, militum cuneis ſtipatus, & vt ita dixerim in aula Richardi magni & florentiſſimi principis nulli ſecundus, excepto Manaſſe eius Germano, qui cum talis ac tantus eſſet, auaritiæ vaporibus æſtuans, omnibus ſe præferebat, ſingularis ſingulariter apparere cupiens, & vt potens potentior, diues ditior efficeretur, virulento meditabatur animo quatenus talem Eccleſię perficeret Præſulem, quem ſuæ ſubdere ditioni quiret, propriæque voluntatis conſiliis acquieſcere vrgeret, quique ſi ſibi libita domus Dei beneficia inuadere tentaret penitus tyrãnica eius minitánte potentia obmuteſceret: nefaria igitur arrepta machinatione ducem Richardum adiit, oblatíſque muneribus, vt ſibi illius electio Eccleſiæ daretur, expetiit, denique compos voti ſui effectus Canonicorum venerabilem chorum adſciuit vnà cum militari ordine, ſciſcitans ab eis, quem in voluntate haberent eligendum, ordinandúmque Epiſcopum; cunctis verò ſilentibus, nihílque aliud reſpondentibus, niſi quem Deus elegerit, Ego, inquit ille, omnium veſtrum dilectionis flamma ardeo, omniúmque voluntati & poſtulationi fauere ſatagens peculiariter venerari vt patres, honorare vt fidos amicos cunctos vos præ cæteris vſquequaque Deo obſequentibus volo, ſi tantum libet à vobis promereri valeo, quod vobis ſuggerere ad generalem honorificentiam geſtio. Illis quoque quædam ſibi placentia reſpondentibus ad hæc, ſubintulit: Eſt quidam Francigena mihi familiariſſimus, Deo vt hominibus acceptus vocabulo Gerannus, morum honeſtate præclarus, fide præcipuus, mentis ſtabilitate vegetus, qui Deo propitio cum ſit ſuis ciuibus bonus, vobis poterit fore melior, ſi veſtra affectione extiterit paſtor: at illi animaduertentes roboris eius potentiam & declinare volentes quas inferre poterat calliditatis eius injurias, pollicentur ſe eius parere conſilio: qui protinus negotium accelerat ſitiens, prælibati Principis nactus licentiam, propinquorum amicorúmque fultus iuuamine, tandem Cleri populíque fretus electione Archipræſulis Domini Gauterij ſubnixus authoritate ſereniſſimum atque piiſſimum Regem adiit Carolum, atque diuino ſuffragante adminiculo, vt vir ille ſtrenuiſſimus Pontifex eligeretur, & ordinaretur, promeruit: qui ſanctiſſimum ac laborioſiſſimum benedictionis munus adeptus ab omnibus gratulanter excipitur, & cum ingenti Clericorum diligentia innumerabilíque populorum frequentia, præeuntibus atque ſubſequentibus pſallentium choris, de-

fertur humeris Religioſorum ad aulam primicerij martyrum Chriſti Stephani, ibique Stola Pontificali infulatus, in ſede Sacerdotali honorificè collocatus reſedit: vbi procedente breui temporis curriculo, quàm piè vixerit, quantáſque à præfato Ragenardo, atque à barbarica Normannorum gente pro ſuo ſuorúmque munimine perſecutiones paſſus ſit, ſaltem ſuccinctè expedire licebit: ſiquidem extemplo poſt potitam Epiſcopatus ſedem iſdem Ragenardus malitiæ virus, quod rapido delitefcebat in pectore, non erubuit in omnium obtutibus euomere: acceptâ namque occaſione quaſi ex voto ſponſionis eius, Gaiacum villam tribus ab vrbe millibus diſcretam cum omnibus appendiciis ſuis ditioni eius ademit, ſuæque impudenter aptauit; atque vt in facultates eiuſdem Eccleſiæ minuendas dementior exiſteret ipſius ſuggeſtione machinante, Manaſſes frater eius potentiſſimus omnibus tunc Gallicanis diuitibus ditior, cunctorúmque conſiliorum ſecularium arcaniſſimus perſcrutator, vnde & Regibus & optimatibus cunctis vſque ad extremos Orbis cardines famoſiſſimus, Nareiacum villam in ſuos vſus redigere non exhorruit: ille quoque infeſtiſſimus hoſtis eius, vt prælibatum eſt, Ragenardus, ſuis eum præceptionibus adeò concludere nitebatur, vt extra conſultum & voluntatem eius nihil agere tentaret, Clericorum illius nullus, militum nemo ei refragari audebat, ſed ſicut ſuis, ita illis omnibus imperabat. Interea dum talibus mens eius infortuniis auxiaretur, irrumpebant & aliæ calamitates miſeriarum, quibus maximè turbaretur, ſeque totum ad diuinum conferre auxilium compelleretur. Normannorum quippe paſſim bacchabatur ſæuitia, atque inceſſabilibus plagis omnem Regionem, diebus ac noctibus palam & clam depopulabatur cædibus & prædiis igniúmque deflagrationibus omnem terram exterminans: quod cum vir heroïcus paſtorque eximius cerneret, intolerabili cordis mœrore concuſſus eſt prò ſibi commiſſo grege occurrere paratus, dominici ſermonis non immemor, quo dicitur: Quia bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, ſuos euocat, verbis hortatur, benedictione corroborat, vtque bellicis accincti armis ſecum proficiſcantur exorat, mandat Ragenardo verbis poſtulatoriis vt ſecum ad pugnam exeat, & minimè impetrat: at ille cum ſuis tantùm vrbe egreſſus ſpeculatores præmittit, hoſtéſque inuenit, initur bellum, potitur victoria, & opitulante diuina gratia, profligatis aduerſariis tria illorum reuehuntur labara, duo illic hoſtium nobiles capti ſunt: quorum vnus de muro Ciuitatis præcipitatus periit, alter eidem Ragenardo datus extitit: deinde poſthæc ſupremi numinis virtute roboratus, quoties hoſtiles erumpebant phalanges ad exercendas prædas, ipſe illorum congreſſibus ſe vltroneum ingerebat, modo incautos, modo perſpectos occupans, atque non minima ſtrage proſperabatur. Huius victrix dextra vna cum Richardo & Roberto duobus maximis proceribus, prælio quod apud Carnotum vrbem geſtum eſt, interfuit, vbi interuentu Dei Genitricis Mariæ, maxima Paganorum cædes acta eſt, in tantum, vt innumerabili multitudine palante, inuenta ſint iugulatorum cadauera pluſquam ſex millia quingenta, exceptis his quos vorago fluminis Auduræ abſorbuit, longuſque fugæ tractus ſyluarúmque vaſtitas vulneratos & exanimes obtinuit, alia quoque tempeſtate ſuccedente, cum Normannicæ poteſtatis furor pagum Niuernenſem diriperet & immenſitatem prædæ etiam cum onuſtis plauſtris ageret, inuictiſſimo illis occurrente Richardo, iſdem Gerannus Epiſcopus in primâ cum paucis acie poſitus illos imperterritus aggreſſus eſt, móxque in fugam verſis, ita vis hoſtilis ſuperata eſt atque deuicta, vt ſi, qui remanerent amiſſa nobilium bellatorum confidentia, nulla vlterius conſerere prælia, nullas deinceps depopulari terras auderent; ſed ſe Francorum Imperio vltroneos dederent, atque iugo Chriſti colla ſubmittentes, dæmonicis ludificationibus ſpretis, lauacrum baptiſmatis libenter appeterent, & deinum dono Regis & Principum inhabitandam Regni partem, eorum antea abliguriendi veſania deſolatam ſibi diſpertitam incolerent; at Ragenardus eius pertinax calumniator, talibus eum pollere ſucceſſibus, liuidis intuens aſpectibus, morbo tabeſcebat inuidiæ, animaduertens illum ſecundis omnia, quæ moliebatur, proficere auſpiciis, ſuóſque quos meditabatur conatus, quotidianis deficere detrimentis. Hic itaque glorioſus paſtor cum pro pace Sanctæ Dei Eccleſiæ, atque ouilis Chriſti tuitione vt inexpugnabilis athleta bellico inſtare non trepidaret agoni, prouido ſollicitudinis oculo ſaluti ouium ſuarum quemadmodum

ſagacissimus opilio inuigilabat, & à vipereo inuisibilis inimici astu per ſe pérque ſuos eas indeſinenter eripere anhelabat: cuius circa eas amoris magnitudo, in affamine, in conuictu, in receptu, quanta extiterit neget mortalis explicare lingua, ſed tamen quanta fuerit, ipſa donorum eius dapſilitas euidenter declarat. Atqui ad ſolemne ſuæ electionis memoriale celebrandum, dilargitus eſt vſibus Canonicorum Logniacum villam & Solium, vt ex eis ad luminaria Eccleſiarum Sanctæ Mariæ & ſancti Ioannis, ſanctique Stephani modius olei vnius perſoluatur & Nancradus & Lupinus ſtipendiis fratrum cedant. In die quoque ſuæ ordinationis eiſdem fratribus delegauit in Comitatu Gagiacum, cum omnibus appendiciis ſuis, & vineam, quæ eſt in ſuburbio ciuitatis, & vocatur Cireeredus, quam qui habuerit per cartam pro eius amore Dei, eiſdem fratribus Canonicorum vſui modium vnum ad minorem menſuram, & in Comitatu Autiſſiodorenſi Tauriacum cum adiacentijs ſuis, & villarem quo-opertorium & in villâ Priſciacô manſum vnum & in Comitatu Senonico ſuper fluuium Ormentionem in Germaniaco manſum vnum, & ſuper Beleam fluuiolum Ceruernum, quem ipſe emit de Boecardo fratre Gauterij Archipræſulis, cum ſeruientibus & omnibus appendiciis ſuis. In die verò obitus ſui eorundem ſtipendiis accumulare aliqua ſatagebat, ſed in itinere poſitus præuentu mortis interceptus vltimum exhalauit flatum: proficiſcebatur ſiquidem in Franciam, quatenus Regiæ maieſtatis aures interpelleret pro ſupradictis villis ſibi, ſicut præſcriptum eſt ablatis, ſi fortè imperioſâ Regis iuſſione & optimatum poſtulatione atque Richardi clementiſſimi ducis abſentatione eas poſſet recuperare: ſed cùm perueniſſet ad vrbem Sueſſionem, antequam eam attingeret, iam paululum infirmari cœperat, grauari exorſus eſt langoris incommodo: vbi honorificè exceptus, cum ſe letho appropinquare cerneret, luctuoſus à corde erumpebat gemitus, profuſos lachrymarum imbres effundens, clamans ſe quanquam eſſet in patria velut profugum & peregrinum, abſque præſentia dilecti gregis obiturum, ac ſine eorum exequijs, quibus ſe committere ardentiſſimè ſatagebat, terræ gremio inſinuandum: ex hinc ingruente funeris articulo, acceptóque dominici corporis & ſanguinis ſacramento, commendans ſe ſibique populum commiſſum Deo Saluatori omnium, emiſit ſpiritum. Migrauit autem ad Dominum v. Kalend. Aug. Ibique iuxta auunculi ſui Rodohini ipſius loci quondam Præſulis ſepulchrum ab Abbone eiuſdem ciuitatis venerando Pontifice aliiſque duobus Epiſcopis ad Officium ſepulturæ illius occurrentibus, aggregatis diuerſarum Collegiis Eccleſiarum Hymnidicis laudibus decenter tumulatus, patriam ſortitus eſt vrbam. Fuit Eccleſia ſine Epiſcopo à XII. Kalend. Ianuar. vſque ad VI. Kalend. Martij.

CAPVT XLIII. De Bettone.

Betto Epiſcopus, natione huius noſtræ Burgundiæ Burgundio, Senonicæ vrbis indigena, patre Alberico, atque Burgundione editus, matre vero vocabulo Angela Franeigena fœlici eſt procreatus auſpicio, qui à puero Monachus, Monaſticis inſtitutis eruditus & liberalibus non mediocriter imbutus artibus, tempore Euurardi, cuius erat conſanguineus, Abbas extitit Cœnobij S. Heraclij confeſſoris Chriſti egregij, poſteà verò loci ſui, id eſt Monaſterij Sanctæ Columbæ, cuius mancipatus fuerat obſequio, voluntati fratrum prælatus efficitur. Quâ diutiùs prælatione honeſtiſſimè fuugens, hæc præcipue illi ſtudij extitit induſtria, vt operoſis Cœnobium illud excoleret ædificiis, Eccleſiæque Dei fabricam auri, argentique decoraret ornamentis. Turrim ſiquidem in medio templi præminentem quæ ob ſui amplitudinem eâ tempeſtate, quâ prælatum admiſit, tegumento carebat, & quandam breuitatis infirmitatem intuentibus deſignabat, in ſublime extulit, eámque artificiali argumento pulchro conſtructam opere, teſtudine texit, & ob roboris firmitatem ſubtus arcus priores alios fieri iuſſit marmoris columnis ſubnixos: Exedras quoque beati Lupi Confeſſoris Chriſti, & ſanctæ Columbæ Virg. & Martyris bracteis aureis atque argenteis fabrili artificio ſculptis ambiuit; nonnulla etiam veſtimentorum peregrina ornamenta in diebus ſolemnibus induenda Monachis ſuppleuit: & tandem huius noſtri periculoſi temporis plenúmque timoris inſtabilem intuens curſum & prouido ſollicitudinis oculo proſpiciens inter hoſtiles Paganorum acies in ſuæ integritatis ſtatu Monaſterij fabricam non poſſe

præſtare inuiolabilem, fiſcus de largiſſima omnipotentis clementia, & accepta Richardi Magni Principis & eiuſdem loci Abbatis licentia operoſum aggreſſus eſt opus, magna laboris inſtantia penè vſque ad perfectum perduxit: nam in gyro Monaſterij mœnia cum turribus fundauit, & vſque ad propugnacula erexit, quod caſtrum infatigabili ſtudio peregiſſet, niſi eum futurum Epiſcopum Dei dignatio aſcire decreuiſſet. Geranno quippe Autricæ ſedis Epiſcopo ab huius noſtræ communione vitæ corruptibilis per mortis debitum ſublato, prædictus vir moribus & vita laudabilis, & Pontificatum Autiſſiodorenſis Eccleſiæ dum arriperet, ab omni clero & Populo attentius acclamatur; ſed is ad hoc ſe indignum fore clamans, & totis niſibus obteſtans randem opitulanti prælibato principe Epiſcopalem indeptus eſt cathedram, vbi ſecundùm quam cælitus didicerat ſapientiæ regulam, ita perfectè ſtuduit viuere, vt immenſitatem opinionis eius & famæ, nullius valeat doctoris vel linguæ diſertitudo perorare, vel doctrix manus ſtylo exarare. Nos tamen ſummatim perſtringentes vitæ illius qualitatem, hoc veriſſimè aſſerimus, quia ſapientiæ documentis egregius, ſanctimoniæ candore præclarus, prudentia perſpicuus, grauitatis ſuauitate vernans, frugalitatis vigore coopertus, dapſilitatis benignitate extitit perornatus. Huic mos inerat tempore conuiuij poſt ſeſſionem ad menſam, primam ciborum appoſitionem duodecim egenis in ſuo conſpectu reſidentibus, aliiſque alicubi poſitis pene omnem dirigere, continuo æque alia non minima ſubſequente, in qua refectione poſt finem diuinæ lectionis, nemo aliquid indecens aut ſcurrile audebat loqui, ſed quicunque ex ore proprio quiddam nitebatur proferre, obſeruabat vt eius verbum, aut diuinum aliquid aut humanum bene condecens ſonaret. Talibus itaque vitæ lampadibus nitens & Deo & omnibus hominibus complacebat. Nam à tempore Geranni præſulis Ragenardus Vicecomes Gaiacum & Iuliacum villas non longè multum ab vrbe ſitas in ſuo detinebat dominio, ſed tamen hic vir egregius, cùm nequiret eas, nec ſpeciali commonitione, nec precum importunitate ab eius iure extorquere, ſalubri reperto conſilio, exhibitis pecuniæ donatiis, illas ſuæ reſtituit poteſtati, & vt præceſſorum ſuorum imitator fors & in die obitus ſui memoriale illius gaudentes Canonici recolerent, contulit eis Veudoſam Eccleſiam & Rontonicum villam, & in Carboiaco manſum vnum; cùmque meditaretur, vt ædes Epiſcopales, quæ poſt ciuitatis deflagrationem à nemine fuerant vel mediocriter reparatæ, exædificaret, & in aula Chriſti quæcunque poſſet honori congrua ſtudenter exerceret, pleuritico langore grauiter aſtrictus, diúque detentus, cùm à fidelium cæteris cuſtodiretur, & circa eum diuinæ laudes ac lectiones celebrarentur, fœlicem Deo cum confeſſione Catholicæ fidei ſpiritum reddidit ipſa die vt. Kalend. Mart. ſepultúſque eſt in crypta Eccleſiæ ſancti Germani: ſedit annos tt menſes xi. dies xtv. Fuit Eccleſia abſque Pontifice à vi. kalend. Mart. vſque ad v. kal. Aprilis, hoc eſt diebus xxxiti.

CAPVT XLIV. De Gvaldrico.

Gvaldricvs Epiſcopus Autiſſiodorenſis Pagi indigena, alta proſapiæ ortum ſtirpe trahens, Gualdricum habuit patrem & Hemmenam genitricem. Hunc mox in ipſo primordio natiuitatis, vterque parentes Deo Sanctóque Germano Monachum futurum flagranti deuouerunt animo, atque paternis nutritum laribus congruenti tempore Cœnobiris patribus educandum tradiderunt. Quorum intra contubernium litterarum ſatis eſt inſtitutus ſcientia, atque diuina illum protegente & augmentante gradatim prouidentia ſtrenue poſtea factus eſt loci illius Archimandrita: in cuius apice regiminis, ita ſe omnibus æquitatis trutinâ librare ſtuduit, quatenus in his, quæ agere illum oporteret, nec nimis facilem nec nimis difficilem ſe exhiberet: erat enim ſagax ingenio, prudens eloquio, in adminiſtratione cautus, in conſilio perſpicax, intus foriſque idoneus, cunctis denique poſt obitum Domini Bettonis Epiſcopi, quia talibus aliiſque quampluribus inter affines ſplendeſcebat bonæ opinionis inſignus, voluntate atque licentia præcellentiſſimi Domini Richardi principis, ab vniuerſo Clero & populo futurus appetitur & acclamatur Epiſcopus: electus à Monaſterio progreditur ac ſacrâ delibutus vnctione conſecratur & ordinatur Epiſcopus. In cuius dignitatis cathedra quàm laudabili-

ter Eccleſiæ Dei præfuerit, & quæ in ea geſſerit non eſt tegendum ſilentio, ſed ex multis pauca excerpere mandandum eſt calamo: nempe in egreſſu ſuo, in quâ maneret, Epiſcopalem non inuenit ædem, ſed in quandam Monachorum infra ciuitatem ſitam ſe diuertens manſionem, inibi interim degit, donec ſua iuſſione maior cœnaculi domus ab Heriſtido præceſſore ſuo inchoata Epiſcopo, ſed non perfecta, & à Bettone poſtmodum Epiſcopo aliquantulum ſuppleta perficeretur, adiecto poſtmodum alio ligneo cœnaculo æſtaris tempore ſub ſolis caumate ad refrigeranda conuiuantium & cœnantium corpora præparato, fecit etiam ſurſum iuxta cochleam ipſius domus Dei duas lapideas manſiones, vnam à meridie & alteram ab Aquilone, quarum vna conuictui & ſopori, altera recondendis rebus domeſticis aptiſſima foret, capellâ in medio locatâ, & in honore ſanctæ Crucis dedicatâ: patefecit quoque mediam cryptam ipſius cochleæ ad introitum commeantium ab Occidentali regione, & ante eam ſtatuit porticum funditus à ſe conſtructam; & valuas operoſa ferri fabrica quibuſdam ex ſe picturis diſtinctas coriiſque, vndique glutine connectas & fuco rubicundo coloratas ad cuſtodiam templi inter cryptam & porticum poſuit, aliiſque portis incultis oppoſitis è regione plateæ ciuitatis. Denique infra Eccleſiam in ſublimi erexit tabulatum modicum cum gradibus ligneis, vt per hos eſſent aſcenſus ſurſum & deſcenſus deorſum, & plerumque ſi à domo ſuprema egredi vellet, eumque ad inferiora tæderet deſcendere, illinc clarius ſupra gregem poſſet intendere. Infra quoque Eccleſiæ ambitum ad decus ſolemne vnam argenteam fabricari fecit coronam, atque in honore ſancti Stephani vnam manum auream gemmis politam, & alteram in honore S. Germani abſque gemmarum ornatura poſitis in ambabus ipſorum pignoribus Sanctorum ſimul cum augmento aliarum reliquiarum: contulit etiam ibidem Deo & ſancto Stephano duas cruces paruas ex auro optimo: quarum vna cum electro fabricata relucet, in qua intus poſuit reliquias ex Oſſe ſancti Laurentij, deforis in ipſius electri nobili ſculptura expreſſa paſſione ſupra craticulam ipſius Martyris almi Laurentij. Quoniam autem in eadem aula Dei erat precioſiſſimum pallium cum Leonum imaginibus, in quo erat ſcriptum inter Leones Græcis litteris, ΧΡΙΣΤΟΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ, non deſtitit priuſquam aliud eiuſdem ſimilitudinis pallium inuenit, emptúmque ibidem dilargitus eſt, quatenus vnum inde, quaſi ſibi reſpondere viderentur alterum Pallium dioprafii coloris & nominis cum hirundinibus, in quo phrygium opus ab Heriſrido priùs factum ex auro ſupra aram altari reſplendet diebus feſtis: dedit quoque vnum vexillum auro comptum ad efferendum cum aliis tempore publicæ proceſsionis: denique quando Romam profectus eſt ſtudio ſaluberrimæ Orationis à Domino Apuſtolico Ioanne maximis precibus impetrare meruit reliquias ſupra memorati Laurentij Martyris ac ſanctæ Eugeniæ, quas poſtquam ſecum deuexit atque in templo primi Martyris comitantibus Clericorum populorúmque non modicis cateruis, cum magno gaudio & honore collocauit, immenſas omnipotente Deo gratias laudéſque retulit, cuius larga munificentia talia & tanta in longinqua regione Sanctorum pignora obtinere, & huc vſque deferre imminetirus quiuit: de quibus partem Monachis Sancti Germani, qui ei obuiam proceſſerant, dedit, aliam verò ſibi retentam ita diſtinxit, vt ibidem pars minor retenta ſeruaretur, maior vero ſecum ad Varciacum deportaretur, quam in ipſius Beatæ Virginis & Martyris poſtea recondidit aulâ: nam ſuorum temporibus prædeceſſorum Beato Germano viro Apoſtolico nobilis ibi relucebat Baſilica, maximis populorum inſtantiſſimâ deuotione collectis frequentata: aſt idem vir feruentiſſimus diuini honoris amator factus eſt poſtmodum vt pater omnibus, ipſius Eccleſiæ propagator, & intus deforiſque ſtrenuiſſimus cultor, ſiquidem ab ipſis eam fundamentis vndique diſpoſuit, tectura, vitreis feneſtris, laquearibus pictis ornauit & excoluit, altaribúſque nonnullis cum ſanctorum pignoribus propriis titulis dicatis ſacrariſſimam præſtitit. Poſthæc ibidem quæ diuino erant obſequio competentia accumulauit, hoc eſt libros, veſtes, pallas, ſigna, & vaſa Sacrificio Dei neceſſaria: ſecus verò templum inſtruit ſibi ſuiſque habitacula ſucceſſoribus pulchro opere facta, & ad degendum tam religioni, quàm etiam corporeæ neceſſitudini congruentia, nec non etiam in eadem villa Varciaco duas Eccleſias vetuſtate dirutas, vnam in memoriam ſancti Petri, alteram S. Saturnini ex toto reparare ſategit, & in Cœnobio Sanxiacenſi aulam S. Baudelij

furibundâ Normannorum rabie crematam & poſtea lapſam, ſacro diuini amoris æſtuans igne propriis impenſis ad integritatem priſtini ſtatus reformare, non parua munerum oblatione nobilitauit, largitus quippe ibidem & vnam capſam argenteis tectam laminis ac deauratam, & vnam crucem magnam ſimiliter argenteam, inſtar crucis Eccleſiæ S. Stephani fabricatam & ſculptam: duo quoque ſuper altare Dei obtulit pallia optima & tria facitergia cum calice & patena ex argento fabrefacta & vnam Albam polymitam, & caſulam praſinam, cum ſuperhumerali & cingulo, vtraque auro compta: Nam & Monachis ipſius loci, quia paupertatis inedia ſoliti erant angi, multa conferebat ex ſuo alimenta; ac ne deficerent à ſeruitute Dei, ad exercendos corporum & animarum labores pijs eos alloquiis animabat. Interea ad reſtaurationem Eccleſiæ Sancti Euſebij in ſuburbio ciuitatis ſitæ deputauit ſolidos centum: ſimiliter fecit & Eccleſiæ Sancti Geruaſij, quæ eſt citra fluuium Ichaunæ, & hoc iam circa vitæ exitum. Verùm ſi vita ei aliquandiu prolatata nutu Dei extitiſſet, ambas illas Eccleſias, proprijs redintegraſſet impenſionibus. In Eccleſia ſancti Germani multa crebro eſt dilargitus exenia, inter quæ rutilat argentea tabula in introitu Eccleſiæ ante altare Sancti Ioannis, eiúſque tumulum poſita, & argentea corona, quæ dependi ſoletante proſpectum altaris ſancti & Confeſſoris glorioſi Chriſti Germani; & quùm delatus eſt exanimis ad ſepulchrum, iſdem locus vnum precioſum ab eius capitulo ſuſcepit pallium. Præterea hanc in ſua inſtituit Eccleſia ſaluberrimam conſuetudinem, vt omnes ſiui Epiſcopatus Diœceſani Sacerdotes cum ſuis Parochianis per dies Pentecoſtes feſtiuos, cum crucibus atque vexillis, ad principalem Sancti Stephani conuenirant aulam, luſtratis in gyro cunctis Abbatijs, ibique ab Archidiacono ſpiritualis verbi reficiantur epulis: & dehinc ſi Epiſcopus extiterit, percepto benedictionis munere alacres redeant ad propria, cum gratiarum actione. His igitur operum eius inſignijs depalatis, quibus coruſcauerit animo virtutibus ſequentia pandunt. Fuit ſi quidem diuinorum non ſegnis officiorum amator, atque in ſolemnijs Dei vel Sanctorum Muſicæ iubilationis ſeueriſſimus concrepator, lætus animo, vultu alactis, proceſſu iucundus, conuiuio dapſilis, hauſtu placabilis, patientia lenis, alloquio ſobrius, & omni honeſtate compoſitus, amator Clericorum, ſed potiùs Monachorum, quorum ſtudiis & conuerſatione à primordijs fuerat inſtitutus, diligebat militum contubernia, ſed maior illi inerat erga propinquos affectio, & largitas profuſior, vacabat opportuno tempore Orationibus, & interdum ſuorum fidelium inſtabat collocutionibus, ſibi ſuiſque congruentibus: quotidie poſt Miſſarum expletionem multis collectis pauperibus cum Pſalmorum modulatione panis & vini ipſe adminiſtrator aderat, dans ſingulis pro qualitate aut quantitate perſonæ, aut integrum, aut dimidium panem, cum optimo calice vini: & cùm hoc faceret omni tempore, in quadrageſima tamen, pluribus plurima erogabat, aliquibus denarios diſtribuens excepto mandato in die cœnæ Domini, cùm veſtimenta dabantur, & luculentior cibus & potus apponebatur. De multis pauca diximus, quibus in vita mundo floruit famoſiſſimus. Tribuit autem Dominus Deus quo iſta aliaque eminentiora de ſuis ſcribantur ſucceſſoribus. Itaque pijs honeſtatis fœlicis vitæ laboribus langore correptus creatori reddidit animam, ſuique corporis in Eccleſia Sancti Germani nobilem ſortitus eſt ſepulturam. Sedit in Epiſcopali Cathedra annis xv. diebus xxiv. & tranſiit ad Chriſtum xi. Kalend. Maij. Fuit autem Eccleſia ſine Epiſcopo ab ipſius obitus die vſque ad xiv. Kal. Iunij, hoc eſt diebus viginti ſeptem.

A Beato Palladio vſque ad xii. annum & ii. menſes Epiſcopatus Domini Guidonis iii. ſcilicet Kalend. Auguſt. quo videlicet die idem Epiſcopus corpora ſanctorum Pontificum Palladij & Tretici in Eccleſia ſancti Euſebij diu humata, vt à populis venerarentur, & ipſi alacriùs ſubuenirent, cum hymnis & laudibus à buſtis proprijs erexit, & ſuper altare poſuit: ſunt anni cccxxv. menſes iii. dies vi. præter numerum annorum Præſulum duorum Theoderanni ſcilicet & Quintiliani, qui hoc Catalogo inſcripti in prætitulatione habentur.

CAPVT XLV. De Gvidone.

Gvido, ſola Dei Clementia operante Autiſſiodorenſis Epiſcopus, Senonico Pago ortus eſt, patre Boſone, matre Abigail. Hic vir primæuæ ætatis crepundiis

Eccleſiæ S. Stephani Autiſſiodor. ſub regimine Domini Herifridi Præſulis traditus, ac tõſuratus eſt, vbi litteris tam diuinis, quàm humanis pro poſſe eruditus eſt, quoúſque ibi degens ad perfectam peruenit ætatem, dehinc rebus omnibus Deo ſe protegente poſtpoſitis Rodulphi Regis & vxoris eius Emmæ ſeruitio ſe mancipauit, ibique diuerſans decedente Waldrico Epiſcopo, ad Epiſcopalem mox inuitatur honorem, & electione Cleri & plebis, Rex Reginæ precibus ei attribuit Cathedram. Sicque 14. Kal. Ianu. Senonis ordinatus tandem Aſcenſiunis Dominicæ die, à Monaſterio S. Germani in Autiſſiodorenſem, vt moris eſt, S. Stephani inthronizatus eſt Eccleſiam, cuius poſſeſſio, quamuis eſſet exilis, quantum potuit, vt creſceret Eccleſia, cui præfuit, & decoraretur vigilantiſſimè ſategit; ſed quod ibi operatus eſt, ne fortè obliuioni tradatur & cupiditate ſucceſſorum & miniſtrorum ab Eccleſię dominio ſubtrahatur, huic opuſculo ratum duximus inſerendum, ſcientes quia facientis non deerit præmium. Primùm namque villam Creuennum Sancto Stephano ſublatam cum ſuis appendiciis per præceptum regale Regis conniuente, à loco reſtituit priſtino, tradens medietatem ipſius villæ Canonicis, & pro abſolutione animæ ipſius Pontificis: alteram verò medietatem prædictis Canonicis in die obitus præfatæ Reginæ, & pro recordatione animæ ſupradicti Pontificis. Piſcatores tamen in ſeruitio maneant Epiſcopi per iuſſionem præpoſiti Canonicorum. Ambonem ibi vilem aſpiciens cryptis honeſtè compoſitis deſuper, honorificè conſtructum locauit, & iuxta illum altare in honore Sancti Ioannis Euangeliſtæ & Sancti Laurentij Martyris, ac omnium Sanctorum honore, vt ab Epiſcopo, ſi adfuerit, & à Clero Eccleſiæ Miſſa celebretur, quo eorum interuentu viuentis & morientis neceſſitatibus ſubueniret deuotiſſimè ſacrauit: inſtituens his tribus diebus quo Canonici quotannis pro animæ ſuæ remedio reficiantur, impetrans ab Archiepiſcopo & Epiſcopis ſibi ſubiectis decimas trium Eccleſiarum, quarum in Aggliuiaco, ſcilicet vna conſecrata eſt in honore ſancti Stephani, in Matriaco alia in honore ſancti Felicis, alia in Domini Martini honore ſtructa: inſtituens vt de his tribus Eccleſiis tres fiant fratribus refectiones, vna in feſtiuitate Sancti Ioannis Euangeliſtæ, II. Nonas Maij, quando in feruentis olei dolium miſſus fuit; alia Octauis ſancti Laurentij, tertia feſtiuitate ſancti Matthei Apoſtoli & Euangeliſtæ, & quod ſuperfuerit ex decimis Eccleſiarum ad ſtipendia ſit Canonicorum, pro animæ ſuæ acquirenda abſolutione. Præpoſitus denique Canonicorum S. Stephani Autiſſiodorenſis Preſbyteros in eiſdem Eccleſiæ conſenſu fratrum eligat, qui & fideliter decimas Eccleſiarum ad ſuum & Canonicorum opus recipiant, & Archiepiſcopo Senonenſi Synodale ſeruitium reddant, ſicut circumiectæ Eccleſiæ, & nihil aliud requiratur ab Archiepiſcopo, vel à ſuis miniſtris, & vt hoc firmum & ſtabile in perpetuum permaneat; ipſe Archembaudus Senonenſis Archiepiſcopus ſcriptum propriâ manu firmauit, & Coepiſcoporum ſuorum manibus corroborari popoſcit, ac Archidiaconorum ſuorum, Prodagij, Bernardi & Theoderici, cæterorúmque Canonicorum nominibus corroborari præcepit, tabulis argenteis baſes diſcoopertas optimè decorauit, lampades quoque ibi ſeptem optimas ex argento compoſuit habentes in ſe cum fuſte li. xv. candelabra duo argento cõpta, fuſtes duos deargentatos quibus feruntur cruces aureæ, coronas duas ex argento habentes lib. x. Chotedrum optimum auro argentoq; cõſtructum. Introitum, quod Valdricus ædificare cœperat, in altum extulit, camera exornans & in parietibus paradiſi turmas ac erebi tormenta depingens gratum intuentibus præbuit ingreſſum: illic ſuam infodiens ſepulturam quam poſtea ante vultum Saluatoris & altare S. Laurentij quod poſt vſtionem ciuitatis & templi ſuæ deſudatione honorificè adornauit & dedicauit remouere iuſſit, ſupra quam Capellam ædificauit in honore Sanctorũ quorum memoria infra ciuitatem vel extra vix aut raiò celebrabatur, quorum hæc ſunt nomina Matheus, Thomas, Philippus, Mathias, Dionyſius, Mauricius Ignatius, Demetrius, Deſiderius, Hieronymus, Syluerſter, Auguſtinus, Vigilius, Eugenia, Anaſtaſia, Margarita, Lucia, Agatha, Genoueſa, Columba, quo eorum cariúmq; interuentu ciuitas extra ſaluetur & intra, dans ei alodium in Cauannis villa, quã Hildebertus S. Steph. ſeruus acquiſierat, ad luminaria illic pro animæ ſuæ remedio nocte dieq; præparanda: ſitq; idem alodium in manu Presbyteri qui ſupra vel infra Miſſarum celebrauerit ſolemnia præordinans etiam vt is qui tenebit vineam, quam plantauit in loco, qui dicitur Plantas, in feſtiuitate vniuſcuiuſque Sanctorum prænominatorum Canonicis

vigiliam & Miſſam celebrantibus ſex Sextarios vini ad exhibendam charitatem pro eo perſoluat, poſt duos quoque parentes, vel fideles ſuos quibus prædictam plantam reliquerit, Canonici in ſua recipiant, & ipſi quod inſtituit pro ſe expleant; quod ſi non fecerint, merces ab eo non tollatur & Deus ab illis requirat. Denique Abbatias ſancti Iuliani ſcilicet ſancti Amatoris ac Sanctæ Mariæ ab Epiſcoporum poteſtate longo iam tempore ſubtractas per ſupplementum Domini Hugonis Franciæ Ducis, per præceptum regale Regis Ludouici manu firmatum, Eccleſiæ quas amiſerat, multo ſtudio multóque labore reſtituit, altaro Sancti Stephani medium purpura imaginibus aureis penitus cooperta honeſtiſſimè ambiuit, videns etiam & Eccleſiæ ambitum non adeò eſſe magnum, arcum inter duo oſtia nouum condidit prope altare, apertis maceriis duo ibi in modum crucis oratoria vt ibi plures Deo ſeruire poſſent conſtruens: quod cum ageret, inuidia, vt arbitror, diaboli maceria vetuſta cum noua ab arcu vſque ad arcum fundo tenus corruit, quam mox renouari abſque mora non piguit; ſicut enim prædicta ſancti Stephani Eccleſia poſt incendium funditus eſt eruta; ita poſt modum ab eo ab ipſis eſt eleuata fundamentis & ampliori decore quàm fuerat antea, vitreis magnis & cameta exornata: oratoria quoque duo dextra & ſiniſtra ad inſtar quod prius fuerat reædificauit, ſuperadiiciens cryptas ipſis oratoriis, in quibus etiam & altaria inſtituit, vt populi aduenientes inuenirent, quo poſſent lachrymoſis immorari ſuſpiriis deprecando & obtinendo Dei & Sanctorum, in quorum honore ipſa ſunt Altaria, miſericordiam. His ergo compriſſimè dilatatis, hæc eadem Baſilicá in ſuperioribus ſui partibus ſpeciem prætendit Sanctæ Crucis, in medio verò Eccleſiæ podia conſtituit, & vultum Saluatoris Cruci affixum collocauit inibi: altare quoque decorauit tabula argentea eleuata imaginibus & aliis picturis conſecrans illud ſub die v. Idus Auguſt. in honore ſanctæ Crucis & ſancti Mathæi Apoſtoli & Euangeliſtæ, & ſancti Romani Militis & Martyris. Fuit igitur prædictus Guido Epiſcopus ſimplicitati innitens, moderatæ prudentiæ, atque in quantum valuit non magis præeſſe quam prodeſſe voluit vniuerſis: nam inter cætera honeſtatis opera dictata propriæ manus edidit reſponſoria cum antiphonis canenda in ſolemnitate ſancti Martyris Iuliani, inſtar tamen harmoniæ habentia melodiam Germani glorioſi ob hoc præcipuè, quòd eidem Pontifex Sanctiſſimus ſicut in geſtis ipſius inuenitur, prædicti Martyris ſolemnis natalitij diem vniuerſis incognitum Domino ſibi reuelanti oſtendit celebrandum: ſicque cùm eſſet religioſorum ac bonorum amator prauorúmque ſeuerus redargutor, egit quandiu extitit. Sedit autem in Epiſcopatu annis XXIX. & obiit in pace VIII. Idus Ianuar & ſepultus eſt in Eccleſia S. Stephani maiore quam ipſe reædificauerat. Fuitque ciuitas ſine Epiſcopo, menſes III. & dies VIII.

CAPVT XLVI. De Richardo.

RICHARDVS natione Antiſſiodorenſis, ex patre Iohanne, & matre Maria, qui beati Germani à pueritia extitit Monachus, atque vt è pluribus ſuperioribus fieri contigit, ex eiuſdem Præſulis Monaſterio togatus tam à Clero quàm à plebe conſtitutus eſt Epiſcopus; erat enim nimiæ ſimplicitatis & minoris induſtriæ, & idcirco prædeceſſoris ſui valdè impar incrementis ſibi commiſſæ Eccleſiæ. Fuit autem temporibus Regum Lotharij Iunioris, ac Ludouici filij eius qui finem regnandi ſuo generi impoſuerunt. Sedit quoque in Epiſcopatu annos IX. menſem I. dies II. & obiit XVII. Kalend. Iunij. ſepultuſque eſt in Eccleſia beati Germani, fuitque ciuitas ſine Epiſcopo, menſes VII. & dies XXIV.

CAPVT XLVII. De Heriberto.

HERIBERTVS Francigena filius Hugonis Ducis, cognomento magni, ex concubina Raingarda nómine, nobilitatem paternam, materna diſparitate obliquauit, ex patre enim ſupradicto Hugone frater Hugonis poſtmodum Regis ac duorum Ducum Burgundiæ Othonis ſcilicet atque Henrici editus extitit, qui quantò perſona carneæ molis elegantior, tanto pronior ſæcularibus deſideriis ac voluptatibus apparuit. Religioſis tamen quibuſque Clericis, & præcipuè Monachis reuerentiam ſummi impendebat honoris: Huius ergo Pontificatus tempore Dux

Henricus eius frater, vt erat totius religioſitatis amator, Monaſterium Beati Germani Domino Maiolo commiſit Abbati, qualiter videlicet regularis normæ tramitem inibi conſtitueret, ſicuti per multa loca tam in Italia, quàm in Gallia dignoſcebatur feciſſe Monachorum. Longo enim iam tranſacto tempore, locus ibidem abſque Abbate à præpoſitis regebatur. qui gratanter illum ſuſcipiens regulari diſtrictione quæque repererat deuia, ad vnguem correxit. Poſtmodum verò vir Sanctus ac venerabilis Maiolus præfecit ibidem virum honorabilem Heldricum Abbatem, qui & ipſe prædictum locum ad regularis beati Benedicti tramitis informauit callem, quem prædictus Epiſcopus, necnon & frater eius Dux Henricus nimio cum ſuis dilexerunt amore; ſed vt prædiximus ſeculari pompæ oppido innitens, larga militibus plus iuſtu exhibebat donatiua, in tantum ſcilicet, vt Odo Carnotenſis & Heribertus Trecorum Comites gratia beneficiorum eius ditioni parerent, in propria denique Diœceſi nulla compellente terroris indigentia, quin potius venandi laſciuia duo ſtabiliens caſtra muniuit, vnum in Riuo Lanuto apud Ferredi villam, aliud à ciuitate x. milliario Tuciacum vocabulo, quæ videlicet caſtra dicebat, non minùs Eccleſiæ ſibi commiſſæ, quàm ad munimen totius pagi valdè in longum profutura: ſed nequicquam: ab initio enim ſeminium altitudinis carnis humanæ corruptionem meſſuit, quia Deus alta à longe cognoſcit. Multùm enim aliter quàm æſtimare potuit mortalium quiſquam poſtmodum contigit. Denique tyrannica rapacitate fuerunt poſtmodum ad exterminium eiuſdem prouinciæ, & facti ſunt habitatores illorum rebelles Epiſcopis & peruaſores Eccleſiaſticorum: ad ornamenta tamen Eccleſiæ, quæ tunc perplura erant, tam in libris multorum Authorum, quàm in reliquis vtenſilibus minus manum extendit, vt ea exſtirpando diſpergeret, & hoc ex parte fuit approbabile, quoniam ſi ea ſtudio ſuo non auxit, nequaquam tamen ſupra modum minuit. Eccleſiaſticas ac Monaſteriales Inſtitutiones prædeceſſorum ſuorum iuxta morem antiquum alacri animo à Clericis ſeruari conſenſit. Fuit enim temporibus regum Hugonis fratris ſui ac filij eius Roberti: Pontificum quoque Romanorum Marini cognomento Petri, Sergij atque Brunonis cognomento Bonifacij. Imperatorum autem Ottonis ſecundi & tertij, Archipræſulum Senonum verò Anaſtaſij viri Optimi & Seuuini. Sedit autem in Epiſcopatu annos xxv. menſes vii. & dies xvi. Obiitque apud caſtrum Tociacum, quod, vt ſuperius diximus, ipſe conſtruxerat, x. kal. Septemb. quod etiam valde diſplicuit quibuſque religioſis, quod dum cœpit infirmari, non ſe protinus propriæ ſedi deferri mandauit. Sepultúſque eſt in Eccleſia Sanctæ Mariæ infra muros ciuitatis. Fuit autem ciuitas ſine Epiſcopo menſes vii. & dies xv.

CAPVT XLVIII. De Ioanne.

Ioannes, Natione Antiſſiodorenſis, patre Anſaldo, Matre Raingarda, parentibus quidem mediocribus editus, ſed ſecundùm proprij nominis ſui inſigne præſagium diuina ſibi gratia largiente mentis nobilitate, quæ carnis precioſior eſt, excellenter viguit, litterarum ſtudijs à primæuæ ætatis indole operam dans, quibus luculentiſſimè inſtitutus claruit, ac poſtmodum inter Scholaſticos illius Gerberti viri vtcumque doctiſſimi tunc Rhemorum Archipræſulis, dehinc Rauennæ, ad vltimum Romanæ ſedis Cathedram indeptus Petalum Pontificale meruit. Culmen ſcientiæ artium liberalium Ioannes perorando roborauit, dehinc efficaciſſimus puerorum didaſcalus primitus, poſt hæc Pædagogus clarus refulſit, & ad honorem perlectus eſt Archidiaconatus: decedente namque ab hac luce ſupradicto Præſule Heriberto, nonnulli Clericorum, quos altitudo ſæculi ad hoc illiciens impulit qualiter in Epiſcopalem Cathedram, tam faſtu parentelæ, quàm promulgatione pecuniæ inueherentur, cúmque Regi Roberto de quibuſdam, ac præcipuè de quodam Guidone nimium ſeculariſſimo per Henricum Ducem ſuaſum fuiſſet, vt conſecraretur Epiſcopus, & Rex quemadmodum eum hortabatur, aſſenſum præberet, ac iam Metropolitanus Senonum Pontifex, videlicet Seuuinus vocatus eſſet, vt de more perficeret, ceſſari contigit. Conquerebatur ergo ſuper hoc tota vnanimis concio Canonicorum fratrum, ac reliqui totius plebis ſanum ſapientes abuſiuè fieri teſtabantur, idcirco maximè quod Clericorum electione, vt antiquus mos habet, deberet inſtitui Paſtor Eccleſiæ: quod competiens Archiepiſcopus ad

propria reddidit, dicens nolle ſe loco Paſtoris ouili Chriſti Leonē ſeu Lupum conſtituere. Interea mittitur ad Regem, aperitur ei querela ſimul & commune decretum vtriuſque conditionis hominum ſexus & ordinis, nempe Ioannem ex voto illorum omnium idoneum fore Pontificem: quod Rex vt audiuit libentiſſimè annuens, qui eum pro ſua ſcientia & religioſitate affatim diligebant, nec tenera cōtra ius fáſque abſque cleri electione vel plebis Epiſcopum volebat conſtituere: mox verò vt comperta eſt Regis voluntas, à ciuibus rurſus denique reuocatur Archipræſul, ac ſic ex more ſacratus Ioannes in ſede Pontificali, gaudentibus vniuerſis conſtituitur. Factus verò Antiſtes non mutauit in illo ſublimitas Pontificalis cultum anterioris humilitatis, ſed potiùs omni diligentia elaborare ſtudens, vt humilior, quàm antea fuerat, cunctis appareret, in doctrina ſcilicet, in confabulatione, in habitu veſtium, in parſimonia ciborum, in Conuentu Fratrum communium horarum ita ſe conformabat humillimum, vt vix dignoſcere poterat, niſi cum ageret principale officium, fuiſſe eum qui vidiſſet Epiſcopum. Erat enim Pſalmodiæ non tam frequens, quàm aſſiduus, & in orationum excubiis peruigil, & ſtrenuus: tranſigebat enim pleráſque noctium commanens ſolus in Eccleſia metanœas agendo iuxta altare Beati Stephani, vſque dum generales fratrum ſignificarentur matutini: dedit igitur in victu fratrum Canonicorum altaria V. cum ſuis redditibus, id eſt Puluereni, Partiaci, Gargiaci, Monaſterioli, Campiniaci & ſub anathemate interdixit, vt nullus ſucceſſorum ſuorum præſulum vel aliorum quiſquam hominum præſumeret aliquod ſuæ largitionis donum irritum facere, ne forte videlicet propter inopiam indigentiæ, non valeret Clerus Eccleſiæ officia Deo digna perſoluere, dum licet in ipſa ſede potiſſimum fore ac cæteris elegantius officiale Miniſterium Clericorū olim dignoſcitur viguiſſe, ſed ſcriptura teſtatur, vnde bonus proficit, inde impius contabeſcit. Proh dolor! illudebatur ab impiis ciuibus, quod careret mundanæ ſuperbiæ faſtu, vel conſanguinitate illorum Epiſcopus, & eiuſdem genus, nec non & alia de eodem conuicia cauillando cachinnabantur: veruntamen Deus, qui potiùs mentem eligit, quàm gentem, præuidit ſibi de talibus vltionem in poſterum futuram. Nam eoſdem viri humillimi derogatores poſtmodum ſuperbia ſecularis pompæ cum ſua ſtirpe detriuit ad ſolum vſque: priuilegia enim quæ anteceſſores illius beato Germano tam Heribertus quam cæteri de altaribus in ſua Diœceſi conſtitutis perpetualiter facta contulerant, ſua authoritate roborauit, eíque vineas ac volumina librorum egregia tradidit; apud quem etiam humili prece obtinuit, vt ſepeliri mereretur: menſe quoque Ianuario dolore tactus corporis cœpit infirmari, qui deductus vſque ad vltimum pœne exhalationis ſpiritum raptus in extaſi ſatis decoram viſionem vidit, qui protinus euocans virum clariſſimum ſibique amiciſſimum Achardum tunc Monaſterij beati Germani præpoſitum, Abbatem verò poſtmodum, ei huiuſmodi viſionem retulit dicens: modò inquit mihi apparuit Dominus meus IESVS-CHRISTVS, ſimulque cum eo Germanus beatiſſimus, aliique quamplures ſplendidiſſimi viri quorum præſentia permaximum contulit mihi, & mei doloris leuamen & animi ſoſpitatem, qui etiam mihi ſpoponderunt Domino miſerante, mox vt euocatus à corpore fuero, protinus in illorum adunari conſortium. His dictis orando ſummis labiis nomina Sanctorum depromens, crebriſque ſuſpirijs ac lachrymoſis oculis ad cœlum reſpiciens, exceſſit à corpore, XII Kal. Febr. ſepultúſque eſt apud B. Germanum, non infra Eccleſiam, ſed deforis iuxta parietem, vt ipſe rogauerat, decernens humilitatis gratia. Poſtmodum verò à Monachis dum amplificaretur Eccleſia intra ambitum ipſius ante altare videlicet beati Petri decenter eſt locatus, ſedit autem in Epiſcopatu anno vno, menſibus VII. & diebus X. & fuit ciuitas ſine Epiſcopo anno vno, & menſe vno & diebus ſexdecim.

CAPVT XLIX. DE HVGONE.

HVGO Cabilonenſis, ex patre Lamberto Comitum venerabiliſſimo, & matre Adelaide generoſiſſima, cuius pater videlicet Lābertus Comes iam dictus conſtruxit Monaſterium Paredi Cœnobiorum luculentiſſimum, illúdq; largiſſimis facultatibus ditauit, ibidémq; honorabiliter requieſcit. Hic igitur poſt patris obitum, dum ad Regis curiam pergeret, habuit tranſire per ciuitatem Autiſſiodorum, qui diuertens orandi gratia, dum intraret Eccleſiam B. Protom. Stepha. erat tunc prima hora ipſius diei

cùm orationi incumbens audiret Chorum pſallentium Hymnum eiuſdem horæ dulciter reſonare, vt erat pij cordis ac lachrymarum effuſione facilis gratior effectus referebat idem poſtmodum ſe dixiſſe; O Domine Rex cœli & terræ, Creator omnium bonorum, & diſtributor honorum, ſi ad hoc tua præſcientia me eſſe voluit, vt aliquando mihi Epiſcopalis dignitas te largiente conferatur, in hac obſecro de me fiat voluntas tua: quod etiam poſtmodum, vt petierat, ita fieri contigit: optabatur nempe à pueritia ad pleraſque ſedes Ciuitatum pertingere ob ſui nobilitatem à multis; decedente verò ab hac luce Ioanne præſule, cùm de reſtaurando Pontifice conquereretur, fauente Henrico Duce, atque annuente Roberto Rege, electus eſt ex more prædictus Hugo ac conſecratus in Eccleſia beati Germani; indéque principali ſedi Autiſſiodori datus Epiſcopus. Huic non par erat affinitate germanus frater, qui videlicet hæreditario iure res Paternas regere potuiſſet, idcirco multimodis perturbationibus irretitus, dum vtriuſque honoris occuparetur curis, minùs prodeſſe poterat ſingulis: contigit etiam tunc temporis poſt mortem ſcilicet Henrici Ducis qui eius germanam vxorem duxerat, vt Burgundionum permaximi Regi Roberto rebelles exiſterent, itaut illius ditioni nollent omnimodis eſſe ſubditi, nec eius parere imperiis: præripuere inſuper ſibimet vſurpantes ſedes & caſtra præfati Ducis, auunculi ſcilicet eiuſdem Regis. Hic tandem cum ſuis omnibus irrefragabilem ſuo Regi ſeruans fidem, ac perinde cæterorum inimicitias forti animo diu multúmque ſuſtinuit, ac multoties à ſede propria prohibitus paternâ contentus poſſeſſione ſuorum, qui illum valde diligebant, fultus auxilio manſit. Quoties verò contigit illi cum hoſtibus illis prædictis nugacibus dimicare, ſemper omnimodis victor extitit, & non immeritò, nempe iuxta præceptum Apoſtoli; Dominum timere, Regem honorificate: & item, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Ac licet ſcriptura dicat ſemper pax cum bonis, & bellum cum vitiis: atque vtilius ſit oriri ſcandalum quàm relinquere veritatem, ſi aliter nequit fieri, tamen ob timorem huius rei pergens ad Papam Romanum acriter ſe pœnitere clamauit, indignum ſe vociferans ac reum curæ Paſtoralis ac Pontificalis dignitatis; qui dehinc tale ſcriptum ab eodem ſuſcepit: *Ioannes gratia Dei Romanæ ſedis Epiſcopus vniuerſis in Orbe terrarum Eccleſiæ filiis: nullum in Catholica Eccleſia maius poteſt eſſe nefas, quàm exiſtimare alicuius næuum criminis præcipuè pœnitentis, quod non queat diſſoluere conceſſa Petro à Domino clauis. Debemus enim ante oculos mentis reuocare lapſum ipſius primi Paſtoris, qui dum magiſtrum negauit, protinus vt pœnituit, non ſolùm gradum vel dignitatem Apoſtolici culminis non amiſit, ſed potius ſui ouilis cuſtodiam Chriſtus illi poſtmodum euidentiùs aſſignauit: quod nil aliud vt credimus, quàm lapſorum medicina fuit. Proinde fratri noſtro Hugoni Autiſſiodorenſi Præſuli Deo, & nobis ſua peccata confitenti, ſe ſéque culpabilem reddenti, plenariam à Deo pollicente promittimus conſequi indulgentiæ veniam, ſecundùm ſponſionem eiuſdem, quâ dixit. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores de pœnitentiam. Ideóque nobis debet eſſe chariſſimus, quia Dei timore correptus apparet humillimus, & quia in talibus requieſcit Deus.* Præterea Rex Robertus collecto in vnum exercitu valido, tam de gente Francorum quàm Normannorum habens ſecum Richardum potentiſſimum ducem ipſorum, occupans deuaſtauit permaximam Burgundiæ partem: cumque primitus ad Ciuitatem Autiſſiodorenſem deueniſſet, volens eam capere, quod fertur vbi illi nunquam contigiſſe, ciues eiuſdem vrbis fortiter ei reſtiterunt: dehinc cùm ad beati Germani caſtrum expugnandum tota Regis phalanx, idemque Rex loricatus intenderet, nutu diuino territus cum multa cæde ſuorum inde rediens penetrauit Ararim vſque ſuperiora Burgundiæ, prædicto Hugone cum eo gradiente: reuertens quoque Rex Franciam, nec tunc quicquam egit præter cladem regionis. Poſt aliquot verò annos dierum, iamdicti primores Burgundiæ in dilectionem Regis pacificè deuenerunt: per Hugonis tamen conſilium, quidquid idem Rex facere decreuerat, diſpoſuit: eique, quod accipere placuit, libentiſſimus condonauit. Conſtituit ergo pro redintegranda ſeu firmanda pace Concilium Epiſcoporum ac multorum tam nobilium quàm plebeiorum innumeræ multitudinis in Comitatu quem gubernabat Cabilonenſe, in loco, qui Viridunus dicitur, vbi etiam Sanctorum Reliquiæ diuerſis regionibus delatæ diuerſas ſanitates ægrotis contulerunt: itémque aliud Concilium pro eadem re in Pago Autiſſiodorenſe apud Airiacum villam beati Germani, in quo Rex Robertus cum Epiſcopis ac

Abbatibus adfuit,ſimul & innumerabilia Sãctorum pignera totius pene Prouinciæ, vbi dum quidam peterent, vt glorioſi Germani corpus illuc deferretur, reſpondit Hugo Epiſcopus: Abſit vt oſſa incomparabilis viri pro quacunque re aliquando commoueantur, quod cæteri audientes gratanter conſenſerunt. Similiter & per vniuerſa loca, vt in pagis Diuionenſe & Belnenſe, atque Lugdunenſe Concilia ſæpius celebrari fecit. Huius in tempore Ciuitas Autiſſiodorum exitialiter igne cremata eſt, & res humanæ in fauillas redactæ præter Eccleſiam beati Albani Martyris à beato Germano conſtructam, tunc principalis Eccleſia Protomartyris Stephani funditus corruit, quem protinus idem Præſul cœpit maiore ambitu ac cryptarum curuaturis quadris lapidibus certatim reædificare; nam prius delicatiore materia conſtiterat, minimíſque lapillis: iam verò altiùs opere Eccleſiæ edito, rurſus Ciuitas reincenſa eſt, ſed nouum opus Eccleſiæ manſit incolume. Anno igitur circa nongenteſimum ſextum à Paſſione Dominica Cœnobium Milarenſe, iubente Heldrico Monaſterij Sancti Germani Abbate, per Dominum Tealdum Monachum, qui eidem tertius in regimen ſucceſſit, honorificè amplificatum atque ſublimatum eſt, támque ædificiis quàm poſſeſſionibus, ac ſupellectili auri argentique oppidò decoratum, atque ab eodem Pontifice ſolemniter, vt decebat, conſtat eſſe ſacratum: in qua etiam conſecratione interdixit ſub anathemate, vt nullus mortalium præſumere deinceps auderet vim, ſeu calumniam, nec aliquam tortitudinem inferre pro quauis occaſione rebus eiuſdem Eccleſiæ. Contigit verò poſthæc, vt beati Deſiderij egregij Pontificis Autiſſiodorenſis corpus, quod in Eccleſia beati Germani ſepultum habebatur, illuc deferri à fidelibus rogaretur: præcipuè tamen à prædicto fratre Tealdo, qui eundem ſublimauerat locum: ſed vt in talibus fieri adſolet, inter partium velle ſeu nolle aliquod temporis ſpatium euolutum eſt; tandem procurante Epiſcopo conceſſum eſt à Monachis ſeu à cætero Clero & totius pagi populo, vt exoratum fuerat, deferri: repoſitum namque eſt ſupradicti Pontificis venerabile corpus in argentea theca centum appendente libras, ſicque cum exultatione totius plebis deportatum eſt honorificè ad Monaſterium Melerenſe cognomento vallis Pentane, ibidémque in Eccleſia Genitricis Dei Mariæ conſtat eſſe locatum: quo in loco eodem exorante plurima præſtantur poſcentibus beneficia. Illud etiam memoriæ tradendum, quòd primitus à Quintiliano viro nobiliſſimo binæ Eccleſiæ inibi conſtructæ fuere, vna ſiquidem in honore Sanctæ Matris Domini Mariæ, altera quoque in egregij Præſulis Germani veneratione, quæ videlicet nunc vno ambitu ſpatioſiore collecta tredecim altariorum aris cum ſuis abſidibus examuſſim diſpertita eſt: claret enim locus ille ab initio virtutum miraculis atque infirmantium ſanitatibus. Contigit enim plerumque, vt ipſi vidimus, dum fideles deuoti ad eundem locum de longè venientes candelas abſque lumine in manibus geſtarent plus minúſvè ſtadio antequam ad Monaſterium peruenirent, vt ex eiſdem candelis ignis flammiuomus eructaret, ſi quiſlibet verò ex rebus ad eundem locum pertinentibus, vt ſeu furto fraudem fecerit, continuò euidentiſſimè rector iuſtorum vltor exiſtit, ac quidquid ibidem fideliter petitur affatim impetratur. Præterea triceſimo ſeptimo ſuæ ordinationis anno perrexit prædictus Hugo Ieruſalem, ſatis honorificè ad Sepulchrum Domini oraturus, ac inde rediens alacriter, propriæ ſedi innitens manſuetior degit: Eccleſiæ Matris ſedem, quam antea ædificiis ſublimauerat, accuratiùs ſtuduit poſtea adornare, & donis Dei aptis ſeruitio ſtudioſiùs curauit inſignire, vnde & duo miræ artificioſitatis miríque operis & pretij veſtimenta Epiſcopalis dignitatis conuenientia officio, eidem cooperante ſibi Dei gratia meruit impertiri: horum vnum, quod quaſi minoris pretij videbatur, totum auro Phrygio mirifico circa collum amictus, & ceruicem vſque ad ima, Stola, Manipulis, in loco ſuo decentiſſimus operiebatur. Caſula quoque purpurea grandes aquilas coloris coccinei intextas circumquaque monſtrabat, cuius ſuperficies auri Phrygij circunductionibus ſtellantibus reſplendebat; alterum ſiquidem qualis fuerit Imperialis Othonis munificentia, cuius illud ei datum eſt manu, teſtificatur, nempe velut in capite Sancti Aaron dicitur, in amictu lamina aurea margaritis & lapidibus pretioſis intertexta, quaſi regali diademate ſummi Sacerdotis caput illuſtrabat, palla vero carbaſea aureo circa pectus effulgens rationali à genibus ad talos vſque holoſerica limbo deaurato mirificè Pontificalia veſtigia complectebatur. De ſtola quoque & manuali ad putum ali-

quid dicere fabulam ſonat, cùm ſiquidem vtraque de auro puriſſimo cum malis punicis condita inexplicabili artificio opus oſtendebant elegantiſſimum; Caſula autem coloris ætherij phrygio palmum habente, ſuperhumeralis & rationalis effigiem ad modum pallij Archiepiſcopalis honorabiliter prætendebat; omnia prætetea quæcunque illis interetant veſtimentis iure & decenter excellentia intra Sancta Sanctorum portabat Epiſcopus. Honorauit iterum Sancti Stephani Eccleſiam aliis Eccleſiæ neceſſariis ornamentis, inter quæ etiam Miſſale dedit aureis litteris annotatum, Pontificum ſeruitio & officio ſatis aptum: dedit & Calicem vnum cum patena eximium, quem quantitatis & ponderis magnifactum de argento opus inſignibat deauratum: fecit prætetea & in eadem Eccleſia fieri duo ſigna quantitatis magnæ, quæ ſecundùm quantitatem digna Deo ſonorum conuenientia & dulci coaptata ſunt modulatione, inde inter cætera nulla dignum duximus obliuione, quia apud caſtrum Varziacum ſuæ & anteceſſorum ſuorum proprium ditione Sanctæ Eugeniæ Eccleſiam à beatæ recordationis Antiſtite Gualdrico conſtitutam, qui & reliquias ipſius Sanctæ Virginis à Ioanne Apoſtolico impetratas deuexerat, quæ per temporum longæuitatem ſubrepente Patrum quorundam incuria, nullius pene ſeruitij Dominici frequentabatur inſtantia, ad tantam donante Deo reſtaurauit gloriam, vt & intus & foris eius vſque in hodiernum diem in ea labor appareat. Nam parietes dealbari faciens, vitreis & laquearibus honeſtauit, & pallia, libros, & ornamenta diuerſi generis inibi donauit, ſimul etiam de redditibus proprietatis ſuæ Canonicalis ordinis perſonas probatas eligens, decem ad diuinum ſeruitium Præbendarios in æternum deputauit. In Conada ſimiliter caſtello ſuæ matris ſedis, Sancti Martyris Laurentij Eccleſiam conſtruens, diuinitatis cultum ampliari, & Dei fidelium curam & ſeruitia honorificè haberi in manu Sacerdotum, de ſuis largiens imperauit; dedítque ad victum Canonicorum fratrum paredas omnium Eccleſiarum eorundem quæ habentur in Epiſcopatu Autiſſiodorenſi, ſimiliter & debitum horreorum, Id eſt grangaticum, quod ad ſe pertinebat, illis habere permiſit, præcepitque vt in ſyluis Sancti Stephani de porcis illorum nunquam acciperetur paſtinaticum. Tunc etiam conſtituit vt annis ſingulis ab eiſdem Canonicis ſublimi ſolemnitate Sancti Martyris Vincentii feſtiuitas vſque in octauum diem celebraretur. Dedit etiam ad victum Canonicorum fratrum partem Creuennij vici, quam redemerat ab Arduino Archidiacono, cùm autem cæpiſſet infirmari, ſentiens ſe diutius non victurum, iuſſit ex rebus propriis honorificè reædificari à fundamentis Eccleſiam beatæ Mariæ, quæ primatum dicitur tenere intra muros Ciuitatis: quod tamen opus imperfectum reliquit. Cernens quoque ſuum propinquare obitum, contulit ſe deuotè ad beati Germani Monaſterium, ibidémque Monachalem induit habitum, ſícque poſt diem quartum ſcilicet pridie Non. Nouemb. conſecutus eſt præſentis vitæ terminum, ſedit autem in Epiſcopatu annos XL. menſ. VIII. & dies IV. & fuit Ciuitas ſine Epiſcopo dies XXXVI.

CAPVT L. De Heriberto II.

Heribertvs ſecundus, qui eſt in Catalogo Epiſcoporum L. Natione Autiſſiodorenſis, ex Patre Vauterio, & Matre Hemma fuit, quem anteceſſor eius Hugo in Pontificatum elegit, cui poſtmodum Rex Henricus cum maximo exercitu veniens in Burgundiam, Epiſcopatum ex more dedit. Hic in die ordinationis ſuæ, cùm ſecundum Eccleſiaſticam conſuetudinem Cathedræ innixus Epiſcopali ad Sancti Protodiaconi Matrem ſedem nobilium humeris deportatus eſſet, dedit Eccleſiæ Pallium ingens optimum, quod vulgò Dorſale dicitur, quod etiam vſque in hodiernum diem inter cætera Eccleſiæ ipſius ornamenta videri manifeſtum eſt. In temporibus itaque huius Dominus Leo Papa in Gallias veniens Remis Metropoli Concilium celebrauit & quoſdam Epiſcoporum de hæreſi Simoniaca in faciem Eccleſiæ redarguens notabiliter dedit: inter quos Senonenſem Archiepiſcopum Gelduinum, & Lingonenſem Hugonem multarum iniquitatum vitiis infamatos, & à ſuis multoties reuerenter, vt decebat, Patres admonitos, & correctos, volutabro ſuæ prauitatis male inhærentes, etiam pene Apoſtatas de ſedium ſuarum poteſtate depoſuit, & in reprobæ vitæ diutinà pœnitudine ad examinandum interdiu dimiſſos, diuino reſpectui reſeruauit, quem in redeundo Pater iſte ſecutus vſque ad Ci-

uitatem Tullum, in qua beatus ille ante Papatum ſederat Epiſcopus, colloquiis illius recreatus, ſacris perſuaſionibus informatus, benedictionibus iucundatus, ad ſedem ſuam repedauit in pace; ſatis hilaris & lætus, ſed non longo poſt tempore cum à Duce Burgundiæ Roberto, qui in tempore adhuc ſuo Autiſſiodoro Ciuitati imperitabat quiqueſua & fraterna Regis Henrici poteſtate elatus, multas ſibi & ob Clericos ſuos moleſtias inferebat, aliquandiu infeſtatus eſſet, impatienria quadam & angore animi abrenuncians ſæcularibus, æternis inhiando, poſtquam iam per XIII. annos Epiſcopatui præfuerat, apud Sanctum Saluatorem in Pago Senonico, Monachus effectus eſt, vbi in Dei ſeruitio multis poſtea regulariter viuens annis, ſubſtituto ſibi iam ſucceſſore Goffrido, & Cathedram illius fœliciter obtinente, migrauit ad Chriſtum VII. Kal. Feb. & ſepultus eſt in eodem Cœnobio.

CAPVT LI. DE GOFFRIDO.

GOFFRIDVS beata dignus memoria Epiſcopus, filius Hugonis Niuernenſis Vicecomitis fuit, de Caſtello, cui vocabulum eſt, Campus Alemannus, mater verò eius de Conſulatibus viris orta Ermengardis nuncupata eſt. Hunc in Palatio ſuo Clericum habens honeſtum Philippi pater Rex Henricus, operante quidem diuina clementia, tuta quoque noſtra collaudante Eccleſia, indulſit nobis Præſulem neceſſarium ſanè, vtilémque per omnia. Nam vt toto, quantus erit eo die vtar ad huius rei teſtimonium Clero, quando ipſe intrauit Eccleſiam, ſic nudum veſtimentis Preſbyterium, ſic Eccleſiæ corpus ornamentis exutum, ſic Chorum cappis expoliatum reperit, vt in 5. tantum panniclerosis, & ſexta quæ bona erat, Chorus pſallendo triumpharet, nulláque præter vnum Dorſalium parietes operirent, niſi quædam lanea, & cum his pauca palliola quæ ex ſua vtilitate eſſent Eccleſiæ reſidua, nulla denique Pontificalia; in quibus ipſe Miſſam decenter celebraret, haberentur indumenta: incultam itaque recepit, ſed vt ſuus diſſimilem ſucceſſor acciperet, laborauit. Nam & Chorum honeſtis XIII. Cappis lætificauit, Regiíſque Dorſalibus quinque parietes decorauit, ordinem quoque ingredientium ad altare in feſtis atque profeſtis diebus congruis cultibus adornauit. Nam Caſulas contulit IV. purpureas & Dalmaticam inſignem, & Tunicas luculentiſſimas, Stolas albas, cum manutergiis multiplices ac precioſas, altare argenteum dedit, nec non omnia, quæ ſubnotantur, argentea: Calicem, Thuribulum, cum acerrá, candelabra duo, ampullas II. vrceum ad aquam benedictam, & vrceum ad manus Sacerdotum abluendas, manile etiam, & labrum ad aquas de manibus abluentium ſuſcipiendas, ſed & hoc volumen (*de Geſtis Pontificum*) renouauit: Quòd ſi cætera, quæ his dignè addenda ſunt illius beneficia omnia ex toto adhuc ſcribenda ſunt, magnam oportuerit eſſe pellem, quæ pro numero & quantitate receperit vniuerſa: nam cum dilectio ſit in mandatis Dominicis omnibus diffuſior, nec in iſto circa Clerum ſuum modica fuiſſe non ſolùm in affabilitate iucundiſſimâ probaretur, ſed & in ipsâ menſæ communione, ipſius facillimè dilectio eadem, vel ab incautis cognoſceretur. Cùm vltra regularium epularum delitias, non paucos quotidie conuocatos Clericos nobilis illius reficeret lætitia. Quid latius hac dilectione? de eo ſcribendum exequi debemus, tamen vt non adulando veritatem palpare dicat à quibuſdam non rectis quippè iudicibus, in hoc quaſi reus arguebatur, ſed ſicut frequentiſſimè audiebamus illum conſcientiam inde ſuam ſub obteſtatione reſerantem credimus, & eſſe credendum aſſerimus, nec vtique propter illius excuſationem magis credimus, quàm propter ipſam rei apparentem certitudinem: ſcilicet, quòd nulli eorum in corde ſuo inimicus; nulli infeſtus odij zelo fuit, ſed qui conſcij aut iram illius ſe ſe promeruiſſe, ſic imponebant illi, cùm nec ipſe malefactis eorum conſentire, nec illi correptioni ipſius paterentur acquieſcere. Nam vt in Deo Sanctorúmque fide loquar, teſtibus etiam cunctis, quibus erat in veritate cognita voluntas illius, ea mens, is animus ſemper illi fuit, vt nemo bonus, qui non ei perfectè cariſſimus eſſet, nemo malus, ſi vel corrigere nequibat, vel aduerſari, quin ei ſaltem diſpliceret: immò niſi Clerum ſuum dilexit, quomodo terras illas optimas, quæ ſunt apud Sanctum Priſcum, aut quomodo villam amœnam & frugiferam Arlacum, quam Hugo miles ei clariſſimus reliquit moriens, quoniam de feudo ſuo ab Epiſcopo illam tenebat, quomodo niſi Clerum ſuum multùm dilexit, hæc

illis

illis tanta in genetali dedit. Conſcriptum eſt autem, à fructibus eorum cognoſceretis eos, ſed his non aliter, quàm dictum eſt, conſtantibus. Nunc animaduertant ſucceſſores Epiſcopi ſui ipſorum memores, quanti debeant & ipſi facere memoriam illius: acquiſiuit enim cum labore, quibus illi frui poſſint in quiete: nam conſuetudines caſtelli Conadæ, Epiſcopaléſque redditus, quos ſiue præ negligentia, ſiue incuria ſua diues potentia præcedentium Præſulum faſtidiens illuc ire, iam vſque ad obliuionem repetere intermiſerat; atque ideo raptorum quorundam iterum concupiſcentia violenter peruadens illos redditus ad ſe ſe tanquam debitos retorſerat, multa aſtutia, multo conamine & ſudore, cùm in alienum ius iam tranſiſſent, viriliter reduxit: eodem quoque modo Abbatias duas in ſuburbio Ciuitatis ſitas, id eſt, beatæ Mariæ Domini noſtri Genitricis Sanctique Amatoris Epiſcoporum ditioni antiquitus traditas & delegatas, cùm eas tyrannus quidam à quodam Epiſcopo in beneficio ſuſceptas, longo tempore poſſediſſet, ſuóque cuidam filio, Epiſcopo videlicet Eduenſi, lege hereditaria poſt ſe donaſſet, vir probus inde multoties, ſicut vidimus, probatis perſonis, tam Clericorum, quàm laïcorum conuocatis, Sanctorum quoque Canonum reuolutis collatiſque ſententiis, rato & conſtanti iudicio ad iuſtum, & debitum ab illicito dominio reuocauit. Licet etiam hic ſubiungere quod talem habuerit ipſe in ſecularibus cauſis induſtriam, tantáque ſemper viſus eſt libere loquendi audaciâ, vt nec ipſi Principes mentiri præſumerent, eo audiente. Tertia verò quæ eſt, Sancti Euſebij Abbatiam in ordine Canonico ab exordio conſtitutam, ſed delapſam vſque ad ſuum tempus, & tunc demum adnihilatam reſtitutis Canonicis & Abbate, ſicut in priuilegio eiuſdem reſtitutionis habetur, reparauit. Varziacum etiam, quia ſinus eſt Epiſcoporum, & locus amabilis, ab inimicis primitus purgatum, deinde fœliciter ædificatum, tandem interius exteriúſque murorum protectione muniuit, quæ quandiu proderint futuris Pontificibus, tandiu optamus illum circumdari omnium benedictionibus, qui denique ſi voluerint benè geſta illius imitari, piam eius humilitatem, qua diebus ſingulis per omnes quadrageſimas pa[illegible] peribos XIII. lauare pedes manibus propriis, & ieiunus miniſtrare, ſed & [illegible]oſdem in Paſcha veſtire conſueuit, ne tradant, obſecramus, vnquam obliu[illegible]ni: ad horum ſiquidem florentes in æternum vſus Capellam Sancti Peregrini in ripa fluminis vrbi propè contiguam cum appendicus ſuis longa peruaſorum iniuria ſupradictorum modo ſurreptam victorioſo certamine ſtrenuus e[illegible] pugnauit; ſed dum hic ſolos delectent, quæ ſua ſunt, Epiſcopos, iterum p[illegible] ouidere debemus, ne longiùs differendo, quæ omnibus ferè præſunt, plures incurramus inimicos. Ergo vt de quampluriinis ipſius benefactis adhuc aliqua profeeamus, illud quantum fuit, quòd hanc Eccleſiam tantam biennio propè antequam pater idem cariſſimus moreretur, incendiu conſumptam, in ſubito tempore, id eſt infra breuem ſphærulam vnius anni, trabibus & tegulis ipſemet aſſidua ſollicitudine vel cura carpentarios aut famulos ſuos, ſeu cæteros collaborantes ſatagens reſtaurauit, quinque vero feneſtras quæ ſunt in ſupremi Cancelli fornice quinque de domo ſua clientibus, vt quiſque ſuam vitrearet, diſtribuit: ſextam quinque maiorem, cunctarúmque præcipuam altare Sancti Alexandri clarificantem, vt ſuus Capellanus faceret, exorauit. Neque de corona muri claudentis altare Sanctorúmque Præſulum pictas habentis effigies ſilere iuſtum eſt, quem canentium oculis Sacerdotum non ſolùm ideo oppoſuit, vt ab eis viſus inanes & illicitos excluderet, verùm & idcirco, vt ſi quis vanitate vel tædio grauatus extra ſe duceretur ſicut ſæpè contingere ex noſtræ fragilitatis vitio ſolet, illa præſenti viſione, & aperta tot bonorum per picturam memoria mentem & omnium quaſi viuo reuocatus conſilio ad fortitudinem pietatis releuaret. His & huiuſmodi alias vir prouidus & benignus excogitans Eccleſiæ ſuæ quaſcunque poterat temporales, & æternas vtilitates, elegit etiam cum laude & cum gratiarum Capituli ſui actione, quoſdam quos gratis Canonicos ad præfinitam obedientiam conſtituit, Presbyterum ſcilicet dignum & idoneum qui quotidie pro defunctis Canonicis noſtris, propitiè offerret, aurifabrum mirabilem, pictorem doctum, vitrearium ſagacem, alios nec non, qui ſinguli, prout

cuique erat facultas, in officio ſuo deſeruirent; plenus itaque omni beneuolentia erga Eccleſiam ſuam ea ſola contentus attentione, cœpit creſcente ciborum faſtidio paulatim ægrotare, vnde conuocatis ad ſe Decano ſuo, quibuſdámque fratribus aliis, ipſiſque præſentibus eleemoſynâ ſua prudenter diſpoſitâ, multíſque dimiſſis, prout poſcebat inſtanter ipſa neceſſitas, cum oſculo pacis & ſignaculo benedictionis recedens, erat enim hic apud nos pater piiſſimus, cum vberrate lachrymarum deferri ſe Varziacum fecit, vt inde ad Monaſterium Charitatis ſuper Ligerim facilius portaretur ibi ſepeliendus. Locus ille Sanctus cum aliis quibuſdam religioſis locis in Altiſſiodorenſi Pago ſuo tempore incœptus eſt, conſilio quidem, immo auxilio ſuo nunquam vix deſtitutus, quapropter ſi ibi tumulatus eſſe voluit, nulli iniquum videatur, quaſi pateat eum vel huic loco illum prætuliſſe, vel amplius dilexiſſe, ſed cogitet è contra, ſicut eſt, quòd quia hunc totis viſceribus dilexit, ideo illum qui ad perpetuum honorem iſtius & adiutorium citò & magnificè Ieſu Chriſti clementiâ viſitante ædificatus eſt, plurimùm amauit, vnum hoc certiſſimè ſperans, vt quotquot habeat ibi Chriſtus ſeruitores, tot habebit apud Dominum Antiſſiodorenſis Eccleſia fidos in ſempiternis orationibus adiutores. Itaque ſpei tantæ conſultus remedio, cùm iam proximum ſentiret lapſum ad vitæ nouiſſima, Hugonem Niuernenſem Epiſcopum, quem ipſe ad Sacerdotium promouerat, nepotem ſuum, huiuſque Eccleſiæ noſtræ tunc temporis Præpoſitum, virum quippè ſanctæ conuerſationis ſuæque Crucis baiulatorem poſt Chriſtum, nec non Girardum priorem iam dicti loci, & ædificatorem atque habitatorem in habitu religionis primum, vt inter Sanctas illorum manus facta confeſſione delictorum redemptori Chriſto Spiritum redderet, conuocauit. Quibus conſequenter expletis delatus eſt illuc, & ſepultus eſt in pace XVII. Kal. Octob. inthronizatus autem V. Kal. Ianu. rexit Epiſcopium annos XXIV. menſes VII. dies XXI.

MONITVM.

Altiſſiodorenſis Eccleſiæ non ignobilis conſuetudo eſt, quàm citò de ſæclo migrat eius Epiſcopus, illico terminum vitæ, ſedis introitum, ac præcipuè bene geſta ipſius conſcribere. Contigit autem non ſine magno patriæ detrimento clariſſimum eiuſdem Eccleſiæ patronum obiiſſe Robertum Epiſcopum, ut nihil horum quæ diximus toto triennio ſcriptum fuiſſet: tantus dolor de morte ipſius, tanta diſſenſio de futuri ſubrogatione Pontificis interceſſit. Tandem verò poſt triennium temperato iam dolore, nec non Eccleſia tranquillata de Paſtoris conſolatione, frater quidam modicum eruditus, & penè illiteratus, á conuentu Capituli rogatus, & ab Epiſcopo monitus, obedientiam quoque vitare non auſus, quæ ſibi de illo viſa ſunt minimè tacenda, licet tanto indignè, quantominus ornatè minúſque facundè, tamen ut potuit, ita ſtylo proſecutus eſt.

CAPVT LII. De Roberto.

Robertvs de patre Guillelmo, nepote Regis Henrici Philippi patris, Conſule Niuernenſium, de matre autem Comitiſſa Tornodorenſi Hermengarde nuncupata natus eſt. Ex cuius ingenua progenie, quotquot periti viri, formoſi boníque fuerint, ſic eos omnes ſcientia, vetuſtate, moribus hic ſuperauit, vt flos ex qua naſcitur, arborem, fructus florem: vnde prius quàm ætate, viſus eſt honori congruens, virtutum dignitate. Ergo beatæ memoriæ defuncto Goffrido menſe Septembri mox in Epiſcopum electus eſt, dilata tamen vſque ad Auguſtum conſecratione propè aram beati Protomartyris fœliciter ſublimatus eſt, fortis deinceps protector Eccleſiæ, rectórque moderatus: nam ex omnibus quæ in Eccleſiâ tam exterius quàm interius reperit nemo mortalium quicquam demere vel ſurripere illo ſuperſtite auſus eſt, addidit autem donando aliqua ac laborando nonnulla, quorum diſcretione ſi tanti eſt: qui apud illum legerit, poteſt modo cognoſcere. Igitur contra dolos Senonenſes huius hoſtes Eccleſię,

& vrbis perpetuos Apogniacum, quàm citò factus eſt Epiſcopus in oppidum erigens, firmiter muniuit, ſolebant enim nos antea per hanc villam ad muros vſque Ciuitatis irruentes furtiuis conatibus frequenter & impune prædari, ipſum quoque Apogniacum omnimodis aggrauantes doloribus in tantum eo tempore afflixerant, vt ibi pauci, qui fugere nequibant, mendicitate & miſeria repleti, ſic & ſic illorum ſeruituri quantum iubebantur addicti ſolas animas vix tuerentur: at ex quo caſtellum illud affixum eſt & oppidani illi quaſi de morte ſuſcitati reuixerunt, & noſtri ciues ſoluti formidine vagantur nunc quocunque volunt: Item cum Pulueremum meliorem huius Eccleſiæ terram violentia quorundam tyrannorum iniquam duplicis ſaluamenti conſuetudinem ſingulis annis rapiendo, propè deſertam ruricolis, & aliis bonis effeciſſet, fortitudo præſulis iſtius ſubueniens ita Sycophantas illos ſolo belli metu ſimulati exterruit, vt qui priuitus Canonicorum preces, immo pecunias, vel ſuſcipere ad redemptionem iniuſtæ portionis dedignabantur, idem ipſi tandem quaſi vltronei & non inuiti, tamen inuiti, non vltronei, liberam penitus ab illa peruaſione terram totam acclamarent, valeat fortitudo cum iuſtitia, quæ conterendo ſontes ſeruauit innocentes. habuit quoque conflictum pro rebus Eccleſiæ contra Tociacenſium frangendam rebellionem, quos tamen cum cito ſubegerit, patris coactioni Partiaci faciens caſtrum, terram noſtram admodum læſit, vnde & culpam proſtratus in Capitulo fleuit, & damnum emendauit: promiſit enim nobis ſe daturum ſi à quibus deberet ſapientibus ſibi conſultum foret reſtiturionem quam optabamus, ſcilicet Præfecturam, qui perſonatus à diebus multis iam Eccleſiæ communitati magis ac magis optabatur; ſed quoniã ſuperſtes erat adhuc perſona eo tẽpore, dedit nobis pro inueſtitura Præfecturæ Abbatiam beatæ Mariæ, nolens vt infructuoſa interim expectatio faceret nos aduerſum ſe murmurantes: dedit & præbendas duas, quas darent, quibus vellent: inde verò quanta puritate charitatis nos in tota vita dilexerit teſtimonium præbet illud egregium, & ſupra cætera memorabile donum, in quo nobis ſe tam miſericordiſſimum exhibuit, vt dum animas noſtras amauerimus, illius obliuiſci nullatenus debeamus. Nam cum Sancti Anteceſſores eius ſtatuiſſent Epiſcopi, vt ſolis diebus Quadrageſimæ ex proprio præbendæ beneficio fratris cuiuſcunque memoria cùm obiiſſet, celebraretur, iſte tanto elementior illis factus in hac bonitate, quanto in cæteris videbatur inferior, addidit & ſtabiliuit, vt nullus iam ab obitu ſuo Canonicus vſque ad annum integritate præbendæ priuetur, ſed totos inde redditus Preſbyter, non noſter tamen Canonicus, pro defuncto ſuſcipiat, qui Miſſam quotidie celebret, horarum victimas ſoluat, iugiter oret, ex quo de Dei confidimus pietate, nunquam ſuorum carebit remiſſione peccatorum, qui tam benignus fuit in impetratione remiſſionis ſibi ſubditorum, adhuc autem & aliud: cùm ſuo tempore miles quidam, Arto dictus, partem molendinorum, quæ ſunt ſub muro, & ita vocantur, manu firmata ab Epiſcopis tenens Canonicis, quorum erat altera pars, placitum egiſſet, ipſe laudauit, excepto quòd anniuerſarium ſuum promiſimus ideò quotannis faciendum. Sunt alia piæ ſollicitudinis eius, quæ circa Eccleſiam hanc habuit indicia, quæ cùm ornent ipſum Eccleſiæ corpus, aut inſtituant, maluimus illa tamen nuda veritate breuiter annotare, quàm verborum floribus luculentis ad lectoris faſtidium colorare. Ecce in introitu ſuo dorſale coloris ſanguinei obtulit, pulpitum alio tempore quadringentis ſolidis ex proprio datis fieri fecit, poſtmodum excepto capite parietes Chori Eccleſiæ vitreauit, deinde cryptas antea nimium tenebroſas geminis ingreſſibus illuſtrauit; demum ſignorum turres ab imis Eccleſiæ tegulis ſurſum ædificans, conſummauit. Cætera iam illius bona definimus hic, non quia nulla ſint, memorare; ſed quoniam vnum habuit, ſcilicet animi temperamentum, de quo ſi differimus vlterius loqui, ſcelus eſt impiiſſimum, nedum ſi velimus omnino reticere: nam vir ſummæ nobilitatis & immenſæ potentiæ, quem gloria mundi ſequebatur, & omnis fœlicitas temporalis adorabat, tantâ ſemper animum vigilantiâ cuſtodiuit, vt nec ſemel fœdæ voluptatis actio notaret illum, nec ipſius oris locutio vel irati quenquam ſibi lucraretur inimicum: immò vidimus: nec inimicus illius (ſi quis eſt) contradicere valet, quòd cum ab indigno quolibet ſibi videnti vel audienti detraheretur, aut aliquod contumeliæ verbum inferretur: ſic mitis & manſuetus eſſe continuit, vt ſæpò is qui maledictis illum prouocaret, patientiam eius intuitus, & ex ea in ſe ipſo pauore correptus, tanto confeſtim pœnitudinis dolore, pugnis pectus & labia tundens

ſeipſum afficeret, quatenus quiuis intuitus hoc iudicaret multum ei parci, ſi meritos pœnarum cruciatus poriùs ad vindictam ſuſciperet. Breuiùs dicam, nulla fuit vnquam aſperitas malignitatis, quàm non poſſet lenire eius pulchritudo blandi ſermonis: ſed & de voluptuoſis rentationibus, hoc eſt laſciuis motibus carnis ipſius quid dicemus? quos refrenare atque cōprimere tam ſtudioſus fuit, vt vix aliquando vinum biberet: cúmque ſæpius à medicis moneretur, vt non, niſi cito mori vellet, ſic vinum ex toto vitaret, non quia ipſe mori volebat, ſed cauſam mortis & fomitem libidinis naturâ & ætate feruidus metuebat, nullis monitis, nullis exhortationibus paſſus eſt prius acquieſcere, quàm abſtinentia illa ſic infirmatus eſt nobis videntibus, vt iuxta medicorum ſententiam iuuenis adhuc omnium neceſſitatum nouiſſima atque maxima morte videlicet ante tempus raperetur, quæ & ſi poterat medela parumper differri, nequibat tamen omnino quin veniret diutiùs teneri. Ergo Niuernis tota ægritudine captus, induto, vt aiunt, habitu Sancti Benedicti, amariſque lachrymis deflens mala quæ fecerat, & in confeſſione defunctus Catholica, & ibidem in beati Protomartyris fœliciter ſepultus eſt Baſilica ij. Idus Febr. Illic honorem magnificum præſtant eius membra, hic nobis diebus cunctis fructum ferunt, quæ largitus eſt, beneficia, quapropter memoria illius ſcripto præſenti viuens, nec à noſtris recedet cordibus, nec noſtris carebit orationibus.

Pontificum geſtis aliorum geſta duorum
Clericus amborum vitas deſcripſit eorum,
Adnectens Frodo, Goffridi primo inde Roberti
Fidus eas egit, quia non niſi cognita dixit,
Non potuit munus Dominus pauper dare maius
Quam quod ei certum ſeruat nunquam moriturum,
Vnde Deo mentis des laudes vtique teſtis,
Poſcit, & in verbis Deus vt ſibi parcat & illa.

Epitaphium Roberti Præſulis & conqueſtio.

Conſul & Antiſtes, geminato dignus honore,
Vt minimus quiuis migras moriture Roberte,
Quantalibet bona ſint, morituris vt quid habenda,
Acciderint melius victuris, quippe minora,
Sic vtinam fieret, pauca cum proſperitate
Quatenus affluerent longæ diſpendia vitæ.
Cum modica vita, potius quam gaudia multa,
Sed Deus hanc talem confert per poſteritatem,
Vt per tranſuerſum contingat optima rerum,
Et cui ſpondetur mors, illi vita paretur,
Quique putet vita fore fretus ſit ſibi contra.
Ecce videte modo, quid ſit de præſule noſtro,
Nobilis & ſapiens, iuuenis, formoſus amandus,
Præterit tanquam ſi nec genitus foret vnquam.

CAPVT LIII. DE HVMBAVDO.

HVMBAVDVS bonæ memoriæ ex Decano Epiſcopus, Narlone Autiſſiodorenſis, ex parte Humbaldo, matre Adela, nobili videlicet proſapia ortus, ſedit annos XXII. menſes IV. dies XVI. fuit autem idem Epiſcopus temporibus Romanorum Pontificum Vrbani Papæ II. Paſchalis ſecundi, Regnantibus apud Francos viris illuſtriſſimis Philippo glorioſo Francorum Rege, atque Ludouico filio eius feliciter. Hic ab infantia ſtudiis literarum traditus ab Heriberto prædeceſſore ſuo Clericus atque Canonicus factus, ſimplicitate & prudentia, caſtitate ac temperantia, cæteriſque virtutum floribus pollens in Eccleſia beati Protomartyris Stephani per omnia ordinum militans officia, honeſtè, decenterque ac religioſè ibidem Deo ſeruire ſtuduit; decedente autem à ſæculo præcellentiſſimo Pontificum Pontifice, Roberto, moribus & generatione nobilium nobiliſſimo, prudentia ac corporis ſpecie ſpecioſiorum ſpecioſiſſimo, Humbaldus à clero & populo Ciuitatis in Pontificem eligitur, electus quidem apud Mediolanum Italiæ Ciuitatem, à Clericis prædicto Papæ Vrbano videlicet, qui pro quibuſdam à ſana doctrinâ declinantibus in Lombardiam deſcenderat, conſecrandus præſentatur, & ab eodem ibidem conſecratus ad propriam Ciuitatem reducitur, atque in Sede Pontificali cum gloria & hymnidicis cantibus, iuxta Eccleſiæ morem à clero & populo deuotè ſuſceptus eſt. Quidam interea Eccleſiæ Caſati in Eccleſiam inſurgentes Epiſcopalia bona vſurpauerunt, &

vt propria ſibi retinere voluerunt: verùm Humbaldus ſimplex ac prudens Epiſcopus, vtili conſilio fretus, atque de Dei potentia confiſus Gaufridum Dunziacenſem Varziaci Caſtrum occupantem, terram hominesque vltra modum depopulantem, Eccleſiaſtica iuſtitia ſagaciter remouit, ſibique ac ſucceſſoribus ſuis obtinendum cenſuit. Conadam quoque ab Hugonis tyrannica peruaſione liberauit, qui Epiſcopales eiuſdem loci redditus peruerſa audacia vſurpauerat, & in poſterum ſibi retinere ſitiebat. Tociacenſes ſimiliter Eccleſiaſtica diſciplina coërcuit, & quæ ab Epiſcopali iure ſubripuerant, eos reddere coëgit: Hic igitur quàm piè erga Eccleſiam ſibi ſuſceptam, quàm benignè ac prudenter erga ſubditos ſe ſe habuit, præclara eius facta demonſtrant: etenim Eccleſiam multis beneficiis intus & exterius decorauit ædificiis multiplicauit, honoribus nobilitauit; multis etiam bonis, plura Eccleſiæ contuliſſet, niſi qui bonis ſemper inuidet diabolus per prædictos, & quoſdam alios tyrannos ei rerum ſuarum atque honoris damna intuliſſet. Eccleſiæ namque tecta vetuſtate conſumpta atque dilapſa, nouis aſſiculis renouauit, turrem Eccleſiæ ſuper altare Sancti Alexandri poſitam mirabili, & alta lignea coopertura ſublimauit. Aliam quoque turrim ſuper chorum poſitam quadratis lapidibus cooperiri fecit, ne eius ſigna feſtina ignis exuſtione, ſi forte contingeret conſumerentur, nevè pluuiis glacialibus, quandóque conſumpta frangerentur. Feneſtras etiam quatuor ſeniori altari lumen præſtantes mirabili opere vitreari fecit, atque in anteriori parte Eccleſiæ XXII. iuxta Chorum quoque duas vitreauit; Candelabra ſiquidem v. miræ altitudinis ante altare appóſuit, quibus cerei appoſiti Eccleſiam nocturnis horis clarificarent, ac introeuntibus clericis ſiue laïcis lucem lucidiùs miniſtrarent. Item dedit lineam cortinam, alterum parietem Eccleſiæ feſtiuis diebus decorantem, Regum & Imperatorum imaginibus depictam, ſupra quam poſuit tria precioſiſſima pallia mille ſolidorum precij conſtantia, quorum vnum viridis coloris leonibus multicoloribus circumrotatis fulget, ſecundum imaginibus Regum ſimiliter circumrotatis regali modo equitantium pollet: tertium quoque leonibus auriculoribus circumrotatis aſpicientibus arridet. Item ad decorem Eccleſiæ memor Pſalmiſtæ dicentis: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, duo magna dedit dorſalia lanea, leonibus multicoloribus operoſè inſignita, atque ſuper Chori ſedilia duo optima poſuit tapetia. Item ad ornamentum Eccleſiæ inſinuando etiam nobis, quia poſtpoſitis vitiis intus & exterius palleari virtutibus eſſe debemus, dedit cappas de pallio, bonas IV. Dalmaticas, III. albas, VII. optimas caſulas, ſtolas & manutergia plura, pluréſque libros Epiſcopali officio conuenientes. Caput quoque Eccleſiæ ſuper altare Sancti Stephani, mirabili & precioſa pictura decorauit, in crypta ſimiliter alta Trinitatis, ſuperius & inferius picturis adornauit & in alia crypta altare Sancti Nicolai imagine Saluatoris Sanctæque Mariæ & Sancti Ioannis Euangeliſtæ depictâ honeſtauit: Eccleſiam Sanctæ Matris Domini Mariæ infra muros pòſitam ruentem ac penè dilapſam renouauit, ac renouatam ipſe dedicauit: caput Eccleſiæ Sanctæ Mariæ extra muros nouis aſſiculis cooperiri fecit, ad ſtipendia denique Canonicorum dedit Eccleſiam Accolaci, cum decimis quam à Guiberto milite Caſtri Cenſurij acquiſierat, & paredam eidem Canonicis condonauit. Eccleſiam Creuenni ſimiliter dedit fratribus cum decimis & paredam condonauit, præbendas tamen duas eo pacto Clericis duobus Capituli precibus attribuit. Item dedit Eccleſiam Collumni cum decimis prædictis Canonicis, quam à Motundo milite conquiſiuit, eo pacto vt Canonici Eccleſiam deſtructam reficerent, & paredam condonauit. Eccleſiam quoque Auſiaci ab Hugone Manſello quaſi iure hæreditario poſſeſſam cum Preſbyterio & decimis eorundem fratrum ſtipendiis ſe daturum promiſerat, & ſi Canonici interim ab illo extorquere aliquo modo poſſent, Epiſcopali donatione conceſſerat, quam in perpetuum habendam nobis deliberaſſet, niſi morte maturius intercedente præoccupatus fuiſſet. Nec prætereundum ſilentio dignum duximus, quòd villam, quæ Laurea vocatur, inter Carcedonum Andraiamque ſitam Epiſcopis valdè congruentem, cum ſyluis, terris cultis & incultis, à Gaufrido Bolſario, & ab hæredibus ſuis precio XXX. librarum, & amplius eis dato dimidiam conquiſiuit, ſibique ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum habendam cenſuit. Apud Altiſſiodorum quidem clauſos vinearum Epiſcopales vetuſtate conſumptos, & penè emortuos, in viriditatem priſtinam & fœcunditatem bonam reduxit; conſuetudinem quoque prauam, omnia vi-

delicet Epiſcopalis domus vtenſilia, quæ Comites moriente Epiſcopo rapere ſuis vſibus atque vſurpare ſolebant, à iuniore Willelmo Comite ſibi ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum habendum obtinuit, & vt memoriæ commendaretur ſcripto hoc confirmari præcepit: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, notum ſit omnibus tam futuris quàm præſentibus veritatem diligentibus animarumque ſuarum ſalutem quærentibus: quia ego VVillelmus Niuernenſis Conſul ad remiſſionem peccatorum meorum, & patris mei & matris meæ & anteceſſorum ſuorum laudante vxore mea Adelaya Comitiſſa, dimitto Eccleſiæ beatæ Mariæ Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beati Stephani Protomartyris & Humbaldo Epiſcopo Autiſſiodorenſi, & Canonicis eiuſdem Eccleſiæ, & ſucceſſoribus eorum, quandam prauam conſuetudinem, quam anteceſſores mei ſolebant capere, ſcilicet de domo Epiſcopali & de rebus Epiſcopi, quas poſt mortem Epiſcoporum quaſi proprias poſſidebant, vaſtabant, & diripiebant: hanc autem dimiſſionem talis conſuetudinis facio, ne deinceps aliquis hæres meus inde quicquam capere præſumat, aut ſi quicquam inde capere præſumpſerit, totum honorem meum perdat, facta autem eſt hæc dimiſſio prius ſuper altare Sancti Stephani, poſtmodum in eadem Eccleſia publice Dominica die pridie Kalend. Septemb.* Apogniaci etiam clauſum Epiſcopalem deſtructum & male diſſipatum in fertilitatem ſuam reduxit & furnum ab Epiſcopali iure ſublatum ad molendinum in Icaunâ flumine poſitum, & campos qui vulgo Condominicati vocantur, Epiſcoporum ditioni reſtituit, ſeruos & ancillas plures acquiſiuit, & firmitatem oppidi deſtructam, forti maceriâ nouiſque machinis circumquaque renouatis foſſis firmiter muniuit; conſuetudinem quoque ccc ſcilicet ſolidorum, quæ Iouiniacenſi Comiti pro firmitate caſtri Apogniaci ſingulis annis dabatur, ſolidis xl. minorauit, & vinearum plantas ibidem ædificauit, Giacique domum lapideam & Capellam Epiſcopis conſtruxit, Varziaci ſiquidem plurima acquiſiuit beneficia, Eccleſiam ſcilicet Sancti Petri à laicorum dominio ſubſtractam, Eccleſiæ ſimiliter & ſanctæ Eugeniæ oblationes Pentecoſtales ac Natiuitatis Dominicæ atque ipſius Aſſumptæ Virginis feſtiuitatis à laicali poſſeſſione liberauit, iuriſque Epiſcoporum in perpetuum eſſe conſtituit: vinearum plantas & clauſum ædificauit, ſeruos quoque & ancillas, domos, terras cultas & incultas attribuit: apud Conadam etiam Altiſſiodorenſis Epiſcopus Epiſcopali domo carebat, vbi egregiam egregiè domum conſtruxit, ac Sanctæ Mariæ Capellam iuxta poſitam decenter decorauit, Eccleſiamque Sancti Laurentij ſuo ingenio, magno tamen labore à laïcali manu ſubtraxit, ſibique ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum habendam delegauit: & multa alia acquiſiuit beneficia: Tociaci verò Epiſcopalem domum Epiſcopis conſtruxit, & ad Epiſcoporum vtilitatem & proficuum ſuâ prudentiâ, ibidem multa bona multo labore acquiſiuit: neque hoc ſilere debuimus, quoniam Monaſterium Sancti Germani ab antiquis Franciæ regibus Eccleſiæ noſtræ ſublatum à prælibato Vrbano Papa ſecundo in Concilio Nemauſenſi obtinere meruit, quatenus Autiſſiodorenſis Epiſcopus in eodem Monaſterio Abbatem in perpetuum Deo diſponente poneret, & regulari ordine Eccleſiam eandem ordinare curaret, quamdiu vixit, prout potuit & debuit, fouere ſtuduit. In alodio etiam Hildeberti Eccleſiæ noſtræ Canonici quod Pontiniacus vocatur, eodem Hildeberto rogante & ſubmouente Monaſterium Monachorum ſub beati Benedicti regula viuentium conſtituit, & Abbatem religioſum Hugonem ibi primum poſuit, Cœnobium verò, quod Fons humidus vocatur, in termino Autiſſiodorenſis Epiſcopatus poſitum à Girardo religioſo viro poſtmodum futuro Abbati ædificatum beneficiis ſuis in quantum potuit, ſublimauit: Eccleſiam quoque Sancti Petri in ſuburbio Autiſſiodorenſis vrbis poſitam Regularium Canonicorum eſſe conſtituit, & à Domino Papa priuilegium hoc Eccleſiaſticarum conſtitutionum habere meruit.

Paſcalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Humbaldo Autiſſiodorenſi Epiſcopo eiuſque ſucceſſoribus Canonicè ſubſtituendis in perpetuum, iuſtis votis aſſenſum præbere, iuſtiſque petitionibus aures accommodare nos conuenit, qui licet indigni iuſtitiæ cuſtodes atque præcones in excelſa Apoſtolorum Principum Petri & Pauli ſpecula poſiti domino diſponente conſpicimur: Tuis igitur, frater in Chriſto chariſſime Humbalde, iuſtis petitionibus annuentes Sanctam Autiſſiodorenſem Eccleſiam cui authore Deo præſides Apoſtolicæ ſedis authoritate munimus; ſtatuimus enim vt vniuerſa quæ ab antiquis prædeceſſorum noſtrorum poſſeſſa temporibus, veſtra Autiſſiodorenſis Eccleſia in præſenti ex xv. Indictione obtinere cognoſcitur, tibi tuiſque ſucceſſoribus libera ſemper & illibata ſeruentur, nullus omnino cuiuſcun-

que dignitatis aut ordinis inuitis vobis aut Eccleſiæ veſtræ ſubiectionis aut rei veſtræ poſſeſſionis inuadere, auferre, aut aliquo modo ſubtrahere audeat, ſed omnia in tua tuorumque ſucceſſorum Canonica honeſtate viuentium, obedientia & diſpoſitione perſiſtant; ſic enim à prædeceſſoribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificibus per beati Germani petitionem, cuius patrimonium Altiſsiodorenſis Parrochia fuerat, creditur inſtitutum. Si qua igitur Eccleſiaſtica ſecularisſvè perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertióve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitáte careat, reámque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat, cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hi fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, amen, amen. Item eiuſdem ad Cletum.

Paſcalis ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Antiſsiodorenſis Eccleſiæ Canonicis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quòd confrater noſter Humbaldus Eccleſiæ veſtræ Epiſcopus erga filium noſtrum Huſgerium Canonicum veſtrum benignè ſe habuit, eique Præpoſituræ dignitatem veſtro conſenſu dedit, & ipſi & vobis gratias agimus, notum autem vobis eſſe volumus, quia nos tamipſum, quàm omnia ad eum pertinentia volumus ſub Apoſtolicæ ſedis tutelæ protectione perſiſtere: præſentium itaque literarum authoritate interdicimus, ne qua Eccleſiaſtica ſecularisſvè perſona eundem filium noſtrum de prædictæ Præpoſituræ beneficio inquietare præſumat. Inter cætera verò benignè geſtorum eius inſignia vir honeſtæ vitæ, & per cuncta laudabilis Eccleſiam Sancti Euſebij, apud quam Canonicorum noſtrorum atque ſeruientium conſtat eſſe ſepulturam, Canonicorum Regularium eſſe conſtituit, & probabilis vitæ fratres ſub Prioratu de Abbatia plures ibidem poſuit, quibus & præbendam Canonici noſtri mortui per annum dari ſtuduit, cum conſenſu totius Cleri & populi, aſſiſtente & collaudante Heruæo Niuernenſium Epiſcopo, huius noſtræ Eccleſiæ Canonico, vt & ipſi regulares Sancti Euſebij Canonici pro noſtris mortuis Miſſas celebrarent, cæteráque mortuorum agenda quotidie perſoluerent: quam etiam præbendam anteceſſor eius Pontifex Robertus cuidam Preſbytero Miſſas pro Canonico mortuo celebranti dari per annum ſtatuerat. Canonicis etiam de Abbatia regularibus, quam anteceſſor eius glorioſus decúſque Pontificum Robertus in Abbatiam extulit, dedit Eccleſias plures, illam de Watchi, de Tratiaco, Sancti Martini de Trunceto, de Sancto Quintino, quas à laïcali manu ſubtraxit, eiſque in perpetuum habendas Apoſtolica & Epiſcopali authoritate conceſſit: Monaſterio Charitatis ſimiliter Eccleſias multas conceſſit, quas à laïcis eas poſſidentibus conquiſiuit, ipſe idem diuinorum officiorum Eccleſiaſticíque ordinis amator baptiſteria & ſepulturas cæteráſque Eccleſiarum oblationes à laïcis per multa tempora vſurpatas, & iam ex longo vſu quaſi pro conſuetudine poſſeſſas, conſuetudines quoque prauas, conuiuia ſcilicet, quæ Preſbyteri Parrochiales Dominis laicis per ſingulos annos perſoluebant, ſtrenuè ac rationabiliter à laïci poſſeſſione remouit; névè deinceps Sacerdotes Dei laïcis in talibus obedirent in Synodo Epiſcopali authoritate interdixit, prædicens illud Stephani Papæ & Martyris decretum; laicis, quamuis religioſi ſint, nulli tamen de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid poſſidendi legitur vnquam attributa poteſtas. Hic itaque amicus pacis ac benignitatis Epiſcopus his atque huiuſcemodi bonorum operum exhibitionibus adornatus, ita ſe amabilem omnibus bonis viris ac charum exhibebat, vt omnium bonorum laude dignus fieri mereretur: erat enim ſagacis ingenij, prudens eloquio, prouidus in conſilio, patientiâ lenis, vultu alacris, inceſſu & habitu iucundus, erga omnes benignè affabilis, intus & foris cunctis idoneus, vacabat opportuno tempore orationibus, & interdum familiarium fruebátur collocutionibus, diſponendo de ſuis ſuorúmque vtilitatibus, diligebat militum atque nobilium contubernia, ſed major illi inerat erga Clericos affectio, & in menſa & in veſtium cultu largitatis gratia eis apparebat eſſe copioſior. De illicitis ſiquidem moribus carnis ſilendum non eſt, quos ab eo ciborum parſimonia & potus comprimere ſtudioſus fuit; vt ex quo Epiſcopus factus eſt à carnibus ſe ſe abſtineret, leguminis ei comeſtio ſufficeret, nec vinum niſi parum biberet. In conuiuio denique hoſpitalitatem in inuicem & in omnes ſectando dapſilis fuit, nec vnquam in prandio Chriſti pauperibus caruit, vitans illud, quod ſcriptum eſt, Epiſcopus niſi omnes receperit, inhumanus eſt. In

Quadrageſima verò quotidie pauperes duodecim reficiebat, quibus in Cœna Domini denarios tribuebat, & in Paſcha pleroſque veſtiebat. Cùm autem, vt plerumque fieri ſolet, in ſubditorum etiam Baronum animos furor iracundiæ & diſcordiæ diabolico inſtinctu irrepſiſſet, mira eius patientia atque humilitatis gratia diſcordantes animos concordabat, & vt pax fieret firmior & quies, inquietanti dando de ſuo ſæpenumero propinabat. Si verò aliquando aliqua laïcalis perſona in Clericum aut calumniæ cauſam, aut iniuriam à Clerico ſibi illatam haberet, eíque conquerendo reclamaret, ipſe ſimplicitate columbæ, ac prudentia ſerpentis inſtructus, & culpam, ne dedecus fieret Eccleſiæ, ſub ſilentio teneri faciebat, & negligentiam ſi aliter fieri non poſſet, interdum dato precio à reclamantibus redimebat. Hæc itaque operante Ieſu Chriſti clementia, qui fidelium ſuorum & aſpirando præuenit & adiuuando proſequitur actiones, inter fratres pace prius reformata XXII. Epiſcopatus ſui anno, pro Saluatoris amore & peccatorum ſuorum remiſſione Hieroſolymitanum iter proſecutus eſt: vnde ſacris locis ex more viſitatis, & cum imbre lachrymarum facta oratione, vbique pro peccatis, dum rediret & Eccleſiæ ſuæ ornamenta plurima deferret, inter ſæuientes maris fluctus Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti miſericordiam implorans reúmque ſe vociferans, pſalmos Deo & hymnos perſonando, naui diſſoluta creatori ſuo ſpiritum reddidit.

CAPVT LIV. De Hvcone Ep. et Abbate Sancti Germani.

Hvco ſedit annos XXI. hic ſiquidem in Cluniacenſi territorio de Caſtro Monte Acuto ortus, à nobilibus proceſſit parentibus, & pater eius Dalmaticus dictus, matris verò nomen....... Hunc cùm patres ſatis tenerè diligerent, non ſolum carnaliter, ſed etiam ſpiritualiter, nutu Dei, quo omnia diſponuntur, Eccleſiæ deſtinatus litteris traditur, & adhuc in puerili innocentia manens in Cluniacenſi Monaſterio Monaſticum habitum ſuſcepit, vbi ſub Sancto Hugone auunculo ſuo eiuſdem Monaſterij tunc Abbate pluribus annis vixit, & Regulam beati Benedicti in Clauſtro eiuſdem Monaſterij ſapienter didicit: quoniam ſicut perhibetur de ipſo ſemper ſine querela, humilis, & obediens ſuis maioribus, ſicut decet Monachum, permanſit. Porro Dominus Omnipotens, qui humilia reſpicit in cœlo & in terra, humilitatem huius reſpiciens multis profuturam, eum in Clauſtro diu manere non permiſit. Poſt deceſſum namque Domini Guiberti, Abbatis Sancti Germani Altiſſiodorenſis, in eadem Eccleſia electus & benedictus Abbas, non propter nomen Abbatis elatior factus, ſed tanquam vnus ex cæteris humilis Monachus fuit, & ſicut bonum magiſtrum decet, cœpit facere & docere, demonſtrans exemplo quod docebat verbo. Cognito autem quod Dominus Humbaldus venerabilis Autiſſiodorenſis Epiſcopus in via Hieroſolymitana de hac vita migraſſet, Clerus eiuſdem Eccleſiæ ex maiori parte, facto ſatis breui interuallo, hunc iam dictum Abbatem in Pontificem elegerunt. Præpoſitus vero eiuſdem Eccleſiæ Hulgerius nomine, & quidam Canonici cum eo, qui eundem Præpoſitum nominauerant in electione, electioni Sancti viri teſtiterunt, qui etiam Regem Ludouicum filium Regis Philippi tunc regnantem ſuæ contradictionis adiutorem habuerunt: ita vt omnia Regalia ad Epiſcopatum pertinentia omnino concedere ei denegaret. Tunc ipſe compulſus & tractus ab electoribus ſuis, & ſui aduerſarij, ad limina Apoſtolorum adierunt, vt ibi à ſummo Pontifice iudicaretur de electione, ſed benigniſſimus Dominus omnium bonorum diſtributor, aduerſus quem non eſt ſapientia vel conſilium, tantam dedit Reuerendo Abbati gratiam in oculis ſummi Pontificis, qui tunc Paſchalis nomine ſedebat, vt ab ipſo gratiam Epiſcopalis conſecrationis mereretur accipere, & cum pace aduerſariorum ad propriam ſedem reuerſus eſt, cum multa alacritate, occurrente ſibi Clero & etiam populo. Comitem quoque terræ qui eodem tempore captus tenebatur à Manſello, qui poſtea in Carthuſia religionis habitum aſſumpſit, de confirmatione ſuæ electionis lætum inuenit, Regem etiam Francorum, qui prius ei aduerſabatur, in aduentu ſuo quàm citò viſitauit pacatum. denique in quanta animi puritate, & quam humilis in Epiſcopatu ſuo vixerit, licet non per omnia, ſubſequens littera declarabit, cuius ſanctæ conuerſationis quaſi quoddam præſagium fuit prognoſticum ei diuinitus deſtinatum,

tum, quod tale fuit, *Aue Maria gratia plena, &c.* nec mirum ſi filius Virginis ſine cuius nutu, nec folium cadit in terram, in prognoſtico ſerui Matris ſuæ, quem virginem cognouerat permanſurum, illam ſingularem & admirabilis gratiæ ſalutationem voluit inueniri, vt qualis vitæ futurus eſſet, daret intelligi, Ordinem Ciſtercienſem, qui tunc temporis adhuc recens erat, læta & voluntaria paupertate circunſeptus, dulciſſima viſitatione frequentabat, & iuxta facultatem ſuam ei in multis neceſſaria miniſtrabat; ſuo etiam tempore eiuſdem Ordinis Abbatiæ, Regniacum, Rupes, Bonusradius, initium fundationis habuerunt, & per manus eius, tum miniſtrando neceſſitatibus eorum, tum acquirendo poſſeſſiones, non modicum incrementum; nam ante tempora ſuæ conſecrationis Pontiniacenſe Monaſterium fundatum fuerat; infirmos etiam eiuſdem ordinis non obliuiſcens dulci alloquio refouebat, & in expenſis ſuis ſæpius refectionem miniſtrabat. Ciuitatem & frequentias populorum congruo tempore libenter vitabat, Clauſtrum Monachorum læta animi ſimplicitate frequentans inter ipſos non deſiderans Epiſcopus vocari vel videri, ſed Monachus, non oblitus illius Euangelici præcepti, *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator*: Illud etiam beati Hieronymi, qui & Monachus fuit, & doctor Monachorum, ſemper in mente voluens, *mihi oppidum carcer, ſolitudo paradiſus eſt: ſi cupis eſſe quod diceris Monachus, id eſt ſolus, quid facis in vrbibus?* In Clauſtro Monachorum de Charitate, qui iuxta ordinem Cluniacenſem viuebant, frequenter manebat, & de caſtris ſuis Varziaco, & Conâ annonam & vinum ne Eccleſiam grauaret, ad ſuum vſum & refectionem infirmorum ibidem ſæpius præcipiens deportari. Creditur quoque de ipſo, quod ſpiritum habuerit prophetiæ, in quo quoddam ſignum veritatis reliquit Clericis ſuæ Eccleſiæ, fuit namque tempore ſuo Clericus quidam, nomine Stephanus, in acquirendo & prouidendo cautiſſimus, qui multum dilectus & familiaris fuerat Abbatiæ, cui præfuerat, & præcipuè Abbati Geruaſio ſucceſſori ſuo, vtpote de familia eiuſdem Eccleſiæ: Pro ipſo igitur cùm Monachi ipſius Eccleſiæ & præſertim Abbas frequenter Epiſcopum interpellarent, vt eum Canonicum faceret in Eccleſia Sancti Stephani, ipſe verò nollet eos in hoc audire, cùm ipſi eum quotidie aſſiduis precibus non ceſſarent pulſare, fertur hoc illis reſponſum dediſſe: incaſſum pro ipſo preces funditis, meo namque tempore meus nunquam Canonicus erit, hoc enim credo de ipſo quod quàm cito canonicabitur in Eccleſia Sancti Stephani, proprij cõmodi circa bona Eccleſiæ nimius erit exactor. Et quid multa, verbum ſancti viri veritas ſubſecuta eſt: poſt mortem namque eius, ſucceſſor ſuus predictum Clericum in Eccleſia beati Stephani Canonicum fecit, & familiariſſimum habuit, & quod de ipſo vir ſanctus prædixit, hoc in eodem Clerico effectus, probauit. Archidiaconatum qui ſuo tempore venit in manus eius diebus ſui præſulatus in manu ſua retinuit, non propter auaritiam, ſed ne Sacerdotes grauarentur ſciens Archidiaconatus redditus pauciſſimos eſſe, nec ad expenſas, quas nomen huius honoris requirit, poſſe ſufficere. Contigit autem ſemel eum pro quadam neceſſitate velle Romanum Pontificem viſitare: vnde & conſilio aſſiſtentium ſibi pro expenſis itineris tanti compulſus eſt à Sacerdotibus ſuæ Diœceſis auxilium poſtulare: dederunt Sacerdotes iuxta proprium arbitrium, vnuſquiſque, nec amplius quæſitum eſt ab aliquo, quàm de eius procederet liberâ voluntate. Paratis igitur omnibus, quæ neceſſaria erant ſibi aggreſſus eſt iter propoſitum, tranſiens montem Ciniſium, ad Cluſas venit, & ibidem intellexit viam ſecuram non eſſe. Conſilio itaque inito ad propriam ſedem rediit & non oblitus quod à Sacerdotibus ſuis pro itinere incepto pecuniam ſumpſerit; viſo ſcripto quantũ vnuſquiſque Sacerdotũ dederat, tantũ vnicuique eſt reſignatum: Fuit quoque quidam eius familiaris, cui Eccleſiaſticum beneficium contulit, ille verò non immemor accepti beneficij, trãſacto aliquãto ſpatio tẽporis, cũ quadam ſumma nummorum venit ad Monachũ quendam, qui loculos Epiſc. portabat, & totius domus ſuæ procurator erat, obtulit ei eoſdẽ nũmos: ita dicẽs, dominus Epiſc. multa expẽdit & indiget multis, hoc munus accipite, & in expenſis ſibi neceſſariis reſeruate. Monachus cum gratia munus accepit, & acceptum reſeruauit, nec multo interiecto tẽporis ſpatio in memoriã reducens nũmos acceptos, & ignorans ſi aliquis ſcrupulus lateret in munere, qui conſcientiam Epiſcopi poſſet offendere, cuius puritatem non ignorabat, ſicut prouidus & ſapiens diſpenſator, quale munus à quali viro ſibi datum fuiſſet, Epiſcopo reuelauit. Quo audito cùm Epiſcopus cogitaret, vnde donum proceſſiſſet tale & tantum, ſtatim venit ei in mentem, quod in Eccleſiaſtico beneficio benefecerit illi, iratus ſic diſpenſatori ſuo fertur dixiſſe: frater non eſt noſtri

propoſiti hoc tenere, quod à gentili dictum eſt, *Non cures vnde habeas, ſed oportet habere*, ita ex integro, ſicut munus tibi dedit, datori remitte, ne conſcientia mea polluatur in Eccleſiaſtici beneficij collatione. Monachus ſtatim obedit, & ſicut ei iniunctum fuerat, munus datori remiſit: accidit etiam vt ex defectu vinearum ſub quodam anno vinum aliquantulum magis ſolito venderetur; ipſe verò conſiderans loca regulariter viuentium in Epiſcopatu ſuo, præcipuè inter alias neceſſitates, ad vſum potus nihil omnino vini aut nimis parum habere, conſtituit Monachis de Rupibus, & illis de Bonoradio, & illis de Charitate à Varziaco & Conâ vinum miniſtrari, iuxta quantitatem vini quam habebat ibi, & prout cuique Eccleſię congruum erat. Conuentui autem Pontiniacenſi, Regniacenſi, & virginibus Chriſti de Criſinon in hunc modum diſtribuit. Quadam die accito Cellerario Altiſſiodorenſi, cellarium proprium intrauit, & cognito, quod dolia eſſent plena vino, fertur ita dixiſſe ſuo Cellerario, hoc vas ſit Conuentus Pontiniacenſis, iſtud Regniacenſis, iſtud pauperum Virginum Chriſti, vnumquodque deſignans virgulâ, quam habebat in manu ſua. Porro Cellerarius ſciens vinum eſſe de megrana, quod deſtinauerat virginibus Chriſti dolium quoque XL. modiorum magni pretij fore, quaſi ex conſilio animum Epiſcopi auertere voluit à tanto dono, dicens, domine iſtud vinum eſt de megrana, & vas XL. modiorum magni precij putationi vinearum, & aliis neceſſitatibus reſeruatum, placeat vobis vinum minoris precij dare, quia aliud habetis præ manibus, quod ex magna animi accipient charitate. Cui Epiſcopus, non ſapis ea, quæ Dei ſunt, quod dixi, dixi: Neſcis quod verbum Dei nunquam debet eſſe ocioſum. Quid multa? dixit & facta ſunt: ſed adhuc audiamus quid dominus adiecerit huic viro ad augmentum huius charitatis: vocatus eſt diſpenſator monialium, iniunctum eſt ei, vt deferat vinum darum vſui virginum; ſed ille cùm intelligeret vinum tam bonum & tanti pretij eſſe, obtulit venale, vt de pretio vini vilius emeret, & reſiduum pretij neceſſitatibus aliis reſeruaret, Epiſcopus hoc audiens Monachum diſpenſatorem iubet vocari, quare velit vendere vinum inquirit. Monachus cauſam exponit, quod Epiſcopus intelligens, inquit: ego vinum, quod dedi ſub eodem precio quod alij daretur volo, quod in meam redeat poteſtatē, obſequitur Monachus volūtati Epiſcopi, datum eſt pretium Monacho, non minus quàm potuit habere ab alieno. Quo facto, Epiſcopus ad Monachum: modo pretium vini habes, ecce hoc vinum ſicut priùs iterum ſponſis Chriſti dono, vtque illud habeant & bibant præcipio. Creditur quoque de ipſo, quod ſemel & ſecundo & tertio, corporis infirmitatem ſentiens, ita vniuerſa quæ habebat, pro amore Dei deſtribuit, vt nihil mobile præter veſtimentum, quod vix poſſet ſibi ſufficere, retineret. In quadam autem infirmitate, cùm omnia dari præcepiſſet, allata eſt ei quædam pyxis cum electuario, & paruo cocleari argenteo: ipſe aurem coclear ſtatim præcepit dari, vt nihil ſibi retineret, quod conſcientiæ ſuæ puritatem offendere poſſet: accidit quoque, vt quodam tempore apud Claramvallem eſſet, vbi ſæpè ex magna animi voluntate morabatur pro conſilio animæ ſuæ: quia tunc temporis dominus Bernardus venerabilis, magni nominis & meriti Abbas, cuius vita & doctrina in vniuerſali Eccleſia celebriter diuulgata multos ſecum traxit ad Chriſtum, ibique die quadam cum Abbas & Conuentus Monachorum, quorum conſuetudo eſt propriè manibus metere, vnde viuant ipſi, & neceſſitatem patienti tribuant, in campum quendam ad metendum irent: Epiſcopus cum falce Conuentui ſe interpoſuit, magnum fructum expectans, quoties inter eos contingeret ipſum ſocium eſſe laboris, ventum eſt ad campum, vbi ſeges erat, ſecant omnes, colligitur ſeges in manipulos, & ecce nubes tenebroſa & multis imbribus plena obnubilans cœlum & circumuoluens campum vbi erant, quod cum videret dominus Bernardus venerabilis Abbas imperterritus, & fidem Chriſti ſemper habens in pectore ſuo, de qua ſcriptum eſt: *omnia ſunt poſſibilia credenti*, conuerſus ad Epiſcopum ait: Pater dic, vt imminens pluuiarum inundatio tranſeat: ille ad humilitatem ſemper reſpiciens, ſic reſpondit, non ſum huius meriti: tu ora, & confido, quòd Dominus dabit tibi: è contrà Abbas, & tu Pater ora, & ego tecum: His dictis orauit vterque, & ſtatim aures Domini in preces eorum, receſſit caligo nubium, ſubſecuta eſt ſerenitas aëris, & cum ſiccitate colligunt meſſem ſuam ſancti meſſores. Quodam quoque tempore ex quadam inſolita nimietate ventorum quædam turris lignea Eccleſiæ Sancti Stephani funditus

trabes & ligna tranſtegumenta domus penetrando circa lectum Epiſcopi cecidere hinc inde, etiam ex tranſuerſo, omni læſione ſubmota à Sancto viro. Quid ad hæc dicemus? patet quod ille ſolus & vnus dormientem cuſtodiuit Epiſcopum, qui non dormitat, neque dormit, & cuſtodit Iſraël: ſemper enim cuſtodiuit omnes diligentes ſe, de quo ſolo verè ſcriptum eſt; Quia *niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Cùm autem de conſuetudinibus Eccleſiæ ſuæ inter Præpoſitum & Canonicos diſcordia tempore longo duraſſet, ſub iuramento teſtium, tam Canonicorum, quàm laïcorum conſuetudinibus ex maiori parte ſcriptis & iuratis pacem inter Præpoſitum & fratres poſuit, & ſcriptum ſuo ſigillo confirmauit, & authoritate ſummi Pontificis communiri fecit in pace Eccleſiæ ſuæ illum fructum attendens, quem legerat in beati Martini opere, qui ante obitum ſuum ſibi imminentem in Condatenſi Eccleſia ſtuduit pacem reformare, quem fructum pacis per Pſalmiſtam auctor pacis promiſit: *ſunt*, inquiens, *reliquiæ homini pacifico*: & cùm inter omnes prælatos Eccleſiæ cuiuſcunque fuerint Ordinis vix vnus poſſit inueniri, qui parentes ſuos etiam ſi non ſint digni, non ſublimet honoribus & beneficiis Eccleſiarum, iſte ſingularis inter infinitos cuidam ſuo nepoti nunquam in vita ſua præbendam voluit dare; & licet non multum aſſiduus eſſet in Eccleſia ſua ob quietem ſpiritus, quem inueniebat inter Clauſtrales, multam tamen ſollicitudinem circa ſuam Eccleſiam exhibebat; ad ſeruitium igitur Eccleſiæ ſuæ augmentandum, conſiderans nihil tam vtile in Eccleſia ad commune bonum Fratrum, quàm ſi Præpoſitum Eccleſiæ cederet eis in communem vſum, quadam die conſilio accepto non ab homine, ſed à Deo per manum Sancti Stephani ſuper altare ipſius, præpoſituram obrulit, & in perpetuum habendam communitatem fratrum, & præcipuè ad refectionem ipſorum conceſſit & donauit, ipſúmque donum, ne ab aliquo poſſet infringi, authoritate Innocentij Papæ fecit confirmari: verumtamen quod ſuper hac donatione factum fuerit, tempore ſucceſſoris ſui obſeruatum non fuit. Dedit etiam Eccleſiæ beati Stephani, Eccleſiam De Oyſi & Eccleſiæ Sancti Germani Eccleſiam Sancti Ferreoli: domum Epiſcopalem de nouo ædificauit lapideam, amplam, & tegulis texit, & in illa parte eiuſdem domus, quæ reſpicit ad Orientem ſtationem quandam conſtruxit, quæ vulgari lingua *logia*, appellatur, plurimum in aſpectu delectabilem, cum pulcherrimis columnis exornatam ſuper murum ciuitatis, vnde & fluuius ſubtus poteſt videri, & vineæ, & agri. Appropinquante igitur termino vitæ ſuæ apud illum præfinito, qui tunc dat dilectis ſuis ſomnum, quo vult eis hæreditatem ſuam dare, vniuerſa membra eius calor occupat innaturalis, ipſe verò carne laborante ſpiritum in Pſalmis & orationibus Creatori ſuo compellebat ſeruire. Cúmque ſuperueniſſet dies extremus, fratres circunſtantes quali potuit diligentia circa horam nonam dici, his admonuit verbis; Horas diei quæ ſuperſunt, quas debemus, Domino perſoluamus, quoniam finitis horis ſtatim requieſcam; cantauerunt igitur Domino, & hora Completorij completa, completus eſt terminus vitæ eius, ſicque verbum, quod prędixerat, ſubſequitur effectus veritatis, quibus finitis horis requieuit in Domino, quod tunc non prius intellexerunt circunſtantes. Putauerant enim verbum eius fuiſſe de quiete corporis. Eſt autem obitus eius quarto Idus Aug. & à ſede Epiſcopali vbi ſpiritum reddidit Domino, ad Eccleſiam S. Germani, ſicut de eius voluntate dum adhuc viueret, proceſſerat, corpus eius delatum eſt cum debita reuerentia, & ibidem in Capitulo eiuſdem Eccleſiæ, vbi fratres diſciplinantur, Domino prouidente habuit ſepulturam, nec vacauit Epiſcopatus ab electione ſucceſſoris ſui per ſeptimanam.

CAPVT LV. De Hvgone.

Hvgo de Cluniacenſi territorio ortus fuit, ſicut & prędeceſſor ſuus, cuius & nomen habuit, de ordine Ciſtercienſi primus Abbas Pontiniacenſis Eccleſiæ, qui indicto ieiunio tam Clericis quàm populo Autiſſiodorenſis oppidi, facta inuocatione Sancti Spiritus electus eſt in Pontificem. Pater huius. . . . . . . mater verò . . . . . Qui cùm in Senonenſi Eccleſia propter ſuſpenſionem Domini Henrici Metropolitani locum conſecrationis non haberet, apud Ferrarias à Domino Gaufrido Carnotenſi Epiſc. circa feſtum B. Vincentij conſecratus eſt, & Dominica qua

cantatur *Circundederunt me*, ad ſuam ſedem Epiſcopalem honorificè introitum habuit & in Eccleſia ſibi commiſſa diuinum officium ſolemniter celebrauit. Iſte ſiquidem cùm de genere magnorum virorum proceſſiſſet, ipſe quantum ad animi magnanimitatem plus ſuo contulit generi, quàm genus ſuum ipſi. In loquendo parciſſimus erat, in faciendo efficax, & promptiſſimus, & quamuis miræ eſſet patientiæ iuxta propoſitum ordinis ſui, vt manus ſæuientium in Eccleſiam & in res Eccleſiæ reprimeret, rigorem admiſcuit patientiæ, & quos non poterat per patientiam, & humilitatem ſuperare, conculcabat rigore iuſtitiæ, qui iudicio ſapientis multum neceſſarius ſemper eſt in Eccleſia Dei. Quotidie enim creſcit malitia, & multiplicantur mala ſuper Eccleſiam, quemadmodum pauci inueniuntur Prælati in Eccleſia Dei, qui animam pro grege ſibi commiſſo contra malignantes opponant, & rigorem iuſtitiæ in laude bonorum ponant, & vindictam malorum exerceant. Iſte verò intelligens tam humilem quàm potentem vnum habere Dominum, licet humilibus aliquando parceret in iuſtitia, ſemper in potentiores ad vindicandum veniebant in virga, illud Auguſtini ad manum habens: *aliter ſeruit Epiſcopus, aliter ſibi ſubiectus: ſubiectus fideliter viuendo, Epiſcopus iuſta præcipiendo, & peccatores conuenienti rigore corripiendo.* In exemplum quoque beati Ambroſij factum ſibi aſſumens, qui Theodoſio Imperatori venienti ad ciuitatem Mediolanenſem in faciem reſtitit ei, & propter multa homicidia, quæ iuſſu ſuo facta fuerant, ſuum ſcelus ſibi annunciare & introitum Eccleſiæ, donec Deo ſatisfaceret, interdicere non trepidauit. Nec mirum ſi animus eius erat ad iuſtitiam paratiſſimus, qui pro vindicta exhibita, Domino placato populum Iudæorum à peſtilentia mortalitatis liberarum intellexit per manum ſolius Phinees, qui ſtetit, & placauit, & ceſſauit quaſſatio. Talibus eruditus exemplis ſicut putabat ex officio pietatis humilibus condonandum ipſe, ita etiam iudicabat crudele & impium ſuperbis, & de conſuetudine in res Eccleſiæ ſæuientibus facile condonare. Illud ſapientis non obliuiſcens ex ſolito peccantibus de facili indulgere nihil aliud eſt quàm eiſdem peccandi materiam miniſtrare. Illud etiam beati Hieronymi, quod ad inſtructionem eorum qui præſunt Eccleſiæ Dei in Epiſtola de doctrina diuini ſtudij ad Paulinum Sacerdotem ſcripſit: ſancta quippè ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt: & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti; tantùm nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat: Comitem Willelmum, qui poſtea in Carthuſiâ religionis habitum ſuſcepit, vocando in cauſam, ad hoc Canonico Iudicio coëgit, vt multa Eccleſiæ ſuæ reſtitueret, quæ de iure Canonicorum Eccleſiæ ſuæ fuerant. Multa etiam ad ius Epiſcopale pertinentia, quæ idem Comes propter defectum iuſtitiæ prædeceſſoris ſui in ſuam redegerat poteſtatem. Illo itaque tempore vſus nemoris, quod Munſbarri dicitur, Canonicis beati Stephani eſt redditus, ob quem vſum pars quædam nemoris eſt Canonicis aſſignata à filio eiuſdem Comitis, cùm in eodem nemore villa noua ædificaretur. Venationem etiam, quam Comes per nemora ſua ad Epiſcopale ius pertinere negabat, recuperauit, & vt de hoc iure Eccleſia remaneret inueſtita, ipſe tempore ſuo & venatores & canes habuit, frequentiſſime præcipiens venari, & ſub oculis Comitis per mediam ciuitatem cum canibus, & debito clangore venationem ad ſedem Epiſcopalem deferri. Quid multa? ad hoc prudentia & rigor iuſtitiæ ſuæ omnes Epiſcopatus ſui potentes compulerat, vt præſentiam ſuam honorarent, abſentiam timerent, & iniicere manus in res Eccleſiæ rigorem eius ſub oculis habentes præſumere non auderent, cùmque multoties Caſtellani & potentiores ad ſuam præſentiam venientes, pro indulgentia alicuius commiſſi requirenda & genuflexo preces funderent, non ſtatim illis reſponſum dabat, immo etiam aliquando oculos ſuos ab eis videbatur auertere, non propter ſuperbiam, vel indignationem, ſed ne nimia humilitas, quæ talibus placere non poteſt, in gladio Petri timoris minueret reuerentiam. Cùm igitur inter cæteras virtutes, quas gratia ſibi contulerat, hoſpitalitatem primùm à Domino in Euangelio, poſtea per Apoſtolum, intelligeret plurimùm commendatam, ipſe non oblitus illius verbi, quod in ſua promiſerat conſecratione (Hoſpitalis volo eſſe) domum ſuam hoſpitalem eſſe voluit, vnde & quendam conuerſum de Pontiniaco præeſſe conſtituit domui ſuæ, qui tam præſente quam abſente Epiſcopo ſemper hoſpites paratus eſſet recipere, & præcipuè vniuerſos Ordinis ſui, qui ad ſuam domum declinarent cauſa hoſpitandi. Studium etiam huius erat loca religioſa ſemper tueri & manu tenere, & ſub habitu religionem

prætendentes ad religionis veritatem, vbi facultas dabatur, reformare: vnde & in quadam Eccleſia Autiſſiodorenſi, quæ in honorem Genitricis Dei à Sancto Vigilio prædeceſſore ſuo extra muros ciuitatis fundata erat, religionem de Præmonſtrato ſua authoritate cum auxilio Comitis pia deuotione conſtituit, illis canonicis ab Eccleſia remotis, quorum conuerſatio minùs erat honeſta. Denique cum inter vniuerſos Gallicanæ Eccleſiæ Coepiſcopos præcipuè honeſtatis & magni conſilii pro certo ſapientum iudicio teneretur, cùmque ad commune bonum Eccleſiæ ſuæ multùm ſollicitus exitiſſet, cuidam tamen nepoti ſuo præpoſituram eiuſdem Eccleſiæ donauit quam benigniſſimo caritatis affectu venerabilis bonæ memoriæ Hugo prædeceſſor ſuus ad bonum commune fratrum ſuper menſam ſancti Stephani per manum eiuſdem Protomartyris dederat, quod & authoritate Summi Pontificis & ſua confirmatum fuit. Redditus Epiſcopales in multis emendo, inuadiando, tempore ſuo ampliauit, domum quoque cuiuſdam militis, quæ ſubtus murum erat & nimis propinqua domui Epiſcopali, quamde media nocte in iocis garcionum & ancillarum ſuæ domus quietem nimium ſolebat infeſtare; de Laicâ manu emptam in ius Epiſcopale tranſegit, domum quoque ante ianuam ſuam, vt pore multum domui Epiſcopali neceſſariam comparauit, dedit Eccleſiæ ſancti Stephani vadium cuiuſdam nemoris in XXII. libris, & Eccleſiam de Landtiaco in memoriam obitus ſui. Eſt autem dies obitus eius V. Idus Octob. & in domo Pontiniacenſi, quæ primùm habuit fundationem de ordine Ciſtercienſi in Epiſcopatu Autiſſiodorenſi, in qua & ipſe primus extiterat Abbas, à ſæculo migrauit, & in Eccleſia Pontiniacenſi ſepulturæ locum inuenit. Sedit autem circa annos XIV. & vacauit Epiſcopatus per annum, & à Feſto B. Dionyſii vſque ad aduentum Domini.

CAPVT LVI. DE ALANO.

ALANVS Abbas de Ripato, Natione Flandrenſis, vir Religioſus, rexit Epiſcopatum XIV. annis, & redditus Epiſcopales in multis augmentauit. Apud Varziacum in turre & in alijs locis, multa in Vadimonio accepit. In valle Capellæ ſancti Andreæ domum petrinam ædificauit: apud Gagiacum grangiam petrinam & tegulis tectam, & domos ad manendum cum Capella ædificari & vineas plantari fecit. Capitulo dedit XXX. ſolidos cenſuales in Eccleſia de Eſcoliua nihilominus, & dedit Eccleſiam de Lindtiaco cum præſentatione Capellani: ad ornamentum verò Eccleſiæ beati Stephani dedit pallia duo optima & ad ſeruitium eiuſdem librum XL. homiliarum beati Gregorii ſatis eleganter ſcriptum & ornatum: aliis etiam Eccleſiis Autiſſiodorenſibus, tam in redditibus, quàm in aliis beneficiis multa miſericorditer contulit; quamplura etiam digna memoria & ſcripto in Epiſcopatu operatus eſt, quæ non culpâ, ſed ignorantiâ ſcriptoris litteris annotata non fuerunt: Hic cùm in Epiſcopatu Deo & hominibus placens laudabiliter XIV. annis vixiſſet, ſollicitudinibus & curis mundanis, quibus prius abrenunciauerat, ſe omnino exuere volens, Epiſcopatum reſignauit, & relictâ actiuâ vitâ contemplatiuæ ſe prorſus tradens, Claræuallem adiit, ibique inter athletas Chriſti martyrium ſui temporis aggreſſus ieiuniis, orationibus, lectionibus, atque aliis charitatis operibus ſolummodo vacans, fine vt credimus beato in Domino quieuit. Obiit autem V. Idus Octobris & ſepultus eſt Claræuallis: pro cuius anniuerſario ſolemniter celebrando Magiſter Abbo eius Clericus emit in molendinis de Creuenno XL. ſolidos, & plus de redditu & Canonicis B. Stephani dedit annuatim in eodem anniuerſario diuidendos, ita quod in alios vſus nullo modo alicui liceret prædictos redditus transferre. Epiſcopauit autem tempore piiſſimi Regis Ludouici, Vvillelmo Comite Niuernenſi, qui ſepultus eſt apud Sanctum Germanum qui non minimum ei in vita ſua aduerſatus eſt, & peruenit vſque ad tempus Vvillelmi filii eius, qui Hieroſolymis mortuus eſt, Rom. autem præſulibus Adriano & Alexandro Papa tertio.

CAPVT LVII. DE GVILLELMO.

GVILLELMVS Tuciacenſis fuit, non tantùm illuſtris, ſed & honeſta origine procreatus, pater enim eius extitit Giratdus de Narbonia vir nobilis, mater verò

Agnes non genere viro ſuo inferior, qui clari cùm eſſent rerum copia & ſanguinis generoſitate, nobiliores tamen moribus & feliciores fuerunt natorum propagatione. Non enim hunc tantum Præſulem nutu Dei genuerunt, ſed Hugonem Senonum Venerabilem Archiepiſcopum, qui primogenitus eorum fuit, vir videlicet modeſtus, liberalis, & omni morum honeſtate præditus. Prædictus VVillelmus in iuuentute ſua primum Archidiaconatum & poſtea Præpoſituram Eccleſiæ Senonenſis adminiſtrauit, in qua adminiſtratione ita floruit, quòd nulli Clericorum in Galliis largitate, hoſpitalitatis gratia, expenſæ & familiæ numeroſitate ſecundus exiſteret: huius conſilio & prudentia vniuerſali Eccleſia fere fluctuante & ſchiſmate ſæuiente, prænominatus frater eius Archiepiſcopus, immo ipſe recepit, & Senonis addixit beatæ recordationis Alexandrum Papam tertium, nondum plenè confirmatum: quod etiam Reges & Principes facere formidabant, in qua receptione, & quandiu apud eos morata eſt curia, quàm laudabiliter ſe vtrinque habuit, non eſt facile dictu, ad Epiſcopatum diuina bonitate accerſitus, famam ſecularem & laudis humanæ lenocinia prorſus poſtponens, cõſuetæ tamen nequaquam oblitus eſt hoſpitalitatis, immò eam quouſque vixit, piè & liberaliter exercuit. Omnibus ſe affabilem, oppreſſis miſericordem, & egenis benignum incomparabili exhibebat ſimplicitate, Vigiliis & orationibus inſiſtens, vix aliquando ubdormiebat vel euigilabat, quin pſalmodia in eius ore reſonaret. Miſſam quotidie celebrabat, niſi forte aliqua grandis ſuperueniret neceſſitas. Equitans raro cum familia ſua loquebatur, niſi forte de negotiis ſuis, ſed aut ſolus tacitè pſallebat, aut vno de ſociis aduocato pſalmos & Litanias vel totum pſalterium aut partem illius iuxta viæ quantitatem decantabat. Gratiam & amorem Principum, Prælatorum Eccleſiæ & populi totius, ei diuina contulit benignitas: tempore ſuo crebra fuit Comitum Niuernenſium mutatio: vnde maiori Eccleſiæ ſuæ & aliis quamplures emerſere tribulationes & anguſtiæ, quas Deo iuuante vir pius & humilis ita ſedare ſtuduit, quòd nec ſua, nec aliæ ſibi ſubditæ Eccleſiæ de iuris ſui integritate aliquod detrimenti omnino ſenſerint: nec tantùm Eccleſiarum, immo & populi atque ciuitatis, in qua ſedebat, ſe patronum & tutorem ſpiritualiter & temporaliter exhibuit. Siquidem cum Guido Comitatum adeptus eſſet conſilio ſeductus peruerſo non tantùm Eccleſiarum, ſed & totius ciuitatis antiquis conſuetudinibus obuiare conatus eſt; in primis enim Torcularia in ius ſuum redigere tentauit, ita quod in tota vrbe nulli liceret torcular habere niſi ſub tributo Comiti annuatim reddendo: cui præſumptioni Præſul prædictus ita viriliter reſtitit, quod nec Clerus, nec populus antiquam libertatem amiſerit, nec in aliquo grauatus fuerit. Idem Comes alias decimas vinearum aſſenſu etiam Eccleſiarum, ad quas pertinebant, violenter occupauit ita quòd in ſingulis portis cuſtodes conſtituti ab omni tranſeunte decimam partem vindemiæ, aut plus etiamper vim accipiebāt: quo audito Præſul Comitem conuenit, & cùm ab incœptâ violentiâ eius admonitione ceſſare non vellet, in ipſum excommunicationis, & in terram ſuam interdicti ſententiam generaliter promulgauit, nec hoc etiam contentus, domnum Papam per nuncios ſuos ſuper hoc conſuluit, à quo priuilegia & confirmationem tam decimarum, quàm aliarum rerum Eccleſiæ obtinuit, nuntios autem eius præuenit miſericordia Domini, quæ & Comitis amicitiam & decimarum reſtitutionem cum humili ſatisfactione ei contulit, ita quòd quidquid Clericis aut hominibus Eccleſiarum ablatum fuerat, vnicuique ad probationem ſuam vel ad nutum ſuum reſtitueretur. Item idem Comes de aſſenſu Regio communiam Autiſſiodori de nouo inſtituere voluit, cui item præſumptioni præſul inſignis ſe confidenter opponens, ſuper hoc in Regia curia cauſam ventilandam ſuſcepit, non tamen abſque periculo & expenſarum nimietate, fere enim maleuolentiam illius piiſſimi Ludouici Regis incurrit, qui ei improperabat, quòd Autiſſiodorenſem ciuitatem ipſi & heredibus ſuis auferre conabatur, reputans ciuitates omnes ſuas eſſe, in quibus communiæ eſſent: tandem verò cùm inde diu altercatum fuiſſet priuilegiis & cartis Autiſſiodorenſis Eccleſiæ diligenter inſpectis, & cognitis, & non minimâ pecuniæ ſummâ tam Rege quâm ſuis initigatis, cauſam obtinuit, & Regia priuilegia continentia, quòd abſque aſſenſu & licentia Autiſſiodorenſis Epiſcopi nullo modo liceret Comiti & aliis Autiſſiodori communiam inſtituere. Tantas autem perſecutiones & grauiſſimas inſultationes prædicti Comitis & ſuorum, quando & quomodo voluit diuina pacificauit Clementia

ſiquidem cùm Comes ſere continua corporis grauaretur moleſtia, grauiori tamen cœpit apud Clamiciacum incommodo detineri, & quaſi in vltimis vexari ad quem viſitandum, non tantùm proceres, ſed etiam vicini coouenerant Epiſcopi; erat autem tunc temporis excommunicatus; cùm autem de vitâ eius dubitarent, cœperunt omnes Epiſcopis, qui aderant, ſupplicare ſuper abſolutione: Eduenſis verò & Niuernenſis precibus eorum nullo modo voluerunt vel auſi ſunt acquieſcere, præſul vero Willelmus ea, qua erat pietate, & confidentia morus, ait Baronibus: Abſit hoc dedecus & opprobrium ſempiternum à nobis, qui hic præſentes ſumus, quòd tantus vir & Comes noſter inter manus noſtras excommunicatus moriatur: ego me primo interpono reſponſalem Virziliacæ Eccleſiæ & aliis, pro quibus in eo lata eſt ſententia: quo audito Barones gauiſi, immò magis admirantes, & magnificantes conſilium & liberalitatem præſulis, omnes ſimiliter reſponſales ſe conſtituerunt, & ita abſoluit eum, ſuper quâ abſolutionis benignitate non tantùm procerum aut populi, ſed & tanti Comitis adeptus eſt amicitiæ gratiam, quòd non cum dominum aut Epiſcopum, ſed & patronum ſuum, cùm de illo ante ipſum ſermo fieret, frequentiùs nominare ſolitus erat. Vnde ei poſtea dedit & Eccleſiæ ſuæ in perpetuum poſſidendos omnes homines, quos in valle Capellæ ſancti Andreæ habebat; nihilominus etiam conceſſit in fine ſuo Tornodori donum, quod mater ſua pro anima ipſius & ſuorum fecit eidem Epiſcopo de hominibus, quos Varziaci habebat, quorum ibi xxx. aut plures erant familiæ, quos poſt mortem Comitis idem Pontifex per manum & per priuilegium Pij Regis Ludouici obtinuit, non tameo abſque magno labore & maximis expenſis. Acquiſiuit autem apud Varziacum quidquid Mattheus Caliga-laxa in eodem caſtro & Caſtellania habebat quæ poſſeſſiones magni erant precij & redditus: nunc in parte earum ſita eſt domus Epiſcopalis & Fuſſeta. Multa alia acquiſiuit ibidem in vineis, pratis, domibus & diuerſis poſſeſſionibus, quæ propter prolixitatem noluimus numerare: apud Corruel, acquiſiuit plures homines, apud Giacum domos & furnum ædificauit, & in magna parte muro circumdedit, vineas plantari fecit: & homines & multa alia ibidem cum prato Decani acquiſiuit: apud Charbuiacum emit mille ſolidos quidquid Girardus Poteret miles ibi habebat: ibidem etiam prata & multa alia comparauit, & foreſtas inſtituit: apud Apoiniacum emit prata, vineas & terras arabiles: acquiſiuit etiam ibi feodum Iterij Raaudi, & feodum Vvillelmi militis, & terras & prata, quæ Hugo miles de Burgi & mater ſua & fratres habebant inter Icaunam fluuium & Chaumeis: partem etiam illam, quam in eodem nemore reclamabant, & omnia alia, quæ circa idem caſtrum, tam in feodis, quàm in proprietate poſſidebant, quæ multa comparauit pecunia. Item ante tempus ſuum Stephanus de Petra-Pertuſa vir nobilis & potens terras arabiles, quæ iuris Epiſcopalis eſſe debebant, tam ſibi, quàm ſuis hominibus poſſidendas occupauerat, & diu iniuſtè detinuerat; quo reſcito, quamuis ſibi iunctus eſſet prima ſanguinis linea, tamen vir Dei iuſtitiæ poſtponens generis propinquitatem, non ceſſauit, donec omnes terras prædictas per iuſtitiam Eccleſiaſticam & iudicio Senonenſis Curiæ in proprietatem Epiſcopalem redegit: & ne in poſterum aliqua ſuper hoc emergeret querela inter terras prædicti Stephani & terras Epiſcopales loco metæ Crucem magnam affigi fecit, & terras illas poſtea, quandiu vixit, proprijs carrucis excoli fecit. Item cum magna aquarum inundantia, quæ tempore ſuo contigit, molinum de Verno prorſus abſolutum fuiſſet, partem quam Ioſſelinus & hæredes ſui in eo habebant, emit, & multo meliùs, quàm ante fuerat molinum reædificauit. Apud Tociacum ædificauit domum Epiſcopalem & cellarium, emitque ibidem terras, prata & multa alia, dedit etiam in ædificatione turris xx. libras eâ conditione, quod Dominus Hargodus ei iurauit quod quoties ipſe vel ſucceſſores ſui turrim illam habere vellent, tam ipſe, quàm hæredes ſui traderent, & cuſtodes turris prædicti quoties eos mutari contingeret, apud Conadam emit à Mochis de Chaleneio grangiam de Brueria, quæ ſita erat iuxta villam Chaël, cum bobus & carrucâ, pratis & terris omnibus ad grangiam illam pertinentibus, pro quibus dedit quater xx. lib. Prouiniacenſes. Acquiſiuit etiam multa alia in eadem Caſtellania: & quamuis Herueus de Donzy vir tantæ nobilitatis & potentiæ ei numquàm ceſſaret aduerſari, tamen Deo opitulante nihil de iure Eccleſiæ ſuo tempore amiſit, ſed cùm jam in lecto mortali iaceret, eum coëgit ad lectum ſuum

venite, & ei pro feodo Giemi ligium homagium facere Autiſſiodori emit apud ſanctum Iulianum xx. ſolidus cenſuales: emit etiam domos Lamberti Hoſmundi, quæ contiguæ, & nimis importunæ erant portæ & domui Epiſcopali, & illis dirutis plateas Curiæ ſuæ vniuit & muro circundedit: emit item domos, quæ erant iuxta poſternam & plateas Remaldi militis de Lindriaco, & plateas Stephani de Sarmaſia: multa alia emit & acquiſiuit in eadem vrbe, quæ longum eſt enumerare. Pauca de eius admiranda ſimplicitate & miraculoſa humilitate veraciter perſtringam: ſiquidem quadam die contigit quòd dum per villulam pauperem & modicam tranſiret, muliercula quodam à tugurio ſuo egreſſa velut illa Chananea, quæ pro filia ſupplicans, Domino dicebat, *Miſerere mei fili Dauid*, lachrymis & eiulatu miſeranda clamabat currens poſt Epiſcopum, *Miſerere mei homo Dei quia maritus meus dura & inconſueta morte atteritur.* Clamore motus, reſpexit lachrymas videns, & cauſam agnoſcens ab itinere diuertit, deſcendens ab equo tugurium ſubmiſſus intrauit: inuenit mulierculæ virum, ita tota facie, gula, collo & gutture inflari, quòd vix linguâ ab ore proiectâ viuifico via pateret ſpiritui, & quod nullum omnino ſermonem proferre infirmus poſſet, illico lachrymis perfuſus ad orationis confugit ſuffragium, fauces infirmi, vultum & gulam ſigno crucis appoſitè attrectans, & annulo ſuo ſæpius conſignans, & benedictione data receſſit, & illico tumor ille & morbus deficere cœpit: poſt breue temporis interuallum cùm per eandem villam rediret, prædicta muliercula ei gratulabunda occurrens, cœpit gratias agere aſſerens & publicè clamans, quòd per ipſum de tam graui mortis confinio virum ſuum Dominus liberaſſet, & ſanitati reſtituiſſet. Item aliàs cùm benedicendum altare in capella factum de Grandi monte apud Fontanetum properaret, inuenit mulierem ante domum cuiuſdam agricolæ grauiter lugentem, quæ ſuper filij incommodo, quem de longinquo cauſa hoſpitalis ad prædictam benedictionem adduxerat, inconſolabiliter dolebat: nam adoleſcens in arcto poſitus intra prædictam domum in extremis laborabat: quo audito Epiſcopus domum intrat, infirmum viſitat, iuxta ſtratum vile reſidet, adoleſcentis vultum & frontem manu contrectat, & lachrymoſis eum vocibus conſolatur, & de confeſſione admonet & hortatur. Audita confeſſione cum moram ibi faceret, cœperunt ei ſocij ſui dicere, quod ibi Capellanum dimittere deberet, qui infirmo communionem Dominici corporis daret: multitudo enim populi cum ad prædictam Capellam expectabat, & iam fere erat diei hora quaſi tertia; quibus ille, mihi nihil potius quàm opus Domini perficere: nullo modo hinc amouebor, donec iſte communionem receperit. Iuſſit itaque quod ego, qui hæc ſcribo, paleſtridum ſuum aſcenderem, vt citiùs viaticum afferrem à prædicta Capella, quæ fere vno inde diſtabat milliario, quod & feci. Cum autem rediiſſem, non loci immundiciam, non infirmi odorem, nec ſtrati vilitatem abhorrens, genu flexo, infirmo manu propria viaticum porrexit, & benedictione data, & multis tam matri quàm infirmo ſolatiis adhibitis receſſit: Benedictione altaris perfecta vix Miſſam aggreſſus fuerat, cùm nunciatur ei adoleſcentem illum obiiſſe: quo audito cùm ſermonem haberet ad populum, tanta de eo locutus eſt, quòd quaſi ſecurè eum aſſereret iam beatâ quiete perfrui. Multa alia ſcripto & memoria digna vidimus, & ſcientes prætermittimus, ne forte faſtidioſi videamus, nunc de eis quæ Eccleſiæ ſuæ & aliis Eccleſiis piè & miſericorditer contulit, pauca ſubiungamus: Eccleſiam equidem beato Stephano operoſo lapideo ſtabulatu vndique ſubtegmine circundedit, anterius pinnaculum & poſterius cum vitreis ad ipſa pertinentibus fecit, turrim meridionalem noua firmatura & decenti laterum tectura decorauit; totam Eccleſiam nouis tignis, trabibus, tegulis, & lateribus in parte plumbatis cooperuit, & quantum ad ipſum pertinuit camerauit, tempore ſuo noua altaria fundata ſunt ab ipſo & ab aliis in eadem Eccleſia, & conſecrata, vnum ante crucem, quod ipſe conſecrauit in honore ſanctæ Crucis & beati Ioannis Euangel. & ſancti Laurentij Martyris, & ſanctorum Cyrici & Iulitæ, quorum reliquias ibidem recondidit, & beati Ægidij Confeſſoris, vbi & duos Capellanos inſtituit, qui in perpetuum Miſſam ſingulis diebus celebrarent pro anima Guidonis Comitis & Anteceſſorum ſuorum, quibus Capellanis ab eo redditus ſufficientes aſſignati ſunt. Vnum erexit de ſuo in crypta à parte Curiæ Epiſcopalis, quod & conſecrauit in honore beati Pauli Apoſtoli & Sanctorum Cyrici & Iulitæ, quorum ibi reliquiæ reconduntur, & in honore beati

Germani

Germani Epiſcopi & Confeſſoris, & beatæ Mariæ Magdalenæ, huic altari deſeruire tenentur Canonici beatæ Mariæ, & quotidianam Miſſam celebrare pro anima ipſius, & pro anima Fromundi Clerici ſui, qui ibi primus aſſignauit redditus; altari beati Andreæ Apoſtoli in eadem crypta ſito aſſignauit ſtipendia ſeruientium: altari beati Nicolai, & Sancti Martini conceſſit XL. ſolidos cenſuales cum X. libris ceræ in Eccleſia D. de Bruenio: Eccleſiæ beati Ioannis Baptiſtæ quæ tempore ſuo à Stephano Ollandi eſt ædificata, & ab ipſo dedicata, multa contulit in ædificando, & de redditu dedit eidem LX. ſolidos, in Eccleſia S. Priſcæ vbi & per ipſum duo Preſbyteri aſſignati ſunt aſſiduè futuri, Eccleſiæ beatæ Mariæ dedit Eccleſiam de Monaſteriaco ſicco, & cenſam quam habent, in Eccleſia de Blauello Canonicis eiuſdem Eccleſiæ conceſſit. Eccleſiæ B. Petri dedit Eccleſiam de Venoſâ, & tunc ibi primùm manſerunt Canonici; Abbatiæ S. Laurentij dedit Eccleſiam de Cept, Monialibus de Criſannoue dedit XX. ſolidòs cenſuales, in Eccleſia de Moneſterello, & medietatem minutę decimæ de Lugniaco. Verùm quàm longum eſſet enumerare omnia, quę Eccleſiis contulit? Compendioſè dicimus quod nulla eſt in tota Autiſſiod. Parochia Eccleſia conuentualis, quę pro beneficiis ſibi ab eo collatis non teneatur anniuerſarium eius ſolemniter celebrare. Nec hoc tacendum cenſuimus, quod ad ornatum Eccleſię B. Stephani vnum dedit pallium optimũ; item cùm ad Curiam primus omnium Epiſcoporum Gallicanorum tempore ſchiſmatis tenderet, in nouitate Pontificatus ſui Capitulo ſuo dedit medietatem totius beneficij Eccleſię de Bacernâ, inſtituens quod feſtum B. Martini hiemalis, pulſatis maioribus Campanis ſolemniter celebrarent, & anniuerſarium Hugonis Senonenſis Archiep. fratris ſui honore debito & condigno annuatim agerent: poſtea cùm à Concilio Lateranenſi rediſſet, dedit vrceum argenteum VIII. marcharum ad Eccleſiæ ornatum, & ad reponendã aquam benedictam. Fuit itaque tempore beatæ recordationis Alexandri Papę III. regnante in Gallia Pio Rege Ludouico, qui cum de eo loqueretur, frequentiùs dicere ſolitus erat, quòd Willelmus Epiſcopus Autiſſiodorenſis vnus de melioribus Sacerdotibus totius regni ſui iudicio & æſtimatione ſua eſſet; peruenit autem vſque ad tempus filij eius Philippi & conſecrationi ipſius, quæ Remis celebrata eſt, interfuit, anno à verbo Incarnato M.C.LXXIX. in octauis omnium Sanct. in ipſo autem anno circa feſtiuitatem B. Remigij ægrotare cœpit, & cùm ſe ſentiret quartano grauari incommodo, ad Abbatiam B. Mariani cauſa quieſcendi venit, ibique vſque ad obitum ſuum decubuit. Cùm autẽ ingruente hyeme, grauiori vrgeretur moleſtià infirmitatis, aduocato Theobaudo venerabili Niuernenſi Epiſc. ſibi amiciſſimo, & Girardo Abbate Viceliaci conſanguineo ſuo, & quibuſdam Autiſſiod. Eccleſię perſonis, & Canonicis teſtamentum ſuum fecit, & omnia, quæ habebat, tam in victualibus, quàm armentis & pecoribus vendi fecit, & pro debitis ſuis reddi. dedit item ibi Eccleſiæ B. Stephani cuppam argenteam IV. marcharũ de intùs & deforis peroptimè deauratam, ad reponendũ in ea corpus Dominicũ: dedit & cãnulas & pelues argenteas ad quotidianũ officiũ altaris B. Steph. Item dedit veſtimenta Sacerdotalia, ablas duas mirifico apparatu decoratas, cum ſtolis & amictibus pretioſis & tunicam cum dalmaticâ & infulam miro auriphrygio ornatã, & libros, & alia, quæ in Capella ſua habebat cum cophino, in quo repoſita erant: dedit etiã auriphrygium, quo poſt obitum eius decenter ornatæ fuerunt duæ infulæ: Abbatiæ verò, in qua iacebat, dedit XL. ſolidos cenſuales in Eccleſia de Lugniaco & de Molins; dederat autem eidem Eccleſiæ priùs multa alia, medietatem videlicet cenſæ Vincellis, & terras, quas apud Tangiacum ipſe emerat, & quædã alia infra & extra muros ciuitatis. Vixit autem, immò veriùs in infirmitate laborauit, & pœnitentiam egit vſque ad finem Februarij: quamuis enim ita attenuatus eſſet atque debilitatus, quod nec ſuper pedes ſtare, nec à lecto ſurgere poſſet, abſtinentiam tamen ſolitam omnimodis obſeruabat. Nam tota quadrageſima, à feſto videlicet B. Martini, vſque ad Natiu. Domini quotidie ieiunans nullum omnino cibum ſumpſit, niſi Quadrageſimalem. Interea tanta erat viſitantium multitudo & frequentia, quod etiam aliquis ſanus & incolumis vix eos ſuſtinere poſſet, ipſe tamen quamuis iam quaſi omni corporis vigore deſtitutus, omnes cum honore recipi præcipiebat, & omnibus gratias agẽs lachrymoſis vocibus ſupplicabat, quatenus pro ipſo apud Dominũ intercederent, vt bono fine conſũmaretur: huiuſmodi enim verbum & in infirmitate, & cũ ſanus eſſet frequentiùs in ore eius verſabatur; bonum exitum à Domino tantũ debere peti, vnde multoties audiuimus cũ pauperes aut alij dies mul-

tos vitæ, proſperitatē aut continuā ei precarētur corporis ſanitatē, aiebat, non hoc à domino petere debetis, ſed tātū, quòd bonus ſit exitus meus: ſola itaq; ſuperſtes ſpiritū terræ particula jam emortua, nunquam tamen ab oratione vacans, ſic laborauit vſque ad finem Februarij. Tunc finem ſuum appropinquare agnoſcens familiam ſuam ante ſe aduocatam abſoluit ab omnibus, quæ in eum commiſerant, & ab eis ſe abſolui ſuppliciter cum lachrymis poſtulauit: pauca etiam, quæ ſibi reſidua erant, annulos videlicet ſuos diſtribuit, & aduocato Decano & Capitulo ſuo, ad lectum ſuum, finem ſuum eis commendauit valdè conquerens & dicens ſe tantis occupatum fuiſſe, quòd non multa eis bona contulerat, & tamen ſe ita erga ipſos habuiſſe, quòd parū aut nihil detrimenti eis irrogaſſet, ſed omnes ſincera dilexiſſet charitate. Vt autem memoria eius apud eos in perpetuum haberetur, dedit eis ibi Eccleſiam S. Priſci, ita quòd centum ſolidi de cenſa eiuſdem Eccleſiæ annuatim diuiderentur in anniuerſario ſuo æqualiter Canonicis & Presbyteris de Choro B. Stephani qui ſeruitio intereſſent: Cæteris vero Clericis, prout opportunum videretur, & reſiduum pauperibus erogaretur, ibidem cœpit eos cum lachrymis monere & exhortari: ne inter eos diſcordiæ vel inuidiæ ſeu ſchiſmatis pernicioſum irreperet flagitium, ſed ſtatim eo ſepulto Regem adirent, obitum ſuum nunciaturi, & debitam eligendi licentiam ab eo petituri, & ſic abſque dilatione conuocatis fratribus, perſonam honeſtam, literatam, benę morigeratam eligerent; nam mora diuturna eis damnoſa eſſe poterat, & periculoſa. Rogauit item, quod in vilioribus veſtimentis Sacerdotalibus, quæ in Eccleſia beati Stephani erant, ſepeliretur. Tunc in hæc verba cum magno eiulatu prorupit, ille veram pacem vobis miſericorditer concedat, qui receſſurus à diſcipulis inquit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, & ſic facta generali confeſſione, interceſſionibus ab eis impetrata & abſolutione, data benedictione, eos dimiſit. Nihil item de contingentibus omittere volens Senonenſem Venerabilem Præſulem Guidonem per nuntios acceſſiuit, humiliter ſupplicando, vt exitui ſuo intereſſe dignaretur, qui pro pietate, quâ erat, negotiis poſthabitis ad ipſum properauit, & eum adhuc ſpiritantem inuenit. Cum verò de confeſſione & abſolutione quamuis multoties alias, tunc tamen præcipuè & attentiùs, vt res exigebat, locutus eſt, ipſe etiam nepotes & familiam ſuam tanquam Domino & conſanguineo ſuo commendauit, quos in patrocinio ſuo benignè ſuſcepit, & quod nunquam eis deeſſet ſpontaneè promiſit, in nocte ſequenti, cum infirmitate grauiùs ſolito vrgeretur, quæſierunt ab eo ſui, vtrum in cinere & cilicio, ſicut decet Chriſtianum, vellet obire, quod ipſe voce, quâ potuit, & geſtu annuit, & popoſcit, & crucis impreſſione ſe vt potuit muniens eiuſdem crucis ſignaculo dextera parte eleuatâ illud vltimum ſtratum conſignauit: ſicque ibi poſitus, cùm religioſi & Clerici, qui aderant, Litanias & Pſalterium decantarent, quandiu potuit cum ipſis pſallebat, circa mediam noctem cùm Conuentus matutinos decantaſſet, ad eum viſitandum venit, & in conſpectu eorum emiſit ſpiritum. Cùm autem corpus eius lauaretur, cœpimus qui aderamus vltra quam dici poteſt mirari; ſiquidem de nouo eiulare ſuper ſtupenda & inaudita eius attenuatione totam faciem eius & vultum balſamo perunximus, & poſtquam indutus eſt Sacerdotalibus & Pontificalibus inſigniis ad Eccleſiam eum detulerunt. In Craſtino quantus fuerit luctus totius ciuitatis, quanti gemitus & lamenta fere omnium aduentantium, non eſt facile dictu: apparebat iam in eo quaſi ſpecies beatæ quietis: nam vultus eius, vt aſſolet eſſe mortuorum, nullo erat pallore fuſcatus, ſed ita ſerenus & quaſi rubicundus: quòd aduenientibus, ille potius dormire quàm mortuus eſſe videretur. Miſſis cantatis, peracto obſequio prædictus Archiepiſcopus humiliter genua ante feretrum flectens oſculatus eſt chirothecas, quibus manus eius inuolutæ erant, & ſandalia pedum ipſius, quod & multi noſtrum fecimus, & ſic primus Epiſcoporum Autiſſiodorenſium ſepultus eſt in eadem Eccleſia ante maius altare à parte ſiniſtra iuxta parietem. Poſtea Hugo Senonenſis Archidiaconus eius nepos ſepulturam ſatis honeſtam ſuper eum ædificari fecit. Vacauit autem Epiſcopatus anno integro, menſibus decem, diebus nouem.

CAPVT LVIII. De Hvgone de Noeriis.

Hvgo de Noëriis ſedit in Epiſcopatu annis circiter XXIV. ex Theſaurario aſſumptus in Epiſcopum anno D. circiter MCLXXXIII. circa Purificationem B. M. Virginis vir quidem ſanguinis generoſitate præclarus, ſed animi magnificentia præclarior.

Quibus progenitus & ortus fuit.

Huius pater Milo Noeriorum Dominus, mater Domina de Geſſia non inferioris nobilitatis fuit.

Quam magnifice ſe habebat.

His igitur ortus maioribus natiuæ fuit generoſitatis, non degener. Nam more nobilium in multa degebat magnificentia ſeculari, & vitam agere priuatam indocilis, in eueƈtionum multiplicitate numeroſo Clericorum & militum comitatu, multa domeſticorum frequentia & apparatu magnifico, maiorum ſuorum titulos adæquabat.

Quibus naturæ dotibus vel ſcientiæ, ſiue eloquentiæ præditus.

Erat autem ſtaturæ medioeris, decorus aſpeƈtu, ſapientia præditus, in agendis ſtrenuus, inter conſultos conſultior, in tantum, vt ſi in quolibet præſens eſſet traƈtatu, eius expeƈtabatur ſententia, & frequentius præualebat, inæſtimabilis facundiæ, in perſuadendo efficax, in demonſtratiuo genere loquendi, quod continet laudem & vituperium, facundiſſimè vires exprimens oratoris, litteraturæ & viuacis ingenij adeò vt in qualibet facultate liberali, ſeu mechanica ei promptum eſſet verba habere materiæ accommoda, ac ſi plenam eius ſcientiam eſſet aſſecutus. Plerumque etiam Latino eloquio properato valde ſtudio Cantica componebat & cantus. Commendanda quidem ingenij viuacitas ſiquidem breui cudebat tempore prius ad lunam perduceret quàm ad linguam: ſed tanta æſtuabat auiditate edendi quod fecerat, vt inculta proferret in medium, quæ meliùs latere potuerant, donec correƈtionis ſtudioſæ elimata incude luculentiori ſplendeſcerent ornatu. Vnde factum eſt quod eius opuſcula, quæ plus in ipſius fauore quàm proprio ſchemate, frequenti, dum viueret, habebantur in vſu, ipſo ſepulto ſunt pariter conſepulta. Militum gaudebat ſtipari frequentiâ, & de militaribus ſtudiis libentiùs diſceptabat cum eis, vnde & Vegetium Renatum frequenter relegerat, qui de huiuſmodi loquitur diſciplinis, de quo militibus multa doƈtrinalia proponebat. Miram habebat affeƈtionem ad ſuos: Vrbanus ad eos, cum quibus degebat, adeò vt omnibus omnia factus domi inter eos eſſet, quaſi vnus ex ipſis, foris tamen prærogatiuæ ſub congruo moderamine dignitate ſeruatâ.

In quo mores eius poterant argui.

Omnibus fauorabilis, niſi habendi cupiditas, quæ omnes pene potentes exagitat, ad exaƈtiones & oppreſſiones ſubditorum, & vſurpanda iura non ſua ipſum plus forte debito prouocaret, & niſi contra quemlibet indignatione concepta ruinæ ſuæ & nocendi libidini immoderatè plerumque fræna laxaret.

Quanto feruore fidem Catholicam aduerſus hæreticos de Charitate zelatus eſt.

Veruntamen fidei Catholicæ aſſertor erat magnificus, eòque circa illam feruore ardebat, vt ad capiendas vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, & hæreticis dogmatibus degenerare faciunt in labruſcas, tota vigilantia laboraret, contra quos ad nobilem Diœceſis ſuæ vicum de Charitate videlicet eò accingebatur feruentiùs, quò hæreticorum ibi amplius feruere cognoſcebat errorem, tantâque animi conſtantia hæreticos ibi perſecutus eſt, quòd quidam ex eis per diuerſas Diœceſes publicam agentes pœnitentiam ad gremium matris Eccleſiæ abiurata hæreſi ſalubriter ſunt reuerſi, alij pertinaciores in ſalutis ſuæ diſpendium in Italiam vel ad Albigenſes ad ſui erroris complices confugerunt terræ natiuitatis ſuæ & propriæ cognationis extorres, ſicque in eo perfecit negotio, vt hæreticorum malleus non immeritò diceretur.

Qualiter domos Epiſcopales Autiſſiodorenſ. emendauerit vel ampliauerit.

Qui licet in ſpiritualibus ſic proficeret, in temporalibus tamen multo proficiebat ampliùs, quibus propenſiùs incumbebat: nam domos Epiſcopales Autiſſ. ſeu lapſa reparando, ſeu noua conſtruendo, prouexit in melius antiquis ædificiis cellam vinariam concamerationis lapideæ maiori palatio contiguam & coquinam iuxta portam ſtruƈturæ admirabilis magnis impendiis ſuperaddens.

De Regio amne quid ibi fecerit.

Apud Eponiacum caſtrum ſuum, domus erat Epiſcopalis, quæ Regis amnis vocatur, in loco gratiſſimo & commodiſſimo conſtituta, quam Icauna fluuius ex ſui profunditate ſinus ibi piſcoſiores expandens vndique præterfluit, niſi quod terræ ab anteriori parte continuæ modicum interuallum, magnam tamen intra ſe continens

intercapedinem ibi eſſe inſulam non permittit domus illa forma & materia humilis, domicilium Epiſcopis præſtabat inglorium, hanc multiplicibus & magnificæ nobilitatis & venuſtatis ædificiis ſuis, non modicis ſumptibus ampliauit, locúmque illum tutioris ſuis refugij aduerſus hoſtiles ſtrepitus facere deſiderans, ab anteriori parte vbi terra erat continua, ab vna parte fluminis ad alteram, ſepem ex immenſis roboribus murúmque perduxit, & plurima propugnacula deſuper collocauit, terrámque in altum fodiens foſſas continuabat immanes, vt per eas curſum fluminis deriuaret, fieretque ibi, quod natura negauerat, inſula videlicet artificij ſupplemento, opuſque conceptum ex parte iam conſummatum maiori ad perfectum perduxiſſet, niſi Comes Campaniæ Theobaldus in manu forti eius moliminibus reſtitiſſet, & opus penè in conſummatione exiſtens ad terram funditus deieciſſet, domibus tamen Epiſcopalibus in ſua nihilominus integritate ſeruatis.

De Bello-reditu, qualiter extruxerit.

Apud Charbuiam villam Epiſcopalem locus erat inter ſyluas fruteetis obſitus, & propter iuges & varios aquarum diſcurſus prorſus inutilis & nullis vſibus accommodus, qui nunc Bellus reditus nuncupatur. Ibi frutetis penitus extirpatis, & aquis diſcurrentibus in vnam maſſam collectis, duo ſtagna fecit multis referta piſcibus: vnum ſuperius & alterum inferius ex influxione prioris, quibus adiecit & tertium, tum ex priorum decurſu, tum ex fluctibus, tum ex torrentibus vndequaque confluentibus in idipſum, magnum admodum & piſcoſum: domos inſuper multiplicis ſtructuræ, nobiliſſimæ & venuſtatis immenſæ extruxit ibidem, quas foſſis aquas ex ſtagni ſuperioris influentia continentibus, & propugnaculis & ſepe fortiſſima à parte anteriori, quæ ſtagno priori eſt oppoſita, mirabiliter communiuit, ipſi ſtagno murum latericium ſuperponens. Cui loco ab eâ parte vbi deeſt ſtagnorum munitio ſyluæ confrage, circunquaque merſæ, & ad terram demiſſæ validum præſtans, & ad expugnandum difficile munimentum, via licet arcta patenti media inter ſyluas, perquam multis portarum, foſſarum, & pontium interiectis obſtaculis ad domum interiorem difficilis, & qui ſuſpectis temporibus à paucis obſeruari valeat, eſt acceſſus. Locum iſtum idem Epiſcopus, quantum humana potuit induſtria, ad omnimodam amœnitatem & commoditatem prouexit: nam & ſyluas vbi frutetis erant vel arboribus humilioribus, aut rarioribus obſitæ, & ob hoc minus vtilitatis habituræ, penitus extirpauit & in agriculturam redegit, hortos ibi fecit, plantauit arbores diuerſi generis, vt præter amœnitatem, quæ proueniebat ex iſtis, fructus inde perciperet copioſos. Syluarum quoque partem non modicam ſepe continua circuncinxit, ab ea porta, quæ eſt à parte ſyluarum anteriori, videlicet ad aggerem tertij ſtagni vſque perducens, & grata intrinſecus luſtra ferarum concludens, & eorum multitudinem copioſam, quæ & oculos intuentium de palatio iucunda viſione paſcebant, & plerumque vel in feſtis maioribus, vel in ſuſceptione hoſpitum, grata Domino & nobilia exenia miniſtrabant; nec minus fœcunda cuniculorum receptacula intra ſepta illa vel extra voluptuoſæ & vtilis occupationis materiam ibidem præſtabant: ſic locus multimoda commoditate & amœnitate præditus gratiſſimam præſtat vſque hodie Epiſcopis manſionem, excepto quòd ſæpe demolitio, quæ ſine immodico ſiluarum exterminio & ſumptuum diſpendio in ſua integritate ſeruari non poterant, feras ſuæ reddidit libertati.

De Domibus Tociaci & Conadæ.

Apud Tociacum & Conadam caſtra videlicet Epiſcopalia in areis à ſuis prædeceſſoribus præparatis domos condidit Epiſcopales & nobilitatis immenſæ.

De his quæ geſſit apud Varziacum.

Caſtrum ſuum nobile Varziacum, quod propter imminuta loci prius frequentibus patebat deprædantium incurſibus, muros reparando antiquos & foſſas turribus ingentibus circunſepſit, domos Epiſcopales iuxta Eccleſiam beatæ Eugeniæ muro ſolido magnificis ædificiis, turribus ac propugnaculis à primis condidit fundamentis, præſidium quoque Epiſcopale vlterius muro ſolidiori, turribus munitioribus & & antemuralibus in tutam ad expugnandum difficilem munitionem prouexit, & foſſis miræ amplitudinis vallauit in gyrum, in quibus grata aquarum exuberantia ex fontibus circunfluentibus eas replens: non modicum facit ad munitionis

augmentum, & tum ex piſcium multitudine, qui ibi nutriuntur optimi, tum ex moleudinis, quæ ædificauit ibidem, tum ex aliis vtilitatibus ſuis, Epiſcopo totique municipio multæ commoditates exiſtunt.

De his quæ geſſit apud Noerium.

Operæ-pretium duximus præſenti inſerere lectioni, quæ & quanta operatus eſt in illo nobili patrimonij ſui Caſtro, Noerius videlicet, quòd tantæ à proauis nobilitate & immunitate præfulget, vt ita in Domini ſui proprietate conſiſtat & iure, quòd nullum habeat alicuius ſuperioris dominationis reſpectum, ſed potius de alodio, vt vulgo dicitur, & ſui ſeparati Dominij exiſtere cenſeatur, propter quod non ſolum finitimis, verùm & principibus potentioribus circunquaque eo amplius inuidioſum exiſtit, quo ad terras ſibi vicinas tum propter Domini & Caſatorum ſeu vaſſallorum ſuorum potentiam, tum propter loci ſitum inexpugnabilem magis liberè & impunè poteſt extendere vires ſuas, & ipſe formidine immiuet ampliori. ſanè mortuo Clarembaudo fratre Domino caſtri illius, idem Epiſcopus filij eius Milonis ſcilicet in annis puerilibus conſtituti, tutelam ſuſcepit, quam in multa ſollicitudine adminiſtrans, & fortè plus iuſto: nam propter hoc in agendis Eccleſiæ ſuæ remiſſior exiſtebat, circa munitionem eiuſdem municipij promouendam tota ſtudij viuacitate incubuit, totis viribus ſumptus fecit: nam ſuper muros burgi inferioris, quem ad radicem montis poſitum amnis, qui Seneen dicitur, vndique præterfluit ex muro ſeu ex lignis ſolidiſſimis robuſta valde propugnacula collocauit in aſcenſu montis à burgo, licet ab ea parte caſtrum ſit inexpugnabile ſitu ſuo, foſſas in exciſa montis rupe prægrandes, portáſque munitiores extruxit; in ſuperiori verò parte, vbi ſe in cacumine ſuo montis in quo ſitum eſt præſidium, maior amplitudo diffundit, ſitum pandens machinis erigendis accommodum, præter muros munitionis antiquos, inter quos vnus erat ſolidior & exterior, quem frater eius Clarembaldus paulo antequam defungeretur, conſtruxerat, murum poſt illum interiorem maioris altitudinis, ſpiſſitudinis, & ſoliditatis erexit in capite eius turri ſolidiore conſtructa, exteriori quoque muro foſſas exciſis cautibus fecit præruptas, aliaſque præmiſit exciſiones in monte, quæ hoſtes poſſent à præſidio multiplicatis obſtaculis & impedimentis arcere, fecit & antemuralia muro exteriori connexa, & immenſi roboris trabibus contexta deſuper, vt qui ſubtus exiſterent telorum iactus quantoſlibet, aut tormenta iaculatoria, ſeu quælibet alia hoſtium molimina non timerent, ſed ſecuri venientibus ex aduerſo poſteriorum foſſarum & muri, cui coniungebantur, prohiberent acceſſum. Iuxta murum illum fontis venam ſcaturientem inuenit, quæ licet ſit modica, iuges tamen & perſpicuas aquas emanat. Extra ſepta præſidij principalis magnæ nobilitatis extruxit palatium, quod ipſi præſidio non modicæ munitionis exiſtit, gratam videlicet Domini manſionem, quam multo & voluptuoſo decorauit ornatu, fecítque cuniculos ſubterraneos à cella vinaria, quæ turri ſuberat principali, in palatium inferiùs, de quo prædiximus, quatenus propter vinum ſeu victualia quælibet non oporteret ingredi vel egredi præſidium principale, ſed victualibus per murum præſidij demiſſiorem, ſportis demiſſis vinum ſiue aqua per fiſtulas mirabili quodam artificio occultè deferretur. Mirabilis ſanè cautela, vt ſcilicet victualia, quæ ad munitionem caſtri illata fuerant, vel inuecta ibi ſub munitiori cuſtodia fideliùs ſeruarentur, & obſeratis ad omnem excludendam ſuſpicionem repagulis, vſibus ad poſtulatum neceſſariis tali artificio deſeruirent. Præſidium nihilominus, armis, baliſtis, cæteríſque ad eius tuitionem neceſſariis inæſtimabiliter communiuit, manſiones militum ſeu quorumlibet aliorum infra ſepta munitionis ſuperioris contentas, multo precio comparauit, & in proprietatem nepotis ſui redegit: tam in hoc, quàm in prædicti conſtructione palatij circunſpecta vſus induſtria, vt acceſſus volentium Domini adire præſentiam, ad eius palatium extra ſepta principalis præſidij minùs haberetur ſuſpectus, & omni extraneo habitatore excluſo, Domini caſtri nullum omnino ſuſpectis temporibus, niſi de cuius fidelitate pleniſſimè confideret, infra ſepta ſuperiora recipere cogeretur, propter quod etiam baptiſmalem municipij Eccleſiam poſuit extra ſepta, ſolam Domini Capellam in ſuperioribus eſſe permittens, magnificâ quidem operâ & multâ admiratione dignâ & commendatione, niſi ibi hominum ſuæ commiſſorum cuſtodiæ ſubſtantias in ligna conuertiſſet & lapides, & bona pro magna parte conſumpſiſſet Epiſcopalia, quæ meliùs fuerant aut Eccleſiæ vtilitatibus aut pauperum neceſſitatibus applicanda. Caſtrum illud quouſque nepos ſuus in annos adoleſceret pubertatis, &

eius eſſet mancipatus tutelæ, in multâ rexit magnificentiâ & virtute,& interceptionibus circunſtantium in manu potenti reſiſtens,& incurſantium, prædáſque de terra ſuæ tutelæ plerumque agentium argumenta refellebat non imparibus argumentis, ita quod omnibus, qui erant in circuitu,formidabilis appareret; ſed Ducis Burgundiæ, & cæterorum Principum, & potentum contra ipſum ſiue Caſtrum concepta frequenter molimina tanta prudentia confringebat, vt ſemper honorabilem calculum reportaret. Acquiſiuit autem eidem nepoti ſuo villam de Vallauto, iuxta Giaeumvillam Epiſcopalem, quam multa pecunia comparauit. Sed de his hactenus: nunc ad alia tranſeamus, & quantum in ampliandis Eccleſiæ ſuæ redditibus profecerit, aut conditionibus in melius prouehendis profecerit, prout occurrit memoriæ, differamus: pauca huius de multis tenemus, & aliqua omittimus ad lectoris faſtidium declinandum.

De Procurationibus Regiis qualiter remiſſæ ſunt.

Iuris erat Regalis, vt quando Dominum Regem, vel aliquem de ſuis itineris occaſio ſeu motus propriæ voluntatis ad aliquod Epiſcopale domicilium diuertere faciebat, recipiebatur honorificè,& procurabatur honeſtè. hoc graue & oneroſum debitum Epiſcopus diuina procurante clementia, & occaſionis congruæ opportunitatem operante in perpetuum taliter aboleuit: nam cum Gienum Caſtrum nobiliſſimum Heruei de Donziaco, Comitis Niuernenſis, quod erat de feodo Autiſſiodorenſis Eccleſiæ in proprietatem regiam deueniſſet iuxta pactorum formam, quam Dominus Rex Philippus conſenſerat & fecerat, vt ipſe filiam Petri Comitis Niuernenſis, cui filiæ competebat iure hæreditario Comitatus, haberet vxorem, tranſlato in Regem taliter Caſtri dominio, Epiſcopus apud Regiam magnificentiam multa interpellauit inſtantia, quoniã feodum Eccleſię ſine eius præiudicio non poterat retinere, tandem in recompenſationem feodi obtinuit confecto inde inſtrumento Regali, quòd Rex procurationes eiuſmodi remiſit Epiſcopis in perpetuum, & ne Epiſcopus Autiſſiodorenſis in aliquo domiciliorum ſuorum ipſum vel aliquem ex eius nomine recipere hoſpitio aut miniſtrari neceſſario teneatur, conceſſit ſaluo nihilominus cereo centum librarum ceræ, quod in feſto B. Stephani de Inuentione eius, videlicet in Auguſto, à caſtri prædict Domino Eccleſiæ Autiſſiodorenſi ſolui ex antiqua conſuetudine cõueuit, quem vſque hodie Dominus Rex à Prępoſitis ſuis de Giemo fecit perſolui, pœna appoſita quòd quoties Præpoſiti cereum illum ſuo termino non reddebant, pro ſingulis diebus, quibus in ſolutione ceſſabant v. ſolidos pariſ. ipſi Regi irremiſſibiliter componebant: vtilis ſanè compenſatio & Eccleſiæ profutura, cùm multum ex eo oneris Epiſcopis ſit remiſſum, & de feodo Giemi nihil niſi honor eis accreſceret ſine fructu.

Qualiter acquiſiuit decimas & domum Epiſcopalem de Colengiis.

Petrus de Corcione Colengias ſuper Icaunam fluuium cum omnibus, quæ Monachi de Charitate habebant, ibidem multo emerat precio, Epiſcopus ſuam ei voluit refundere pecuniam, & obtulit in emptione bonorum Eccleſiaſticorum Diœceſis ſuæ, ſe eſſe aſſerens potiorem, & obtinuiſſet proculdubio, niſi fauor Regius, quem Petrus ſibi conciliauerat, Epiſcopo reſtitiſſet: Tamen multo conatu tandem Epiſcopus decimas & oblationes, & quidquid ad ſpiritualia pertinebat, ab eo per compoſitionem extorſit, & domum inſuper, quæ nunc in eo municipio Epiſcopalis exiſtit.

Qualiter acquiſiuit decimam Varziaci & ſub quo tenore.

Apud Varziacum parum aut nihil de vini decima ſoluebatur: hanc ex incolarum condicto taliter acquiſiuit: remiſit eis manum mortuam, talliam Martij, ex qua dabantur per annum in Martio de ſingulis domibus Capitaneis quinque ſolidi: remiſit etiam furcam, & raſtrum, & cõſuetudines eiuſmodi, quæ eis erant multi oneris, & Epiſcopis modicum vtilitatis præſtabant, ipſi verò ſub hoc tenore decimas Epiſcopis præſtare tenentur pro huiuſmodi remiſſione, vnam videlicet de decem ſarcinis quam ſeruiens Epiſcopi vnus aut plures, qui ad hoc fuerint deputati, duxerint eligendam: magna profectò Eccleſiæ vtilitas: remiſſio enim propter hoc facta vix ad ſummam centum librarum annuatim poterat peruenire, & æſtimatio decimarum quingentarum vel ſexcentarum & eò ampliùs Pruuianenſ. monetæ ſummam frequenter excedat. Multa in Epiſcopatu geſſit vtiliter & prudenter, quę vel audita memorię non occurrũt, vel prius ad noſtram notitiam non venerunt.

Quam virtuoſè reſiſtebat perſecutoribus Eccleſiæ.

Perſecutoribus in magna reſiſtebat virtute, horum Eccleſiaſticæ ſeueritatis cenſura, horum rebellionem viribus compeſcendo, & plurima quæ ſiue ob hoc ſiue ob alias cauſas pertulit in Epiſcopatu aduerſa, mente intrepida & conſtanti, ſicut erat vir animo magnificus & inſuperabili longanimitate, percurrit, de quibus pauca quæ nobis nota ſunt, memorabilibus duximus inſerenda membranis.

De forma interdictorum ſtatuta tempore Comitis Petri, & cauſa quare ſic ſtatuta.

Agebat in Autiſſiodorenſi, Niuernenſi, & Tornodorenſi Comitatu Comes Petrus, videlicet de Curtiniaco, Domini Regis Philippi fratruelis, cuius fauore procurante ipſe Petrus Agnetem filiam Guidonis quondam Comitis Niuern. cui ſucceſſione hæreditaria Comitatus competebant prædicti, duxit vxorem, dato propter hoc Domino Regi nobili patrimonij ſui Caſtro, qui Mons-Argi nuncupatur, vt ad illius coniugium perueniret, vir quidem Regij ſanguinis & immenſæ potentiæ, ſed incircunſpectus animo, & iracundiæ formidandæ, & qui moleſtiis aut iniuriis irrogandis nulla ratione animi ſui impetum temperaret, vnde & ſub eius dominatione non ſolùm Epiſcopus, verum etiam Eccleſiæ ſibi ſubiectę viríque Eccleſiaſtici multas & graues moleſtias frequentiùs ſuſtinebant, tum ab eo tum ab aliis, qui vel de eo familiare nocendi ſumebant exemplum, vel quibus eo non reſiſtente in Eccleſiam Dei facultas erat liberior debacchari, & ab initio dominationis ſuæ tantum ſub eo laborauit Eccleſia, quòd Autiſſiodorenſ. ciuitas ferè per quindecim annos propter exceſſus interdicto concluſa, clauſis Eccleſiis diuinorum officiorum ſilentia pateretur, niſi quod raris temporum interuallis dilucidis, Comite per ſatisfactionem ad Eccleſiæ gremium reuertente, quandoque Eccleſia ſua organa reſumebat, ſtatim tamen intra breuis temporis ſpatium Comes replicatis iniuriis eius ſerenitatem permanere diutius non ſinebat, quin ſui pateretur ſilentij recidiuum: ſuper hoc tandem inito inter Epiſcopum & Capitulum Autiſſiod. Eccleſiæ ſalubriori conſilio, quoniam per huiuſmodi interdicta frequentia in immenſum vitia ſuccreſcebant, & pullulare hæreſes timebantur, cùm contra ſalutem ſuam efficerentur mentes hominum duriores, prouidâ inter eos deliberatione conuenit, vt ſic deinceps viuente Comite animaduerſionem huiuſmodi temperarent, quatenus perſona Comitis pro ſuorum exceſſuum exigentia excommunicationis mucrone percuſſa in ciuitate Autiſſiodorenſi ſeruaretur taliter interdictum, vt videlicet in aduentu eius, vna in maiori Eccleſiâ de Campanis maioribus pulſaretur, & ſic aduentu eius cognito quamdiu præſens eſſet, clauderentur Eccleſiæ, & diuina officia ſub interdicti ſilentio agerentur, ipſius verò diſceſſu eiuſdem pulſatione Campanæ velut edicto præconio publicè deſignato quaſi diſcedentibus nebulis Eccleſiis ſolemnitatum ſuarum grata ſerenitas redderetur, excluſis tamen hominibus Comitis ab Eccleſiarum ingreſſu, qui ſoli ſuberant interdicto: ſanum profectò & ſalubre ſtatutum. Nam Comes non ſine confuſione permaxima ingredi poterat vel egredi propriam ciuitatem, nec propter clamorem populi moram ibi facere longiorem, & Eccleſia ſuo non cogebatur ſilentio ædificationi deeſſe & profectui animarum.

Quòd in aduerſis viriliter ſe habebat.

Tempeſtatis huius pene intolerabiles & formidandas procellas Epiſcopus multa magnanimitate ſuſtinuit intrepidus, totum ſe pro tuendo Eccleſiæ iure impendens, pro quâ opponebat ſe murum inſuperabilem venientibus ex aduerſo, & non ſolùm Comitis, verùm & aliorum infeſtationibus viriliter reſiſtendo, non deficiebat, donec illis humiliatis ſub potenti manu Dei ad honorem eius & ſponſæ ſuæ Eccleſiæ finem attingeret commendandum, ſuper quo pauca de multis duximus perſtringenda.

Qualiter Petrus Comes Autiſsiodorenſis extraxit puerum de terra, quem tumulari fecerat in Camera Epiſcopi.

Comes, licet ei familiare eſſet, & frequens per excommunicationem ab vnitate Eccleſię ſeparari, quodam tempore excommunicatus fuerat ab Epiſcopo Autiſſiodorenſi, ciuitas interdicto concluſa propter graues eius exceſſus, qui vehementis indignationis igne ſuccenſus, non ſolùm Epiſcopum, cuius fidelis, vt pote eius vaſſallus eſſe debuerat, ſed & Canonicos & Clericos voce præconis à ciuitate eiecit, corpus parui mortui, quod propter interdictum ciuitatis Eccleſiaſticam non poterat habere ſepulturam importuno matris pueri excitus clamore & lachrymis in ipſa

Epiſcopi Camera ante lectum Domini ſui Epiſcopi fecit humari in cõtumeliam eius, & Dei contemptum: Hoc tam piaculare flagitium Epiſcopus rigore diſtrictionis Eccleſiaſticæ mera conſtantia perſecutus, tandem ipſum compulit ad ſatisfactionem huiuſmodi exhibendam: Quod die Palmarum in Proceſſione ſolemni præſentibus beato Willelmo auunculo Comitis, qui eum ad humiliandum ſe roborabat, Bituricenſi, & Petro Senonenſi Archiepiſcopis, & multis aliis, quos vel Epiſcopi ſollicitudo vocauerat, vel facti nouitas allexerat ad videndum, effoſſo ſepulchro propriis manibus corpus extraxit defuncti fœtens admodum & putridum, magnúque narium offendiculum, vtpote quod iam per menſes aliquot ibi iacuerat tumulatione, & ab ipſa Camera vſque ad cœmeterium Montis-Autrici nudis pedibus, ſolis indutus lineis, velut plebeius quilibet ad tumulandum ibidem propriis humeris deportauit, ſeſe humilians ſalubriter coram Deo, qui colla regum & ceruices inclinat.

Quis fuerit exitus huius Comitis.

Non abs re arbitramur exiſtere, vt quis huius Comitis exitus fuerit, poſteris deſignemus, vt tanto ſecuriùs iram Domini contra ſe prouocare metuant, quanto ex alterius addiſcent exemplo quàm verendum ſit incidere in manus Dei viuentis, qui retribuit abundanter facientibus ſuperbiam, humilibus dans gratiam, & ſuperbis reſiſtens: Siquidem Comes iſte mortua Agnete vxore ſua, cùm ſibi matrimonialiter Yolandam ſororem Henrici Conſtantinopolitani Imperatoris ſecundis nuptiis copulaſſet, eodem Henrico ſublato de medio, iure propinquitatis, vxoris obtentu ad Imperium aſciſcitur, inſtigante vxore illuc iter aggreditur ab Honorio Romano Pontifice Imperator Conſtantinopoleos confirmatur & inungitur pariter cum vxore: dehinc eum magno Latinorum exercitu Dyrrachium vſque peruenit, ciuitatem obſidet vxore eius per partes Romaniæ tutiores (vtpote Latinorum ditioni dudum ſubactas) Conſtantinopolim fœlici itinere procedente. Imperator in obſidione non proficit, ſoluitur obſidio, per terras hoſtiles communiori videlicet via Imperator incautiùs iter legit verſus Conſtantinopolim Imperium recepturus, de ſuis viribus ſuperbè præſumens, ſed Dominus excelſus, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, ipſum omnémque exercitum eius in manus inimici concluſit & tradidit in captiuitatem virtutem eorum: Audiat humana ſuperbia & attendat; ecce hic vir tantæ nobilitatis & potentiæ, qui toties contra Deum & Eccleſiam calcaneũ erexerat, nunc captiuus eſt inglorius carcerali cuſtodiæ mancipatus Domino miſerante, ſi vel ſero de peccatis compungatur ad manum Domini flagellantem, vel pœnam ipſius in præſenti ſi non conteritur, inchoante, ſed nunc ad textum propoſiti, & qualiter vltionem de perſecutoribus Eccleſiæ expetierit ad laudem Dei & honorem Eccleſiæ proſequamur.

De Petro de Corcione qualiter vltus fuerit in eum.

Petrus de Corcione, de quo ſuperius fecimus mentionem, in omnibus agendis Comitatus ſecundus erat à Comite, eiúſque nutu & conſilio Comes Petrus, de quo præmiſimus, per omnia regebatur: is ad oppreſſionem Eccleſiarum Comitem valdè qui animo incompoſitus erat, vt prædiximus, incitabat ipſe, prout poterat, earum tranquillitati nihilominus inimicus & quieti, ad huius beſtiæ edomandam ſæuitiam Epiſcopus omnibus accingebatur, prout temporum poſtulabat neceſſitas, argumentis; qui cum fauore Comitis proſequente quandiu ſuæ culmen poteſtatis emicuit; Eccleſiam dei & ipſum Epiſcopum proſequi non ceſſaret, Epiſcopus ſicut erat ſeculari quadam admodum induſtria præditus, tempora vindictæ opportuna expectans, eius inſolentiam taliter edomuit ad extremum, ipſum, licet fortè in hoc ab Euangelicæ religionis manſuetudine exorbitaſſe viſus fuerit Epiſcopus, vtile tamen Eccleſiæ & magnatibus formidabile proponens exemplum: nam cum ſubtracto ei fauore Comitis tempora nubila gloriæ ſuæ ac poteſtatis ſerenum fuſcaſſent, nactus temporis opportunitatem Epiſcopus ſuis deſideriis congruentem, ipſum captum in quadriga aſſumpſit, & compedibus alligatum, capite ſuper nudo, quod dudum contracta caluicies deformabat, per vicos & plateas ciuitatis Autiſſiodorenſis ſatis ignominioſè tractatum, fecit publicè circunferri, ridiculoſum populo præbens de ipſo ſpectaculum, vt vbi ſummæ poteſtatis functus honore fuerat, ibi ridiculoſius ſuæ dilectionis ludibria pateretur, diſcerentque vniuerſi in faſcibus conſtituti non peruersè agere, nec extolli ſucceſſibus, ſed humiliari ſub eo qui depoſuit potentes de ſede & humiles exaltauit.

Qualiter

Qualiter Euraudum conuicit de hæreſi.

Huic ſucceſſit in officio & poteſtate Euraudus de Caſtro nouo, miles nō inferioris
malitiæ, nec minoris ingenij, vel remiſſioris deſiderij ad nocendum, Eccleſiæ ſæuiſſi-
mus perſecutor, vtpote cui hæretica prauitate infecto propoſitū erat Eccleſiaſticorū
dogmatum profeſſoribus, prout audebat & poterat, aduerſari, de cuius enormibus il-
lud, quod ſequitur, trāſmittere duximus ad notitiā poſterorū. Quidā, qui eius offēſam
incurrerat, à perſequentibus fugabatur ad mortē. Is vt inſtantis mortis euaderet peri-
culū in Eccleſiam B. Mariæ infra muros ob immunitatem loci fugiens ſe recepit: hūc
nulla Deo exhibita reuerētia, Eccleſiæ immunitate effracta, in ipſa Eccleſia gladio
fecit perſecutore occidi, & cruore innoxio Dei ſanctuariū atrociter prophanauit: ſed
Dominus iuſtus Iudex, ſicut in ſequentibus exponetur, dignā ei retribuit viciſſitudi-
nem meritorū, ſanè tandem is offenſo ſibi Comite Petro diſcedens ab eo ad Comitem
Niuernenſem, Herueū videlicet, ſe cōtulit, cui Comitatus ceſſerat Niuernenſis ob-
tētu Mathildis filiæ Comitis Petri, quā, ſicut ſupradictū eſt, fauore regio fauente du-
xerat in vxorē, cui competebat iure hæreditario Comitatus: in cuius Heruei gratiam
Idem Euraudus in tantum receptus eſt, vt eundem locum, quem apud Comitē Petrū
obtinuerat, etiam apud Comitē Niuernenſem obtineret, ſub cuius poteſtate, ſicut in
Autiſſiodor. prius quoque Comitatu Eccleſia multis oppreſſionibus laborauit, incre-
breſcente contra eum tandē hæreſeos, qua notabatur, infamia, idem Epiſc. ſicut erat
Catholicorū dogmatū zelator pręcipuus, & peruerſitatis hęreticæ feruidus extirpator,
in Pariſienſi Concilio ab Octauiano Romanæ Eccleſiæ Preſbytero Cardinali, qui
tūc Legationis Officio fungebatur in Francia, Pariſiis cōuocato, multis Archiepiſc.
Epiſc. & cæteris Eccleſiaſticarū dignitatum vel adminiſtrationum inferiorū perſonis
præſentibus, ipsū de hæreſi publicè accuſauit, accuſatum teſtimoniis irrefragabilibus
conuicit, conuictus approbante Concilio ſententiam dānationis excepit, damnatus,
ignis concrematione prophanā animam exhalauit, digna recipiens ſtipendia merito-
rum, & generi ſuo fœdā ſuæ peruerſitatis notam imprimens & opprobrium ſempiter-
num. Diſcite omnes qui operamini iniquitatem, qui potentum ambitis latera ad no-
cendum, diſcite, quòd extenta ſit manus Domini ſuper omnes peccatores terræ. Ec-
ce hic magnus & potens, ipſis etiam potentibus formidandus, ad ignominioſæ mor-
tis tractus ſuppliciū, dignam ſuæ iniquitatis tēporaliter reportat mercedem. Vtinam
vel in mortis articulo ſic cōtritus exēplo latronis, qui cū Domino crucifixus, ſera li-
cet, fructuoſa tamē cōfeſſione pœnituit, quòd vicē ſcelerū ſuorū nō reportet in pœnis.

Dè Caputiatis qualiter eos exterminauit.

In diebus illis circa promotionis ſuæ exordia, orta eſt in Gallijs horrenda nimis
& periculoſa præſumptio, & quæ plebeios trahere cœperat vniuerſos in ſuperiorum
rebellionem & exterminium poteſtatum, quæ tanquam à bono habēs originem, An-
gelo Sathanæ ſe ſe in lucis Angelum transformante exitialia ſuggereret, ſimulatam
boni ſpeciem prætendebat. Nam ſub obtentu mutuę charitatis præſtitis iuramentis
confœderabantur ad inuicem, quòd ſibi in neceſſitatibus ſuis mutuum ferrent conſi-
lium & auxilium contra omnes: cuius cōfœderationis conſortes telarum caputia cum
ſignaculis plumbeis, quę Beatę Mariæ de Podio dicebantur, aſſumpſerant in chara-
cterem & in ſignum, quæ eos à cœteris diſtinguebant, diabolicum profecto & perni-
cioſum inuentum; nam de hoc ſequebatur, quòd nullus timor, nulla reuerentia ſupe-
rioribus poteſtatibus haberetur, ſed in eam libertatem ſe ſe omnes aſſerere conaban-
tur, quam ab initio conditæ creaturæ à primis parentibus ſe contraxiſſe dicebant,
ignorántes peccati fuiſſe meritum ſeruitutem. Hinc etiam ſequebatur, quòd minoris
maioriſvè nulla eſſet diſtinctio, ſed potiùs confuſio, quæ rerū ſummā, quæ nunc ſu-
periorū moderamine ac miniſterio actore Domino regitur, breui tempore traheret in
ruinā. Conſequenter etiā omnis ſiue politica ſiue Catholica, in pacis humanæ & ſa-
lutis animarū diſpēdiū daretur in exterminiū diſciplina, & quæ ſola carnalia aſtruūt,
hæreſes pullularent vigore Eccleſiaſtico ſuccūbente. Poſtea iſta licet pleroſque Gal-
lię fines, tractum tamen Autiſſiodorenſem & Bituricum, finéſque Burgundię latiùs
cœperat peruagari, & iam in tantam proruperat inſaniam, vt collatis viribus prompti
eſſent aſſertore gladio libertatē ſibi degenerē vendicare. Contra hanc formidabilem
peſtilentiam, quę non blandis exhortationibus, ſed immēſis erat conatibus cōpeſcē-
da, Epiſcopus tātò animoſiùs ſe accinxit, quantò vberiùs in ſua diœceſi, & in villis eius
propriis maximè, palmites ſuos extendebat, veniénſque prout negotij depoſcebat

neceſſitas in multitudine armatorum apud Giacum villam ſuam, quam ferè totam illam occupauerat impetigo, quotquot ibi capuciatos reperit, omnes cepit, & pœna mulctans eos pecuniaria, inſuper eis præcidit Caputia, & vt tantæ præſumptionis vindicta palam eſſet, diſcerentque ſerui non inſoleſcere contra dominos, præcepit vt per annum integrum abſque Caputiis nudis omnino capitibus, & aëri expoſitis æſtus & frigora, variáſque experirentur aëris paſſiones, videres miſerandos homines æſtiuo tempore per rura capitibus expoſitis abſque omni velamine ſolis ardoribus æſtuare, brumali verò nimio algore rigere, annúmque integrum ſub iſta exegiſſent cenſura, niſi Senonenſis Archiepiſcopus Guido auunculus Epiſcopi illac fortè præteriens humanitatis commotus viſceribus ſuper illos, & Epiſcopum tantæ arguens inclementiæ, eam remiſſione temporis quod ad annum complendum ſupererat decurtaſſet. Sic igitur in breui, & villis ſuis & finibus tantę præſumptionis exterminauit veſaniam, cuius exemplo per alias quoque villas Diœceſes & Prouincias breui tempore huiuſmodi temeritas fauente Domino fuit radicitus extirpata.

Qualiter ſede vacante Lingonenſem Eccleſiam rexit & Regalia cuſtodiuit.

Tantæ induſtriæ ſuæ & prudentię, qua præeminebat, maximè ſecularis, circunquaque diuulgabatur opinio, & vacante quoque Eccleſia Lingonenſi & propter eligẽdi ſciſſuram diutiùs laborante, quæ ob regalium cuſtodiam, quæ fines Imperij & Regni diſterminant in aliqua ſui parte, non in ſimplicitate remiſſa, ſed in magna virtute regenda eſt ad cuſtodienda & adminiſtranda Epiſcopalia, ſpecialiter vocaretur, quæ videlicet toto vacationis tempore rexit magnificè & potenter.

Qualiter ſede vacante in Senonenſem Archiepiſcopum poſtulatus eſt, ſed fruſtra.

Defuncto bonæ memorię Michaele Archiepiſcopo Senonenſi, cõcordi omnium conſenſu & votis ob præclara ſuæ probitatis inſignia ad regimen Eccleſiæ Senonenſis aſciſcitur, & apud ſedem Apoſtolicam, vt de Autiſſiodorenſi transferretur, ad eam ab omnibus poſtulabatur: ſed Innocentius tertius, qui tũc agebat in Papatu, vir quidem voluntatis propriæ debito fortè plus plerunque motum ſequens, tranſlationem ipſius pro ſuo arbitrio impediuit, vt magiſtrum & quaſi nutritorem ſuum in ſcholis, dũ eſſet in Frãcia, magiſtrũ videlicet Petrum de Corbolio, in illa proficeret Eccleſia, vel potius intruderet etiã renitẽte Capitulo, quod & fecit, & poſtulationẽ factam de Epiſcopo, non tam iure, quàm voluntate propria, ſi fas eſt dicere, non admiſit, ſicque diuina eſt factum prouidentia, quod Eccleſia Autiſſiodor. cum qua connubij ſpiritualis fœdus contraxerat, nequaquam tanti patris diuortio vidua remaneret.

De ornamentis quæ contulit Eccleſiæ.

Eccleſiæ ſuæ Autiſſiodorenſi pannos duos ſericos precioſos, & quantitatis immẽſæ, qui de Miradola nuncupantur, contulit ad ornatum, credimúſque quòd imaginem Crucifixi cooperuiſſet argento, & quòd deeſſet vltra æſtimationem crucis aureæ duarum marcarum, & vltra triginta marcas ad hoc deputatas, quas quandoque ob ſuas neceſſitates acceperat, reſtitutionem in futurum earum cum ſuperabundantia repromittens, ſuppleuiſſet de ſuo, ſed & hoc & reſtitutionem promiſſam mors præueniens impędiuit, vnde & huius onus debiti ad ſuos ſucceſſores tranſmiſit.

Qualiter formam & ſitum Eccleſiæ in melius immutauit.

Qualiter feneſtras in fronte veteris operis Eccleſiæ ac vitreas dilatauerit, vt Eccleſiæ quę more veterum vſque tunç fuerat ſubobſcura, in lucem clareſceret ampliorem. Qualiter altaria duo, quæ in lateribus Eccleſiæ altrinſecus ab anteriori parte, vbi modo portæ collaterales exiſtunt, poſita amplitudinem Eccleſiæ non modicum coarctabant, remouerit, portáſque extraxerit, quę nunc vſque perdurant: qualiter Eccleſiam, quę valde demiſſior exiſtebat, terra iniecta repleuerit, & pauimentari fecerit ad decorem, tectoque ac lateribus nobilitauerit in immenſum, multáque alia huiuſmodi, ſeu maiora quæ in Epiſcopatu geſſit vtiliter aut prudenter, explanare ſuperſedemus adpræſens, ne dum ea, vel minus plenè audierimus, vel audita labente memoria non ſicut ſunt, retinuerimus, à veritatis tramite declinemus, dubia afferentes pro veris.

De his quæ contulit Capitulo ad panem quotidianum Eccleſiæ & de aliis.

Capitulo ad panem quotidianum Oiſiaci benigna liberalitate cõceſſit & centum ſolidos in Eccleſia S. Priſci, qui ſingulis annis in eius anniuerſario diuiduntur.

De eo quod Romam profectus eſt, & de morte eius.

Tandẽ deuotæ peregrinationis gratia, & vt aliqua fortè negotia, quæ cœperat, pro-

moueret, Romam adiit, vbi ab Innocentio Papa III. ſupradicto honorificè eſt receptus; ſed valida ſtatim correptus ægritudine infra decem dies poſt eius ingreſſum, ibi apud Sanctum Clementem videlicet, humanæ debitum conditionis exoluit, & in Eccleſia Lateranenſi B. Ioannis, quæ Conſtantiniana dicitur, Domino præſente Papa & Cardinalibus honorificam meruit ſepulturam inter Papales pyramides, humiliori licet mauſoleo, honeſto tamen & marmoreo collocatus anno Domini M. CC. ſexto, in feſto Beati Nicolai, vacauitque Epiſcopatus duobus menſibus, & paulo plus, ſcilicet vſque ad ſextam feriam poſt Purificationem Beatæ Mariæ: rexit autem Eccleſiam ſuam ann. ferè XXIV. regnante in Francia Illuſtri Rege Philippo III Rom. Pontific. Vrbano, Lucio, Clemente, Cæleſtino, Innocentio III. dimiſitque Epiſcopatum ab omni debitorum onere liberum penitus & immunem, exceptis duabus marcis auri de cruce, & triginta argenti, de quibus ſuperius fecimus mentionem, deputatis ad cooperiendam imaginem Crucifixi.

De ſignis mortis ſuæ.

Operi præſenti adiicere dignũ duximus ſigna & indicia mortis ſuæ, quæ Domino ſic volente non ſolùm Romæ, vbi decũbebat infirmus, verũ etiam apud nos ſunt pluribus propalata, triduo priuſquã defungeretur circa noctis initiũ, quando lecti videlicet ad dormiendũ parati feſſa labore diurno mẽbra vocabant ad requiẽ, auditus eſt fragor præmaximus ac ſi propè Eccleſiã B. Clementis, vbi in hoſpitio morabatur, aliquod de antiquis ædificiis funditus corruiſſet: exciti ſunt fragore Epiſc. & ſui, & in craſtino per ſeruiẽtes ſuos, nec non & per ſemetipſos perſcrutari cœpere, vbinã fuiſſet tanti fragoris ruina, quæ ſic è vicino viſa fuerat corruiſſe, ſed nec longè nec propè in tota vrbe audire vel comperire potuerunt fuiſſe ruinam vel fragorem auditum. Ex eo tempore cœpit Epiſcopus de ſuo exitu ſuſpicari ipſa nocte, vel de propè qua in vrbe Romana migrauit à corpore, apud Regium amnem, videlicet domum Epiſcopalem cominus aulæ inferioris, murúſque qui pratellum, quod adiacet, diſterminabat ab Icauna, apud Varziacum muri municipij, quos fecerat, ac ſi vellent commori Domino morienti pro parte aliqua corruerunt: eiſdem diebus Stephanus de S. Saluatore Autiſſiodor. Canonicus & Sacriſta, & ipſius Epiſcopi cõmenſalis apud Autiſſiod. extrema ægritudine decumbebat. Cui Epiſc. non in ſomnis, ſed vigilante potiùs, & de die, ipſo die mortis ſuæ, ſicut poſtea cõpertũ eſt, in viſione velut manifeſtus apparuit, inter alia dicens ei: veni, ſequere, quia ego iam præceſſi. Stupefactus viſione horrenda vocat ſuos, qui ſtatim à camera, vbi iacebant infirmi, diſceſſerant, ſciſcitatur ſi vidiſſent Epiſc. ab itinere Romano reuerſum, admirante, vnde talia diceret, dixerunt Epiſc. nondum potuiſſe reuerti, quibus ille, certè modo hinc deceſſit, & vehementer admiror, quod eũ non vidiſtis, omnémque iis pandit ex ordine viſionẽ, & infra triduũ poſt mortẽ Epiſcopi vitâ decedit, Epiſc. vocantẽ ad tranſitũ, quo præceſſerat, ſubſecutus. Euſtachius Canonicus ſimiliter, & cõmenſalis ipſius Epiſcopi, qui & poſtmodum Sacriſta factus eſt, dũ in ſtratu ſuo ſub eiſdẽ diebus quieſceret, vidit in ſomnis vnũ de ſociis Epiſcopi, quem ſecum Romam duxerat, venientem ad ſe vultu ſubobducto & triſti, cui percontanti, cur eum erectâ facie non reſpiceret & ſerena, breui reſpondit verſiculo; Eſt propè mors, peſtis; prompta remota ſalus. Quam viſionem reuoluens in animo, licet nihil adhuc de morte Epiſcopi cogitaret, ac eandem vni de ſociis Epiſcopi, qui Autiſſiod. Epiſcopo abeunte remanſerant, communicans, morte Epiſcopi ac die mortis per nuncios declarata compertum habuit, non tam ſimplex omnium, quàm mortis eius præſagium extitiſſe. Quippè cum ipſo de obitus Epiſcopi fuiſſet huiuſmodi reuelatio facta ſibi. O virum magnificum, cuius exitum inſenſata ſenſerunt, & poſitis in remotis regionibus plura reuelationum præſagia prophetabant: oremus igitur chariſſimi pro ipſo ad Dominum, vt cum ſanctis & electis eius perpetuæ gloriæ mereatur percipere portionem.

CAPVT LIX. DE GVILLELMO.

Guillelmus de territorio Autiſſiodorenſi Caſtro Scilligniaco, patre Buchardo fratre Deimberti domino eiuſdẽ caſtri, viro quidẽ auſteritatis immẽſæ, ſed fidelitatis præcipuæ, matre Aanor filia nobilis viri Andreæ Domini de Monte Barri, claram ab vtroque duxit originem, ex parte patris inſuperabilis cõſtantiæ, ex parte matris vitæ ſanctioris exiſtens. Fuit enim de genere illius Sanctiſſ. Bern. Claræuallenſis Abbatis, qui primus illud fundauit Monaſt. ibidem Abbas effectus & ob vitæ meritũ multis & in vita eius, & poſt mortẽ miraculis declaratum, approbante Romana Eccleſia in

Sanctorum Catalogo velut gemma clariſſima eſt receptus in vniuerſa Dei Eccleſia, vbi huius habetur memoria annua celebritate inſignis.

De Sanctimonia matris ſuæ.

Huius Sanctimoniam præfata V Villelmi genitrix Aanor imitata, & quaſi hæreditate bonitatis ſe ſe coheredem moribus exhiberet, licet tam viri ſui quàm progenitorum ſuorum ſtemmate præfulgeret, depoſito tamen totius faſtus ſupercilio, velut ancilla Chriſti ſeruilem ſe oſtendebat perſonam, de facultatibus eius in perſona propria velut Chriſti pauper pauperibus miniſtrabat, in orationibus aſſidua, in Eccleſia frequens, in diuinis officiis peruigil, in immenſa motum bonitate præclara.

De miraculo quod contigit in morte matris ſuæ.

Tandem humilitatem ancillæ ſuæ Dominus reſpiciens, tale de eius ſanctitate in vitæ ſuæ exitu præſtitit argumentum. Nam cum apud villam ſuam de Eſnone diem clauſiſſet extremum, ad Monaſterium Ciſtercienſis ordinis, quod Pontiniacum nuncupatur, vt apponeretur ad virum ſuum, qui ibi antea ſepultus fuerat, ſe deportari præcepit; quod Monaſterium duabus leucis vel amplius diſtare dignoſcitur à villa prędicta. Quo dum efferretur, tanta fuit die illo & tam iugis imbrium abundantia, vento nihilominus vehementi perflante, vt qui ad proſecutionem funeris conuenerant, nec imbrem cappis pluuialibus ſubmouere poſſent, eatenus vt interius non maderent, & pannus ſericus ſuperpoſitus funeri, nunc linteaminibus vndique imbribus defluens, licet vinculis ſtupeis aut cannabeis eſſet pheretro fortiter colligatus vix vẽti rabie ſuſtineret, quin per inane à pheretro auferretur, quatuor cerei, vt in huiuſmodi funeribus moris eſt, ferebantur in funere, qui licet de Eccleſia de Eſnone domus funeris contermina fuiſſent ardentes extracti, per viam tamen tum propter imbrium abundantiam, tum propter venti vehementiam nulli videbatur dubium ipſos ardere non poſſe. Ventum eſt ad Monaſterium, vbi corpus fuerat ſepulturæ tradendum, intrata eſt Eccleſia, reperti ſunt omnibus ſtupentibus & admirantibus & in Dei laudes prorumpentibus, ardentes cerei omnes, ac ſi nullo venti perflata turbine, eos tranquilliſſima fuiſſet ſerenitas proſecuta: paululum digreſſi breuiter iſta perſtrinximus, vt quãta ſit in ſanctis ſuis Domini noſtri virtus & pietas, præſenti pateſceret miraculo, ad honorem Dei, & inſtructionem noſtram, quibus prædictam virtutum fœminam Dominus propoſuit in humilitatis & bonitatis exẽplum. Nunc ad propoſitũ reuertamur.

De Indole eius.

Guillelmus igitur talibus ortus natalibus ab ineunte ætate cœpit bonæ indolis puer eſſe, & cuiuſdam ſimplicitatis ingenitæ & maturitatis innatæ, adeò vt non, ſicut coæteri cætanei ſui, ad pueriles nænias & leuitates in illa familiares ætate animum inclinaret, erat iam tunc in eius vultu, inceſſu, & geſtu ex eius maturitate præmatura aſpicere futuræ ſpeciem grauitatis, & de ſecutura bonitate ipſa eius pueritia prophetabat.

Qualiter Clericus factus eſt.

Pater quia natus fuerat ei poſterior, vt plerumque in paternis reperitetur affectibus ipſum tenerrimè diligebat, & vt diſciplinis militaribus ætatem adhuc teneram inſtitueret, equitem ſecum ducebat, propoſitum habens quatenus ipſum ſtudiis militaribus applicaret, ſed diuinæ diſpenſationis prouidẽtia, quæ ſibi eum futurum Antiſtitem prouiderat, patris propoſitum in melius immutauit; nam frater eius Guido Archiepiſcopus Senonenſis multa precum ab eo obtinuit inſtantia, vt ſibi traderetur Clericali militiæ mancipandus.

Qua ætate factus eſt Clericus, & qualiter in Clericatu profecerit.

Cùm igitur annum iam vndecimum attigiſſet, ad prima reſedit elementa ſcientiæ literalis, in qua continuato ſtudio, proceſſu temporis ſic profecit, vt ſcalam diſciplinæ eiuſdem acri conſcendens ingenio; tranſcurſis puerilibus rudimentis de gradu proueheretur in gradum, primò competenter liberalibus artibus inſtitutus, dehinc in legalis iuris Canonici ſcientia ſic prouectus, vt Iuriſconſultus non immeritò haberetur, demùm relictis ſecularibus ſcientiis, ſic in diuina pagina deſudauit, vt poſtmodum diuini fluenta eloquij aliis vberius de pleno pectore propinaret, licet in ſcholis Cathedram nunquam aſcenderit magiſtralem.

Quales eruditores habuit, & de informatione morum eius.

Porro huic auunculus Archiep. de quo ſuperius mentionem fecimus, eruditores ſcientia, vita, & moribus approbatos ſemper prouidit, qui non minus circa eius inno-

tentiam conſeruandam moréſque formandos, quàm circa prouectum ſcientiæ vigilabant, vnde factum eſt vt velut cera calefacta ad ignem pro voluntate artificis quamcunque recipit imaginem, ſic ætas eius tenera vitâ doctrina & exemplo bonorum exculta, formam reciperet ſanctitatis, adeo vt credatur carne virgo & integer permanſiſſe.

Quales dignitates aſſecutus fuerit, & quàm ſtrenuus in eis ſe habuit.

Sic igitur ſapientia proficiens & ætate ibat de virtute in virtutem, cuius profectum comitata eſt à primæuo tanta tamque multiplex Eccleſiaſticarum aſſecutio dignitatum, vt cum Salomone poſſet dicere: *Super ſalutem & omnem pulchritudinem dilexi ſapientiam & propoſui pro duce habere eam: venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, nam in Eccleſia Senon. Cathedrali Theſaurariam & Archidiaconatum Pruuinienſem, in Autiſſiodorenſi verò adeptus eſt Decanatum, ad quem abſens, & in remotis agens regionibus ſtudendi cauſa à Canonicis Eccleſiæ concorditer eſt electus, & vſque ad reditum ſuum de Scholis per annum & amplius expectatus, in quarum dignitatum adminiſtratione ſtrenuus valdè fuit & efficax; nam vt ſpiritualia fideliter diſpenſaret, temporalia conſeruans, congregare diſperſa, & iura, ſi qua oppreſſione cuiuſlibet ſubuentionis nubilo latuerant, prout poterat, magno labore & ſtudio, pace vel iudicio faceret prodire in lucem.

Qualiter iura Decanatus Autiſſiodorenſis aduerſus Epiſcopum proſecutus eſt.

Circa Decanatus iura tuenda, eò amplius vigilauit, quò Iuriſdictioni ſuæ imminente Epiſcopo, maior reſiſtendi neceſſitas incumbebat. Cui ſic reſtitit cum effectu, vt cauſas ciuitatis excepta Parochia ſancti Lupi, quæ non eſt de Iuriſdictione Decani, non audiret alius, præter ipſum, vel Officialem ſuum: niſi per appellationem ad maiorem audientiam fuiſſent delatæ.

De inobedientia Sacerdotum, defendente eos Epiſcopo Hugone contra eum quando erat Decanus, & de emenda.

Sacerdotes quidam, qui Parochias regebant ciuitatis, quandam interdicti ſententiam in ciuitate Autiſſiodorenſi prolatam, quam Decanus ipſe præceperat obſeruari, Epiſcopo iubente contrarium, non ſeruarunt, ac propter hoc à Decano ſuſpenſi, ipſos abſoluente Epiſcopo, ſua propter Decani ſententiam taliter ab Epiſcopo relaxatam non prætermiſerunt officia exercere, Epiſcopi authoritate ſuffulti, tandem eorum inobedientiam Epiſcopo defendente, tantâ eſt Senonenſis Sedis Metropolitanæ examini per appellationem victrice conſtantiâ proſecutus, quod dictante iuſtitia, ſuccumbenti in iure Epiſcopo, Decano de inobedientia ſatisfacere ſunt compulſi, qui in virga viſitans iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum ipſos in Capitulo Autiſſiod. virgarum fecit publicam ſolemniter excipere diſciplinam, inter quos vnus magnæ grauitatis & nominis Magiſter videlicet Robertus Prior Beatæ Mariæ extra muros, licet opinione magnus exiſteret apud omnes, & propter hoc magis dum verecundaretur ſuccumbere, contumacior fuerat & rebellis, apud Sanctum Marianum retruſus in Clauſtrum, & ab adminiſtratione Prioratus ſui remotus ad tempus, ad nutum ipſius Decani in pane & aqua per aliquot dies exegit pœnitentiam, mulctatus pœna per Abbatem ſuum quæ rebellibus & inobedientibus conſueuit infligi: quoſdam etiam Canonicos Beatæ Mariæ infra muros, quos abſque præſentatione Decani Epiſcopus ordinauerat, factâ ſibi ab ordinatis pro illo, exceſſu emendâ, pœnâ à ſe dictatâ mulctauit.

Qualiter coëgit Hugonem Epiſcopum reſtituere Eccleſiæ arbores, quas eo inuito in nemoribus Eccleſiæ acceperat.

Epiſcopus contradicente ipſo & quibuſdam ſibi adhærentibus Canonicis, aliis Epiſcopo fauentibus, arbores quaſdam in nemoribus Eccleſiæ de Buſcha cædi fecerat, & in domum Epiſcopalem de Regio amne per violentiam exportari; non ceſſauit, idem Decanus iniuriam proſequi, donec per ſedis Metropolitanæ ſententiam Epiſcopum arbores capitulo reſtituere compulit, & ante fores Eccleſiæ propriis Epiſcopi vehiculis reportare.

Qualiter Comitem Petrum compulerit venire in Capitulum ad emendandas iniurias Eccleſiæ, dum eſſet Decanus.

Rempublicam Capituli ſtrenuè ac fideliter gubernabat aduerſus quorumlibet iniurias, murum inſuperabilem ſe opponere, nec ſuis parcens laboribus, nec ſuo-

rum in tanta virtute Eccleſiæ amplectens negotia, quòd Comitem ipſum propter irrogatas Eccleſiæ iniurias excommunicarioni, & ciuitatem eius ſuppoſuit interdicto, & ſic tandem compulit venire in Capitulum, & iniurias Capitulo emendare.

Sub quanta diſtrictione prohibitum ſit ne venderentur, aut terræ Eccleſiæ ſine conſenſu Capituli.

Inoleuerat per quorundam ex maioribus auaritiam grauis quædam & nimis diſpendioſa præſumptio, qui propriis commodis per fas & nefas ardentiùs inhiantes in villis, in quibus percipiebant præbendas, prædia alienabant Eccleſiæ, & abſque Capituli conniuentia accepto pretio ſub cenſuali onere emptoribus diſtrahebant, nemora Eccleſiæ pari nihilominus præſumptione vendentes, vel pro ſua voluntate donantes. Huic tam peſtilenti morbo tali duxit remedio ſubueníre: nam conuocato Capitulo, ipſe & omnes Preſbyteri pariter candelis accenſis, excommunicauerunt omnes, qui ſine conſenſu Capituli alienationes, diſtractiones ſiue donationes huiuſmodi in futurum facere attentarent, & id pro lege mandatum eſt in perpetuum obſeruari.

Qualiter officium Beatæ Mariæ conſtituit celebrari in profeſtis diebus in Eccleſia.

Is adhuc agens in Decanatu Beatæ Mariæ officia horis Canonicis in profeſtis dicenda diebus adiecit, & ad horas Canonicas Antiphonas ſuper Pſalmos: nam antea ſuper illas, exceptis matutinis & veſperis, non niſi ſimplex Alleluya, ſicut moris eſt in Paſchali Hebdomadâ, pro Antiphona dicebatur, multáque alia ad honeſtatem Diuinorum conſenſu Capituli vel adiecit, vel exterminauit penitus, vel mutauit.

De Manaſſe fratre eius, & vnitate amborum.

Huic ſuperſtes erat frater vnicus de multis in primæuo flore ætatis ſuæ defunctis, Manaſſes nomine, Archidiaconus Senonenſ. & Autiſſiodorenſ. poſtmodum in Epiſcopum Aurelianenſem aſſumptus, qui ob præclara vrbanitatis ſuæ & liberalitatis inſignia, longè latéque ſuæ claritatis radios diffuderat. Hunc quoniam natu maior erat, tanto reuerebatur affectu idem Guillelmus, de quo præſens ſermo eſt, vt totus de eius voluntate penderet. Erat in eis videre alterum par amoris, nam ſicut vno ventre prodierant, ſic vno ſpiritu regebantur. vna erat & Autiſſiodori & Senonis habitatio, menſa vna, vaſa ad cibum eadem in quibus pariter comedebant, lectus vnus, parilitas in domeſticis, parilitas in veſtibus, parilitas in amore, nec alter ſine altero quidquam habebat proprium, ſed erant illis omnia communia, nec erat dicere de eorum familia, quis cui de fratribus potius militaret; diuulgabatur vbique peculiaris illa, quæ ipſis inerat fraternæ copula charitatis, adeò vt rarò propriis deſignarentur vocabulis, ſed quadam ſpecificata appellatione fratres Senonenſes antonomaſticè vocarentur.

Quanto feruore ſe mutuò diligebant.

Feruor qui eis inerat charitatis, ipſos ab inuicem abeſſe diutius vix ſinebat: Imo plerumque vidimus, quòd quando Archidiaconatuum ſuorum viſitatio, vel alia neceſſitas cogebat eos corporaliter ſeparari, ipſa affectio longioris abſentiæ moras non ſuſtinens propoſitum reſcindebat, & quandoque experimento compertum, non ſine admiratione quidem quòd ipſa abſentiæ tempora eiſdem erant meditationibus & ſtudiis occupata: nam quodam in tempore eum idem Guillelmus cauſa ſibi imminuendi ſanguinem in domo Senonenſi remanſiſſet, frater eius Archidiaconatum ſuum Senonenſem in Decanatu ſancti Florentini viſitandi gratia perluſtrabat, ſolandi cauſa itineris fortuito propoſitum fuit thema ad verſificandū his qui cū Archidiacono equitabant. Iucunda quippe occupatio ſingulis certantibus quis de illa materia verſus componeret meliores; quæ cùm apud Archidiaconum agerentur & ſuos, ignorante fratre ſuo, qui Senonis remanſerat, ſub eiſdem diebus & momentis apud ipſum & ſuos eadem materia ſtudiis non diſparibus Senonis verſabatur. Quo comperto mirati ſunt vniuerſi, & in aliquorum cogitationibus fraternæ auſpicia conſonantiæ reſultabant.

Qualiter conſentire noluerunt, vt eorum alter eligeretur in Archiepiſcopum Senonenſ. Sede vacante.

Omnis ab eis procul erat ambitio: nam cùm poſt deceſſum bonæ memoriæ Michaëlis Archiepiſ. Senonenſis vacaret Eccleſia, & die electionis de ſubſtituendo paſtore in Capitulo tractaretur, quædam de perſonis Eccleſiæ quarum ſtudia

eis aduerſantia videbantur multorum Canonicorum fauore ſubnixa, qui in ipſorum voluntate vnanimes adhærebant, in eorum alterum quem voluiſſent vt præficeretur Senonenſi Eccleſiæ conſentire cum ſuis voluerunt ſequacibus. Sed ipſi iudicantes indignum ſe præferri venerabili Hugoni Autiſſiodorenſi Epiſcopo, ad cuius promotionem ad illam Eccleſiam tam Epiſcopi quàm qui eis vnanimes adhærebant ipſorum anhelabant fauore, de ſua noluerunt electione acceptare ſermonem, procurantes potiùs quòd omnes in poſtulationem eiuſdem Epiſcopi conſenſerunt laborantes in vnum, quam Innocentius tertius, qui Romanæ Eccleſiæ præſidebat, poſtulationi de ipſo noluit aſſentiri, volens Magiſtrum ſuum in Scholis dum eſſet in Francia, videlicet Magiſtrum Petrum de Corbolio Cathedræ præficere Senonenſi, quod & fecit Canonicis licet renitentibus inuitis.

Qualiter Guillelmus noluit conſentire in electionem Niuernenſis Eccleſiæ de ſe factam.

Iterum Galtero Niuernenſi Epiſcopo migrante à ſæculo, facta eſt Canonicis illius Eccleſiæ electio conſona de Willelmo, cuius cùm per ſolemnes nuncios à Niuernenſi Eccleſia deſtinatos requireretur conſenſus, habita deliberatione cum fratre ſuo Manaſſe inter eos conuenit, vt in ſtatu humiliori protinus vitam agerent indiuiſam, quàm alteruter ſeparatiuum ipſorum gradus culmen conſcenderet altioris; ſicque factum eſt, vt prælationem renueret Eccleſiæ Niuernenſis, quæ eum ad ſui regimen euocabat, quod vtique factus poſtmodum Autiſſiodorenſis Epiſcopus, cum maxima pœnitudine & cordis amaritudine rememorare ſolebat, pungente eum conſcientia quòd Autiſſiodorenſem velut ditiorem Niuernenſi tanquam pauperi Eccleſiæ prætuliſſet.

Qualiter electus fuit in Epiſcopum Autiſſiodorenſem, & quomodo nolebat fratri ſuo præferri in electione.

Tandem præfato magnificæ memoriæ Autiſſiod. Epiſcopo Hugone rebus humanis exempto, die ad eligendum ſtatutâ cùm omnium Clerici ſcilicet & populi in alterum duorum fratrum Manaſſis videlicet & Guillelmi vota concurrerent; maior natu, Manaſſes ſcilicet, qui & affabilior, & vrbanior, & ideò fauorabilior habebatur, vt Eccleſiæ regimen ſuſcipiat concorditer exoratur: onus ille ſubire recuſat regiminis, & periculum metuens, & indignum ſe reputans fratri Decano Eccleſiæ in prælatione præferri, quem licet natu poſtremum & dignitatis prorogatiua & vitæ merito aſtruebat potiorem: ſic igitur factum eſt, vt ab electoribus à Capitulo per compromiſſionem datis eligeretur Decanus, qui totus effluens in lachrymas, honorem non diſſimili recuſat affectu, indignum ducens, fratri natu maiori & vitæ non diſparis anteponi, ſicque oritur mirabilis concertatio inter fratres, & quorum erat cor vnum & anima vna, in hoc facta eſt cordium diuiſio, & animarum ſciſſura, quòd neuter volebat præferri. Omnes madentes oculis ſtupendum intuebantur ſpectaculum, & inſperatum certamen: ad vltimum Senonenſis Archiepiſcopus Petrus, qui ibi aderat præſens, in Capitulum euocatus certaminis dedit medium, & tum cauſa Eccleſiæ tum quodam peculiari ſtudio ductus, vt videlicet Theſauraria Senonenſis & Archidiaconatus Pruuiacenſis, quæ in Eccleſia Senonenſi idem obtinebat Guillelmus, in ſuæ collationis arbitrium deuenirent, ipſum vt Eccleſiæ ſuæ, quæ eum vocabat, regimen ſuſciperet perſuaſionibus vrgentibus, mediante fratris inſtantia, compulit ac addixit.

Qualiter obtinuit à Rege priuilegium de regalibus Autiſſiodorenſis Eccleſiæ.

Electione igitur celebrata de ipſo ſexta feria poſt Purificationem Beatæ Mariæ anno Domini MCCVI. & per confirmationem Archiepiſcopi approbatâ, & per conſecrationem ipſius ad vltimum conſummata, ipſo conſecrationis die ad dominum Regem properat, qui per ſolemnes Eccleſiæ ſuæ Nuncios à tempore electionis factæ requiſitus, quæ decedenti Hugone occupauerat regalia, ei reſtituere detrectabat, immo & ſeruientes ipſius ab eo regalium cuſtodiæ deputati, circa Epiſcopalia valde perperam ſe habebant. Nam tanto vacationis tempore, & vſque tunc, facta fuerat per ipſos Epiſcopalium diſſipatio miſeranda, hominum emunctio violenta, ſyluarum à longis intactarum temporibus damnoſa valde diſtractio, dabantúrque hoſtili more omnia in direptionem & prædam, ita quòd breui in tempore fuiſſent in exterminium, niſi diuina diſpenſatio de paſtore maturiùs prouidiſſet Eccleſiæ. Suſceptus igitur benignè ſatis ſerenitate regali,

ab ea tecipit ſinc difficultate regalia, & de interceptionibus à tempore vacationis factis apud regiam magnificenriam interpellat, ac randem quorundam de primoribus regalis palatij interuentu controuerſia amicabili compoſitione ſopitur, dataque non modica pecuniæ quantitate ab Epiſcopo ſuper conceſſione regali facta Eccleſiæ de regalibus ſede vacante priuilegium obtinetur, cuius tenorem præſenti duximus inferre lectioni.

Tenor Priuilegij de Regalibus.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Philippus Dei gratia Francorum Rex, nouerint vniuerſi præſentes pariter & futuri, quòd nos intuitu diuinæ pietatis, & ob remedium animæ noſtræ, & parentum noſtrorum, damus & concedimus in perpetuum Eccleſiæ Autiſſiodorenſ. quidquid iuris habebamus in Regalibus ſede vacante. Itaque Decanus & Capitulum eiuſdem Eccleſiæ cuſtodient Regalia Sede vacante, & omnes prouentus qui exinde procedent, & præbendas, ſi quas interim vacare contigerit, ad opus Epiſcopi ſaluo ſeruitio noſtro, equitationis noſtræ, exercitus, & ſubmonitionis, ſicut Epiſcopi Autiſſiodorenſes nobis fecerunt. Quod vt perpetuum robur obtineat ſigilli noſtri authoritate & regij nominis charactere inferiùs annotato præſentem paginam confirmamus. Actum Pariſiis anno Domini MCCVI. Regni vero noſtri anno viceſimo ſexto, aſtantibus quorum nomina ſuppoſita ſunt & ſigna. Dapifero nullo. Signum Guidonis Buticularij. Signum Matthæi Camerarij. Signum Droconis Conſtabularij. Datum vacante Cancellaria per manum Guarini.

Qualiter ſe in Epiſcopatu habuit, & qualiter fuerit timoratus.

Sic igitur Pontificali locatus in Cathedra anno Domini MCCVI. in adminiſtratione ſuſcepta ſtrenuus fuit valde & prouidus, vt pote qui nihil agebat ex præcipiti, nec quidquam quod ſuis ſollicitudinibus ingereret faciendum, prodire ſinebat in actum, niſi prius multa fuiſſet deliberationis fornace decoctum. Id enim ab ineunti ſua ætate contraxerat deliberare diutius de agendis, in tantum, vt hoc ei plerique aſcriberent tarditati: nam quandoque licet rarò per nimiæ deliberationis inducias aliqua moræ longioris ſentiebant diſpendium, quæ commodius fuerant alicuius feſtinationis compendio maturanda. Erat itaque concilio circumſpectus, eloquio manſuetus, hoſpitalitate præcipuus, pauperum ſedulus diſpenſator, modeſtus in proſperis, longanimis in aduerſis, & patientiæ ſingularis, iuris ſui infatigabilis proſecutor, iuxta regulam Apoſtoli: *Domui ſuæ bene præpoſitus*, itaut domeſticis ſuis ſobriè & iuſtè & piè viuendi forma exiſteret & exemplum, timoratus adeo, vt ſicut hi plenius nouerant, qui in foro pœnitentiali de ſua conſcientia iudicabant, ita leuia plangeret, ac ſi grauia commiſiſſet, paſtoralem omnibus exhibebat affectum, in tantum vt cùm per ſuam equitaret Diœceſim, ad viros & mulieres vndecumque pro neceſſitatibus ſuis non ſolùm ſpiritualibus, verùm & temporalibus confluentes ad ipſum, gradum ſiſteret, gratam præſtans eis copiam colloquendi cum ipſo, ita quòd quandoque ſuis moleſtus exiſteret propter moram quam faciebat cum talibus longiorem.

Cuius affectionis in ciues.

Miræ affectionis in ciues, pro quorum protectione graues frequenter Heruei Comitis Niuernenſis ſuſtinuit ſimultates, dum eidem reſiſteret, ne viuente Comite Petro patre vxoris ſuæ, Matildis videlicet, ciuitatis dominium vſurparet: quod tanto amplius ambierat, quanto ſi fungeretur Comes prædictus, qui Conſtantinopolim ad recipiendum imperium quod vocabatur, profectus fuerat nomine vxoris ſuæ prædictæ in proprietatem ſuam ipſa debebat Antiſſiodor. ciuitas deuenire, ſed voti ſui compos eſſe non potuit idem Comes, donec ipſe Epiſcopus vrgente Romanæ ſedis authoritate ad Epiſcopatum fuit Pariſienſem tranſlatus.

Iuriſdictioni detraxit.

In iudiciis prout ei reuelabat Dominus ſemper via regia incedebat, nec vllo modo extra ſcienter declinabat ad dexteram vel ſiniſtram, facile tamen erat ei perſuadere rationibus, ſi qua obumbrare viderentur, quod propriæ fauor vtilitatis dictabat, vnde & Decanatum multùm oppreſſit. Nam cùm publica haberet aſſertio cauſas ciuitatis Autiſſiodorenſis ordinariè & primò loco ad iuriſdictionem pertinere Decani in tantum, quòd ſi aliqui de iuriſdictione ipſius in curia, vel in præſentia Epiſcopi in ius vocarentur quandoque niſi per appellationem, qui non fuiſſent in curia Decani conuenti, plerumque reuocabantur à Decano cognoſcendi ſibi ius vendicante, plerumque exceptione fori expoſita non cogebantur

vlterius

vlterius coram Epiſcopo vel eius Officiali vlterius experiri, & ipſe dum eſſet Decanus, vteretur hoc iure, factúſque Epiſcopus vti permiſerit ſucceſſores ſuos Decanos aliquandiu, tandem in his & alijs ad iuriſdictionem pertinentibus quam ſibi vendicabat Decanus, Decanatum cœpit Epiſcopus impugnare, & non ſolùm per ſe; ſed & per Officialem ſuum immediatè & abſque appellatione de cauſis cognoſcere ciuitatis, licet Archipreſbyteri, qui antiquitus locum Officialium obtinebant, nec adhuc cognoſcere valeant de cauſis eorum, qui ſunt de iuriſdictione Decani, & præ omnibus, qui ante ipſum Epiſcopis, Decanatus iuriſdictionem non modicum eneruauit. Hoc in ipſo præcipuum reperimus de imperfecto fragilitatis humanæ, quòd Iuriſdictionem ſuam & dominandi ius, prout poterat, extendere conabatur, & multum præeſſe volebat, non tam in manſuetudine, quàm in virga.

De mutua affectione eius & fratris ſui Manaſſæ.

Frater eius Manaſſes videlicet Senonen. & Autiſſiodorenſis Archidiaconus ei Comes indiuiduus adhærebat, nutúque ſuo & moderamine omnia agebantur, nec quidquam fiebat grande aut paruum, quod de conſilio eius non manaret: ſicque cum ſibi Epiſcopus præfecerat vt ſolo nomine maior eſſe, ſe ſeq; ambo eius conſilio exiſtimabant fœlices, ſi ſic eis indiuiduam retinere conſuetudinem licuiſſet: ſed diuina diſpenſationis prouidentia, quæ ſibi complacuerat in vtroque, ſicut iuniorem Autiſſiodor. Eccleſiæ præfecerat, ſic & maiorem, Manaſſem ſcilicet, infra breuis temporis ſpatium, ad Autiſſiodorenſis Cathedræ faſtigium ſublimauit, ac ne Aurelianenſe territorium de antiqua prærogatiua vlterius ſe iactaret quod duos olim fratres vno ventre & eiſdem lumbis editos, alterum Auſtrenum, videlicet Aurelianenſis Eccleſiæ, alterum Aunarium ſcilicet Autiſſiod. Pontifices de ſuo gremio tuliſſet Autiſſiodorenſe quoque territorium dominus eiuſdem priuilegij pari larꝑ celibau t. vt v ceuerſa duos itidem fratres daret, & ſi merito impares: quorum alter Manaſſes Aurelianenſi, alter verò Guillelmus Eccleſiæ Autiſſiodor. præeſſet, vterque de Autiſſiodorenſi territorio oriundus.

Qualiter frater eius Manaſſes electus fuit in Aurelianenſem Epiſcopum.

Is igitur Manaſſes, cùm in generali Synodo Senonenſi per ſolemnes Aurelianenſis Eccleſiæ Nuncios in Epiſcopum peteretur, facta de ipſo electione concordi, & ipſe renueret conſentire, Archiepiſcopo Petro, qui præſidebat in Synodo, ipſum vrgente eodem ſtudio & intuitu, quem circa fratrem ſuum Autiſſiod. Epiſcopum habuiſſe meminimus, coactus & abductus, in præfata Eccleſia onus regiminis Pontificalis accepit, reuocato propoſito, quod iam diu conceperat, vt videlicet reſignato Archidiaconatu Autiſſiod. Eccleſiæ ipſe contentus eſſet his, quæ in Senon. Eccleſia obtinebat, vitámque ibi quaſi priuatam ageret in quiete, niſi ſi quando cum fratris ſui Autiſſiod. Epiſcopi inde abſtraheret neceſſitas aut voluntas.

De his quæ geſſit Manaſſes in Epiſcopatu Aurelianenſi, & qualiter ſe ibi habuit.

Libet hic fraterni gratia conſortij & prærogatiuæ illius dilectionis, quæ inter eos ad finem vitæ vſque durauit obtentu, de geſtis huius Manaſſis pauca de multis perſtringere breuiter & ſummatim, vt qui de vno fratrum legerit, de reliquo penitus non ignoret. Is ergo iuuenili ætate ac leuitate decurſa, in qua dum nimis extitit humani cauſa fauoris profluus ſuæ ſubſtantiæ profligator ſibi fecerat nomen grande, tandem ex fratris conſortio & exemplo, qui ſemper modeſtus fuerat & maturus, omni leuitate depoſitâ, etiam ante Epiſcopatum, ſic veterem hominem cum actibus ſuis longe proſcripſerat, vt ſicut erat feruentiſſimi animi, fratrem ipſum præcedere videretur in nouitate ſpiritus, & virtutum exercitio ardentius ambulando, in Epiſcopatu verò tanta in eo lampas virtutum effulſit, vt in timore Domini permanens iuxta Apoſtoli verbum ad Timotheum ſcribentis, exerceret ſe ad pietatem præcipuè, ſibi parciſſimus, imò & ſeuerus potiùs, ſuis largus, pauperum totis viſceribus, totis viribus ſedulus diſpenſator, tanta auiditate & deſiderio circa ſubditos vt paſtoris curam vtiliter gereret æſtuabat, vt eo moriente didicerint ac defleuerint quid affectionis, quid conſilij, quid amiſerint conſolationis in ipſo.

Qualiter contra Regem & miniſtros eius iura Aurelianenſ. Eccleſiæ defendebat.

Multa conſtantia in Epiſcopatu aduerſa magnâ longanimitate euicit: nam contra Regem regaleſque miniſtros pro iure Eccleſiæ ſuæ frequenter & violenter decertauit, iura Epiſcopalia vſurpata ab eis à longo tempore multo labore, quoad

potuit reuocans, tum quoad nemora ſanctæ Crucis, in quibus præter alia Carbonarios, tam conſtanter quàm viriliter vendicauit, tum quoad alia conditionem Eccleſiæ multo reddidit meliorem.

De gemmis annulorum prædeceſſoris ſui quas reuocauit à Rege.

Multa conſtantia contra eundem Regem obtinuit ſibi gemmas de annulis prædeceſſoris ſui Hugonis, ſibi ab ipſo Rege aurum ſibi retinente reſtitui, ob conſeruationem priuilegiorum Eccleſiæ, qui vtique Rex quidquid in bonis eiuſdem Hugonis Epiſcopi ipſo decedente auri & argenti inuenerat, ſibi iure Regio vendicabat.

Qualiter Vaſſallos Aurelianenſis Eccleſiæ de ſeruitute exercituum Regalium pro parte liberauerit.

Vaſſallos Eccleſiæ Aurelianenſis, quos Rex in expeditionibus ſuis propriis eorum ſumptibus quaſi jam pro conſuetudine diu obtenta militare cogebat, non veritus propter illos cum Domino Rege de eorum iniuria diſceptare, in hanc libertatem eduxit, vt Epiſcopus in eiuſmodi expeditionibus ſuis habeat ſtipendiis quotquot voluerit de eiſdem, vnde & eorum iugum alleuatum eſt in immenſum, & Epiſcoporum conditio longè melior, quàm priùs exiſteret, eſt effecta: nam vocato ad expeditionem à Domino Rege Epiſcopo non defuerunt ei Vaſſalli ſui, qui ſe ei militaturos ne compellantur à Rege certatim, & magna ambitione offerant, qui magnis prius ſtipendiis & non ſine facultate ſolebat conducere alienos.

Qualiter recuperauit Priuilegium Eccleſiæ ſuper procuratoribus Regijs in terra Epiſcopali.

Idem poſt multos labores longámque ærumnam exilij, quod occaſione exercituum Regalium, in quibus ipſe & frater eius Guillelmus nullum niſi præſentem Regem ſequi voluerant, ambo ſuſtinuerunt conſtanter ruinam Eccleſiæ, in hoc humeros viriliter ſupponentes: priuilegium in graue Eccleſiæ ſuæ præiudicium per prædeceſſoris ſui Hugonis & Aurelianenſ. Capituli renunciationem amiſſum ſub annua præſtatione ſexaginta librarum pro procurationibus Regis in terra Epiſcopali ſub quodam pacis obtentu iterum obtinuit reformari.

Quanto periculo decimas lanarum in Archidiaconatu Sigaloniæ acquiſierit Presbyteris Parochialibus.

In Archidiaconatu Sigaloniæ aduerſus conſpirationem indigenarum contra ſe factam, conſtanter & inſuperabiliter deſudauit, qui ſcilicet indigenæ contra eum exciti propter lanarum decimas, ad quas ſuis ſoluendas Preſbyteris præter morem terræ illius, eos Eccleſiaſtica cenſura compellebat, in manu armata quaſi vir vnus conuenerant, & ipſum Epiſcopum in Caſtro quodam, in quo ſe receperat propter illos, obſederant nocte vna, nihil præter eius ſanguinem ſitientes, quorum rebellione fœliciter ſuperata, tandem cum grata ſibi ſatisfactione de iniuria, plene de decimis obtinuit pro Preſbyteris quod volebat.

De demolitione Fortericiæ de Ecri, & inſidijs Ioannis de Aurelianis & qualiter Pithueris ab eo captum recuperauit per Regem.

Ioannes de Aurelianis miles apud Egri villam ſuam Eſtrepatio videlicet villæ Epiſcopali conterminam Forteritiam erigebat, contra quem Epiſcopus tantò fortiùs ſe accinxit, quanto facta ſibi ab Epiſcopo noui operis nunciatione ille inſolentius quod propoſuerat ad perfectum perducere contra prohibitionem Epiſcopi conabatur, tandem propugnacula, & quidquid faciebat ad Forrericiam inuitum compulit demoliri poſt multas ſuas & ſuorum perpeſſas iniurias, & quandoque inſidias, quas quadam die dum iter Pithueris faceret, ſibi poſitas ab eodem non ex propoſito, ſed miraculosè euaſit, procurante Domino, vt ad cuiuſdam infirmantis viſitationem diuerteret extra viam, qui ſi tunc, vt credebatur, in eiuſdem Ioannis inſidias incidiſſet, nequaquam proculdubio mortis periculum euaſiſſet. Pithueris quoque nobile Caſtrum Aurelianenſis Eccleſiæ, quod ſub eadem tempeſtate vi armata ipſo Ioannes intrauerat proditiosè & ceperat, multo labore & inſtantia apud Regem, qui id diſſimulare videbatur, ab initio ægrè ferens, quod quotiens habebat aliquid aduerſus eum, Epiſcopus non verebatur ei in facie reſiſtere confidenter, tandem recuperauit, Ioanne non ſine confuſione eiecto.

Qualiter ipſum Ioannes & ſuos publicam agere pœnitentiam compulerit.

Ad vltimum eiuſdem & ſuorum inſanium edomuit ſuperbiam, quos taliter publicam ſubire pœnitentiam cum pecuniaria emendatione coëgit, hoc addito, quod ipſi ſedem Apoſtolicam pro abſolutione ſua nihilominus adierunt; quo nonimme-

rito cæteri terreri potuerunt, ne ſimilia contra eum attentarent. In Epiſcopatu illo tot agones, tot ærumnas, tot periculoſa diſcrimina conſtanter euicit, tanta propter Deum tabe corpus affecit quod illud quod de bono Germano dictum eſt ei poſſit vtrumque non inconuenienter aptari, videlicet ipſum inter tot cruces longum traxiſſe martyrium, vnum in ſumma dicere eſt de ipſo, quòd per duodecim annos vel amplius, quibus ſedit in Epiſcopatu prædicto, plus cœteris moderni temporis laborauit, & plus profecit.

De Palatio quod ædificauit apud Magdunum.

Apud Magdunum Caſtrum Epiſcopale, vbi Epiſcopus proprium non habebat, quod competens eſſet, domicilium magnæ nobilitatis extruxit, Palatium cum turribus & propugnaculis, præſidium videlicet municipii inexpugnabile & nobile Epiſcopi, cùm ad Caſtrum illud delegauerit manſionem.

De Pontibus Iargolij & Magduni.

Ibidem & apud Iargolium ſuper Ligerim lapideos pontes fecit, & quoniam *precioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*, de beato eius exitu paulisper tangamus. Cùm iam haud dubie properaret & irreuocabiliter ad exitum, admonitus à focijs, vt pro fratre ſuo Guillelmo mitteret, *ſinite* (inquit) *ſinite nihil mihi libet amplius intueri quàm ſolum Dominum meum Ieſum Chriſtum*, ſicque non conuocato fratre ab ipſo, vitam finiuit, qui tamen licet intempeſtiuè excitus à focijs; ad exequias feſtinus aduenit, & licet aſtantes vbertim in lachrymas ſoluerentur, & pauperes præcipue flentes & altis ſuſpiriis & queſtibus proclamantes ſe ſe vitæ ſuæ ſubſidia amiſiſſe, tunicas & veſtes quas eis fecerat oſtendentes, ille ſolus vultu immoto, ſiccis oculis, nulla conturbati animi ſigna gerens exterius intuebatur tanquã iam glorificati hominis, vultum fratris.

Qui caſualiter Aurelianum venerant pridie quam defungeretur non ad ipſum viſitandum, ſed ſuis ſpecialibus negotiis euocati.

Aderant Senonenſis & Turonenſis Archiepiſcopi & Epiſcopus Cœnomanenſis cum eodem, & ciuitatis, quæ illuc confluxerat, religioſorum, Canonicorum, aliorum Clericorum & Laïcorum permaxima multitudo, qui tanquam eis reuelatum eſſet diuinitus, quòd iam ad regionem ſupernorum ciuium euolaſſet, pedes, manus, & quidquid de ipſo tangere poterant, deuotis oſculis prolambebant, fœlicem ſe putabat qui de ipſo aliquid tetigiſſet, ſic tandem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum manibus tumulatus beato in Domino fine quieuit: ad cuius tumulum multa languidorum & male habentium confluxit frequentia & nonnullorum confluit vſque adhuc eius meritis præſtolantes à Domino langorum ſuorum recipere ſanitatem, ſed hæc tantiſper de ipſo dicta ſufficiant, nunc ad Guillelmum, cuius cœpimus texere hiſtoriam, reuertamur.

De ordinatione Lectoriæ & Succentoriæ in Eccleſia Autiſſ. & Scholaſtriæ.

Guillelmus igitur ſuccepti regiminis curam gerens ſtrenue ad Eccleſiarum ſtatum in melius promouendum efficaciter anhelabat, in maiori ſcilicet Cathedrali Eccleſia præter alia, quæ ibi prouide fecit, vel liberaliter contulit, Lectoriam & Succentoriam, per quas totum in legendo cantandóue ſeruitium diſpenſatur, nec non & Scholaſtriam, quæ antea ita tenues erant in prouentibus, & exiles, quòd non inueniebatur, qui onus reciperet ſine fructu, iure Conferendi ſibi ſuiſque ſucceſſoribus Epiſcopis retento de aſſenſu Capituli, gratis redditibus ampliauit; Scholaſtriæ circiter decem librarum, Lectoriæ & Succentoriæ præter antiqua ſtipendia fructus vnius Præbendæ cum minutis portionibus, quæ his omnibus conſentiente Capitulo deputauit aſſignans.

De Matriculariis.

Sacriſta prouidere tenetur & exhibere Clericum vnum Matricularium & alios, qui campanas pulſare, & ea, quæ ad officium ſuum pertinent, valeant exercere. Epiſcopus propter illos, inſtituit tres Matricularios, vnum videlicet Clericum, quem attitulauit altaris ſanctæ Crucis in eadem Eccleſia, vt ibi ſeruiret in officio Sacerdotis, medietatem beneficij eiuſdem altaris illi Matriculariæ perpetuo iure annectens, cum centum ſolidis in denariis Pentecoſtalibus de Varziaco percipiendis annuatim & duos laïcos quibus ſingulis decem libras in redditibus aſſignauit, ad quorum prædicta ſtipendia Eccleſia de Vermentone duodecim, Eccleſia de Berriaco octo libras ſoluere annuatim tenentur.

De diuiſione Feſtorum ſancti Alexandri & ſancti Bricij & feſtis Apoſtolorum.

Sanctorum Alexandri & Bricij feſta, quæ permixtim ſub quadam confuſione

fieri conſueuerant, ſeparatim ſtatuit celebrari, & Apoſtolorum feſta prout minoris erant obſeruantiæ, ſolemniùs ſolito cum maiorum campanarum pulſatione fieri ordinauit: Sacriſtæ pro luminaribus & aliis quæ ampliùs à feſto ſimplici, huiuſmodi ritus ſolemnitatem expoſcit, redditus competentes & ſibi gratos aſſignans, nec non & proceſſionem in vigilia B. Stephani hyemali poſt veſperas de Natiuitate ſolemnem ſingulis in cappis ſericis deferentibus accenſorum luminaria cereorum.

Qualiter ornauit Eccleſiam de Cruce & Calice aureo.

Ad ornatum Eccleſiæ pannum vnum ſericum valde bonum & magnum, & duo minora, pretioſa tamen, contulit ad ornatum altaris, antiphonarium quoque optimum in duobus voluminibus fieri fecit: Capitulo itidem alterum par ei in omnibus faciente, nouem inſuper marcas auri ad crucem & calicem aureum facienda, & annulos ſuos aureos pretioſos admodum, & tredecim libras Pariſienſes: ſed hæc moriens in ſumptibus contulit faciendis.

De emendatione Palatij Epiſcopalis.

Tecto palatij Pontificalis die feſto Paraſceues pro parte aliqua in ſuæ promotionis exordio, corruente, palatium ipſum multum nobiliori quàm ante recti ſtructura decorauit, & ad intromittendam lucem in palatium feneſtras pinnaculi magna intercapedine dilatauit, arcens flatus importunos ventorum, vitreatum perlucidarum obiectu; in præfata vero ruina quid miraculi contigerit dignum duximus ad notitiam tranſmittere poſterorum, vt per omnia beneficia diuina laudetur Deus.

De lapſu Palatij, & miraculo quod ibi contigit.

Die igitur feſto Paraſceues, erat ipſe ſolus in camera ſua ſuperiori, pſalmodiæ & orationi intentus, inferius in palatio maiori illi cameræ contiguo, vir quidam de Druia caſtro cum vxore ſua ad confitenda peccata & excipiendam ab Epiſcopo pœnitentiam expectabant, imminente iam hora tertia tranſitum illuc faciens Archidiaconus adibat Epiſcopum, eóſque ſibi aſſurgentes inuenit, & cognito cuius rei gratia expectabant, inſinuauit Epiſcopo, qui ſtatim eos accerſiti ad ſe mandauit vixque Palatium egreſſi fuerant, cum ecce in ea parte, in qua ſteterant pedes eorum, tectum Palatij corruit ſecum trahens lignorum & tegularum ingentia fragmina in ruinam, quæ pœnitentes prædictos penitus contriuiſſent, niſi virtus ſubueniſſet diuina, quæ donec diſceſſiſſent, ruinam continuit, quæ ſic de proximo pendebat futura. O mira pœnitentiæ virtus, quæ ſic diuinam continuit iuſtitiam vt jam morituros ſola Dei miſericordia de inſtantis mortis præcipitio liberaret: Soluitur Epiſcopus in lachrymas & ſtuporem, & inſpecta mortis imagine ex intimis cordis medullis in Dei laudes prorumpit, ad ruinæ fragorem concorrit turba, & de manifeſto miraculi ſpectaculo vniuerſi exultant Dei magnalia prædicantes.

De inſtitutione Præbendarum apud Apponiacum, Tociacum & Conadam.

Ad cultus ampliationem diuini in caſtris Epiſcopalibus Apponiaco videlicet Tociaco & Conada Canonicos inſtituit & Præbendas præter alia, quæ ad hoc contulit Parochiales Eccleſias cum ſuis prouentibus eiſdem deputans & aſſignans........ Amatoris & Canonicis Capellæ ſuæ de Trinitate....... Ipſi Capitulo Autiſſiodorenſi..... Eccleſiæ Beati Amatoris & Canonicis ſub regulari S. Satyri ibi degentibus diſciplina, locum de Boticem verſus Sanctum Saluatorem & Eccleſias de Alenſet, de Petroſio, & Capellam de Mota in Parochia de Cheuannis, Canonicis verò quatuor Capellæ ſuæ Autiſſiod. ſcilicet de Trinitate, decimam quandam apud Tociacum, quam propria eis comparauit pecunia, pia liberalitate conceſſit: dedit inſuper Capitulo Autiſſiod. quidquid eis deerat ad plenam decimarum bladi perceptionem in territorio de Creuenno, & hoc in opus quotidianæ partitionis de pane, quæ fit in Eccleſia his, qui interfuerint matutinis aut Miſſæ, ſeparata ab Eccleſia de Creuenno, cùm vacaret, portione, quam ibi Presbyter Eccleſiæ percipere conſueuerat, & Canonicis aſſignata, ſub quadam tamen recompenſatione ab eis facta Eccleſiæ memoratæ.

Qualiter procurauit recompenſationem factam Capitulo apud Oſiacum pro eo quod habebat apud Billiacum.

Sua quoque inſtantia & virtute factum eſt, quòd cum Comes Niuernenſ. Herueus in monte de Mures prope Billiacum, qui erat de fundo Autiſſiodor. Eccleſiæ, munitionem erigeret, & Canonici Autiſſiod. Comitis atrocitatem verentes remiſſius de iure ſuo diſceptarent cum eo, tandem interuentu ſuo & fratris ſui

Manaſſæ Aurelianen. Epiſcopi, de quo ſupra meminimus, Comes quidquid habebat apud Oſiacum Canonicis pro eo quod habebant apud Billiacum commutauit; exceptis decimis, quas ibi habebant Canonici, quæ in commutationem non potuerunt venire, ſed permanſerunt eiſdem, non modica vtilitas Eccleſiæ Autiſſiodorenſis accreuit.

De Abbatia de Cellis, & quid eidem Abbatiæ contulerit.

Nouellæ plantationi de Cellis contulit inter cætera domum de Foro Autiſſiodorenſi quæ fuit Iterij Borni militis, quam vtique de propria pecunia comparauit, & vnum modium frumenti & duos ſigali in grangia & redditibus de Brenchis annuatim, quam à Monachis de Charitate multa requiſiuit pecunia, & in ſuam proprietatem redegit.

Qualiter Brenchas & pertinentias eius contulit Hoſpitali de Appogniaco.

Eandem inſuper villam cum nemoribus & aliis appendiciis ſuis, & partem nemorum de Courum, quæ emit à Guillelmo Groſſo milite, Hoſpitali de Appogniaco in perpetuã eleemoſynam aſſignauit, ſaluo eo, quod ibi percipiunt, vt diximus, moniales de Cellis, quæ tamen omnia diſpoſuit, vt Andreas Autiſſiod. Archidiaconus quem nutrierat à primæuo ſub annuo canone teneret, quoad viueret, ſoluendo annuatim duobus Canonicis hoſpitalis prædicti, qui in Eccleſia de Brenchis parochiali iugiter deſeruirent, quibus etiam præter canonem illum & minutas decimas, & oblationes, & vniuerſos prouentus Eccleſiæ aſſignauit poſt deceſſum Archidiaconi totum in ſolidum poſſeſſuris, & propter hoc beneficia ampliaturis pauperum ſuſcipiendorum in Hoſpitali de Apogniaco ſupradicto.

De his quæ acquiſiuit Epiſcopatui Autiſſiodorenſi.

Acquiſiuit autem Epiſcopatui in ciuitate Autiſſiod. ligium homagium de Campo de Moreto & de omnibus, quæ apud Autiſſiodorum Milo Filonis miles tenuerat liberè in alodium: apud Varziacum ligium homagium ſimiliter omnium, quæ Guillelmus de Chanlemis miles poſſidebat, ibidem data ſibi propter hoc non modica pecuniæ quantitate, in quo tanto vtilius Eccleſiæ eſt prouiſum, quanto ne ea in manum fortiorem conferret Comitis videlicet Niuernenſis, vel potentis alterius, vnde municipio antedicto, vel ipſi Epiſcopo non parua poſſit oriri turbatio, non immeritò timebatur, quapropter dedit ei centum libras applicandas in feodi accrementum: apud Appogniacum ſimiliter inter cætera, partem decimæ emit centum libras Pruuinienſes, quam nobilis vir Guillelmus Comes Sacri Cæſaris ibi participabat, cum ipſo & aliis partem habentibus in eadem: apud Charbuiam eodem modo inter alia, quæ memoriter non tenemus, totam villæ iuriſdictionem in ſolidum acquiſiuit, de qua Epiſcopus iuxta quartam partem habere ſolebat, multa acquiſitionis ſuæ in Epiſcopatu aliter exciterunt, quæ memoriæ non occurrunt.

De feodo Malliaci, & Betriaci, & Turribus Sancti Saluatoris, & Caſtri noui ſibi traditis.

De Malliaco quoque & Bitriaco Caſtris vtique de feodo Autiſſiod. Eccleſiæ quæ Petrus Comes Autiſſiod in ius & feodum Comitiſſæ Campaniæ in præiudicium Eccleſiæ tranſcribere conabatur, confitens datis inde litteris ſuis, quod de hiſcidem Comitiſſæ feciſſet homagium, multis laboribus, & impenſis contra eundem Comitem ſub iudicibus à ſede Apoſtolica delegatis cauſam Eccleſiæ tanta eſt conſtantia proſecutus, quòd ad vltimum rem eo vſque perduxit, vt Comes eius Eccleſię recognoſcens, de vtroque ſpecialiter Epiſcopo faceret homagium manuale, ac iuxta tenorem cartarum Epiſcopalium ſuper hoc confectarum Caſtrum Malliaci ad beneplacitum Epiſcopi traderet mandato ipſius, Hugoni videlicet tunc Archidiacono, qui nomine Epiſcopi caſtrum ipſum recepit: Comitem quoque Herueum Niuernenſem, licet non ſine difficultate, ad hoc tamen pari ratione prudenter perduxit, vt ius Eccleſiæ confiteretur, & inde publicum conficeret inſtrumentum, quod Sancti Saluatoris, Caſtri noui, & Conadæ Turres Epiſcopo Autiſſiod. quoties vellet iuxta præmiſſarum cartarum tenorem, quæ idipſum determinant, reddere teneretur, ipſique ad libitum ſuum ad iuris Epiſcopalis declarationem quandoque tradi fecit turres Sancti Saluatoris, & Caſtri noui: claues quoque portarum ipſum incomparabilem iuris ſui poſſeſſionem inducens quod poſſeſſori ſuo facere non volebat, & qui vidit, perhibuit teſtimonium, & ſcimus quoniam verum eſt teſtimonium eius.

Quæ loca religioſa creata ſunt ſub eo in Autiſſiod. Diæceſi.

Huius ſanè temporibus in ſua Diœceſi creata ſunt loca religioſa, & ab ipſis habuerunt cunabulis incrementum, & de Spallo videlicet ſub regulari obſeruantia fratrum de Valle-Callium, licet eis non ſit ſubjectus in aliquo locus ille, & de Bello-loco, quod & de *Beaulartiz*, apud nos vſitatiori vocabulo nuncupatur, vbi fratres de ordine Cartuſienſ Domino famulantur, quæ vtique duo loca religioſa Comes Niuernenſis Herueus eorum fundator contulit & dotauit: tertius quoque locus nouella videlicet plantatio Abbatiæ de Cellis, propè Autiſſiodorum Monialibus de ordine Sancti Antonij Pariſienſis addictus.

Qualiter veterem Eccleſiæ Autiſſiodorenſis fabricam demoliri fecit, vt nouam conſtrueret.

Eodem tempore circa nouas Eccleſiarum ſtructuras paſſim feruebat deuotio populorum. Videns itaque Epiſcopus Eccleſiam ſuam Autiſſiod. ſtructuræ antiquæ minúſque compoſitæ ſquallore ac ſenio laborare, aliis circunquaque capita ſua extollentibus mira ſpecie vetuſtatis, eam diſpóſuit noua ſtructura, & ſtudioſo peritorum in arte cæmentaria artificio decorare, ne cæteris ſpecie ſtudióve penitus impar eſſet, eámque fecit à poſteriori parte funditus demoliri, vt diſpoſita antiquitatis veterana in elegantiorem iuueneſceret ſpeciem nouitatis: in cuius ſumptuoſis impendiis quanta largitione profluus extiterit enunciauit fabrica primi anni, quæ vltra ſperatum promota in immenſum extulit caput ſuum: quippè circiter ſeptingentas libras de proprio primo anno præter oblationes fidelium & præter iuriſdictionis ſuæ prouentus, quos ad hoc ab initio deputauit, in ſumptus eiuſdem operis erogauit; cæteris verò annis quandóque per hebdomadam decem libras, quandóque centum ſolidos ad minus præter præmiſſa & præter queſtas diœceſis ſuæ, ſiue diœceſium vicinarum.

De lapſu & miraculo Turrium.

Incidenter ſe narrandum hic ingerit ad contemplationem pietatis diuinæ illud poſteris tranſmittendum miraculum quod in veteris operis demolitione noſcitur contigiſſe; nam anno Domini cc. ſeptimo decimo, Dominica ante Aduentum, in honore Sanctiſſ. Trinitatis, diem agebamus ſolemnem: erant in Eccleſia veteri duæ turres altrinſecus altitudinis non modicę, & ſoliditatis immenſæ, vna meridionalis, altera Aquilonalis, infra ſe totam chori amplitudinem & Canonicorum ſedilia continentes. Hæ ſublato ſibi ob nouam fabricam veteris operis adminiculo, per quod ſolidè antea ſubſiſtebant ruinas agere cœperunt ſuæ continuitatis integritate modico prius hiatu ſolutâ, non tamen prouidebatur, quod tam feſtinam minarentur ruinam. In ſolemnitate igitur prælibata, ſolemniter, vt moris eſt in talibus, non ſolùm minores, ſed & maiores pulſabantur Campanæ, in quarum profecto concuſſione non immerito debere ruere timeretur, & vniuerſos pariter opprimere, qui eo die frequentius ad Eccleſiam conuenerant feſtiuitatis obtentu, ſi putarentur de proximo rituræ, turris tamen Meridionalis maiore ſolito pandebatur hiatu, quod intuentes quidam, de hoc cœperunt conferre ſermonem qui & ad Canonicos vſque peruenit. Vocatur magiſter operis imminente iam hora tertia, interrogatur ſi de lapſu Turrium eſſet præſentialiter metuendum, & ſi poſſet ſecurè conuentus ſub illis diuina officia celebrare: quo conſtanter affirmante timendum non eſſe, quidam de diſcipulis eius, qui præſens aderat, dixit, quod nec per horam ſecurum non eſſet manere ſub illis, quem obiurgare cœpit magiſter quaſi metum ſuperfluum intentantem Canonicis, trabes quaſdam oſtendens à turre ad turrem protendentes, quæ totam eorum machinam ne rueret continebant. Qui cùm inſtantius quæreretur de ſecuritate habenda, nihil niſi certum diceret, quaſi quęrentium importunitate deuictus, dixit nihil omnino certum dicere valeo ignorans quid pariant tempora futura; ad hęc verba quaſi quodam mentis præſagio, in hoc fuit conſona omnium ſententia vt peracta proceſſione quæ inſtabat, erat enim hora tertia in Eccleſia B. Mariæ, quæ de appendicijs Eccleſiæ majoris exiſtit, Miſſarum celebrarentur ſolemnia, quod factum eſt, nihilominus more ſolito, quaſi nihil timeretur ſolemniter omnes pulſabantur Campanæ, quarum pulſationibus quantum de humana ratione fuerat non niſi fortis machina reſtitiſſet, ſed dilata eſt ruina, vt & virtus diuina, quæ continere potuit, & benignitas quæ apparere voluit, in eorum caſu repentino euidentiùs appareret,

omni tunc concuſſione ceſſante. Portò loco diuina exequendi officia ſic tranſlato, tranſlati ſunt & libri qui in vſu quotidiano exiſtunt; omnibúſque, qui in armario turri meridionali ſuppoſito ſeruabantur, ac ſi ſtatim turres ruinam facere crederentur: Miſſarum ſolemniis expletis iam conuenerant Canonici ad prandium, cum ecce repentino fragore turris meridionalis concuſſa corruit in oppoſitam ſibi turrim eius baſibus penitus à parte interiori comminutis prolapſa.

De duobus adoleſcentibus qualiter miraculosè euaſerunt.

In quo caſu, vnum extitit præcipuum, dignúmque relatu miraculum, quòd adoleſcentes duo noui operis probitate illecti propè turrim conſiſtebant labentem, nouam fabricam continentes, quæ cum dehiſceret in ruinam, dum pericula vitare cupiunt, magis periculo ſe ſupponunt, viam quæ ſub ipſa turri labente patebat inſtantius relegentes; ſed diſpenſatio diuina, ruinam miraculo continuit quouſque fugiendo vitæ propriæ conſulerent in ſtatu, & vix in loco ſtationis tuto quidem, ſed adhuc ſuſpecto conſtiterant, quando turris cecidit ſupradicta: exciti fragore populi, fit concurſus, ſtabat adhuc & in ſolido ſubſiſtere videbatur turris Aquiloni obiecta, cùm ecce vix interiectæ dimidiæ horæ ſpatio ad terram procumbens totam molis ſuæ congeriem ei, quæ prius ceciderat, ſuperiecit.

Qualiter Dominus clementer & miraculosè ruinam diſtulit in horam opportunam.

In quo id diuini conſtat fuiſſe miraculi, quod cùm humanæ rationis irrefragabile eſſet argumentum, quod ſi ita de proximo turrium inſtaret ruina ad concuſſionem Campanarum & ſtrepitum, quibus iuxta ſolemnitatis exigentiam plus ſolito nocte ac die vexatæ fuerant & concuſſæ potius ruere debuiſſet, quod vtiquè ſine ſtrage permaxima fieri nequiuiſſet, virtus diuina ruinam miraculosè diſtulit ad tempus, horam prouidens opportunam, in qua omnibus abſentibus magis ſine læſione hominum & periculo fieri potuiſſet.

Quid penſandum fuerit in hac miſeratione diuina.

In quo & illud penſandum fuit, quanta miſeratione nos Dominus vocabat ad pœnitentiam, nolens mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat, qui de tanta mortis inſtantia nos licet indignos miſericorditer liberauit, ſuo tamen ſeruitio mancipatos qui etiam Campanas, de quibus nulli dubium videbatur, quin ſub tantæ molis ruina comminui deberent penitus & confringi, eadem miſeratione ſeruauit illæſas, in quo nihilominus liquidum fuit, quantæ pietatis viſceribus rationabilia complectatur, qui etiam inſenſatis rebus, ſed diuinis addictis vſibus, benignitatis ſuæ viſcera non negauit.

De Crucifixo & altari confratriæ.

Proſequamur adhuc diuinæ magnalia poteſtatis: erant in naui Eccleſiæ choro contigua altaria duo, dextrum Sancti Thomæ martyris, quod & de confratria dicebatur, eo quòd pro confratribus Eccleſiæ Miſſa ibi quotidie celebretur; ſiniſtrum verò Sanctæ Crucis, quæ etſi turribus à poſteriori parte pene contigua in partem tamen anteriorem Eccleſiæ amplius prominebant, erantque ſuper illa pulpita duo, in quorum altero feſtiuis diebus lectiones, in altero Euangelium legebatur: in eo pulpito quod erat ſuper altare Sanctę Crucis erat Crux quantitatis non paruæ veterem habens imaginem Crucifixi mortem Domini exprimentem, quæ à poſteriori parte pannum habebat ſericum ſibi protſus contiguum & adhærentem, ita vt Crucem tangeret vndequaque hunc pannum ruina turris Cruce vel imagine penitus illibata ita minutatim contriuit, quòd vix eius veſtigia remanerent, altari nihilominus ſuppoſito, & in anteriorem partem Eccleſiæ prominentiori, vt dictum eſt, adeò cōminuto, vt nullæ eius partes ſibi inuicem cohærerent, pulpito ſuperiori integro remanente; contra altare confratriæ, de quo ſuperius diximus, quod erat turri meridionali conterminum, nec minùs ei ſuſpecta videbatur ruina, incolume remanſit & integrum, pulpito, quod erat deſuper, diſſipato pro parte.

Quid penſandum in hoc miraculo.

Quâ in re penſandum fuit Dominum miraculosè ad excitandam deuotionem fidelium & ſuæ paſſionis effigiem, & locum vbi pro confratribus ſpecialiter diuina quotidie celebrantur myſteria, cæteris dirutis, conſeruare, quamuis in altare maius ruina prouenerit, frontémque eius, & latera multo aggere repleuerit, ei tamen fuit innoxia, excepto quod pannum ſericum precioſum quidem, quod ob diei ſolemnitatem in fronte ei fuerat antepoſitum, diſſipauit penitus & diſrupit, capſæ

quæ erant altari ſuppoſitę Sanctorum pignora continentes permanſerunt proſuſ inractæ.

De miraculo libri in quo legebatur ad Primam.

Liber, in quo legebatur ad primam Sanctorum Patrum regulam & Catalogum Sanctorum continens,& quidam alij libri ad Miſſam neceſſarij, cum arca, in qua reponebantur in medio Chori, ſub eadem ruina fuerunt oppreſſi: arca fuit penitus comminuta,libri circiter menſem vel amplius fuerunt ſub ruina imbribus expoſiti qui tunc hiemali tempore, vberius profluebant. Tandem remoto aggere, inuenta eſt arca minutatim confracta & libri aſſeribus integris in nullo ruinę vel pluuiarum ſenſiſſe diſpendia,niſi quod parum erant pulueris aſperſione fuſcati, qui tamen leui excuſſione diſceſſit? Quis in tanto miraculorum ſpectaculo non ſtupuit? quis ſe de tanta mortis ſeptum voragine conſiderans non expauit? Quis diuinæ virtutis magnalia,quibus potuit laudibus,non extulit? Quis pro tam manifeſta,conditoris clementia in gratiarum actiones cum lachrymis non prorupit? Ad remouendum aggerem Sacerdotũ dictæ plebis excitata feruebat deuotio. De vtraque vero turri ſuperſtat paries exterior ex ruina, is autem qui de turri meridionali remanſerat, fiſſuram fecerat & hiatum,qui ſemper inſtantem minabatur ruinam,nihilominus tamen plebs deuota, cætetivè mercede conducti circa remouendum aggerem deſudabant, nec obſtabat ſtudiis ruinæ periculum imminentis.

De miraculo eius qui ſuſtulit tunicam ſub ruina.

Die quadam cùm ad remouendam aggeris congeriem in ea parte , in qua fiſſus paries erat procliuior ad ruinam,vſque ad horam veſpertinam inſtantius laboraſſent, opúſque ferueret,pars illa parietis , quæ lapſum minabatur , cœpit repente diſſolui; quo viſo clamor oritur aſtantium , vt qui de ſubtus inſtabant operi, fugæ velociùs conſulerent,quibus fugientibus,vnus tunicam dimiſerat, ad quam tollendam omnibus , vt fugeret, clamantibus, eſt reuerſus;ſuſpenſa eſt ruina,diuina faciente virtute, quouſque ille tunicam ſuſtuliſſet,quę ingenti lapſa fragore extrema eius tangens veſtis , ſic innoxia cecidit ſuper aliam ruinæ congeriem vt nihil omnino ſecum traheret in ruinam. O ineffabilis diuinæ miſerationis bonitas,quæ ſic petituros ad pœnitentiam reſeruabat, & ad deuotionem cunctorum animos informabat, digreſſi ſumus paululum,ſed non abs re , quoniam opera Dei iuxta verbum Sapientis præclarum eſt enarrare, nunc ad ſtadium recurrentes ad ea, quæ reſtant,ſtylum reuertamus.

Qualiter tranſlatus eſt ad Eccleſiam Pariſienſem.

Guillelmus igitur, de quo nobis ſermo,cùm in Epiſcopatu Autiſſiod. quem ſtrenuè rexerat,annum iam ageret quartumdecimum,& poſt multos tam erga Heruęum Niuernenſem,quàm erga Petrum Autiſſiod. Comites, nec non & contra Dominum Regem agones feliciter ſuperatos poſſuiſſet omnia in tranquillo , complacuit in eo Domino ne ignauo torperet otio per quietem, ipſumque vacanti Pariſienſi Eccleſiæ, quę ſuo apud Damietam defungente paſtore, Petro videlicet, per eligendi ſciſſuram aliquandiu laborauerat,tandem præfecit tenitentem vtique & inuitum,& apud ſummum Pontificem Honorium ſupplicantem, quem propter hoc perſonaliter , ne cogeretur, adierat,non ſine magno corporis periculo imminentibus iam æſtiuis feruoribus circa natiuitatem Beati Ioannis,qui ſibi,vtpote attenuato & cholerico, & qui à calore facillimè pateretur,nimis contrarij exiſtebant , apud quem tamen non profecit quin compelleretur Pariſios tranſmigrare , vt ibi præeſſet eâ ſollicitudine ac vigilantia, quam ipſum in Autiſſiodorenſi Epiſcopatu habuiſſe conſtabat.

In quo ſtatu dimiſerit Epiſcopatum Autiſſiod. in diſceſſu ſuo.

Porro diſceſſurus Pariſios, Epiſcopatum Autiſſiod.in temporalibus ampliatum abundantem vtique & plenum abſque debitorum onere,factis melioribus eius conditionibus,tum quoad regalia, vt præmiſimus,tum quoad alia quamplurima dereliquit: Epiſcopalia domicilia omnia culcitris , fœno,variis vtenſilibus, & ſupellectili; torcularibus etiam,vaſis vinariis non paucis,vbi neceſſe erat,doliis ſcilicet, & cuppis capacitatis immenſæ abundanter referta. Capellas inſuper ſingulas libris, calicibus & veſtimentis plenè dimiſit ornatas.

De his quæ reliquit Eccleſiæ in receſſu.

Indumenta Epiſcopalia,quę ad vſum præcipuarum ſolemnitatum ſpecialiter reſeruabat, Mitram precioſiſſimam auro gemmiſque non paucis ornatam,quę margatitæ

ritę, ſiue perlæ, vſitata locutione vocantur; pelues duas argenteas, & inſuper deauratas, circiter octo marcarum in pondere, opere mirifico decoratas, cophinos mirę pulchritudinis & ornatus, aliáque huiuſmodi in vſus ſacros neceſſaria Eccleſiæ, vnde transferebatur, reliquit, & quod omni theſauro precinſius eſt cum quibuſdam aliis Sanctorum pignoribus digitum beati Protomartyris viſibilem cum vaſe argenteo miri decoris, quod à Conſtantinopoli fuit allatum, Crucémque auream permodicam, quam quædam proculdubio ligni dominicæ Crucis particula viſibiliter in auro concluſa ſuper aurum & topazion efficit precioſam.

De domibus ſuis de porta pendenti, & Cruce, & Calice aureo.

Capitulo domos nobiles, quas habebat portæ pendenti contiguas cum pertinentiis ſuis, & vineam, quam totam de nouo replantauerat in territorio Sancti Geruaſij, eidem annexam domui, eadem liberalitate conceſſit; vt qui ea tenuerit in anniuerſario ſuo Canonicis & Clericis de Choro centum ſolidos annuatim exoluere teneatur; dedit prætetea illas nouem marcas auri ad Crucem & Calicem faciendum, de quibus fecimus ſuperius mentionem.

De his quæ reliquit ſucceſſori ſuo Epiſcopo Autiſſiodorenſi.

Succeſſori ſuo in omnibus domiciliis Epiſcopalibus fœnum in abundantia, domóſque vtenſilibus ac ſupellectili, quemadmodum prælibauimus, diuerſa munitas, vinúmque illius anni in vniuerſo & partem talliarum non modicam dereliquit.

De his quæ contulit ad fabricam Eccleſiæ Autiſſ. in receſſu ſuo per totum annum.

Ad fabricam Eccleſiæ partem aſſignauit aliquam talliatum in cuius impendia ſingulis hebdomadis centum ſolidos dedit ad minus per annum integrum poſt diſceſſum, ſed quid latius in talibus immoramur, & tendimus in longum membranas, dum ſingula conamur vel breuiter delibate: in ſumma dicere poſſumus, nudam paſtore Eccleſiam ferè nudus reliquit.

Quod noluit præiudicare Capitulo, vt cum eius conſilio fieret electio ſucceſſoris Autiſſiodorenſis.

Illud quoque non arbitramur prætereunter ſilendum, quòd cùm ſedem Apoſtolicam perſonaliter adiiſſet pro obtinenda licentia, vt in Autiſſiodorenſi Eccleſia remaneret, nec ad aliam transferretur, & non profeciſſet ſupplicando, reſpuit profectò quod ei Romana concedere volebat authoritas, videlicet cum eius conſilio in Autiſſiod. Eccleſia fieret electio ſucceſſoris, nolens vt Capitulum libertate eligendi abſoluta in aliquo priuaretur.

Quantis fuerit diſpendij Eccleſiæ & Ciuitati Autiſſiod. ipſum diſceſſiſſe, & quæ mala contigerunt Eccleſiæ poſt eius diſceſſum.

Quantum autem ipſo diſcedente amiſerit, non ſolum Eccleſia, ſed & ciuitas vniuerſa, patuit in diſceſſu: nam & ciuitatem & Eccleſiam inuenerunt mala multa tanquam ſui liberatorem Othoniel videlicet amiſiſſent; Comes enim Herueus, vir quidem oppreſſor hominũ, & crudelitate formidabilis, qui in ipſo Epiſcopatu Autiſſiod. præſidente, & ipſi in facie reſiſtente aſpirans frequenter ad huiuſmodi non profecerat, ipſo adhuc in Romano itinere laborante, eum de eius tranſlatione certiſſimè per nuntios cognouiſſet, vi armata ciuitatem Autiſſiod. non audentibus reſiſtere ciuibus occupauit, & in ſuam ditionem redegit, cum de morte Comitis Petri qui in captione à Comneno in partibus Græciæ, vt prædiximus, tenebatur, nihil adhuc pro certo conſtaret, qui cum proficiſci deberet Conſtantinopolim, Epiſcopo recommendauerat ciuitatem cuius Heruei ingreſſus tanto omnibus erat ſuſpectior, quanto ille atrocior habebatur. Is poſt diſceſſum Willelmi prædicti in vnum hominem Epiſcopatus qui Autiſſiodoro ad villam Epiſcopalem Giacum videlicet cum multis aliis qui tempore eiuſdem Guillelmi illò demigrauerant, tranſierat ad manendum, ſuæ primordia tyrannidis exercuit, quẽ clanculo captum & abductum tandem reſtituit; ſed ipſa nocte, qua redditus fuit apud Geiacũ permanere non eſt auſus, ſed Autiſſiodorũ ſub iuſtitia Comitis eſt reuerſus; ad cuius exemplum cæteri qui apud Giacum ſub Epiſcopo tranſierant, Autiſſiodorũ redierunt, licet eiues metu Comitis diffugerẽt de ciuitate eadem: hominem quendam Capituli clã abductum ſimiliter clam emũxit qui reſtitutus ab eo nunquam palam de ſua emunctione etiam iuramento aſtrictus auſus eſt confiteri: multa fecit & alia huiuſmodi opportunitatem nactus Eccleſiæ quæ diſcedenti Guillelmo Pariſios in ſuæ virtutis robore ſolida non manebat, eodem quoque tempore non ſolùm ab eo, quoniam poſt modicum migrauit à corpore;

verùm à circumiacentibus multa paſſa eſt Eccleſia, ſubſtracta ſibi velut columna, quæ totum continebat ædificium, Epiſcopo ſupradicto. Nam Regnaudus Rungefer, miles non magnæ quidem potentiæ, diſſimulantibus principibus, qui habebant tueri Eccleſiam, ſucceſſorem ipſius Henricum magnæ quidem benignitatis & ſimplicitatis virum atrocius infeſtauit qui proprium eius Clericum cuſtodem vtique domorum Epiſcopalium de Varziaco capiens & inhoneſtè pertractans, diu in captione detentum, homines quoque prædaſque terræ Epiſcopalis abducens, caſtrum ipſum Varziacum videlicet violenter effregit, & damnificauit Epiſcopatum in quingentis libris, & amplius factus audacior ad inermes, nemine defendente; eadem tempeſtate miles quidam Gregorius & cuius pater in genere ſuo primus de ignobili cingulum acceperat militare, Petrus ſcilicet de Brullato, Decanum cepit Eccleſiæ & vltra Ararim in Bufreſiam videlicet extra regni fines vſque ad........productum diu tenuit carcerali cuſtodiæ mancipatum: Quidam etiam malefici de nocte armati clauſtri & Eccleſiæ immunitate effracta Canonicos & Clericos qui ad matutinale officium conuenerant, per Eccleſiam eductis gladiis fugauerunt, vnum ex eis quem vulnerauerunt, altero equorum pedibus conculcato, ipſam ſanguine prophanantes, nec minus equorum fimo fœdantes, nec dabatur miſeris requies, quum vel à nobilibus viris Drogone de Meloto, Stephano de Baſſo, Domino de Arſeio, aliis nihilominus militibus ſiue armigeris circunquaque quos aut priuata malitia, aut præſumptuoſa temeritas, aut auara paupertas excitabat, non ſolum ad prædas, immo etiam plerumque ad cædes, oppreſſiones fierent hominum Eccleſiæ, aut irruptiones villarum, & non erat auxiliator.

De his quæ geſsit in Epiſcopatu Pariſienſi.

Nunc de his quæ geſſit Pariſiis Guillelmus prædictus, pauca, quæ nobis occurrunt de multis, breuiter perſtringamus: eadem longanimitate & conſtantia, quâ frater eius Manaſſes Aurelianenſis Epiſcopus, de quo prædiximus, aduerſus Regem Regaléſque miniſtros Eccleſię iura proſequens, controuerſias quæ vſque tunc metu regio per Epiſcoporum diſſimulationem remanſerant indeciſæ, tum quod ius quoddam, quod Eccleſia in Caſtellulo Regis de paruo ponte ſcilicet habere debebat, tum ſuper halis apud Campellos à Domino Rege factis, tum ſuper iuſtitia & menſuris de territorio quodam apud ſanctum Victorem quod feodum clauſum Brunelli dicitur ad concordem concordantiam per compoſitionem redegit, cuius obtentu, Rex Philippus, qui tunc agebat in ſceptris, redditus annuales viginti librarum Pariſienſis monetæ Epiſcopo eiúſque ſucceſſoribus & centum ſolidos Capitulo in perpetuum aſſignauit; ſic igitur procurante iura regni ac Sacerdotij diſtincta per compoſitionem initam. Regali & Epiſcopali inſtrumento, & Capituli etiam inde confecto, vt ſuper præteritis vſque ad illum diem non poſſit iterum controuerſia ſuboriri: quorundam Scholarium ſicariorum, qui de nocte incedentes armati raptus, adulteria committentes, & furta, & cædes plerumque, vel flagitia, pacémque non ſolùm ſcholarium & ſecuritatem, ſed & ciuium ipſorum turbant, ſic exterminauit de villa, vt quoſdam quaſi huiuſmodi præcipuos ſicariorum in carcerem præcipuum retruſerit, quoſdam exterminauerit, pacémque ac ſecuritatem toti à talibus reddiderit ciuitati: Cui non ſolùm noctes, ſed & dies ipſi valdè erant ſuſpecti. Multa geſſit in Epiſcopatu præclara ac perpetua digna memoria, quæ vel vobis ignota relinquimus, vel propter legendi faſtidium ſubticemus, nunc de beato eius exitu quoad noſtram peruenit notitiam, diſſeramus.

De beato eius exitu.

Is cùm Pariſienſi Cathedræ tribus annis & ferè dimidio bene & laudabiliter præfuiſſet, & tranquilla omnia ferè, excepta cauſa ſcholarium, qui iuriſdictioni Eccleſiæ ſuæ & Cancellarij in quibuſdam ſe emancipare volebant, quædam ſibimetipſis authoritate propria ſtatuta condentes, ac ſibi ius condendi huiuſmodi in præiudicium Epiſcopi & Cancellarij, vt credebat Epiſcopus, attribuere laborantes, chronica tandem quartanæ fractus valetudine, ex quo frater ſuus Manaſſes ſæpè dictus de hac vita migrauerat, demum cùm iam conualuiſſe videretur de quartana, febre correptus continua, licet lenta, domui ſuæ diſpoſuit, veluti illa ægritudine conſummandus, vocatiſque pridie quàm

defungeretur maioribus de Capitulo ſuo apud ſanctum Clodoaldum villam Epiſcopalem, vbi decumbebat infirmus, viriſque religioſis, Abbate videlicet Sancti Victoris Domino Radulpho de Hoſpitali, ſociiſque aſtantibus mortis ſuæ diem prædixit, & apud Pontiniacum locum Ciſtercienſis Ordinis, vt ad maiores ſuos, qui ibi tanquam loci fundatores dormiunt, ſe tumulari præcepit. ac ſequenti de diuinis omnes qui aderant informans & eloquiis, ſeque eorum orationibus recommendans, Canonicos etiam præſentes Eccleſiæ Pariſienſ. ſedulo ad concordem electionem exhortans, colloquendo, inter manus religioſorum extremum emiſit Spiritum, vt de die, mortis ſuæ prædicentis veritas probaretur, ſicque apud Pontiniacum, prout præceperat, deportatus & tumulatus in Capella B. Thomæ Martyris ante principale altare beato in Domino fine quieuit. Mortuus eſt autem in feſto B Clementi apud Sanctum Clodoaldum, de quo iam ſupra diximus, anno Domini milleſimo ccxxiii. regnante Ludouico circa initia regni ſui: ſedit verò in Epiſcopatu Autiſſiod circiter tredecim annos & dimidium, Pariſiis verò circiter tres annos & dimidium ferè ſub Romanis Pontificibus Innocentio III. & Honorio III regnantibus in Francia Philippo & Ludouico, de quo ſuperius fecimus mentionem. Explicit de Guillelmo.

CAPVT LX. De Henrico qui fuit oriundus de Pago, qui dicitur Villanova, in Pariſienſi Dioecesi.

Huic ſucceſſit Henricus de Pago, qui Villa noua dicitur, in Pariſienſi Diœceſi oriundus, qui priùs Cantor Autiſſiodor. Eccleſiæ, poſtea per illam electionis formam, quæ à Iure compromiſſio dicitur, Pontificalem Cathedram adeptus eſt, quem mediocrem genere nec inflauit nobilitas, nec vilitas abiecit, in quo licet virtus manſuetudinis à pleriſque diceretur modum excedere, iura tamen Epiſcopatus rigore iuſtitiæ ſic illæſa ſeruauit, vt tyranni, qui ea ſibi vſurpari conſueuerant, ea compellerentur reſtituere, & à ſuæ tyrannidis violentia ceſſare. Iſte eſt qui munitionem Caſtro, quod Varziacum dicitur, præiudicialem à viro potente, nobili atque Eccleſiæ Autiſſiodotenſi inimico Galchero de Puigniaco, acerrimo perſecutore, in loco, cui Becherellum vocabulum eſt, ædificatam fecit deſtrui, & non ſine ſui & ſuorum grandi periculo funditus euerti, cuius temporibus panis vnicus ſeruitoribus beati Protomartyris diſtribuebatur, ſed ipſe de propriis facultatibus, ſecundum addidit: inſuper & mille libras Pariſienſes Eccleſiæ in extremo contulit teſtamento. Hic Eccleſiam Beati Protomartyris donariis ampliauit, corda Canonicorum, in ſuum fauorem manſuetudine inclinauit, inimicos Eccleſiæ ad concordiam reduxit, & poſt curſum vitæ præſentis, in pace in idipſum dormiuit & requieuit, hic in loco qui Pulcher redditus dicitur, morbo ſquinanciæ labores præſentis militiæ conſūmauit, dormiuítque cum patribus ſuis ſenex & plenus dierum, qui in Eccleſia B. Protomartyris ſepultus beatam expectat Sanctorum reſurrectionem, brauium, ad quod cucurrerat, vt comprehenderet, percepturus, ſedit annis xiii. menſibus quatuor.

CAPVT LXI. De Bernardo de Soiliaco.

Supradictis Patribus Bernardus de Soiliaco, vir eximiæ ſanctitatis ſucceſſit, qui & multos prædeceſſorum ſancta ſimplicitate & ſimplici ſanctitate præceſſit, qui cùm generis nobilitate polleret, morum tamen præcellens nobilitas ſic eam pallio humilitatis obtexit, vt ſecūdùm Apoſtolū non alta ſaperet, ſed humilibus cōſentiret, cuius veneranda canities, vultus ſerenitas, verecundus aſpectus, ordinatus inceſſus, ſermonis modeſtia, caſta conuerſatio, menſæ frugalitas, argumenta virtutis interius redundantis efficaciſſima miniſtrabant; & quia lucerna ſub modio abſcondi non debuit, ſed ſuper candelabrum poni, vt ingredientibus domum lumen refunderet, primò à ſupradicto venerabili Patre Hugone de Noëriis Autiſſiod Antiſtite præbendale beneficium in Autiſſiod. Eccleſia conſecutus eſt, vbi Sacerdos effectus adeò ſe diuinis officiis mancipauit, quòd ſicut ipſi propriis oculis vidimus, diu noctúque vix vnica hora prætetiit, qua non per eius labia deuotè tranſiret, excepto quòd feſtiuis diebus populis ad eius ſermones manicantibus ſacræ fluenta doctrinæ deuotiſſimè atque copioſiſſimè influebat, vt ſtigmata Domini iugiter in ſuo corpore portaret, ieiu-

niis & orationibus inſiſtebat, cilicio ſemper intrinſecus inhærente: Cæterùm vt hic non manentem ciuitatem habere, ſed futuram inquirere demonſtraret; & cum Apoſtolo experiretur pericula fluminum & latronum, cæterorúmque duodecim incommodorum, quæ Apoſtolus ad Corinthios loquens ſe expertum fuiſſe commemorat, Hieroſolymam petiit, vbi tanta lucerna abſcondi non potuit, imò ſanctitatis eius in illis partibus adeò radij effulſerunt, vt in Nazarenum Archiepiſcopum eligeretur, & cunctis aliis etiam ſanctitate præclaris præferretur: ſed ſublimitatem paruipendens humilitas in ſe conuerſa, plus elegit modicitatem ſeruare, quàm in ſublimitatis periculis pendere, itaque reuerſus ad propria & ſeipſo ſemper melior effectus in Autiſſiodorenſem Archidiaconatum promotus eſt, vbi tanta ſollicitudine animas curandas ſuſcepit, quod attendens de paſcendis Agnis & ouibus ter Petro repetitum mandatum pauit eas doctrina, exemplo, atque ſubſidio temporali, quibus iugiter inſiſtens die noctúque, æſtu vrebatur & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis eius. Igitur Henrico tunc temporis Eccleſiæ Autiſſiodorenſis Antiſtite viam vniuerſæ carnis ingreſſo, & ad prouidendum Eccleſiæ de Paſtore inuocata Spiritus Sancti gratia electoribus congregatis, mira res accidit, & noſtris temporibus in Gallicanis Eccleſiis inaudita; nam multitudinis electorum adeò cor vnum & anima fuit, vt omnes vno ſpiritu conclamarent Archidiaconum debere præfici, quem Dominus prærogatiua donauerat ſanctitatis. Cunctorum igitur in ipſum concurrentibus votis, inuitus rapitur, repugnans trahitur, noléńſque cogitur conſentire. A tempore autem illo, quo in Epiſcopum conſecratus eſt, carnem ſuam tantâ auſteritate damnauit, quod feriis ſecunda, quarta, ſexta, & ſeptima eſcis quadrageſimalibus eius ieiunia ſoluerentur, niſi fortè labor aut infirmitas aliquid lautius indulgeret: tanta verò ad Chriſti pauperes erat eius affectio, vt ſecundùm doctrinam Tobiæ, quo modo potuit, ſemper fuit miſertus. Cùm enim ei adfuit multum, abundanter tribuit: cùm autem modicum, & illud miſericorditer ſtuduit impertiri: nos enim ipſi experimento frequenter didicimus quòd ſibi menſæque ſuæ ſodalibus frequenter ſubſtraxit, vnde pauperum eſuries leuaretur. Ipſo audiente atque patienter ſuſtinente murmurabant ſeruientes, murmurabant & ſocij pro deliciarum defectu, & menſæ diuitis parcitate; ſed illæſa conſcientia erga diuites parcitati inſiſtens, minus graue ſuſtinuit ab eis de auaritia notari, quàm in iudicio pauperum querimonias ſuſtinere, niſi eis ſecundùm doctrinam Euangelicam, quod ſupereſt, in eleemoſynam contuliſſet: adeò etiam vana mundi gloria ei extitit odioſa, quòd ſicut à fide dignis pauperibus plenè perpendimus, illis, quibus largiebatur eleemoſynas, ne cui dicerent, inhibebat. Eccleſiam verò beati Protomartyris tanto fauore proſecutus eſt, quòd eam luminaribus atque omnium ornamentorum genere ampliauit: inſuper auxit & redditus Canonicis & Clericis horis matutinalibus diuidendos, cæterùm ſic viæ eius Deo placuerunt, quòd inimicos eius ad tantam pacem reduxit, vt profiterentur tyranni, qui prædeceſſorum eius temporibus terram Epiſcopatus inuaſerant, frequenter ſe ideò ab inuaſionibus ceſſare, ne ſi ipſum offenderent, Deus in ipſos continuò viſibiliter vindicaret. Cuius fama ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus ad aures illuſtriſſimi Regis Franciæ Ludouici adeò ſpirauerat, vt præ cæteris prælatis ipſum familiarem haberet, & ſimplicitati eius dulcior arrideret, & eius negotia propenſiùs expediri imperaret. Verùm cùm eum grauius ſolito infeſtare cœpiſſent ſenectutis incommoda, & iugis tibiarum infirmitas, quæ à medicis malum mortuum nuncupatur, eum affligeret, timens ne cum iſtis oneribus Epiſcopatus onera ſufficienter ferre non poſſet, licet ſicut ex ipſius Regis ore frequenter audiuimus, Rex eidem promitteret, quòd Epiſcopatus iura tanquam propria tueretur, nihilominus ab Innocentio Romanæ ſedis Antiſtite inſtanter petiit, & cum difficultate magna obtinuit vt ab eo, quo Eccleſiæ Autiſſiodorenſi aſtrictus fuerat, vinculo ſolueretur. Quo facto omnis temporalium ſollicitudo abijcitur, & totum ſpiritum in ſeipſum reflectens, ſolius conſcientiæ curam geſſit. Cuius quies ſola contemplatio, cuius confabulatio iugis oratio, & cum viris religione famoſis, continuus de ſancta conuerſatione tractatus: Quid plura? prædictæ infirmitatis atque ſenectutis incommodis febris adijcitur, proſternitur corpus in lectulum, offerunt medici

naturæ contra morbos remedia, quibus rarò & paucis vtitur, & his ſolis quibus eum vti fratres Prædicatores & Minores, qui aſſiſtebant eidem, cum magna violentia compulerunt: Tandem cùm poſt prolixum cum ſupradictis fratribus de ſancta religione tractatum aliquantulum pauſaſſet, vt eum crede̅tent aſtantes dormire, pretioſam reſolutus eſt in mortem, ea ſerenitate Deo ſpiritum reddidit, vt omnibus membris quietus, vultu ſerenus, nullius omnino doloris inſignia in extremo mortis articulo indicatet, & qui in infirmitate ſpoliari renuerat, mortuus ſpoliatur: amouetur hærens carni cilicium, quod tanta pediculorum ac vermium ſcatebat copiâ, vt horrorem aſpectui & fœtorem olfactui inferret immenſum, cuius caro vermibus corroſa oſſium per loca nudum præbebat aſpectum. Igitur Pontificalibus gleba ſancta induitur, feretróque imponitur, atque à loco, qui Pulcher reditus dicitur, vbi mortem perdiderat, & vitam inuenerat, ad Eccleſiam Autiſſiodorenſ. vbi ſepulturam elegerat, defertur. Occurrit ei deuotus ciuitatis Clerus cum populo, ruit in occurſum eius turba indiſcretæ ætatis & ſexus, & certatim feretrum tangere cupiunt: ſe prærogatiua quadam cæteris præferebant, qui manu feretrum tetigiſſent, vel ſericis, quibus tegebatur, oſculum dediſſent: Diuinis igitur celebratis exequiis Canonici & Clerici adipſum concurrunt, & quotquot contigit prætintrare, ſacræ glebæ pedes manus aut faciem oſculantur, nec ideo vt in funeribus cæteris moris eſt, Deo & ſanctis Angelis animam recommendant, ſed precibus deuotis flagitant, vt apud diuinam, cui deuotè ſeruiuit, clementiam, eis ipſius merita ſuffragentur. Dormiuit autem cum patribus ſuis prædictus pater anno Domini MCCXLIV. menſe Ianuar. die, VI. menſis, ſedit annis nouem.

Præſul Bernardus mala ſemper ad omnia tardus,
Sic viuens domuit cum carne & dæmone mundum,
Quòd moriens meruit Chriſto ſe reddere mundum.
Anno milleno bis centeno quadrageno
Quarto: Sanctorum migrauit luce Magorum.

CAPVT LXII. De Regnavdo de Siligniaco.

Hvic ſucceſſit Reginaldus de Siligniaco, priùs Eccleſiæ Autiſſiodorenſ. Decanus, poſtea per illam electionis formam, quæ à iure ſcrutinium nuncupatur, in Epiſcopum promotus, vir quidem corporis ſtatura procerus, candidus & rubicundus, & pulchritudine corporali electus ex millibus, cui generis nobilitate ſublimi ſecundùm exigentiam nobilitatis generis datum eſt cor ſublime & nobile: nam Clericorum nobilium, nec non & militum frequentiam diligebat, & larga manu, prout nobilitatem eius decebat, eis exenia erogabat. Hic Eccleſiæ Autiſſiodor. ſe magna pollicebatur facturum, ſed eius fœlicitati fatis inuidentibus, ſicut flos fœni citò decor eius emarcuit, & eius gloriam ſuccidit Dominus, dum adhuc orditetur: ab ipſo enim ſuæ promotionis die adeò grauis eum afflixit infirmitas, vt nec Eccleſiæ ſuæ liceret eum vacare vtilitatibus, ſed eis ſolis de medicorum conſilio date operam oportebat, quibus eius infirmitas leuaretur: dormiuit autem & appoſitus eſt ad patres ſuos in Cœnobio de Rupibus Autiſſiodor. Diœceſis honorificè ſepultus, vbi ſuam elegerat ſepulturam: Sedit anno I. menſibus XI. diebus XVI.

CAPVT LXIII. Acta Domini Gvidonis de Melloto Episcopi Avtissiodorensis.

Recolendæ memoriæ ſucceſſit Epiſcopus Guido de Melloto, cuius geſta tanto ſeduliorem ſibi vendicant auditorem, quanto altiora & actu nobiliora fuiſſe noſcuntur. Fuit enim de Diœceſi Autiſſiodor. ex vtroque parente generoſo ſanguine procreatus; pater eius fuit Guillelmus de Melloto miles dominus Caſtri ſancti Priſci huius Diœceſis, vir totius curialitatis & largitatis amator, menſæ propriæ communicator hilaris, pauperum nobilium ſuſtentator, qui etiam ſicut fertur, acquiſito cognomine ex rei conſonantia & quadam proprietate boni à pleriſque Pacis-baiulus vocabatur. Nam quoties inter aliquos confines ſuos diſ-

cordiam exortam cognouerat, toto niſu ad pacis reformationem intendens, laborem interponere non ceſſabat, donec diſcordes, ſi poſſet, ad concordiam reuocaſſet. Mater eius de proſapia dominorum Montis Sancti Ioannis traxit originem & antiquæ nobilitatis ſtemmate fuit non inferior viro ſuo. Horum itaque natus præſul, de quo loquimur, à pueritia ludo literarum traditus ſic profecit, quòd primo in fundamento Grammaticæ radicatus liberalium artium fuit auditor proficuus, ac deinde vtriuſque Iuris Canonici videlicet & Ciuilis acquiſita notitia, Sacræ Paginæ poſtmodum, quotiens licuit, diligens exiſtit reuolutor. Sed eius propoſitum in hac parte negotiorum Eccleſiaſticorum occupatio frequentiùs impediuit, in adoleſcentis quippe moribus & dogmatibus ſe exornans ſpretis laſciuiis, membris incultis, & incomptis crinibus, compoſitione corporis, ſicut mos eſt nobilium iuuenum; non vacabat. Quamobrem patri minus charus inter liberos habebatur: ſed altiſſimi diſpoſitio, qui ſibi eum reſeruabat futurum antiſtitem, decultum eius adeò proceſſu temporis exornauit, quòd filius ſapiens patris gloria mutato nomine filij à patre, pater & dominus habitus eſt, & quaſi incuruati ſunt coram eo filij matris ſuæ: erat enim vir ſtatura procerus, corpore benecompoſitus, corde magnanimus, Eccleſiaſticæ rei augmentator induſtrius, prouidus diſpenſator publicæ vtilitatis, & plebis tutator indefeſſus, in ſermone modeſtus, in oratione deuotus, in altari Angelicus, cuius cantus melodicè reboans, velut tuba ſonora, replebat aulam Dei, & ſpiritibus dulciſonis animos audientium delectabat, nec minor conſilio in concilijs & collegijs prælatorum corporali venuſtate cæteris præeminens, venerando geſtu & imperioſo quodammodo prædominari videbatur aſpectu, ſi quid autem incumbebat iudiciali diſceptandum examine coram ipſo, ſeu aliud ordinandum perſuaſionibus & rationibus facilem ac ſedulum præbebat auditum, & audita diiudicante reuoluens animo, libranſque omnia, nihil ex præcipiti faciebat. Vnde hunc ab ipſis diſcretionis ſuæ primordijs morem contraxerat, vt agenda ſua tantâ deliberationis fornace decoqueret, multis ſibi hæc aſcribentibus lenitati, quod interdum ſed tarò diſpendioſo peragi contingebat exitu, quæ maturato compendio poterant expediri, & licet eſſet in negotiis & rebus proſperè gerendis ſollicitus, vix tamen vnquam ſecularium occupationum frequentia tanta fuit, cui diuinum obſequium hora debita non præferret. Erat ſiquidem illi quaſi moris innati iuſtitiæ exercere rigorem, bene meritos remunerare, maleficos punire, ita quòd quandoque non ex typho malitiæ, ſed ex zelo iuſtitiæ virgæ manſuetudinem aliquantulum excedebat, oppreſſis compati, ſupplicibus parcere, humiles exaltare, ſuperbos deprimere & debellare rebelles: & hac fuit inſuper à Domino fœlicitate donatus, quòd in omnibus quæ pro honore Dei & iuribus Eccleſiarum ſuarum aggreſſus eſt ſemper victoriam dedit illi Dominus, & eius opera cum gratia & fauore direxit.

Qualiter ciues Virdunenſes expugnauit.

Anno ætatis ſuæ triceſimo ſecundo, vel circa, vocatus per electionem Canonicam ad regimen Eccleſiæ Virdunenſis quanquam de ipſius gremio non eſſet, & in Epiſcopum conſecratus, retento nihilominus ex diſpenſatione Decanatu Autiſſiod. Eccleſiæ, quem prius obtinebat, intellexit quod omnimoda iuriſdictio ſpiritalis videlicet & temporalis ciuitatis & ciuium Virdunenſium ad Epiſcopum pertinebat, & quod prædeceſſores Virdunenſes Epiſcopi longè retroactis temporibus eam diu pacificè poſſederant pleno iure, ſed per incuriam, aut impotentiam quorundam, qui immediatè præfuerant, Pontificum, ciues aſtuti Iuriſdictionem ciuitatis temporalem & iura Epiſcopalia in multis vſurpauerant, nec non Maiores & Scabinos creauerant, per quos eadem ciuitas iis temporibus regebatur. Impoſuerant quoque publicas exactiones & pedagia, ex quibus ſe temp. gubernare muróſque & mœnia ciuitatis fortificare dicebant: quibus ad ſuam præſentiam euocatis, ipſe vt erat prudens animo ſecundùm doctrinam Euangelicam, primò per ſeipſum in blandis ſermonibus & dulcibus inductiuis ipſos & charitatiuè monuit & rogauit, & poſtmodum per alios magnos, & ſapientes diligenter interpellari fecit, quatenus Iuriſdictionem Eccleſiæ taliter vſurpatam & iura Epiſcopalia quæ ſubtraxerant, Eccleſiæ reſtituerent, & præſumendis ſimilibus abſtinerent: quod ſurdis auribus obaudientes efficere recuſarunt, prætendentes ſub ficta verborum ſuauitate, ſicut moris eſt patriæ, excuſationes multiplices in peccatis; deinde via regia compulſus

procedere ipſos canonicè præmonitos & ſuperbo oculo parere monitis recuſantes excommunicationis mucrone percurit, quam ſicut iuris erat adeò aggrauatam, vt in perſonas Eccleſiaſticæ cenſuræ neruus progreſſibilis vltra non eſſet, ſuſtinentes animis obſtinatis, & ex correctione pertinaciores effecti, ibant ab obiee leuiores; videns autem nequitiam ipſorum, in quibus ab antiquis progenitoribus vſura & dolus viguerant & vigebant, prauiâ deliberatione cum ſolemni proceſſione Cleri totius ciuitatis villam exiens, & corpus Chriſti faciens extra ferri, ciuitatem ipſam, & homines generali ſuppoſuit interdicto, dimiſſis ibidem Sacerdotibus aliquot tantummodo ad pœnitentias morientium, & baptiſmata paruulorum, & ſuſpicans quòd contra ipſum libenter ſiniſtrum aliquod molirentur, ſi poſſent, ſe ſe in caſtra & munitiones Epiſcoparus recepit: ipſi autem ex his indignantiſſimè prouocati, ſpiritu rebellionis aſſumpto, cœperunt non rectè cogitare, qualiter iniuſtè iuſtum poſſent opprimere, ſicque factum eſt quòd die quadam communi deffinitione inter ſe habitâ & edicto publicè proclamato exierunt ciuitatem armati in fragore nimio & tumultu pompatico omnes à iuuene vſque ad ſenem armorum geſtabiles, & debellare valentes cum militibus conductitiis numero quaſi duodecies mille æſtimabiles ad terram Epiſcopatus vaſtandam, inter quos, vt fertur, quidam ducatorum & maior eorum in vituperium Pontificalis honoris mitram Epiſcopalem galeæ ſuprapoſitam deferebat. Eadem vero die Epiſcopus cum quibuſdam ſuis armaris exierat Charniacum caſtrum ad prædandum, vt creditur, animalia, quæ ciues extra ciuitatem immiſerant depaſcenda; ſed à longè præuiſis hoſtibus ſui generis comitiua quæ non procul aberat, & pro qua mandauerat, conueniſſet ad illum, quibus congregatis numero paucis videlicet trecentis æſtimabiliter viris & non pluribus, vt creditur, militiæ tamen peritis & armorum induſtriis, circunſpectus Epiſcopus habito breui conſilio cum eiſdem occupato promontorio circuncludens aduerſarios belli indoctos & oppoſito Soli ſuppoſitos & tam prudenter quàm potenter cum ſuis irruens in eoſdem, omnipotenti Deo, qui docuit manus ſuorum ad prælium, cauſam ſuam tuente, non tam victorioſè, quàm miraculoſè deuicit eoſdem, vt erectum male verticem rebellantium in delictis ſuo fremitu conculcauit, quibuſdam in fugam conuerſis, alijs gladio corruentibus, & cæteris captis ductis. Fuitque captorum numerus capientium multo maior, in quo conflictu Sacerdotalis miniſterij & Pontificalis modeſtiæ non oblitus lethaliter nullum læſit, ſed animando & exhortando ſuos ad pugnam plus officio linguæ, quàm ipſis manibus profecit ad pugnam, obtentâque victoria, ad caſtrum, vnde exierat, cum gaudio regreſſus eſt: paucis autem decurſis diebus ciues virga correctionis edocti, quos paulò ante manſuetudinis monita flectere nequiuerant, pacem cœperunt inquirere, & mediantibus bonis ad hanc concordiæ formam deuentum eſt, quod Iuriſdictione omnimodâ temporali & Iuribus Eccleſiæ reſtitutis decies mille libras Epiſcopo pro damnis & ſumptibus exſoluerent, ſeditque Epiſcopus, ciuitatem ex tunc in tranquillitate regens, cui tantum præfuit anno vno.

Qualiter ad Eccleſiam Autiſſiodor. tranſlatus domum Regnaudi Rongefer militis de Montibus expugnauit.

Elapſo deinde aliquanti temporis interuallo, bonæ memoriæ Regnaudo de Salligniaco Autiſſiodor. Epiſcopo, rebus humanis exempto, ad Eccleſiam Autiſſiodor. in quâ Decanatum retinuerat, vt prædictum eſt, tam per electionem quàm poſtulationem Canonicam authoritate Apoſtolica interueniente cum lætitia magna populi & Cleri tranſlatus eſt, vbi qualiter rexit, quæue geſſerit ſatis operum ſuorum euidentia declaratur, de quibus aliqua breui Chirographo perſtringamus. In eius ſiquidem nouitate miles quidam Regnaudus nomine, dictus Rongefer, antiquum & depreſſum ſtatum domus ſuæ de Montibus propè Varziacum caſtrum Epiſcopatus, ſitæ in Caſtellania, domum caſtri latenter immutans, & in Forterictam tentans erigere, muris eam nouis & fortibus inter cætera lignea & vetera dictæ domus circuncingere clam incœpit: quod in graue diſpendium Epiſcopatus & perpetuum villæ & hominum de Varziaco nocumentum poſſet ſucceſſiuis temporibus redundare, ſi cœptum opus pro deſiderio conſummaſſet, quippe cùm locus ille de Montibus de natiuo ſitu pro maiori parte difficilis & fortis exiſtat, & miles ille vicinorum iniurioſus & conſuetus oppreſſor, villam & homines

Varziaci jam-jam pluries infeſtaſſet, quo comperto memoratus Epiſcopus præfato militi quaſi nuncians nouum opus iniunxit eidem, vt ab opere cœpto deſiſteret, & quidquid noui conſtruxerat, demoliri faceret, cum de conſuetudine generali caſtrum aliud infra Caſtellaniam aliquam approbatam, inuito ſuperiore nouiter extruere non liceret, ſed miles obſtinatus & omnia vilipendens ab opere, quod patrarat, nihilo magis conquieuit. Epiſcopus autem animi roboratus conſtantia inuocato brachio poteſtatis ſecularis domum ipſam obſidens, & paucis diebus expugnans, quidquid nouæ & veteris inuenit fortariciæ dirui fecit penitus & ſubuerti, ſicut adhuc ruinoſum ſtructuræ veſtigium cernentibus atteſtatur. Quamobrem miles nequam pluries vitæ Epiſcopi latenter poſuiſſe fertur inſidias, quas tamen intrepidus & hoſte multo potentior, ſi armorum præſidio vellet vti, opitulanti Deo cautè ſemper euaſit.

De facto Robini Clerici Caprarij.

Contigit quòd cùm Clericus quidam, nomine Robinus Capratij de facto relegatus ad tempus ab Autiſſiodoro ſub pœna capitali per laïcam poteſtatem, inſcio fortè prælato tunc temporis exiſtente, parentela Suauium de Autiſſiodoro procurante, nec dum vt dicitur, finito relegationis termino, Autiſſiodorum rediiſſet, per ſecularem iterum comprehenſus iuſtitiam ad inſtantiam eorundem Suauium furcarum ſuſpendio publicè traditus eſt, quanquam idem venerabilis Guido tunc præſidens Eccleſiæ Autiſſiod. ipſum prius tanquam Clericum ſibi reſtitui pluries cum inſtantia poſtulaſſet; quam Eccleſiæ iniuriam ad audientiam fœlicis recordationis Innocentij Papæ Tertij tunc reſidentis Lugduni per appellationem delatam demum non ſine multis & expenſis ſuccumbentibus aduerſarijs ad honorem Dei ſic vltus eſt, quòd cum vniuerſali Clero ac populo ciuitatem & ſuburbium proceſſionaliter exiens, Lebino tunc Præpoſito Autiſſiodor. Petro & Drocone Suauis fratribus & eorum complicibus in braccis & camiſia cum virgis in manibus, pedibus omnino nudis præuiantibus, cenſura Eccleſiaſtica coegit eoſdem fetetrum quoddam cum quadam imagine Clericali ſuprapoſita à loco furcarum ipſarum vſque ad Cathedralem Eccleſiam in præfato habitu publicè deportare, ibique Miſſa pro defunctis, ab eodem Antiſtite celebrata, cadauer dicti defuncti iam ante diu in quodam ſcrinio reſeruatum iuxta Eccleſiam Beatæ Mariæ in ciuitate more debito ſepeliuit, præfatis maleficis nihilominus pro tantæ temeritatis exceſſu, nec, pro expenſis immenſa pecuniæ quantitate mulctatis non de qua trecentas libras eidem Eccleſiæ Beatæ Mariæ pro anima ipſius defuncti proceſſu temporis erogauit.

Qualiter caſtra ſubſcripta ſibi tradi fecit.

Ad intelligentiam huius particulæ ſupponendum eſt, quòd ſicut ex tenore Chartæ beati Bernardi quondam Clareuallis Abbatis perpendiculariter liquet domus Comitis Niuernenſis & Autiſſiodor. & munitiones caſtrorum quæ ipſe dignoſcitur tenere ab Epiſcopo Autiſſiod. videlicet Caſtri noui, ſancti Saluatoris, Conadæ, Malliaci, & Betriaci tradi debent ipſi Epiſcopo ad eius beneplacitum, ita tamen quod eo decedente Comiti, vel eius miniſterialibus, cum integritate reſtituantur, ſed cum à longe retrolapſis temporibus prædeceſſores ipſius Epiſcopi hoc iure non inuenirentur vſi fuiſſe, claræ memoriæ Mathildim tum Comitiſſam ad hoc Eccleſiaſtica cenſurâ coëgit, quòd prædictas munitiones & caſtra eidem tradidit ad ſuum beneplacitum detinenda, ipſéque eatenuſ per tempus aliquod, & in eorum qualibet pernoctauit, ſuóſque cuſtodes in eis diſcedens reliquit, & ad vltimum præfatæ reſtituit Comitiſſæ.

De Moneta Autiſsiodorenſi.

Similiter ad intelligentiam ſubſcriptorum præſciendum eſt quòd apud Epiſcopos Autiſſiod. extat littera inclytæ recordationis Philippi quondam Regis Francorum, ex cuius ſerie inter cætera deprehenditur euidenter, quòd ſi Comes Niuernenſis Monetam nouam cudi facere velit, eam debitæ legalitatis & ponderis in iam dicta littera comprehenſi cudi faciet, & perſonæ Comitatus Niuernenſis Eccleſiaſticæ eam quandocunque voluerint, facient comprobari. Contigit autem quòd nobilis vir Odo filius Ducis Burgundiæ, qui ratione vxoris ſuæ in Comitatum ſucceſſerat, Monetam nouam Autiſſiodori facere cudi cœpit, quam miniſterialis eius ipſo in remotis agente, nondum tamen probatam à perſonis Eccleſiaſticis,

ſiaſticis, ſicut fieri debuit, quin potius inſciis, expoſuerunt publicè curſualem, facientes generaliter proclamari ſub mulcta grauiſſima, ne quis monetam aliam mitteret, vel reciperet præter illam, licet adhuc eiuſdem monetæ raritas tanta eſſet, quòd pro decima parte non ſufficeret vſibus Reip. & popularibus alimentis. Epiſcopus autem Capitulo & perſonis Eccleſiaſticis ciuitatis ſuæ conuocatis in vnum, ad eorum inſtantiam, monuit miniſteriales Comitis, vt quod ſuper his attentauerat in priſtinum ſtatum reducerent, & monetam ipſam exhiberent probandam, quod facere recuſarunt. Epiſcopus autem habito cum eiſdem perſonis Eccleſiaſticis concilio præſentiam recolendæ memoriæ Ludouici tunc Regis Francorum viri Chriſtianiſſimi cum litteris fide dignis factum atteſtantibus perſonaliter expetiit, cui rei damna, ſeriem, & querelam patefaciens popularem, obtinuit ab eodem monetæ fabricatores expelli, & eam authoritate Regia per ciuitatem Autiſſiod. publicè declamari.

Qualiter compulit Templarios amouere Campanam, quam in domo ſua de Monaſtello appenderant.

Illud etiam memoriali membrana conſcribi dignum eſt, quòd cùm Templarij ſoliti ſuæ terminos excedere libertatis, & quod ab Apoſtolico conceſſum eſt eis ad gratiam, conuertere frequenter ad noxam, campanam quandam in domo ſua de Monaſtello appendiſſent in altum, publicéque pulſarent ad conuocandum populum pro diuinis in eorum oratorio audiendis, nec non benedictionem quorundam nubentium temerè ſolemniſaſſent ibidem cum hoc eis ex priuilegiorum ſuorum largitione nequaquam liceret; eos Canonicè monuit, vt amouerent Campanam, & quod ſuper benedictione huiuſmodi nuptiali præſumpſerant, emendarent eidem, quod ipſis facere recuſantibus, querela fuit ad audientiam Reueren. Patris Simonis Dei gratia tituli ſanctæ Cæciliæ Presbyteri Cardinalis fungentis tunc officio legationis in partibus Gallicanis perlata, coram quo tanto vigore negotium proſecutus fuit, quod in iure præualens, obtinuit per Legati ſententiam condemnatis ſibi Templarijs amouere Campanam, & quod de benedictione nubentium attentatum fuerat emendari. Regnante inclitæ recordationis Ludouico Dei gratia Francorum Rege cum nautis inſtantibus regium emanaſſet præceptum amouere cuncta quæ per Icaunam fluuium impedimento eſſe poterant nauibus tranſuehendis, executores ſuper hoc deputati alia & maiora quàm commiſſum ſibi requireret miniſterium, ſicut in pleriſque malis moris eſt, agere gloriantes, trabeculas duas in Bochello ſubtus pontem Autiſſ. Quod proprij iuris & proprietatis eſt Epiſcopatus fundo fluminis infixerunt hinc inde flores lilij ferreos in ſignum Regalis dominij earum ſummitatibus imponentes, quas ſtatim audita re huiuſmodi, animoſus vir fecit potenter erui, & in domum Epiſcopalem transferri; ſed propter hoc ad Regis præſentiam procurantibus æmulis euocatus, propoſuit corã eo, quòd cum Regis miniſteriales ipſo minùs requiſito mittendo trabeculas in Bochello quod proprij dominij & iuris Epiſcopatus exiſtebat, cùm nec eſſet in eo penitus aliquid quod liberum nauium trãſitũ impediret, vltra fines mandati fimbrias extendiſſent, eas iuſtè eruerat, sicque factum eſt, quod his & alijs perorationibus confuſis & ſtupefactis aduerſarius liber victor abſceſſit.

De ædificijs quæ conſtruxit.

Quantis autem ædificiorum additamentis luca domorum Epiſcopalium decorauit, ſilentio præterire dignum non eſt: Autiſſiodori namque iuxta aulam Epiſcopalem antiquam aliam geminam miræ venuſtatis aulam ſupra teſtudinem lapideam in qua vina conſueuerant reponi atce cæmentaria præpollentem erexit feneſtralibus apertutis extructis, ſculptura ſpectabili, vitreiſque perlucidis illuſtratam, cui ad diuini cultus honorem Capellam geminam non inferioris ſtructuræ, & cameram duplicem efficientes inferius & ſuperius ipſam aulam cum iucundæ viſionis turricula decenti ſituatas ordine coniunxit. Inſuper Cameram Epiſcop. ſupra Pratellũ veternam & iam ſenio cullabantem quaſi funditus reparauit, & in elegantiorem reextulit ſpeciem nouitatis, rurſus cùm ab eodem Pratello vſq; ad priſionẽ per de ſubtus à parte Icaunæ peruius & facilis nulla vel prorſus inutili obſiſtente clauſurâ ad domum Epiſcopalẽ pateret aſcẽſus, muris nouis ac fortibus, portelloq;, & propugnaculis operis ſumptuoſi viſu pulcherrimis illũ ambitum circuncinxit. Apud Ragennam prope Apoigniacum nobiliſ. Epiſ. habitaculum, cuius ambitũ Icauna fluuius à parte poſteriori per latera circuncingit, in primis murum quendã ab vna parte fluuij ad alteram

includentem continuam & planam terræ intercapedinem ab anteriore parte inter forteritiam & foſſata conſtruxit, primúmq; ibi ordinauit introitum, cui muro ſtabula adequos pro ipſius muri longitudine conſtructa perde intus adiunxit, deinde clauſuram munitionis lateritiam ruinoſam & pro parte collapſam, nec fere partem dimidiam ambitus accingentem, muris egregiis pro tantula parte lateritiis, quantum ruinoſa potuit miniſtrare maceria, & pro toto reſiduo lapideis, propugnaculiſque & turribus reſtituit vndique circumſeptis, iuxta cuius introitum turrim quadratam validiſſimam & prægrandem quam Portellum vocant, plura continentem manſionum interſtitia ex muralibus ſpiſſæ latitudinis & latæ ſpiſſitudinis conſtructam erexit, intra ſepta prædictæ fortariciæ aulam Epiſcopalem antiquam quibuſdam ſuperadditis & aliis in melius transformatis, in ſtatum redegit ſolito pulchriorem. Duas quoque cameras, vtramque geminam, prægrandes aulæ compares & confines, alteram videlicet nobilioris ſtructuræ maiori ex tranſuerſo poſterioris pinnaculi cohærentem; & vitellinis feneſtriunculis refulgentem ex commendabili lapideo tabulatu conſtruxit, antiquáſque logias ſuper Icaunam, vetuſtate conſumptas & ruinæ iam proximas ex integro reparatas in formam reſtituit venuſtæ pulchritudinis & pulcherrimæ venuſtatis. Ex alia vero parte appenditia neceſſaria ipſis muris munitionis affulta & ordine decenti conſtructa & locata. Apud Bellum reditum, locum ex ſtagnorum confluentia piſcibus copioſum & ex nemorum adiacentia temporis hiemalis algoribus leuandis accommodum, domum quandam depreſſam receptaculum Epiſcoporum inglorium in aulam geminam placidæ venuſtatis, habitaculúmque gratioſum produxit cum ſocia camera ſtructuræ ſimilis ad propriam Epiſcoporum quietem: excurſum quoque vnius ſtagnorum vſque muros ipſius aulæ pertingentem per iniectam terræ molem ingentem quaſi aggere conſtituto remiſit in interiorum aquarum profundius accrementum, & in huius terræ maſſa coniecta & planificata diuerſi generis plantatis arboribus, virgultum pro loci capacitate fecit amœnum, inſuper appendicia inter aulam & capellam hoſpitibus & familiæ neceſſaria, logiáſque magnæ habilitatis ab aula in capellam, & è conuerſo ducentes, aliáque diuerticula ædificiorum conſtruxit ibidem, & maioribus fortè locis ampliaſſet ædium accrementis, ſed quia ſitum eius non multa gratificabat amœnitas, variiſque abundabat prouentibus, ideo forſitan ipſum rariori nec mirum proſequebatur affectu. Apud Varziacum aulam Epiſcopalem geminam prægrandem & plura continentem habitacula inſuper incendio concremata magnis reædificauit ſumptibus, & in ſtructuram reſtituit clariorem, muros & propugnacula munitionis caſtri in ſuis cacuminibus pro maiori parte dirupta vel collapſa egregiè reparauit, appenditiáque placidæ manſionis & apertæ commoditatis extruxit muris ipſius munitionis affulta, apud villam Catuli prope Conadam locum in proprio Eccleſiæ ſolo eminentem, quem Ligeris antecurrit, ſitus amœnitate conſpicuum, & diffundentem longè radios viſionis elegit, cuius oblectamentis allectus receptaculum quoddam ad recreationem naturæ & leuamen fatiſcentis inquietudinis, ſicut interdum expedit, inchoauit ibidem; ſed per principem ſecularem, videlicet ante dictum Odonem filium ducis Burgundiæ tunc Comitem Niuernenſem fuit ab opere cœpro prohibitus, cuius prohibitionem in curia Regis adeò victrice conſtantiâ proſecutus fuit, quòd demum in iure Comite ſuccumbente, & Regia declarante ſententia, quòd ab incœpto per Comitem iure non poterat prohiberi, ex prohibentis reſiſtentia prouocatus cœptum opus in munitionem, aulam geminam & Capellam nobilitatis exquiſitæ prouexit habitationi Regiæ congruentes, natiuâ rupe circumquaque exciſâ, quæ pro ſua laudabili pulchritudine intuentium morantur oculos, intuendo delectant animos, & habitatores iucunda reficiunt manſione: rurſus exciſis in profundo ſubter aulam ſiccæ rupis viſceribus cauas fecit ad vinorum cuſtodiam, quæ temporibus ebullientis æſtatis & æſtuantis leonis meri potum exhibent glacialem; extra forteritiam, ſed tamen infra loci continentiam depreſſis muralibus circunclusam, ſtabula pro equis & grangiam capacitatis immenſæ conſtruxit, nec procul ab his extra popriſiam plantauit vineas ex plantis diuerſorum vinetorum electis, quę temulentam annis ſingulis afferunt vbertatem.

Qualiter profectus eſt in auxilium Caroli Regis Siliciæ.

Ea tempeſtate quâ damnatæ memoriæ princeps nefandiſſimus paterni ſceleris

imitator Manfredus filius Frederici quondam Imperatoris regno Siciliæ propter Petri Patrimonio & Ducatu Capuæ occupatis, res Eccleſiaſticas damnabiliter tractabat, euertebat Eccleſias, & fugabat prælatos: vocato per Summum Pontificem viro magnifico Carolo Regis Franciæ filio pro ſuſcipiendo regno huiuſmodi & liberando de manibus impij memorati, conceſſáque ab Apoſtolico omnibus in eius auxilium proficiſcentibus peccatorum ſuorum indulgentia generali, zelo deuotæ peregrinationis accenſus Romam adijt in Caroli ſubſidium, Apoſtolica tamen interueniente licentia profecturus, vbi à ſanctiſſimo Patre Clemente IV. Romanæ Eccleſiæ tunc præſidente & Cardinalibus honorificè & gaudens receptus, commiſſo ſibi in ipſa expeditione legationis officio, de mandato eiuſdem ſummi Pontificis in auxilium eiuſdem Caroli in Regem conſecrati, cum eodem Rege & eius exercitu greſſum direxit: Cúmque iam approximaſſent Beneuentanam ciuitatem, vbi ſtabat aduerſarius cum Alemannorum multitudine bellicoſa, iamiámque ſtaret acies hinc inde paratæ congredi, ipſe vt erat armis intus diuinis præcinctus, & exterius indutus militaribus, ſtans ſuper Regis exercitum ſalutaris exhortationis ſermone præmiſſo pro ipſis animandis ad pugnam eleuatâ manu loricatâ, Apoſtolica fretus authoritate, omnes ab omnibus peccatis abſoluit euolationem illis præmittens incunctanter ad Patriam, ſi qui fortè morientes pro viribus ſtrenuius debellaſſent, moxque vt prædicationis ſuæ exemplaris probaretur doctor, non ſequi, ſed præcedere viſus ad prælium, tanto animoſitatis ardore corda videntium inflammauit, quòd paſſim per hoſtes & gladios irruentes non aggredi, ſed furere videbantur. In quo congreſſu modeſtiæ Pontificalis non immemor, nunc acies erumpendo, nunc equos hoſtium gladio proſternendo, nunc clamando & animando geſtu & linguæ redimebat officio, quod in perſonas hoſtium attentare propter irregularitatis periculum forſitan expauebat: ſi fas ſit credere quòd vir ſtrenuus in iuſto bello & lethali conflictu, ferientibus manu mutuâ non repugnet. Denique Manfredo morte cadente in bello, ſuiſque vel captis vel fugientibus, aut gladio peremptis, expleto victorioſo certamine ac ipſo Rege totius Apuliæ regimen & dominium tranquillum adepto, cum ipſo aliquandiu commoratus, deinde vale-dicto recedens Apoſtolica reuiſit limina, vbi à Papa & fratribus cum lætitia & veneratione ſuſceptus, & aliquot diebus immorans, ac deinde cum Apoſtolica benedictione recedens, iter ſuum Domino proſperum faciente, ad propria regreſſus eſt: in cuius occurſum ciuitatis ſuæ diuitum & pauperum vtriuſque ſexus turba ruit hilaris, & lætitia facta in populo plebs humilis patre reſtituto, drachmam perditam ſe reputat inueniſſe: exultat Clerus Eccleſiæ & cum proceſſione ſolemni ac diuinarum laudum cantico paſtorem excipiens vocibus altiſonis gratias agit Deo.

De morte eiuſdem.

Poſthæc cùm trium annorum & duorum menſium vel circiter effluxiſſent curricula, ægritudine valida, videlicet fluxu ventris, & febris incommoditate correptus, accubuit quaſi grauiter elaborans, ſupremæ voluntati prudenter ordinauit elogium, in quo ſeruientibus ſuis pro meritorum exigentia condonatis, theſaurum de bonis Eccleſiæ conquiſitum in communes erogationes, publica pauperum conuocatione præmiſſa, non ſemel, ſed pluries, aliiſque piis modis diſtribui ſtatuens, pauperibus, Religioſis, Monaſteriis, ſuæ Diœceſis pro augendo numero ſeruientium Deo in locis ſuis reliquit non modicas pecuniæ quantitates; Eccleſiæ verò Autiſſiodorenſi ſponſæ ſuæ duo paria veſtimentorum Pontificalium pretioſiſſima, alterum candidum, & alterum purpureum, & Cambutam; legauit inſuper ſex denarios reddituales ſub certo modo cuilibet Canonico, qui per diem in Eccleſia horis Canonicis continuè intereſſet, ad quod explendum villam de Lecheriis prope Clamiciacum cum pertinentiis ſuis & omnes conqueſtus fecerat circa domum de Brechiâ prope Autiſſiodorum, nec non villam de Floriaco Senonenſis Diœceſis cum omnibus pertinentiis, quam acquiſierat cum omnibus prouentibus & emolumentis dictarum rerum legauit Eccleſiæ memoratæ, & ſumptibus ſuis res ipſas per executores ſuos facere amortizari, ſi quæ feudales erant, præcepit: rurſus feſtum Beati Auguſtini duplex, & feſtum Natiuitatis glorioſæ Virginis ſolemne fore perpetuo ibidem inſtituit, & ad hæc ſufficientes redditus aſſignare præcepit. Item de diuini cultus augmento deuotam gerens ſollicitudinem, ſex

in Capella Sancti Ioannis Rotundi, iuxta Cathedralem Eccleſiam, ad honorem Dei, & beatiſſimi præcurſoris, & totidem in Capella Sancti Michaëlis ex alio latere, Eccleſiæ Cathedrali proxima pro animæ ſuæ remedio Capellanias Sacerdotales & perpetuas inſtituit, & fundauit de redditu, quem acquiſierat in portagio Trecenſi ex donatione à claræ memoriæ conſanguineo ſuo Theobaldo Rege Nauarræ, & Comite Campaniæ, præcedentibus meritis ſibi factâ: & in domo Dei ſita in Clauſtro Autiſſiodorenſis altare quoddam ſimiliter inſtituit, & feodauit, & alias quamplures pias diſpoſitiones edidit, quæ in ipſius extremæ ſuæ voluntatis ſerie plenius exprimuntur. Illud quoque planum & verum eſt quòd ex quo decubuit quotidie horas Canonicas, quandiu fuit loquendi poſſibilitas, deuotus ita dixit, aut ſaltem audiuit, & magis de ſalute animæ, quàm corporis ſanitate ſemper cogitans, paucos ad ſe permiſit accedere, niſi qui vel in anima vel in corpore conſulere poſſent ei: cúmque iam ex fluxus ingraueſcentis attenuato corpore, & membris quaſi conſumptis, accelerantis reſolutionis ſuæ præſentiret inſtantiam, vt de conualeſcentia vlterius ſpes non eſſet, ſororem, nepotes, neptes, & quotquot aderant conſanguineos iuſſit excludi, ne forte per eorum præſentiam aliqua terrenæ ſeu carnalis affectionis meditanti præſtaretur occaſio, quæ iactatum in Domino poſſet interrumpere cogitatum, retento ſecum tantummodo venerabili viro Erardo, tunc Decano Autiſſiod. chariſſimo nepote & ſucceſſore ſuo, cui quæcunque de ſalute animæ ſuæ occurrebant, eidem confidenter iniungebat agenda. Quantâ vero deteſtatione arguebat ſe pompam ſeculi dilexiſſe, quanta depreciatione vilipendebat ſeipſum, quantáque contritionem lachrymarum affluentiâ teſtabatur ab illis, qui interfuerunt, auditum eſt. Demum extrema delibutus vnctione, fecit ſibi Dominicæ Crucis ſignum & Beatę Virginis imaginem anteponi, in quas viciſſim ſuos defigens oculos, circunſtantibus ei quibuſdam fratribus de ordine Minorum, & pro ipſo orantibus, quandiu perfectè vel ſemiplenè verbum aliquod potuit eructare, vicibus alternis dicere non ceſſauit: In te Domine ſperaui, non confundar in æternum: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: Aue Maria gratia plena Dominus tecum: Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe, & in his obdormiens, & migrans à ſeculo Anno gratiæ MCCLXX. XIII. Kalend. Octobris die in feſto Sanctorum Sequani & Ferreoli naſcente aurora Spiritum exhalauit, ſepultúſque eſt inter patres prædeceſſores ſuos in Eccleſia Cathedrali, cuius fama publicè viuit mundo, & anima perenniter viuat Deo amen. Sedit autem Autiſſiodori annis viginti tribus, & menſibus ſex.

CAPVT LXIV. Acta Domini Erardi de Lisiginiis Autissiod. Episcopi et Cardinalis.

Tantæ famoſitatis Antiſtiti, viro famoſiſſimo Domino Guidoni de Melloto Autiſſiod. Epiſcopo, ſucceſſit Erardus nepos eius, Dominus Caſtri de Liſigniis, Diœceſis Lingonenſis, cuius memoria digna eſt recitatione ſolemni, hic Erardus ex magnifico generoſitatis germine ex vtroque parente extitit procreatus: fuit enim pater eius Guillelmus Mareſcallus Campaniæ, qui attingebat Principi Achaiæ in proximo conſanguinitatis gradu, mater eius fuit Margareta germana prędicti Guidonis de Melloto prædeceſſoris ſui, cuius generis nobilitas manifeſtatur dicti Epiſcopi Guidonis Chronicam intuenti. Hic Erardus ſtatura corporis mediocri, vultum demonſtrabat Angelicum tanta perfuſum gratia, quòd intuentibus ipſum ſe gratum & amabilem exhibebat: in loquela fuit facundiſſimus, ita quòd alter Vlyſſes potuit meritò appellari, in melodia vocis ſuos contemporaneos excellebat, ita vt in vocis ipſius emiſſione ſonora, poterat meritò eius vocis amœnitas melodiis philomelicis comparari: & licet hunc generis nobilitas potuiſſet in faſtum extollere mundialem, morum tamen elegantia præeminens ipſum in tanta humilitate ſeruauit, quòd modum maturum & religioſum acquirens ab omni laſciuiâ ſemper extitit alienus: & licet ſimplicitatem gereret columbinam, in tuendis tamen Eccleſiæ ſuæ iuribus magnanimus quamplurimùm habebatur: largitatem in tantum diligens, quòd plerumque metas tranſcendere videbatur: inerat eidem tantę liberalitatis & benignitatis innata dulcedo, quòd rubore verecundiæ afficiebatur quoties-

cumque affectum ab ipſo aliquid iuſtè poſtulantium ad votiuæ exauditionis effe-ctum deducere non valebat. Et licet in annis puerilibus ex prerogatiua dilectionis à progenitoribus ſuis præ aliis liberis ſuis fuerit in delitiis educatus, auſteritate tamen abſtinentiæ carnem ſuam ita edomuit, quòd in feruore ætatis ſuę caſtitatem laudabiliter acquiſiuit: in ætate tenera, in arte cantandi fuit quamplurimùm eruditus, poſtmodum verò ſtudiis liberalibus traditus pollenti floruit ingenio, in tantum quòd in iuuenili ætate commendabiliter rexit in artibus, deinde legali ſcientiæ ingenium ſuum ita applicuit, quòd ipſe acquiſiuit illius ſcientiæ margaritam; poſtmodum ad iuris Canonici facultatem ſe transferens laudabiliter licentiatus fuit Pariſiis in Decretis. Circa tempora illa Gaufrido Decano Autiſſiod. Eccleſiæ humana ſorte conſumpto; Canonici dictæ Eccleſiæ ipſum Erardum in Decanum dictæ Eccleſiæ concorditer elegerunt. Cùm autem in Autiſſiod. Eccleſia, reſidentiam faceret perſonalem, & iura ſui Decanatus contra omnes & ſpecialiter contra ſuum prædictum auunculum defenderet animosè, duorum annorum vel circa labentium curriculo Eccleſia Antiſſiod. per mortem dicti Epiſcopi Guidonis auunculi ſui Paſtoris ſolatio deſtituta, Canonici dictæ Eccleſiæ ad electionem futuri Pontificis procedentes ipſum Erardum domatizante Domino in Epiſcopum per formam compromiſſi concorditer elegerunt, factúſque Epiſcopus ſubiectos ſuos conſuctâ tractauit manſuetudine, inſtruendo ipſos verbo prædicationis pariter & exemplo; & licet poſtquam licentiatus extitit in Decretis propter occupationes prælationis, ſtudendi in facultate Theologica modicum habuerit temporis interuallum, licet ad id, vt credimus, quamplurimum anhelaret, verumtamen propter ingenij ſui perſpicacitatem & ſtudij vehementis laborioſam indaginem egregij prædicatoris nomen & gratiam acquiſiuit: auſteritatem abſtinentiæ quantum potuit in occulto ſeruauit, & propter bonum caſtitatis ſubtus ad carnem gerebat cilicium; habebat etiam tres cathenas argenteas nodis plenas quodam inſertas manubrio, ex quibus de nocte carnem ſuam diſciplinis pluries caſtigabat, prout hæc ex relatione veridica fide dignorum accepimus, qui eius ſecretam pœnitentiam agnouerunt. Hic Eccleſiæ ſuæ feruentiſſimus amator Capituli ſui obtinuit gratiam & fauorem, & poſtquam adeptus fuit Epiſcopalis apicem dignitatis, rarò accidit dum intraret dictum Capitulum, quin Eccleſia ipſa & Capitulum perciperent in aliquo exuberantem gratiam ſuæ largifluæ bonitatis. Contulit igitur præfatis Eccleſiæ & Capitulo, dum vitam duceret in humanis, duos Angelos argenteos miræ pulchritudinis & ingentis valoris, cum reliquiis B. Mariæ Magdalenes inſertis venerabiliter in eiſdem. Item Crucem argenteam gemmis pretioſis ornatam, pretio quingentarum librarum Turonenſium. Item idem Pontifex magnanimus & munificus dedit Capitulo mille libras Turonenſes ad augmentationem panis Canonicorum. Item quandam mitram cum Pontificali annulo pretio quadringentarum librarum Turonenſium. Item Calicem purè aureum, item quatuor paria indumentorum Sacerdotalium diuerſorum colorum, tam de examito, quàm de diaſpro, videlicet de vnoquoque, tunicam, dalmaticam, & caſulam: Item alia duo paria indumentorum, videlicet de vnoquoque tunicam, dalmaticam, caſulam, atque cappam: fecit etiam multa alia bona Epiſcopatui, Eccleſiæ & Capitulo ſupradictis, ipſe ſiquidem ſeruitij diuini ſonoriſſimus concrepator, eiuſdémque amator eximius, & amantiſſimus ampliator, ordinari procurauit in Autiſſiod. Eccleſia, dominicis diebus inter Canonicos & Clericos dictæ Eccleſię diuidendas. Item apud Bellum reditum aulam nouam conſtruxit & domum nouam ſuper portam cum domibus adiacentibus ipſi portæ: Item apud Caſtrum Appoigniacum ſuæ & prædeceſſorum ſuorum ditioni ſubiectum, licet incolæ dicti loci ſeruituti manus mortuæ, talliæ, alto & baſſo, ad Domini voluntatem & pluribus eſſent aliis ſeruitutibus ſubiugati, rectam tamen decimam bladi, vini & aliorum fructuum ex agricultura prouenientium contra legis diuinæ ſalutarem obſeruantiam vſque ad illa tempora ſemper ſoluere renuerunt, iſte ſiquidem liberalitatis ſibi natiuæ motus inſtinctu paſtoraliſque ſollicitudinis incitamento pulſatus affectabat & ipſos reſtituere libertati & mederi periculis animarum: ſanè ipſe ſuæ diſcretionis vigilantia ſuaque exhortationis ſedula efficacia ad hoc induxit incolas dicti loci, quòd ad ſolutionem rectæ decimæ omnium fructuum prędictorum in perpetuum ſub authentico chirographo ſibi & eius ſucceſſoribus obligarunt, & pro eius conceſſionis repenſiua de con-

ſenſu ſui Capituli ſeruitutem manus mortuæ, lineæ humani generis inhumanæ, de loco illo totaliter abdicauit, & talliam prædictam voluntariam ad octies viginti libras Turonenſes annui reditus coarctauit; verumtamen in conceſſione dictæ decimæ Epiſcopales redditus in trecentis libris Turonenſibus redditualibus, & amplius augmentauit; item à nobilibus viris Milone de Autiſſiodoro, & Ioanne eius fratre militibus furnum, iuſtitiam, & plures res alias, quas habebant apud prædictum Appoigniacum, comparauit, & in hoc Epiſcopales redditus in quater viginti libris Turonenſibus redditualibus ampliauit; Item in ſui vltima voluntate ſuper prædictis acquiſitis, quæ fecerat apud Appoigniacum vltra prædictas quater viginti libras reddituales, contulit Eccleſiæ B. Stephani viginti libras Turonenſes annui redditus die ſui anniuerſarij diuidendas, item ſcholaſtriam Eccleſiæ Autiſſiod. de rebus Epiſcopatus in decem libris Turonēſibus redditualibus ampliauit: ampliora bona ſperabat ardenti deſiderio dictæ Eccleſiæ ſe facturum, niſi tam breui tempore vniuerſæ carnis ineuitabile debitum exoluiſſet. Duorum ſiquidem annorum vel circa currenti interuallo dum apud Charitatem ſuper Ligerim tēpore Prioris Milonis quandam mulierem burgenſem dicti Prioris, ſuſpectam de hæreſi vellet examinare, & dictus Prior licet pluries monitus dictam mulierem ei tradere recuſaret, Epiſcopus dictam villam generali ſuppoſuit interdicto: dictus ſiquidem Prior & eius Monachi in præiudicium Epiſcopalis Iuriſdictionis dictum interdictum violare non verentes, corpora decedentium faciebant ſepeliri in cœmeteriis dictæ villæ: ex hoc autem procurante humani generis inimico, inter Epiſcopum & Priorem præfatum graues fuerunt diſcordiæ ſuſcitatæ, ſed finaliter procurante dicto Epiſcopo, mediantibus Archiepiſcopo Senon. & Abbate Cluniacenſi, ad hoc deuenit negotium ſupradictum, quòd dicta mulier extitit dicto Epiſcopo liberata, & quod vnus de Monachis de prædicto Monaſterio pro omnibus, qui vt interdictum ferretur in villa prædicta, & in violatione eiuſdem interdicti culpabiles extiterunt, humiliter & deuotè flexis genibus dicto Epiſcopo ſupplicauit, vt interdictum larum in dicta villa relaxaret, & eidem Epiſcopo, tam pro interdicto, quàm pro violatione ipſius emendauit, fuerántque viginti corpora extracta de terra, quæ ſepulta fuerant durante interdicto dicto, in Cœmeteriis memoratis, & abſolutione ab Epiſcopo obtenta, fuerunt ſuper terram inſepulta, quouſque ſermo generalis factus fuiſſet ad populum in Eccleſia B. Petri de Charitate prædicta, & Miſſa pro defunctis celebrata; quibus ſic actis, dicta corpora fuerunt Eccleſiaſticæ tradita ſepulturæ. Dum verò quatuor annorum & amplius effluxiſſent curricula inter ipſum Epiſcopum & Ioannem de Cabilone Comitem Autiſſiodorenſem orta eſt grandis diſſenſio, proteruiáque Comitis crebreſcente, dum dictus Comes iura Autiſſiod. Eccleſiæ violare & inuadere conaretur, dictum Comitem, & eius vxorem ferire mucrone anathematis non neglexit: & dum Comes & eius vxor in ſua malitia perdurarent, vt ipſos magis Eccleſiaſtica ſeueritas coërceret, ciuitatem Autiſſiod. ſuburbia, totámque terram, quam habebat dictus Comes in Comitatu Autiſſiodorenſi, generali ſuppoſuit interdicto, & dum dictus Comes facti ſui malitiam niteretur appellationis remedio colorare, ipſe iurium Eccleſiæ ſuę acquiſitor indefeſſus, pro ipſius Eccleſiæ iuribus vitam ſuam periculis exponere non formidans pro dictis iuribus defendendis ad Romanam curiam ſe transferendum ſtudio piæ deliberationis elegit. Et licet in prędicto negotio viriliter ſe haberet, morte tamen præuentus illud finali effectui nullatenus mancipauit. Illum ſiquidem, cuius odor famæ redolens iam non ſolùm in Francorum regione amabili, verùm etiam in regione Italica conflagrarat, Dominus Ioannes Papa vigeſimus primus & omnes Cardinales honorificè receperunt; & dum circa duorum annorum ſpatium in dictâ regione fuiſſet manſionarius ille, qui in regionis Gallicanæ temperie fuerat enutritus, ebullientes calores illius regionis ferre non valens, febres & fluxum ventris patiens ægritudinis chronicæ incurrit incommoda, in regione tamen illâ tam laudabiliter ſe habuit, quòd apud Dominum Nicolaum Papam III. ſucceſſorem præfati Domini Ioannis & apud Cardinales eius merita tam dilucide claruerunt, quòd ad dignitatem Cardinalatus aſſumptus factus fuit Pręneſtinus Epiſcopus Cardinalis: Et licet in numero Epiſcoporum Autiſſiodorenſium ſexageſimus quartus extiterit, primus tamen fuit inter ipſos, qui ad tantæ dignitatis culmen fuerit prouectus. Non poſt quidem multa tempora, ingraueſcente in ipſo fluxu vētris vltimo eloquio

ex magnæ deliberationis diſeretione condito, dum ipſe perciperet, quòd ipſum pertrahebat defectus vitium ad occaſum, Sacramentum Extremæ-Vnctionis reuerenter recepit, quibus ſic completis anno Domini MCC.LXXVII. XV. Kalendas Aprilis, primo noctis ſilentio euaſit feliciter nequitias huius mundi; & quia cum auunculo ſuo prędicto in Autiſſiod. Baſilica ſuam elegerat ſepulturam, oſſa eius de ciuitate Romana ad dictam Baſilicam deportata, in eodem cum prædicto auunculo ſuo fuerunt in vno Mauſoleo honorificè collocata. Sedit in Epiſcopatu Autiſſiod. ſeptem annis, duobus menſibus & circiter tribus hebdomadis, illuſtri Rege Philippo regnum Francorum moderante, Dominus per ſuam gratiam & miſericordiam ſibi concedat requiem ſempiternam. Amen.

MONITVM INCERTI.

Hic deſinit Tomus primus Geſtorum Pontificum Autiſſiodorenſium: Secundus Tomus maiori ex parte deſideratur; prout olim deſcriptus fuerat: Fertur extare Pariſiis in Bibliotheca Conſiliarij cuiuſdam, vnde quæ ſequuntur excerpta fuerunt à viro fide digno: hæc accipe Lector, præbe animum non indocilem, & rei veritatem percipies.

PARS ALTERA SEV TOMVS II.

Geſtorum Pontificum Autiſsiodorenſium.

CAPVT LXV. DE GVILLELMO DE GRESSIBVS.

VETVSTISSIMA laudabiliſque conſuetudo Eccleſiæ Autiſſiod. hactenus habuit, à primo ipſius Pontifice videlicet beato Peregrino, in poſterum geſta notabilia Pontificum ſingulorum ſedis eiuſdem, poſt ipſorum cuiuſlibet obitum ſcribi & regiſtrari in libro ad hoc prouidè & perſpicaciter ordinato, vt ex eorum recitatione frequenti geſtorum laudes Deo redderentur, ſucceſſoréſque ipſorum per amplius ad actus ſtrenuos incitarentur, ſuorum exempla prædeceſſorum imitantes. Ex incuria tamen ſeu Hiſtoriographorum carentia, Ecclypſata conſuetudo prædicta extitit à tempore obitus bonæ memoriæ Domini Eraldi de Liſigniis excluſiuè, cuius obitus dies extitit anno Domini M.CC.LXXVII. & ſic à centum annis in libro prædicto de præmiſſis ſcriptum nihil inuenitur vſque ad aduentum reuerendi in Chriſto Patris Domini Nicolai de Arceis, nunc ipſius Eccleſiæ Pontificis numero octuageſimi primi, promoti à ſancta Sede Apoſtolica, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, qui fuit ſic promotus per ſanctiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Gregorium Papam vndecimum, in tempore Aduentus Domini anno prædicto, cui Domino nunc Pontifici Eccleſiæ ſæpèdictæ viſum eſt expedire ad ipſius conſuetudinis vſum reuerti, fecitque diligenter inquiri veritatem de Geſtis Pontificum, qui dictæ Eccleſiæ medio tempore præfuerunt, & quidquid inuentum extitit, cum quanta fieri potuit diligentia ſeriatim lucidéque regiſtrari iuxta quod propoſitum per exactiſſimam habitam diligentiam in præmiſſis inuenta ſunt quæ ſequuntur: ſed cum de omnibus & ſingulis ad planum inueniri nequiuerit certitudo, pateat Lector huius operis Hiſtoriographo, qui non omnes vidit ſequentes Pontifices de quibus infra ſcripſit, videlicet primos quatuor, de quibus per relationem condignam Geſta calamo contexuit; reliquos verò vidit & ſcit, quòd vera ſunt quæ ſcripſit de iiſdem, quorum plurium ſeruitor extitit continuus, & de cæterorum geſtis ſedulus indagator. Plurima enim alia ſancta operati ſunt pro ſalute ſua, & ſuorum ſubditorum, quæ etſi in libro præſenti ſcripta non ſint firmiter credendum eſt in libris vitæ non deeſſe. Cõfiſus tamen exemplo beati Gregorij in dialogi ſui principio tertio Capite ibi, ea quæ mihi ſunt, &c. Dicentis, quòd Marcus & Lucas Euangeliſtæ quod deſcripſerunt non viſu, ſed auditu didicerunt, tunc dubitationis occaſionem legentibus ſubſtraham per ſingula quod ſcribam, quæ mihi hæc audientibus ſint comperta manifeſtabo: hoc autem ſentire cupio omnes hoc opus legentes, quòd in quibuſ-

dam ſenſum ſolummodo, in quibuſdam etiam verba cum ſenſu teneri oportet, quia ſi de perſonis omnibus & ſingulis ipſa ſpecialiter verba tenere voluiſſet, hoc ruſticano vſu prolata ſtilus ſcribentis non aptè ſuſciperet, ſeniorum valde venerabilium didici relatione, quæ narro, ſubmittens tamen hoc opuſculum correctioni debitæ, & relationi ſeniorum.

Guillelmus de Greſſio, ſexageſimus quintus Epiſcopus, natione Gallus, de Patria Vuaſtineti oriundus, nobilis genere & moribus, ſucceſſit immediatè Heraldo de Liſigniis. Hic fuit vir ſcientificus ſtrenuúſque, ita quòd ante hanc promotionem eſſet inter Eccleſiaſticos propinquior Regi aſſiſtens & authoriſabilior; ex qua cauſa, aliis ſuis virtutibus gratantius fuit dictam promotionem aſſecutus, liberalis & dapſilis multum: hic per Prouinciam ſuam multas lites, quæ à longo tempore erant inter Epiſcopos Autiſſiod. alióſque nobiles, partim per litigia, partim per compoſitiones, ad finem perduxit, ſícque in fine ſui regiminis aliquam controuerſiam non reliquit Epiſcopatui apparentem: acqueſtus plures fecit potiſſimè in territorio de Appoigniaco ſuper quibus ſuum fundauit anniuerſarium de viginti libris annualibus Eccleſiæ Autiſſiod. ſoluendis & diſtribuendis die prædicti anniuerſatij, ſeditque diu & pacificè, ſcilicet per ſexdecim annos, vel circa, attento obitu Erardi prædeceſſoris ſui, qui fuit anno Domini mill. ducent. ſeptuag. ſeptimo, huius vero nonageſimo tertio, die Veneris ante feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, eſtque ſepultus in Choro Eccleſiæ, à parte ſiniſtra Chori, contiguè ſcalis, & propè nobilem tumulum bonæ memoriæ Domini Guidonis de Melloto; imaginatum, deauratum, & ſuper nigro marmore, qui Guido fuit ſexageſimus tertius Epiſcopus.

CAPVT LXVI. De Petro de Mornayo.

Petrus de Mornayo, ſexageſimus ſextus Epiſcopus, Natione Gallus, Bituricenſis, vir nobilis, ſucceſſit in Epiſcopatu Guillelmo de Greſſio, vir vtique in vtroque iure peritiſſimus, magni Conſilij, circa Regem Autorizabilis multum, inde Cancellarius Regis factus creatus fuit Epiſcopus Autiſſiod. & vſque ad vitę exitum officium Cancellarię prædictum obtinuit: Hic fecit plures acqueſtus ſedi Epiſcopali: primò acquiſiuit terram de Odanco à Domino de Tholeta, cuius erat dicta terra, de feodo tamen ſedis Epiſc. ſed quia multas iniurias inferebant Domini de Tholeta habitatoribus Vargiacenſibus (tunc enim erat tota illa terra ſeruilis conditionis ad vſus Niuernenſis Epiſcopatus) hoc motu principali fecit acqueſtum, ad procurandam pacem & quietem ſuæ villæ Varziacenſis. Item acquiſiuit propè villam & Caſtrum de Moreto, ſpecioſam domum cum eius pertinentiis, terris videlicet & vineis, in villa de Brocia Parrochiatus de Heretiaco, propè Monaſterium de Barſel, Ordinis Ciſtercienſis, ab oppoſita parte villæ & pontis de Iamoiſio, ſuper fluuium Sequanæ: Item acquiſiuit magnam partem domorum Epiſcopalium, quæ ſunt Pariſiis contiguæ portæ, quæ nominatur Inferni, licet antiquitus ſolebat nominari de Ferto, & obtinuit à Rege magnam plateam extra muros contiguos, in qua conſtrui fecit curtilia, & viridaria amœniſſima, & circuncingi muris; ſed propter guerras demum ibidem ſunt foſſata concauata. Item dedit Eccleſiæ ſuæ Autiſſiod. ſpecioſiſſimum velum quadrageſimale quod adhuc durat, item plures acqueſtus fecit in Appoigniaco, ſuper quibus fundauit anniuerſatium ſuum viginti librarum annui redditus Eccleſiæ Autiſſiod. ſoluendarum à ſucceſſoribus ſuis. In fine dierum reſedit Regennę, & ibi vitam finiuit, adductúmque corpus eius honorificè ſepultum eſt in Choro Eccleſiæ ſuę à parte dextra iuxta tumulum nobilem Domini Guidonis de Melloto ſupraſcripti anno Domini milleſ. trecenteſimo ſexto, die ſcripta in dicto tumulo, ſic ſedit tredecim annis vel circiter.

CAPVT LXVII. De Petro de Bella-pertica,

Petrus de Bella-pertica, ſexageſimus ſeptimus Epiſcopus, Natione Gallus, de partibus Borbonenſibus, de Caſtro Bellæ-perticæ ſuper fluuium Aligeris, mediocris generis & ſtatus, ortus parentibus, ſucceſſit Petro de Mornayo prædicto, & in Epiſcopatu prouiſione Apoſtolica, & in officio Cancellariæ promotione regia, vir iſte

peritiſſimus

[illegible] in fore C[illegible] quo citra montes pater habebatur peritorum. Huius [illegible] & peritia fuit velari in dubiorum obſcuritatibuſque Iuris Ciuilis elucidandis, vt patet in libro appellationis huius, Gloſſ[illegible] videlicet ſuper libro Codicis & quamplurimorum aliorum ſcriptorum ſuorum, ſecundum quæ in ſtudiis generalibus Regni, potiſſimè Aurelianis, informantur & erudiuntur recipientes perfectionem. Habuit enim magiſtrum illum famoſiſſimum Dominum Iacobum de Rauignaco, qui [illegible] ſcripſit ſuper Digeſto veteri, quem magiſtrum ſeduſo ſequutus, tandem eidem in magiſterio eſt effectus. Ille Petrus parum reſedit in Diœceſi, ſemper vacans circa Officium Cancellariæ prædictum, & communicando Regi: verumtamen fecit introitum in ciuitate in quo Rex interfuit, & ipſum authoritate Regia induxit in ciuitatem, abſque illa antiqua ſolemnitate ſecundùm quam Comes Autiſſiodorenſis, Baro de Donzeio, Dominus de Thoccio, Dominuſque de S[illegible] Verano in Puiſaiâ, ex natura & debito feodorum ſuorum debent & tenentur portare nouum Epiſcopum ab Eccleſia Sancti Germani, vſque in Eccleſiam Autiſſiodor. ſeſe [illegible] ex parte Regia dictis Epiſcopis, & Dominis in futurum iure ſolemnitatis prædictæ. Obiit autem [illegible] annis, ſed dies incertus eſt; attento tamen die obitus prædeceſſoris ſui, & die promotionis ſucceſſoris ſui infraſcripti proximi quæ fuit anno Domini milleſimo trecenteſimo octauo, ſequitur quòd ſedit ipſe Petrus circiter annos duos. Hic fundauit quatuor præbendas in Eccleſia Villæ nouæ propè Bellampertieam, pro remedio animæ ſuæ.

EPITAPHIVM.

Hac iacet in cella Petrus cognomine Bella-
Pertica, perlucidus verbis, factis quoque fidus
Mitis, veridicus, [illegible]ns, humiliſque, pudicus,
Legibus plenus, velut alter Iuſtinianus
Summus Doctorum, certiſſima regula morum,
Pariſinorum Decanus Canonicorum,
Autiſſiodorica dignè ſumpta ſibi ſede
Tempora poſt media charus ſucceſſit ab æde,
Annis ſub mille ter C ſeptem ſimul ille,
Sulpitij feſto migrauit ab orbe moleſto:
Det ſibi ſolamen, ſpiritus almus. Amen.

Tale habet Epitaphium propter aquilam in Choro Eccleſiæ Cathedralis, in qua Decanus fuerat.

CAPVT LXVIII. DE PETRO DE GRESSIO

Petrus de Greſſio ſexageſimus octauus Epiſcopus, natione Gallus, patria Vaſtinenſis, nobilis genere vt ſuus auunculus Guillelmus ſupraſcriptus: in vtroque Iure peritus fuit, Cancellarius Franciæ, ſuiſque meritis condigno regioque fauore, & Apoſtolica prouiſione ad ſedem Epiſcopalem promotus, virtute liberalitatis ac hoſpitalitatis honore præpollens vltra contemporaneos Prælatos, relicto officio ſupradicto Cancellariæ, rexit ſedem ſuam ſtrenuè ac laudabiliter ab omnibus dilectus: cuius hoſpitalitatis ſingularitas nullum petentem excluſit, tandem pondere carnis onuſtus, & ob hoc in regiminis exercitio taliter impeditus, Coadiutores habuit, & finaliter, ad diem extremum veniens animam Deo reddidit vigeſima prima die Septembris, videlicet in feſto Sancti Mathæi Apoſtoli, anno Domini MCCCXXV cuius corpus ſepultum eſt honorificè in Choro Eccleſiæ Autiſſiodor. iuxta tumulum auunculi ſui ſupradicti, à parte Chori ſiniſtra contigua tumulo Domini Guidonis de Melloto ſupraſcripti.

CAPVT LXIX. DE PETRO DE MORTVO MARI.

Petrus de Mortuo-Mari, ſexageſimus nonus Epiſcopus, natione Aquitanus genere mediocri, vir acutiſſimi ingenij, vtriuſque Iuris Profeſſor ſolemnis inter Conſiliarios Regis ſtrenuiſſimus, à ſancta ſede Apoſtolica Regiatum interuentu precum, ac eius exigentibus meritis promotus, ſucceſſit Petro de Greſſio, proximo ſupradicto, & intrauit cum debita ſolemnitate ciuitatem & Eccleſiam Autiſſiodor. cum principibus & Dominis aliis temporalibus, qui

[illegible] d[illegible] & portare [illegible]. Inter quos fuit Comes Flandren[illegible] de Donzeio, qui Com[illegible] facto homagio ipſi Epiſco[illegible] prius fuit rape[illegible] a [illegible] Ep[illegible], ſed non potuit, verum [illegible] ſit Ep[illegible] pius ſe [illegible] ſi ſpectaret ad ius ipſius Comitis, & ſibi fu[illegible] ho[illegible]ionem: ſtrenuè rexit ſedem, ſed parum, quia effectus extitit [illegible] ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, in quo ſtatu vixit partem ſollicitudi[illegible] ctæ Eccleſiæ ſtrenue portans, & [illegible] vita [illegible]matus fundauit in loco [illegible] n s propriæ quatuor Conuentus Ordinum Monachorum, videlicet Ca[illegible]ſium, & alios duos ordinum Mendicantium: tandem ab humanis deceſſit [illegible], corpuſque eius deportat[illegible] ad locum prædictum inter dictos Re[illegible]ſos tumulatum: [illegible] fuit anno Domini [illegible] ſimo trecenteſimo vi[illegible] quarto, [illegible] ad hanc ſedem, & vigeſimo octauo, [illegible] Natiuitatis Domini ad Cardinalatum: ſic ſedit per tres annos in ſede Ep[illegible] obiit autem circiter annum milleſimum trecenteſimum trigeſimum-ſextum in nouitate Papæ Benedicti [illegible]. Fuerat antiquus ſocius ſpecialis illius magni vi[illegible] quem fecit Ioannes Papa [illegible] videlicet Epiſcopi Captur[illegible]cenſis: ſed ſapienter recedens de Curia ad refugium venit ad Regem Franciæ, qui ipſum honorificè recepit in magnum Conſiliarium, & poſtmodum in Cancellarium, & tandem fuit Regis compater: ex his proceſſit ſua digna promotio prædicta.

CAPVT LXX. De Talerando.

Talerandus, filius Comitis Petragoricenſis, natione Aquitaniæ nobiliſſimus vir & Iuris Ciuilis peritus, Apoſtolica prouiſione promotus ſucceſſit prædicto Petrô de Mortuo mari, non intrauit ciuitatem, quaſi continuè manſit ſtudendo in domo de Odant prope Verziacum, quæ fuerat acquiſita per Dominum Petrum de M[illegible]nayo ſupra dictum, in qua dictus Talerandus ſpecioſam aulam ac Cameram conſtrui fecit, & ad opus ſtudendi vnum Clauſtrum tetro ad modum reli[illegible]ſorum. & ibi multum profecit ſtudendo. demum aſſumptus in Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in quo ſtatu ſtrenuiſſime ſe habuit: fuitque ad ſedem Autiſſiodoren[illegible] promotus anno Domini M[illegible]X[illegible] VIII. & tranſlatus ad Cardinalatum anno ſe[illegible]ti triceſimo, & vacauit ſedes [illegible] per annum, propter contrarietatem promi[illegible] durantem in ſancto Collegio promouendi Dominum Stephanum de Mornayo Cancellarium Franciæ, ſed [illegible] aduerſarios, ideo promotus fuit ille [illegible] ſequ[illegible] anno trigeſimo primo, in [illegible] Natiuitatis Domini: ſic ſolum ſedit Ta[illegible]randus [illegible] annos. Obiit Cardinalis anno milleſ. trecenteſimo ſexage[illegible] quarto. ſepultus Auenioni & [illegible] tranſlatum dicitur corpus ad partes ſuas. I[illegible] legauit pro anniuerſario ſuo fundando in Eccleſia Autiſſiodor. centum florenos & ſolut[illegible] ſunt.

CAPVT LXXI. De Aymerico.

A[illegible]us Guenaudi, natione Gallus, patria Pictauenſis, ſeptuageſimus pri[illegible]s Epiſcopus, vir nobilis genere, ſcientia, & moribus, legum Profeſſor, Conſiliarius Regius in Hoſpitio regio reſidens & officium Magiſtri Requeſtarum [illegible] tempora. Tandem Rege & Regina intercedentibus & exigentibus meritis [illegible], promotus eſt ad ſedem Autiſſiodorenſem poſt prædictum Tal[illegible]ra[illegible]m anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo, Sabbato in quatuor Temporibus ante feſtum Natiuitatis, tempore Domini Ioannis Papæ vigeſimi-ſe[illegible]di. Hic vir magni honoris extitit, omnibus amabilis, caritate plenus, n[illegible] dol[illegible] atque ſtatum multum habens g[illegible]tum, pacificè rexit [illegible] ſuo te[illegible]ore, ex[illegible] litig[illegible] magno, quod habuit cum religioſis de Cha[illegible]tate videlicet P[illegible] d[illegible] Boniaco, pro duobus Clericis Anglicis, quos ſuſpendi fe[illegible] Pia[illegible]tus d[illegible] B[illegible]o, vi[illegible] v[illegible]liter proſecutus factum huiuſmodi propter quod miſit in Angliam [illegible] p[illegible] vi[illegible]s, quorum vnus nominabatur Bouteu[illegible] de Autiſſiodoro, ad [illegible]dum & [illegible]tendum de titulo Clericatus in tantum quod habuit expl[illegible] iuſtitiæ, per Curiam Parlamenti ad honorem iuriſdictioni[illegible]tualis. Hic conſecrauit maius altare S. Stephani anno milleſ. trecenteſimo trigeſimo-quarto, fundauitque vnam Capellaniam ad altare S. Martini in Eccleſ. Aut[illegible] de

viginti libris annui & perpetui redditus ſuper pluribus conqueſtibus per eum factis in Appogniaco. Item fundauit anniuerſarium ſuum de viginti libris Turonenſibus annui & perpetui redditus ibidem percipiendis. hic primus conſtruxit claperia cuniculorum Regennis in Garenna, tranſlatus fuit ad ſedem Rothomagenſem anno XXXVIII. ſic rexit per octo annos.

CAPVT LXXII. De Ioanne Blangy.

Ioannes de Blangerii ſeptuageſimus ſecundus Epiſcopus, natione Gallus, patria Normannica, famoſus magiſter in Theologia ſtudens ac legens Pariſius Domini Benedicti Papæ duodecimi motu proprio in tranſlatione Domini Aimerici, promotus extitit ad ſedem Epiſcopalem Autiſſiodor. anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimooctauo; memor enim extitit quod fuerant ipſi ambo contemporanei in ſtudio Pariſienſi in dicta ſcientia, & in eius lecturam concurrentes, & etiam Licentiæ, & Doctoratus inſimul honorem atque culmen pariter aſſecuti, idcirco de ipſo proprio motu prouidit Eccleſiæ Autiſſiod. in qua tamen parum rexit, ſemper anhelans Pariſios reuerti. & ob hoc tempore Domini Clementis Papæ VI. ſupradicti Benedicti Papæ vndecimi ſucceſſoris ceſſit Epiſcopatui ſuo, & certa penſione pro ipſo ad vitam ordinata à ſede prædicta reuerſus Pariſios pro vita contemplatiua ducenda, cùm per nauigium veheretur frigora paſſus & rheuma, febrem incurrit continuam, in qua intrauit Pariſios, & infra paucos dies expirauit, & corpus eius in Eccleſia Fratrum Cartuſienſium inhumatum eſt, tempore Paſchali, anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimoquinto, menſe Aprili: hic ſedit circiter ſex annos.

CAPVT LXXIII. De Petro de Villanis.

Petrus de Villanis ſeptuageſimus tertius, natione Gallus, patria Normanniæ, ex gratia ſedis Apoſtolicæ per præfati Domini Ioannis de Blangy, renunciationem, promotus ad ſedem Epiſcopalem, extitit vir nobilis, facundus & ſtrenuus, loca fortalitiorum de Regennis & Villa-Catuli reparauit, & in forma debita fortalitiorum poſuit & muniuit machinis gallandis & foſſatis, & demum tranſlatus extitit ad ſedem Baiocenſem, vnde erat oriundus. Fecerat tamen in domo Odanti Capellam & Cameram opere Regali nobiliſſimo. Hic libertate donauit homines & terram de Odanto, mediante annuo redditu bladi, & aliorum per ſingulas familias & domos, ſed ſucceſſor infra ſcriptus ſe fortiter oppoſuit huic conceſſioni & ex cauſa. Cùm vero fuit in ſedem Baiocenſem tranſlatus, vrgente guerrarum rigore pœnituit ſe dimiſiſſe primam ſedem, tranſlatus autem extitit de Autiſſiodorenſi ad Baiocenſem Eccleſiam circa annum Domini milleſimum trecenteſimum quadrageſimum. ſeptimum: hic ſedit circiter tres annos cum dimidio. Hic per Comitem Autiſſiodorenſem ſolùm ingreſſus fuit ciuitatem hora veſpertina Sabbato. In craſtino tamen fecit conuiuium aliis nobilibus minimè requiſitis & inſciis. Fuit igitur promotus ad ſedem hanc Autiſſiodorenſem per reſignationem ſupra proximè ſcriptam Ioannes de Blangiaco, anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo-quarto, more Gallicano in hyemali tempore videlicet poſt feſtum Natiuitatis Domini. Sic ſedit tribus annis cum dimidio ſepultus eſt Baiocis, dies apud nos non eſt certa.

CAPVT LXXIV. De Bernardo Bruni.

Bernardus Bruni ſeptuageſimus quartus Epiſcopus, natione Gallus, patria Lemouica, de Epiſcopatu Morinenſi tranſlatus extitit ad ſedem Autiſſiodorenſe ſtatim poſt tranſlationem proximè ſupradicti Petri de Autiſſiodorenſi ſede ad Baiocenſem anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo-ſeptimo, in Pentecoſte. Hic vir antiquiſſimus & ſapientiſſimus atque ditiſſimus vltra omnes prælatos contemporaneos, ſtrenuiſſimus iurium Eccleſiæ cuſtos & proſecutor non intrauit ciuitatem ſuam. Hic incœpit infirmare libertatem, quam contulerat ſuis prædeceſſor hominibus terræ de Odento, & quia infirmitate grauatus, de qua obiit, nequibat tempore ſuo dictam litem perducere ad

optatum finem, reliquit in ſuo teſtamento legatum nulle florenorum auri [illegible] ſori ſuo infraſcripto, in proſecutionem dictæ litis contra dictos homines & [illegible] tra prædeceſſorem ſuum duntaxat conuertendos. Huic erat modus viuendi talis, quòd in ortu ſolis prandebat, & ante horam Nonæ cœnabat, quem modum à nutrimento iuuentutis teneræ dicebatur accepiſſe a quodam auunculo ſuo Cardinali, qui ſic viuebat. Obiit autem in Caſtro de Villa Catuli, anno Domini millesimo trecenteſimo quadrageſimo nono, circa feſtum Omnium Sanctorum, & fuit corpus ſuum ad Lemouicas portatum, & tumulatum. Sedit per duos annos, & quatuor menſes. Hic multùm diligebat manſionem de Odento, & circuncinxit locum & domum pallicius, & magnis turribus, & conſtrui fecit ibidem tres turres quadratas, non deficiebat niſi vna, quin fuiſſet ibi fortalitium quadratum muris correſpondentibus de turre ad turrim, ſed totum hoc fuit poſt modum deſtructum tempore guerrarum Domino Iterio la Iaroſſa exiſtente Epiſcopo, vt inferius continetur.

CAPVT LXXV. De Petro de Croso.

Petrus de Croſo, ſeptuageſimus quintus, natione Gallus, Patria Lemouica, excellens magiſter in Theologia, priùs Decanus Pariſienſis, deinde Epiſcopus Syluanectenſis, demùm ad ſedem Autiſſiod. tranſlatus à Domino Clemente Papa VI. per obitum ſupra proximè dicti Bernardi. Fuerant enim dictus Dominus Papa, & ipſe contemporanei in ſtudio legendo & regendo, eránque Compatriotæ. Hic vir vna cum ſcientiæ excellentia gratia maxima pollebat in loquela, omnique geſtu multum amabilis vniuerſis, prudénſque & callidus in agendis. Hic receptis mille florenis ſupra proximè dictis pro litigando contra homines de Odanto, incœpit perſeuerare in dicta lite. Tandem amabiliter tractatum & concordatum extitit, quod annuos redditus loco ſeruitutis creuerunt ſuper quolibet de aliqua portione ſic fuit lis ſopita, & ſtatim aſſumptus extitit Cardinalis, non intrauit ciuitatem, ſed in ſuo receſſu appropinquauit eandem in pratis propè fontem Sancti Amatoris, & ibi egregiè prædicauit, & à Clero & populo honeſtè accepit commeatum. Sedit per annum vnum cum dimidio, fuitque aſſumptus Cardinalis in principio Anni quinquageſimi primi circa feſtum Natiuitatis Domini, obiit autem Cardinalis in Curia Romana, videlicet Auenione, menſe Septembri, Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo. Hic legauit magnam ſummam Florenorum Eccleſiæ Autiſſiodor. pro ſuo anniuerſario, ſed teſtamentum abſconditum eſt, & non adhuc potuit veritas inueniri. Sepultum eſt corpus in Eccleſia Fratrum Prædicatorum.

CAPVT LXXVI. De Avdoyno.

Avdoynvs Septuagmeſius ſextus, natione Gallus, patria Lemouica, anno Nouiomenſis, poſtea Pariſienſis Epiſcopus, demum tranſlatus ad ſedem Autiſſ. in tranſlatione dicti Petri prædeceſſoris ad Cardinalatum, videlicet in principio anni milleſ. trecenteſimi quinquageſimi primi, in Natiuitate Domini. Hic vir erat peritus in vtroque Iure & Conſultiſſimus: Arbitratum autem extitit ab eo cum conſenſu Decani & Capituli Autiſſiod. quòd inutilis & damnoſa erat domus de [illegible] lo-reditu propter magnas reparationum miſſiones; attenta pluralitate domorum Epiſcopalium alibi, & propè exiſtentium: ordinatum tamen fuit retineri in ſtatu ſtabula longa duplicia. Intra aream dictæ domus ac magnum altúmque portale in introitu domus, ac paruam domum dicto portali contiguam ad recipiendum gentes Epiſcopi illuc pro venando vel aliter accedentes, item furnum ab alia parte portalis, & hæc viſa ſunt ſufficere pro colono & familia, ad opus nutrimenti pecorum, ibidem collocandis in futurum. Tranſlatus fuit ad Cardinalatum per hunc modum, quia illo tempore erant duo Cardinales ſub nominatione Autiſſiodorenſi, videlicet Talerandus Petragoricenſis, & Petrus de Croſo: Tranſlatus extitit ad ſedem Magalonenſem, anno quinquageſimo tertio, more Curiæ Romanæ in Natiuitate Domini, more autem Gallicano, anno quinquageſimo ſecundo, in feſto Purificationis Beatæ Mariæ, ſequenti factus Cardinalis, & ſic nominatus fuit Cardinalis Magalonenſis. Hoc fuit tempore auunculi ſui Domini Innocentij

[illegible] in nouitate ſui Pontificatus, videlicet primo anno reuoluto, ſedit per duos annos Autiſſiodori, minus duobus menſibus, obiit anno ſexageſimo quarto, menſe Maij, die vndecima Auenione, & ibidem tumulatus eſt in Monaſterio Fratrum Cartuſienſium, quod eſt in Regno iuxta Villam-nouam, quòd fundauit Dominus Innocentius auunculus ſuus prædictus: pro fundando anniuerſario ſuo dedit Eccleſiæ Autiſſiod. trecentos florenos auri, & ſoluti ſunt.

CAPVT LXXVII. De Ioanne de Avxeio.

Ioannes de Auxeio, ſeptuageſimus ſeptimus, Natione Gallus, Patria Burgundus, nobilis vir proſapiæ de Turnella in Comitatu Niuernenſi, in vtroque iure peritus, priùs Epiſcopus Trecenſis, electus per viam Sancti Spiritus, quæ via non habuerat in Regno Franciæ in aliqua Cathedrali Eccleſia effectum à longinquis temporibus ſucceſſit in Epiſcopatu Autiſſiodorenſi ſupradicto Audoino proprio Papæ motu. Hic extitit homo mitis, pius, miſericors, & hoſpitalitati plenè deditus, tam in Trecenſi quam in Autiſſiod. Epiſcopatibus, ſedit annis ſexdecim, videlicet in Trecenſi decem & in Autiſſiod. ſex annis, minus tribus ſeptimanis: promotus enim fuerat Autiſſiodori anno quinquageſimo tertio in feſto Purificationis B. Mariæ Virginis ſecundùm morem curiæ Romanæ, & obiit octaua die menſis Ianuarij anno quinquageſimo nono, iuxta dictum morem computando. Hic vir ſingulis annis, quandiu præfuit Trecenſi ſedi, Viſitationis Officium perfectè exercuit, & officium Epiſcopale, tam in ordinum celebratione, quàm alijs indefinenter & in propria perſona extitit executus, & ibidem cum magnis ſumptibus corpus ſanctæ Syriæ tranſtulit, & in altum collocauit honorabiliter in theca condecenti. In ſede Autiſſiodorenſi Ordines indeficienter celebrauit in propria perſona, vltimis exceptis videlicet ante feſtum Natiuitatis Domini ante eius obitum, quia erat graui infirmitate detentus, vt apparuit ex obitu: eo enim tempore in die feſto Conceptionis Beatę Mariæ Virginis, inimici Angli nomine Regis Nauarræ ceperunt violenter fortem domum de Regennis, ex quo cor ipſius fuit vehementer aggrauatum: cúmque de die in diem ad inſultum procederent contra ciuitatem Autiſſiodorenſem, tandem die Iouis poſt Epiphaniam Domini hora nona clamor inſiluit ad arma, quia inimici dabant ciuitati inſultum: eadem hora ingraueſcente infirmitate ſua Sacramentum Extremæ vnctionis recepit, ad quod cum magna perplexitate perſonæ Eccleſiaſticæ armatæ de murorum cuſtodia propter hoc redeuntes interfuerunt, quo facto more Beati Auguſtini, qui in forma ſimili vitam finiuit, lachrymis vtens propane, cum ſenſuum integritate & perfectione loquelæ animam ſuam Deo commendans, cum lachrymis Deo reddidit animam, fuitque venerabiliter tumulatum eius corpus in choro Eccleſiæ Autiſſiod. à parte ſiniſtra inter tumulum nobilis domini Guidonis de Melloto & ſcalam de choro. Hic fecit introitum ſuum primum in ciuitate Autiſſiod. cum tota ſolemnitate debita, orta tamen fuit diſſentio de Pallio Serico ſuper Cathedra, & ſuper ipſo exiſtente, quod pallium, portantes, dum deſcendit de humeris eius cæperunt & ſecum aſportauerunt, ad ipſos ſpectare vniuerſaliter aſſerentes, & quia de reddendo fuerunt ſub excommunicationis pœna moniti, ortum fuit ſcandalum, propter quod ingreſſum turris de Thociaco & turris de ſancto Saluatore eidem poſtmodum denegauerunt, ſed poſtmodum informarunt de ſua poſſeſſione iterata per tres vices quoad dictum Pallium: ideirco mandauit eis reddi dictum Pallium quod poſitum fuerat de communi conſenſu in manu ſequeſtra, & qui hæc ſcripſit, ſcit quod vera ſunt, quia in omnibus interfuit. Cæterum cùm in primo ſuo introitu non fuiſſent hora debita gentes Archidiaconi Senonenſis, venerunt tamen, dum fuit ante altare, inthronizaueruntque cum in Cathedra. Malè verò contenti de eo, quia intrauerat portas Eccleſiæ ſine eorum authoritate, petierunt poſtea marcham auri cauſa dictæ inthronizationis, quibus fuit reſponſum ab Epiſcopo quod deliberaret ſuper hoc, poſtea concordando cum eis diu poſtea miſit quaſi mediam partem valoris dictæ marchæ, & fuerunt contentæ dictæ gentes. Inſuper fuit Senonis [illegible] Ioannes, & fecit profeſſionem ſolitam ſuper altare, & ſoluit certam ſummam pecuniæ circiter ſex libras, & poſtea ſatis citò miſit illis cappam ſericam, ſecundùm antiquam conſuetudinem, quam ſe ſcire dicebat, quia alias ibi ſoluerat cappam

[illegible]ſa. Hic ordinauit duplex officium in Eccleſia Autiſſiod. die feſto De[illegible] [illegible]ſancti Ioannis Baptiſtæ. Qua die ſuum primum fecit introitum Au[illegible]ſſ[illegible] [illegible]que teſtamento legauit Eccleſiæ Autiſſiodorenſi centum libras per [illegible] pro anniuerſario ſuo fundando, vt patet ex tenore huius teſtamenti. Item in v[illegible] ſua dedit Eccleſiæ Autiſſiod. librum, qui vocatur Rationale officiorum diuinorum, ſed propter deſtructionem ciuitatis diu nequiuit inueniri, ſed poſtea per Dominum Petrum de Auxio eius nepotem & hæredem fuit inuentus, & ipſ[illegible] d[illegible]tinet in præſenti.

CAPVT LXXVIII. De Iterio de Iaroſſa.

Iterivs de Iaroſſa ſeptuageſimus octauus, natione Gallus, patria L[illegible]cenſis, nobilis genere, vir in vtroque iure peritus, ſtrenuus in facto & in iu[illegible] ſpiritualibus & temporalibus, homóque magnanimus poſt dicti Ioannis de A[illegible]o obitum manens in curia Romana multum familiaris Papæ per ſedem Apoſtolicam promotus eſt ad ſedem Autiſſiod. & per procuratorem receptus die octaua me[illegible]s Martij, videlicet Iouis poſt ſacros cineres, Anno prædicto milleſimo trecent[illegible]o quinquageſimo octauo, more Gallicano, more vero Romano quinquageſim[illegible]o-no: Dominica vero ſequenti in Aurora fuit ab inimicis, videlicet Ang[illegible]is, no[illegible]c Regis Nauarræ capta ciuitas cum ſcalis per negligentiam cuſtodum in parte p[illegible]r-tinente ad cuſtodiam Burgenſium, qui inimici tot & tanta mala fe[illegible]r[illegible]t, ta[illegible] perſonis quàm in bonis, quòd enarrari non poſſit, nedum in deſtruendo ciuitatem ſolùm, ſed totam patriam ſubſequenter, & totum Regnum, tenue[illegible] ciuitatem ab vltima die Martij, anno prædicto vſque ad diem feſti Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis proximè ſequentem, in cuius feſti media nocte venit Coneſtabularius Franciæ cum quinquaginta millibus armatorum inter quos erat vir ſtrenuus prouectuſque in facto armorum Dominus Henricus de P[illegible] Epiſcopus Trecenſis, & intrauerunt ciuitatem, obturaueruntque portas, & cum inenarrabili diligentia ſuper muros raſos poſuerunt cado[s] vacuos, quos impleuerunt lapidibus & his in forma propugnaculorum & mœniorum circumdederunt & munierunt omnes muros in die & nocte cum dimidio. Dem[illegible] competentibus ſtatuerunt, munieruntque ciuitatem quadringentis [illegible]orum, & magno brigandorum numero ad cuſtodiam ciuitatis, qui [illegible]t longo tempore, ſed Rex Angliæ cum ſuo exercitu, Campaniam, Burgu[illegible]di[illegible]m & partes Autiſſiodor. occupauit & vaſtauit; Treugis verò inter ipſum Re[illegible] & Ducem Burgundiæ concordatis, receſſit de Ducatu Burgundiæ & [illegible] per partes Aurelianenſes, poſt treugas inter dominum Regem & ipſum [illegible] & concordatas & ipſius Regis Angliæ receſſum, prædicti homines armor[illegible] & brigandi, qui iam cuſtodiendo ciuitatem ipſam & patriam ſpoliauerant [illegible] b[illegible] omnibus, dimiſſa ciuitate huc atque illuc diuiſi per ſing[illegible]as de ſe pl[illegible]s fortia loca furtim intrauerunt, & non minùs quàm h[illegible]es patriam [illegible]pp[illegible]t per annum & vltra, caſtrum ſeu fortalitiam de Reg[illegible]nis, qu[illegible]d de m[illegible]glorum Rex receperat, & teneri faciebat munitum gentibus armorum per B[illegible]uos Trecenſem & Calui montis in proprijs perſonis, ibidem reſidentes. Ipſe R[illegible]x reddidit dicto Epiſcopo Iterio ad rogatum Domini Papæ Innocentij quinti, [illegible] cautione tamen quod taliter cuſtodiretur, quod de eo non poſſe[illegible] un[illegible] periculum regno in poſterum euenire, quòd caſtrum & tunc cum magnis mi[illegible]bus tam reparationũ & fortificationum, quàm munitionibus armatorum p[illegible] cu[illegible]o-dia extitit ſuo tempore cuſtoditum, magna ſimiliter pecuniæ ſumma d[illegible]s ſoluta pro miſſionibus cuſtodiæ de ſuo tempore. Tẽpore etiam huius Ep[illegible]p[illegible]tatores Varziacenſes conſiderantes quòd inimici [illegible]diabantur eis [illegible] ac [illegible] quód proponebant fortificare locum de Odanto in præiudicium & peri[illegible]ul[illegible] villæ de Varziaco, deſtrui fecerunt locum dictum de Odanto. H[illegible] cum propo[illegible]ret venire ad ſuam Diœceſim, peſte inguinaria, quæ vigebat in Ro[illegible] C[illegible] ſuffocatus in [illegible]reui finiuit dies ſuos, octauo die m[illegible]ſis Iunij, anno Do[illegible]ſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, & in craſtino die corpus eius traditum [illegible] ſepulturæ honorificè in Eccleſia Fratrum Prædicatorum. Diſpoſuerat aute[illegible] fertur, ſedes Apoſtolica ipſum transferre ad ſedem Arelatenſem, vt po[illegible] mod[illegible] ad Cardinalatum proueheretur. Multum enim erat clarus & notus ſum[illegible]n-

[illegible] à Carolo [illegible], qui [illegible] reputat [illegible] verum & ſapie[illegible] [illegible] perdum [illegible] [illegible] [illegible] erſat. [illegible] [illegible] leg[illegible] [illegible] centum francos au[illegible] & [illegible]

CAPVT LXXIX. De Ioanne Germani.

IOANNES Germani Epiſcopus [illegible] nonus, natione Gallus, patria B[illegible] Senonenſis, ortus de Dimonte. Primò fuit Decanus Eccleſiæ Autiſſiod. poſtea [illegible] Epiſcopus Cabilon[illegible] ad preces Reginæ Franciæ, cuius erat [illegible] conſiliarius: d[illegible] motu proprio Papæ tunc Innocentij V. ipſo [illegible] ſedem Autiſſiodor. per obitum ſupradicti Iterij prædeceſſoris, [illegible] [illegible] nriatus, [illegible] in conſilijs, conuerſ[illegible] in hoſpitio Reginæ [illegible] [illegible] ter conſiliarios [illegible], & præcipuus, & deinde de ſecreto Regis Ioannis conſilio, quo Rege red[illegible] de captiuitate Angliæ, adueniente in Burgundiam, [illegible] Ducatus adepturus ex ſucceſſione vltimi directæ lineæ deſcendentis Ducis, videlicet Philippi generi Comitis Flandrenſis duxit ſecum dictum Epiſcopum [illegible] palem conſiliarium, & authoritate R[illegible] introduxit eundem in [illegible] Autiſſ. non obſ[illegible] deſe[illegible] ſolemnitatis antiquæ, quæ debebat in primo e[illegible] [illegible] cuſtodiri, videlicet in vigilia iacere in Monaſterio ſancti Germani, & in Craſtino in Cathedra portari per Niuernenſem pro Baronia de Do[illegible]iaco, per Autiſſiodorenſem pro Comitatu, per Barenſem pro terra de Puiſaia Comites, ne[illegible] & per Dominum de ſancto Verino deportari ad portas Autiſſiodor. Eccl[illegible] prædictæ proprijs humeris, & poſtmodum iurare in eius fidelitate de terris ſupradi[illegible], voluitque & conceſſit Rex prædictus nulli inferri in futurum præiudicium ex di[illegible] ſolemnitatis defectu, [illegible] cuiuſcumque in poſt[illegible] authoritate [illegible] Regiæ reſeruatur. Mod[illegible] [illegible] prædicti [illegible] eſt expediens h[illegible] aſſignare: pranſo Rege præd[illegible] venit Rex in veſperis Autiſſiodorum, & in intro[illegible] portæ [illegible] Epiſcopus iuxta [illegible], & paulo poſt antici[illegible] curam Regis, venitque ante porta[illegible] Eccleſiæ in veſtibus conſuetis [illegible] equo acceſſit orare ante Imaginem Beatæ Mariæ V[illegible] [illegible], & [illegible] perfecta oratione regreſſus extitit in habitu Eccleſi[illegible] ante [illegible] Eccleſiæ, oblatoque ſibi libro continente formam iuramenti noui Epiſcopi, [illegible] ad ro[illegible]atum Decani leg[illegible], & deuote dictum præſtitit iuramentum: demum dictus Decanus tradidit eidem poſſeſſionem Eccleſiæ, per cordæ tympan[illegible] per ſuperiorem feneſtram ante fores prædictas proiectæ appreh[illegible], & [illegible] fores fuerunt apertæ. Illicò aduenit ibidem Rex prædictus, & deſcendit de [illegible], & venit ad orandum coram imagine ſupradicta, quo facto [illegible], & [illegible] ſimul Eccleſiam intrauerunt Epiſcopus a dextra, [illegible] R[illegible] ſiniſtra parte, & choro decantante hymnum, *Te Deum laudamus*. In ordine pr[illegible] venerunt [illegible] altare, & oratione ab eorum vtroque perfecta, dictaque antiphona [illegible], dictus Epiſcopus orationem alta voce protulit: ſic poſſeſſionem [illegible], ſic receſſerunt ambo, & comitatus Regem ad locum, quo [illegible] acceſſit Epiſcopus ad domum Epiſcopalem in propoſito celebrandi O[illegible] no: prædicta enim facta fuerunt die veneris poſt feſtum Beatæ Lucæ: ſed [illegible] Rege accelerante receſſum, cùm patria & potiſſime ciuitas multa ardua haberent agere erga Regem, dictus Epiſcopus [illegible] hoc vacauit, & ob [illegible], Ordines minime celebrauit, ſed comitato Rege vſque ad Sanctum [illegible], rediit [illegible] in prandio, & poſt miſit ad ſanctum Germanum pro habendis [illegible] ſed ad religioſorum requiſitam, poſuit eos in ſufferentia, & de[illegible] compo[illegible] extitit inter ipſos. In craſtino autem huiuſmodi [illegible] venit Officiarius Archidiaconi cum vno Canonico [illegible] & [illegible] quoniam de inthronizatione prædicti Epiſcopi, quem [illegible] ad domum ſuum Archidiaconum: quo a[illegible], [illegible] accedi[illegible] mane ad Eccleſiam, & pro [illegible] Archidiaconi [illegible] Officiarius & Vicarius Archidiaconi [illegible] ipſum Epiſcopum in Cathedra [illegible] quæ [illegible] à parte dextra altaris, poſtmodum petiit vnam [illegible] pro prædicto Archidiacono ex cauſa inthronizationis prædictæ. Item pro [illegible] officio marcham argenti, & dictus Canonicus totidem ex conſuetudine antiqua, quæ [illegible] fuit

poſita in deliberatione, & ponitur facere quod eſſet ... Domini ... ſequenti ... communium, & die Lunæ ſecutus fuit Re... gaudium & ... Reg... in al ... Iraribus Ducatum vſque ... immed... feſtum Reſurrectionis Dominicæ, incipiente anno Domini ... trecenteſimo ſexageſimo ... reuerſus dictus Epiſcopus de Burgundia ... in Epiſcopatu faciens ordines, & alia ministeria Epiſcopalia, culturas reficiens ... terris & vineis, fortalitia & alia ædificia diligenter reparans, ac muniens, & inter cætera redimens caſtrum ſuum Villæ Caroli de manibus illorum, qui illud tenebant de tempore prædeceſſorum, & reddere renuebant, eis ſoluit octingenta ſcuta auri, nec non pro terra ſua de Toci aco, ſo... tenentibus turrim dicti loci magnam floren... ſummam: qu... acta exiſtens in caſtro ſuo prædicto Villæ Caroli, cum vigeret ... in parti... us Autiſſiodorenſibus, tum ... ſub aſſecli... ſum arripuit, qui in breui coegit animam ſuam à corpore ſeparari, cum magna deuotione & ſacramentis Eccleſiæ, Euchariſtiæ ſcilicet & Vnctionis extremæ perceptis, & teſtamento perfecto, & omnibus recte diſpoſitis. Hic ſui regiminis tempore, imo ... anni ſpatio contulit decem Canonicatus & præbendas Autiſſiodorenſes, quod de nullo ſuo prædeceſſore auditum eſt ... ratimen perſonas bonas aſſi... omnes de patria Autiſſiod. vel Senonenſi oriundas. Obiit autem in vigilia feſti Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, in caſtro ſuo Villæ Caroli, & fuit adductum corpus eius Autiſſiodorum, & ho... tificè ſepultum in choro à parte dextra prope ſedes chori. prima eſt ſua ſepultura a parte ſup...iori, & cùm promotus ad dictam ſedem fuiſſet, anno præcedenti circa feſtum beati Ioannis Baptiſtæ, ſequitur quòd ſedit ſolùm per vnum annum, & circiter duos menſes. Hic reliquit pro ſuo anniuerſario Eccleſiæ Autiſſiod. decem libras annui redditus.

CAPVT LXXX. De Petro Aymonis.

PETRVS Aymonis octuageſimus Epiſcopus, natione Gallus, de Alnetri ... partibus oriundus, Iuris Ciuilis Doctor, & de officio Subdiaconatus Domini Papæ Vrbani quinti ſumptus, promotus fuit ad Epiſcopatum huiuſmodi per prædictum Sanctiſſimum Patrem Dominum Vrbanum quintum in ſuâ nouâ creatione, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, circiter feſtum omnium ſanctorum, & fuit hic Petrus prima perſona, quem promouit ipſe Papa in Epiſcopatum. Hic fuit ... norabilis, & ceremonialis in ſuis factis, tam Eccleſiaſticis quàm mundanis, morum hon... ſtorum, & dapſilis, affabiliſque: quippe nutritus erat in curia Romana, tam circa Cardinales, quam circa ſummos Pontifices, quibus virtutibus prædictis ... quamplurics extitit in factis maximis Regni Ambaſiator ... ſæpe ſolus ſine ſocio erga Papam, Imperatorem Regem Angliæ, R... Hungariæ, in quibus ... plures & multipliciter verſatus, in ſecreto Domini noſtri Regis ... honorificè collocatus. Huius tempore ſemper fuerunt guerræ, viriliterque, & cum magnis miſſionibus cuſtodiri fecit ſua fortalitia, pot... vero Regennarum & Villæ-Caroli, & repa... hoſpitium Epiſcopale Autiſſiodorenſe, & ſimiliter domum ſuam Epiſcopalem Pariſienſem, ... amabilis atque dulcis ipſum adeuntibus, nihil tamen de negotiis ... tibus habentibus agere cum eodem. Multùm præſumebant ipſum Cardinalari ſuis meritis & interceſſionibus Imperatoris, & Regum ſuprascriptorum, & fauore plurium Cardinalium, quorum in ſcholis ſocius extiterat; ſed ... mor... disjuncta fuit in eo corporis & animæ ſocietas, anno Domini milleſimo ... ſeptuageſimo tertio, menſe Septembri, die ſecunda in domo Epiſcopali Autiſſiod. ... corpus de... traditum ſepulturæ in choro, ante ſcalam ... ſepulturam bonæ memoriæ Domini Ioannis de Auxeio, quæ ... ſepulturæ bonæ memoriæ Domini Guidonis de Melleto quondam Epiſcopi Autiſſiod. ... & eius nepotis Domini Heraldi de Liligniis ſimiliter Epiſcopi, qui ... in eodem ſarcophago ac tumulo qui Eraldus fuit primus ... de Autiſſiod... Cardinalis. De obitu eius R... & quomodo ... oſſa ... Eccleſiam ſuam plenius ... ſuperius in ... primum Geſt... um Pontificum Eccleſiæ

Autiſ-

Autiſſiodorenſis. Ipſe Petrus ingreſſus fuit ciuitatem, Primum introitũm faciendo, ſine ſolẽnitate antiqua & conſueta, ſine deportatione ad Eccleſiam faciẽnda per nobiles feodatarios Eccleſiæ, de quibus ſolus Comes aſſociauit eum in dicto ingreſſu nouo.. Cum ex relatu antiquorum & fama vetuſtiſſima teneretur quod per libros, literas vel alia documenta ſiue narrata quoruncunque non apparebat litigium in forma litigiali fuiſſe inter aliquem Epiſcopum Autiſſ. & Decanos & Capitulum Eccleſiæ Autiſſ. iſte primus litigium habuit cum eis ſuper pluribus ſummis pecuniarum & rerum aliarum annuatim ab Epiſcopis debitis, quas ſoluere ceſſabat; mediantibus tamen viris ſapientibus deſtitit à litigio, & dilexit dictos Decanum Capitulum & perſonas ſingulares, & vt ſępius exprimebat, magnam deuotionem gerebat ad Eccleſiam, potiſſimè ad fabricam ipſius Eccleſiæ iuuandam, niſi ſors conditionis humanæ citius impedimentum dediſſet. Dedit ipſi Eccleſiæ pro fundando anniuerſario ſuo trecentos denarios auri Francos, fecit profeſſionem Senonis conſuetam, & loco cappæ ſericæ dedit ibi pannum ſericum ſeu aureum quem prius renuẽtes capere Decanus & Capitulum Senonenſe finaliter ceperunt. Sed de inthronizatione ſua nihil fuit factum pro parte Archidiaconi Senonenſis, & ſi quid ſolutum fuit ipſi Archidiacono, ignoratur. Sedit per decem annos minus circiter duobus menſibus: dederat in vita ſua huic Eccleſiæ pannum ſericum deauratum, qui in magnis ſolemnitatibus in ſummitate maioris altaris videlicet ante cereos ponitur.

LXXXI. De Nicolao de Arceis.
LXXXII. Guillelmo de Totavilla.
LXXXIII. De Ferrico Cassineti.
LXXXIV. De Michaele de Creneto.
LXXXV. De Ioanne de Thoisy.
LXXXVI. De Philippo de Essartis.
LXXXVII. De Ioanne de Corbeya.
LXXXVIII. De Lavrentio Pynon.
LXXXIX. De Petro de Longolio.
XC. De Angverrando de Synart.
XCI. De Ioanne Baillet.

CAPVT XCII. De Francisco à Dintavilla.

Franciscvs de Dinteuille ex nobiliſſimo Patre Claudio de Dinteuille, Commarieni in Burgundia, Ecgenctorum, Polizei, multorúmque aliorum locorum Domino, matre vero Ioanna de la Baulme ex Comitibus Montis Reuelli, qui quidem Claudius de Dinteuille ſicut in domo & familia Ducum Burgundiæ alitus & educatus (quippe qui illis à Theſauris & conſiliis eſſet) ita in omni negotio eorum fortunam ſecutus eſt, atque demum in prælio ad Nanciacum cum Carolo Duce fortiter cecidit. Cæterùm cùm adhuc eorum Ducum proſperæ ſecundæque res eſſent, Ioannam claro loco diuite ac potenti familia vxorem duxit, ex qua liberos quatuordecim, mares ſcilicet decem, fœminas quatuor ſuſcepit, quorum hic nouiſſimus Franciſcus primum Ciſtarcienſis Epiſcopus, dein anno Domini mill. quingent. decimo quarto, vacante ſede Autiſſ. per deceſſum bonæ memoriæ Reuerendi Ioannis Baillet communi omnium Canonic. voto in Epiſcopum poſtulatus à Leone X. Pontifice maximo à Ciſtaticenſi Eccleſia ad Autiſſ. tranſlatus eſt, anno ætatis ſuę quadrageſimo nono die v. Martij. Puer humanoribus literis Diuioni primum, poſtea Heduæ operam dedit, vbi inter ceteros omnium iudicio doctiſſimus habitus, non mediocrem de ſe expectationem præbuit. Poſtremò Papiæ Cæſareis legibus Pontificijſque ſanctionibus annis quinque grauiter incumbens, ſedatis bellis, compoſitiſque rebus inter Chriſtianiſſimum Franciæ Regem Ludouicum XI. & Burgundiones, iuris vtriuſque Doctor, domum parentéſque reuertitur: paucis inde menſibus in Reuerendiſ. Domini Georgij ab Ambaſia Rothomagenſis Archiepiſ. poſtea Cardinalis & Legati familiam, ob animi & corporis præſtantes egregiáſque dotes adſcitus, fratrum, parentúmque fauore adiutus, magnas in Ludouici duodecimi Regis curia amicitias comparauit. Erant autem tunc tempore Guillelmus Pot, Tornacenſis Epiſcopus illi auunculus, Iacobus Commarieni Dominus Eques Auratus, Iacobus Magnus Franciæ Venator, & Galterus Regius Oeconomus, ſeu Regij

RRr

hoſpitij Magiſter, Polizei dominus, fratres, eidem Chriſtianiſſimo Regi Ludouico duodecimo chariſſimi & à conſiliis, quorum opera & auxilio, ſacerdotia ſeu beneficia multa, eáque peropima, nempe Caſtilionis ad Sequanam Cœnobium, Deruenſe Monaſterium, prædictúmque Ciſtarenſem Epiſcopatum obtinuit, cúmque anno D. mill. quingent. decimo, vacante ſede Heduenſis Eccleſiæ, cuius iampridem Canonicus erat, à maiori ſaniorique parte Capituli in Epiſcopum poſtulatus eſſet, rogante volenteq; præfato Rege Ludouico iuri ſuo ceſſit in fauorem domini Iacobi Hurault: obtinuerat autem iuuenis Parochiam de Riceyo, Præbendas in Eccleſiis Heduenſi, Balnenſi, & Diuionenſi, Prioratúmque de Choyſiacn in Meldenſi Diœceſi, quibus omnibus Autiſſ. Epiſcopatum ſuſcipiens ceſſit, ſolo ſibi Deruenſi Monaſterio reſeruato. Poſſeſſione Epiſcopatus adepta vir ſplendidus, vt erat moribus ingenuis, liberalis & magnificus, domos Epiſcopales Varziaci & Regennarum reparauit, reſtaurauitque Regennis turrim egregiam, palatium deambulatoriúmque magnificentiſſimum à fundamentis extruxit; in Monaſteriis Deruenſi & Caſtillonenſi (quæ bellis ita diruta repererat, vt nec Abbati domus, nec Monachis ipſis regularia loca, clauſtra videlicet, dormitoria, & refectoria ſupereſſent) quæ nunc illic conſpiciuntur ædificia, quantæ induſtriæ, quantæ diligentiæ, quantæq; magnificentiæ vir fuerit ſatis oſtendunt. In Deruenſi namque Monaſterio Chorum Eccleſiæ, campanile, pinnaculum, nauis valuas, clauſtrum, & domum Abbatialem, quæ bella, incendia, longaque Abbatum & Monachorum paupertas & incuria labefactarant, ita reparauit, vt noua omnia longéque prioribus ædificiis ſumptuoſiora paucis annis videri potuerint. Caſtrum præterea Summeuræ totius patriæ propugnaculũ, tutamen & præſidium, turribus quatuor munitiſſimum foſſato duplici, pontibus, aquarum ductibus, hortis, ſtabulis, reliquiſque ad vtilitatem & ornatum tanti caſtri, & rebus neceſſariis ſplendidè decorauit: ſiquidem in eo caſtro palatium magnificum, cui ſacellum ornatiſſimum appendet, granária ingentia, eáque duplicia, penu, cellarium maximum, paucis annis, poſtquam Cœnobio illi eſt præfectus, eductis eiectiſque ruderibus & ruinis, quæ vt in aliis, bellorum incendiis anteceſſorúmque Cœnobiarchatum negligentiâ obrigerant, incredibili impenſa, maioréque diligentia extruxit. In Caſtillionenſi verò Monaſterio, Clauſtrum, Capitulum, Dormitorium noua à fundamentis erexit: Eccleſiam autem, refectorium domumque Abbatialem, quibus nullam Monaſterii faciem Martius furor reliquerat, ita reparauit, vt noua omnia, hoſpitique arridentia videantur, eorum Monaſteriorum fructus, cenſus, & redditus ſolerti adeò prouidentia ampliauit, auxitque, vt non immerito fundator potiùs, quàm adminiſtrator & dici & haberi debeat. Porrò quantùm ad Autiſſ. Eccleſiam attinet, tẽplum ipſum ſeu ædem Diuo Protomartyri Stephano in ea vrbe ſacram mirificè adornauit, pulpitũ ad Epiſtolas & Euangelia legenda totius Galliæ pulcherrimum, miro lapidum tabulatu, raro artificio, elegantique, vt cernitur, ſtructurâ, ſuo ære donauit, organa eâ tempeſtate & belliſſima & arguriſſima nulli ſumptui parcens inſtrui curauit, pallia duo aurea pretioſiſſima maiori altari accommoda, planetas, pluuialia, aliáque Sacerdotalia veſtimenta quamplurima auro, margaritis & lapidibus pretioſis intexta, quanta nulla alia Galliarum Eccleſia ſplendidiora habeat elargitus eſt, & eius ope maxima à frequenti ſuffragatione ea pars prouinciæ Autiſſ. quæ eſt trans Ionam, videlicet Donziacum, Clameciacum, & circumadiacentia loca, quæ olim, ſæuiente paſſim inter Francorum Regem & Burgundiones bello, Senonenſi Iuriſdictioni adſcripta fuerat, Autiſſ. Prætoris Iuriſdictioni per ſupremæ Curiæ Parlamenti, ſiue Senatus Pariſienſis arreſtum reſtituta eſt. Irrepſit (proh dolor) eo tempore Luterianæ hæreſeos noua impudentia, ad quam radicitus extirpandam, & à fidelium theatro penitus explodendam prouincialia Concilia per Senonenſes Archipræſules Poncherium & de Prato non ſemel congregata ſunt, quibus omnibus cum ſuffraganei Epiſcopi Orthodoxique Patres multi conueniſſent, tum hic potiſſimum magno fidei zelo feruens, nunquam non aſtitit, proſerpente ſenſim & clanculum ſuppullulanti per viciniora loca pernicioſa illa lue Diœceſim ſuam diligenti cura & prouida circumſpectione vſque adeo tutatus eſt, vt ex grege ſibi credito virus id exitiale qui hauſiſſet repertus ſit nemo, Regum Ludouici duodecimi & Franciſci primi quibus vt chariſſimus, ita eorum conſiliarius, & eleemoſynarius Ordinarius erat, Curiam quotannis, tribus quatuórve menſibus continuis magno ſatellitio, apparatu eleganti, ſumptúque maximo frequentabat: vnde, vt

ſunt hominum mores, principibus, nobilibus & aulicis omnibus acceptiſſimus erat; tanta denique morum elegantia, tanta animi facilitate, tanta in rebus agendis cautione & prouidentia fuit, vt nihil ei diffidij, controuerſiæ nihil, odij & inuidiæ minus cum Capitulo aut Canonicorum aliquo vnquam interceſſerit, tantúmque abfuit vt ex Eccleſiæ iuribus redditibúſve aliquid propterea deperderetur, vt etiam (quod & in Dertenſi & Caſtillionenſi Monaſterijs contigiſſe ſupra dictum eſt) ea non mediocriter adauxerit; tandem cum in Autiſſiodorenſi Epiſcopatu annos decem & ſeptem, menſem vnum, dies viginti ſex ſediſſet, ſexageſimo ſexto ætatis ſuæ anno, die veneris quæ fuit penultima Aprilis mill. quingent. trigeſ. longo profluuio ventris vniuerſæ carnis viam eſt ingreſſus. Sentiens itaque vitæ ſuæ finem dictúmque terminum à Domino ſibi conſtitutum aduentaſſe, die Dominico mortem eius præcedente, audito ſacro, præuiáq; peccatorum ſuorum diligenti ac generali confeſſione ſaluriferum Euchariſtiæ viaticum pro Chriſtiano more dignè reuerenterque ſuſcepit, die verò Martis ſubſequenti, audito item ſacro, nec non iterata confeſſione, rurſum deuotè magnáque cordis contritione communicauit. Tum aduocatis notariis teſtamentum condidit in Franciſcum à Dintauilla illi ex fratre nepotem ſucceſſorem nuper Regienſem Epiſcopum Autiſſiodorenſis Eccleſiæ Decanum & Canonicum, in cuius fauorem jampridem ſuum Autiſſiodorenſem Epiſcopatum reſignauerat, executorem nuncupauit Teſtans autem duodecim, quod aiunt, obitus annuos & perpetuos quolibet vltimo die veneris, cuiuſque menſis in Autiſſ. Eccleſia celebrandos piè fundauit, & pro cuiuſlibet celebratione duodecim libras Turonenſes Canonicis diſtribui voluit; quod & heredes continuò fideliterq; preſtiterunt: vbi verò Iouis dies ſubſequens illuceſcere cœpit, ſacro ſe perungi oleo poſtulauit, vnctionem hanc extremam non eadem, ſed Veneris mane, congregato Canonicorum choro per manus venerabilis Cantoris, mente ſanus, animo conſtans, intellectu vigens, vt etiam ad pſalmos & verſiculos omnes rite diſtinctéque reſponderet, cum ea qua potuit humilitate & reuerentia ſuſcepit, peracta vnctione rogatáq; ab ipſo Cantore & Canonicis vniuerſis, qui dolentes lachrymarundique adſtabant; offenſarum venia, eorum ſe ſe precibus commendans, vltimum illis recedentibus vale dixit. Aderat præfatus Franciſcus nepos, qui etſi pro dignitate (Decanus enim erat) munus & obſequium hoc vnctionis extremæ patruo amantiſſimo deberet, tamen ob ingruentes lachrymas luctúmque inexplebilem, omnino exequi non potuit. Igitur ab illa hora, qua vnctus eſt, vſque ad tertiam eius diei pomeridianam nihil mundanum, nihil terrenum voluens, ſed ſemper de Regno Dei loquens, ſpe maximâ, fide maiore, conſtanti & infracto animo Deum ſe vocantem expectabat, atque in hoc perſeuerans, paulò ante quartam corpus humo relinquens, beatam cœlo animam reddidit. Funus ducendum tum funalibus cereis, tum pompis ab ordine, genere, & dignitate non alienis, tum etiam precibus, & eleemoſynis publicis, priuatíſque ad implendum quoque teſtamentum, cui erat à patruo datus executor præfatus Franciſcus nepos, quanta potuit diligentia curauit: ſucceſſione demum temporis nobile patruo Mauſoleum marmoreum eius effigie venuſtatum, magna omnium admiratione ſculpi, fingi, pingi iuſſit.

Nobilitas virtus & magnificentia tecum,
Hic Franciſce iacent, hæc cœlo munia digna... 1548.

CAPVT XCIII. De Francisco a Dintavilla secvndo.

In defuncti patrui locum ſuffectus eſt Franciſcus nepos, Galteri à Dintauilla Tricatiorum præſidis & Annæ à Placida Sede dictæ filius, qui tenellus adhuc puer prima Grammaticæ rudimenta Trecis hauriens hinc Lutetiam à parentibus miſſus apud Regiam illam Nauarrorum ſcholam manſuetioribus Muſis liberalibúſq; diſciplinis inſtitutus, Pictauum dein Pataniúmque Iuriſprudētiæ dicata gymnaſia adiens, Iuris vtriuſq; & Ciuilis & Pontificij arcana didicit, tanta morum ac vitæ integritate, vt inde reuerſus in Regis Franciſci primi aulam accerſitus fuerit, Theſauraria Pictauenſi, Prioratu Choiſiaco in agro Meldēſi, Sacerdotióq; Ryceiano Lingonū finibus inſignitus, donatúſq; hoc ipſū procurante Regia parente Ludouica, cui tum à ſacris & eleemoſynis Franciſ. hic nepos erat: quo in munere dū citra vllā famæ ac nominis notam ſtrenuè verſatur, vacante Regienſi Eccleſia ad illam nominante Rege pa-

ſtor conſtituitur. Eam Eccleſiam cùm aliquot per annos laudabiliter rexiſſet propatruo iam ad ſenium vergente & Epiſcopatū Autiſſiodorenſem cum Deruenſi Monaſterio, quibus præerat volens ac ſpontaneè eiurante, dimiſſo Pontificatu Regienſi Autiſſ. Eccleſiæ Cœnobiique Deruenſis regimini communibus omnium votis præficitur; ante verò quàm publicè ac ſolemniter pro more à populo reciperetur, & in Eccleſiam ſuam plauſibiliter admitteretur, Rex hominis animum vario ac multiplici tum doctrinæ, tum virtutis genere ornatum, non ignatus, eum ad ſummum Pontificem Clementem ſeptimum Oratorem deſtinat, vbi quàm prudenter, quàm ſanctè, quámque fœliciter rem geſſerit, neminem, qui vel mediocriter publica negotia intellexerit, neſcire certum eſt: nam præter factum illud ac fœlix inter Henricum ſecundum filium Franciſci Regis & Catharinam Clementis neptem, tractatum tunc coniugium, innumera alia, eáque ardua huic commiſſa negotia multis ex voto ſucceſſere. Neque verò ſilentio prætereundum, cùm in ea legatione dum pro nonnullis Purpuratorum Patrum ordinem ambientibus apud Pontificem verba faceret, tantam in oratore facundiam, tantam animi modeſtiam, ſinceritatémque demiratus Pontifex: Quid tu, inquit, pro abſentibus & nobis omnino ignotis, aures noſtras compellis ac demulces? quin tu tibi potius conſulis? pro aliis anxius oraturus veniſti, pro te ſolicitus nihil. Cui ille fortis, vt erat ab omni ambitione alienus, reſpondit: Huc, Beatiſſime Pater, huc, non mea, ſed Principis mei cauſa acceſſi, eius negotium, non meum gerere, ſicut teneor & debeo, ita & volo, cupióque: publicam non priuatam perſonam agat quiſquis hoc munere fungitur & honeſtum & neceſſum eſt: honores autem ipſos, imo verò onera iſta vt nihil moror, ſic nec venor, nec ambio. Legatione fideliter obitâ, in Galliam regreſſus, creditum ſibi gregem cœpit Paſtor vigilantiſſimus ſedulò regere, moderariq; editis propterea conſtitutionibus, quæ ad mores & Chriſtianam pietatem facerent. Moliuntur interim homini nihil tale metuenti inſidiæ, atque ab aulicis & magnatibus quibuſdam, quorum maleuolos animos ob fœliciores viri ſucceſſus inuidiæ labes altius inſederat, in Regis odium ſenſim adducitur, quo factum eſt, vt maturè ab amicis perſuaſus, ne atrocius à furentibus æmulis impeteretur, patrium ſolum verteret, ac toto fermè triennio apud exteros primatus ageret, in ea peregrinatione Romam veniens, à Paulo III. Pontif. Maximo ſuſceptus eſt, & blandè conſolatus, neque illi defuit complurium Cardinalium fauor, quin & nobilium Venetorū, dum apud eos per id tempus moratur, gratiam ſibi non modicam conciliauit. Detecta tandem impoſtorū fraude inſontem innoxiumq; reuocari iubet Rex, conceſſa illi aduerſus eos, qui abſentis ſedem & bona occuparant, legitimi experiundi facultate, quos poſtea iure perſequens ab illata calumnia ſe ſe grauiter vendicauit. Poſtliminio reuerſus, dum paſtorali ſollicitudine Diœceſim ſuam circumit & viſitat, ex ouibus creditis non paucas reperit, quæ à clancularijs hæreſeos Lutheranæ diſſeminatoribus labefactatæ in errorum deuia conniuentibus mercenariis præcipites abierunt. Has diligenter, & vt paſtorem bonum addecet, ad fidei caulas, ad ouile Chriſti, ad Eccleſiæ gremium reducere ſatagens, nec tempori, nec valetudini, aut ſumptibus vllis pepercit; cúmque ſic agrum Domini à noxiis ſentibus repurgare modis omnibus contendit, deprehenſi nonnulli ex eorum claſſe, quibus concionandi facta poteſtas erat propter aſſertas inter concionandum dudum ſepultas ac damnatas hæreſes, recantatis priùs temerè & impiè dictis, honore & gradu Eccleſiaſtico priuati exilium ſubire compulſi ſunt. Deprehenſus eſt & præter ſpem Sacerdos ex oppido Genabo ſeu Giemo, qui ſacros ordines ſuſceptos parui, aut nihili pendens iunioris cuiuſdam viduæ ſpecie illectus, illam (quod eſſet eius farinę) Conadâ abduxerat, ex eaque ſimulato matrimonio adulterinam ſobolem ſuſceperat, deprehenſum, conuictum, condemnatum, & degradatum, vltrices flammæ è medio ſuſtulerunt. In ſumma nihil non egit pius antiſtes, quo latentes ſub agnina pelle lupos ab ouili arceret, fugarétque; quod niſi ceſſaſſent quibus tum à Rege delegata fuerat in facinoroſos hæreticos iuriſdictio, tuta forſan in hac Diœceſi pacatáque forent ab hæreſibus omnia. Porrò Monaſterium Deruenſe moderandum cùm ſuſcepiſſet illic pleroſque Cœnobitas per vitiorum abrupta graſſantes offendit, quos accitis aliunde probis religioſis, ad melioris vitæ frugem ſe ſe conuertere coëgit; ad quorundam autem improbitatem qui pingue & optimum beneficium magnopere auebant illud tandem ad Aremarenſis & Cellæ in agro Trecaſſino Monaſteria permutare compulſus eſt, poſtea quam ei

per decennium, & eo amplius præfuiſſet, ambobus autem & Aremarenſi & Cellæ Monaſteriis, prius ad charorum opus ceſſit, quàm è vita migraret. Inſtaurata ſanè, conſtructáque ab eo ædificia Autiſſiodori, Regennis, Varziaci, & Monaſterio Aremarenſi hominis curam & diligentiam mirumque ac propè ſtupendum ingenium teſtantur. Ingentia templis donaria, Pij boniquc Paſtoris liberalitatem effantur, in dies erogatæ Xenodochiis, Conuentibus, Collegiis & Hoſpitalibus eleemoſynæ pectus verè Chriſtianum in eo fuiſſe commonſtrant: cibus parcus, potus rarus, modicus ſomnus, continuus labor, pertinax & indefeſſum ſtudium, vitam philoſopho dignam declarant. Nam præter liberalium Artium diſciplinam mechanicas etiãnum (quas vocant) artes mirum in modum callebat; Pictoria verò ſummopere delectabatur, eius artis peritos domi ſemper alens, temporis parciſſimus, vetus illud Apelleum ſæpiuſculè adducebat, vt nulla dies ſine linea abiret, vt enim doctos, eruditos, ſtudioſos, gnaros, ſolertes, ingenioſos, & vigilantes ſuſcipiebat, venerabatur, ac fouebat; ita deſidioſis, ſocordibus, ignauis, oſcitantibus, & inertibus, oppidò infeſtus erat. Cæterùm cùm nihil ſit ab omni parte beatum, vir tantus ac talis, febre, calculo, dyſenteria, podagra, variiſque morborùm generibus vt plurimum laborabat, neque ſic affectus, ſui vnquam obliuiſcebatur, ſed ſuam poſt Chriſtum crucem baiulans cum Apoſtolo Deum in infirmitatibus glorificans, lætus & gaudens Cœlorum Regnum eâ ſe viâ intraturum ſperabat: Circumactis igitur in Epiſcopatu quatuor & viginti annis) poſteaquam maturè de ſuis rebus ordinaſſet, ad mortis imperium (cui parere neceſſe eſt) naturæ tributum nondum ſexagenarius exoluit, anno Incarnati Verbi qùinquageſimo-quarto, ſupra ſeſqui-milleſimum, quinto Kalendas Octobris.

DE ROBERTO DE LENONCOVRT, XCIV.

DE PHILIPPO DE LENONCOVRT, XCV.

DE PHILIBERTO DE LA BOVRDAISIERE, XCVI.

DE IACOBO AMYOT, XCVII.

IACOBVS AMYOTVS Meloduni, quod oppidum eſt millibus viginti ſupra Lutetiam ad Sequanam poſitum, natus eſt III. Calend. Nouembris, anni milleſimi quingenteſimi decimi-tertij, parentibus honeſtis potiùs quàm copioſis Nicolaó Amyoto, & Marguareta de Amoribus, quorum opibus tenuiter ſuſtentatus à puero, primùm Meloduni, deinde Lutetiæ in ſtudio bonorum literarum & Philoſophiæ rudimentis ita profecit, vt circa annum vndeuigeſimum Magiſterio Facultatis Artium, vt vocant, cohonoſtaretur, & æqualibus ſuis facilè præluceret, vſus eſt in Latinis vulgaribus Magiſtris quales ferè in Gymnaſijs publicis Lutetiæ iuuentutem terunt: ſed in Græcis ad prima eius linguæ elementa quæ valdè paucis ea tempeſtate erant familiaria, primum Ioanne Euagrio Remenſi, qui in Collegio Cardinalitio nouo, & aliis inuſitato more claſſem regebat ab aliis ſegregatam, quæ Græcorum dicebatur, quoniam in ea nihil niſi Græcum legebatur & ducebatur, ſed vbi Regij Lectores ab Auguſtæ memoriæ Franciſco Rege primo inſtituti ſunt, Iacobi Tuſani in Poëtis, Petri Daneſij in Oratoribus & Philoſophis aſſiduus auditor per aliquot annos fuit, & Ciceronis orationes aliquot Latinas eo differente magna cum omnium Doctorum admiratione didicit. Mathematicis item diſciplinis ſub Orontio Finæu Profeſſore Regio ſedulam nauauit operam. Sic linguarum & Liberalium Artium cognitione inſtructus Bituricum poſtea perrexit cum V.C. Canayo, qui celebris cauſarum Patronus in Senatu Pariſienſi fuit, vt Iuri Ciuili operam daret. Ibi Reuerendus Abbas Cœnobij Diui Ambroſij Bituricenſis D. Colinus, qui tunc Lector Anagnoſtes ordinarius, & cubicularius erat magni Franciſci Regis, illius diſciplinæ nepotes ſuos commiſit, eiuſdémque beneficio, & hortatu Auguſta Marguarita Regis ſoror vnica Nauarreorum Regina, & Biturigum Ductrix & moderatrix, auia materna Magni Henrici Quarti fœlicis memoriæ, Amyotum Profeſſorem inſtituit literarum Græcarum & Latinarum in Regia Biturigum, honeſtis ad id ſtipendiis annuis conſtitutis, quo munere & profeſſione per duodecim

ferè annos tanta cura, & ſedulitate, & doctrina functus eſt, vt magnam inde erudi-
tionis ac probitatis famam compararit: Quo rumore percrebreſcente, ampliſſimus
vir D. Moruillerius, tunc Propræfectus vrbi Biturigum eruditione ac probitate
Amyoti impulſus nepotes ex ſorore & ornatiſſimi viri Bucetelli, Toparchæ de Sacy,
Conſiliarij & à Secretis & Epiſtolis Regis, curæ ac moderationi tradidit inſtituen-
dos: quo inſtitutionis tempore horis ſucceſſiuis Tragœdiis quibuſdam Græcis
Gallico rythmo exprimendis, aliíſque Græcis opuſculis Gallicè vertendis Helio-
dori hiſtoria de Theagene & Chariclea, itémque Longi Greci Bucolico dramate
proſaico de Daphne & Chloë operam dedit, & verſiones ſuas typis mandauit, tam-
etſi in Codice Græco de Theagene, quo quidem vſus tum fuerat, authoris no-
men inſcriptum nuſquam eſſet, vt parentem ſcripti illius interpres ignoraret, do-
nec Romam profectus in Vaticana Bibliotheca exemplum manu exaratum illius
hiſtoriæ inuenit, in quo Heliodori nomen adſcriptum erat, vt idem in tertia edi-
tione Gallica declarauit. Paulo poſt verſionem Gallicam nonnullarum Plutarchi
Chæronei vitarum illuſtrium virorum aggreſſus eſt, quam Franciſco primo Re-
gi magno obtulit & conſecrauit, à quo tam ſplendida tranſlatio tantopere probata
eſt, vt iuſſerit Amyoto inchoatam tranſlationem proſequi, & ad vmbilicum duce-
re, eíque tanti laboris ac operis ratione habita pro remuneratione Abbatiam Bello-
zanienſem, quæ fortè tum vacauerat, Regia liberalitate conceſſit, idque poſtre-
mum Sacerdotium fuit, quod Rex ille contulit, quia non multo poſt vitam cum
morte commutauit. Quapropter Amyotus fortunam maiorem vix reſponſuram la-
bori apud Gallos ratus, nec ad alios honorum gradus prouectum iri, inſtituit in Ita-
liam proficiſci, vt illic vitam hoc mediocri cenſu agitaret, Bibliothecas Italicas
conſulendi animo, & codicem Plutarchi mendosè excuſum cum manuſcriptis
conferendi, & cum eruditis viris, quos ibi nanciſceretur, ſermones ea de re vltro
citróque habendi. Dum hæc cum animo cogitaret, obtulit ei ſe commoda admo-
dum occaſio eiuſmodi anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo-ſexto, idem
Moruillerius ab Henrico II. Rege miſſus ad Venetos Legatus, Amyotum ſibi ad-
iunxit itineris Comitem, qui tum triceſimum ſecundum ætatis annum attigerat,
cùm paulo maior natu Moruillerius eſſet: per id Legationis tempus Legatus Re-
gius tanto cum eo amicitiæ & familiaritatis vinculo adſtrictus eſt, vt pati non po-
tuerit ipſum à ſe diſcedere, etiamſi incredibili deſiderio Bibliothecas aliarum ciui-
tatum Italiæ viſendi flagrare ſciret. Iam perſcrutatis omnibus ſedulò loculis Ve-
netæ Bibliotecæ locupletiſſimæ ad inſtitutum opus Plutarchi ſcripta conferendi,
emendandi, & elegantius Gallicè vertendi, Venetis Romam ſe contulit, vbi perhu-
maniter acceptus eſt ab Epiſcopo Mirapicenſi, qui domi ſuæ eum retinuit, & per
biennium fermè, conuictorem habuit, cum quo vltro citróque ſermones haberet,
de litteris ac diſciplinis verba faceret. Eodem fermè tempore in illuſtriſſimi Car-
dinalis Turnonij amicitiam ſe inſinuauit, qui à Rege ad aulam reuocatus, cùm ob
egregias animi dotes, & virtutum ornamentum, tum ob rerum ciuilium, & Regni
negotiorum accuratam cognitionem & experientiam; eundem Amyotum itine-
ris Comitem aſſumpſit cum Dionyſio Lambino viro clariſſimo, & vtriuſque linguæ
peritiſſimo, qui poſtea Regius Græcarum litterarum Profeſſor Lutetiæ fuit. Cum is
Cardinalis ad aulam ſe contuliſſet & audiſſet Regem quibuſdam Antiſtitibus ac
proceribus ſibi gratiſſimis hanc prouinciam dediſſe, vt accuratiſſimè tanquam de
re maximi momenti ſciſcitarentur ac percontarentur de probo, erudito, ac cordato
viro, à quo liberi Regij Aurelianenſis & Andegauenſis Duces, iam tum imperio de-
ſtinati, ſedulò inſtitui & doceri poſſent, Regi Amyotum, cuius mores, ingenium,
doctrinam, aliáſque animi dotes perſpectas & exploratas habebat, obtulit, proinde
è veſtigio ad hoc præclariſſimum & grauiſſimum munus Amyotus vnus ex tot tan-
tiſque viris quibus hoc eruditum ſæculum florebat, aſcitus eſt, in quo ita ſtrenuè ac
fideliter geſſit ad Regni Francorum commodum & ornamentum, vt Regi Reginæ-
que gratus & acceptus fuerit, idque longo annorum interuallo vſque ad Franciſci
II. obitum: quo tempore Carolus IX. Francorum Regno potitus, officiorum &
meritorum præceptoris ſui (quem ideò magiſtrum ſuum ſemper nominauit) non
immemor, magnum Franciæ Eleemoſynarium conſtituit, & à ſanctiori & Augu-
ſtiori Conſilio ſibi eſſe voluit, ac paulò pòſt Abbatiâ Rupium decorauit, & mox
alia, nempe Sancti Cornelij Compendienſis vacanti vltro ac ſponte ſua cum minimè

ambientem exornauit, S R. E. Cardinali de la Bourdaiſiere Romæ defuncto, Pius V. Amyoti virtutum, eruditionis, pietatis, ac feruidi affectus erga Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam & Romanam fama impulſus, eundem Epiſcopatui Autiſſiod. præfecit, quod libenter à Rege conceſſum eſt, qui nihil magis expetebat, quàm vt eum ad ſummos honores & dignitates proueheret, vt reipſa oſtenderat, ac primoribus aulicis ac principibus patefaciebat. Huius verò regiæ in ſe beneuolentiæ, benignitatis, ac beneficientiæ ſemper gratum & memorem ſe præſtitit, non tantùm ſuperſtite principe, ſed etiam poſt obitum eiuſdem, quem ſemper laudibus in cœlum extollebat, quarum re vera dignus erat, fœlicémque eius memoriam colebat, & piis Manibus ſemper apprecabatur. Porrò cùm Rex Henricus III. reuerſus à Polonia, per Sabaudiam Allobrogum tranſiret, Ductrix amita Regis ei Amyotum tantopere commendauit, vt ei Rex pollicitus fuerit eundem Amyotum in ſuo gradu dignitatis & officij Eleemoſynarij magni Franciæ apud ſe permanſurum, vtpote quem primum præceptorem habuerat, ideóque eum ſe per totam vitam ſemper magiſtrum ſuum appellaturum eſſe, huius promiſſi nuncius Rex ipſe fuit redux Amyoto, & ab eodem viciſſim petiit, vt propenſam erga ſe voluntatem & fidum obſequium, quo hactenus vſus fuerat, in munere regio exhibere pergeret, ſingulari certe ac nouo exemplo hoc beneficium in Amyotum ab optimo Rege collocatum videri poteſt, vt duorum ſuccedentium vnus idémque magnus Eleemoſynarius fuerit, cum obtinuerit apud Principes ad Regnum hæreditario iure accedentes officia ſumma primáſque dignitates ad eos deferre, quos in comitatu & obſequio ſuo, antequam rerum potirentur, chariores & gratiores apud ſe habebant. Iam verò idem Rex Chriſtianiſſimus paulò pòſt reditum à Polonia, cùm Equitum Torquatorum ac moderatorum ſeu Commendatorum Sancti Spiritus Ordinem inſtitueret, Amyoti ſui minime eſt oblitus, imò primum eius Ordinis Equeſtris moderatorem præfecit; quin etiam in eiuſdem gratiam & fauorem Ordinis conſtitutionibus ac typicis literis inſeri voluit, hunc capitis articulum: Quiſquis magnus Eleemoſynarius fuerit, idem etiam dicti Ordinis moderator ſeu Commendator erit, eáque lege, vt nobilitatis generis ſui indicia ac teſtimonia dare non adigatur, vt cæteri omnes adiguntur. Sed qua pietate Epiſcopatum auſpicatus fuerit, ex eo conſtat, quòd ſimul atque Pontificias Bullas accepiſſet, per procuratorem poſſeſſionem adiit, dum Lutetiæ conſecrationis munus conſequeretur, vt commodius poſtea, venia à Rege impetrata, ipſemet ſeipſa ad poſſeſſionem adipiſcendam accederet, & munere Epiſcopali fungeretur: cùm religioni haberet Sacerdotij opimi reditu frui, in quo nullum adhuc officium præſtitiſſet. Porrò cùm primum ac præcipuum Antiſtitis munus in prædicatione verbi Dei eſſe perſpectum haberet, quę ritè ac pro dignitate exerceri abſque Theologiæ ſcientia minimè poſſet, in qua mediocriter tantùm verſatus erat, quia non tantum ſtudij & operæ in ſacris literis, quàm in aliis diſciplinis & ſcientiis inſumpſerat, tunc cœpit ſeriò, ſummáque contentione Theoſophiæ incumbere, ſtatimque aggreſſus eſt præter ſacrorum Bibliorum quotidianam lectionem, Sanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ Græcorum & Latinorum Volumina die noctúque euoluere. Interim magiſtrum Petrum Viel Doctorem Theologum accerſiuit, eumque rogauit, vt ſibi poſſeſſionem realem adeunti, atque auſpicia ingreſſus Epiſcopalis ſuſcipienti adſiſteret. Quod pius ac eruditus Doctor Epiſcopo libenter concedens, coram eo pleraſque ſanctas conciones in Eccleſia Cathedrali habuit, ad hoc frequentes ſermones de rebus diuinis, & de expoſitione locorum inſignium ſacræ Scripturæ, de controuerſiis Theologicis, & quæſtionibus Scholaſticis inter eos habebantur. Epiſcopus certè D. Thomæ Aquinatis ſcripta tanti faciebat, vt ea ferè ad vnguem referret, altitudinem & ſubtilitatem tanti ingenij admiratus, quare tandem dicti viri hortatu & rationibus impulſus ad concionandum animum appulit, ac ſolemni die, quo ſacra celebrare inſtituerat, non imparatus quidem, ſed viribus vtique diffidens, timidus acceſſit, ac tametſi voce admodum exili ac ſubmiſſa pronunciaret, ſic tamen apertè, puréque ac dilucidè animi ſenſa expreſſit, tantóque verborum delectu ac copia, tanto ſententiarum pondere, tam præclaro denique ordine dixit, vt eruditi doctiores euaderent, imperiti & plebeij meliores, & ad pietatis officia concitatiores abirent. Cùm hæc concionum progymnaſmata tam fœlicem ſucceſſum habuiſſent, alacrius multo ſumma cum aſſiduitate hoc Eccleſiaſticum munus exequi perrexit, ac nullo deinceps ſolemni die

& Feſto anniuerſario ſacris operari ac concionari intermiſit, cùm apud gregem reſidere liceret, concionum verò ὑποθέσεις ſumma capita & authoritates Latinis verbis ad formam homiliarum contextas, & manu ſua exaratas reliquit. Exinde totus cœpit eloquiis ſacris, & Græcorum Latinorúmque Patrum ſcriptis incumbere, atque ad hanc vehementiſſimam ſitim eorundem libros perlegendi explendam ante horam quintam matutinam, poſt fuſas ad Deum preces, muſeo ſe abdebat, donec quidam Canonici cum domeſticis accederent ad comitãdum eum ad ædem ſacram & ſolemnem Miſſæ Liturgiam, cuius celebrationi ſemper intererat in Choro cum habitu decenti & Canonicorum proprio, vbi confeſſionis formula pro more Eccleſiæ in Miſſæ Introitu recitata in exitu benedictionem ſuam exhibebat; inde ad prandium cum conuiuis accedebat, inter quos aderat ſemper aliquis ex dignitate ornatis vel Canonicis, præter Hebdomadarium, à quo ſacrum celebratum fuerat. Inter pocula etiam ſermones de literis & rebus honeſtis habebantur, vt eius menſa iure dici potuerit ſchola virtutis omnis, doctrinæ ac pietatis, vnde vel pereruditus quiuis ſe doctiorem & meliorem recedere ingenuè fateretur; à prandio cum cœtu eodem per horæ ſpatium colloquebatur, tum amicis recedentibus ac vale dicentibus, ad Bibliothecam & cœpta ſtudia redibat, ſæpè ſibi in votis eſſe ſignificabat Secretario Martino (quo familiariter vtebatur & quem Canonicatu & Præbenda, nec multo poſt Archidiaconatu pietatis & meritorum ergo, in Eccleſia ſua exornandum curauit) ab aula magnam anni partem recedere velle, quo frequentius & liberius Epiſcopali muneri incumberet. Eapropter ſtatim poſt Conuentus iuridicos Blæſis habitos, Autiſſiodorum repetiit, ſed ita malè per difficillima tempora acceptus eſt à quibuſdam quos factiones ac ſuſpiciones, calumniæque tranſuerſos agebant, vt pio propoſito conſilióque fruſtratus tempori & vi maiori cedere coactus fuerit, cum malo exemplo, non ab adytis tantùm, ſed ab aditu Eccleſiæ ſine cauſa arceretur, & Epiſcopalis domus ſepto conſtringeretur, adeò vt nullis Epiſcopi officiis fungi poſſet: tandem, ne quid omitteret, quod ſimplicioribus & ſcrupuloſioribus animis ſatisfacere crederet, tametſi minimè, quod ad ipſum ſpectabat, indigeret, eò ſe dimiſit, abiecítque, vt primum abſolutionem ad cautelam, vt vocant, peteret; demúmque plenam & abſolutam à ſummo Pontifice obtineret per illuſtriſſimum Legatum, cui peculiariter in mandatis erat, vt vſquequaque dicti Epiſcopi deſiderio faceret ſatis, cuius ipſi Legato, vt & Pontifici maximo vitę integritas honeſtiſſima, & religioſiſſima conuerſatio, aliáque merita patebant. Hoc ergo incredibili ſolatio fuit Epiſcopo, cùm haberet, quod auebat maximè, & liberum iam & eſſet munus officiúſque Eccleſiaſticis defungi, quæ ab integro aggreſſus eſt primo quoque tempore à concione ſacra, vtpote primo præcipuóque officio, quam habuit die cinerum, primo Quadrageſimæ, eodem affectu, pari modeſtia, eodémque ferè geſtu, quo conſueuerat, nullâ plane perturbatione commotus, ab omni vindictæ cupiditate liber, nullis vſus querimoniis & inuectiuis in iniurias ſibi illatas, & offenſas, ac proteruias ſuorum: quod mirum pleriſque viſum eſt, qui præſulem intus & probè non nouerant: at enim vlciſcendi minime cupidus fuit, & ad iniuriarum memoriam obliuione delendam paratiſſimus: paulò tamen ad iram procliuior erat, quam facile citóque coërcebat, nec vnquam alicui delicta præterita probroſè obiectabat, tetricus, ſeuerus, acer, difficilis acceſſus, ac moroſus vulgo ferebatur; eiuſmodi tamen ab iis qui aliquandiu ipſius conſuetudinis conſortio vſi fuerant, non habebatur. Verum cordatus, quadratus, candidus agnoſcebatur: quippè cùm Romano more, ore libero loqueretur, non ſimulatè, cum diſſimulare neſciret, ne apud proceres quidem ac principes, quorum auribus nihil dabat, nec palpum obtrudere nouerat, tantum abeſt vt in eorum gratiam quidquam facere, quod honeſtati & æquitati minùs conſentaneum iudicaret, quin apertè ſe nunquam id commiſſurum profitebatur. Quamobrem familiares ac domeſtici prudentiores cauebant imprimis, ne quid ipſi proponerent, vel ab eo poſcerent, quod dubium, anceps, controuerſum, vel leuiter ſuſpectum eſſet; ſin ſecus, repulſam cum grauiſſima increpatione interdum paterentur. Cæterum pacis amantiſſimus lites & diſſidia cane peius & angue fugiebat, maximè cum ſuis Canonicis & Capitulo. Muſico vtique concentu oblectabatur, atque inter priuatos parietes inter Cantores partes ſuas agebat. Quâ de cauſâ chari præcipuè accepti que ipſi erant Canonici, quos vltro pulpitum adire cantandi animo obſeruabat, vt cæteri Choriſtæ, præcen-

præcentores, ſuccentores, ſubſidiani, ſymphoniaci, qui præſertim cum Cantus peritiâ vociſque amœnitate probos & Eccleſiaſticos mores præ ſe ferebant, organis etiam muſicis gaudebat, & ſæpè manuclauium digitis increpare ante prandium amabat, vt hilarior poſt grauiſſima ſtudia menſæ accumberet.

Sed ad grauiora & Epiſcopo magis decora gradum faciamus, cùm in Epiſcopatu reſideret Amyotus, ſolemnibus, anniuerſariiſque feſtis diebus, ipſemet ſacris operabatur; Idemque meridianis horis concionabatur, ideóque eos, qui ei miniſtrauerant ad altare & in Choro in ſacro Miſſæ ſacrificio die Lunę tantùm excipiebat; Dominicis verò diebus, & feriatis primis Veſperis peruigilij intererat, & feſto die matutinis pſalmodijs & precationibus, è quarum egreſſu ad Sacellum ibat piè celebratum Miſſam (vt per ſingulos Aduentus & Quadrageſimæ dies ſolebat) deinde maioris (vt vocant) Miſſæ celebrationi & veſpertinis precibus intererat. Cæteris diebus & ferijs profeſtis maiori Liturgiæ ſacro aderat, qua celebrata Hebdomadarius ad Præſulis prandium accedebat: præterea etiāſi concionandi munere fungeretur, curæ tamen habebat vt eruditos, & probatos viros perquireret, & accerſeret, qui in Eccleſia ſua concionarentur, & per omnem Diœceſim, ac potiſſimum in oppidis in quibus quoſdam nouæ religionis ſectatores & hæreticos verſari audierat, vt puta Giemi, ad hæc committebat ac præficiebat Cantoriæ dignitati Capituli S. Steph. Eccleſ. pium doctum & prudentem virum, idémque in aliis vrbibus, quarum Sacerdotiis par[illegible]bus rite prouiderat. Porrò cùm ad Eccleſiam Autiſſ. primùm acceſſit ruentis aſſimilem intus & in penetrali comperit. Itaque eam reficere & inſtaurare cœpit à Choro & auguſtiore altari, quæ ab integro reparauit, & ſex columnis fuſilibus è cupro muniuit, & exornauit, cum pedo ſeu lituo imminente aræ à poſticâ parte, deinde Cathedras altas & humiles ab vtroq; Chori latere conſtrui fecit, ad ſedem dignitatum & Canonicorum, & in extrema ſupremáque parte dextri lateris, Thronum Epiſcopalem, in quo ſedere mos eſt Antiſtiti officio fungenti, & in extremo Chori loco & in ſuperiore tabula hæc verba ſubſcribi voluit.

Iacobus Amyotus Autiſſiodori Epiſcopus, cùm à perduellibus hæreticis fœdè laceratum, direptum, ornamentiſque omnibus ſpoliatum reperiſſet hoc Templum, Exhedram iſtam diuinis laudibus concinendis accommodatam, ad Dei Opt. Max. gloriam, domúſque eius decorem, de integro inſtaurandam curauit 1573.

Organa noua de integro, in angulo Chori extruere & collocare fecit, idē duorum Sacellorum ornamenta dedit, vnum è panno auro texto, aliud ex boloſerico figurato, itémque duo candelabra argentea donauit, & ad aquam bened. deferendam magnū vas cum aſperſorio, duáſque acerras ſiue Thuribula, cuncta ex argēto. Poſtremò Eccleſiā ſuam omnibus ornamentis pro facultatibus exornauit, quibus alia quaque adieciſſet, niſi tumultus bellici obſtaculo fuiſſent, ſiquidem per ciuile bellum eo propemodum redactus eſt, vt ægrè ei ſuppeterent fortunæ ad ſe familiámque ſuſtentandam agris ac redditibus ab oppoſitis occupatis ac direptis, ob factiones & tumuſculos ſiniſtros à maleuolis, auidis, & ambitioſis famigerulis fictos, Caſtrum Ragennarium quondam pulcherrimum & mirificè conſtructum & exornatum, incendio ab hæreticis conflagratum ita reparauit, vt ipſe cum tota familia & etiam cum aduenantibus amicis commodè in eo habitare poſſet. Idem Gymnaſium amplum & præclarum extruxerat Autiſſiodori, in opportuna admodum vrbis regione, & aëre ſalubri, nempe inter Eccleſiam Cathedralem Sancti Stephani & Abbatiam diui Germani, in quo Societatis IESV Patres deſtinauerat cōſtituere ad iuuentutē ciuitatis & indigenarū erudiendam, & probis moribus, Catholicá pietate, boniſq; literis imbuendam, etiam vſque ad Theologica ſtudia, vt conſtat ex pacto & conuento inito cum Patre Pigenatio, qui lentè nimis, & frigidè negotium executus eſt, donec Epiſc. egredi coactus fuerit ad Regem Blæſis cōueniendum, vbi Conuentus Iuridici habebantur, proinde negotium dilatū ad eiuſdem pręſulis reditum, & pium illud opus intermiſſum fuit, non quòd propoſitum mutaſſet, cuius tenax erat: eoſdē Patres reditu mille aureorū nummorum dotare ſtatuerat, cum mille ducentis libris Turonenſibus, vt inde ſupellectilem commodam ex animi ſententia, antequam Pariſiis egrederentur, ſibi compararent; ſed diſſidia bellorum ciuilium exorta ſub finem Conuentuū, & relegatio Ieſuitarū è Galliis hoc nunquam ſatis laudatū inſtitutum prohibuerunt, non tamen planè irritum effecerunt. Nam Præſul in ſua voluntate perſtitit, vt Gymnaſium à ſe conſtructum

inſtituendæ iuuentuti deſtinaretur, cui nunc vſui inſeruit, teſtatur hoc inſcriptio hæc quæ inſculpta eſt in tabulâ ſuperliminari ianuæ.

Chriſto Seruatori Opt. Max. S.

Religionis veritas, morum probitas, & bonarum artium politura, hic promercales habentur, non ære, ſed ſtudio, pietate & labore· proinde turpes, impij & ignauæ ſegnitie degeneres ab iſtis foribus procul faceſſite.

Huic autem inſcriptioni, vt authoris eius mens & conſilium perciperetur, ab eodem Secretario adiectum eſt illud corollarium.

Iacobus Amyotus Epiſcopus Autiſſiodorenſis huic gymnaſio, quod extruendum curauit, hanc inſcriptionem apponi voluit.

Ad extremum hic Antiſtes poſtquam factionum & bellorum Ciuilium tempore calamitoſo, multa dictu grauia, perſpectu aſpera (vt Poëta Tragicus ait) corpore exanthlata, atque animo pertuliſſet, quantum natura humana conſtanter ferre poteſt, ſuccubuit tandem tot ærumnis oppreſſus, & extinctus vigor ille corporis optimè conſtituti, & frigoris & caloris patientiſſimi, tum lentâ febre correptus eſt, quæ grauiter vrgens pulmonum hauſit ſpiritus, & ſenſim ad mortem compulit, qua vndenonagenarius in Domino, vt Epiſcopum tanto nomine dignum decuit, obdormiit Non. Febr. anno ſalutis MDXCIII. Sacramentis Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ-Vnctionis, vt par fuit, munitus, domeſticis clientibus grauiſſimis viris, Dionyſio Petonneto Doctore Theologo eloquentiſſimo Eccleſiaſta Pœnitentiario Cathedralis Eccleſiæ, Gilberto le Comte, Reginaldo Martino, Victore Camus cultoribus & Canonicis aſſiſtentibus, mònentibus, conſolantibus, omne pium obſequium & ſalutare & nouiſſimum miniſterium conſtanter exhibentibus.

HÆC ſubita dictione anno 1612. à Feder. Morello Regiorum Profeſſorum Decano Latinè exarata ſunt, ex ijs excerpta, quæ M. Reginaldus Martinus Secretarius eiuſdem Amyoti Autiſſiodorenſis Epiſcopi Gallicè ſcripſerat de vitâ optimi ſui patroni.

PASSIO SANCTI PEREGRINI PRIMI EPISCOPI AVTISSIODORENSIS, & Martyris.

Ex veteri codice deſcripta pluribus mendis infecto.

TEMPORE illo, cùm ſe peſtifera Barbarorum rabies longè latéque profudiſſet, & Principum ſententiæ editę ita Chriſtianos compellerent, vt aut diis ſacrificia debita impensè deſoluerent, aut omnino vltione in ęis decreta percuterer. Cúmque tam acerba eſſet promulgata ſententia vel pauciſſimi viri reperiebantur, qui ſe Chriſtianos faterentur. Sed cùm hęc diſcriminoſa in Gallias irrupiſſet veſania, ſtatim latenter à fideliſſimis Chriſtianis ad aures Xyſti Papæ vrbis Romæ nunciatur, poſcentes, vt talem virum dirigeret, qui iam fidei extinctam lucernam ſuis deberet illuminare eloquijs, & Barbarorum infidelitatem opitulante diuino auxilio compeſcere. Tunc memoratus vir ſummæ ſanctitatis, perſpicuum, magnum, & præclarum Dei ſeruum Peregrinum, Presbyterum, ciuémque Romanum ordinauit Epiſcopum, Marſum verò Presbyterum & Corrobbomum Archidiaconum Leuitam conſtituit eſſe, & Iouianum oneri Subdiaconi mancipauit, Iouinianum etiam Lectorem cùm vir per omnia eloquens, atque in diuinis Scripturis egregiè eruditus, eis comitem collocauit. Cui poſtea Autrici locum, qui tunc temporis necdum murorum munitionè cingebatur à perſecutoribus interemptus martyrium conſummauit. Hos etenim ſummi Dei cultores beatiſſimus Papa vrbis Romæ cum omni fiducia vſque ad Portum maritimum perducens verbum Domini ſpecialius præcipiebat vſque ad mortem, fiducialiter prædicare, & quos auctor mali germinis venenoſa pullulāte doctrina lolij ſuia amaritudine perdere feſtinaret antidoti diuini poculis recreatos ad ſalutē priſti-

nam reuocarent. Tunc verò ab ipſis clientibus ad Deum oratio funditur, ad opus cæptum fœlix famulans blandè lympha inſequitur; optatúmque ad portum celeriter peruenitur. Sed cum ſolo iam firma veſtigia cœpiſſent incedere, Lugdunum vſque perducti celare ſe nullatenus potuerunt, maximè verentes, ne ad prædeſtinatum locum eis accedendi tribueretur facultas, & inibi eorum aduentatio non potuiſſet celari, qui, acerbiſſima vbique ſæuiebat barbarorum interminata atque continuata Chriſtianorum damnatio, rogatíque à fidelibus fratribus, vt à loco diſcederent ad Autricum diuina admonitione intrepidi vſque perueniunt, vbi nobiliorum ingens, tunc vanas obſeruans culturas conſtipata reſideret turba Athletæ quippè Dei cupientes pro Chriſti nomine ſe exuotis ſui vndâ perfundi, iugiter Chriſti nomen prædicabant. Sciſcitantibus verò Paganis Chriſtianos ſe eſſe teſtati ſunt, & ad prædicationem Verbi Diuini ſe inibi adueniſſe. Tunc verò, quia erant beatiſſimi Sacerdotes prædicatione fulgentes & pro virtutum aſſiduitate, quas diuina exercebant potentia, ab omnibus quidquid ipſius loci fuit primorum mox ad Chriſtianitatis gratiam conuolarunt. Móxque Sanctus Peregrinus Epiſcopus nouum eis impertiens dogma paruo habitu Eccleſiam conſtruens conſecrauit. Cuius coruſcante eloquio maxima populi multitudo ad baptiſma confluebat. Cúmque inibi reſtincta fuiſſet omnis deorum cultura, in territorium ipſius ciuitatis ad locum, qui Interamnis vocatur, quondam coleret Iouis, Apollinis, & multorum nefariorum portenta conſecrauerat, inter quos verò Fanum Æoletci, quem propriè Iouis nomine dedicauerat, ſummis præcipuè titulis Paganiam luebant, quia fanus ipſe magna opera conſtructus fulgebat. Sed cùm ex omniora ad ipſius feſta agmina populi conueniſſent, audiens hæc ſummus Antiſtes zelo diuino permotus Autricum, cunctum relinquens officium, vt cœptum opus plenius confirmaret, ipſe tamen cum feſtinatione maxima Interamnum perrexit, vbi Paganorum ardentet medium ſe immergens agminibus, cœpit Dominum Ieſum Chriſtum alta voce fortiter prædicare: ſed hoc ipſo talia prædicante, vulgus iracundiæ ſtimulis concitatus dixit pro tribunali: Cum vniuerſus ſexus ſecundùm principum ſanctiorem Deorum ceremonias reuerenter exſoluat, ſuperueniens nunc quidam tonſo capite, etiam iam ſenio prouectus, maximum generauit errorem in populo, nouam volens inſtituere legem. Nam ſi veſtræ Serenitatis præceptioni videtur, ipſum vobis facite præſentari, ne interjecto ſpatio populi ſibi partem adjunctam, diſſenſio fiat in plebe, cúmque fuiſſet iudici præſentatus, venenoſa ac rabida ſuſpitatione concepta dixit ad eum: Quia in te, vt audio, tantus contumaciæ fomes exarſit, vt magnorum Deorum culturis, auſu tuæ ſermocinationis faſtus blaſphemiæ ingerantur, quærimus ex te cuius loci tu ſis, cuiúſque generis ſtirpe deſcendis, vulgo præſente edicito. Sanctus Peregrinus dixit: Nulla mihi Patria niſi Chriſtus, nec nomen aliud quam Chriſtianus: verum etiam, etſi indignum eſt, Epiſcopum tamen ac ſeruum Chriſti me eſſe profiteor: ob cuius nomen gentilibus nuntiandum huc uſque veni. Tunc Præſes dixit ad eum, vt Religioni noſtræ mos eſt aut Deorum dignam famulationem deſolue, aut certè magnis te cruciabo tormentis. Ipſo quoque reluctante & de diuinis Scripturis ipſos vel Deos illorum damnante, iuſſit eum Proconſul Baugiaco loco, vbi tunc temporis cuſtodia habebatur; vinctum retrudi in carcerem, & multis iniuriis cruciari: Ipſe verò in tam acerbo ſupplicio non deſinebat Ieſum Dominum Chriſtum militibus prædicare. Ad viri igitur prædicationem duplex cauſa multitudinem populi conuertebat; quia virtutibus & eloquio præfulgebat. Sed cùm eum iam multis diebus ſqualidi carceris ſibi vindicaſſet iniutia, nec tamen ſummæ ſanctitatis virum puniſſet ſententia, Cæſari in ipſa reſeruatur cuſtodia. Poſt aliquos autem dies ibidem adueniens Cæſar, cùm de ſtatu reipublicæ eorum vniuerſa rei curia fuiſſet ſollicitus Proconſul dixit, ſecundùm noſtram præceptionem vniuerſa Deorum opitulatione conſiſtunt. Sed nunc quidam, Peregrinus nomine, normam nouam populis impertire volens, magnorum Deorum execrans ceremonias, hoſtem ſe Diis maximis publicauit, Chriſtianum ſe incunctanter affirmans. Quem etiam retruſum, atque obſcuriſſimo carcere deputatum, ve-

ſtræ clementiæ reſeruaui. Cúmque ad Imperium Cæſaris officio percurrente eductus vir Dei de carcere fuiſſet, Principi præſentatus, ait ad eum; multa mihi de te neſaria nuntiantur, verùm etiam, & contra ſanctionem & contra Deorum noſtrorum venerandam culturam agendi te curam appetere: vtrum hæc vera ſint edicito. Sanctus Peregrinus reſpondit: Si ea, quæ à me prædicantur veſtri duritia cordis ſuſciperet, non vana, nec ſuperflua viderentur, quia qui Chriſtum Dei Filium vniuerſæ creaturæ Deum eſſe teſtatur, contra jus faſque nefarius iudicatur. Cúmque hæc & his ſimilia vir Dei proſequeretur, ait ei Tyrannus; vultus tui dignitas prohibet, vt in te non ſecundùm peruerſam neſcio quam doctrinam clementia mea deſæuiat: Sed ſi te ab hâc variâ aſſumptione volueris reuocare, & Diis noſtris ſacrificare, magnis nobiſcum pollebis honoribus. Sanctus Peregrinus reſpondit; honores veſtri perditiones ſunt, munera veſtra gehennæ perpetuæ. Ego tamen Ieſum Chriſtum Dei Filium Redemptorum omnium inuoco, & vſque ad mortem prædicare non trepido. Nam dij veſtri ſimulacra múta ſunt, auri argentique metallis conſtructa, quæ & voce carent, nec greſſibus pollent. Dæmonia ſunt, & ex patre diabolo proceſſerunt. Cum quibus etiam vos, ſi conuerſi ad Dominum non fueritis, baptiſmi vnda perfuſi, igni æterno & perpetuis cruciatibus deputabimini, nos verò erſi temporalia à vobis inlata patimur ſupplicia, ſecuti ſumus de ſempiterni Regis promiſſis. Hæc Sancto Epiſcopo Peregrino proloquente, Cæſar magno furore repletus dixit; non ſolùm iſte Diis noſtris ſacrificare reſiſtit; verùm etiam & nobis verborum ſuorum venenatâ ſibilatione multas incuſſit iniurias. Propterea rebellis atque decrepitus iuſtiſſimè trucidetur: prolatâ ſententiâ à militibus pugnis atque calcibus cæſus, de præſentia Tyranni abſtractus, carnificibus deputatur. Sic Sanctus Dei Peregrinus martyr inter lictorum manus grauiſſimo torquetur exitio. Sed cùm ferè iam omnes artus defeciſſent in pœna, & viderent carnifices in eum nihil proficere, abſtracto à peſtifero gladio capite eſt punitus, & exinde poſtea à Chriſtianis latenter furatus propter paganorum rabiem dicitur fuiſſe, ibidem ſepultus ſub die XVI. Kalend. Iun. præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius eſt gloria, imperium, & poteſtas in ſæcula ſeculorum. Amen.

VITA SANCTI AVNARII

EPISCOPI AVTISSIODORENSIS, & Confeſſoris.

Ex apographo R. P. IACOBI SIRMONDI, quod contuli cum veteribus membranis quæ penes me ſunt.

QVOTIENS mentes noſtras alicuius boni pia recordatio mouet, totiens genæ noſtræ lacrymarum imbribus perfunduntur. Itaque dum beati AVNARII pij Paſtoris merita virtutéſque miramur, animos noſtros ad bonorum operum facta incitamus. Igitur Aunarius nobilibus extitit ortus natalibus, ita vt, nullus in Aurelianorum ciuium celſior inueniretur perſonis. Huius Pater Paſtor nomine nobis Paſtorem miſit ex germine, mater verò eius Ragnoara à parentibus eſt vocata. Sic beata proles dum adoleſcentiæ tempus ſub Rege GVNTRANNO duceret, in librorum campis depaſcens, & vt agnus immaculatus diuinas ſententias ruminans ſuccum ſpiritalem pectori infundebat. Dehinc accenditur animus ad religionem, fide pleniſſima prouocatus. Nam re-

licto Rege terreno, parentibuſque poſtpoſitis, vt in regno cæleſti cum æterno Rege maneret, plena deuotione ſatagebat. Tunc clam genitoribus ſuis Turonicam adijt ciuitatem, duobus ſecum comitantibus pueris, ibique ad ſepulcrum ſancti Martini coma capitis detonſa Clericali habitu ſecularem veſtem mutauit. Quo facto parentes illius perturbati, vbinam Sanctus Aunarius deueniſſet ſollicita indagatione perquirebant. Sed cum nullus eorum inquiſitioni ſatisfaceret, pectora eorum grauiſſimus mœror de amiſſa prole quieſcere non ſinebat. Eo tempore quo hæc geſta ſunt Svagrius Epiſcopus Auguſtodunenſium Apoſtolicæ Cathedræ præſidebat. Hic audiens quæ facta fuerant diuinitus erga puerum, velociter miſit qui eum ſuis aſpectibus præſentarent. Nec mora tanti viri deſiderium obſequentium celeriter peragitur. Quo adducto, nimio cum amore ſuſcipiens, tanta eum eruditione & diſciplina inſtruxit, vt vſque ad culmen pontificale gradatim educando proueheret. Præſule ergo Antiſſiodorenſis Eccleſiæ Ætherio ad Chriſtum migrante, caterua Clericorum vnà cum conſenſu populorum ad electionem beati Aunarij accenditur. Diuina igitur gratia fauente, Spiritu Sancto repletus Pontificali cathedra ſublimandus adtrahitur. Itaque creſcentibus meritis ad præfatam Antiſſiodorenſium diuinis coruſcantibus miraculis deducitur ciuitatem; Ibique ſub die pridie Kalendarum Auguſtarum Epiſcoparus ſuſcipiens officium, merita cum ſanctitate florebat. Quid dicam de illius doctrina, qualis amor in ciuibus, quæ diligentia in Clericis, in pauperibus quam fideliſſimus diſpenſator, quàm magna fuerit cura illi in ſanctis, non poteſt lingua mortalis percurrere. Erat in facie illius Angelica viſio, in ſermone erudita expoſitio, in diſpoſitione largiſſima humanitatis gratia. Reficiebat eloquijs omnes; Sale verò diuinæ prædicationis fidelium corda condiebat, miraque auiditate populus erga cultum Dei ardebat, Deo per ipſum faciente miracula, quem tantis ac talibus ditauerat & illuſtrauerat virtutibus. Quodam igitur tempore, cùm ſacræ Religionis more ad Baſilicam S. Stephani pergeret, obuiam eminus habuit mente captam mulierem, quam ita diabolus vinxerat, vt ligatis poſt tergum manibus, vittatoque capite, totóque corpore redimita indiſſolubili vinculo videretur poſſe meare. Incedebat illa infelix alternis ſaltibus, vt cerneres diaboli monſtrum. Qua viſa vir Dei Aunarius miſeratione permotus longè porrecta in crucis ſignaculo dextera, ait, Diſcede diabole, diſcede quantocius, Dominus ſoluit compeditum: néc patitur caput viri Chriſtus hanc te vlterius tenere captiuam. Iſta in voce illico caruit mulier miſera dæmonio, ita vt vincula, quæ eius inſederant corpori, vbi vel quæ fuerant, penitus non pareret. Dehinc cùm in proceſſu temporis fuiſſet quidam adtractione pedum damnatus, & clientium niſus manibus portaretur, ſuiſque non mutaret motibus locum, noctis intempeſtæ profundo apparuit ei S. Lupus in extaſi dicens, perniciter mittens dirige vnum ex fratribus, qui ſacri Antiſtitis tibi Aunarij calciamenta deportet, & ea mox vt impoſueris pedibus jam ſopitis, extemplo recipies viandi vſum, nec vlterius vteris manibus famulantum. Hac ille viſione permotus, narrat fratribus fideli relatione quæ viderat. Fiſuſque tanti viri commonitione, miſit protinus vnum ex fratribus, qui tantæ legationis fungeretur ad virum Dei officio, venienſque frater ille ad ſanctum Dei Aunarium, eius aduolutus pedibus. Precor ait, mi dominè, poſtulanti tu concede clienti. Abba ille meus, quam tu propriè paſtor alme noſti, me huc ad te ea de cauſa direxit, vt calciamenta ei dirigas, quibus ſaneris quotidie vteris pedibus. Tum ille non ſuæ virtuti, ſed diuinitati adſcribens, ſeque indignum tantæ rei ducens dixit, mane apud nos nocte hac frater, & quæ Dominus inſpirauerit, faciemus. Dum hæc duceretur mora, rurſum Abba ille terribilius concutitur per ſoporem, miſitque alium nuntium cum fidei lacrymis dicens: quæſo homo Dei ne tardes virtutis euentum, quam per te in præmortuis pedibus eſt diuinitas conlatura. Quod audiens vir Deo plenus, ſolita pietate commotus, refer ait quæ popoſceras, frater. Dominus ille, qui Centurionis puerum fide prædicabili ſanauit, ipſe tuo reſtituat greſſus patri. Flenſque pauliſper, vale mi frater inquit, & ocius occurre petenti. Adepto Abba ille cum ardore fidei quod popoſcerat munere, magno cum fletu aduocatis fratribus ait, propius accedite filij, ad cognoſcenda ſacramenta quæ fides petentis meritumque dirigentis obtinuit, vt vobis & poſteris ſit in teſtimonium iſta dies. Cumque circumſtante turba, fratrum calciamenta ſiccis pedibus induiſſet, illico reſtauratæ ſunt in vſum viandi

debiles plantæ. Ducit molem corporis ad aulam auctoris, vlterius vectandi ſubſellium ſeruulorum manibus non requirens. Sed quia ad laudes pertinet largitoris quicquid per famulos ſuos diuina virtus dignatur oſtendere, aliud non minus narro miraculum per præfatum Dei virum diuinitus patratum. Eſt in territorio prædictæ ciuitatis Autiſſiodor. non multum ab ea diſtans villa quæ dicitur Vro, in qua ebulliebat fons, in quo quidam cum ſubito diabolicæ artis impulſu cernuus obruiſſet, lacrymabili infelix exceſſu animam dereliquit. Cúmque frequentia populi hauriendi vſum ſibimet ademptum ſub decipula maligni hoſtis fleret, veniens ad ſanctum paſtorem aiebat, incognitus ne eſt tibi, Pater ſancte, quid tuis beſtia cruenta intulerit detrimenti? Eſt inquiunt apud nos fons in quo antiquus hoſtis nuper præcipitans quendam necauit hominem, fontémque ob non hauriendi frequentiam redegit in ſolitudines, gregique tuo potandi ademit vſum. Succurre, quæſumus, ſuccurre ocius tuis, & fugata infelicis malitia refer ſpolia de prædone, ne pereat ſiti corporea grex pij paſtoris, quem ſpiritali fonte rigare non deſinis. At ille non parui pendens quæ ſuis ouibus illex mille-formis ingeſſerat, exhibete huc paululum ſalis ait, quo allato, benedictioniſque deſuper impoſito ſacramento, ite citius, inquit, & hoc fonti in nomine Trinitatis immergite, aquam quoque ſecuri haurite. Immerſóque lymphali gurgite ſale, ad ſedem vberius roborandam, inopinantibus turbis adcurrit mulier ſæuo dæmone plena. Quæ fontis aquam attonitis vniuerſis qui aderant, mox vt concauis manibus ori tradidit, bibit & euomuit, domique ſana remeauit. O quam admiranda, quámque omnibus prædicanda ſæculis virtus I E S V bone tua: quæ ſub vnione ſingularis potentiæ ad confirmanda corda fidelium tria miracula publicauit, primum dum impollutus fons redditur, aliud dum ſitiens caterua reficitur, tertium dum mulier à ferociſſimo dæmone liberatur. Decurſis igitur virtutibus, quibus Beatiſſimus A V N A R I V S degens in ſæculo admirabili præconio claruit, felicem eius tranſitum breuiter indagemus. Denique Eccleſiam diuinitus ſibi commiſſam cum per XL. & quatuor annos, menſe vno, diebus viginti tribus, ſtrenuè gubernaſſet, tandem diu optatam ad patriam die VII. Kalend. Octobris, duce Chriſto migrauit. Sicque cùm ſumma ſub frequentia populorum in Eccleſia Beati Germani tumulandus deducitur. Vbi condigno honore propter corpus eiuſdem ſanctiſſimi Patris, & beatiſſimi Confeſſoris, ſepultus libenter excolitur. Verum ne ſanctitatis eius claritas poſt obitum illius memoriam hominum excederet, non minus eum poſt mortem carnis diuina declarauit potentia miraculorum ſignis. Puer quidam à natiuitate cæcus Senonicæ, vt aiunt, ciuitatis indigena, cùm vniuerſum tempus vitæ quaſi vnius noctis in caligine duceret, ſancti huius depoſitus ad ſepulcrum, mox vt orationem fudit, lumen recipere meruit, datúſque eſt cæco quondam lumine nouus dies, & ſemetipſum quaſi noui aliquid mirabatur. Statímque Clericus ſuæ petitionis obtentu effectus, hodie vſque ad ſacræ dependit obſequium ſepulturæ. Deinde procedente tempore, Begto quidam nomine ceſſit lumini, cæcatus & ipſe. Qui ſanctum mox vt attigit monimentum, recepit luminis viſum. Illo in tempore mulier quædam paralyſi diſſoluta, toto iacebat lugenda corporis vſu, & hæc vt fertur Vaſtinenſis pagi oriunda extiterat. Rogat & ipſa ſuos, ferte me inquiens infelicem, ferte quæſo, & ad Sancti Aunarij Pontificis memoriam deponite. Forſitan vt credo audire dignabitur lamenta precantis, & miſeræ mihi ſubueniet. Quæ cum poſt Adſcenſionis Dominicæ diem blandis ſuorum manibus, vt ipſa petierat, fuiſſet exhibita, fuſa oratione cum rugitu cordis, imbréque lacrymarum, oleo eſt peruncta lampadis, quæ dependebat ante ſepulcrum ſanctiſſimi Præſulis. Moxque baſibus locatis ita eſt compage corporis ſolidata, vt à nemine fuiſſe ægra vnquam corpore, niſi qui eam viderat, noſceretur. Exinde acceſſit alia ſequens facta de muliere virtus. Duodecim vt ferebatur annis eiuſdem mulieris contractæ fuerant manus. Hæc protinus vt ſacri tabulas ſepulcri contigit, ſanis manibus rediјt. Quid dicam quod tabem diſcutiens pellit de corpore morbos, cùm ſæpe ſuccidua virtus fugat dæmones de corporibus capris captiuos? Sed & vſque hodie fideliter petentibus diuina beneficia ipſius meritis cunctis præſtantur fidelibus; cooperante Chriſto I E S V Domino noſtro, cui eſt honor & imperium cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

DE ECCLESIA S. GERMANI AVTISSIODORENSIS.

Ex vetuſto Codice Petauiano.

TRES legimus, &c. S. Amator Autiſſiodorenſis Eccleſiæ Antiſtes domum cuiuſdam illuſtris viri Rutilij ipſo tradente fecit Eccleſiam & pignoribus B. Protomartyris Stephani dedicauit: Poſtea verò S. Deſiderius eiuſdem vrbis Epiſcopus eandem Eccleſiam auxit, adjectâ à parte Orientis pulcherrima teſtudine, eámque iterum dedicauit. Vnde hodiéque vtraque dedicatio ſuo tempore colitur. Monaſterium S. Germani quod in ſuburbio eiuſdem ciuitatis ſitum eſt, prædium fuit quondam Saturni Venerabilis Preſbyteri alumni quondam habens Oratoriolum B Mauricij nomine dedicatum, vbi idem Preſbyter omni ſanctitate & virtutibus florens deſeruiebat. Sed cùm ibi corpus B. Germani, Rauenna delatum ſepulturæ traditum fuiſſet, Oratorium ipſum ſimul cum rebus ad Oratorium pertinentibus B. Germano per Cartarum inſtrumenta delegauit. Poſtea Clotildis Regina magni Clodouei Francorum Regis vxor, miſſo à latere ſuo Lupo Epiſcopo ex ſuperioribus Burgundiæ partibus, ipſum Oratoriolum in ingentis fabricæ mutauit Eccleſiam, eámque dedicari præcepit. Iam verò regnante Carolo Ludouici Imperatoris filio Chuonradus Comes inclytus & Chriſtianæ Religionis feruentiſſimus amator, ipſam Eccleſiam miro cryptarum opere à parte Orientis addito decorauit, teſtudine etiam affectam, in quam altare à loco, vbi primariè conſtructum fuerat, tranſpoſitum eſt. Tuncque iterum vna die duæ Dedicationes factæ ſunt. Siquidem Chriſtianus Autiſſiodorenſis Epiſcopus auctam Eccleſiam perſeipſum dedicauit. Archenraus Catalaunorum Epiſcopus ſuperiores cryptas, eodem Chriſtiano Epiſcopo rogante, ſacro chriſmate perunxit & dedicauit.

DE VITA ET MIRACVLIS SANCTI GERMANI EPISCOPI AVTISSIODORENSIS.

LIBRI DVO.

Authore Herico Monacho Autiſſiodorenſi.

Ex Codicibus MSS. vetuſtiſſimis Beatæ Mariæ Laudunenſis, Reomaenſi, & membranis quæ penes me ſunt.

CAPVT I. LIBRI PRIMI.

Quod in quibuſdam Codicibus inſcribitur Prologus.

VITAM & Miracula Apoſtolicæ memoriæ ſummáque cum reuerentia nominandi Domini Germani Epiſcopi, abſque vllis litterarum præſidijs inoperoſo vel potius prophano diutius, quàm fuit æquum, latuiſſe ſilentio conſulta diligentiùs magiſtra rerum teſtatur antiquitas. Cônſtat enim ad ſancti Cenſurij Epiſcopi tempora, qui quartus poſt beatiſſimum Germanum rexit Eccleſiam

Autiſſiodorenſem, intentatum omnibus id præſtitiſſe negotium, dum per ſucceſſus temporum iuniores quique ſimplici ſeniorum relatione contenti, nunquam hæc arbitrabantur à memoria poſſe obſoleſcere, quandoquidem vulgaris inurbanitas tum ſe optimè credit diuturnitati proſpicere, cum illuſtria quæque & maxima, ſucciduâ ſolum narratione ad poſteros fecerit emanare. Res iſta non inſana minus quàm improuida, perniciosa ſanctorum præconiis interdum peperit detrimenta, quod quid imperitæ ruſticitati fidem aſtruat rarum quemque reperias dum ea quæ allectunt partim fabuloſa, inepta partim & ridicula, quæque literatum ſectarijs æſtimantur indigna. Ita factum eſt vt quædam ignorata penitus, alia ad ſuccedentium notitiam inſincerè manantia multorum & magnorum Sanctorum præcelſas memorias inofficioſiſſimè obſcurauit, quòd ſi cuiquam fortè curioſo rerum, ea quæ in geſtis de tanto feruotur Antiſtite, minus rata, minus plena, minus denique veritate ſubnixa videantur, quod prius quàm hæc ederentur aliquot temporum dicuntur interfluxiſſe curricula, hunc inſpecta ratione diligentiùs, quod non probè ſentiat adhibitæ vetuſtatis patrocinio caſtigamus, ſiquidem vt in noſtræ archiuis Eccleſiæ annotatum reperitur beatiſſimo Germano rebus exempto humanis, in Epiſcopatum ſuffectus Alodius triginta ferme annis Pontificatus ſui functionem expleuit. Hoc vita defuncto ob rabiem emergentium intra Gallias barbarorum Eccleſiaſticæ libertatis merſa priuilegia, dignitas obruta, ſplendor obtuſus, vim Chriſtiani roboris cunctam perdiderunt, itaque ciuitas Epiſcopo vidua decem permanſit annis, quibus tranſactis Fraternus à beato Germano tertius Pontificatui ſubrogatur; is qua die ordinatus, eadem quoque ab eiſdem barbaris interemptus martyrio coronatus eſt; huic prænominatus Cenſurius quarto ſubſtituitur loco, ab exceſſu itaque beatiſſimi Germani ad hunc vſque Cenſurium plus minus quadraginta colliguntur anni ſupra taxato ordine decurrentes. Is cum Eccleſiaſtici primatus polleret dignitate, Conſtantius Lugduni impensè doctiſſimus impulſu, vel precibus Sancti Patientis eius tunc vrbis Epiſcopi librum de vita & virtutibus Sancti Germani mira ſententiarum elegantia, copioſóque delectu verborum excellentiſſimè edidit, cùm per omnia cunctorum Sancti recens adhuc ſpiraret memoria, pluréſque, qui eum degentem ſæculo viderant, ſupereſſent, quorum indubitata relatio ſanctitatis eius magnalia pura adhuc & nec dum varietatis labem perpeſſa ferebat. Nec verò abnuerim ſex illorum Pontificum qui ſancto viro in Italia commoranti iugiter aſſederunt, aliquos tunc quoque rebus interfuiſſe humanis; iuxta fidem eiuſdem Hiſtoriographi, teſtes operum illius multis extitiſſe temporibus. Ea tempeſtate Lugdunenſium ciuitas prima ac præcipua Galliarum profeſſione quoque ſcientiæ, artiúmque diſciplina inter omnes extulerat caput; offenſa namque ſapientia, quæ propter ſeipſam tantùm appetenda eſt, quorundam luctis turpibus, multorum indiſciplinata vita, omnium poſtremò à lepide ſe appetentium inhoneſta deſidia, præceptorum inopia intercedente, priorumque ſtudiis penè collapſis, huius noſtræ exitialiter peroſa regionis, Lugduni ſibi aliquandiu familiare conſiſtorium collocauit. Ibi quas dicam diſciplinarum liberalium peritias, quáſque ordine currere hoc tempore fabula tantùm eſt, eo vſque conualuit, vt quantùm ad ſcholas, publicum appellaretur citra marini orbis Gymnaſium, & vt aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quòd quiſque artium profitendarum ſtudio afficeretur non ante profeſſionis libro inſcribi merebatur, quam hinc explorata diligentia abiret. Cui rei Satyricus quoque aſtipulatur, qui vt exempli circunſtantia res eluceat, primo ſui operis li[...] acriter diúque in impudicos inuectus refert, eos conſcientia frequentati ſcele[...] perinde palleſcere, *vt Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.* Ita claret hanc ſapientibus & palmas & nomina olim fuiſſe largitam: hæc breui perſtrinximus, vt aduertas ad beati Germani retractanda miracula è tantâ vrbe non imperitum quemqu[...] verùm eloquentiſſimum aſcitum ſui induſtria Pontificis acceſſiſſe, qui etſi vt ſubiecti operis teſtatur præſentia, facundiâ conſpicuus, modicis & abſolutis ſententiis efferendus, breuitatis amantiſſimus, faſtidij denique euitandi, plus æquo ſtudioſus extitit, præſumptionis tamen ſe reum coarguens non abſque pudoris cunctamine tantæ ſe difficultatis operas inſumpſiſſe fatetur ex ſuæ humilitatis abiectu omnino iuſtificandus, & præterquam quòd ſciens plura prætetiit, multifariâ laude digniſſimus. Opus ſane confectum, operoſaque apud ſe diu retextum diligentia,

obtentu

obtentu prænominati Sancti Cenſurij Autiſſiodorenſi poſtmodum direxit Eccleſiæ ipſo authore longiùs promulgandum. Vbi cum omni veritate, cui minimè grati exiſtimus, teſtatur Deum conſcium ſecretorum, ſe plura de D. Germani factis agnita & probata tacuiſſe, ex quo reum ſe quoque denunciat ſupprimendo quod mirabiliter ad profectum omnium diuina virtus operata eſt. Diu eſt quod religioni concinnum, ſaluti conducibile, ædificationi certè proficuum exiſtere animo induxi meo, ſi horum aliqua, quæ omiſſa ſunt, quæve notitia conſequi potuit, ab aliquo peritiorum literis allegari contigiſſet. Quod quia infectum hactenus eſt, conſtátque certiſſimè hæc vt non impune præteriri, ita non infructuosè attingi, quanquam nulla niſi per diuinum adiutorium in huius poſſibilitatis conſcientià non mihi quidem meíq; ſimilibus ſcilicet imperitis attentandum, verùm deuotionis in Deum, affectionísque in Sanctum plenum opus aggredior; eò magis in ſpem ductus, quòd is, qui totius creaturæ vniuerſaliter laudatur officio, ſi homines ſua præconia ſuppreſſerint, lapides aſſerit clamaturos. Suſcepti negotij eam ducimus diſpoſitionem conſtare ratiſſimam, ſi eorum, quæ ante glorioſum eius tranſitum per eum patrata relatione ſatis aſſerta feruntur, aliqua præmittentes, ad illa, quæ poſt ad ſacram eius memoriam & fieri vidimus, & facta didicimus, ordine prouehamur. Verùm ne ſuccinctu operi ſuccenſeat præfatum prolixius, animante Domino ad propoſitum accedamus.

CAPVT II. De Michomere Monacho et discipvlo eivs.

Itinera ſancti Viti cœleſtibus ſemper claruiſſe miraculis, & Geſtorum Authoritas, & eorum quæ peragrauit fatentur notiſſima monumenta locorum. Neque enim mundanis tenebris lucernam fecerat vbi nubi ſyderearn, quam ad errorum diſcutiendam caliginem ſuauiter diſponens cuncta Deus candelabro locauerat in ſublimi: vt ergo Eccleſiaſticis ex animo vtilitatibus proprium deuouerat caput, certi ratione negotij contigit eum cum dilectis comitibus iter neceſſarium aggredi. Iam eo aliquantum progreſſo, vnus diſcipulorum eius, qui ſanctum Vitum de Hybernia fuerat proſecutus, cui Michomeri vocabulum fuit, ad hanc ipſam delectus expeditionem, quod cum ipſo exire nequiuerat poſt Magiſtri veſtigia profectus eſt; qui cum ad caſtrum cui Tharnori ſeu Tornodori nomen eſt, diſtatque ab vrbe fere decem & octo millibus, peruéniſſet, languore interceptus ibidem decubuit, paucíſque interiectis diebus vita defunctus, atque in cliuo eiuſdem rupis à fidelibus ſepulturæ mandatus eſt; contigit beatiſſimum Germanum per dies aliquot remenſo itinere, ad eundem deueniſſe locum. Credo diſceſſum diſcipuli, præmonente eum ſancto Spiritu, didiciſſe, accedénſque ad locum, quo fuerat tumulatus, oratione præmiſſa, iuſſit reuelli ſepulchrum. Michomeres vocatus ex nomine, vitali reſumpto vſu, reſediſſe fertur, à quo ſanctiſſimus Pontifex; quid ageret aut ſi quiete frueretur, curioſiùs percontatus, hoc confirmatur accepiſſe reſponſum, Gratias, inquit, Pater Sanctiſſime præcipuis meritis tuis & ago & habeo, quoniam obtentu beatitudinis tuæ, nihil moleſtum, triſte nihil periculi, cuncta mihi placida, ſalubria conſtant vniuerſa, cui Pontifex: vis aut mecum adhuc in prædicationis officio deſudare, an vt cœperas quieſcere? tum ille: dummodo, inquit, tuæ non graue ſit ſanctitati, peregrinari à Chriſto vlterius neceſſe non habeo, cui vt cœpi adhærere optimum mihi eſt, eóque vnde auocatus ſum tuis quàm citiſſimè precibus reuocari. Quo prædicto annuente Pontifice, caput iterum depoſuit, cunctíſque mirantibus in pace quieuit: Fidenter dixerim eum tunc habitaſſe in Germano qui quondam Lazarum quatriduanum clauſo iam vocauit è tumulo. Hoc miraculum & tunc latè patuit, & adhuc celeberrimum voluitur per ora cunctorum: nam & beato Michomeri ipſo in loco deinceps oratorium eſt conſtructum, vbi ſanctum Dei dignè venerantibus diuina hodie beneficia cumulantur.

CAPVT III. De Altaris Dedicatione miracvli.

Illud ſane quod apud vrbem Aquileſinam, ſiue, vt viſus frequentior Egoliſmam cognominat, perpetratum ferunt, eò robuſtius creditur, quo eius indicia oculis ſubiecta monſtrantur. Quo cùm itineris eſſet continuatione delatus, dignâ, & quæ ſane virum decebat Apoſtolica, exceptione honoratus, vt nouum Eccleſiæ Senioris altare honori Apoſtolorum Principis conſecrans dedicaret, obnixè po-

ſtulatus eſt, rogantibus charitatis officio morem geſſit, cúmque id ſolemni ritu peragerett, Innocentia puritáſque ſanctarum eius manuum cœleſti mox miraculo declaratur. Vbicunque enim, & quoties per altaris cornua mediúmque, crucis effigiem ſanctificati vnguinis liquore ſignauit, ita marmor impreſſione pollicis liquefactum ſubterfugit, vt ad impulſum digiti niueam putares ceſſiſſe mollitiem: extat idem marmor altari ſuperpoſitum & ſpectaculo & venerationi, quod ſancti viri benedictione ſacratum ſingularem eius atteſtatur meritorum gratiam.

CAPVT IV. QVOD EI REVERTENTI AD VRBEM SVAM SANCTVS ANIANVS PER SPIRITVM INSTRVCTVS OCCVRRERIT.

In ſuburbio Aurelianenſi Eccleſia eſt eius nomine dedicata, meritis frequentius illuſtrata, cui conſtruendæ hanc fuiſſe memorant primariam rationem, cùm compoſitis Eccleſiaſticis negotiis, quibus quàm maximè vrgebatur, alacriter ad propria remeans, Aurelianenſi vrbi iam proximus immineret, extemplo ſigna Baſilicæ Senioris nemine impellente concuſſa, concentu vltroneo (quod eſt dictu mirabile) aduentus eius cœperunt eſſe prænuntia: tunc eidem ciuitati ſanctus erat Anianus Epiſcopus vir ſanctitate & miraculis & ipſe glorioſus, qui interna ſpiritus edoctus reuelatione vniuerſis Cleri plebiſque vndecumque coactis agminibus, extra vrbem beatiſſimo Germano obuiam prodit, excepit, veneratus eſt, tantóque confectum ex itinere quantâ decuit obſequiorum diligentia refouit! O quantis illa dies eſt exacta lætitiis, quantum honoris, theſauri quantum vrbs illa ferebat duabus Apoſtolicis fulta columnis, oliuis geminis impinguata, candelabris ſplendidiſſimis illuſtrata: eo itaque loci, quo ſe mutuis Sacerdotes amplexibus ſolemniter exceperunt, Eccleſia poſtmodum beati Germani nomine conſtructa diuinorum impenſa beneficiorum memorabile eius meritis præbet teſtimonium.

CAPVT V. DE MORTVO IN ITINERE SVSCITATO.

Poſtquam itaque ſpirituali ciuitate in Chriſto pariter epulati & innoxiis ſe virtutum dapibus alternè expleuerunt, Germanum ſanctiſſimum, id quod reſtabat itineris peractorum vix æquè meritis egregius Anianus in ſecundum fere ab vrbe lapidem germanæ beneuolentiæ affectu proſecutus eſt. Quibus iter carpentibus, ecce mulier vidua vnici cadauer filij tumulandum ferens pedibus aduoluta Sanctorum, vt ſui miſererentur, orabat inſtantius, non caſu, verùm diſpoſitione cœleſti eorum oblatam præſentiam incunctanter ſe credere, amborum meritis maternæ ſolitudini poſſe filium reformari: diu inter duos dubitatum eſt: longè de re iteranda pertinaciter concertatum, dum & hic Beato Aniano, quòd ſuæ eſſet Diœceſis, de Miraculo iudicat præſumendum, & ille à Germano Sanctiſſimo, ſi quid erat faciendum, celerius obtineri poſſe confirmat: cedens itaque, partim maternis lachrymis, partim inſtantiæ Præſulis, omnia ſufferenti præfiſus charitati, orationi ſolito incumbit more Germanus Beatiſſimus, defunctique vitam lachrymis meretur vberrimis, ingenti vniuerſorum gaudio, lugenti matri filium à funere reuocauit incolumem. Eccleſia ſanctitati eius eodem conſtructo loco innumeris deinceps virtutibus claruit, in quâ monſtratur hodiéq; tumulus hominis ſuſcitati, qui poſtmodum decurſo vitæ ſuæ legitimo ſpatio ob miraculi perennem memoriam, honeſtam ibidem meruit ſepulturam. Locus quoque ceſpitis, cui ſanctus in oratione proſtratus incubuit, magnæ adhuc extat omnibus venerationi, cancello ligneo oppoſito, atque à permeantium pedibus ſacratæ terræ loculum defendente.

CAPVT VI. QVOD RVENS PARIES OBIECTV SIGNI SALVTARIS RESTITERIT.

Idem territorium in publico aggere vicum continet quendam, qui ex antiquo Baſilicas nuncupatus, patrati apud ſe dudum miraculi famoſam adhuc oſtentat euidentiam. Quidam namque eius loci incola, genere conſpicuus, copiis opulentus, ingentem in fundo ſuo conductis artificibus extruebat Eccleſiam; cuius mole aliquatenus iam in ſublime porrecta, cùm ad conſummandum id quod

reſtabat opera anxia ſtructorum inſtaret diligentia, die quadam in eiuſdem ædificij culmine ſtantibus, opuſque mirè properantibus Architectis, paries cui inſiſtebatur, à ſummo ad ima ita peruptus diſſectúſque eſt, vt nutantibus partibus ſibi ruinam, ſuperſtantibus vero proximum veſtigio minaretur interitum. Cæmentariorum imperitiâ collapſum opus, an diſpenſatione, res humanas ordinabiliter dirigente, parando fuerit materia oblata miraculo, id vero non facilè diſcreuerim. Caſu Germanus ſanctiſſimus ex aduerſo publicâ incedens viâ, periculum vt conſpexit, manum in ſublime extulit, Cruciſque expreſſo ſignaculo iamiámque vergenti ac pendulo lapſum parieti interdixit, obiectu manus ſanctiſſimæ paries reſtitit, ac tanquam validiſſimo exceptus fulcro in ſui ſe ſtatus rectitudinem recepit: ita vnius effectu virtutis & ruinæ parietem & homines morti ſubduxit. Quo quidem peracto magníſque excellentium declaratus præconiis meritorum, propoſitum, vt cœperat, continuauit iter. Poſt tempus aliquod explicito tandem opere templíque fabrica conſummata, cum iam de conſecratione tractaretur, operis Dominus prudenti tractus ſententia: Nemo, inquit, hanc ſuo competentius illuſtrabit nomine, quàm Germanus Sanctiſſimus, cuius ſublimibus meritis jam dudum initiata cognoſcitur; perſtat hodie Eccleſia hæc beatiſſimi Germani titulo clariſſima, miraculorum exhibitione frequentiſſima, oſtentans adhuc eundem parietem rimoſa cicatrice notabilem, præferentemque in ſe Apoſtolicæ teſtimonia ſanctitatis.

CAPVT VII. De Corilo hvmi defixa.

Raro vſquam aut monſit, aut docuit, quo non ſuæ ſingularis excellentiæ magnifica monumenta perdurent: piis animis piè de Deo ſentientibus ſufficienter multis paucitas annotata. Hæc ſane referuntur tutiùs, quo noſcuntur certiùs, conſpiciuntur præſentiùs. Per pagum Tullenſem iter carpens obuia populorum exceptus multitudine, quodam reſedit loco, occurrentémque turbam verbi ſalutaris exhortatione formaturus, colurnam, quam fortè manu geſtabat virgam, humi defixit, explicata prædicatione, mirum quod fuit viſu, mirum quod eſt & dictu, ramuſculos iam frondéſque produxerat, hæc in eius teſtimonium ſanctitatis in Corilum roboris immenſi conualuit, atque vſque hodie ingenti ab omnibus cautela veneratur, ne aut ramum quis ex ea decerpere, aut indecens quidpiam ſub illa aut circa illam audeat perpetrare. Is locus nunc quoque vulgariter ad cambuttam S. Germani dicitur.

CAPVT VIII. De Fago singvlaris magnitvdinis.

In Pago quoque Waſtinenſi, in vicinia Gaiaci Monaſterij, interiecto Odonna flumine, fagus eſt mirandæ magnitudinis, ſtipite procera, ramorum ambitu vaſtiſſima, denſitate opaca, quæ ſimiliter ſancti virtute Pontificis coaluiſſe incunctanter aſſeritur, dum poſt ſermonem eo loci ad populum habitum, bacillum, quo ſeniles regebat artus, telluri arctiùs defixiſſet. Hæc pro inſolenti magnitudine ad ſui ſpectaculum multos è contiguis adſciuit regionibus. Eccleſia ſecus arborem eſt eius inſignis nomine, locúſque idem ad Fagum S. Germani populariter nuncupatur.

CAPVT IX. De Corporibvs Martyrvm Præsvlatvs eivs tempore revelatis.

Quod ſanè Venerabilium Martyrum Geſta Pontificatus eius tempore comperta claruerunt, quis iure à miraculis excipiendum iudicet? Sanctæ igitur illius multitudinis, quam cum Beato Priſco apud locum Cotiacum Aurelianæ perſecutionis trucidauit immanitas, ſacratiſſima corpora propter ſæuientem rabiem clam ſubducta, in ciſterna quadam vaſtiſſima à Chriſtianis, qui tum exiſtebant rariſſimi, paſſim congeſta ſunt. Horum memoria longo labentium temporum obſcurata defluxu ad tempus vſque Germani Sanctiſſimi cunctis ignota delituit, quo Præſule Deus in cuius conſpectu ſuorum ſemper eſt mors pretioſa Sanctorum, diſponens illorum patrocinio populis ſubuenire veneranda eorum corpora declarauit. Caput quoque eiuſdem Sancti Martyris Priſci eiſdem initis

reuelans modis. Cui recondendo quatuor ab vrbe millibus Eccleſiam conſtruens conſecrauit, quam ſignorum copia continue affluens populorum concurſibus facit eſſe celebrem: hoc non aliunde commentatum, verum ex relatione paſſionis illorum ſincera collatione inſertum eſt.

CAPVT X. De Revelatione perspicva in Basilica Albani Martyris declarata.

Id quoque quod in Eccleſiis ab ipſo dedicatis, potiorem diuinæ virtutis euidentiam in exhibendis miraculis nemo fere ambigit declarari à ſalutaribus meritorum eius præconiis abiudicari inhumaniſſimum importunúmque putatur. Quod vt fiat perſpicuum, vno tantum eodémque non incelebri nitemur exemplo. Reuerſus ex Britanniis, reliquias antiquiſſimi pretioſique Albani Martyris ſecum detulit, atque infra muros Autiſſiodori Baſilicam eis condendis exædificans, præfati Martyris nomine dedicauit; in qua ferunt quendam anxiè deſeruire Preſbyterum, qui inter cætera probitatis ſtudiâ id ſibi familiare fecerat, vt ſigno Baſilicæ ſenioris increpante, corpus è lecto corripiens, ad Eccleſiam quàm celerrimè properaret, dúmque eiuſmodi erga diuinum ſeruitium inſtaret vigilantiâ, vnâ noctium, cùm à propriâ egrederetur domo, quæ ſupradictæ Baſilicæ adhærebat, Angelicum audiuit chorum harmonicâ conſonantiâ concinentem Alleluya, cum pſalmo CXLVIII. qui inſcribitur, *Laudate Dominum de cælis*, ad finem vſque Pſalterij qui attonitis auribus ad oſtium Oratorij auſcultans diligentiùs, eandem memoriter didicit modulationem: Erat autem Alleluya, quod noſtra Eccleſia Septuageſimæ tantùm die Dominico, cum ſupra memorato Pſalmo modulari conſueuit, quod in primo verſu ſemel, in ſecundo bis, in tertio tribus reciprocatum vicibus, in quarto demum reiteratur à capite: Quantum autem reor in honorem Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis competenter canitur. Id eùm teneret memoria, conuocatis poſt ſolemne matutinum Fratribus, traditáque, quam perceperat, reuelatione, vt res foret teſtatior, modulationem quoque compertam eos edocuit, quæ omnis ſuauitas protinus â mente illius ita elapſa eſt, vt non niſi vocabuli ſolummodo deinceps reminiſci potuerit, quod ei iure contigiſſe putatur, vt is qui intimata ſibi ſecreta cæleſtia inconſultè prodidit, aliis ad laudem Dei retinentibus, ſuâ ſolus ignorantiâ puniretur. Quod Paulus Apoſtolus metuere ſe ſignificans, fatetur ſe audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui & Ioanni præcipitur, ne ſignet quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua; animæ quoque diuina ſpeculanti iubetur, audi Iſraël & tace. Multa apud idem oratorium recenſentur collata beneficia, cùm in expulſione dæmonum, tum in illuminatione cæcorum; in his verò quàm maximè, qui diuerſa febrium acceſſione vexati ad locum ſe, Sanctorum imploratis patrociniis, contulerunt.

CAPVT XI. Qvod svæ sedis Ecclesiam mvltimoda largitate ditaverit.

Eccleſiam cui præſul erat, non ſpiritualibus modò, verùm & temporalibus copioſiſſimè extulit incrementis, cuius in poſſeſſionibus facultas ante ipſum, quàm fuerit perexilis, facilè colligi poteſt: ſi qualibus eam copiis auctam reliquit, æquis rationibus inſpecteтur: nam quia quantum ad fortunam in poſſeſſionibus & prædiis ditiſſimorum ditiſſimus omnium, quæ ei ex iure paterno ceſſerant, in vita ſua hæredem fecit Eccleſiam, quam eius ex parte maximâ patrimoniis hodiéque conſtare cognoſcimus. Sunt autem prædia hoc numero perplura, quantitate permaxima, finibus ſpatioſa, ſibique contermina, ſitus qualitate iucundiſſima, reddituum vbertate præclara. Horum in vno, cui Epponiacus ex vetuſtate nomen eſt, venerabilis genitor eius Ruſticus nuncupatus, cum genitrice Germanilla nomine, in Eccleſia Apoſtolorum Principis nomine dedicata, aris eorum capitibus ſuperpoſitis decenter conditi requieſcunt. O virum, cui ſemper ſumma debentur, qui amore vitæ æternæ voluntariam amplexus pauperiem, totum Chriſto dedit, ſibi nihil retinuit! Quis animi eius facilem & ſanè ingenuo dignum

In hac parte poſſit explicare candorem? Quis bona, quibus nunc Eccleſia Chriſti fruitur per ipſum, relatu comprehendere? vnde nunc Epiſcopi ditantur, victualia Clerici conſequuntur, ſuſtentantur Monachi, recreantur egeni, huius fuit, ex eius ad hos fœcundiſſima largitate profuſum eſt. Quanta ad nos virtutum ſanctitatiſque eius exempla manauerunt? Quanta & latiora hinc potuiſſent fieri monumenta, compingi volumina, ſi ei degenti in ſæculo curioſiùs adhæſiſſet aliquis, qui verba eius, vt ſingula ab ore fluebant, exciperet, actus eius omnes curioſiùs obſeruaret, miracula denique ſemper ei in promptu aſſiſtentia tenaci memoriæ commendaret? quandoquidem luculentus ille geſtorum eius breuiator, vt non dixerim explanator, quod nunquam abſque ſcrupulo vel legerim, vel legi audiuerim, ſi itinera eius cuncta percurreret, ſi vniuerſa commemoraret, paraturum ſe conteſtatur lecturis congeſta prolixitate faſtidium.

CAPVT XII. Svccincta mentio Patricii per beatvm Germanvm in Hiberniam destinati.

Et quoniam gloria Patris in ſuo clareſcit moderamine filiorum, è multis, quos in Chriſto filios, in religione creditur habuiſſe diſcipulos, vnius tantùm, eiuſdémque famoſiſſimi caſtigatâ breuitate ſufficiet inſeri mentionem. Patricius vt Geſtorum eius ſeries prodit, Hiberniæ peculiaris Apoſtolus regionis, ſanctiſſimo ei diſcipulatui octodecim addictus annis, non mediocrem è tanti venâ fontis in ſcripturis cæleſtibus hauſit eruditionem, quémque in religione magnanimum, in virtutibus excellentem, in doctrina ſtrenuum, diuiniſſimus conſiderauit Pontifex, ineptúmque ducens robuſtiſſimum agricolam in Dominicæ ſegetis torpere culturâ, ad ſanctum Cæleſtinum vrbis Romæ Papam per Segetium Preſbyterum ſuum eum direxit, qui viro præſtantiſſimo probitatis Eccleſiaſticæ teſtimonium apud ſedem ferret Apoſtolicam. Cuius iudicio approbatus, authoritate fultus, benedictione denique roboratus, Hiberniæ partes expetiit, gentíque illi proprius datus Apoſtolus, tum quidem eam doctrina, miraculis, nunc quoque & in perpetuum mirificis Apoſtolatus ſui illuſtrabat priuilegiis.

CAPVT XIII. De Cellvla crvciatvvm illivs familiariter conscia.

Singularis meritorum eius potentia hoc ſe tuetur argumento, quòd per omnes aggeres itineris ſui, vbicunque aut orauit, aut docuit, vſque in hodiernum diem oratoriæ cellæ, & ſigna Crucis elata præfulgent; monſtratur hodiéque in Monaſterio, quod ipſe conſtruxit, oratorium poſtea eius nomine conſecratum, vbi incunctanter nouimus eſſe cellulam afflictionum eius & cruciatuum conſciam, cui neſcio, oſtiolum, an feneſtram dixerim, tanta erat humilitate perexiguum, vt nemo quamuis quantilli corporis, niſi pronus per id irrepere potuerit. Quid ibi gemituum, quid fuſum eſt lacrymarum? quantæ viro ad contemplandum Deum diuiniſſimo reuelationes allatæ, angelicę explicationes adhibitæ, poſtremò quàm crebra confluentibus eò populis animarum corporúmque percepta remedia, multum eſt dicere: Quis ſaltem efficaciter penſitare ſufficiat, quæ tanta, & quam frequentia fuerint? quia ſoli Deo conſtat. Poſtquam incæptum negotium paucis promouimus, ad eorum, quæ glorioſum eius tranſitum ſubſecuta ſunt, partem quantulam explicandam inuocato Domino accedam.

CAPVT XIV. Recapitvlatio gloriosi transitvs eivs.

Splendidiſſimus, orbíque in tenebris agenti lumen inextinguibile datus Dominus Germanus Epiſcopus poſt inimitabilem in ſæculo vitam, poſt Gallias Britanniáſque, ipſam denique Italiam, doctrina & miraculis reſperſas, à Chriſto Domino vocatus, ſalutiferóque confortatus viatico, apud Rauennam Italiæ ciuitatem Spiritu Sancto plenus obiit, Valentiniano iuniore Conſtantij filio cum matre Placidiâ orbis terrarum obtinente Monarchiam, à quibus ibidem pro admiratione ſanctitatis, at-

que aſſiduitate miraculorum, vt liber Geſtorum eius latiùs explicat, honorificè ſuſceptus Domino Chriſto ſibi apparente, obitus ſui prænoſcens diem, multa licet cum difficultate obtinuit vt gleba ſuis corporis propriæ redderetur ciuitati.

CAPVT XV. QVOD NON FORTVITV RAVENNAM PERREXERIT, ET CAVSA PROFECTIONIS EIVSDEM.

Cauſa præterea profectionis eius Rauennam, quàm non incerta vel fortuita fuerit, vitæ eius textus declarat: quódque hic recapitulatum erit fortaſſe non inofficioſum, vir magnificus Aëtius eâ tempeſtate reip. Patricius ac Rector datus, Armoricani prouocatus inſolentia populi: cuius leues & indiſciplinati animi raro vnquã erga Principes fidei ſeruauere conſtantiam, Rechario Alanorum Regi ferociſſimo regionem illam pro rebellionis vltione inuadendam, ſubiugandam, vaſtandámque permiſerat, quam cum Barbarus crudeliſſimè inuaſiſſet, non tam prædæ congerie, quàm cæde allectus & ſanguine, beatiſſimus Germanus, iam ei progreſſo armatóque inter hoſtiles impetus occurrens, mirabilis authoritatis conſtantia, quódque vniuerſis ab eo patratis miraculis æſtimo præferendum, & animum compellit ferocem deponere, exercitum reuocare, à prouinciæ vaſtatione deſiſtere, eâ conditione tamen, vt ab Aëtio peteretur. Vt ergo cœptum miſericordiæ compleret officium, decurſis Gallicanis, vel Italicis ciuitatibus, multíſque in ipſo itinere declaratus miraculis, Rauennam, quo tũc Imper. cum matre Auguſta agebat, diu licet expectatus peruenit, ibíque ad arbitrium ſuum, pro quibus petebat, pacem & ſecuritatem obtinuit: verum quia mobilis animi perfidia indiſciplinatum populum ad rebellionem priſtinam reuocauit, non multo poſt eius exceſſum, tyrannica, quam ipſe in vita ſua compreſſerat, grauius in infelices emerſit immanitas, Alanis, Gothis & Vandalis ab Hiſpaniis in Africam hinc in Gallias progreſſis, vniuerſáque ferro flammis & vaſtitate proterentibus, nec dum ſupra memoratus ſanctiſſimus Anianus exceſſerat, adhuc reuerendiſſimus collega eius Lupus Trecaſſinorum Antiſtes cæleſtem in terris agebat vitam, quíque plebem ſuam à barbarica ferocitate precibus protegens, ſicut in hymno feſtiuitatis eius, Beda teſte, canitur, *dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit*: quæ cum ita ſe habeant, diuina profecto gratia beatiſſimo Germano prouiſum hoc quoque nemo dubitarit, vt qui diuinæ legis inſuperabilis exiſtens cauſidicus pro Chriſto legatione functus in mundo fuerat, in ſanctæ pacis confirmatione temporalis vitæ finem caperet, pro qua inter Deum & homines reparanda mortem voluntariam author vitæ pertuliſſet: quid enim decentius ordine agonis ſui curſum conſummare potuit, quàm vt in eo animam ſuam poneret, cui & pro quo conſequendo in tam longo huius vitæ ſtadio concurriſſet.

CAPVT XVI. QVOD ETIAM CVM PROFICISCERETVR IMMINENTEM EXCESSVM NON IGNORAVERIT.

Siquem ſanè improba ludit cogitatio, beatum virum ignorantia imminentis deceſſus tantæ expeditionis molem ſubiiſſe, qui ſi vitæ ſuæ terminum, vt è veſtigio inſtabat, agnoſceret, ne pedem quidem ab vrbe ſua longius efferre pateretur, hunc ad librum de vita eius editum dirigimus, quo & repræſentata veritate errorem exuat, & vicini ſui tranſitus quàm non improuidus fuerit, etiam cùm proficiſceretur, vel inſtructus agnoſcat. Nam cum propter ſupra memoratum negotium petiturus Italiam familiarem ſuum Senatorem Preſbyterum prꝑteriens, ex conſuetudine viſitaſſet, profecturus ab eo, ſolito affectuoſiùs in amicum irruit, ac poſt amplexus multiplices & oſcula prædulcia huiuſmodi verbis ſalutatum reliquit: vale in æternum, frater chariſſime, vale animæ meæ portio, tribuat Deus vt nos in die iudicij ſine confuſione videamus: cæterùm in hac luce mutuo nunquam fruemur aſpectu. Quod quia ita contigiſſe manifeſtum eſt, cui de præſcientia tranſitus ſui liceat ambigere, qui de ſe tanta támque euidentia prædicere potuit? Ita vero ſanctus & charitate anxius & iamiámque imminentis obitus non ignarus, nihil prius dixit, quàm Domini præcepta complere, ſéque ipſum circa finem pro ouium Chriſti ſaluatione impendere. His ita locatis, propoſita repetamus.

CAPVT XVII. De nobiliſſimo funeris ſacri apparatu.

In apparatu defuncti ſua certatim omnes ſtudia contulerunt, Acolius Regalis cubiculi præpoſitus, cuius dudum puerum ab atrociſſimi dæmonis peſte curauerat, venerabile corpus multiformi aromatum compoſitione confecit; Auguſta vt viuo fuerat obſecuta, mortuo quoque ex animo deferre deſiderans ſacri glebam cadaueris operoſis ac valdè ſubtilibus cumulauit indumentis, ad id deuehendum conſeruandúmque ex cypreſſo mundiſſima loculo coaptato: quibus ita compoſitis, ne quid ſancti deeſſet officiis anxiè præcauit Imperator, iter inſtruxit, euectiones neceſſarias præbuit, miniſtros, comitéſque deducendo funeri deſtinauit, quos expenſarum & totius humanitatis impendiis copioſè proſecutus eſt: Epiſcopis ea fuit cura permaxima, ne ſacris exequiis vel ad horam deeſſent officia religionis, quæ ipſi & in præſenti inſtruunt, & ne proceſſu itineris deficiant ordinatione præmittunt: Ita funus ſatis ambitioſè inſtructum magno proſequentium agmine promouetur ad Gallias.

CAPVT XVIII. De Eccleſia Vercellis per mortuum mirabiliter dedicata.

Quàm robuſti meriti, quàm excellentis gloriæ, quàm denique ſummi apud Chriſtum loci fuerit, cuius erant, quibus aggeres illuſtrabantur, exequiæ, pertinuit ad diuinitatem ſignorum affluentia declarare; vulgi ore feruntur quàm plurima, quibus eo fides detrahitur, quo variè indigeſtéque feruntur: nobile illud præcioſúmque eſt, quod cum memoria digniſſimum, tum æque literis ex antiquo inditum, & fidem aſtruit, & ædificationi conducit, expeditione ſuperius memorata à venerabili Euſebio Vercellenſium Pontifice decenter exceptus, omnibúſque humanitatis officiis, vt par erat, releuatus eſt: Is ipſe Euſebius poſt longa contra antiquum hoſtem certamina, poſt hæreticorum à quibus multa paſſus eſt cōuitia, poſt illud denique clariſſimum Phrygiæ exilium, à quo poſt quadriennium remeauit longo iam confectus ſenio, rebúſque pace redditâ, nouam tunc in vrbe ſua miles iam emeritus condebat Eccleſiam Hanc vt Germanus beatiſſimus Rauennæ reſidens dedicaret obnixè deprecatus eſt, qui id ſe deuotius impleturum repromiſit, actum eſt vt beatiſſimi Confeſſoris comperto deceſſu ad ſuæ conſecrationem baſilicę, vt mos fert Eccleſiaſticus, præfatus Pontifex ſe appararet, quam cum ſolemniter ingreſſurus Pharos ex more compoſitas dixiſſet accendi, mirum dictu, quod & admota flamma, nullis lychnorum excipi potuit alimentis; quanquam id non ſemel nec ſimpliciter tentatum arte fruſtra perſiſtentium manus eluſerit miniſtrorum; cúmque per dies aliquot caſſo iteratus labor perſtantibus perturbaretur obſtaculis, inſolito negotij percitus interceptu, à re propoſita deſiſtendum iudicauit Epiſcopus, quod ſibi cunctiſque conſtaret euidentiſſimam impediri encænii functionem, aut in diuerſum differendam tempus, aut Pontificis alterius officio reſeruari: interea venerandi funeris adeſſe pompam famæ præcurrentis nunciatur indicio, cui proſequendo quis non emergeret, quem propriæ ſalutis incuria non vrgeret, congeſtum vndique rapit agmen Epiſcopus, impenſæque deuotionis officiis exceptum corpus intra iam dictæ baſilicæ ambitum introduxit. Quod vbi primas ædium partes attigit, ita vniuerſa luminum congeries cælitus inflammata perfulſit, vt palam fieret ad ſancti exequias corporis, hic quoque non defuiſſe diuinæ præſentiam majeſtatis, dum quæ humanis non ceſſerant ingeniis, diuinis facilè nutibus deſeruirent: Tum ſanctiſſimus Euſebius voti ſui conſcius, promiſſioniſque à Sancto perceptæ non immemor, re altius compenſa, quódque cæleſtibus erat confectum auſpiciis humanis ineptum ducens miniſteriis tentari: ſanctiſſimus ait Germanus pactæ memor ſponſionis ne voti noſtri imperfectione torqueremur, quod viuens promiſerat, mortuus implere non diſtulit: quapropter ſuſceptis tam euidentibus, tam præcelſis, tam denique ſingularibus ſanctitatis eius teſtimoniis, ad exigendum quod diuinis ſupereſt myſteriis, implorato Domino accingamur. Ita fatus ad altare ſe contulit, & Gloria in excelſis Deo, quãto potuit canore præſultans feſtum populis indixit diem:

ſacris Epiſcopaliter celebrare ac de ſplendore miraculi agitato ſermone, diutius quod ſuperfuit horarum religioſis circa ſacrum funus mancipauit excubiis. O iuſtorum ſuauis & indefeſſa memoria! ô ſiuorum in conſpectu Domini mors perpetuo pretioſa Sanctorum! ô quid loci apud Dominum meruerit, nemini de cætero licuit dubitare, ante cuius exequias adorandas in externis quoque regionibus tantus ſignorum ſplendor emicuit, quod fortaſſe ſoli conſtaret Deo, niſi mirabilium frequentia id generi declaraſſet humano.

CAPVT XIX. De fervore instantissimo occvrrentivm popvlorvm.

Quibus ita exactis viæ redditur, nouúſque obſequiorum ardor cunctorum intus mentibus erga ſancti funeris munia cumulatur. Creſcebat ingens vndecunque concurrentium numeroſitas populorum, dum & nouus locis ſingulis comitatus accederet, & proſequentes quoſque itineris continuatione non tæderet, vectandi ſucceſſus corporis cunctis, quanquam ſe ſe violenter ingererent, prouenire non potuit: quibus tamen accedendi fuit copia vicibus ceſſit, ad quos irruens frequentia cominus id tractare prohibuit, officij genus erat oculis deducere, ac vocibus intimo deuotionis fonte manantibus perſonare; plurima per iter totum, tum Eccleſiis eius nomine dedicatis, tum titulis ſparſim affixis beatitudinis eius monumenta monſtrantur: quocumque locorum, aut pernoctauit, aut pauſam duxit, ſanctitatis eius adhuc nobilitet florente memoria.

CAPVT XX. Qvaliter sancti excessvs Pontificis Satvrno Presbytero innotverit.

Pretium deputabitur operę id intactum non excedere, qualiter ſancti exceſſum Pontificis cunctis ſemper conſulens diuina prouidentia, plebi quoque ſuæ orbitatem propriam ignoranti adhuc compertam fore voluerit. Saturnus erat beatiſſimi Germani Preſbyter & diſcipulus, vita æquè probatiſſimus, ac ſancto viro familiariter dilectus. Is eo profecto in Italiam iuſſu eius in vrbe remanſerat. Quâ ergo nocte glorioſus Domini Confeſſor & Pontifex apud Rauennam fœlici migrauit exceſſu, is quoque Autiſſiodori poſitus ſplendidiſſimum eius tranſitum Angelo pandente cognouit, ac diuina inſtructus reuelatione populis denunciauit, quorum ingenti ſecum coacta multitudine ad Alpium iuga properat, vbi excipiunt Galliæ Patronum proprium tanto eius funeri propenſiùs ſeruituræ, quanto potiorem famulatum reuerentiæ mixtus amoris extorquebat affectus. Hoc non commentitium eſt, nec vena ingenij prurientis excuſum, verùm vetuſtiſſimo inſulptum marmori ſcriptura quoque ipſa antiquitatis repræſentante characterem apud nos hodiéque ſeruatur.

CAPVT XXI. De qvinqve sororibvs sacrvm corpvs ardentissime proseqventibvs.

Crediderim ſanè nonnullos à Rauenna, ſanctitatis eius experriſſimos, cum ſacra gleba corporis peregrinationem ſibi vltroneam indixiſſe, ac per hoc infatigatis animis, quanquam eſſet via longior, funus venerabile proſecutos. In quibus & ex quibus quinque fuerunt famoſiſſimæ propoſito virgines natu germanæ, quarum nomina vel merita celebrem in noſtra prouincia ex longo obtinuere memoriam. Harum tres his vocabulis Magnentia, Palladia, atque Camilla, vt ſingulæ ipſo itinere diuinitus euocatæ diem clauſere nouiſſimum, in publico aggere nobilem accepere ſepulturam Eccleſiis ſuperſtructis, earúmque ſanctitati dedicatis, quæ hodiéque ob miraculorum euidentiam & famoſiſſimæ conſtant, & ingenti populorum ſtudio frequentantur: duabus quibus ſacri tumulationem corporis eſt videre conceſſum, altera, cui Maximæ vocabulum fuit, circa eandem baſilicam condi promeruit, quam tamen poſtmodum ambitus fabricæ maioris incluſit, altera Porcaria dicta, nono ferè ab vrbe milliario in Eccleſia ſuis clara meritis requieſcit.

CAPVT

CAPVT XXII. De sacri exceptione corporis et splendidissimo sepulchri apparatu.

Ex pridie Kalend. Aug. die, qua Confeſſor eximius ſarcina leuatus carnis cæleſtibus eſt inſinuatus ſacrariis, tertius & quinquageſimus voluebatur dies, cùm ſacri theſaurus corporis propriæ refuſus vrbi ſolenni obſequio populorum excipitur, atque intra principalis, cui ſederat, Eccleſiæ ambitum collocatur. Ibi per decem continuos dies ingentibus officiorum impenſis excolitur, donec omnibus quæ ad ius ſepulchri pertinent officioſiſſimè apparatis, non parua humani generis congeſta multitudine, vt virum decebat Apoſtolicum, ſepulturæ traderetur; verum quia in rebus ſingulis pro captu impune cuique operari licitum eſt, non temere dixerim tantorum intercesſu dierum non functis ſolummodo prouiſum apparatui, verùm Sacerdotibus ac populis è remotis terrarum vndecumque occurſuris qui que ſi ſancti defuiſſent exequiis id verè ferrent ægerrimè, fuit hac tumulandi Pontificis dilatione conſultum.

CAP. XXIII. Quid muneris in relatione sacri corporis collatum putetur, per apostrophen.

Quod ergo ſacri tui corporis præſentia fruimur, quod viri poſt Apoſtolos ſplendidiſſimi glorioſa memoria illuſtramur, quod denique certiſſimum, quo ſe noſtra fragilitas conferat, periculorum omnium præſidium obtinemus, premiſſo ineffabilis ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis præconio, tibi, Pater ſacratiſſime, gratias omnimodas & habemus & agimus, te amatorem patriæ, tutorem gregis, tuorúmque patrem prædicamus clementiſſimum filiorum, qui cum in Auguſtis imperij ſedibus ipſorum componi poſſes manibus Auguſtorum, tantóque apicem locares ſublimiùs, quanto & Romana excellentia Gallicana mediocritate prouectior, vtque Roma Apoſtolis, Rauenna quoque Germano perſtaret inſignis, vicerunt tamen paterna ac materna viſcera; vicit deſolatorum amor & affectio filiorum, quos qualiter viuens, quamque impensè dilexeras, mortuus declaraſti. Ita certè, ita tuam decebat, pater æquiſſime, ſanctitatem, vt qui pro externorum commodis te frequenter impenderas, terras ac maria peragraueras, aſpera poſtremò cuncta pertuleras, domeſticam non negligeres plebem, cui te rector rerum maximus ſpecialem contulit præeſſe paſtorem. O quàm benè de illa meritus, quàm ſinceris es obſequiis excolendus, cuius orbitati acerbiſſimæ, tam præſens, tam præcipuum, támque familiare ſuffragium prouidiſti, quo non modo præſentibus conſuleret, verùm ipſis poſteris quoque ſubueniret. Vrbem noſtram rerum natura diſpoſitrix ſuis locauit in rupibus, nullis opibus fultam, nulla ſitus artiſvè qualitate munitam, hæc ne nomine quidem digna exiſteret, ſi tui theſauro corporis caruiſſet: quo quia illuſtrari mirificè meruit, eo inter cæteras hinc glorioſiùs emicat, quo poſt Apoſtolos nulla alia margaritum pretioſius ſeruat.

CAPVT XXIV. Retractatio exceptionis supradictæ.

Iam verò de ſupradictæ exceptionis qualitate quid ſentiam ad plenum efferre non ſufficio, quoniam diu mecum multúmque retractans, nec ipſa animi ſatis hanc perſpicacitate diſcerno: diem namque illam gaudij dixerim aut mœroris? Id verò eſt in ancipiti, ſed & ſi alterum ſine altero prædicem, tantorum támque religioſorum ciuium tum pietati tum prudentiæ vereor derogare, cuius enim fletibus ora vacarēt, quem ouilis paſtore deſtitui orbitas admoneret? In quo id putabatur breuiſſimum, quod peregrè proficiſcentis exceſſui deuotiſſimos filios ne conceſſum quidem fuerat intereſſe: Illud verò gaudium, quàm fuit ineffabile, quam piis affectibus conflata lætitia? recipiebant patrem filij, tutorem pupilli, deſperati conſilium, trepidi firmamentum. O diem feſtiuam tantis vberem lachrymis, tantis grauidam gaudiis, cui quiſquis non interfuit ſpectaculorum parte quam maxima caruit qua nec vrbem triſtior nec orbem afflauit hilarior.

VVti

CAPVT XXV. Vt sacrvm corpvs sepvltvræ traditvm ſit, et de loco sepvlchri.

Rectè omnibus præparatis, cùm & confluentium nulla eſſet requies, & qui conuenerant vix iam regionis amplitudine caperentur, die Kal. Octob. intra ſepulchri abdita theſaurus cæleſt. s deponitur, tanto Orbis terrarum officio, tanta humani generis pietate, vt luce clariùs conſtaret omnibus hunc ſummi in cælis eſſe meriti, cuius in terris tanta prouidebantur honori: locus ſepulchri huius tum quidem perexiguum erat oratorium in ſuo ipſius prædio martyris Mauricij meritis dedicato, quod vir ſplendidiſſimus ſupra memorato quondam Saturno delegauerat, vt ſub profeſſione Sacerdotalis tituli martyrum memoriis imbi deſeruiret, nec dum immanitas Ethnicæ ſuperſtitionis obſoleuerat, adhuc Chriſtianitas arctis obſeſſa finibus agebatur, fanísque per orbem vſquequaque vigentibus, Chriſti Eccleſiis extruendis modicus ambitus, exiguus impendebatur & cultus: nondum ſe circa talia fidelium ardor effuderat, quorum in his regionibus ante Germanum ſanctiſſimum ingens quoque raritas exiſtebat. Cùm enim in vrbe ſua ſeptimus ordine Eccleſiam rexerit, claret profectò, quòd hi, qui ante ipſum extitere Pontifices, obluctante ſibi ſæuientium rabie paganorum, minus liberè, minus plenè religionis fundauere primordia, cui tamen hic, cuius nobilitati, virtuti ac ſapientiæ paſſim obniti non poterat, multimoda ſuo tempore contulit incrementa.

CAPVT XXVI. De extrvctione Basilicæ beatissimi Germani.

Progreſſu temporum ſacræ fidei circumquaque prolatis inſignibus, cùm & ipſi quoque Francorum proceres edictis colla cæleſtibus ſubieciſſent, venerabilis & momentis condigna petennibus Crotechildis Regina magni Principis Clodouei vxor ſpiritu tacta diuino ſupra ſancti tumulum Pontificis ingentis fabricæ atque operoſæ amplitudinis extruxit Baſilicam, confidens ſe ſuóſque eius non parum prouehi poſſe precibus, cuius tanta támque mirifica extabant inſignia ſanctitatis, ac ipſa tempeſtate, cum præfata Auguſta Sanctus Lupus Epiſcopus venit de ſuperioris Burgundiæ partibus, quique non multo poſt ad xvi. Kal. Iulij, die functus ſupremo ex Reginæ placito in eadem Eccleſia decenter ac religioſè compoſitus requieſcit, quod Pario penes nos impreſſum marmori cuique legere cupienti ſcriptura prodit antiquior.

CAPVT XXVII. De ornatv sacræ memoriæ eivs.

Exinde maior Clotharius, prænominatæ Crotechildis filius, Regni ſublimatus in ſolio, materníque deuotionis fidiſſimus executor & hæres, poſt genitricis exceſſum ſuper adorandam beatiſſimi Germani memoriam per manus ſancti Deſiderij eiuſdem tunc vrbis Epiſcopi, Regalibus expenſis fredam compoſuit, quæ auro argentóque elegantiſſimè decorata, in noſtram quoque durauit ætatem, authorem miniſtrúmque operis inſculptarum ſibi deſignans ſuffragio literarum: quin etiam memorabilis eiuſdem Clotharij coniux, Ingundis nomine, cùm religione famoſiſſima, tum etiam largitatis & diligentiæ ſingularis, ſepulchro beati Germani per idem tempus plurima vaſorum palliorúmque obtulit ornamenta, inter quæ Calicem egregium auro ſplendidiſſimo gemmiſque compactum vidimus, pretioſis Reginæ memoriam inſertis literis præferentem, quæ munus hoc per manus ſupra nominati Deſiderij Pontificis Beato Germano deuota contulerat.

CAP. XXVIII. Qvod locvs idem miracvlorvm semper dote florverit.

Locum ſanè illum ob ſacri priuilegium corporis miraculorum gloria ſemper extitiſſe frequentiſſimum nemo impune dubitauerit: ea quoniam nec numero colligi, nec perſonarũ, in quibus patrata ſunt, nomina poterant retineri, vt ſolẽt cito data ac ſuppetentia quæq; vileſcere, incuriæ pariter & obliuionis ſqualloribus obducta torpuerũt: quæ tamẽ extitiſſe perplurima ex eo ſaltẽ colligere poſſumus, quòd nonnulli adhuc ſeniorum ſuperſtitem agunt vitam, qui ſe ante fores ſacri huius templi

innumera patratorum ſignorum appenſa vidiſſe confirmant inſignia, quæ ab energumenis, debilibus, ſurdiſque, ac mutis reualeſcentibus loco depoſita, diuinorum erga infirmos beneficiorum vtilem diu repræſentauere memoriam.

CAP. XXIX. QVID GREGORIVS TVRONICVS IN MIRACVLORVM LIBRIS.

Denique & Gregorius Turonorum Antiſtes miraculorum curioſus indagator ac ſtudioſiſſimus editor nonnulla ab huius & per huius beatiſſimi Patris memoriam patrata commemorat, quæ ſuis quam noſtris verbis intimanda maluimus, ne rei abſque pretio operæ permutaræ quiddam fidei detrahamus.

Germanus, inquit, glorioſus Confeſſor in vrbe Roma obiit, inde verò leuatus poſt dies ſexaginta ad ciuitatem Autiſſiodorum delatus ſepulturę mandatus eſt: tempore autem Teudechildæ Reginæ Nunninus quidam Tribunus ex Aruerno de Francia poſt reddita Reginæ tributa reuertens Autiſſiod. vrbem adiit, cauſa tantum religionis, prouolutuſque ad beati ſepulchrum cum diutiſſime oraſſet extracto de vagina tigre, lapidem qui ſuper venerabile ſepulchrum habebatur nemine vidente percuſſit, de quo excuſſa particula modica, tanquam æneus diriguit, ita ut nullum membrum vllatenus indicare, aut vocem poſſet emittere, videntes autem eum pueri ſic humi iacere neſciebant quid ei euenisſet: accedens verò vnus eorum cùm eum interpellaſſet, & nullũ ab eodem reſponſum accepiſſet, tunc ille, vt erat rigidus in corde ſuo intelligens ſe damnatum votũ vouit, dicens: ſcio me præſumptuoſum extitiſſe, beatiſſime Confeſſor, ſed deuotio exegit vt præſumerem, & ideo ſi me dignaris abſoluere, & ad propria cum tua gratia redire permiſeris, in hac baſilica has reliquias condens feſtiuitatem tuam deuotiſſimè annis ſingulis celebrare curabo, cuius clauſum murmur vir ſanctus intelligens, eum abſoluit & abire eum permiſit incolumem, qui veniens reliquias illas in Eccleſia poſuit, & ſancti feſta per ſingulos annos fideliter celebrauit.

CAPVT XXX. QVID EVIDENTIÆ IN EADEM BASILICA DECLARATVM SIT EX VERBIS EIVSDEM.

Quodam autem tẽpore ad ſupradictã baſilicam, in qua reliquiæ conditæ ſunt, cùm Auito Epiſcopo acceſſimus, quo cùm ſanctus Pontifex ieiunus ingreſſus fuiſſet hora quaſi decima, omnes qui cum eo eramus, odorem liliorum & roſarum naribus hauſimus, quod nobis Beatiſſimi Pontificis præſtitum merito non ambigimus: erat enim menſis nonus actum in vico Muſiacas: de his Gregorius ita; quibus pręmiſſis ad ea, quæ noſtræ vel propinquauerunt, vel acceſſerunt ætati, ſtili ſeriem transferamus. verùm quoniam ſpiritalibus ſpiritalia ſeminantur, dignitáſque Domini in ſeruorum probitate perpenditur, rationi proximum iudico breui oſtendere, tanti patris meritis diuinum erga loci incolas fauorem in fine maximè claruiſſe.

CAPVT XXXI. DE ESOPO PVERO AB ANGELIS VISITATO.

Eſopo vocabulum cuidam puerulo fuit, qui cum vix quinque annorum contigiſſet infantiam, ſancto ordini à parentibus mancipatus, prout tenera ætas pati poterat, primis literarum caracteribus ludo quàm ſeriò formabatur: Is dyſenteria correptus ingentis lãguoris moleſtias anguſto in corpore tolerabat, matutini cuiuſdam diluculo à ſeniorum vno qualiter ſe ageret percontatus, cuncta ſibi reſpondit conſtare ſalubria, lectionis ſuæ tenorem ſe paulo ante ex memoria reddidiſſe, quæ cauſa alacritatis ei ſecuritatiſque plurimum contigiſſet: de qualitate eius lectionis interrogatus centeſimi decimi-ſexti pſalmi primum verſum vltra eius ætatis tenaciam proferens, *Confitemini*, ait, *Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*: Cùm id nec ſcripto diſcere, nec per ætatem vel vſum memoriæ inſinuare potuerit, à quo rem didicerit poſtulatus: *Non videtis*, ait, *paruulos ſcalæ huius excellentiſſimæ conniſos gradibus ad cœleſtia contendentes?* non plura effatus vt finem verbis, vitæque terminum fixit, certiſſimum eſt Angelicos ſpiritus habitudine puerorum eius innocentiæ Deo placeat demonſtratos, animam quoque fragilitatis exemptam compede

ſuſcepiſſe. Aliis quoque ipſam imminentis deceſſus horam nouimus reuelatam, adeò vt lauacra & veſtium mutationes, prout mortuis exhibenda erant, ipſi adhuc viuentes vltro præuenerint. Nonnullis eiuſdem beatiſſimi Patris perſona vultu venuſtiſſimo, reuerenda canitie, Pontificali dignitate conſpecta, & conſolationis plurimum & ſecuritatis non parum exhibuit, hoc è multis non extraordinariè fortaſſe contigerit, vt palam liqueat hunc deuotè ſibi obſequentium anxiè curam gerere famulorum. Hinc ad reliqua tranſeamus.

CAPVT XXXII. De eo qui pomum furto ſublegit.

Immoderata gulæ appetentia, ob quam omnes peccato mortique ſuccumbimus, leuc puratur & ludicrum; ſed quò cauetur minùs, eò atrociùs perimit; hanc vir ſanctus cùm in ſemetipſo extingueret, tum quod in aliis quoque ſibi diſpliceat ſtuduit commendare, vt fidelibus mos eſt deuotionem ſuam quibus poſſunt modulis declarare, ante ſacri ſepulchrum corporis ſtrata iacebant poma autumnali viriditate vernantia, quæ vt diuerſâ genere, odore quoque gratiſſima geminam accedentibus aſpectus olfactuſque ſui gratiam miniſtrarent: interea populis ad beati feſtum præſulis ex more fluentibus, quibuſque permittebatur accedere ſacri veſtimentum tecti religioſa veneratione deoſculantibus, è rure, cui Nantilla vocabulum eſt, diſtátque ab vrbe non plurimum, ruſticorum quendam contigit interesse. Is oculorum gulæque captus illecebrâ, manu ſacris iniectâ, pomum clanculo rapuit, ac tanquam eo voluptati morem geſturus abſceſſit: Huius temeritatem è veſtigio comes vltio caſtigauit: nam vt in pomi illicito ſatisfecit deſiderio, interdicto loquendi vſu mutus effectus, reum ſe criminis miſer agnouit. Huic calamitati finem annus impoſuit, cum ſolemnitatis eiuſdem annuo remeanti ſpectaculo Sancti ſepulchrum reperens, fletu reatum deleuit, votiſque addictus quamplurimis, loquelam pariter & veniam reportauit. Hoc prius compertum non eſt, donec is in quo peractum fuerat rei geſtæ ſeriem indicaret. Id actum eſt eâ, quę Calendis Octobris euenit, feſtiuitate, quâmque ob ſacri eius depoſitionem corporis ſplendidiorem cæteris priſca veterum commendauit authoritas.

CAPVT XXXIII. De Adoleſcente debilitate damnato.

Rus quoddam nobile Vaſtinenſis pagi Corbilias dicitur, è cuius incolis quidam annis pubertatem inducentibus infauſta genuum debilitate, ad præfatæ concurrens feſtiuitatis gaudia, naturali reformatus rectitudini, cuius quàm maximè erat indigus, optata ſecum retulit munia ſoſpitatis.

CAPVT XXXIV. De eo qui bibens noctu correptus eſt a dæmone.

Inſtitutione Apoſtolorum Principis informamur contra veternoſas maligni hoſtis aſtutias ſpiritales & indefeſſas conſtanter exercere vigilias, qui tanquam leo Dominicis ſemper infeſtus ouilibus incautum quemque & negligentem excipit, laniat, intercludit. Huius muſcipulas, quàm ſubdolas, tam ſubtiles, ſubducto cauere monemur exemplo. Quendam Senonici ruris incolam pecualis curæ diligentia rem familiarem non ſegniter exercentem contigit proprium filium prouidendis paſcendiſque ſuibus præfeciſſe. Hunc antelucano diei eiuſdam, vt familiare talibus eſt à ſomno experrectum ſues in paſcua ducere cùm præcepiſſet, puer ſiti correptus vehementiſſima, raptim ſe ad ſitulam contulit, hauſtumque laticem abſque ſalutaris præmiſſione ſignaculi incunctanter aſſumpſit; ita vis ardoris (inſtigante vt liquet dæmone) medullas adoleſcentis inuaſerat, lugendû dictu vt vno miſer eodémq; hauſtu & peſtem glutiuit & poculum: confeſtim náque allíſus à dæmone, tortúſq; diutiſſimè cathenis addicitur, clauſtriſq; validiſſimis cohibetur. Cùmq; per tēpus aliquod in irrequieta miſeria vrgeretur ſalubriore parētes afflati conſilio ad famoſiſſimam B. Germani memoriam deducendum decreuerunt, credentes quàm veriſſimè immundos ſpiritus

ſacri corporis præſentiæ cedere, cuius virtutem & merita conſtabat eos frequentius expauiſſe. Id cum feciſſent, applicatum ſolo puerum ante ſepulchrum venerabile porrexerunt votorum ſumma vbertate orationis & fletuum obnixiùs proſequentes. Fratres quorum erat officij religioſis locum excubiis obſeruare, & cruciatu pueri & parentum deuotione permoti accedunt cominus, adhibitiſque Eccleſiaſticis exorciſmis leuamen miſero per ſacri virtutem Præſulis deprecantur: permodico horæ interueniente curriculo ſurgit incolumis, lætiſque parentibus percepta ſecum retulit gaudia ſanitatis. Superſunt hodiéque quamplurimi, qui ſe rei geſtæ interfuiſſe ſatis ſubnixa relatione fatentur.

CAPVT XXXV. Qvod in periuros quoque evidentem exerat vltionem.

Rem & omnino cauendam & plurimis incunctanter expertam præteriſſe initium dixerim, cùm conſtet in rebus quoque minimis maximam interdum eminere diuinæ virtutis euidentiam. Cùm enim ſacroſancti memoriam confeſſoris continuis intro extráque palam ſit radiare miraculis, in periuros quoque non ſegnis probatur vltor exiſtere, vt liquidò emineat ſanctorum pignora humanis interdum auſibus non impune laceſſiri: nam ſi quis aut cupiditatis illectu, aut animi pertinacis impulſu, mendacio patrocinari definiens ſaltem in armillâ ianuæ iusjurandum explere præſumpſerit, hunc quod ſit reus periurij tum rei familiaris diſpendio tum corporeæ damno valetudinis abſque dilatione pediſſequa corripit vltio, diriſque implexum nexibus, aut citâ ſatisfactione liberum, aut proximo interitu efficit condemnatum. Id non integri ſolùm corporis præſentia meruit, verumetiam vbicumque locorum ſanctitatis eius memoria colitur, reuerentiæ tantum obtinuit, vt in Baſilica Germani conſecrata nomine nemo ferè tametſi immaniſſimus audeat peierare.

CAPVT XXXVI. Qvanta virtvs Sanctissimo Sepvlchro adsit.

Iam verò circa ipſius ſepta ſepulchri quantâ ſe virtute præſentem exhibeat, hi maximè & euidenter experti ſunt, quibus eiuſdem vt verè dicam ſancti ſanctorum deputata eſt cuſtodia: Frequenter namque oleum lampadis ante ſacrum tumulum dependens exereuiſſe deprehenſum eſt, cùm quindecim ferme diebus totidémque noctibus inextinctum manens nihil imminutionis pateretur.

CAPVT XXXVII. Qvid diligentiæ a sacri cvstodibvs corporis exigatvr.

Illud quoque non negligenter exceſſerim, quantam locus ſacer obſequiorum exigat diligentiam, adeò vt ſi lucernam, quæ propriè ſancto deſeruit corpori per noctem extingui contigerit, nulla indulgeatur requies cuſtodibus, nulla potiendi ſomno facultas, donec defecti impenſa luminis accuratius reparetur. Interdum tanquam cuiuſdam manus impulſu moleſtiùs impelluntur, vt nemini impune dubitare liceat debita loco ſeruitia non ineptè, nec ſegniter exercenda. Quid memorem nonnullos ante huius reuerendi aram ſepulchri in oratione ſecretiùs procumbentes loci concuſſu efficaciam precum, cæleſtíſque reſpectum facilitatis perſenſiſſe. Omitto ſacri huius nominis inuocationem multis quoque abſentibus ac periculo proximis præſentiſſimè ſubueniſſe.

CAPVT XXXVIII. De virtvte panis eivs nomine insigniti.

De pane verò eiuſdem Cœnobij multa & mira languentibus remedia prouenire peruulgatiſſimum eſt, adeò vt ſi quis quanquam decumbens validiſſimè huius afficiatur deſiderio, efficaciſſimum eſſe reducis putetur indicium ſoſpitatis, hoc non incolatum aſcribemus ſanitati, verùm & deuotè poſtulantium fides obtinere talia & beatiſſimi Germani meritum, cuius nomine panis inſcribitur, & multò valet præſtare maiora. Tua hæc ſunt munera, Chriſte, qui in tuorum mirabilis es

virtute Sanctorum, dúmque hos miraculis clarificas, ad eorum nos imitationem inflammas. Hæc de his quæ circa factum eius corpus aut geſta ſunt, aut geruntur excerpta, quam veriſſimè faſtidij fortaſſis euaſere nauſeam patrocinio breuitatis: hinc paucula de illis locis in quibus eius venerantur reliquiæ perſtringentes ad libelli finem ocyus properamus.

CAPVT XXXIX. De Svrdo inter dormiendvm cvrato.

In Cœnobio Meleredenſi mainr Eccleſia huius præcellentiſſimi patris nomine dedicata cognoſcitur; id Cœnobium Genti Britonum infatigabiliter experenti & peruium & familiare eſt: horum in Collegio Surdus quidam aduenerat, cui cum aliud non ſuppeteret hoſpitium noctu ante fores Eccleſiæ lapide capiti ſuppoſito cubitauit: die redd.to ſomnum exuit, móxque ſe Beatiſſimi Germani obtentu damno caruiſſe aurium, impendiò lætatus eſt. Lapis eius ſubiectus capiti receptæ tulit teſtimonium ſanitati, quod eo ſurgente cruore perfuſus apparuit, pro recuperata ſalute votiuas egit gratias, maturantéſque iter ſocios incunctanter proſecutus eſt. Huic rei multorum adhuc qui id inſpexere ſuperſtitum præſentia ſuffragatur.

CAPVT XL. De Ecclesia Ladriaci fvndi.

In Pago Laticenſi, qui Lingonicæ defert Diœceſi, fundus eſt notiſſimus, Ladriacus nomine, apud quem Eccleſia eſt huius pretioſiſſimi Præſulis ſacrata pignoribus, quæ montano ſita eſt in culmine & aliquantum à villâ longius diſtat. Quamobrem nonnulli Lingonicæ præſules ciuitatis hanc diruere, & aliam pro ea intra villæ ambitum inſtaurare conati Baſilicam, fruſtra conſumpſere operam. Cùm id non ſemel nec bis fuerit attentatum: nam quotieſcumque ſacrum altaris lapidem ob reliquias eleuandas amouere tentarunt tanto fixus pondere perſeuerauit immobilis, vt facile aduerteret antiquum loco cultum auertere non eſſe prouiſum prouidentiæ. Quo in loco eum ſemper mira patrentur & maxima, in ſplendidiſſima tamen feſtiuitate Kalend. Octob. diuina copioſiùs beneficia deuotè confluentibus ingeruntur.

CAPVT XLI. De mvliere cæca inibi cvrata.

Quodam itaque tempore, cùm ad præfatæ celebritatis annuum diem populus ex more conflueret, ex villa cui Marcenniacus vocabulum eſt, diſtatque à loco ſupradicto non plurimùm, mulierem captam oculis contigit intereſſe: hæc ingreſſa Baſilicam precibus ac votis vberrimis ſuæ cæcitati remedium flagitabat; cúmque ſacræ à fidelibus vigiliæ debitis agerentur officiis, vniuerſo id ſpectante conuentu, cœpit ex eius oculis guttatim cruor effluere, intra horas breuiſſimas omnimoda diſcuſſa caligine, redeuntis diei iubar cernere, & clarè omnino videre promeruit, diem illam gratiis exegit & laudibus, peractiſque ſuæ reparationis ſalutaribus votorum plena remeauit ad propria.

CAPVT XLII. De invalidi cvivsdam reparatione.

Annus ſequens eiuſdem gaudia feſtiuitatis reuexerat, interque turbas properantium quendam ex familia Sancti Mammetis eiuſdem colonum villæ inualidum totóque corpore reptilem contigit aduenisse; is dum ſe ex animo ad Deum conuertit, beati obtentu Præſulis natiuæ rectitudinis columen multorum præſentia recuperauit: quotidiani, tertiani, quartaniue typi aſſiduè præcepta remedia, perenni febricitantium concurſu locum frequentiſſimum reddidere, quorum nemo leuaminis expers rediit, quiſquis ad ſancta limina fide plenus acceſſit.

CAPVT XLIII. De eqvo in pratvm Ecclesiæ violenter admisso.

Loco ſanè illi rebúſque ad eum pertinentibus violentiam non inferendam te-

merarij quique experti ſunt. Quodam namque iter cum ſuis continuante comitibus, vnus eorum, cui id genus officij incumbebat, equos, quibus in ipſo vtebantur itinere, prato Eccleſiæ inducere nitebatur; cui cùm ab aliquo ruſticorum dictum fuiſſet beati Germani eſſe pratum, rantique nominis reſpectu ab eius inuaſione parcendum, ille verba ſibi tantùm dari exiſtimans, equos nihilominus introduxit: primus ingreſſus eſt, mox vt herbam dentibus carpſit, damnabili deformitate mulctatus eſt, in effigiem X, litteræ faucibus per tranſuerſum diſtortis: equorum cuſtos inſpecto negotio reliquos quàm celerrimè abigens prouentum rei Domino nuntiat. Is offenſæ pœnitens candelam ad modum equinæ longitudinis prò piaculo detulit, ſanctóque ſatisfaciens Germano veluculi reparationem obtinuit: è multis pauca perſtrinximus, ne locum tantis inſignem priuilegijs præteriiſſe videremur.

CAPVT XLIV. De Miracvlis apvd Ecclesiam Pavliaci gestis.

Hinc Pauliacum villam rutis Senonici vel compendioſiùs memorare, non tam vicinitate loci, quàm dignitate compellimur. Fundus ille ad Beati Germani pertinens poteſtatem, Eccleſiam quoque habet, & nomine eius celebrem, & virtutibus præcellentem, quas quoniam vel difficile vel impoſſibile eſt aut numero, aut ordine explicari, omiſſis ijs quæ vetcrauit antiquitas, pauca ex illis ſuccinctè contigimus, de quibus ſi incidat dubietas, multitudine teſtium obruemur.

Autiſſiodorenſis Pagi accola, Petrus cognomine, contractione genuum amiſerat naturalem commeandi vſum, vota concepit, ad ſancta limina reptabundus acceſſit, mox debilitati ſubſtractus beati Germani patrocinio ſe promeruiſſe gauiſus eſt ſolitam greſſuum functionem, ſcabella dudum familiaria ſuſpenſa pro foribus rei geſtæ argumento fuere diutiùs.

Ex vicino fundo, cui Variacus vocabulum eſt, mulier, Nonnula nomine, contractu totius corporis penitus inofficioſa ad eandem Baſilicam geſtatorio ſe contulit, móxque Beati Germani merito officiis teſtituta decentibus, & ſalutis & gaudij plena receſſit.

Altera eiuſdem villæ mulier, Alda ex parentibus nuncupata, nihilominùs contractu corporis damna deplorans, Geſtatorio ſe illuc ferri petiit, atque præſentis ſuffragio medicinæ membris in priſcum cedentibus valens ac læta diſceſſit.

Ex agro Autiſſiod. Pratelis dicto, item alia mulier, Berlindis nomine, artubus ipſa quoque contractis prædictæ Baſilicæ vehiculo delata ſucceſſit, orationi ſe dedit, vota apud Sanctum depoſuit, móxque præſentem experta Deum, naturalibus organis reſtituta conualuit.

Ex villa Luciniaco mulierem toto contractam corpore, Teduiſam nomine, fama huc miraculorum adduxerat. Hæc beati patris ſuffraganti merito membrorum decus cum rectitudine conſecuta conſciam ſe huius beneficij plurium dierum ſeruitio declarauit: huius ſanè loci non eſſe ſimplicem maieſtatem, plurimi quoque diuerſa febris acceſſione vexati ſæpiùs probauerunt. Alcharium quendam quartano impetu deſperabiliter tabeſcentem illuc contigit aduenifſe, Eccleſiam ſubiit, excubias egit, ſéque potentiſſima beati Patris ope quàm celerrimè ſoſpitati redditum ingentibus præconiis declarauit.

Agius eiuſdem loci preſbyter tertianam diu paſſus inertiam, vt ſe deuotè ad Deum contulit, obtentu beati Præſulis celeri donatus beneficio importunam mox peſtem exceſſit.

Beatus ipſius Baſilicæ Clericus quotidiana inquietudine acriter fatigatus diuinas per Beatum Germanum medicinas expetiit, ſéque repente inrequietâ moleſtiâ exemptum ſenſit.

Si vniuerſos apud hunc locum noſtra tempeſtate huiuſmodi ereptos incommodo memorare velim, parabit credo tædium numeroſitas occurrentium perſonarum; parcendum itaque talibus, atque ad reliqua ædificationi proficua concedendum.

Eiuſdem loci mulier, Doda nomine, ſacras ferias negligentiùs tractans ipſam quoque diei Dominicæ maieſtatem Chriſtianis omnibus propenſiùs obſeruabilem auſa eſt lanificio vſuali violare, temeritatem operis excepit continuò ſeueritas

vltionis, manus ad illicita conſuetæ neceſſariis mox deſtituuntur officiis, actúmque eſt, vt nec naturæ poſſent ſatisfacere quæ auctorem naturæ in prophanatione ſuæ diei non timuerant prouocare. Tandem miſera reatum agnoſcens ad beati Germani ſe ſuffragia contulit, nec talia deinceps iterare voto ſe interpoſito obligauit, clementiſſimi Patris facilitare miſericordiam conſecuta, ſub multorum conſpectu & ſanitatem manuum & criminis veniam reportauit.

Eiuſdem impiatione peccati nonnulla mulier manibus itidem contrahi meruit, criminis conſcia Eccleſiam adiit, vota multiplicauit, beati Patris interuentu incolumitatem cum emendatione vitii domum reuexit.

Item alia, Fredigardia nomine, ſimili pro crimine eodem mulctata eſt ſupplicio, & facti pœnitens, & de miſericordia non deſperans, ad præfatum locum ſe contulit, faciem lachrymis, cœlum gemitu onerauit, Sacerdos loci pro recuperatione infœlicis publicam orationem adhibuit, beato interueniente Germano & facinori veniam & manibus meruit ſoſpitatem.

Quæ verò ad locum hunc pertinent, ſacta eſſe, nec in vſus cæteros perperam transferenda ſequenti præſumptuoſorum caſtigatione patefactum. Loci eius Sacerdos (vt ſolet incipientium animus circa talia fore incautus) ex fune, quo ſignum Eccleſiæ dudum pulſari conſueuerat, capiſtrum equo impoſuit, mox liquidò claruit, rem ſemel ſacram domeſticis vſibus non decuiſſe conduci: vt enim equino capiti inductum eſt, cuncta, quæ funis complexus fuerat, ita derepente aſſumpta ſunt, vt vniuerſa caro cum pilis & cute oſſium tenus ferro putaretur deciſa: ſic equus ille innoxius temeritatis alienæ de cætero ſeruauit indicia; quippe qui nec carnis plenæ, nec cutis ſolidæ, nec pilorum deinceps meruit recipere recrementa.

Ex rure, cui Villaris eſt nomen, mulier Maria nomine, ad locum hunc ſub prætextu orationis acceſſit, nactáque opportunitatem ſacrilegij, linteum de ambone ſubduxit, domúmque cum furto regreſſa prophanos renes ſacro regumento præcinxit. Illico totis artubus diſſoluta cum detrimento corporis ſenſit præſentiam vltionis, mox facti pœnitens, reatum agnouit, ſéque ad locum, quo malè prius acceſſerat, reportari petiit, publicè confeſſa delictum, ſacrilegij nefas lachrymis expiauit. Sic Sacerdotis & populi interuentu clementiam meruit, ac deinceps beato miſerante Germano, cum incolumis, tum etiam caſtigata receſſit: his & ſimilibus locus ille frequens priuilegiis facile famoſum reuerentiæ titulum vendicauit.

CAPVT XLV. De pvella mvta generalis conventvs testimonio cvrata.

Præterea in Pago Rothomagenſi Regius fiſcus eſt, quem incolæ ob palatij antiquitatem Veterem domum nuncupant, capella palatio contigua Beatiſſimi Germani famoſa nomine, illuſtris & merito, ſignorum dote, ſummam ſibi facile venerationem obtiuuit, vnum erit propoſitæ ſufficiens breuitati, quod eò memorare compellimur, quò publicum ſcimus. Rex Carolus huc forraſſe deuenerat, cum Heriſpogio Duce Britonum placitaturus, ac ſeria quæque de regni negotijs tractaturus, illuc vt in tanto conuentu aſſolet immodica turba pauperum vndecumque confluxit, inter quos puella quoque muta adfuit, familiaris inopiæ malum quæritandæ ſtipis artificio docta temperare: ea, quod hoſpitij facultatem non reperit intra capellæ ambitum conceſſit. Circa noctem mediam vigilanti Germanus ſanctiſſimus aſtitit, placidóque hanc alloquio mulcens: Ius, inquit, hoſpitij tibi negatum ab omnibus, humanitate quam potero compenſabo. Ita fatus mentum mutæ blanda ſubigens manu in os eius expuit, móxque viſibilem ſuæ oſtenſionis præſentiam ſubtraxit, virtute medicaminis [illegible] fauçium rupta ſanguinis ejecere quamplurimum, adeò vt tota planities pauimenti eo ſuperfuſa videretur. Vmbris cedentibus ſuperis reducta dies nec dum non prouentum miraculi perſpicuis declarauit indiciis: nam & puella recepto vſu loquendi, quod ſecum actum fuerat ordine proſecuta eſt, & is qui ab ore loquentis riuatim fluxerat cruor adhuc in pauimento recentiſſimus, patratæ rei argumentum præſentiſſimum afferebat. Intereà à nonnullis curioſiùs percontata, in qua ſibi beatus Germanus apparuiſſet effigie, perſonam ſe vidiſſe teſtabatur vultus dignitate ſplendidiſſimam, ſtatura mediocrem, capilli qualitate decoram, mixta tamen canitie reuerendam. Hæc & alia

dixit

dixit ſe in eo notaſſe ſigna, quæ nonnulli eorum, qui ſacrum eius corpus cùm transferretur quondam tractate meruerunt, quàm ſimillimum ſe aſſerunt perſpexiſſe. Huic miraculo tot extitere teſtes, quot ad huius generalis conuentus ſpectaculum è cunctis Regni partibus occurrere potuerunt.

CAPVT XLVI. De oratorio beati Remigii manibus, in eius honore extructo.

Sanctiſſimus & in optimis quibuſque præclarus Remigius Remorum Pontifex pretioſus honore Germani Beatiſſ. in loco, quo ſepeliri decreuerat, quique ab vrbe Remenſi milliario fermè diſtat, propriâ manu, vt vetuſtiſſima Teſtamenti eius pandit authoritas, extruxit Baſilicam. Hæc vt antiquitate longæua, ita quoque miraculorum perſtat ſplendore clariſſima. Horum autem duorum feſta Pontificum Kalendis Octobris, mundo pariter illuceſcere vulgo quoque notiſſimum eſt, ad hæc ſolito celebranda ſpectaculo ad locum ſupradictum, quo ſcilicet ſanctiſſimi Remigij corpus quieſcit venerabile, populus ex more confluxerat, factum eſt vt officiis veſpertinis exactis generaliter, vt in Cœnobiis mos eſt, vniuerſa vulgi concio à ſeptis Eccleſiæ cuſtodum inſtantia pelleretur, contractum quendam amici vehiculo detulerant quem à beati Remigij expulſum templo in præfati ſancti Germani Baſilicam, quod pro foribus conſiſteret, intulerunt, ibi per noctem aliquamtiſper excubans, beatiſſimi Germani meritis ſoſpitati redditus, naturalibus greſſuum officiis de cætero perfrui meruit. Ita vir Apoſtolici culminis etiam ſuæ commendauit ſublimia dignitatis, oſtendens ſe in eius celebritate diei locum obtinere præcipuum, quam clarificare voluit ſuorum quoque priuilegiis meritorum: Loca hæc, quorum huic opuſculo mentionem inſeruimus, virtutibus pollent continuis: Verum nos ea tantùm attingere decreuimus, quæ peruulgata omnibus ambiguitatis ſcrupulum eluctari metuerunt.

CAPVT XLVII. De Basilica Svessionis eivs honore constrvcta.

In ſuburbio Sueſſionico B. Germani Baſilica eminet quam opinio conſcia vetuſtatis à duodecim famoſiſſimis negotiatoribus orbis olim perhiber eſſe conſtructam, qui quoniam de regnis ad regna ſedulò peruenientes prope ripam Axonæ crebrius fixere tentoria, id ſuæ frequentiæ ſtatuerunt eo loco ſtatuere monumentum, vt collatis expenſis beato Germano ædificarent Baſilicam, cuius merito ac precibus inter terrarum mariſque diſcrimina, ſe præcipuè poſſe protegi confidebant: de ſanctitate eius loci ſunt nobis comperta quamplurima, quæ opuſculi breuitas explicare non patitur: pauca perſtringere animus ſuggerit, quæ per Sacerdotem eius Baſilicæ fideliter comperta tenemus. Ipſe ad reuiſendos agros Eccleſiæ die quodam ſe proferebat eſſe profectum, dolo vicini cuiuſdam agrorum terminos immutatos ac non abſque ſuæ partis detrimento reperit eſſe confuſos, adhibitáque denuò legitima cum teſtibus inentione lapidem in terminis compoſuit, atque pro cauſa ſollicitus: ſancte, ait, Germane, ſi quatui te Sacerdotis detinet cura, hos agri tui terminos à peruadentium tuere calumnia: his dictis domum repetit, vicinus interea cupiditatis acrimonia perurgente noctu ad campum accedens conuulſum à terminis lapidem longè ſemouit, ſua amplificans, aliena perperam coanguſtans: die reddito Preſbyter reuertitur, violatos terminos aſpicit, atque iteratæ temeritatis impatiens felle commoto: nonne, ait, ſancte Germane, tuæ fidei iſta commiſeram? vix iſte in campo verba compleuerat, & eum ſacrilegum intra domeſticos parietes vltrix pœna plectebat, ſubitis doloribus corripitur, & totis contractus membris virium adminiculo deſtituitur, mox temeritatis reminiſcens amicos aduocat, cõſilium ſalutare implorat, ad Preſbyterum per amicos cauſa defertur, vt miſero piè conſulat humiliter flagitatur, ille nullum præſentius remedium aſſerit ſe ſcire, quàm vt votis ſumptis ad eius ſe Eccleſiam conferat, cuius offenſa eum talia pertuliſſe conſtabat, geſtatorio delatus acceſſit, perque dies aliquos, peracta ibi pœnitentiâ clementiam meruit, ſoſpitati deinde reformatus abſceſſit. Non magis ipſe correctus, quàm cæteris, ne tale quidpiam admittere audeant, exemplo futurus.

Idem ipſe Preſbyter, dum quadam nocte Dominica in Eccleſia ſolemne celebraretur officium, leui ſopore ſubductus ſenſit ſe ſuperuentu cuiuſdam perſonæ impul-

ſum, atque vt feſtinus domum ſuam ingrederetur admonitum, illico ſurrexit raptò cereo domum ingreſſus latrones intra cubiculum reperit, ſtramenta lecti, & ſi quid veſtimentorū repererant ſarcinantes, quos cuſtodiæ mancipans in Eccleſiam rediit, & reſiduum officij diligenter expleuit: Liquet beatum Germanum Baſilicæ ſuæ conſuluiſſe miniſtro, ne dum diuinæ laudi inſiſteret, rei familiaris damna ſubiret. Minus eſt audita depromere niſi & aliqua oculis percepta ſubdantur. Pridie Kalendarum Auguſti beati Germani tranſitus apud vrbem Sueſſionicam feruido celebratur obſequio, cúmque die in veſperam proniore diuinæ laudis celebritas, cùm in Vrbanis, tum etiam in ſuburbanis Eccleſiis aut Monaſteriis eſſet explicata, ſollicita mihi cogitatio incidit Axonâ tranſmeato ad præfatam properare Baſilicam, ne forte quod animo reputabam abſceſſu Preſbyteri veſpertina loco deeſſent officia: ſumptis itaque aliquot fratribus anxiè properabam, iamque nobis Eccleſiæ atrium ſubeuntibus ſigna ſolitum dedere clangorem: concitato acrius curſu ad oſtium acceſſimus, quod clauſum quidem, ſed minimè obſeratum inuenimus. Vix nos pedem poſueramus in limine, & iam ſigna pulſari deſierant: huc illúcque oculos circumferentes neminem in Eccleſia vidimus, oſtium per quod elabi poſſet aliquis nullum erat, domum Sacerdotis ſumma celeritate ingreſſi diligenter perſcrutantes omnia, perſonam nullam, vacua cuncta conſpeximus; Preſbyter cum ſuis omnibus, vt poſtea profeſſus eſt, relicta domo vacua iamdudum in vrbem pranſurus abſceſſerat, cúmque mecum rem tacitus voluerem, coniectum eſt ab omnibus beato Germano diuina veſpere non defuiſſe obſequia, quæ ab hominibus palam videbantur eſſe neglecta: Conſummato officio, alacres diſceſſimus, luminaribus in noctem compoſitis, oſtiis Eccleſiæ diligentiùs communitis; & quanquam mens mirando conſcia in interioris hominis penetralibus plauderet; maluit tamen cœleſte portentum aliis prædicantibus prædicari, ne cui forte ſuſpectus efficerer, quod cùm ſim Beati Germani peculiare mancipium multiplicandi fauoris gratia voluerim maiora ex minoribus affectare.

CAPVT XLVIII. De temeritate Viviani Principis apvd Cadriacvm in Falconibvs pvnita.

Pagus Cœnomanicus B. Germani meritis deuotus ſpecialiter infinita apud ſe diuerſis locis eius miracula prædicat, quæ ſi literis mandarentur omnia, maximè per ſe poſſent corpus implere voluminis. Eſt in ipſo pago Cadriacus villa habens Eccleſiam eius virtutibus glorioſam, is locus quoniam ex longo ſignorum claret affluentia ardentiſſimo populorum indefeſſè confluentium ſtudio frequentatur. Teſtātur qui videre ſæpiſſime totius Baſilicæ parietes intra extráque pallijs ac linteis coopertos, quę fidelium deuotio ob percepta ſanitatum dona cæleſtium ſacro ſuſpendit loco, eo quòd arcto conſtructa ambitu commorantiū impari erat conuentui populorum, à loci incolis hinc inde ligneis eſt ambita porticibus: huc vice quadam Viuianus princeps deueniens, qui tum eodem dominabatur fundo, inſtructum ſeſſurus ad prandium, aues, quas vulgo Falcones nuncupabant, qui ſecum delati fuerant per Baſilicæ porticus componi præcepit, hoc facto, conuiuio ſe ſe indulſit, à quo cum ſurrexiſſet, Falcones vniuerſos mortuos reperit, iiſdémque quibus implexi fuerant pedicis dependentes, temeritas principis punita damno gratiſſimæ voluptatis, ipſi quidem triſtitiam, reliquis intulit admirationem. Germanus Sanctiſſimus ſuo reuerentiam vindicans loco, quàm ſibi diſplicuerit ſæua rapacitas euidenter admonuit, cuius vitium etiam in auibus raptu victitantibus tam diſtrictè perſecutus eſt.

CAPVT XLIX. Qvod sic qvoqve perivrii temeritas pvniatvr.

In periuros quoque tantus exiſtit vltor, vt in altare eius Baſilicæ nemo audeat ne verum quidem iuramento peragere, at ſi qui ſaltem in Eccleſiæ ianua iurare tentarunt ineuitabili mox vltione perculſi expirauerunt alii, alii imbecilles effecti perpetuo prophanis auſibus pœnas dedere præcipites. Cæci ipſo in loco lumen recuperauere quamplurimi, claudi greſſum, leptoſi politæ cutis munditiam, frigorifici ſoſpitatem. Hoc compendio tetigimus, ne locus quotidianis illuſtris beneficiis excipiatur ab officio noſtræ commemorationis. Cæterùm in locis Cænoma-

nicis Andegauinis quoque ac Baiocaſſinis certiſſimè aſſerunt beatiſſimi Germani glorioſam memoriam penè copioſiùs ab omni populo venerari, quàm (ſi dici liceat) quo ſancta eius membra recubant tumulata; adeò vt infinita miracula per eum in iis patrata regionibus ne verbo quidem attingi, nedum paginis inſeri valeant.

CAPVT L. De cvivsdam pvellæ mirabili restavratione.

Nec temere prætereundum, quod portiunculæ ex loculo ſacri corporis pro reliquiis datæ cœleſtibus interdum claruere miraculis: namque illuſtri cuidam viro beati Germani reliquias poſtulanti aſſulam ex cupreſſo, qua quondam ſacrum tegebatur corpus, ab Archiclauo Eccleſiæ meminimus fuiſſe conceſſam. Ille ſumma cum deuotione ſuſcepit, & in ſuperioribus partibus Autiſſ. pagi in patrimonio ſuo quod Helduinus dicitur, oratorium ſancti Præſulis honore conſtruxit, huc ſe quadam die puella reptilis contulit, quam ita horrendæ vis debilitatis affecerat, vt cruribus contractis & pedibus retro diſtortis, vniuerſam inceſſus ei penitus abiurauerit facultatem: hæc aliquandiu intra oratorium commorata, cùm ſe orationi exprompiùs implicaſſet, ita de repente iuncturarum ac neruorum eius compages diſſiluerunt, vt confractum aliquid in fruſta ceſſiſſe putares, ipſa quoque articulorum oſſa trans corij denſitatem adeo violenter cum ſanguine proruperunt, ac ſi admotis totidem ſpiculis miſeram cutem cerneres perforari, ac tum quidem exanimis pene facta, paulopoſt perceptis officiis huc illúcque deambulans, ingens longe latéque præconium miraculo dedicauit; exhinc locus ille & virtutibus frequens & conuentibus celeriter ſpiritalem apud ſe quoque reuerentiam diuino cultui vendicauit.

CAPVT LI. De locis Morvennicis.

Moruennicos ſaltus huiuſmodi oratoriis eſſe refertos nemini niſi locorum inſcio incognitum eſt; quippe quæ conſtat adeo eſſe famoſa, vt cuncta itinerum ambiguitas quæ per ſylueſtria poteſt intercedere, horum notione locorum quaſi quodam lapideo milliario declaretur: ita Germanus beatiſſimus fœlici patrocinio præuioque ducatu itinera dirigit, vias componit, gradientibus ſubuenit, nec ſolum errore exuit, verum etiam à periculorum incurſione communit: nouimus his in locis nonnullas eius honore Baſilicas, in quibus olei crebro manare pinguedinem, & miraculi frequentiâ & multorum teſtimoniis confirmatur. De febribus pellendis memorari aliquid ſuperfluum ducimus, quando hoc beneficiū quotidianum non iam miraculo ducitur: alias quoque ſcimus per eiuſdem ſollicitudinis vaſta diffuſas, quibus quanto minor ab homine cultus impenditur, tanto in eis diuinitatis præſentia potior declaratur. Nam & luminaria ſi aut tardius accendi contigerit, aut accenſa extingui, ſæpenumero deprehenſa ſunt illic cælitus inflammari.

Signa quoque Eccleſiæ interdum nullo pulſante ſonantia periculoſam cuſtodum negligentiam erga diuinas horas ſpontaneo officio increpare, vt palam euincat ceſſante diligentia hominum non abeſſe loco cuſtodiam Angelorum: nec verò aſpernandum eſt, ſi magnis Dei beneficiis etiam minima inſerantur: tanta enim authoritate beatus Germanus res ad ſe pertinentes etiam à beſtiis protegit, vt ſi forte vulpes vt ſe habent ſylueſtria, gallinam Sacerdotis inuaſerit, rapto potiri nulla ratione ſinatur, quin potius loco defixus, nec fugiendi copiam, nec lædendi habeat facultatem, donec ſuperuentu hominum cum prædone pariter præda capiatur. Agit hoc dignanter in minimis, qui maxima quæque potenter operatur in magnis: denique vniuerſalis naturæ & conditor & moderator ne vnum quidem paſſerem caſſò perire permittit.

CAPVT LII. De reverentia Coenobii qvod Monsfalconis dicitvr.

Falconis montem ex antiquo vocatum non iure prætericrim, ne locum nobilem frequentémque virtutibus, tam negligenter, quàm obliuiosè videar ſuppreſſiſſe, id Cœnobium beatiſſimi Germani præcelſum meritis, vt illuſtratur nomine, ita virtutibus exornatur, multa ibi ſignorum gloria multa mortalibus è cælo conferuntur beneficia; ibi viſum cæcitas, debilitas reparationem, auditum ſurdus frequen-

ter emeruit, frigoriticis quam multa ex improuiſo percepta remedia, his quàm maximè, qui quartano decumbentes incommodo acriora febrium concitamenta ſenſere. Illud non reticendum, quanta in peruaſores loci vindicta deſæuiat, quibus in loco remere perperraſſe aliquid, mortem ſibi conſciuiſſe fuit: nam ſi quis inibi aut dominari per tyrannidem, aut cum Cœnobij familiâ ſæuius agere, aut rerum Eccleſiaſticarum peruaſor eſſe tentauerit, huic non in longum differtur vltio, verùm quàm citiſſimè raptatus interitu ſacrilegæ temeritatis è veſtigio pœnas luit. Id apud cunctos loci incolas certiſſimum, experrumque eſt, & tanquam naturale verſatur in ore prouerbium, eum qui ſancto non timuerit violentus eſſe Germano, aut trucibus luporum dentibus conteri, aut Moſæ fluminis rapido gurgite incunctanter abſumi: hæc iuſti iudicis diſpenſatione mirabili, & pijs in Sanctum Domini amoris affectio, & improbis quibuſque in reſecandis auſibus timoris ingeritur magnitudo. Audiant talia ſeculi poteſtates, diſcántque damnum Eccleſiis non inferendum, ſcientes certiſſimè Deum in ſuorum iniuriis vindicem eſſe ſeruorum. Quidam prærerea fur Eccleſiarum effractionibus aſſuetus præfatam Beati Patris Baſilicam fraudis opportunitate captata ſubintrans coronam argenteam ante altare pendentem demiſſo fune depoſuit, quam vt prophanis manibus comprehendit, ita diuinitus loco defixus eſt, vt nec pedem ſubducere, nec manus temerarias ad ſe poſſet vllomodo reuocare, donec ſacri loci remeante cuſtode ſacrilegus cum furtu pariter teneretur. Caſtellum quoddam Adriani dicitur ad ſupradicti Cœnobij pertinens poteſtatem. Id arduo ſitu in prærupti montis faſtigio collocatum beati nihilominus Eccleſiam præfert, cui frequens virtutum copia & reuerentiæ & honoris plurimùm acquiſiuit. Cæcus igitur quidam ea in regione notiſſimus profectus à villa cui ad Leones vocabulum eſt, quámque ad radices eiuſdem montis locauit antiquiras, ſpe recuperandi luminis per conuexa rupis ad præfatam Baſilicam properabat; ſed cum aſcenſus difficultate grauatus montis altitudinem ſuperare non poſſet, imbecillitate pariter & labore decumbens feſſos artus ſopori permiſit. Dormienti Clementiſſimus Germanus adfuit blanda miſerum pietate demulcens, vt labori parceret iuſſit, tum veteris ſpinæ truncum in parte montis oſtendens vt baculo terram ſoderet, ac de vnda emergentis laticis oculos ablueret, imperauit. Sopori ſubductus duce puero locum expetit, terram baculo ſubigit, euentum miraculi præſtolatur, fons largiſſimus exilit, eo oculos fouet aliquandiu, mox decuſſa caligine nouo fruitur die. Votis vrgentibus montis verticem ſcandit, miraculum publicat, reparatori ſuo multiformes grates accumulat, fons ille remediorum fœcundiſſimus, è remotis quoque locis á pluribus frequentatus & lauacro releuat, & potu iucundat. Eiuſdem loci Vice-Dominus quadam die diſcutiendis negotiis data ſingulari opera Eccleſiaſticam familiam iniquis imperiis opprimebat, reclamantibus cunctis, & apertam violentiam tumultuoſa vociferatione teſtantibus. Vnum eorum, qui inter cæteros honoratior videbatur, ligatum ſtipiti virgis mulctandum præcepit; iſtâ omnes crudelitate permoti eius pedibus prouoluuntur, atque vt humiliratis oppoſitione indignitatem verberum remoueret, obnoxiùs ſupplicant, quæ res ſæuitiam hominis non ſolùm non leniit, verùm acerbiùs prouocauit, cúmque iam miſerum ad ſupplicia violenta raptarent, beati Germani præſidium cœpit anxius vocibus inclamare. Iudex felle commoto, etſi ſanctus, ait, Germanus hac tibi vice mox ſubuenerit, quid poſſint verbera tuo ipſius experiere ſupplicio. Vix iſta compleuerat, & in partem conuerſus grauiſſimè corruit, ac temeritatem verborum crurifragio compenſauit, ita Beatus Germanus ſe fuiſſe præſentiſſimum declarauit, dum & miſerum abſolutione donauit, & contumacem meritâ contritione perdomuit: cúmque rem geſtam celer vbique fama diſpergeret, matrona quædam de illuſtribus huiuſmodi negotio relatione comperto in tumorem erigitur, ac friuolum animum incendens [illegible]uitate verborum, in huiuſmodi querelam effertur: Non, inquit, decuerat ſanctum Germanum in hac parte ita facilem extitiſſe, vt hominem ſua quærentem tanta crudelitate conficeret; blaſphemos ſermones vltio repentina corripuit; nam vt iſta furens protulit, & in verbo veſtigia torſit, ita pedem eius dextrum vindex pœna contriuit, vt pene exanimis ancillarum manibus in cubiculum referretur. Igitur quæ paulo ante de alterius cauſabatur

incommodo, iam nunc propriæ calamitatis remedium anxia quæritabat, quémque iniuſtum in ſuperbi hominis punitione notauerat, iuſtum iam per omnia in ſuam potius contritionem prædicabat, & parentibus adſcitis negotium profitetur, animi in ſe leuitatem increpat, oris facilitatem obiurgat, & votis tandem & muneribus onerata Eccleſiam expetit, ſcelus lachrymis expiat, à beatiſſimo Germano veniam cum ſanitate repoſcit, nec multo interiectu temporis miſericordem ſenſit, quem dudum fuerat experta ſeuerum. Soſpitati reddita in domum ſuam caſtigata receſſit, patendúmque ſermonibus immodeſtis modernæ vltionis exemplo perdocuit.

Cum ſimile quiddam in villa Altiſſ. Pagi cui Abundiacus nomen eſt, patratum meminimus, in quâ vir quidam illuſtris & pænè toti notiſſimus regioni quendam ex loci incolis ſæuis verberibus profligari perceperat, illóque pretioſi Patris ſuffragium inclamante, non modò flexus non eſt, verùm etiam maturari crudele negotium imperans, equum feſtinatò conſcendit, ac prius quàm portam excederet, equus in ſublime tollitur, ſeſſorem dorſo excutit, coxáque tranſuerſum fractâ miſerâ alliſione proſternit, nec prius ſoſpitatem meruit, quàm beato Germano, cuius nomen ſpreuerat, debita ſatisfecit pœnitudine, hoc propter facti ſimilitudinem ita inſerto, ad locum, quem omiſimus, ſeriem referamus. Sed nec illud omittendum videtur non ſolùm hominum ſed etiam animalium famulo ſuo Dominum viuificationis gratiam contuliſſe ſecundùm illud propheticum: Homines & iumenta ſaluabis, igitur cum pro ſtudio religionis Placidia mater Imper. beatum Germanum ad conuiuium euocaſſet, non tam vt regiis cibis vteretur, ſed vt ex eius benedictione refectionem haurirent, religioſè poſcenti ſuam præſentiam non negauit: & cùm locus hoſpitij procul à palatio reſideret, ſeniles artus ieiunio vigiliiſque confecti aſinulo deferente palatio deportantur. At verò inter epulas vnus ex miniſtris Reginæ in aurem inſuſurrat animal quo fuerat aduectus repentina morte ſopitum. Recenſeri hoc beato Antiſtiti iuſſit, anxia tamen ne vſitata euectione priuatus triſtis à conuiuio remearet: in vice tamen miræ magnitudinis ſedendus equus producitur. Quem intuens: meus, inquit, mihi onager præſentetur, quia non alia me hinc euectio, quàm quæ exhibuit, exportabit. Tum exanime atque diſtenſum cadauer oſtenditur: ad quod accedens, ait, ſurge Muſcio, & reuertamur hoſpitio. Hic baculo ammonitus contremiſcit, & ſtatim proſiliens dorſo auribus concuſſis nihil aduerſitatis ſe paſſum alacri vigore teſtatur. Ita vſque ad obitum ſancti Antiſtitis cum omni commoditate euectio ſuauis impenditur.

Supradicti Caſtelli Dominus cupiditati nefariæ morem gerens res ad Eccleſiam pertinentes auſu temerario abdicauit, quo comperto Rhemenſis Epiſcopus, ad cuius Diœceſim locus ille pertinere cognoſcitur, euocato Presbytero, ne ſacrilego homini Miſſæ officium impenderet, interdixit, nec multo poſt ille ſuperueniens conſueti officij celebritatem à Presbytero exigebat, quod poſtquam à Pontifice competit interdictum eiuſdem loci Villico aduocato, quod Eccleſiæ abſtractum fuerat, datis vadibus reddi iuſſit. Ita Miſſæ potitus officio ſiniſtræ voluntatis ſtimulo perurgente, quod paulo ante reddi iuſſerat, violata fidei interpoſitione denuo præcipit abdicari: nec longum lętatus, quin ſacrilegum pœna corriperet, vix namque domum remeauerat, & maligno peruaſus ſpiritu infœliciter torquebatur: vxor temeritatis conſcia pro ſalute viri ad Eccleſiam cereos & vota direxit, è quibus ne vnus quidem accendi potuit perſeuerante erga infœlicitatem diuinæ indignationis iudicio quam ſemel in ſe prouocare non timuerat ſacrilegæ cupiditatis exemplo: cui immaniſſimæ calamitati tum demum ſuperna miſeratio finem dedit, cùm coniugis & parentum conſilio perſuaſus, & quod prius abſtulerat Eccleſiæ reddidit, & ex legitimo patrimonio tantumdem aliud condonauit.

Eandem baſilicam fur nocturnus ingrediens vniuerſa ad altaris ornatum pertinentia ſacrilegis manibus exportauit, cúmque ſe in pedes ſolito conieciſſet, ita eam vis diuina implicuit, vt ab atrio Eccleſiæ nullo pacto digredi potuerit, itaque totam noctem ambulans ſequentis auroræ diluculo in porticu baſilicæ repertus eſt, & conſcientia trepidus, & furto onuſtus, ita prædo confunditur, præda recipitur, beatus Germanus ſuo in loco liberaliter agere argumentis euidentibus declaratur.

CAPVT LIII. De oratorio eius inter Alpium ſumma conſtructo.

Iuga Penninarum Alpium, non plus candore niuium, quàm eius illuſtrari meritis eò certius, quòd expertius eſt: nam in monte, qui Minoris Iouis dicitur, eius Ecſia eſt ambitu modica, virtutibus magna, quæ ob ſacri repauſationem corporis, cùm Rauennâ referretur, eo loco conſtructa fuiſſe cognoſcitur. *Hæc* Romam pergentibus indéque remeantibus ineuitabiliter peruia eſt, quod publicus agger, in quo conſiſtit propter itineris anguſtias omnem diuertendi ab ea denegat facultatem. Illuc innumera diuinæ largitatis ſubinde clarent beneficia, quæ loci aſperitatem ac ſolitudinem copioſa remediorum fertilitate compenſant, vt iure fatearis cœleſtis munificentiæ majeſtatem ſiccis etiam rupibus non deeſſe. Iter agentes quoſque, quos noctis horror corruens, aut fatigationis difficultas impediens, aut infirmitatis ſarcina prægrauans, ſub tectum Eccleſiæ tranſire compellit, ſanitatum ibi dona percipere luce clarius inde colligitur, quòd *Presbyter* ad cuius curam locus pertinet in remota planitate frequentius habitans, ſi quando ſacris morem geſturus montana conſcendit, multa ibi reualeſcentium argumenta conſpicit infirmorum; nam & tabellæ mutorum, quarum concuſſu ſtipem poſtulant, repentium quoque geſtamina contractorum ibi frequenter inuenta, interdum & ſanguine pauimentum madens, ſed & votiua iu diuerſis munuſculis relicta bellaria noctu patratis in loco fidem aſtruxere miraculis.

CAPVT LIV. Qvod in patrandis miracvlis ſecretum ſemper prætvlerit.

Familiare quondam ſancto viro fuerat ſecretum & abiectionem oculi quærere, res à ſe geſtas mirabiliter ſectetalibus vmbris tradere, quantúmque in ipſo fuit omnes virtutes ſuas perennis ignorantiæ latebris obſcurare: hinc certè eſt, quòd cùm multa illius miracula mundo innotuerint, nec potuerint locorum obſcuritate celari cùm virtutibus proderentur; innumera tandem ſunt, quæ iactantiæ refugus in hominum nou paſſus eſt venire notitiam, quippè qui humanæ poſſibibilitatis modulum ſupergreſſus, Angelis conſciis & cœlo teſte fruebatur. Hinc hodiéque morem Pater ſeruat egregius, qui cum incomparabilis exiſtat apud Deum meriti, interdum in locellis obſcurioribus ſuo tantùm titulatis nomine viſibilium maiora præbet oſtenta ſignorum, quàm quo ſemper adorandi eius corporis ſacram veneramur præſentiam. Verùm quidem infidelibus quibuſque, & qui ex viſibilibus tantùm inuiſibilia metiuntur familiare, ſigna cum Iudæis quærere, & præſentibus ſolùm commodis oblectari, mihi certè, cuius iam fides in robur conualuit, cui ad vitam ingredi propoſitum eſt, qui denique corporibus animas quanrum immortalia mortalibus perituris manſura incomparabiliter præſtare non ambigo, carius hæc conſtabunt beneficia, quæ interiorem hominem ſpecialiter & perpetuò beant quàm quæ exteriorem comparabiliter & tranſitoriè releuant, hæc diebus, hęc noctibus è Germani tumulo vbertim manare nemo ſani capitis iure dubitauerit.

CAPVT LV. De Britannis Sancto Germano ſpeciali cvltv obnoxiis, deqve ſvbvlci hoſpitio et Rege abiecto.

Dum per Mediterranea circumuecti loca ſingula curioſè diſquirimus, pene fuit vt Oceanum extima mundi mirabiliter cingentem ab excellentiſſimi Patris noſtri priuilegiis exciperemus, quibus cùm totus redundet orbis, his tamen vberius Britannia gloriatur, inſula inter omnes vel prima, vel maxima, de quâ, vt fert authoritas, finis erat orbis ora Gallici littoris, niſi Britannia Inſula ſingulari amplitudine nomen penè alterius orbis mereretur, hæc beato Germano peculiari deuotione ſubmiſſa multis ſe beneficiorum impendiis ſanctitati eius eſſe teſtatur obnoxiam, quòd ſcilicet eius doctrinis illuminata, quòd per eum non ſemel eſt à ſordibus hæreſum expurgata, quòd denique multiplici miraculorum lampade illuſtrata, quæ quoniam

doctorum nobiliũ ſtudio literis ſunt & aliquatenus commendata iteratione non indigent. Fertur vnum famoſum inter cętera, cuius ad nos notitia per ſanctum ſenem Marcum eiuſdem gentis Epiſcopum decurrit, qui natione quidem Brito, educatus verò in Hiberniâ, poſt longa Pontificalis ſanctitatis exercitia vltroneam peregrinationem ſibi indixit, ſic traductus in Franciam, piiſſimíque Regis Caroli munificentia illectus, apud beatorum Medardi & Sebaſtiani Cœnobium Anachoreticam exercebat vitam, ſingularis noſtro tempore vnicæ Philoſophus ſanctitatis. Hic multis coram referre ſolitus erat Germanum ſanctiſſimum, vt ipſius vtar verbis, ſuæ nationis Apoſtolum vice quadam, dum Britannias permearet, Regis palatium cum ſuis diſcipulis introiſſe, erat tum hiems horrida, nec hominibus ſolùm, verùm etiam ipſis beſtiis vehementer infeſta. Itaque directo ad Regem internuntio ſuperuenturæ nocti hoſpitium poſtulauit. Rex abnuit, atque vt erat & gente & animo barbarus negotium floccipendit. Interea Germanus cum diſcipulis ſub dio perſiſtens cæli inclementiam infractis animis tolerabat; iamque die in veſperam coacto ſubulcus Regis regreſſus à paſcuis penſum quotidiani ſalarij acceptum ex palatio ad proprium tugurium referebat. Is vbi Germanum beatiſſimum conſpexit brumali horrore cum diſcipulis tabeſcentem, appropinquans cominus orat humiliter, vt quis eſſet, quáve ex cauſa inter algores nimios illic moraretur, ediceret, cúmque nihil certitudinis ex reſponſo percepiſſet, perſonæ dignitate permotus: oro, ait, quiſquis es Domine, vt parcas corpori, ſeruíque tui ſuccedere digneris hoſpitio, ac demum ſi qua paupertati meæ ſuppetunt officia receptare, non parum enim intereſſe video imminentis noctis anguſtias quantumlibet vili domicilio temperare: non aſpernatus perſonæ qualitatem ſucceſſit hoſpitio, & quæ ſibi à paupere impendebantur obſequia libens excepit: erat illi in peculio vacca tantùm & vitulus, conuerſúſque ad vxorem, Hei non intelligis, ait, quantum ſuſceperis hoſpitem: accingere itaque, & vnicum, qui eſt nobis, vitulum mactans cœnaturis appone. Dicto illa incunctanter paruit, coctúmque vitulum in menſa componit, Epiſcopus ſolito abſtinens cęteris eſum indicit: cœnâ explicitâ, Germanus mulierem euocat, imperátque vt oſſa vituli collecta diligentius ſuper pelliculam eius ante matrem in pręſepio componat, quo facto (mirum dictu) vitulus abſque mora ſurrexit, matríque coadſtans pabulum carpere cœpit: tum ad vtroſque conuerſus Antiſtes, ſaluo, inquit, præmio charitatis iura hoſpitij tali interim beneficio compenſata recipite: prouentum rei mirabilem, collato omnes præconio ſuſtulerunt. In craſtinum Pontifex Palatium repetit, Regiſque ad publicum præſtolatur egreſſum; illum ab intimis præcedentem Germanus excipit, atque patenti obiurgationi verborum, cur ſibi pridie hoſpitium negauerit, ſeuerus exquirit. Rex ſtupore defixus intorpuit, viríque conſtantiâ attonitus à reſponſo defecit; tum Germanus authoritate mirabili: Egredere, inquit, & ſceptra Regni potiori permitte. Illo hæſitante Germanus baculo incunctanter impellens, egredieris, ait, & ſicut definitum conſtat à Domino, nequaquam deinceps in æternum poteſtate Regiâ abuteris. Barbarus authoritatem cæleſtem in Præſule reformidans, cum coniuge & liberis indifferenter egreditur Palatij fores retentare nulla poſthac ratione conatus: Iam Germanus vno ex diſcipulis directo ſubulcum cum coniuge euocat, atque vniuerſo ſtupenti Palatio in Regni culmen componit, ex eo tempore in hodiernum Reges ex ſubulci genere prodeuntes nationi Britonum dominabantur Deo per beatum Germanum res humanas mirabiliter ordinante: hæc ita apud Britanniam Catholicis literis contineri prædictus mihi Epiſcopus iuriſiurandi interpoſitione firmabat, cuius probitatem quiſque expertus eſt, verbis illius fidem cedere nullomodo dubitabit.

O virum inter mortalia ſingularem! hominem iam ipſius diuinitatis ſymbola præferentem, nec dum luteam molem depoſuit, & iam cum Chriſto de mundo decernit, poteſtates ordinat, Reges diſponit: inſanum te pronuncio palam quiſquis Germani merito prouehi populos ad Regna cæleſtia poſſe deſperas, quem terrenos adhuc vehentem artus tanta potuiſſe conſideras.

Explicit Prior Libellus.

CAPVT I. LIBRI SECVNDI.

Prioris libelli ſerie pro captu ingenij vtcumque decurſa, ſecundus, qui ſupereſt, priuatas poſcit operas, nunc quidem inſtanter incipiendus, ſed non etiam conſequenter omnifariam conſumendus, expanſis namque his, quæ præ manibus verſantur, ſi qua deinceps Apoſtolici Patris noſtri merito ſe fortaſſis ingeſſerint, impiger exequar, quæque diuinitati præſtari placuerit, ea indifferenter ſchedis indere non grauabor. Libens verò huiꝰ aſtringar debito, nec eo me velim eximi vnquam; quódque ſoluendo & nunquam perſoluendo vtinam vinculis emicem corporis perſeuerante erga Germani memoriam ſummæ, & perantiquæ priuilegio ſanctitatis: habet ille plures tanto negotio aptiores, cui ſi deeſſent propria externa, certè ad votum vltro famularentur obſequia: verùm, dum quondam tractaret ſecularia, nouerat auro bibere, nouerat interdum & fictilibus prandere, cúmque pocula ſuppeterent gemmea Principis, non tamen horrebar pro tempore in multiplicis vſum miniſterij etiam ligneis vti. Non aſpernabitur credo ſua præconia per infimum & elinguem digeri; cuius tanta eſt merirorum gloria, vt mutis quoque ipſis copiam de ſe loquendi ſufficiat largiri, eritque dignitatis genus modica de modicis ſumere, cui poſſe ſubeſt ingenia quoque de maximis receptare. Iamdudum proponenri dicere multa ſe certatim ingerunt, quorum nil prius aut competentius veſtibulo præfigendum reor, quàm illud, quo pacto munificentiſſimus Pater noſter noſtra quidem memoria ſuo ſubueniendum decreuit loco: ei rei talem fuiſſe conſequentiam ſubiecta relatione declaratur.

CAPVT II. COMMEMORATIO CHONRADI MAIORIS DE MVNIFICENTIA EIVS.

Chonradus Princeps famoſiſſimus, Collega Regum, & inter primates aulicos apprimè inclytus, per id temporis regia munificentia maximis & ſua nobilitate condignis fulgebat honoribus: coniux illi erat Adheleis nomine, primorum & ipſa natalium perinde ritulis glorioſa, quippe quæ auitâ antiquorum procerum oriunda propagine ſplendorem generis auguſtiſſimæ æquiparabat ſtemmate dignitatis: iunxerat hos cùm coniugij charitas tum ſocialis gratia probitatis, fortunarum amplitudinem & religionis in Deum & moderationis in ſæculum cultibus exæquantes: elucebat mira in perſonis ſecularibus officioſitas, ingens deuotio, inexplicabilis fidei magnitudo, vt difficile iudicare ſufficeres, vter eorum in Religionem pronior, in ſanctos feruentior, in pauperum indigentiam copiolior appareret, ita ſe pietatis certabant officiis præuenire, cùm faſtigio dignitatis, tum etiam virtutis æmulandæ ſtudio omnibus potiores. Cúmque plurimos & ſecularium hoc tempore videas ambitionis fouendæ gratia Eccleſiaſticas prælationes inhiare, hos noſtra tempeſtate vel primos vel ſolos extitiſſe pace cunctorum dixerim qui ſacrorum locorum ſuſcepta poteſtate nõ magis præeſſe voluerint quàm prodeſſe, nec æſtuanti auaritiæ ſeruorum Dei oppreſſione ſatisfacere, verùm obrepentes illis indigentias propriis opibus, aut penitus excludere, aut tolerabiliter tẽperare, hoc me tacente vbique terrarum diuerſæ conclamabunt Eccleſiæ, horum deuotione incomparabili, vel rerum copiis auctus, vel ornamentorum competentium gloria norabiliter inſignitæ locus id noſter vel maximè conteſtatur, qui eorundem multiplicibus auctus donariis ordinabili diuinitatis prouidentia huiuſmodi cœpit exordio inſigniri.

CAPVT III. DE LVMINE PRINCIPIS REPARATO.

Memotatus princeps cùm in dies magnificis honotum profectibus ſingularis attolleret apicem poteſtatis, contigit ſecundas res illius extemporaliter irruenris incommodi moleſtiâ interturbari; namque ita illum vnius oculorum clades immanis confecerat, vt accedente tempore craſſi ſuperducta glaucomatis pupilla deficiens cum damno luminis inrolerandi coaceruaret augmenta doloris. Turba medicorum è palatio cunctíſque regni partibus coacta confluxerat, multiformem artis induſtriam collatis peritiæ viribus in principem expenſura: diu multúmque abſque ope-

ræ pretio laboratum quidquid humanæ fuit experientiæ fruſtra conſumptum eſt; ita adulta peſtis viſque morbida ſenſim crudeſcens quamuis ſpectatiſſimorum & vota & manus eluſerat medicorum: Itaque quod artis eſt vel maximum ferro cauterióque agendum, quod ſupererat, decreuerunt. Principes vrgere factum, quandoquidem ei ſanitas deſperabatur infecto: tentando negotio dictus dies piè impias medicorum prouocabat officinas inſtantiùs, iamque aderat, cùm ille inter ſpem metúmque ſatis anxius, vt noctem ferè totam inſomnē exegerat, archiatrum ſe credidit cœleſtes prius quæſiturus precibus medicinas, ad ſepulchrum Germani beatiſſimi votorum plenus acceſſit, fratribúſque nocturnam ſtationem ex more peragentibus diu totius ſtrage corporis in oratione procubuit; interea dolor ſæuire acriùs: ille tamen nihilominus cœpto perſiſtere. Locus herbis erat contectus, ex ille iniecta manu captandi gratia refrigerij oculum fouit aliquandiu: horæ paululo interiecto manum fronti detrahit, herbiſque ſummotis omnimodam cum dolore mutatus eſt ceſſiſſe caliginem: Ita beati Germani meritis Principi conſultum deuotiſſimo, vt vnius vſura diluculi & minaces medicorum terrores euaderet, & integra ſopiti reparatione luminis de cætero frueretur. Laudes in Deum, grates in ſanctum funduntur inexplebiles, collatúmque beneficium duplici gratulatione ſuſficerit, quod & repentinum acceſſit, & impacatæ valetudinis ineuitabilem neceſſitatem vltra quàm votis aſpirari poterat, circumſcripſit: quódque tum quidem præ manibus inuentum eſt, armillas aureas ſacro ſepulchro obtulit. Deuotionis verò tantum & beneuolentiæ erga ſanctum concepit locum, quantum poſtea ingens rerum probauit effectus. His ita explicitis in ſui iuris receſſit latifundia.

CAPVT IV. De prima orientalis fabricæ conceptione.

Exin verò quotidianis proceſſibus intimus creſcebat ardor nouum perindéque recens aliquid moliri, quod & ſuæ par deuotioni & beati Confeſſoris commodum exiſteret dignitati, piis de Deo cogitatibus fœlicem non deeſſe exitum huius quoque prouentu rei declaratum eſt: excellentis memoriæ coniugem aduocat, communicatóque cum ea negotio, quid ſibi ſederet animo, quidvè faciendum decerneret, euidentiùs intimauit. Ea quod eſſet ingenij ſingularis, & cùm ſummo loco nata, tum ingenitæ quoque prudentiæ dote præcipua, rem illico perindè acutiſſimè: ex ore Principis verbum rapuit, quódque erat inſpiratum diuinitus, accelerandum quàm poſſet maximè perſuaſit, ſe totius molem negotij ſubituram libentiſſimè: ſi qua viderentur difficilia, iuſtis facilè ceſſura deſideriis, futurum vt res quanquam ardua breui cupitæ perfectionis faſtigium obtineret. Talibus animata maturandum credidit, omniſque moræ impatiens ad beati Germani Cœnobium ex iuſſu Principis profecta peruenit, ac primùm loci poſitione proſpecta diligentius poſtquam ſuo cuncta vidit reſpondere propoſito, dici non poteſt, quanto ſe feruore addixerit cœptis inſiſtere, dummodo diuinitas religionis flexa diſpoſitionibus quod velle dederat poſſe donaret.

CAPVT V. De opportvnitate ac positione loci.

Erat locus naturali quodam ſitu commodiſſimus, atque à parte Orientali cliuo montis paulatim leneſcente competenter adcliuè pendulus vltro ſe cuiuſdam ingentis fabricæ conceptionibus ingerebat: ad artifices talium expertiſſimos res confertur: horum induſtriâ ad loci oportunitatem accedente concepti operis exemplar conficitur, & quaſi quodam prælúdio futuræ molis magnitudinis ceris breuibus informatur eâ pulchritudine, eâ ſubtilitate, quæ digna Angelorũ hominumq; Rege, quæ Sanctorũ Collegio, quæ etiam ipſius loci maieſtate eſſet. expenſis cõpetentibus præparatis exactores magiſtriq; operum deliguntur: quorũ inrequieto ſtudio, ſummâque inſtantia immenſum opus incredibili celeritate peragitur, tanta facilitate rerum, tanta alacritate animorũ, vt in promptu eſſet omnibus diuinum negari non potuiſſe fauorem. De cuius qualitate fabricæ multa forent quæ ad laudem operis iure literis mandarẽtur; verùm quia & oculis ſubiecta eſt, & ferè omnibus circũquaque notiſſima, parcendum in talibus paginę per magis neceſſaria dilatandæ. Robuſta diligentia confectum opus; multiſque opitulante Deo ſæculis duraturum Chonrado Prin-

cipi & eius iugali benigniſſimæ. immortalem de cætero ferret memoriam meritorum, quorum primam & incomparabilem in nos locúmque noſtrum ex animo beneuolentiam, poſteritatis quoque illorum hereditaria deuotio comprobauit. Filij ſcilicet æquiſſimorum parentum & probitati & pietati, quàm ſimillimè reſpondentes, quibus vltra omne, quod humanum eſt, idem locus & animo, ſed & indicibili amore chariſſimus euidenter apparuit, quos quia iamdudum incipientis fœlicitatis noſtræ ſucceſſibus torquebaris, acerbo præuentos occaſu ſors ſæculorum prouectui ſemper inuida ſuſtuliſti. Ne tamen nos omnimoda præſidiorum ſpe interceptos, vt cœperas, vſquequaque proſterneres, infrenes conatus tuos & dira molimina rerum prudentiſſimus moderator eluſit. Hunc qui ſuperſtes adhuc, cœlo propitio vitales carpit auras noſtræ primùm ſaluti, multorum dehinc vſui, cunctorum poſtremò profectui reſeruando. Is eſt Hugo, vt abſque aſſentationis fuco verum fatear, & nomine & officio Abbas, de quo quidquid dixero longè infra meritum ipſius eſt, præſtátque de eo ſilere per omnia, quàm parum dicere; neque enim quidquam de illo tunc tractandum ſuſcepi, niſi quòd eximia proles egregiis manans genitoribus hos quàm ſimillimè, tum dignitate, tum moribus repræſentat: eò factum eſt, vt paternis, annuente Deo ſuffectus honoribus, auitę memor gloriæ & poteſtatis, & probitatis patrię robuſtiſſimus heres exiſtat beato protegente Germano, votis noſtris cunctorúmque fidelium ad ſanctæ decus Eccleſiæ & diutiſſimè & fœliciter floriturus, ſed memoriam illius viri omnes anni excipient conſequentes, rebus ſanè ſuaui lapſu decurrentibus, iucundum fuerat immorari, niſi res ordine ſecuturæ pronos in voluptatem animos auocarent.

CAPVT VI. De fratrum profectione in prouinciam marmorum cauſa.

Operi magnificè elaborato, ſi qua ornatui fore poterant inſtantiſſimè parabantur, & quoniam in noſtra prouincia marmorum copia minime ſuppetebat, in remotis hæc quærenda regionibus decreuerunt; hac de cauſa quidam fratrum periculoſæ expeditionis huius aggreſſi difficultatem, intérque vaſtos Rhodani gurgites iter plenum diſcriminis ſubeuntes Arelatem, ac deinde Maſſiliam, quæ eſt Galliarum vltima, perrexerunt, quibus ea fuit animi conditio, vt omnes acerbitates, cunctas rerum inſolentias, extrema certè omnia ferrent, non ſolùm fortiter, verùm etiam libenter; Ibi ingentibus congreſſi periculis multa aſtu, multa auſi, callidè audaces, audacter callidi ſuperarunt: magna omnia magno cõſtare, audentéſq; fortunâ iuuari non immemores: eruderatis itaque ædificiorum veterum circunquaque ruinis, ingentẽ marmorum pretioſorum copiam obtentu partim, partim pretio congregarunt, oneratíſque nauibus præda præoptabili, victorioſo ſucceſſu cœptorum audacium memorabilem bis duxere triumphum. Per iter horribile diuinum eis non defuiſſe fauorem incũctanter dixerim, quod & minaces tumorem pelagi, & infidæ gentis fiducia infracti animis infeſſi viribus excelſerunt ſæpè numero B. Germani præſentiſſimum ſenſere patrocinium, cùm eius inuocato nomine fatalibus exempti caſibus emirati ſunt ſe ſubito ſecundis aduerſa mutaſſe, vbi illud, quale, quamque euidens fuit, quod è multis vnum decretæ ſufficiens credimus breuitati. Expletis pro quibus perrexerant, regreſſum inſtantiſſimè maturantes, rapaci Rhodano ſe committunt, die quadam conſcenſuros nauim falſa ſpe diuturnæ tranquillitatis matutina, vt ſolent, ſerena deceperant, ac ſubito coorta tempeſtas naturalem pelagi rabiem accedentis procellæ concuſſibus efferauit; ingens vniuerſos terror impulit, pertæſos fluctuum, pauidos periculorum, ac primum nauclero faciem elementorum diligentius exploranti viſum eſt, quàm poſſet celerrimè ſubeundũ littus, cedendũ diſcrimini atque inceptæ tunc quidem nauigationi parcendum; quod vehementius ſolito commotus aër vix intra ſequens triduum, placidum patefaceret in fluctibus cõmeatum. Porrectis itaq; in longum obtutibus Eccleſia cernitur, quã contra ſubeuntes optatæ telluris tuta renuerunt: egreſſos curandorum corporum acrior vrgebat inſtantia, ad id procurandum diuerſis diuerſa expetentibus, compertum eſt à loci incolis Eccleſiam illam Beati Germani nomine & meritis ſactam tantum apud vniuerſos reuerentię vendicaſſe, vt nemo de rebus ad locum pertinẽtibus quidquam præſumere, nemo vel ſurculum è circumiectis ſepibus audeat vſurpare, totam inſuper ruris circumpoſiti

vicinam majeſtate loci adeò tutam exiſtere, vt diebus vel noctibus integris veſtimenta ſua paſſim, tum ſepibus, tum arboribus ſuſpenſa relinquentes abſque furis metu vel periculo propriis domibus reſiderent, ita beatiſſimi Germani fide in tuto deguntomnia, genúſque miraculi eſt, res diſcrimini oppoſitas ſecus periculum non perire: hoc ita comperto animos angoribus releuant, locum alacres expetunt, peculiaris nomen patris votis & affectibus complectuntur, orationi deuotiùs incumbentes, pro præteritis gratias referunt, profuturas vota concipiunt; ſic ſe ſuáque omnia per glorioſi protectoris meritum Deo familiariùs commendantes littoris repetunt ſtationem; cùm ſubitò viſibus circumquaque directis, longo: proſpectu cernunt vniuerſam aëris inclementiam vltra quàm ſperari poterat procubuiſſe, ventos, elementáque omnia pernicioſâ feritate depoſita in priſcam manſueuiſſe temperiem, nec mora alacres iter repetunt deſperatum, expromptiſque ad fortia viribus ſecundos pelago exigunt curſus, ſemel hauſta fiducia ſecuri caſuum, & quidquid emergentium obſiſtere poterat procellarum reſpectu conciliati per Germanum numinis contemptores: ſtrauerat ille quondam ſiniſtram Oceano-Britannico regionem cùm hunc ad pereuntium inſtaurationem populorum tendere virulentia antiqui hoſtis peruicacia inuideret. Nunc quoque quis dubitet eius virtutis, eius extitiſſe meriti, quod poſt fluctuum repentina diſcrimina conclamata ſerenitatis gaudia reluxerunt.

Miraculo proximum iudico, quòd perductis ad locum deſtinatum marmoribus, quidquid columnarum deuectum eſt tanta vniuerſis fabricæ partibus habitudine conuenerunt, ac ſi indiſcrepanter, & vt dicunt, in vnguem eiſdem ipſis deformatæ lineis propoſitu reſponderent exemplari. In quarum collocatione quid inter cætera mirum vel euidens claruerit æſtimo non tacendum. Harum vnam non cõtemnendæ magnitudinis baſi impoſitam aggregata robuſtorum manu ſuperne ducto fornici collatis viribus inferebant, cunctiſque ſumma ope nitentibus, cùm iam pene erecta conſiſteret, vicit molis immanitas impellentes, iámque elapſa manibus ſuo ipſius in ruinam pondere ferebatur, ictu periculi ceſſerant vniuerſi, fruſtatim mox conterendi marmoris lapſum non abſque doloris intimi ſcrupulo præſtolantes, præbente Deo res contra opinatum ceſſit, quódque humana manus exequi nequiuerat, diuinæ virtutis occurſu multo gratius, multóque facilius confectum eſt, quantóque prius impetu deorſum ruiſſe, tanto mox viſa eſt abſque viſibili præſidio mole ſuâ ſuperna repoſcere, ita loco fixa inconuulſam perennis miraculi memoriam ingerit ſpecioſam.

CAPVT VII. De transmvtatione sacri corporis, et commemoratio primariæ translationis.

Perfecto opere, cunctiſque decorem prætendentibus conſummatis, ſanctiſſimum & toto orbe venerandum corpus B. Germani in cryptam tanto cum dignam theſauro, magna ambitione apparatus, ingenti obſequiorum genere trãſlatum eſt. Iamdudum quidem ante annos aliquot iuſſu Cæſarum Caroli ac Ludouici ab Heribaldo venerabili Pontifice fuerat tranſmutatum. Cum à tempore ſui tranſitus, ex quo Rauenna relatum eſt, per annos circiter cccc. in eâdem Eccleſia, quo loco primariæ ſepulturę traditum fuerat, quieuiſſet, adfuerunt tunc quoque meritorum eius argumenta præcipua, non abſque miraculorũ priuilegiis ſolẽniter cõmendata, pretioſi denique ſepulchri intimis patefactis ita, demum corpus venerabile cum omni cultu veſtiũ integrum, intemeratũ, atque omni incorruptionis genere ſpecioſum apparuit, vt cuilibet ignaro rerum facilè perſuaderi potuerit recens defunctũ, recẽs tumulo abditum, recentibus indumentorũ apparatibus circunſeptum: acceſſit hac publici ſplendor miraculi pro ſui magnitudine non tacendi. Infœlicem quendam, cui Heleno vocabulum fuit, adeò vis horrenda confecerat, vt præter linguæ & aurium infauſta diſpendia, atri quoque dęmonis violẽtia per diuturnũ tempus miſerè torqueretur, iámque eius calamitatẽ, creatore propitio miſerãte, contigit eum trãſlationis ſupradictæ ſpectaculo intereſſe; is referebat poſtea, quòd Eccleſiã ter conatus egredi, perſonæ cuiuſdam grauis & venerabilis occurſu ter fuerat in Eccleſiam reuocatus, veriſimile eſt inter malignũ benignũq; ſpiritum de ſaluando vel non ſaluãdo homine, iis egreſſus, regreſſuſq; vicibus, aliquãdiu concertatũ, dũ & huic vas olim poſſeſſum linquere, & illi ſuperni facturã artificis ab inimico teneri diutius inhumaniſſimum putabatur; regreſſu tãdem tertio, tanquam impulſu quodam adactus violẽtius in pauimẽtũ ruit,

móxque ore, auribus, ac naribus prævalida cruoris effuſione profluxit; ita per obtentum eius cuius ſacra transferebantur pignora, ſoſpitati redditus & peſte dæmonis caruit, & neceſſariorum ſenſuū redituia miniſteria in priſtinos recepit vſus: huius ad fidem miraculi, diebus poſtea ſuperſtes quamplurimis beneficij percepti non immemorem conſcientiam obſequiis ſuæ tenuitati competentibus apud beati Germani memoriam declarauit. Actum hoc anno Dei hominis facti DCCCXLI. regnante iam piiſſimo Carolo Cæſaris Ludouici filio, poſtquam à ciuili prælio regreſſus victor extra omnes fratres ſuos regiæ apicem extulit poteſtatis. Ab anno eiuſdem Verbi Incarnati DCCCLIX. qui eſt Regis Caroli IX. & X. amplificata eadem Baſilica, cryptarúmque, vt ſupra digeſtum eſt, pulchritudine decorata, ſæpe dicti ſæpiúſque dicendi Patris noſtri ſanctiſſimum Mauſoleum à loco primariæ tranſlationis denuò ſummotum eſt ad conditorium ſupraſcriptum noua operoſáque præparatum diligentia, publicis cultibus tranſferendum, ea res (vt cunctis pene notiſſimum eſt) hoc ordine decurrit.

CAPVT VIII. Commemoratio perduellii inter Reges.

Hludouicus Germaniæ Rex à trans-Rhenanis partibus violentius emergens fraternæ ſortis Regnum ſanctiſſimo Iuriſiurandi interuentu olim Francorum iudicio confirmato abſque vllo reſpectu icti fœderis temerarius inhiauit: egerant hoc infidæ perduellium factiones, quibus mens quietis impatiens, feruida verò rabies & inquietudo beſtialis audendi quidlibet quamuis immaniſſimum vires & animum ſuggerebant: quod genus hominum ad cædem & amentiam vltro proficiſcens impiam dexteram ad necem ciuium tranſtulerunt; iámque vniuerſi pene regni proceres ab iſto ad illum defecerant; æquitate nihil, viribus vniuerſa conſtabant; cæde, rapinis, incendiis cuncta ferebantur; non illos à cæptis immanibus Chriſtianitatis titulus reuocabat, non humani contemplatio fœderis, non vbique locorum præſentialiter plenus & pleniter præſens ac per hoc omnia deſuper inſpectans Deus, non denique conſideratio futuri conſummato orbe iudicij inter bene meritos & male conſcios æquis lancibus expendendi. Inter hæc manſuetiſſimus Rex Carolus, belli pacíſque artibus Dauidicæ ſemper modeſtiæ comparandus, cùm ſe fraternæ ſæuitiæ in dies pertinaciter crudeſcenti humanis copiis ex æquo non poſſe reſiſtere peruidiſſet, viribus omnia volui non inſcius, ferendíſque fortiter caſibus ac Deo propitio ſuperandis à puero aſſuetus, cedendum tempori arbitratus eſt potius, quàm ſuo & reip. diſpendio cæcis extraordinariè periculis incumbendum: itaque ſalubriore & quod tantum decebat Principem conſilio animatus, poſthabita ſpe temporalis adiutorij, ad diuinum ſe præſidium contulit, ſatis pernicioſum ſciens, vt diuinis diffidere, ita quoque humanis viribus inconſultiùs niti, atque inter ſpem metúmque confinis expeditione memorata beati Germani Cœnobium Deo tactus adit.

CAPVT IX. Qualiter præfatus Rex idem corpus ſacrum tranſtulerit.

Igitur loci ac temporis opportunitate captata, ſacri tranſlationem corporis abſque dilatione perficiendam decreuit, quod & ſuæ reuerſionis incertus exiſteret, & conceptæ in ſanctum deuotionis officiis plurimum ſibi roboris acquiri poſſe non dubitaret. Sancto igitur Epiphaniorum die ſolemniter omnibus præparatis, ad glorioſi corporis reuerenter acceſſit memoriam: pauci admodum circunſiſtunt Epiſcopi, ſed venerabiles & probatiſſimi Sacerdotes Regem intra Sanctorum ſanctiſſima comitati, cæteros quidem ab intimis arcuit, hymnos verò & pſalmodiam infatigabiliter perſonantes data opera in officio perſeuerare mandauit. Hinc maturans negotium plenum reuerentiæ ſepulchrum aperuit, membra pretioſiſſima perinde vt pridem integra ſupplicibus oculis conſpicatus, congruo honore veneratus eſt. Quid votorum ibi conceperit, quid affectionis impenderit, quàm purè ſe ſuper aram ipſam ſpiritali contritione mactauerit, Deo conſtitit, & conſtat ſoli, quique id ſibi fuiſſe gratiſſimum è veſtigio declarauit: poſthæc corpus venerabile ſolis Pontificum palliis manibus contrectari, operoſis denuo palliis decenter ambiuit

gratum præterea ſuæ odorem fidei multa balſami, multa thymiamatis impenſa per beatum Germanum reſpicienti omnia porrigens conditori theſaurum incomparabilem adurandi corporis eius eo loci, quo nunc veneratur & excolitur, larga ambitione, ingenti gloria, principali denique reuerentia tranſpoſitum collocauit. Locum Regia largitate & donis magnificè cumulauit, diemque illam feſtiuâ exactam apparatibus ſucciduis ſæculis perpetuo celebrem indixit.

CAPVT X. Qualiter hostes Deo se protegente pepulerit.

Mox itaque peractis ſuæ deuotionis ſalutaribus, fortiſſimo Deo qui dat ſalutem Regibus, interuentu Germani voto ſupplici ſe committens, fidens animi, & tanquam de victoria iam obtenta ſecurus, delectu facto abſque cunctaminé hoſti obuiam properat, fide magis, quàm armis rem bellicam peracturus, ſicque duce Chriſto vſus hoſtiles copias ſine ſanguine pepulit, duplici donatus beneficio, quod & de hoſte trophæum cœpit, & homicidij, vel potius parricidij, reatum Deo in omnibus ſe protegente declinauit in reliquum, largitore Deo, ac protegente Beato Germano, rerum potiturus, & fœliciter regnaturus.

CAPVT XI. Abbreviatio miraculorum post secundam sacri corporis translationem.

Idoneum pietati, nobiſque conſtabit ſalutiferum, ad beati honorem Pontificis, ſi ſubiungantur, quæ poſt hæc ſeriem temporis illuſtrauere miracula. Non multo dierum intermeante curriculo, adoleſcens quidam poplitum damno debilis pariter & deformis, templo beati patris adito ſedulis per aliquot dies excubiis neceſſariam inceſſus recuperationem per ſacri corporis merita precabatur; ea tum nox erat Dominicæ diei, quæ ſacræ quadrageſimalis obſeruantiæ dies media recognoſcitur: cúmque circa gallicinium nocturnæ functionis officioſitas à Fratribus ageretur, per merita Præſulis genuinæ rectitudini potentiſſimè reformatus magnum aſtanti populo ſpectaculum præbuit, & diuinæ laudi per ora cunctorum nobilem materiam ac memorabile incrementum.

Huic aliud eadem tempeſtate ſucceſſit miraculum, & ipſum quoque publicè multorum ſub oculis celebratum. Quidam loquelæ priuatus vſu, dum ſe robuſtæ fidei patrocinio ad ſanctum contulit, damnoſi latebram ſilentij ſuffragio ſermonis recepti exceſſit, tabellæ teſſerariæ templi ſuſpenſæ veſtibulo monimentum ei rei fuere ſequentis declaratione miraculi. DCCCLIX. annus Incarnati Domini voluebatur, Adalricus quidam patriâ Senonicus, ipſo ſuæ debilitatis genere vſquequaque notiſſimus, ita toto reptilis corpore trahebatur, vt debilitas deformitati addita neceſſariora corporis officia homini detraxiſſe videretur: non illum talem natura produxerat; ſed extemporaliter irruens calamitas, Deo tantùm cauſæ conſcio, anno jam duodecimo trahebatur: in fœlicitatis ſuæ leuamen frequenter ad ſanctorum memorias, anxiè quidem, ſed inefficaciter quæritabat, certiſſimè eminet hunc Beatiſſimi Patris noſtri meritis reſeruatum. Igitur cum ad Kalendarum Octob. ſolemnitatem publicis orbis terrarum gaudiis celebrandam numeroſa populorum fluxiſſet ex more congeries, is quoque eniſu quo potuit conuentui intereſſe curauit, non tam recuperandæ ſoſpitatis, vt ipſe pòſt fatebatur, obtentu, quàm vt collata coëuntium ſtipe iuuaretur: verùm artifex humanitatis Deus, cui familiare non rogantibus quæque gratis multa præſtare, vnius expenſa miraculi & Dei gloriam, & miſero, quam deſperauerat, contulit medicinam: Emenſa namque ſacrarum vigiliarum parte fere media, cùm alternantis chori vicibus Pſalmus, qui inſcribitur, *Te decet Hymnus Deus in Sion*, decantari cœpiſſet, tantus miſeri reualeſcentis Eccleſiam clamor impleuit, vt non vulgi modò frequentiam, verùm & ipſos diuini choros Officij medullitus tremebundus horror inuaſerit. Superueniente ſalutis neruorum tepefactæ compages, membráque in priſcos vigores remeantia in clamores incompoſitos excitauerant infœlicem: ad vocem hinc inde certatim concurritur, collapsúſque corpore & membris pene emortuis inuenitur, paulòpòſt reſumptis viribus, vsúque greſſuum remeante, diuinæ fermentum laudis præſentibus attulit, futuris tranſmiſit: ad huius aſſertionem

operis is ipſe ſuperſtitem agit vitam ac ſacro corpori de ſe ſatis merito pro viribus debitum expendens obſequium ſuæ ſecum circumfert indicia ſoſpitatis.

Sacri tranſitus eius nox officioſis vigiliis ſolito ducebatur, & quendam patrem adeò religioſum intimus dolor vitalium miſerè fatigabat, & erat viro mœror inconſolabilis, luctus immodicus, non tam infirmitatis vrgeri violentiâ, quàm quòd defectus viribus debitis ſolemnitatis obſequiis non poterat intereſſe. Interea feſſis artubus ſopor incubuit dormienti ſanctus Germanus præſentem ſe exhibet, imperat quid angeret, quídue pateretur, incunctanter edicat. Illo moleſtam ægritudinem profitente doloris loco placidam viſus eſt admouiſſe manum; vigoris plenus ſurrexit continuò, & ingenti cunctorum miraculo pſallentium choris ſe ſe lætus inſeruit, dici non poteſt vniuerſorum animis in laudem Dei feruoris quantum acceſſerit.

Sanctiſſimi prædeceſſoris illius Amatoris feſtus dies aduenerat, & collectis Epiſcopis venerabile corpus eius principali transferebatur reuerentia, ei ſpectaculo beati quoque Germani Collegium non aſſiſtere, non tam eſſet indecens quàm nefarium, reliquias ſacri corporis accepturi nil competentius poſtulandum decreuerunt, quàm dextræ digitos manus, quibus quondam violentus Germano comam decerpſerat; id impetratum ambitioſa pompa feſtino gaudio referebat: cùm iam Baſilicam ingreſſi, témque diuinam peracturi ſacrum Pignus ante ſepulchrum beati Romani deponerent, in promptu fuit agnoſcere duo præcellentis meriti lumina piis gaudiis noua gloria concurriſſe: nam quædam mulier geſtatorio delata proco quod toto reptabunda corpore genitalibus artuum careret officiis, decenti mox reformata ſtaturæ amborum meritis plenæ retulit gaudia ſoſpitatis, clerus laudibus, populares clamoribus, extulere factum, quo & dies illuſtrata, & antiqua Pontificum Sanctorum inter ſe familiaritas argumentis perſpicuis comprobata videbatur.

Sacri quadrageſimæ voluebantur dies, & ſurdam in Pago Senonico mulierem contigit aduenisſe: ſomno præmonita fuerat, vt chordam ſigni faceret, atque ad beati Germani Baſilicam deferret, dicto paruit, funem attulit, ſigno applicitus eſt, quod manu propria cùm pulſaſſet, momento eodem æs ſonum edidit, mulier auditum recepit.

Anno DCCCLXXIII. Verbi inter homines humanati publica fidelium religioſitas populorum diem Kalendarum Octob. votiuis gaudiis exegerat, adfuit inter cæteros quidam pagi Andegauenſis indigena ex vico Baſilicas nuncupato, Adalſadus nomine, triginta & ferme trium annorum curriculo contractorum genuum damna circumferens: inita igitur Miſſarum celebritate, ingreſſus Eccleſiam, vt ipſe refert, immenſis cœpit feruoribus æſtuare, quibus mitigandis locum quærens, foras item egreditur, mox calore cedente tanto frigoris horrore correptus eſt, vt pene ſe exanimandum crederet, niſi denuo Eccleſiam introiret. Quó demum ingreſſus, priſcis rurſum caloribus inflammatur, iámque in ambone reſponſorium cantabatur ad ſanctum ſepulchrum cominus admouetur, ſub oculis omnium compages olim mortuæ diſtenduntur, neruorum ſiccitas animatur, genua in priſcam habitudinem diriguntur, ad laudem Dei fidelium cœtus accenditur, duplicatúrque lætitia, ora vocibus genæ lachrymis adimplentur, ſermo ad populum conuertitur, de feſtiuitatis ſplendore beatus Germanus ſuo præſens adeſſe diei euidenti beneficio comprobatur: adhuc, de quo loquimur, ſupereſt, memorémque ſe accepti beneficij, quâ poteſt, ſeruitute fatetur. Et magnæ & multiplices tibi, Chriſte, ſuppetunt medicinæ, cúmque ſis vniuerſitatis conditor, res perperam ſtantes modis complacitis & inſtaurando ordinas & ordinando inſtauras.

Hic deſinunt veteres noſtræ membranæ cum hac clauſula:

Explicunt miracula B. Germani Antiſſiodorenſis Epiſcopi.

CAPVT XII. QVALITER PIGNORA SANCTORVM MARTYRVM AB VRBE DELATA LOCVS IDEM MERVERIT.

Summi & incompatabilis Patris noſtri præconiis eximendum vereor, quod eius gratia meritorum interueniente Sanctorum quoque pignoribus Martyrum ab vrbe Roma locus idem meruit cumulari, iam, vt credo prouida diuinitas præ-

tendebat, cùm inter cætera memorati operis inſtrumenta ſecretarium quoque conditorij eius, nec vni, nec ſoli tantummodo parabatur, venturos ſcilicet prope diem alios alicunde patronos, qui locum præſentia ſupplerent, meritis protegerent, virtutibus illuſtrarent: Quod quia ſilentio obducere immaniſſimum eſt, nuſquam opportunius video vel inſerendum, vel inſeri potuiſſe.

Anno itaque Incarnati Dei DCCCLXII. Fratrum quidam mandatis pariter & Epiſtolis Regiis inſtructi vrbem Romam expetunt, cùm orationis gratia, tum etiam quarundam Eccleſiaſticarum ſtudio cauſarum, quas Deo negotium procurante & allegarunt ſtrenuè, & efficaciter expleuerunt. Prudentiſſimus & maximâ venerationis reuerentiâ ſuſpiciendus Nicolaus Papa Romanæ tum Cathedræ præſidens vicem Apoſtolici culminis & dignitate & ſtudio præferebat; qui cum prænominatis legatariis ad cuncta, quæ vellent, per dies aliquot pleniſſimè ſui copiam feciſſet, magna ſui miniſtrorumque eius gratia diſceſſuris Sanctorum Martyrum Vrbani & Tiburtij reliquias tradidit, & virtute pretioſas, & quantitate præcipuas: ſic Dei fauore & obtentu Regis Caroli, quod aliàs vel laborioſiſſimum, vel impoſſibile fuerat, facili negotio confecerunt.

CAPVT XIII. DE PATRATIS MIRACVLIS COMPENDIOSA RELATIO.

Quid pignoris, quid Theſauri Romuleâ ferretur ab vrbe, virtutum conſequentium celebritate, cœptum eſt è veſtigio declarari: remotis ſuperfluis, quę referenda ſunt, ſient gratiora.

Vrbem egreſſi manſione in ſancti Alexandri Eccleſiam deuenerunt; vbi cùm pernoctarent candela prolixæ longitudinis vno ſuccenſa capite, poſt paululum à parte alia flagrans vtrinque præluxiſſe viſa eſt; ingenti deuotione complexi factum, duorum præcipuis ſanctorum memoriis geminis de cætero ſeruiendum luminaribus aduerterunt: exin illuſter vir Clotharius eiuſdem comes expeditionis febre correptus perualida candelam ſuo ſtatui reſpondentem detulit, & ante ſacras pernoctans reliquias in craſtinum ſe omnimoda langoris moleſtia leuatum ſenſit. Actum Vulterræ.

Maginurus eiuſdem Clotharij Preſbyter non multum poſt febre ſuccenſus violentiſſima, candela ſanctis adhibita, quàm excellenter tam facile curatus eſt. Familiare deinceps effectum omnibus irruentes ſibi per totum iter imbecillitates, ſanctorum conſtanter imploratis patrociniis declinare.

Emenſis Alpibus ad ſanctos Agaunenſes Martyres diuerterunt: Ibi ab Hucberto Abbate famoſiſſimo excepti quàm familiariter tanti fatigationem itineris plena viri beneuolentia, ingenti Religioſorum affectu, larga denique totius liberalitatis indulgentia releuarunt; dehinc oblatam ſibi negotij opportunitatem intentatam relinquere non ſibi integrum fore arbitrantes, Sanctorum Agaunenſium reliquias à prænominato Principe poſcendas decreuerunt: Is volente Deo quod poſtulabatur excepit libentiſſimè, quod & viris eſſet familiariſſimus, & vt pote ſecularia meditans tantùm in ſanctorum largiendis patrociniis non ſatis auarus. Quamobrem ſacrorum corporum accito cuſtode pretioſi Martyris Mauritij complectendam reliquiarum partem cum venerando capite ſancti Innocentij Legionarij quondam eius incunctanter largiri præcepit. Id quanquam omnes ferrent ægerrimè, obtinuit tamen iuſſio principis, obtinuit indifferenter fieri quod volebat: votorum compotes iter repetunt iuſtis ſemper fauentem diſpoſitionibus impensè glorificantes Deum.

Obſequiorum erga ſanctos ſplendor, ſignorùmque frequentia circumiectos paſſim populos ſpectaculo aggregabat, cedentibus aliis, alij ſuccedebant, dum & hos noua perceptorum beneficiorum gratia lætos in ſua recedere & illos percipiendorum ſpes alacriter impelleret properare.

Publicè famoſus & famoſè publicus locus eſt, Orbam vulgo cognominant, eò cùm veniſſent, puella infantula eius loci, Oſanna nomine, quam natiuitas & mutam produxerat & contractam: auditis pſallentium populorum vocibus miris perueniendi ad ſanctos angebatur deſideriis; id quia verbis non poterat geſtu corporis & ſtridore faucium declarabat, aridis tandem membris reptilem extorquens gradum eniſu, quo potuit, peruenit: mox tantæ fidei remunerata fructu ignotæ re-

ctitudinis vniuerſis mirantibus recepit vſum: hinc ſacris communicans Sacerdotis iuſſu reſpondit, Amen, ex eo pleni compos eloquij ad locum vſque, qui Arlia dicitur, ſanctos proſecuta eſt.

Dehinc in villam, cui Bottalia nomen, cùm veniſſent, quidam eius loci caducus à puero, adeò vt per dies ſingulos caducam non ſemel alliſionem pateretur, raptim ad ſanctos cucurrit, feretrum vexit, triduo proſecutus eſt, nec quidquam mali tolerauit.

Hinc ad Salinas ventum: pater paruulum filium contractione artuum imbecillem humeris vectitans ſub feretrum compoſuit, paulo poſt cœpit erigi & patrem anxiè ſuclamare: exciti omnes vocibus hinc inde concurrunt, incolumem inueniunt, pater ſub oculis omnium ſanum recipiens filium ſuum iam lætus reuexit ad propria. Actum in Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ vico publico.

Saltum Montiskartæ ingreſſos nouæ hilaritatis afflauit acceſſus, namque inter ventorum impetus & pluuias vehementes, duo cerei ſacrorum præuij pignorum, inextincto per diem totam lumine perdurarunt, ita ſanctorum gratia, quibus deferebantur, euidentius conturati indefeſſo officio & imbres & flamina contempſerunt.

In villam pagi Amanſenſis, quæ campus Velhi dicitur, cùm veniſſent; mulier ab ipſo materni vteri proceſſu muta, fide plena concurrit, precem fundit, effectum precis conſequitur; illico intima faucium negatæ dudum vocis cœpere canorem, promptaque verborum affluentia, diuturni damna ſilentij compenſarunt; ſic conceſſum beneficium exercitio ſermonis exaggerans Atarin vſque proſecuta eſt, miſertum ſui plaſmatis & affectu & vocibus collaudans Deum.

Hinc illis pagum Oſcatenſem peruenientibus, puella infans honeſto loco nata, quæ & ipſa connati patiebatur detrimenta ſilentij de ſinu matricis exiliens, curſu rapidiſſimo ad ſanctos venit, amplexoque feretro ſuos adeſſe Dominos etiam atque etiam inexplebili inclamabat planctu. Sic linguæ vinculo reſoluta, laudes aggerans laudibus, ad caſtrum vſque Diuionem comes indiuidua perdurauit: pater eius & mater iter agentibus poſtmodum competentia itineri munera deſtinarunt.

Alexienſem poſt pertranſeuntes pagum in villâ, quæ Panthum dicitur, noctem exigendam decreuerunt, Eccleſia eius loci beati Germani ſolemnis conſtat nomine. In hac pretioſa Sanctorum pignora collocarunt: puella fere duodennis aduenerat quam deformitate damnabili colli ceruiciſque contractio humerum complexa turbabat. Hæc peruigilem in Eccleſia noctem ducens & peroptatæ ſalutis abſolutæ pulchritudini reſtituta cœlum ipſum votis & laudibus onerabat, authores beneficij Autiſſiodorum proſecuta ſalutaribus obſequijs integrum exegit annum.

In villam Pompeianis dictam venientes, in Eccleſia ſancti Chriſtophori nocturnæ ſtationis excubias peregerunt. Puer bene natus Hermbertus nomine, inanani febrium torquebatur acceſſu, delatus à parentibus incommodum exuit & robuſtæ ſoſpitatis aſtantibus gaudium cumulauit.

CAPVT XIV. De celebri exceptione Sanctorvm.

Inde profectis ſolemnis Autiſſiodori parabatur exceptio, quo tandem pridie Kalendarum Nouembrium peruenerunt, multa gloria, ingenti pompa, inexpugnabili rerum conſtantia. Creuerunt ex eo miracula viſibiliter corporalia, inuiſibiliter ſpiritualia, quò magis ſubtilia, eò magis vtilia, indeſinenter aſſidua, indubitanter proficua, quantóque perenniùs duratura, tanto certiùs profutura.

Fucaldus ex Cœnobio ſancti Iuliani Clericus, quartano incommodo per anni fere ſpatium vexatus humiliter ad ſanctos ſe contulit, mox fidei donatus præmio ſoſpitate reddita languorem exceſſit.

Non poſt multos dies, colonus quidam familiæ ſancti Germani ex rure, cui Orgiacus vocabulum eſt, comperta virtutum fama, eò greſſum tendere animum induxit: erat ſane paralyſis violentiâ totus artubus reſolutus, ea nocte, cuius poſtridie profectionem parabat, ei vir habitu Pontificis ſpecioſa canitie ſpectatus apparuit, ſéque Vrbanum confeſſus, ecce, inquit, ſanus factus incommodum exceſ-

ſiſti, verumtamen recta perge, quò decreueras, ac pro ſalute recepta congrua memento vota perſoluere: iubentis edictum obedientia comes excepit, pergenſque, vt imperatum erat, quod ſecum actum fuerat, palam explicuit. Exinde multis locum expetentibus innumera præſtitere, poſtremò rite ſupplicantibus indubitatâ rerum euidentia ſe ſe exhibuere præſentiſſimos: quódque gratum habeant honeſta ſibi in loco deferri ſeruitia plurimis expertum modis, vna tantùm eadémque perbreui admodum relatione conſtabit. Beati Martyris Tyburtij anniuerſarius paſſionis dies aduenerat, & pia fratrum deuotio nocturnis vigiliis officioſiùs inſiſtebat: Inter hæc cuidam Fratrum in oratione ſecretiùs procumbenti, atque in diuinæ contemplationis ſuffragium aliquatenus rapto, ſe videndum exhibuit, eâ formæ habitudine, eâ pulchritudine iuuentæ, quâ expreſſus in ſuæ paſſionis textu deſcribitur: Viſus eſt autem ante loculum reliquiarum ſuarum libratis in arcâ greſſibus aſſiſtere, & expanſis ad Orientem manibus, quarum vna virgam ferebat auream, pro totius ſalute populi inſtantiùs ſupplicare. Is nobis poſtmodum cum lachrymis referebat. Id mire gratum omnibus & præſenti & futuræ deuotioni conduxit.

Præterea anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXV. merito ſuæ religionis venerabilis Herchenraus Cathalaunorum Epiſcopus ad Cœnobium ſancti Germani veniens largitione Fratrum reliquias pretioſi Papæ & Martyris Vrbani obtinuit, eiſque ſuſceptis Monaſterium in Pago Partenſi eius honore conſtruxit: quo loco tanta támque frequentia poſtmodum claruere miracula, vt ſi literis vniuerſa mandarentur, ſuo per ſe poſſent ſuppeditare volumini.

Sanctorum Romà delatorum commemorationi paucis vt puto morem geſſimus, nunc res exigit iis dilatis vel omiſſis in reliqua proficiſci.

CAPVT XV. QVALITER SANCTORVM CORPORA TRANSLATA, ET PONTIFICVM ALTISSIODORENSIVM, QVI IBIDEM SEPVLTI SVNT, SVCCINCTA COMMEMORATIO.

Poſtquam longè ſuperiùs comprehenſum opus viſum eſt, & Eccleſiaſtico decori congruum & Sanctorum componendis pignoribus condignum exercitata ſapientum ſententia optimum factu iudicatum eſt, vt ſupra memoratæ Martyrum reliquiæ, nec non & corpora Beatorum Pontificum Altiſſiodorenſium olim in ipſa Eccleſia tumulata transferrentur in cryptas, & circa corpus Beatiſſimi Germani præcipua officij diligentia conderentur, diuina mente, probo conſilio, vt quos eadem cœli Regia continet, eiuſdem quoque in terris habitaculi capacitàs ſociaret: factum ita eſt, & dextro quidem latere, id eſt à plaga Auſtrali oſſa Beati Vrbani Papæ cum capite Innocentij Martyris eodem loculo compoſita ſunt. Hinc corpus Venerabilis Alaudij ſucceſſoris quondam eius ac trium deinde Sanctorum Pontificum, Vrſi, Romaníque, & Theodoſij à parte pedum, ideſt plaga Orientali ſecus aram pretioſi Confeſſoris & Præſulis Aunarij membra ſacratiſſima requieſcunt: Siniſtrum, id eſt Septentrionale latus, glorioſi Martyris Tiburtij pignora occuparunt, ſubiunctis quinque Pontificum corporibus venerandis, hoc eſt Sancti Fraterni Epiſcopi & Martyris, Cenſurij, Gregorij, Deſiderij ac Lupi, & extra hos Sancti Moderati pueri quondam martyrio coronati: horum quia nomina præmiſimus, ſi qua ex eis ad noſtram manauere notitiam, modeſto compendio perſtringamus.

Ac primum Alaudius, cuius meriti vel dignitatis extiterit, hinc colligi valet, quod beato Germano adhuc ſuperſtite, in Monaſterio illius Archimandrites præfuit, ipſóque poſt ſublimato ad cæleſtia, in Pontificatus ſortem ei ſuccedere meruit: hic imitator & heres magiſtri, poſtquam Antiſſiodorenſem per annos XXX. menſem I. dies XIJ. rexit Eccleſiam optimorum locuples ſtipendiis meritorum in pace diſceſſit, atque in eadem beati Germani Baſilica decenter ſepultus eſt. Eo decedente manſit ciuitas abſque Epiſcopo annis X. vt in procemio quoque opuſculi prænotauimus, ob ſæuitiem ſcilicet vaſtantium Gallias barbarorum, quibus explicitis ſanctus Cenſurius Pontificatui ſuffectus eſt. Is eſt, cuius tempore Conſtantius orator obtentu Sancti Parientis Lugdunenſis Epiſcopi, vitam Beato Germani mirabili ſtylo edidit, omnique diligentia elaboratam ei poſtmodum habendam direxit: hic

poſt ad miniſtratum rite Sacerdotium annis xxx. & octo, menſ. 3. diebus 6. obiit 4. Idus Iunij ſanctitatis plenus boniſque omnibus copioſus: ſepultus eſt in Eccleſia beatiſſimi Germani.

Debet præire Cenſurium ſanctus Fraternus qui Pontificali Cathedræ ſubrogatus eſt. Is qua die à fidelibus Epiſcopus ordinatus, à barbaris eſt martyrio coronatus iij. Kal. Octob.

Beatus verò Aunarius, quàm excellentis priuilegij fuerit, relatio Geſtorum eius ſatis ſupérque declarat, qui inter cætera ſuæ ſanctitatis illuſtria, Baſilicam quoque beati Germani magnificis prædiis locupletauit: quod & hanc ſplendidiſſimus, & poſſeſſionum amplitudine fuerat copioſus: hic quoque tam viuens, quàm mortuus ſignorum gloria coruſcauit, functúſque Sacerdotio; annis xliij. menſibus x. diebus xxvij. Kal. Octobris Sancto ſpiritu plenus deſceſſit, & in Baſilica beati Germani prope corpus eius debita reuerentia appoſitus eſt ad pedes ſuos.

Quid beatum Deſiderium memorem cuius etiam ſecularis dignitas tanta extitit, vt ei nemo, quamuis potentiſſimus, ex æquo ſe conferre potuerit: fuit enim propinquus Brunechildi Reginæ, filiiſque eius Francorum Regibus, quorum & munificentiâ principali ingentem prædiorum amplitudinem conſequutus eſt. Huius Genitrix, Nectaria nomine, in Monaſterij S. Amantij quod ſitum eſt in pago Petragorico, ſepulta requieſcit, quod idem poſtea in matris memoriam teſtamenti eius pagina declarat, quam ſanè collatióne temporum licuit perſcrutari, beato Papæ Gregorio contemporalis fuit: extant eius ad illum Epiſtolæ celebritatem viri litteris quoque Apoſtolicis commendantes, & adeò fundorum diues extitit, vt nulla vel medianæ Burgundiæ, vel Aquitaniæ Prouinciæ principalis Eccleſia inueniatur, quam non rebus auxerit peropimis: Eccleſiam ſanè beati Stephani, cui ſedit, miro decore ampliauit, ingenti teſtudine à parte Orientis applicata, autóque ac muſiuo ſplendidiſſimè decorata, inſtar eius, quam Stagrius Epiſcopus Auguſtoduni feciſſe agnoſcitur: altare quoque antiquum eo tranſponens ſub die Kalend. Maiar. xiij. dedicauit: Eandem quoque Eccleſiam multis & magnis patrimoniis ſolemniter extulit, cùm in locis diuerſis, tum vel maximè in Pago Sanctonico: præterea beati Germani Baſilicam, in qua poſt mortem requieſcere diſponebat, multis auxit viri liberalitatem pariter atque præſtantiam hodiéque conteſtantibus; vaſa aurea atque argentea plurima contulit, quorum & operis ſpeciem & ponderis per ſingula quantitatem, in talibus quoque diligentiſſimè facto à ſe inſeruit teſtamento. Baſilicam Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij per manus Marini Diaconi ſui conſtrui iuſſit, ſuíſque dotauit rebus. Idem Marinus in eadem Eccleſia requieſcit, ſuorum heredem bonorum Chriſtum & Eccleſiam qualiter ſubſtituerit, antiquiſſimi & bis ſuperius memorati teſtamenti eius pandit authoritas, quódque in noſtris adhuc conſeruatum archiuis multam viri dignitatem largitatis plurimam, diſpoſitiones cautæ ſemper diligentia circunſpectas copioſiùs conteſtatur De quo, quia plura ſuppeditant, quàm ſuſcepti operis breuitas ſufficiat explicare, ijs omiſſis, cætera proſequamur. Vitæ peracto curſu v. Kalend. Nouemb. ſupremam ſortitus diem in Eccleſia B. Germani debita veneratione tranſlatus eſt.

Romanus Cathedræ ſubſtituitur, de quo fertur, quòd cùm vir eſſet ſanctiſſimus deciſione capitis martyrium conſummarit, pridie Nonarum Octobrium expleto functionis ſuæ tempore annis III. diebus xv.

De beato Vrſo fideli relatione vulgatur, quòd iuxta ſancti Amatoris Baſilicam recluſus Anachoreticam duxerit vitam, vbi oratorium hodiéque eſt eius nominis memoria ſacrum. Contigit eo tempore vrbem repentino afflatam incendio conflagraſſe; ad virum Dei cùm ſublatus in altum clamor populi perueniſſet, ſuccurrendum periculo ratus, familiarem illuc baculum deſtinauit: ipſe precibus obnixis, quàm inſtanter incubuit, eo inter minaces flammas, & quæ adhuc integra ſupererant, conſtituto, dicto citius, incendium deflagrauit. Hac occaſione ſancti Viti merito declarato, vrbis decedente Pontifice vi extractum prælatui ſuffecere: cella eius in Eccleſiam ceſſit, exegit Sacerdotium, annis vi. menſibus iiij. moribuſque & meritis pretioſus tertio Kal. Auguſt. fragilitatis exceſſit molem.

Theodoſius Epiſcopus poſt gubernatam ſedem annis viij. diebus xxv. XVI. Kal. Aug. diem excepit vltimum; próque ſuæ merito ſanctitatis nobilem in B. Germani ſortitus eſt ſepulturam.

Gregorius & ipſe Epiſcopus præfuit Eccleſiæ annis xij. menſibus vj. exactóque ſuæ vicis officio xiiij. Kalend. Ianua. humana deponens in Eccleſia beati Germani ſupremum depoſuit munus.

Lupus Epiſcopus, vt in antiquiſſimo marmore Epitaphij eius animaduerſum eſt, vtque ſuperiore libello meminimus, cum Crotechilde Reginâ venerabili illuc deuenit, quo tempore B. Germani ædificabat Baſilicam, & ſuo præuentus fine, ibidem ſepultus eſt: Requieſcunt in eadem Baſilica ſanctus Optatus Epiſcopus cum duobus Presbyteris, Sanctino & Memorio, cum quibus primò ſepultus fuit in Eccleſia ſancti Chriſtophori Martyris, quam ipſe extruxerat, poſtmodum annis labentibus tranſlata ſunt eorum corpora in Eccleſiam S. Germani, tam officioſè, tam ſolemniter, vt in omnibus Martyrologiis & maximè vetuſtis dies tranſlationis eorum inſertus habeatur vj. Nonas tertij menſis. Tranſitus autem vel diſpoſitio illorum pridie Kalend. Septemb. annotatur. Eodem ſane Sarcophago omnes pariter requieſcunt.

De puero Moderato hoc tantummodo compertum eſt, quod puer Martyrio coronatus in propria Baſilica diu requieuerit, poſt clareſcentibus circa ſepulchrum eius miraculis in Eccleſiam S. Germani tranſlatus eſt, cultu, officio, & impendiis luminum copioſiùs venerandus.

CAPVT XVI. De dignitate loci tot Sanctorum memoriis cumulati.

Talibus, támque magnificis locus illuſtris honoribus, mactus titulis, priuilegiis glorioſus cui non videatur maieſtatis ſuæ merito venerandus? Sancta ſanctorum quondam verebantur Hebræi, quòd ibi Arca Teſtamenti, intraque eam virga Aaron, & cœleſte Manna; ibi altare, quod dicebatur Thymiamatis, ibi Cherubin aurea cum propitiatorio, cæteráque ſymbola intellectualiter typica & typis intellectualia, ac per hoc futuræ olim veritatis coniecturam præferentia regebantur. Nonne tibi multò videtur impenſius venerandum ſummæ ſanctitatis habitaculum, tot ſanctorum ſplendidum memoriis, ſublime trophæis. Hæc ſemel per annum & vni & ſoli Pontifici pandebárur pro ſuis totiúſque populi exceſſibus rogaturo: Singulis patent, patent omnibus quotidie facilia, facile quotidiana, quanróque ſe peccator ingeſſerit, tantò religioſæ importunitatis pretium vberius reportabit. Ad ea ſi quis externorum accederet, temeritatem morte luebat, ad hæc externi etiam omnes accedimus, vt mortis meritum immortalitatis ſtipendio compenſemus, ibi brutorum cruor animantium infertebatur in ſancta per Pontificem; hic ſummè boni Pontificis vitale corpus, ſanguiſque ſanctiſſimi cœleſtis vſu myſterij, Chriſtianis omnibus conficitur in ſalutem. Tanta ineſt loco dignitas, tanta reuerentiæ principalis ſanctitudo, vt quemcumque huc ingredientem efficiat deuotè martyribus compatientem, confeſſoribus colloquentem, virginibus collætantem, Sanctis poſtremò omnibus conregnantem: tanta prætereà ibi ſunt orationum loca, tam crebra ſanctorum altaria, vt cùm omnia peragraueris, ſingulis illachrymaueris, meliorem diei partem in lucrum tibi ceſſiſſe læteris.

CAPVT XVII. Adversvs eos qvi Sanctorvm spiritvs negant svis corporibvs esse præsentes.

Nec patienter accipiendos æſtimo, qui ſanctorum animas vel in ſinu Abrahami, vel in loco refrigerii, vel ſuper aram Dei conſediſſe delirant, nec poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint adeſſe præſentes; abſurdum omnino eſt, vt ſacræ teſtatur interpres hiſtoriæ, ſanctis iniicere vincula, nec vſque ad diem iudicii pœnali cuſtodia teneantur, nec ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt; *Sequuntur agnum quocumque ierit*; ſi agnus vbique, ergo & ſi qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt: quiq; Deo cernente omnia, penetrante omnia, cognoſcente omnia perfruuntur, nihil in naturæ varietate conſtat, quod non ipſi quoq; cernant, penetrent, & abſque moroſæ difficultatis oppoſitione cognoſcant: itaque quamuis ſanctorum animas nuſquam & nunquam Deo abeſſe, ac per hoc, & ſemper iure ſe inuocantibus adeſſe crediderim: nec facile deiici de ſententia patiar. Cineres tamen ſuos amare & circumuolitare, eiſque præſentes ſemper aſſiſtere cunctanter animo feram, tum conſtanter voce effetã, ore proloquar, priuatimq; & publicè ſecutus præiudicii profitebor, cumque ad Germani

memoriam indignus acceſſero, hunc fidei oculis ſuſpiciam, huius Angelicam faciem ex conſortio ſermonis Dei frequentiùs illuſtratam, ipſiſque Regibus tremendam, aliquoties contemplabor eius animi grauitatem comitate conditam, propoſiti conſtantiam, ſenectutis reuerentiam, animi robur, procumbénſque ſepulchro, ac ſanctum deoſculatus lapidem, in eo imminentem vertici venerabor ſubmiſſiùs. Interdum verò ſi copia conferatur etiam veſtigia ſtringere, et ſi id non dignetur, locum certè, vbi ſteterunt pedes eius, non ceſſabo fideliter adorare: námque etiam abſenti multa præſtitiſſe non ingratus memini, numquam eò animum impulerim vt diffidam hunc quoque rite veneratum in præſenti ſæculo multò magis affuturum.

Ex propoſiti occaſione negotij confectum quiddam eſt, quo & temerariis ſcrupulum iniectum, & ſinceris ſanctorum cultoribus conducibile reor aliquid procuratum, quibus gratando omnino percenſeo, quòd ruant licet venti, procellæ ſæuiant, flumina intumeſcant, domus certè Dei, cuius & cultores & miniſtri ſunt, inturbatam, immobilem, inuiolatámque ſui roboris æternam obtineat firmitatem, quæ non fluidis incumbens arenis, verùm columnis cæleſtibus ſubnixa, petræque vnita perenni, Architectante Deo in ſolidum robur euaſerit.

CAPVT XVIII. Commonitorivm sanctis Fratribvs.

Agite itaque ſpiritalis Tyrocinij profeſſores, excellentis opificij complices, ſummæ Philoſophi ſanctitatis quos ſacro Ordini conſueſcere, in Religione conſeneſcere, virtutibus immori præſaga rerum gratia prælegit, voluntas exercuit, pudica parentum deuotio mancipauit; date operam, præſtate diligentiam, librate cautelam, nec pectoris veſtri domicilium ſpiritus malignus inficiat, ne ſenſibus admixtus intimis infeſtet animæ ſanctitatem, ſplendidiſſimúmque illum diuini Theorematis Oculum illecebra perſuaſionis obnubilet; liceat in vos ſemel conceptam materiam non per omnia contemni authoris & ſententia & lineis explicare. Serpit antiqui malum hoſtilis per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat coloribus, adhæret ſonis, odoribus ſe ſubiicit, infundit ſaporibus, ac tenebroſis affectionibus tanquam quibuſdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos pandere lumen rationis mentis radius ſolet: In hoc Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc rectè facti meritum elucet; Deus vbique præſens eſt, tunc autem vnicuique noſtrum ſimul eſt, cùm mentis noſtræ illibata puritas in eius præſentia patuerit. Vt enim viſus oculorum ſi fuerit vitiatus, quidquid videre non potuerit, non adeſſe putat: fruſtra enim circunſtat præ oculis præſens imago rerum, ſi oculis deſit integritas: Ita etiam Deus, qui nuſquam deeſt, fruſtra pollutis animis præſens eſt, quem videre mentis cæcitas non poteſt. Non meum eſt quod dixi, non mihi aſſero, non aſcribo, nec enim fortiſſimo cuique clauam de manu facile extorqueri poſſe præſumo, quod quidam de mente mundanda ad videndum Deum paganus Fonteius Carthaginenſibus ſcripſit. Verum eo ipſo Chriſtiano, & baptizato, & mortuo, quod ſemel probe dixerat, ineptum fuit obſoleſcere. Quorum iſta tam alto principio petita? Videlicet vt recolatur ſcriptum. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Et *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Quorum alterum cautelæ proficit, alterum diuinæ contemplationi conducit. Facite viciſſim memineritis propter vos Chriſtum mortuum, vt qui viuitis, non iam vobis viuatis, ſed ei qui pro vobis mortuus eſt, néue aduerſus Deum ex eius munere infleminí; accipite item ſcriptum. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, non quia eramus ſancti & immaculati, aut quia futuri eramus*: alioqui non tam prærogatio gratiæ, quàm viciſſitudo, vel relatio meriti putaretur, *ſed elegit nos, vt eſſemus ſancti & immaculati*, id eſt eligendo præſtitit, vt eſſemus ſancti & immaculati, qui niſi vellet ne vlli quidem eſſe poſſemus: ei caput ſubmittite, nec de veſtra, ſed de eius bonitate præſumite; ſub potentiſſima manu eius humiliamini, totum capietis in eius pietate perfugium, qui ſemper paratus eſt *parcere ſubiectis & debellare ſuperbos*. Athletæ Dei eſtis, in ſtadio ſpiritali decurritis, legitimè currendum eſt, vt ad brauium pertingatur. Spectaculum huic mundo facti eſtis, in vos omnium oculi diriguntur, conuerſatio veſtra tanquam in ſpeculo conſtituta eſt, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ; quidquid egeritis, id ſibi omnes faciendum

putant: cauete committere, quod vel reprehenſoribus pateat, vel imitatores in ruinam compellat, propoſiti huius principes æmulâ vobis pietate proponite, quorum veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes ad cæleſtis regni paſcua properabitis. Mortem vobis omnibus imminentem indefeſſè meditamini, ſcientes nihil eſſe diuturnum, in quo poteſt eſſe aliquid extremum, moriendúmque omnibus, & id incertum, an eo ipſo die, cúmque ad id ventum fuerit, tum illud quidquid præterit, effluxit, tantum remanet quod virtute & rectè factis conſecutus ſis. Voluntatibus renitimini, voluptatibus repugnate, ne & vos eorum ſubiaceatis excidio, de quibus Propheta conqueſtus, quòd tranſierint in affectum cordis imaginem illorum ad nihilum redigendam imprecatur: ſi quid Deo vouiſtis, incunctanter abſoluite memores ruinam eſſe homini poſt vota retractare, præſtarque non vouere, quàm vota non reddere. Nec procul, nec extra ſunt votorum noſtrorum impendia, ſed vt Pſalmiſta fatetur, *in me ſunt Deus vota tua quæ reddam laudationes tibi?* in his indefeſſè perſiſtite, has interdiu, has noctibus concinite: in his quidquid ſobriè potestis addiſcite, quoniam cum laude noſtra non egeat, grata tamen ei eſt ſuæ deuotio creaturæ: veſtra laude nec parum proficit, pio tamen ſtudio facitis, vt ea vos plurimùm proficiatis, aliis belligerantibus, agricolantibus aliis, tertius ordo eſtis, quas in ſortis partem priuatæ allegit, quantò rebus extrinſecis vacuos, tantò ſuæ ſeruitutis functionibus occupandos. Vtque alii pro vobis duras conditiones ſubeant, vel militiæ, vel laboris: itidem vos illis obnoxij perſiſtitis, vt eos orationum & officij conſtantia proſequamini, atque vt aliud eſſe coarguam, quod naturæ conſortibus, aliud quod ipſi debetur Deo, illud ante omnia ſemper in oculis voluite, quod ipſe vos fecerit, quod perditos informauerit, quod tam crebris, tam copioſis, tam denique proficuis prouexerit beneficiis, vt hinc laudandi illum concepta materia, dum ei competentes gratias de perceptis & habitis refertis muneribus, fiatis ad accipienda deinceps & plura & plurima digniores. Iam verò vt in ſummi præconio capitis membra quoque inclyta non nihil conſtet habere commune, accipite & illud Dauidicum celeuma in hæc proloquentis verba; *Laudate Dominum in Sanctis eius*, tanquam eandem ſententiam modo diuerſo explicans dicat. nun ſatis conſultè agitis ſi ab inuicti imperatoris gloria fidiſſimorum eius militum triumphos & merita eximenda iudicatis: ſummâ igitur ope, ſummis viribus glorificate Deum, gratis vobis omnia bona tribuentem veneramini Beatum Germanum, ea vobis potentiſſimæ interceſſionis ſuffragio promerentem, cæteróſque ei & templo conſortes & merito pia deuotione proſequimini, anxiis affectibus implorate; vt quem locum eligere, ſuáque præſentia & ſanctitate florentiſſimum eſſe voluerunt, hunc vniuerſis hoſtium copiis terra marique ſuperatis, ac truculenta dæmonum excluſa tyrannide, cladibus eximant, minis abducant, meritis fulciant, precibus protegant, atque ab omni ferâ præſentium futurorúmque diſcriminum immanitate defendant.

EXPLICIT.

DE GESTIS ABBATVM S. GERMANI AVTISSIODORENSIS.

Auctore Fratre Guidone Abbate eiuſdem loci, anno Domini MCCXC. incepta ab anno Domini nongenteſimo octogeſimo nono. cum Appendice de eodem Guidone Abbate.

Incipit prœmium ſequentis Operis.

ANtiquitatis memoriam omnibus vtilem nouerat ille, qui hanc à parentibus & maioribus ſollicitè requirendam monebat in Cantico ſuo dicens; *Memento dierum antiquorum; cogita generationes ſingulas. Interroga Patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi.* Bonis namque moris eſſe ſolet in ſcripturis exempla Patrum præcedentium quærere, quibus agnitis ad meliora proficiant, & de ſuis actibus humiliati in bonis moribus informentur. Verùm non ſolùm bonorum mores debemus inquirere, vt eos, quantum noſtra ſinit fragilitas, imitemur; ſed etiam malorum facta & deiectiones nobis debemus præponere, vt ea cautè & ſollicitè caueamus. Hoc ſiquidem ipſius Domini docemur exemplo, qui & ſuæ nobis humilitatis formam, quam ſequamur, inſinuat, dicens; *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, & Angelicæ ſuperbiæ deiectionem quam caueamus, ad memoriam reuocat dicens: *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Sed quoniam, *generatio præterit & generatio aduenit*, incuriæ velut obliuionis nouercante velamine, iam non eſt à priorum memoria, niſi litteris ad memoriam commendentur. Idcirco ego frater GVIDO, fratrum Minimus, dictus Abbas Sancti Germani Autiſſiodorenſis pauca de Geſtis prædeceſſorum noſtrorum Abbatibus eiuſdem Monaſterij, quæ tum reuelatione librorum, tum repetitione inſtrumentorum, tum etiam recitatione majorum inuenire potui, rogatus à fratribus ad ſuccedentium memoriã in præſenti libellulo recollegi, in quo facto de præſumptione vereor argui, quòd rem à majoribus & ſapientioribus intactam ignauus & balbutiens rudi ſtilo auſus ſim attemptare; ſed nouit Deus quod maluiſſem alios quàm me fuiſſe geſtorum huiuſmodi relatores; tamen quia non contigit, licet tot fluxerint annorum curricula, quòd nunquam ad plenum poterit omnimoda veritas inueniri, charitatis vrgente ſtimulo, fratrúmque quorundam importunâ petitione me malo quàm neminem extitiſſe: malo etiam pauca, quæ colligere potui ſcribere, quàm omnia negligenter ſub ſilentio preterire. Scio namque quòd, qui parcè ſeminat, parcè metet; & qui parcè metet, non ex toto vacans ad arcam remeabit. In Tabernaculo Dei offert vnuſquiſq; quod poteſt: alij aurum, argentum, lapides pretioſos; alij byſſum; purpurã, vel hyacinthũ: mecum autem bene agitur, ſi caprarũ pelles offerre potuero, ſiue pilos. Vidua enim, quæ duo minuta obtulit, plus cæteris à Domino commendatur: maioribus maiora relinquens paruus aggredior opus paruum faciens, quòd ſi omnes arbores æquales nequeunt fructus producere, nulla tamen in nemore Dominico debet ſterilis remanere. A te igitur veniam, Lector expoſtulo, quod & opus imperfectum, vtpote ſine principio, vel medio, à fine incipiens, quaſi à caudâ frænum ponens, tibi offero. Plurimorum etiam genus, patriam, electionis & regiminis tempus, ſepulturæ locum, & diem obitus prætermitto, & aures tuas verborum onero ruditate. Licet enim hanc Eccleſiam à beato Germano in honore beatorum Martyrum Mauricij, ſociorúmque eius fundatam nouerim, & plures Abbates ante Heldricum ibidem præfuiſſe legerim, tamen plura ſcripta Hiſtoriarum, Chronicorum, Geſtorum Pontificum Romanorum & Autiſſiodorenſium, nec non & Regum Francorum, ac alia ſollicitè reuoluendo, nunquam quando primum fuerint ibidem inſtituti Monachi, vel electi Abbates, vel aliquam continuationem ante dicti Heldrici tempus, ante quem longo tempore loco Abbatum rexerant Præpoſiti potui reperire. Et ſanius æſtimo fratribus petentibus panem hordeaceum in limato cultello frangere, quàm

Ipſis eſurientibus intactum liuidè retinere. Primò autem ponam per ordinem ſingulorum Abbatum nomina; deinde ſingulorum geſta, prout potero recitabo. *Verùm Catalogum illum vt ſuperfluum reſecuimus.*

CAPVT I. De Heldrico.

Cùm olim beatus Mayolus Cluniacenſis Cœnobij Abbas egtegiùs, religionis propagator eximius, Monaſtici ordinis normam in pleriſque, tam Galliæ, quàm Italiæ Monaſteriis à longè retroactis temporibus quaſi deficientem indefeſſus operarius corrigere & reformare ſatageret, contigit eum partes Burgundiæ viſitare! hic enim vir beatiſſimus ob ſuæ ſanctitatis cumulum, non ſolùm Cluniacenſis, ſed etiam multorum, tam in Gallia, Italia, quàm etiam Burgúndiâ Cœnobiorum effectus eſt Abbas. Ipſius enim induſtria & feruore Monachorum tepor verſus eſt in ardorem. Valde quippè per eum refloruit exſiccata Monachorum deuotio, & beati Benedicti laudabilis inſtitutio. Gubernabat eo tempore Burgundiam Dux Illuſtriſſimus Henricus, frater Hugonis, poſtea Francorum Regis, pater orphanorum, iudéxque viduarum, cœcorum oculus, pes claudorum. Porro idem Henricus quanta fuerit eleemoſynarum largitione profuſus, Religionis amator, & propagator eximius, innumera charitatis opera, quæ circa religioſos in partibus ſuis exhibuit, atteſtantur. Hic igitur ſanctum adiuit Mayolum, orans vt Monaſterium Sancti Germani Autiſſiodorenſis olim famoſiſſimum & religione feruentiſſimum, ſed iam à retroactis temporibus à religionis feruore exorbitans quamplurimùm, regendum ſuſciperet, & in illo ſtatum Ordinis reformaret. Idem enim Monaſterium longo iam tempore abſque Abbate per Præpoſitos regebatur, qui gratanter illud ſuſcipiens regulari diſtrictione, quæque repetit deuia, correxit ad vnguem: poſtmodum verò anno Domini nongenteſimo octogeſimo nono præfecit ibidem virum venerabilem & religioſiſſimum Heldricum Abbatem, qui & ipſe prædictum locum ad regularis beati Benedicti tramitis reduxit callem. Regebat tunc temporis Autiſſiodorenſem Eccleſiam vir venerabilis Heribertus Epiſcopus prædicti Ducis frater, qui prædictum Heldricum nimio diligebat amore. Idem igitur Epiſcopus ob amorem prædicti Abbatis & interuentum precum ſępè dicti Ducis dedit Monaſterio Sancti Germani Eccleſias, quę ſequuntur: Eccleſiam de Perigniaco Sancti Cirici, de Veuuillo Sancti Mauricij, de Irineiaco beati Germani; de Scancio beati Georgij, de Pradillo beati Petri, de Digia beati Martini, de Barna beatæ Mariæ, de Ayriaco beati Germani: Eccleſiam beati Lupi in Suburbio, de Silligniaco beati Martialis, de Monaſteriolo Sancti Petri, hæ omnes ſitę ſunt in Pago Autiſſiod. Cumque inter Seuinum Senonenſem Archiepiſcopum, & dictum Abbatem orta eſſet magna altercatio pro duobus molendinis qui prius conſtructi fuerant ſuper terram Sanctæ Mariæ & Sancti Stephani in ripa Ermanciodis fluuij, & poſtea in terra tam Sancti Stephani, quàm Sancti Germani reædificati, & ad hanc miſeram conditionem deuentum fuiſſet, vt partes confligentes pactis ſacramentis duellum facerent, tandem mediantibus bonis viris propter pacis & concordiæ bonum dicta molendina remanſerunt communia inter vtramque Eccleſiam, & poſtea prædictus Abbas petiit ab eodem Reuerendo Patre Seuino Senonenſi Archiepiſcopo Eccleſias, quæ ſequuntur: In Pago Senonico, Eccleſiam Sulpitij de Monte, de Vlmeto Sancti Petri, de Alta Ripa Sanctæ Mariæ, de Aygriaco Sancti Martini. cuius petitionibus prædictus Archiepiſcopus libenter annuit cùpiens ſocius fieri bonorum, quæ in ipſo Monaſterio fiunt, & fient etiam in futurum. Dederant ſiquidem fratres dicti Cœnobij eidem reliquias beati Stephani; quarum adeptione gaudens fauorabilior erat eis, cùmque dictus Heldricus propter ſuam ſanctitatem & religionis feruorem multis nobilibus eſſet charus, venerabilis & Deo digna Duciſſa Gerſendis, ſæpè dicti Ducis vxor, à viro ſuo petiit, & obtinuit Monaſterium Sancti Leodegarij, quod Campellis dicitur, eidem committi, ſperans illud per eum ad regularis vitæ normam poſſe reduci. Idem enim Monaſterium olim à bonæ memoriæ Theograda Regina reſtauratum fuerat, & Monaſtico ordini mancipatum; ſed iam peccatis exigentibus à pluſquam ducentorum annorum ſpatio ab huius ſancti propoſiti lumine funditus extinctum, & iam vſque ad nullorum huius ordinis conuerſationem penitus deſolatum. Tenuit igi-

tur iam dictus Heldricus in vtroque Monaſterio Prælationis officium, cúmque illud ferè biennio tenuiſſet, attendens quòd idem locus tam præcedentum principum, quàm quondam inhabitantium incuriâ, rerum ſuarum ita fuerat quantitate nudatus, vt nequidquam ad Monaſticam religionem ſeruandam per ſe ſufficere poſſet; acceſſit ad principem prælibatum, petens illud Monaſterium per eius licentiam, & donum beati Germani Monaſterio copulari: quatinus & opera charitatis adimpleri poſſent ibidem liberiùs, & ordo Monaſticus reformari. Frater enim qui iuuatur à fratre quaſi firma ciuitas reputatur. Quod Dux ſæpè dictus, ſæpéque dicendus, libentiſſimè admiſit, & conſilio multorum Regni Principum illud beati Germani Monaſterio ſubiugauit, concedens & per Cartam confirmans, vt deinceps prædictum Sancti Leodegarij Cœnobium prædicti Heldrici ſucceſſorúmque eius Abbatum Sancti Germani imperio ordinaretur, poſſideretur, & etiam regeretur. Cumque Mareſcalli dicti Ducis in villis Sancti Germani acciperent conſuetudines Saluamenti & Mareſcalliæ, dictus Abbas impetrauit à Domino Duce Monaſterio Sancti Germani, laudante hoc Landrico Comite, dictas conſuetudines condonari: nomina autem villarum hæc ſunt; Ayriacus Mons Sancti Sulpitij, Viuiacus, Vlmetus, Altà ripa, Vigrontus, Villaus, Vinoſus, Bladigniacus, Modalaius, Vrraciacus, Albus Cippus, Digia, Riconorus, Bernaius, de Perigniaco dedit tantummodo Saluamentum. Cumque prædictus Heldricus circa ordinis ſtatum & Monaſterij augmentum indefeſſus intenderet, contigit eum & ſuperuenienti incommodo aliquantulum interturbari. Poſt mortem namque fœlicis recordationis iam dicti Henrici Ducis nata eſt contentio de Ducatu Burgundiæ, Burgundionum Primoribus Roberto Regi rebellantibus. Quâ de re idem Robertus congregauit exercitum copioſum, tam de gente Francorum, quàm Normannorum, habens ſecum Richardum Ducem Normanniæ, cúmque ad Ciuitatem Autiſſiod. primitus veniſſet, volens eam capere, quod confertur vrbi illi nunquam accidiſſe, ciues einſdem ei fortiter reſtiterunt, Landrico Comite eam tenente: deinde cum beati Germani Caſtrum violenter conarentur intrare, cupientes inibi, ad expugnandam vrbem ſibi præſidium collocare, dictus Abbas Heldricus prius quidem Regem per diuerſa vrbium ſuarum velut Caſtrorum loca ob hanc cauſam ſupplicando proſecutus eſt, tum verò in tanto conſtitutus diſcrimine adiuncto ſibi Domno Odilone Cluniacenſi Abbate ſimiliter ſupplicans, ne tanta aduerſus locum reuerendum ageretur importunitas, nihil potuit impetrare: tandem mœrens & nimium triſtis cum præfato Odilone, aliiſque fratribus plurimis ab eo loco egreſſus eſt, quem Sancti Germani quieſcentis in eo committens precibus, ad aliud Monaſterium ſuę ditioni ſubditum quod Reomum vocatur, ſe tranſtulit, prædictis fratribus ſecum comitantibus; cúmque ad beati Germani Caſtrum expugnandum tota Regis acies, Réxque loricatus intenderet, vt ambiguum nihil fieret, diuinam affuiſſe præſentiam cœpto expugnationis prælio nebula quædam à foris pugnantium obtutibus viſa eſt obſtitiſſe, cùm deintus ſe defendentibus videretur lux ſplendidiſſima coruſcare: diuino igitur ſuperatus auxilio, & nutu Dei territus, cum multa cæde ſuorum inde rediens ſuperiores partes Burgundiæ prædis & incendiis deuaſtauit. Monaſterium etiam Varſiacenſe à bonæ memoriæ Ingonde Regina olim loco Sancti Germani datum, ſed ab eodem prædeceſſorum neglectu & deſidia ſeparatum, dictus Abbas cum adiutorio dicti Ducis per manum Hugonis Autiſſiodorenſis Epiſcopi ad ius & proprietatem dicti Monaſterij reuocauit. Quædam etiam priuilegia à Rege Roberto ob immunitatem & tuitionem ipſius Monaſterij impetrauit, plura etiam bona eidem loco contulit: fuit enim temporibus Regum Ludouici, Caroli, Hugonis & Roberti ſub Ioanne, Gregorio, Iohane, Silueſtro, Iohanne, Iohanne, & Sergio Romanis Pontificibus. Sedit per annos circiter XXI. & XIX. Calendàs Februarij appoſitus ad patres ſuos.

CAPVT II. De Achardo Abbate.

Poſt Heldricum electus eſt in Abbatem Achardus, cuius electio celebrata fuit anno Domini milleſimo decimo. Huius tempore Dodo dedit Monaſterio Sancti Germani Eccleſiam Sancti Petri, quæ dicitur Monaſterium Berardi, cum omni iuſtitia & libertate, cum quatuor arpentis prati in Broilo & tribus arpentis prati vl-

tra fluuium Hermanciæ, & vno arpento & dimidio prati alibi, & tribus iugeribus terræ. Item dedit eidem loco in ſylua, quæ dicitur Sancti Petri, paſtionem ad centum porcos, & totius ſyluæ decimam paſtinagij. Item Capellam de Maſnilo, & decimam ad eam pertinentem, & terram ad vnam carrucam per totum annum, laudante hoc Leotherico Archiepiſcopo Senonenſi. Saluamentum etiam de Digia, de Riconoto, de Bernaio, & de Orgiaco quod miniſtri Gaufredi Domiciacenſis accipiebant, diminui & taxari impetrauit, & pro maceriis impetrauit ſimile priuilegium à Landrico Comite Niuernenſi. Idem etiam Comes obtentu prædicti Abbatis dedit Sancto Germano Monaſterium Sancti Saluatoris, ſed quia ſuper hoc nulla littera facta fuit, Raynaldus Comes eius filius, poſt mortem eius illud Sancto Germano abſtulit. Obiit autem quinto Kalendas Auguſti.

CAPVT III. De Thealdo Abbate.

Poſt Achardum non inuenio alium præfuiſſe vſque ad Thealdum, quamuis dicatur in Geſtis Pontificum, quòd Thealdus Meletedenſe Monaſterium reformauit. Fuit tertius poſt Heldricum. Sic Thealdus tempore Heldrici Meletedenſe Monaſterium reformauit ac ſublimauit, támque ædificiis, quàm poſſeſſionibus ac ſupellectili auri & argenti plurimùm decorauit, & per manum Hugonis Epiſcopi Autiſſiodorenſis obtinuit conſecrari, ex eodem igitur Monaſterio electus eſt à fratribus Sancti Germani, conſentiente Epiſcopo, Cleróque & populo collaudante. Ordinatus ſtatum Monaſterij tam ſpiritualiter, quam temporaliter ſtuduit augmentare, Eccleſiam Abundiaci quæ per negligentiam Prælatorum iam aliquanto tempore ab eodem Monaſterio ſubtracta fuerat, & a laïcis detenta per manus Hugonis Autiſſiod. Epiſcopi ad ius ipſius Monaſterij reuocauit. Fuit temporibus Benedicti & Ioannis Romanorum Pontificum, Roberti & Henrici Regum. Obiit autem III. nonas Martij.

CAPVT IV. De Odone Abbate.

Poſt Thealdum vnanimi conſenſu fratrum conſenſúque Henrici incliti Francorum Regis, eiúſque fratris Roberti Burgundionum Ducis, nobiliſſimæque eorum matris Conſtantiæ Reginæ, Raynaldique Comitis, & vxoris eius electus eſt Dominus Odo in Abbatem, anno Domini milleſimo triceſimo-ſecundo, vir caſtus, ſobrius, miſericors, modeſtus, humilis, & benignus, eius loci à pueritia Monachus, & in diuina lege eruditus, bóniſque omnibus copioſus, corroborantibus & confirmantibus hoc Hugone Autiſſiodorenſi, Leotherico Senonenſi, aliiſque vicinis Epiſcopis. Electus autem & ordinatus Abbas quàm laudabiliter domui Dei præfuerit, quàm floridè vixerit, quanto ſtudio domum ſibi creditam ſublimare voluerit, innumera bona, quæ eidem acquiſiuit, teſtantur. Eius enim tempore Helrrudis ſyluam, quæ dicitur Flaci, iuxta Soerias, beato Germano, & eidem Abbati contulit. Poſt mortem etiam Landrici Comitis, qui beato Germano Monaſterium de Diſeſia contulerat, prædictum donum à Rainaldo Comite eius filio obtinuit confirmari, omnéſque exactiones à ſuis prædeceſſoribus habitas condonari. Eccleſiam etiam de Briciniaco impetrauit à Maynardo Epiſcopo Trecaſſino, Eccleſias quoque de Cariſiaco, & de Lignerolis impetrauit ab Arduino Epiſcopo Lingonenſi contra Galdricum Boſonis filium, qui in poteſtate Villaris vinoſi multas iniurias Sancto Germano inferebant, tam in extorſione ſaluamentorum, quàm in exactionibus aliis. Cauſam habuit in Curiâ Theobaldi Comitis Campaniæ, & fuit dicta poteſtas per eius iudicium ab omnibus illis exactionibus abſoluta. Idem etiam Comes Theobaldus ad inſtantiam prædicti Abbatis dedit Deo & Sancto Germano Monaſterium Sancti Florentini in Caſtro cum Monaſterio Sancti Veteli cum omni iure & integritate, & ea libertatis priuilegio communiuit. Eccleſiam inſuper Luciaci impetrauit ab Helmoino Epiſcopo Eduenſi donationem quam fecerat Henricus Dux Sancto Germano de conſuetudinibus villarum S. Germani per Robertum Ducem filium Roberti Regis obtinuit confirmari. Hujus etiam tempore Robertus Landrici Comitis filius dedit Sancto Germano Eccleſiam S. Ceciliæ in oppido Caſtilhonenſi, & plateam, in qua malefactores puniebantur, vt ibi dictus Abbas Oratoria in honore S. Mariæ ſanctique Ioannis Baptiſtæ conſtrueret, cum omnibus officinis Monachis aptis, quod

opus idem Abbas per manum Aufredi Monachi mirificè conſummauit. Dedit
etiam idem Robertus eidem loco ſeruos & ancillas, ſyluas & prata & alias immuni-
tates, Raynaldus quoque Comes prædicti Roberti frater Monaſterium Sancti Sal-
uatoris, quod poſt mortem Patris Sancto Germano abſtulerat, eidem Odoni red-
didit, & per Cartam confirmauit. Fuit tempore Henrici Regis, Ioannis, Benedi-
cti, Siluestri, Gregorij, Clementis, Damaſi, & Leonis Romanorum Pontificum.
Rexit Monaſterium per annos xx. & amplius, obiit autem v. Idus Aug. & ſepul-
tus eſt iuxta Eccleſiam Sancti Germani à parte Orientali propè altare beati Marti-
ni, anno Domini milleſimo ſeptuageſimo-ſeptimo. Inuenta ſunt eius oſſa dum fun-
daretur nouum opus per Ioannem Abbatem, & tranſlata ſunt in Eccleſiam, in parua
crypta inter altare beati Martini, & altare beati Bartholomei, poſt obitum verò
eius fuit diu Eccleſia ſine Abbate, & regebatur per Boſonem Priorem.

CAPVTT V. De Bosone Priore.

Poſt Odonem rexit Monaſterium Boſo Prior xii. annis Abbatis fungens
officio, ſed non fuit Abbas, vir aſtutus & ingenij perſpicacis: hic Monaſterium Sa-
xiacenſe à dominio Sancti Germani iam à longo tempore ſubtractum & à Gaufri-
do filio Odonis fratris Heruei Donziacenſis domini malè detentum, cum adiuto-
rio Gaufridi Autiſſiod. Epiſcopi ad ius & proprietatem dicti Monaſterij reuocauit.
Syluam quandam iuxta Cuciacum ab Alberto Pileto, partim per donum, partim
per traditionem pecuniæ acquiſiuit, Eccleſiam de Vandeneſſe ab Hugone Niuer-
nenſi Epiſcopo dari Monaſterio Sancti Germani in perpetuum impetrans. Fuit
tempore Henrici & Philippi regum, Leonis, Victoris, Stephani, Benedicti, Nico-
lai, & Alexandri Romanorum Pontificum.

CAPVT VI. De Galtero Abbate.

Anno Domini milleſimo ſexageſimo quarto, electus eſt Dominus Galterus Sancti
Benedicti Floriacenſis Monachus in Abbatem à fratribus Sancti Germani Autiſſ.
& à Patriciaca Cella adductus. Eodem anno antequam dictus Abbas benediceretur
incenſum eſt igne ex ſe ſuccenſo totum Caſtrum Sancti Germani cum Monaſterio
& Monaſterialibus officinis, ita quòd nihil omnino remanſit à porta ciuitatis quæ
Pendens dicitur, vſque ad molendina Cantantis-Ranæ. Benedictus autem fuit di-
ctus Galterus à Gaufrido Autiſſiod. Epiſcopo eodem anno nonis Iulij. Huius tem-
pore frater Benedictus huius Monaſterij Monachus reuelatione diuina ammonitus
digitum Sancti Germani ſecum portauit in Angliam, & fundauit Selebienſe Mo-
naſterium, ſicut in hiſtoria de fundatione ipſius Monaſterij pleniùs continetur. Re-
xit Monaſterium circa decem annos, fuit tempore Philippi Regis, Alexandri &
Gregorij Romanorum Pontificum. Obiit autem xii. Kalendas Nouembris.

CAPVT VII. De Rothlanno Abbate.

Poſt Galterum rexit Rothlannus. Huius tempore incenſa eſt ciuitas ab Eccleſia
Sancti Petri iuxta pontem vſque ad molendina Cantantis-Ranæ, feriatis diebus Paſ-
chæ, & multa ornamenta Eccleſiæ Sancti Germani perdita fuerunt. Hic impe-
trauit ab Odone Burgundionum Duce confirmationem Prioratus Sancti Leode-
garij, quaſdam etiam prauas conſuetudines, & exactiones, quas miniſtri dicti Ducis
interea Sancti Leodegarij accipiebant, cum omnimoda iuſtitia obtinuit eidem Mo-
naſterio condonari. Fuit tempore prædicti Philippi Regis, & Gregorij Romani
Pontificis. Rexit xi. annis, obiit 4. nonas Nouembris.

CAPVT VIII. De Gviberto Abbate.

Guibertus beati Germani à pueritia Monachus electus fuit poſt Rothlannum:
hæc electio anno Domini mill. octogeſimo quinto extitit celebrata. Huius tem-
pore, ſicut à ſenioribus noſtris audiuimus, in tantum in Monaſterio Sancti Ger-
mani feruor religionis & ordinis refrixit, vt poſtea per ſe vix aut nunquam

poſſet adiicere vt reſurgeret. Cùm enim idem Guibertus eſſet nobili genere, ſolâ carnis nobilitate contentus, non ignobilia huius mundi & contemptibilia eligens, ſed terrenam nobilitatem & voluptatem ſequens, religioniſque Ordinem paruipendens, huius mundi nubilibus nimiùm adhærebat, anno autem Domini milleſimo nonageſimo ſexto, regnante Philippo, Humbaudo Autiſſiodorenſi Epiſcopo Pontificatus eius anno primo contigit, vt dictus Guibertus Abbas in grauis culpæ infamiam laberetur, vnde cùm coram prædicto Epiſcopo à Monachis ſuis grauiter accuſaretur, Epiſcopus eum ad Nemauſenſe Concilium, quod propè futurum erat, citauit, vbi in præſentia Domini Vrbani Papæ dictus Abbas renuntiauit; prædictus autem Papa in Autiſſiodorenſis Ciuitatis confinio, natus & educatus, cùm à circunſtantibus cognouiſſet lamentabile detrimentum eiuſdem Monaſterij olim ſibi noti, vehementer condoluit, vocatumque dictum Humbaldum Autiſſiodorenſium Epiſcopum modeſtè de negligentiâ increpauit, deinde baculum à dicto Guiberto ſibi redditum eidem Epiſcopo tradidit, blandè inquiens, vide Fili, vt huic Eccleſiæ ſecundùm præcedentium Patrum inſtitutionem tuo regimini ſubditæ vigilantioris curæ cautelam adhibeas, & iuxta conſilium meum vnum Monachum aut de Caſa Dei, aut de Cluniaco, aut de Majori monaſterio piè & charitatiuè dari tibi requiras, qui liber ab omni ſubiectionis prioris iugo & Catholicè conſtitutus Abbas, vigorem regulæ firmiter & decenter in Sancti Germani Cœnobio militando exerceat, ne tam turpis infamiæ deinceps de domo Dei rumor exeat. Regreſſus igitur à Concilio dictus Epiſcopus ad Cluniacenſem Abbatem literas direxit petens, vt non ambitionis, non cupiditatis causâ, ſed ſolius Chriſti amore, vnum Monachum Sancto Germano daret liberum & abſolutum ab eius obedientia, qui Abbas poſtea ordinatus ad tenendam regulam alios inſtruendo eiuſdem Eccleſiæ ruinę miſeriam releuaret. Dictus autem Abbas Yuonem Priorem Cluniacenſem, virum bene litteratum, & cum eo quindecim Monachos Autiſſiodorum miſit, qui venientes apud Sanctum Germanum, in ſero honorificè recepti, in craſtinò Capitulum intrauerunt. Cùm autem de qualitate miſſionis ſuæ interrogarentur, reſponderunt ſe ad hoc miſſos, vt locum illum & à laïcis datum & ab Epiſcopò conceſſum in ſuum dominium acciperent, & acceptum Cluniacenſi Eccleſię ſubiugarent, quod audientes tam Clerus quàm populus ciuitatis indignati omnino renuerunt: Monachi autem Cluniacenſes verecundi receſſerunt: nec tamen ſic quieuerunt; quin imo ad Stephanum Comitem Campaniæ literas dirigentes dari ſibi dictam Eccleſiam petierunt, nec tamen impetrare potuerunt. Epiſcopus autem interim ad Caſæ Dei & Majoris Monaſterij Abbatis litteras dirigebat: ſed impedientibus Cluniacenſibus nihil penitus impetrauit. Interea Eccleſia Sancti Germani tanquam nauis ſine regimine plus iam triennio fluctuabat. Per idem tempus prædictus Comes Stephanus per partes illas tranſitum faciens ad locum illum, de quo quædam ſiniſtra audierat, diuertit, ſi vera eſſent, quæ audierat probaturus; & licet plura de eo audiſſet religioni contraria, plurima tamen incomparabiliter adinuenit. De tam miſerabili igitur exitio dolens viam quærebat, per quam tam miſerabilem ruinam poſſet in aliquo releuare. Spiritu igitur tactus diuino vna cum prædicto Humbaudo Autiſſiod. Epiſcopo Sanctum Hugonem Abbatem Cluniacenſem vocauit orans, vt ſicut olim beatus Mayolus dictum locum ab exitio liberauit, ita nunc quoque idem Sanctus vir eius miſeriæ ſubueniret, concedendo eidem vnum Monachum liberum & abſolutum, qui Abbas effectus in dicto Monaſterio Ordinem reformaret, qui conceſſit eis Dominum Hugonem nepotem ſuum à pueritia in Cluniacenſi Monaſterio diſciplinis regularibus eruditum, qui quam floridè vixerit, quanta ſollicitudine Monaſterium rexerit, liber de Vita eius & Geſtis manifeſtiùs edocebit. Rexit autem dictus Guibertus tempore Philippi primi Regis Francorum, Gregorij, Victoris, & Vrbani Pontificum Romanorum per annos circiter XI.

CAPVT IX. De Hvgone Abbate.

Hugo de Cluniacenſi territorio de Caſtro Monte-acuto ortus à nobilibus proceſſit parentibus. Pater eius Dalmacius dictus eſt, matris verò nomen ignoro. Hunc parentes tenerè diligentes, non ſolùm carnaliter, ſed etiam ſpiritualiter, Eccleſiæ deſtinarunt, literarum ſcientia imbuendum, & adhuc in puerili ætate in Cluniacenſi Monaſterio habitum religionis eidem tradiderunt, vbi ſub Sancti Hugonis auunculi ſui cura edoctus regulam beati Benedicti didicit, ſemper ſine querela, humilis, & obediens ſuis maioribus permanſit. Porro Dominus, qui humilia reſpicit, humilitatem eius reſpiciens multis profuturam, eum in Clauſtro diu otio vacare non permiſit: Poſt renunciationem namque Domini Guiberti Abbatis Sancti Germani Autiſſiod. in eodem Monaſterio electus eſt, & benedictus Abbas, non propter nomen Abbatis elatior factus, ſed tanquam vnus ex cęteris humilis Monachus fuit, & ſicut bonus magiſter cœpit facere & docere, demonſtrans exemplo, quod docebat verbo: & licet ſimplex eſſet, tamen pro poſſe ſuo Eccleſiam ſuam ſtuduit temporaliter augmentare: Eccleſias enim de Taix & de Alodia à Reuerendo Patre Herueo Niuern. Epiſcopo impetrauit. Huius tempore Hugo Comes Trecenſis dedit Eccleſiæ Sancti Germani Saluamentum, & multas conſuetudines, quas habebat apud Brecenatum. Hugo etiam, cognomento Frangens lupum, dedit eidem Eccleſiæ quidquid in dicta poteſtate Brecenenſi habebat anno Domini mil. centeſ. quarto aduentus ſecundi Monachorum Cluniacenſium apud Sanctum Germanum anno quarto. Conſuetudines etiam quas ſeruientes Ducis habebant in terra Sancti Leodegarij ab Hugone Duce obtinuit moderari, ſocietatem cum Monachis Verſiliacenſibus iniit. Huius tempore principale altare Sancti Germani, quia in pluribus locis corruptum erat, de mandato Domini Richardi Albanenſis Epiſcopi deſtructum fuit, & in quodam ſarcophago lapideo reliquiæ beati Germani inuentæ in Altari. Cúmque Monaſterium XVII. annos guberraſſet, cognito quod domnus Humbaudus Autiſſiodorenſis Epiſcopus in via Hieroſolymitana de hac luce migraſſet, Clerus eiuſdem Eccleſiæ, ex maiori parte eundem in Pontificem elegerunt. In quanta autem animi puritate dictus Hugo in Epiſcopatu vixerit, liber de Geſtis eius plenius declarat: ſedit in Epiſcopali Cathedra XXI. annis Obiit 4. Idus Auguſti, & ſepultus eſt in Capitulo beati Germani, poſtea tranſlatum eſt corpus eius in Eccleſiam Sancti Germani, & iuxta altare beati Nicolai tumulatum. Rexit Monaſterium tempore Vrbani & Paſcalis Romanorum Pontificum, Philippi & Ludouici Regum.

CAPVT X. De Gervasio Abbate.

Promoto igitur ad Epiſcopalem dignitatem Domino Hugone, electus eſt Domnus Geruaſius in Abbatem, qui nobilis genere beati Hugonis Cluniacenſis nepos, ſub eius cura enutritus atque edoctus eſt à pueritia in Monaſterio Cluniacen. Qui à prædicto Hugone benedictus in Abbatem quàm religioſè vixerit, quàmque vtiliter domui Dei præfuerit, ſequentia opera, & ſi non per omnia, demonſtrabunt. Eccleſiam Sancti Florentini, in qua vſque ad tempus ſuum erant Canonici ſeculares, de manu ſeculari extrahens Prioratum conſtituit, Monachos in ea de conſenſu Henrici Senonenſis Archiep. inſtituens: quod factum per Innocentium Papam obtinuit confirmari. Quaſdam etiam conſuetudines, quas Vicecomites in dicta Eccleſia habebāt ab Othone Vicecomite prædictæ Eccleſiæ de conſenſu Theobaldi Comitis Bleſenſis, Domini S. Florentini obtinuit condonari. Contra Guillelmū quoque Comitem Niuern. ſuper iuſtitia Caſtri & Burgorū S. Germani querelas habuit, quas cū eo per manum Hugonis Autiſſ. Epiſcopi pacificauit. Vſagium quod Raynaldus de Narbona in nemoribus S. Germani de Digia reclamabat, emit de conſenſu Comitis Niuernenſis. In eadem villa Digiæ nouum Burgum & firmitatem ædificauit: altare majus huius Eccleſiæ tabula argentea multi ponderis & magni pretij decorauit, theſaurum in palliis capis & ornamentis variis ampliauit; in omnibus denique tam exterioribus quàm interioribus domui ſibi creditæ & vtiliter præfuit & prudenter: ab Herberto Richardi emit apud Album Cippum homines, & apud Blagniacum redditus qui ſibi & Eccleſiæ ſuæ cauſæ immoderati grauaminis exiſtebant. Eccleſiam de Sanctis ab Hugone Autiſſiodorenſi Epiſcopo impetrauit, &

poſſeſſionem habuit; idem enim Epiſcopus ſuper hoc erat priuilegiatus. Idem etiam attendens quod ex præcepto Regulæ Beati Benedicti infirmorum cura maximè committitur Abbati, domum de Villari cum Cariſiaco, & ſuis appendiciis, infirmorum domui in perpetuum deputauit, proprium in Infirmitorio miniſtrum Monachum inſtituens, cui etiam de Cenſu Saxiaci xxx ſolidos & de cenſu ſancti Saluatoris, & de Eccleſiolis xx. ſolidos aſſignauit; Soerias etiam huic officio delegauit, dedit inſuper eidem Infirmario porcos cum Denariis quos maiores terræ Sancti Germani debent, & conſuetudinem agnorum, & in poteſtate Airriaci & Altæ-ripæ, xxx. gallinas de Nerone, de Gurgiaco, de Summa-Caſa, de Ponte-Naſcenti, & de Villari ſuper Tolon. Item dedit ei tria arpenta vinearum. Huius tempore G. Londouenſis Epiſcopus quandam domum in ciuitate Niuernenſi ſancto Germano dedit. Huius etiam tempore Hugo Manſellus in terra ſancti Germani apud Aunaium Caſtrum ædificauit. Qui idem Abbas pluries authoritate Apoſtolica moneri fecit, vt dictum Caſtrum deſtrueret, & de pluribus eidem Monaſterio illatis iniuriis ſatisfaceret, & tandem cùm acquieſcere nollet, ipſum excommunicatum, & terram eius interdicto ſuppoſitam eſſe procurauit, donec caſtrum dirueret, & de illatis iniuriis ſatisfaceret competenter. Quoſdam redditus in Eccleſia Summæ-Caſæ impetrauit ab Henrico Archiepiſcopo Senonenſi: rexit Monaſterium xxxii. annis: fuit temporibus Paſchalis, Gelaſij, Calixti, Honorij, Innocentij, Cæleſtini, Lucij & Eugenij Romanorum Pontificum, Ludouici filij Philippi, & Ludouici filij eius Regum: Obiit autem iv. Nonas Auguſti, & ſepultus eſt in Capitulo beati Germani, anno Domini MCXLVII.

CAPVT XI. De Ardvino Abbate.

Arduinus natione Burgundigena nobilis genere poſt mortem Geruaſij ſui conſanguinei electus eſt in Abbatem: Benedictus autem fuit à domno Hugone Autiſſiod. Epiſcopo qui prius Abbas Pontiniaci fuerat anno Domini MCXLVIII. XVII. Kalendas Maij. Ordinatus autem ſtatum Monaſterij ſui tam temporaliter quàm ſpiritualiter ſtuduit in melius reformare. Vnde ab Eugenio Papa tertio impetrauit Monaſterium ſancti Germani ſub Beati Petri protectione ſuſcipi & Apoſtolicis priuilegiis præmuniri. Eadèm etiam priuilegia per Anaſtaſium IV. & Adrianum IV. eiuſdem Eugenij ſucceſſores obtinuit confirmari. Priuilegium etiam pro remouenda quadam praua conſuetudine, quæ in eodem Monaſterio diu inoleuerat, & eidem erat valde damnoſa, ab eodem Adriano impetrauit. Optimum dormitorium cum eius appendiciis in eodem Monaſterio ædificauit, quatuor optima pallia, & quatuor capas in theſauro Monaſterii ſui dedit. Contra Guillermum Comitem Niuernenſem & Augannonem de Narbona, qui quoſdam homines Eccleſiæ calumniabantur, cauſam mouit, & ab eis dictos homines euicit. Huius tempore Guillermus Comes Niuernenſis in Capitulo ſancti Germani ſepultus eſt. Hic dedit Eccleſiæ ſancti Germani medietatem Villæ-nouæ ſancti Saluij, quod donum prædictus Abbas per Guillermum eius filium obtinuit confirmari. Impetrauit etiam ab eodem hoſpitationem & ſaluamentum, quas in burgo & poteſtate Digiæ habebat. Idem etiam comes dedit eidem Eccleſiæ quendam hominem cum hæredibus ſuis, & LX. ſolidos annuos in cenſu ſancti Geruaſij; quaſdam libertates pro caſtello & burgis ſancti Germani & pro villis de Yranciaca, Albo-Cippo, Bello monte, & terra Monaſterij Meltedenſis ab eodem Comite impetrauit. Huius tempore ſeruientes Guidonis Comitis in munitionem de Eſcanno cum manu armata hoſpitandi cauſa irrumpere cupientes quoſdam homines Eccleſiæ occiderunt: quaſdam etiam libertates pro domibus de Eccleſiolis, de Sancto Saluatore, & pro Digia & Scanno eidem Abbati per Cartam recognouit in recompenſationem & emendam tanti forefacti dictus Abbas ab eodem Comite habuit homines de Monte Martij hæredes & tenementa eorum: apud Venetum emit duos homines & familias eorum ab Oderio milite, medietatem furni de Villari-Vinoſo acquiſiuit: cúmque inter priorem ſancti Saluatoris & Capellanum ſancti Ioannis diu ſuper iure vtriuſque Eccleſiæ eſſet litigatum, tandem per manum Domni Alani Autiſſiod. Epiſcopi & prædicti Abbatis querela terminata

eſt, & ius vtriuſque Eccleſiæ declaratum. Huius tempore Arduinus Lingonenſis Epiſcopus dedit Eccleſiæ ſancti Germani Eccleſiam de Cariſiaco, cúmque Daimbertus de Silligniaco, & Fratres eius, ſicut & Pater eorum ſecerat, nec non & Gaufridus Donziaci Eccleſiam ſancti Germani & eius homines quamplurimum infeſtarent, idem Abbas contra eos cum magnis laboribus & expenſis litigauit, & tandem eos excommunicationi & terras eorum interdicto vſque ad ſatisfactionem condignam ſubiici procurauit. Florebat eo tempore domnus Martinus Prior Monaſterij Meletedenſis, qui eidem Monaſterio plura bona contulit: Theſaurum namque in magnâ parte pignori obligatum pretio LXXX. librarum redemit, tres partes Clauſtri, dormitorium cum Capitulo & Infirmatorio, Refectorium cum coquina, & ab anteriori parte Prioratus muros nouos cum portis optimis à fundamentis conſtruxit, terras, ſyluas, & molendina apud Sanctum Amandum & Aunaium propriis nummis emit, & apud Orgiacum quoſdam ſeruos, ius noſtrum in villis de Digia, de Eccleſiolis, & de ſancto Saluatore, per Guillermum Comitem obtinuit declarari. Monaſterium ſuum dictus Abbas cum omnibus officinis muris altis cum propugnaculis circumcinxit, clauſum de Eſcanno plantauit, & de eius exitibus anniuerſario ſuo Procurationem Conuentui fieri inſtituit. Huius tempore Ioſbertus Capellanus dedit Eccleſiæ ſancti Germani partem Decimæ de Ioſſiaco x. ſolidos cenſuales, hominem vnum, & tria arpenta prati apud Buculiacum: Societatem cum Fratribus Trenorchienſibus & Diuionenſibus iniit, & olim factam cum Reomenſibus reparauit. Decollationem ſancti Ioannis in capis inſtituit, & de parte Decimæ ſancti Ferreoli Conuentum per manum Cellerarij ſtatuit procurari: Petrus enim Archipreſbyter Sancti Saluatoris, qui dictam Decimam emerat, ob hanc cauſam eam Eccleſiæ condonauit, in omnibus denique tam ſpiritualibus quàm temporalibus Monaſterio ſibi credito & vtiliter præfuit & prudenter. Propter ponderoſitatem, vel infirmitatem ſuam faciebat ſe deferri in currum. Rexit curam xxvj. annis; fuit autem temporibus Eugenij, Anaſtaſij, Adriani, & Alexandri Romanorum Pontificum, & Ludouici patris boni Philippi Regis Francorum, obiit anno Domini MCLXXIV. IV. Idus Ianuarij, & in Capitulo ſancti Germani honeſtam promeruit ſepulturam.

CAPVT XII. DE HVMBAVDO ABBATE.

Humbaudus, natione Burgundigena, de Pago Charrolenſi, poſt Arduinum electus eſt in Abbatem. Hic impetrauit ab Vrbano Papa III. vt ſi Epiſcopus Autiſſiod. conſecrationes & ordinationes nobis ſine prauitate dare noluerit, vel malitioſè diſtulerit, liceat nobis alium, quem voluerimus, adire, qui authoritate Apoſtolica nobis, quod petimus, indulgeat, & ne homines noſtri ſoluant pecuniam pro abſolutione, & ſi quia non ſoluunt excommunicati de facto fuerint, ſententia non teneat. Hic aſſociauit Petrum Comitem Niuernenſem ad medietatem nemorum noſtrorum de Brueria & de Mobolon, & Henricum Comitem Campaniæ ad medietatem rerum, quas habemus apud Vaucarteium, & impetrauit à Reuerendo Patre Matthæo Trecenſi Epiſcopo quod Eccleſia de Traucarteio, quam de nouo ædificauit, & illa de Brocenaio ſub vno Sacerdote regeretur, & eſſet iuris ſancti Germani, ita quòd in omnibus prouentibus eius Monachi haberent medietatem, & Sacerdos aliam obtineret. Idem aſſociauit Stephanum Comitem Sacri-Cæſaris ad medietatem Pontis-naſcentis: donum quod fecerant ſancto Germano Wilermus Comes Niuernenſis, & Wilermus eius filius de medietate Villænouæ, ſaluamento Digiæ, ſaluamento & herbergagio de Eſcanno, & 60. ſolidis in cenſu ſancti Geruaſij per Alexandrum Papam III. obtinuit confirmari. Hic primus vſum mitræ & annuli pro ſe ſucceſſoribúſque ſuis ab Vrbano Papa III. impetrauit, giſtum & herberagium quæ Comes habebat apud Eſcannum & Similiacum ſibi & Eccleſiæ ſuæ per Guidonem Niuernenſem Comitem obtinuit condonari. Idem dedit Petro Comiti Niuernenſi iij. modios auenæ annuos pro ſaluamento terræ de Digia. Eius tempore Guillermus Autiſſiodor. Epiſcopus dedit Eccleſiæ ſancti Germani L. ſolidos annuos in Eccleſia de Blagniaco. Huius etiam tempore Bernardus Preſbyter de Sanctis decimam quandam quam inuadiauerat ei Stephanus Dechaſſein, Eccleſiæ ſancti Germani dedit. Fuit temporibus Alexan-

dri III. Lucij III. Vrbani III. Gregorij VIII. Romanorum Pontificum, Ludouici & Philippi Regum Francorum: renunciauit autem adminiſtrationi Eccleſiæ, anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo octauo, & rexerat Eccleſiam circa quatuordecim annis.

CAPVT XIII. De Radvlpho Abbate.

Anno Domini milleſimo centeſimo LXXXVIII. Domno Humbaudo adminiſtrationi Eccleſiæ renunciante, electus eſt Domnus Radulphus in Abbatem IV. Nonas Ianuarij, & ſequente Purificatione à Domno Hugone Autiſſiodor. Epiſcopo benedictus. Hic vt dicitur de Diœceſi Niuernenſi, de territorio, quod dicitur Baſeium, extitit oriundus. Hic etiam ad inſtar prædeceſſoris ſui vſum mitræ & annuli à Cœleſtino Papa III. impetrauit. Item confirmationem Prioratuum, Eccleſiarum etiam, & villarum noſtrarum à Clemente III. Cœleſtino III. & Innocentio III. Romanis Pontificibus impetrauit. Item à Celeſtino III. & Innocentio III. impetrauit priuilegium, ne Epiſcopus Autiſſiodor. vel eius Preſbyteri homines noſtros excommunicent ſine manifeſta & rationabili cauſa & iuris ordine obſeruato, alioquin ſententia non teneat, & nos hominibus diuina officia celebremus. Item à Celeſtino III. quod poſſimus ſaiſire temporalia in Eccleſiis noſtris, niſi Preſbyteri veniant ad citationem Abbatis. Qui etiam Celeſtinus inhibuit Archiepiſcopo Senonenſi & eius ſuffraganeis, ne Capellanos noſtros compellant coram ſe de temporalibus iuri ſtare, & ſi ſpontanei ad eorum iudicium acceſſerint, non admittant. Idem etiam Celeſtinus indulſit eidem Radulpho, quòd poſſimus ſubtrahere hoc quod debemus Canonicis ſancti Stephani, niſi venerint ad proceſſiones ſtatutas omnes, vel maior pars. Item ab eodem Celeſtino impetrauit, quòd dimiſſo Autiſſiodor. Epiſcopo ſi fuerit negligens, adeamus Archiepiſcopum Senonenſem ad perſequendam iuſtitiam de malefactoribus noſtris. Item ab eodem Celeſtino confirmationem Eccleſiarum de Beruiaco & de Brecenaio & de Vaucarcy. Impetrauit etiam ab Innocentio III. ne de noualibus vel nutrimentis animalium decimas perſoluamus. Hic de aſſenſu Conuentus conſtituit, quòd Annunciatio Dominica quæ in Quadrageſima minus ſolemniter fieri conſueuerat, de cætero duplex eſſet; Quando verò extra Quadrageſimam euenerit, per omnia quinque præcipuis feſtiuitatibus ſimilis erit, fiat ſolemnis proceſſio cum albis paratis & omni apparatu ſolemni, & vt feſtum ſancti Amatoris celebretur in capis, & ſimiliter feſtiuitas Innocentium. Statuit inſuper, vt de quolibet ſancto in Eccleſia ſancti Germani quieſcente fiant duodecim lectiones. Conſtituit etiam vt in craſtino Paſchæ & Pentecoſtes omnia fiant ſolemniter, ſicut in craſtino Natiuitatis Domini fieri conſueuit, & vt Octauæ vtriuſque Feſti ſancti Germani ſint duplices, & in Feſto omnium Sanctorum proceſſio fiat in albis paratis: ſtatuit etiam vt in vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ fiant octo lectiones de ſancto Euſebio, & quatuor de Beata Maria, horæ diei de Beata Maria. Cum Monachis Ferrarienſibus & Tornodorenſibus ſocietatem contraxit. Anno v. Radulphi Abbatis qui eſt ab Incarnatione Domini milleſi. centeſi. nonageſimus tertius, Petrus Comes Niuernen. volens facere muros ex parte aquæ ciuitatis Autiſſiodor. petiit auxilium ab hominibus Eccleſiarum, quod Epiſcopus & alii Prælati conceſſerunt ea vice, ita tamen quòd dictus Comes tradidit eis litteras ſuas & Regis, quòd ad hoc non tenebantur, ſed hoc faciebant de gratia ſpeciali. Idem etiam Comes partem ſuam nemoris de magna Brueria & de Mobalon quittauit Eccleſiæ ſancti Germani & Radulphus Abbas totiſque Conuentus eam dederunt domino Droconi de Melloto ſub conditionibus, quibus Comes eam antea poſſidebat. Poſtea communi conſenſu retinuit ſibi quælibet pars lxvj. arpenta, medietatem villæ de Marrorum pro ſaluamento & herbergagio, quæ domini Montis ſancti Ioannis in poteſtate Digiæ habebant cum Domino Poncio permutauit, tradens ei cum hoc ducentas quinquaginta libras Pruniacenſium, & xl. marchas argenti, idem in medietatem nemoris de Varriau aſſociauit Droconem de Melloto Dominum ſancti Priſci, & plantas de Riueta Domino Miloni de Pruuino militi in Caſamentum dedit, eâ conditione, quod poſt deceſſum dicti Milonis medietas earum Eccleſiæ remaneret, & alia medietas eſſet de feodo Eccleſiæ ſupradictæ. Conceſſionem & ordinationem quam

fecerat Mathæus quondam Trecenſis Epiſcopus de Eccleſiis Breenaro & Vallecaci per Garnerum eiuſdem Mathæi ſucceſſorem obtinuit confirmari. Item cum Canonici S. Stephani Trecen. dictas Eccleſias peterent, dicentes eas ad ſe ex donatione Bartholomei quondam Trecen. Epiſcopi pertinere, dictus Abbas cum eis mediante dicto Garnero Epiſcopo compoſuit in hunc modũ, videlicet quòd Canonici medietatẽ dictarum Eccleſiarum, tam in oblationibus, quàm in meſſium & aliorum redditiũ prouentibus, & Monachi reliquam medietatem in perpetuum poſſidebunt. Preſbyterum quoque tam Canonici, quàm Monachi, communiter inſtituent, qui in prædictis Eccleſiis deſeruiet, vtrique Capitulo fidelitatem debitam præſtiturus. Huius tempore Herueus Comes Trecenſis dedit ſancto Germano quandam domum apud Trecas. Huius tempore Guillermus Vicecomes ſancti Florentini dedit Eccleſiæ ſancti Germani apud Villare-Vmoſum quidquid in vtroque furno habebat excepta iuſtitia: Dedit etiam eidem Eccleſiæ nouem denarios quos à quolibet homine Eccleſiæ cauſa breui ſingulis annis habebat & dedit in paruis molendinis quatuor ſextarios frumenti & octo ſextarios hordei, & duos ſolidos & tres denarios recti cenſus. Conceſſit inſuper quod nec ipſe, nec heredes eius, nec homines ſui in tota poteſtate villaris furnum, aut molendinum de cætero ædificare poterunt aut habere. Idem Abbas cum Herueo Comite ſepes & nemora de ſancto Saluatore vendidit, & habuit Comes medietatem pretij, ſed tradidit ei litteras ſuo ſigillo munitas, quòd poſt venditionem de dictis ſepibus & nemoribus res remaneat in eo ſtatu, quo erat ante venditionem. Hic vt aſſeritur ab Hugone de Noerijs Autiſſiod. Epiſcopo ſuper vſu mitræ & annuli infeſtatus eſt multipliciter, qui etiam Epiſcopus commouit contra eum Conſtantium Priorem ſancti Germani & quoſdam alios Monachos, vnde orta eſt maxima diſſenſio in Monaſterio. Quibuſdam Monachis adhærentibus Abbati, quibuſdam contra Eccleſiam ſuam fauentibus Epiſcopo, propter quam Monaſterium tanto fuit debitorum onere preſſum, tanta inopia, tam ſpiritualiter, quàm temporaliter deſolatum, quòd nunquam potuit adijcere vt reſurgeret, vſque ad tempus Regnaudi Abbatis. Capſula etiam beati Germani olim à bonæ memoriæ Lothario Abbate filio Karoli Regis auro & gemmis decorata, remanentibus tantùm frontibus auro & gemmis excoriata extitit. Capſulæ quoque beatorum Vrbani Papæ, Aunarij & Deſiderij Præſulum fuerunt ſimiliter ſpoliatæ. Vendidit etiam conſuetudinem manus mortuæ de tota terra Eccleſiæ, excepta terra de Vigronto, quod fecit de conſenſu Papæ, Epiſcopo Autiſſiodorenſium contradicente, & quantum potuit, reclamante. Tali autem conditione vendita fuit dicta conſuetudo, quòd quilibet homo Eccleſiæ, qui teneret focum, ſolueret anno quolibet certa die pro ſe vnum denarium cenſualem, & qui in ſolutione dicti denarij dicta die deficeret duos ſolidos pro emenda ſoluere teneretur, ſaluis Eccleſiæ talliis, & omnibus aliis redibenciis, in quibus dicti homines eidem Eccleſiæ tenebantur, & quod excaſuræ decedentium nequaquam ad alienos homines, licet propinquos, ſed tantùm ad homines Eccleſiæ deuoluantur. Quia verò de pecunia venditionis non fuit ad plenum Eccleſiæ ſatisfactum, Eccleſia incomparabiliter fuit damnificata, & propterea dicta venditio perduci non potuit ad effectum. Anno autem Domini milleſimo ducenteſimo octauo, dictus Abbas propter dictam diſſenſionem Romam petiit, indeque rediens venit Placentiam, ibíque defunctus & ſepultus fuit, anno Domini milleſimo ducenteſimo octauo: fuit autem temporibus Clementis, Celeſtini, Innocentij Romanorum Pontificum, & Philippi Regis Francorum.

CAPVT XIV. De Gvillermo Abbate.

Radulpho ſucceſſit Domnus Guillermus, ortus de pago Vaſtinenſi. Hic emit à Ioanne Berardi milite decimam quandam apud Barnayum & à Iocelino milite prata & terras & res alias, quas habebat idem miles apud Digiam, & in poteſtate eiuſdem villæ, contra Adalaydim Dominam de Logia ſuper medietate villæ de Coldra & eius pertinentiis, ſcilicet terris, pratis, nemoribus, iuſtitiis & emendis, cauſam mouit coram iudicibus à Sede Apoſtolica delegatis, & fuit ei adiudicata poſſeſſio omnium prædictorum. Huius tempore Guillermus Comes Ioiniaci reſtituit Eccleſiæ ſancti Germani foreſtam de viis albis, quam pater eius

poſſet

poſſederat minùs iuſte. Hic Fratrem Regnaudum deIoceualle conſanguineum Domni Arduini Abbatis inſtituit Priorem ſancti Germani adhuc in Subdiaconatus Ordine conſtitutum; erat enim dictus Regnaudus iuuenis gratioſus, aſtutus ingenio, competentis litteraturæ, vitæ bonæ, & conuerſationis honeſtæ, claudus tamen vno pede. Huius tempore Milo Dominus Nemorum quietauit hominibus S. Germani de Orgiaco giſtum quod ei debebant tali conditione, quod ipſi ſoluerent ei tertiam partem de auena vltra id quod ſoluere debebant, ſub eadem conditione quittauit eis Guillelmus de Barris giſtum ſuum. Hic acquiſiuit prata, terras, nemora, & quædam alia in poteſtate Digiæ, optimam grangiam apud Riconorum ædificauit. Huius tempore non inuenio debitum Eccleſiæ memoratum in aliquo, ſed potius augmentatum. Rexit Monaſterium circa xiij. annos. Fuit temporibus Innocentij & Honorij Romanorum Pontificum, & Philippi Regis Francorum: obiit autem pridie Idus Nouembris in camera hoſpitij ante Capellam beati Mauricij, & ſepultus eſt in Capitulo S. Germani, anno Domini MCCXXI. pro cuius anniuerſario habet conuentus triginta ſolidos annui redditus ſuper quoddam ſtallum ad portam Fiſcalem.

CAPVT XV. De Regnavdo Abbate.

Poſt mortem Domni Guillelmi electus fuit Domnus Theobaldus huius Eccleſiæ Granetarius in Abbatem, qui ante confirmationem deceſſit, poſt cuius obitum Fratres ad electionem procedentes cùm non inuenirent per quem ſtatus Monaſterij poſſet à tanto debitorum onere releuari, domnum Sauericum Abbatem Verſiliacenſem virum ſapientem & magnæ potentiæ poſtularunt. Pro qua poſtulatione Frater Regnaudus Prior huius Monaſterij miſſus fuit ad curiam: ſed Papa poſtulationem huiuſmodi non admittens, de dicto Priore prouidit Monaſterio, eum præficiẽs in Abbatem, & ei dictum Abbatem Verziliacenſem tribuens adiutorẽ, qui Regnaudus regiminis onus ſuſcipiens reuerſus de curiâ quàm laudabiliter Eccleſiæ præfuerit quàm ſagaci induſtriâ debita Eccleſiæ diluerit, quibus incrementis Eccleſiam ſibi creditam, tam redditibus acquiſitis, quàm ædificiis conſtructis, quámque ornamentis ad decorem domus Dei comparatis ſublimauerit, nefas exiſtimo reticere. Eccleſiam S. Germani vſque ad triginta millia librarum Turonenſium obligatam cum Dei adiutorio abſolutam & quietam dimiſit, medietatem villæ de S. Gregorio à Ioanne de Barris comparauit, giſtum, coſtumas, croſſas, denarios, remanentiam hominum, quæ omnia habebat apud Pettigniacum Ioannes de Barris, acquiſiuit: item emit quinque arpenta vinearum apud Toichebeuf. Huius tempore Frater Silo Granetarius emit quatuor modios vini annui redditus quos habebat Salo de Boſco iardini in cellario ſancti Germani; acquiſiuit etiam dictus Abbas apud Blaagniacum quandam grangiam cum pratis & terris quæ valent annuatim quindecim libras, quæ habebant ibi quidam nobiles, & ibidem habebant iuſtitiam, & occaſione eorum Eccleſiam S. Germani multoties infeſtabant. Hæc omnia dedit conuentui pro anniuerſario ſuo & parentum ſuorum de pane, vino, generali & pitancia ſolemniter celebrando. Item apud Roboretam & circa acquiſiuit iuſtitiam, & plura alia, à Vicecomitiſſa Legniaci & quibuſdam aliis. Huius tempore contracta fuit ſocietas inter Eccleſiam ſancti Germani & dominum de Silligniaco, prout in cartis inde confectis continetur tres modios auenæ, quos habebat dominus Silliniaci in grangia de Heriaco comparauit, quaſdam vineas apud Iranciacum ab Abbate & conuentu Virziliacenſ. acquiſiuit, Comitem campaniæ in terris & nemoribus vltra Ermentionem pro Villa-noua facienda aſſociauit: locus ille modo dicitur Villa noua Maugeri. Domum optimam in Monaſterio pro hoſpitibus ædificauit. Huius tempore Sauericus Abbas Virziliacenſis tenens Prioratum de Monaſteriis maius ſtagnum ampliauit, dictus verò Regnaudus ſtagnum de Nigra aqua ibidem ædificauit, & conuentui de Monaſteriis dedit: tabula argentea deaurata pro ornatu maioris altaris & cellarium teſtudinatum poſt eius obitum facta fuerunt ſecundùm quod ipſe viuens diſpoſuerat, & dimiſerat pecuniam in manu Fratris Salonis Monachi & Laurentij Clerici ſui. Per idem tempus erat in Francia inquiſitor hæreticorum Frater Robertus de ordine Prædicatorum, qui Fratrem Iodomum Priorem de Maſiliis proſequebatur aſſerens eum eſſe fautorem hæreticorum, ob quam cauſam dictus Abbas acceſſit Pariſiis, vbi dictus Frater Robertus morabatur, inde verò rediẽs apud

Villam nouam-Giuardi, obiit anno Domini MCCXXXVIII. Nonis Septembris, cuius corpus Autiſſiodorum delatum in Eccleſia S. Germani, in parte Auſtrali digna fuit cum reuerentia tumulatum. Iuxta cuius ſepulchrum in parte Orientali ædificatum eſt poſtea quoddam altare & in honore beati Eligij conſecratum. Rexit tempore Honorij, Gregorij & Celeſtini Romanorum Pontificum, Philippi, Ludouici, & Ludouici Regum Francorum, annis XVII.

CAPVT XVI. De Galtero Abbate.

Galterus Geraldi, natione Autiſſ. de villa Actiſiaco, Parochiæ de Odonna, genere nobili, patre.... matre Agnete, nobilitatem generis morum nobilitate ornauit: erat enim homo largus, pius, miſericors, ſtatura procerus, vultu decorus. Hic dum eſſet Decanus Monaſterij, emit cenſum quorundam ſeruientium de Digia valentem octo libras Turonenſium, quem cenſum Sacriſta debet habere pro ſeruiendo altare S. Georgij, quod ipſe ædificauit. Item emit apud Digiam in territorio de Varennis centum ſolidos annui redditus quod dedit conuentui pro pitancia in die anniuerſarij ſui, domno vero Regnaudo viam vniuerſæ carnis ingreſſo omnes Fratres dictum Galterum quaſi per inſpirationem vnanimiter elegerunt. Ordinatus autem Abbas Eccleſiam ſibi creditam, tam in acquiſitione ornamentorum, quàm in defenſione iurium, nec non in comparatione reddituum ſtuduit multipliciter promouere: altare enim principale deſuper tabula argentea decorauit, duabus capis, caſula, dalmatica, tunica, duobus palliis optimis & decentibus theſaurum huius Eccleſiæ ampliauit, imaginem argenteam Beatæ virginis tenentis filium fieri fecit, partem reliquiarum capitis Beatæ Agnetis, quam in capſa beati Vrbani inueniſſe dicitur, argento & auro decenter in modum capitis adornauit, & vt largitatis eius memoria penes conuentum perpetuò habeatur, cùm ante ipſum Fratres nullo tempore de veſtiario tunicas acciperent, vt ſolummodo de biennio in biennium quilibet vnam pelliceam; conſtituit vt quilibet anno quo non habet pellicias, vnam tunicam habeat, tam in capite, quàm in membris. Huius tempore primo die rogationum Canonici ſancti Stephani ad Eccleſiam ſancti Germani, prout moris eſt, proceſſionaliter acceſſerunt, & quia Blaſius eorum Hebdomadarius non erat integrè Canonicus, ſed tantum Portarius cuſtos Eccleſiæ eum in altari beati Germani celebrare prohibuit, qua de cauſa Regnaudus Decanus & Capitulum Autiſſiod. die Martis ſequenti conuentui ſancti Germani eunti proceſſionaliter ad ſancti Euſebij & ſancti Amatoris Eccleſias, dictarum Eccleſiarum denegari introitum procurarunt. Item cum dicti Decanus & Capitulum conſueuiſſent in die Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, & duabus feſtiuitatibus ſancti Germani cum ſolemni proceſſione Eccleſiam ſancti Germani, annis ſingulis viſitare, dicti Decanus & Capitulum Eccleſiam ſancti Germani dictis proceſſionibus ſpoliarunt: propter quod dicti Abbas & conuentus redditum bladi & vini, quem ſoluere conſueuerant dictis Decano & Capitulo ſubtraxerunt. Orta eſt igitur hac de cauſa inter vtramque Eccleſiam materia quæſtionis, & diutiùs agitata: tandem bonis viris mediantibus pacificatum extitit in hunc modum, videlicet quod Canonici redditum, quem eis Monachi ſubtraxerant, habeant de illo anno, & percipiant in futurum, & à modo in Ramis Palmarum, Reſurrectione & Aſcenſione Domini, die Pentecoſtes, & in duabus feſtiuitatibus S. Germani dicti Canonici annis ſingulis ad Eccleſiam S. Germani proceſſionaliter veniant, ſicut antea veniebant. Hebdomadarius autem S Stephani, ſi non ſit integrè Canonicus, ad maius altare Sancti Germani de cætero non poterit celebrare, medietatem portus de Riuera cum quadam domo apud Itanciacum & pluribus vineis emit à Baudono domicello pro trecentis XX. libris Pruuinenſium. Item apud Blaaniacum emit iuſtitiam Ioannis, & quædam alia, à Guidone & Lietherico de orto pro triginta quinque libris Turonenſibus, feodum etiam de Abreuare dicitur acquiſiſſe. Fuit tempore Ludouici Regis Francorum propter ponderoſitatem corporis & ſenectutem renunciauit adminiſtrationi Eccleſiæ, quam quinque annis vtiliter gubernarat. Vixit poſtea circa decem annos, obiit apud Attifriacum XIII. Kalend. Maij, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, & in Capitulo ſancti Germani honeſtam meruit ſepulturam.

CAPVT XVII. De Ioanne Abbate.

Ioannes, natione Burgundus, de Diœceſi Eduenſi, de villa, quæ Ioceualis dicitur, nobili ex proſapia originem duxit: pater eius Robertus, mater Agnes, vt dicitur, vocabatur. Fuit autem filius prædicti Roberti Fratris domni Regnaudi Abbatis ſuperius nominati, pro cuius amore & memoriâ Fratres eum adhuc Subdiaconum poſt renunciationem Domni Galteri per viam compromiſſi concorditer elegerunt: cui ſanctæ memoriæ Domnus Bernardus Autiſſiodorenſis Epiſcopus munus benedictionis impendit: Erat enim idem Ioannes Iuuenis, gratioſus, caſtus, ſimplex, humilis & benignus, vnde non caſu, ſed quadam Dei diſpenſatione videtur tale nomen ſortitus, tum quia Deus eum ſua perfuderat gratia, vt ab omnibus amaretur, tum quia glorioſæ Virgini Matri Domini, quaſi quadam ſpeciali deuotione ſeruire ſatagebat, illius Ioannis imitatus exemplum, cui quadam prerogatiua dilecto præ cæteris Chriſti matrem Virginem commendauit, qui etiam eum in ſua recepiſſe legitur: ipſe namque conſtituit vt qualibet hebdomada celebraretur vna miſſa de beata Virgine ſolemniter in conuentu, & propter hoc quittauit conuentui generalia, & decem & octo denariorum pitanciam, quæ debebant. Nam ante tempus ſuum Conuentus generale quotiens habebat x. ſolidos pro pitancia & quando habebat x. ſolidos xviij. denarios perſoluebant. Conſtituit etiam poſtea, vt qualibet hebdomada fiant xij Lectiones de prædicta Beata Maria, quod quidem tempore ſuo propter negligentiam ordinandi ſeruitium non fuit factum, ſicut nec ſeruitium infra Octauas omnium Sanctorum, quas octauas conſtituerat per octo dies, ſicut fiebat antiquitus ſolemnitas tabernaculorum collectis fructibus ſolemniter celebrati. Attendens autem quòd ſecundùm regulam, infirmorum cura ante omnia & ſuper omnia adhibenda eſt, & maxime competit Abbati cauere, ne aliquam negligentiam patiantur, redditus infirmorum, quos inuenit tenues & exiles, augmentauit eis de rebus ad Abbatiam pertinentibus, furnũ de Heriaco cum minutis decimis adhibendo. Cùm autem ante tempus ſuum vix eſſent triginta Fratres in Monaſterio, nolens diuini nominis cultum diminui, ſed potius augmentari vſque quinquaginta fere numerum ampliauit. Domus Dei etiam decorem diligens, ad decorem Eccleſiæ capas ſericas per Priores & miniſtros Eccleſiæ fieri procurauit. Ipſe etiam duabus capis, vna caſula, duabus tunicis, & duabus dalmaticis decoris theſaurum Eccleſiæ decorauit: pro duobus magnis cereis tortitiis ad eleuationẽ accendendis quandam domum iuxta portam caſtri S. Germani a parte portæ pendentis emit, & quia propter decorem & ornamentum prælatorum celebriores habentur Eccleſiæ, libentius frequentantur à populis quorum ex iis deuotio augmentatur, impetrauit ab Innocentio Papa IV. ſpeciale priuilegium, quod ſibi & ſucceſſoribus ſuis liceat vbique in perpetuum vti omnibus Pontificalibus inſigniis, & Eccleſiaſtica indumenta locorum ſibi ſubiectorum benedicere, cùm prædeceſſores ſui à tempore Humbaudi Abbatis mitra tantum & annulo vterentur. Circa principium Ordinationis ipſius Ioannis, Abbas Cluniacenſis habens priuilegium, quòd decimam prouentuum Eccleſiarum ſibi ſubiectarum certo tempore perciperet, aſſerens Monaſterium S. Germani Eccleſiæ Cluniacenſi ſubiectum eſſe, dictam decimam ab eo & membris ſuis voluit extorquere: dictus autem Ioannes habito cum conuentu ſuo diligenti conſilio, indignum iudicans iuxta Hieremiæ Lamentantis vaticinium, Eccleſiam redigi ſub tributo, ad hæc reputans reprehenſibile, ſi ſecundùm varietatem temporum ſtatus varietur, maximè quando per illos qui quærunt quæ ſua ſunt, immò verius, quæ ſua non ſunt, illud tendit ad noxam, quod alias ad remedium eſt prouiſum, pro domo Dei murum ſe oppoſuit reſiſtendo viriliter aſcendentibus ex aduerſo; orta eſt igitur hac de cauſa ſuper ſubiectione Monaſterij ſancti Germani diſcordia inter partes, & tam in Romana Curia, quàm delegatis iudicibus litigatum diutiùs cum magnis laboribus & expenſis: tandem illo, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis, negotium diſponente, anno Domini MCC. quinquageſimo ſexto, Pontificatus Domini Alexandri Papæ quarti anno ſecundo finem cœpit dicta diſcordia in vrbe Roma per Dominum Richardum ſancti Angeli Diaconum de ſpeciali mandato Domini Papæ, & fuerunt procuratores Eccleſiæ ſancti Germani ab impetitione Cluniacenſium ſententialiter abſoluti, cum magnis tamen expenſis:

nam in reditu dictorum procuratorum à Curiâ inuentum eſt obligatum Monaſterium in ſeptem millibus librarum Turonenſium, à quâ obligatione dictus Abbas in obitu ſuo dimiſit Monaſterium totaliter abſolutum; remiſſa tamen conſuetudine manus mortuæ hominibus ſancti Germani pro mille libris Pariſienſibus & illis de Perrigniaco pro ſexaginta libris. Cum autem Anſericus domnus Montis Regalis vaſſallus Eccleſiæ S. Germani, domui S. Germani de Curte-Arnulphi Tyrannicâ feritate, tam in nemore, quam in plano infinitas iniurias irrogaſſet, nec non & fratrem Giraldum dictum Chuatt, Monachum cuſtodem dictæ domus, poſtpoſito Dei timore cepiſſet, captúmque male tractaſſet, dictus Abbas adiit nobilem & excellentem principem Theobaldum Regem Nauarræ & Comitem Campaniæ, à quo dictus Auſericus caſtrum de Inſula tenebat in feodo, petens ſibi per eius potentiam dictas iniurias emendari, à quo dictus Anſericus pluries in ius vocatus iuri ſtare noluit, nec etiam ſe eius conſpectui præſentare: propter quod dictus Rex dictum caſtrum de Inſula cepit, & cum eo quidquid dictus Anſericus tenebat in feudum ab Eccleſia ſancti Germani, quæ omnia hæredes dicti Regis adhuc detinent occupata. Huius tempore miniſtri Matildis Comitiſſæ Niuernenſis quoddam patibulum apud Iranciacum in terra ſancti Germani per miniſtros Eccleſiæ eleuatum deſtruxerunt; & licet dicta Comitiſſa magnæ eſſet potentiæ, tamen dictus Abbas câ inuitâ, & quantùm potuit renitente, eius miniſtros compelli fecit dictum patibulum reparare, & vſque nunc fuit & eſt Eccleſia in poſſeſſione patibuli memorati. Per idem tempus Stephanus dominus de Campolay homines de Vaugino qui ſunt iuris Eccleſiæ S. Germani, multipliciter infeſtabat aſſerens iuriſdictionem dictæ villæ ad ſe totaliter pertinere, contra quem dictus Abbas ſuper dicta iuriſdictione litigauit diutiùs, & tandem mediante recolendæ memoriæ domno Vuidono de Melloto Autiſſiodorenſi Epiſcopo limitata fuit iuſtitia dicti militis & Eccleſiæ, & remanſit Eccleſię totalis iuſtitia dictæ villæ. Huius etiam tempore mortua dicta Comitiſſa Niuernenſi, miniſtri comitatus Autiſſiodorenſis occuparunt violenter portam de Villa-noua ſubtus Abbatiam ſancti Germani, & ex tunc ius Eccleſiæ in dicta porta, & in parte quadam burgorum S. Germani inceperunt contra iuſtitiam perturbare, & extra villam in aqua & in terra; licet autem ſuper dictâ controuerſiâ fuerit diutius litigatum, & facta tria vel quatuor compromiſſa, tamen tum propter mortem Matildis Comitiſſæ, quæ dictæ Mathildi ſucceſſit, tum propter mortem dicti Abbatis, ſeu propter aduerſariorum cauillationes, tempore dicti Abbatis dicta turbatio non ceſſauit, nec dicta diſcordia finem debitum eſt ſortita. Huius etiam tempore promoto in Senonenſem Archiepiſcopum domno Henrico Cornuti electo Niuernenſi, Guillermus de Grandi-puteo Theſaurarius Senonenſis factus eſt Epiſcopus Niuernenſis, ſic domus de Summa-caſa ad Monaſterium rediit, quam ipſe & conſanguinei ſui Senonenſes Canonici tenuerant per triginta annos & amplius. Quam tamen idem Guillermus violenter detinere conatus eſt contra proprium iuramentum, procurante tamen prædicto Abbate non ſine magnis expenſis & laboribus penes dictum Abbatem remanſit domus poſſeſſio prælibata. Inter tot autem aduerſitates Eccleſiæ ſibi commiſſæ redditus in quantum potuit augmentauit: apud Vigrontum prauas coſtumas, feodum, & multa alia comparauit à domino de Bello-monte, quæ magis Eccleſiæ erant in damnum, quàm ipſi domino cederent ad profectum: apud Perrigniacum plures terras, prata, & vineas acquiſiuit, inter quæ tenementum Mancion annuatim valens centum ſolidos Turonenſes conuentui dedit pro ſuo anniuerſario celebrando. Quia verò ædificiorum iucunda amœnitas hominis corpora ſuſtentat & recreat, corda lætificat & confortat, in prædicto Monaſterio pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ſupra cellarium cum adiutorio Priorum & adminiſtratorum fieri fecit aulam pulcherrimam cum logiis ſupra curtem, ex quibus proſpici poſſunt introitus Abbatiæ & ferè omnium officinatum, & videri & percipi aëris amœnitas gratioſa: iuxta aulam autem fecit parari Cameram ſatis bonam & oratorium ad orandum: turrim ſartrinam quæ corruerat reparauit, iuxta quam ædificauit carcerem fortem pro malefactoribus detinendis; cúmque inter Abbatiam & clauſum vineæ muri clauſura deeſſet, muros altis cum propugnaculis ædificauit: ibidem graneria & domum lapideam ſuper portam. Circa principium regiminis ſui Eccleſia de Monaſteriis igne in ſe ſuccenſo combuſta fuit cum omnibus Monaſterialibus offici-

nis, exceptis dormitorio & infirmitorio : omnes illas officinas excepta Eccleſia ipſereparauit fabricam Eccleſiæ à Sauerico Abbate Virziliacenſi incœptam; & ſi non conſummauit, tamen in altum extulit, & prouexit, grangiam iuxta ſtagium ædificauit pro tertiis de Riparia reponendis, quam grangiam Comes Batrl etſi deſtruxit, tamen ad dicti Abbatis instantiam compulſus per Regis potentiam & iuſtitiam eam poſtmodum reparauit: apud Riconorum remotis veteribus ædificiis, quæ quaſi nullius erant valoris per manus Petri Decani, & ſucceſſoris eius aulam bonam cum logiis, cameris & appendiciis fieri procurauit; apud Eſcanum optimam grangiam cum torculari, & camera iuxta fecit: ibidem etiam ſuper caueam fecit domum fieri ſatis aptam in eadem villa per manum Boni amici Clerici, domum, & ſtalla pro carnibus, & aliis mercimoniis vendendis fieri procurauit, domos ſuas de dicta villa cum tota porpriſia fecit foſſatis aqua repletis & piſcibus circuncingi, apud Perigniacum fecit domum ſuper portam anteriorem cum cameris inferioribus, iuxta domos inferiores fecit logias, bretanchiam, & cameram iuxta eam in augmentum curtis eiuſdem loci. Quoddam tenementum eidem adhærens acquiſiuit, vbi etiam ædificauit grangiam pro equis & aliis animalibus reponendis. Eius etiam tempore Laurentius Preſbyter Canonicus Autiſſiodorenſis dedit Eccleſiæ Sancti Germani quandam domum in eadem villa cum quatuordecim arpentis pratorum & terris ferè ad vnam carru am. Apud Summam Caſam fecit domum & caueam ſub ea pro vino in æſtate frigidiùs conſeruando : acquiſiuit etiam ibi plures terras apud Groſſum-boſcum, fieri fecit cellarium teſtudinatum cum graneriis, & domo ſuperiori, columbarium etiam, & torcular; apud Vlmetum fecit grangiam lapideam optimam pro frugibus reponendis, apud Heriacum per manum Humbaudi Camerarij domum aptiſſimam inferius iuxta Cellarium logias & caueam fieri procurauit. Cùm autem Eccleſia Sancti Germani à parte Orientali, tum propter vetuſtatem nimiam, tum propter incendia, quibus bis conſumpta fuerat, adeò minaretur ruinam, quòd nullus in maiori altari aliquanto tempore auſus fuerat celebrare, idem Abbás indignum iudicans famulum melius quàm Dominum habitaculum poſſidere, & vt alter Dauid nolens habitare diu in domo cedrina, Arca Dei ſub pellibus exiſtente, habito cum Conuentu diligenti conſilio dictam Eccleſiam decreuit opere mirifico renouare. Adueniente ergo tempore cum propter inchoationem noui operis neceſſarium foret vetus deſtruere, ne theſaurus pretioſiſſimus reliquiarum, qui ibidem in maiori altari repoſitus fuerat ab antiquo, minus dignè minúſque reuerenter inter laicos operarios tractaretur, maximè cum luminaria, vt decet, ibidem non poſſent accendi, nec Miſſarum conſueta ſolemnia celebrari. Decretum eſt vt eædem reliquiæ ad alium locum eiuſdem Eccleſiæ magis celebrem transferrentur. Deſtructo igitur principali altari anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, in die Sancti Georgij in Aurora dictus Abbas, adiunctis ſibi quibuſdā fratribus ſarcophagum lapideum ferratum, quod erat in medio altaris fecit remoueri, & cum reuerentia ſuper altare Miſſæ matutinalis non ſine magnâ deuotione & lachrymarum effuſione deponi, & aperiri; aperto igitur dicto ſarcophago, inuentum eſt in eo vnum oſſiculum de ipſo corpore beati Germani, vt creditur, cum parte ſerici pallij ſimilis illi pallio ſudarij, quod habetur in Theſauro, & multis aliis indumentis tam ſericis quàm lineis, & tribus vel pluribus ſcriniolis, & aliis lignis de capſa, vt creditur in quâ delatum fuit corpus eiuſdem Sancti Pontificis à Rauennâ, & cum multo puluere de corpore & interiori eius ſepulchro, vt creditur; inuentus etiam fuit ibi vnus denarius Autiſſiodorenſis monetæ. Item in eodem altari in quodam ſcrinio eburneato inuentæ fuerunt reliquiæ de tribus lignis Sanctæ Crucis, de Capillis Beatæ Mariæ Virginis, dens beati Ioannis Baptiſtæ, & digitus beati Amatoris cum pluribus aliis: Item in alio loco eiuſdem altaris reliquiæ de Sancto Andrea Apoſtolo, quæ omnia in Theſauro ipſius Eccleſiæ fecit dictus Abbas honorificè & decenter collocari. Cúmque Monaſterium per annos triginta & quatuor vel circiter gubernaſſet, & iam fractus pluribus ægritudinibus finem ſuum appropinquare ſentiret, ad Parlamentum tamen Pariſiis iter non dubitauit arripere, tractaturus de pace cum Ioanne de Cabilone Comite Autiſſiodorenſi, qui Monaſterium Sancti Germani grauiter affligebat, bonam hanc virtutum ſuarum conſummationem exiſtimans, ſi pacem Eccleſiæ redditam reliquiſſet. Inde autem rediens infecto negotio apud Moretum infirmitate corporali corre-

ptus eſt, ſicut Domino placuit, qui ſic labores ſuos in ſuo ſeruitio conſummare fœliciter diſponebat, Tandem ingraueſcente ægritudine ſeptimo Kalendas Martij in fide ſincerâ, deuotione præcipuâ, & Dei dilectione feruenti, hac eadem hora, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Cruce pro mundi vita mori voluit, ad extremam horam veniens iunctis manibus & oculis ad cælum erectis ſpiritum fœliciter altiſſimo reddidit Creatori · & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Rexit autem tempore Cæleſtini, Innocentij, Alexandri, Vrbani, Clementis, Gregorij, Innocentij, Adriani, Ioannis & Nicolai Roman. Pontificum, Ludouici & Philippi Regum Francorum, Bernardi, Regnaudi, Guidonis & Erardi Pontificum Autiſſiodorenſium. Cuius corpus Autiſſiodorum delatum intra Eccleſiam Sancti Germani in parte Auſtrali, iuxta Regnaudi Abbatis Patrui ſui tumulum honeſtam meruit ſepulturam anno Domini milleſimo ducenteſimo-ſeptuageſimo-ſeptimo, quinto Kalend. Martij, & vacauit Eccleſia per octo annos, & ſex menſes propter diſcordiam Electorum.

APPENDIX SEV CAP. XVIII.

DE GVIDONE ABBATE.

LEgitur in Deuteronomio, non appareat coram Domino vir vacuus, ſed offerat vnuſquiſque ſecundùm quod habet, & ob hoc ego Aymo de Bordis Monachus & operarius huius Eccleſiæ meruens verbum ſupradictum ſi vacuus incederem Verbi Dominici ſequor exemplum dicentis, Pater meus vſque modo operatur & ego nunc operor: qua de re ſecundùm quod eſt mihi poſſibile opus tam egregium de Geſtis Abbatum à bonę memoriæ venerabili & Reuerendo Patre Guidone Abbate huius Eccleſiæ, inchoatum, poſt ipſum balbutiens, hebes & inſcius aggredior, omni famæ iactatione & inanis vulgi clamoribus, nouit Deus, prætermiſſis, de illo confidens qui perficit imperfecta, vnde quæ de prædicto venerabili Patre noſtro ſcire potui tum per me, tum ex relatione ſeniorum & antiquorum meorum, arengis ornatúque verborum poſtpoſitis huic operi addidi, mendacio non adiecto, quoniã ipſius vitæ ſanctitas operum ſuarumq; virtutũ magnitudo homini memoriæ meruerunt vehementer cõmendari, verùm quia dictus Guido Geſta prædeceſſorum ſuorum Abbatum huius Eccleſiæ vſque ad ipſum fideliter recitauit, dignum eſt vt geſta ipſius in huiuſmodi libellulo ad ſuccedentium memoriam recitentur, quamobrem ab ipſo Guidone incipere dignum duxi Fuit igitur iſte Guido breuis in corpore omnique magnus in opere, & in corde; natione Burgundus de Diœceſi Eduenſi, oriundus de villa quæ Mymo vulgariter nomen habet, ex nobili genere, atque parentibus procreatus fuit. Inſuper de genere reuerendi Patris I. de Ioſenual, Abbatis huius Eccleſię ſuique prædeceſſoris, ipſe enim Guido à primis ætatis ſuæ annis in hoc Monaſterio regulari ſubditus diſciplinæ, ita in actus Monaſticos vigilauit & munda mente ſic Monachum ſe totum exhibuit, quòd etiam majores ſui lucido ſuæ conuerſationis exemplo poterant edoceri, fortis in aduerſis, inter proſpera humilis iugum obedientiæ cum omni patientia & manſuetudine ſubportauit: ipſe verò in ætate ſupradicta conſtitutus per nouem annos, & amplius in iure Canonico, & Theologia fuit Autel. atque Pariſiis eruditus, deinde ipſo adhuc exiſtente Subdiacono grenetarius huius Eccleſiæ per Ioannem de Ioſenual, tunc Abbatem eſt effectus, & ibidem viriliter atque magnificè iuſtitiam, & quud ſibi incumbebat, exercuit erga omnes, & præcipuè erga Prępoſitum Stephanum magnum, & honorabilem burgenſem, qui præpoſituram noſtram huius villæ iure hæreditario poſſidebat, quem præpoſitum pro eo quòd quoſdam homines noſtros nobis furtiuè ſubtraxerat, in carcerem noſtrum fecit introduci, ob quam cauſam parentes ipſius Stephani in portas Abbatiæ noſtræ violẽter irruerunt, quibus de cauſis dictus Guido prædictum Stephanum, & hæredes ſuos adeò fuit proſecutus, quòd dictam præpoſituram noſtram, nec non & ius hæreditarium, quud ipſe & ſui in ipſa poſſidebant, in perpetuum amiſerunt. Ipſo verò adhuc in illo officio exiſtente opus valdè mirificum, & nobis quamplurimùm fructuoſum fuit aggreſſus, & compleuit, ô quàm noctes tranſiuerit inſomnes, vt nobis ſubditis ſuis quietem prępararet, legendo vi-

delicet & ſtudendo literas & cartas noſtras, quæ à tantis & tam longinquis temporibus & ex tam diuerſis figuris ſeu literis extraneis ſunt formaræ & confectę, quòd vix aut nunquam noſtris temporibus poſſet nobis ſeries reſerari, vnde ſeriem prædictarum literarum ſeu cartarum poſt multos labores & anguſtias in quodam cartulari bene legibili fecit inſcribi & apponi. Poſt hęc verò factus fuit Eleemoſynarius de Monaſterio in Puſçya, & Priotatum eundem nomine Prioris ſagaciter diu rexit, deinde factus fuit Decanus de Recognito, & ibi viriliter ſe habuit in iuſtitia & aliis exercendis: poſtmodum verò ad viſum Ioannis de Ioſenual Abbatis dictus Guido relinquens omnia, volens eſſe ſecundum Domini præceptum obediens vſque ad mortem, in Priorem huius Eccleſię eſt electus, & ibidem eſt diu laudabiliter conuerſatus, ipſo verò exiſtente Priore Ioannes Abbas ſępedictus de præſenti vita, expirauit, & vt ante dictus Guido ad annós perfectæ ætatis perueniſſet, inter fratres huius Eccleſię tanta fuit diſcordia de ſubſtituendo Abbate, quod in vnam perſonam non potuerunt aliqualiter conuenire, licet in duobus diuidentes vota ſua, altera partium ſæpedictum Guidonem, ſæpéque dicendum, reliqua Ioannem de Thyengiis Priorem Leuenſem in Anglia, in Abbatem huius Eccleſiæ diſcorditer elegerunt anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, 5. kal. Aprilis, quorum electiones ad ſedem Apoſtolicam fuerunt per appellationem deuolutę, & ibidem poſt multas altercationes octo annis, & ſex menſibus prius elapſis per Honorium ſacro-ſanctæ Eccleſię Romanæ ſummum Pontificem terminatæ qui dictum Guidonem, qui de officio in officium per Dei gratiam de virtute in virtutem proceſſerat, in Abbatem huiuſmodi Eccleſiæ pronunciauit, & præfecit anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto, ſexto kal. Septemb. fecitque munus benedictionis impendi per Dominum Latinum Cardinalem Hoſtienſem anno quo ſupra, quinto Idus Septemb. acta ſunt hæc in Ciuitate Tiburtina anno, & diebus quibus ſupra, impoſito priùs dicto Ioanni de Thyengiis ſuper electione ſua ſilentio ſempiterno, poſt hæc verò reuerſus eſt ab vrbe Romana Guido Abbas; ſed paulo poſt ac reuerſus eſt, omnes homines vtriuſque ſexus ſuarum villarum ſibi ſubditi inſano vtentes conſilio inſurrexerunt contra ipſum, ſed ipſe Guido tanquam murus immobilis ſibi reſtitit ex aduerſo, adeò quòd dicti homines de neceſſitate facientes virtutem, veniam ab ipſo poſtularunt. Illo autem tempore regnabat & vigebat diſcordia inter nos & Comitem huius villę, de qua locutum primò Capitulo præcedenti. Verum bonis viris mediantibus dicta diſcordia fuit ſopita prout in literis Illuſtriſſimi Principis Regis Franciæ cera viridi ſigillatis pleniùs continetur, & quod dictum eſt in Capitulo præcedenti, quòd Ioannes Abbas conſtituerat, quòd in qualibet hebdomada in Conuentu fierent duodecim lectiones de beata Maria, quod quidem tempore ſuo propter negligentiam ordinandi non fuerat obſeruatum, ipſe vero Guido cum Conſilio Seniorum ad laudem Virginis glorioſæ dictum ſeruitium. vnà cum illo, quod fit infra octauas omnium Sanct. ordinauit, quod quidem ſeruitium fuit noſtris temporibus obſeruatum: decurſo verò ſpatio aliquanti temporis, & vacante Eccleſia Cathedrali Autiſſiodorenſi per mortem Reuerendi Patris Guillermi Epiſcopi dicti loci dictus Guido limina Apoſtolorum Petri & Pauli voluit viſitare, credens impetrare à ſummo Pontifice, nos eſſe immunes in toto vel in parte à ſex diebus, quibus tenebamur Epiſcopum Autiſſiodorenſem in iocundo aduentu ſuo in Abbatia ſua recipere, & ſibi & ſuis neceſſaria miniſtrare, ſed infecto negotio ipſo exiſtenti in Curiâ anno iam elapſo ad propria eſt reuerſus: accedit ergo non multum longè à reuerſu ſuo quod quidam Preſbyter, qui Beççarre vocabatur, exiſtens de Choro Autiſſiodorenſi, quendam porcum ſiue ſuem extractam à ſyluestribus valdè domeſticam, quæ erat dicti Guidonis Abbatis, in ſua vinea inuentam euaginato gladio interfecit, hoc audientes quidam Monachi maligno ducti ſpiritu clauſuram Abbatiæ exeuntes in domum dicti Preſbyteri, & in bona atrociter inierunt, ipſum plurimùm damnificando, vineámque ſuam radicitus extirpando. Qua de re Epiſcopus Autiſſiod. Monachos, qui deliquerant, corrigere voluit & punire, ſed reuera dictus Guido Abbas ſe oppoſuit viriliter ex aduerſo dicens ad ipſum, tam de iure, quàm de antiqua conſuetudine in ſuo Monaſterio antiquitus obſeruatâ correctionem & punitionē Monachorum ſuorum totaliter pertinere. Verùm quia iſtud negotium per appellationē extitit ad Romanam Curiam deuolutum, dictus Guido,

licet eſſet ſenex, & quâmplurimùm ex multis & diuerſis infirmitatibus in corpore intúſque & exterius prægrauatus, corpori ſuo atque ſenectæ noluit parcere, immò voluntarios labores appetijt, vt nobis ſuis ſubditis in pace liceret viuere & quiete, Romam videlicet adeundo, per tres ferè annos, ibíque morando. O quàm iſta mora fuit, eſt & erit nobis quamplurimùm fructuoſa! ô quàm digna eſt relatu? ô quantum fructum noſtris temporibus vidimus accidiſſe! Legitur enim in compotis huius Eccleſiæ Erardum Epiſcopum huius villæ in ſex diebus, in quibus intus moratus in iocundo aduentu ſuo ſexcentas libras & amplius expendiſſe. O quàm iſte caſus in ſpatio modici temporis poſſet pluriès accidere! vidimus enim noſtris temporibus poſt impetrationem priuilegij ſuper hoc impetrati iſtum caſum bis ferè in anno vel duobus annis accidiſſe. Dictus verò Guido ſuper prædictis ſex diebus priuilegium tale impetrauit, quòd Epiſcopus Autiſſiodorenſis in iocundo aduentu ſuo pro ſex diebus ſexaginta libras Pariſienſes ſolummodo habeat videlicet pro qualibet die decem libras, prout iſta & alia valdè vtilia in priuilegio ſanctiſſimi Patris ac Domini Bonifacij Papæ Octaui plenius & clarius continentur. Iſto etenim priuilegio noſtris temporibus vſi fuimus contra duos Epiſcopos Autiſſiodorenſes Petrum videlicet de Bella pertica, & Petrum de Greſſibus. Poſtquàm verò dictus Guido ab vrbe Romanâ fuit reuerſus, quod negotium ſuper correctione & punitione Monachorum in Curia fuit minimè conſummatum, bonis viris mediantibus inter Petrum de Mornayo, tunc huius villæ Epiſcopum, & dictum Guidonem Abbatem noſtrum compoſitum extitit, ac etiam concordatum, prout in libris ſuper hoc confectis videbitur plenius & apertius contineri. Iſte verò, de quo hic loquimur, ædificia fieri fecit plura, magnam domum de Recognito in parte fecit, vna cum domibus de Villari-vinoſo, quas ipſe fecit, nec non & duas turres, quæ ſunt apud Perigniacum ſituatæ, foſſata de Eſcanno fecit reparari, & illa de Soëriis fecit penitus augmentari. Decorauit inſuper Eccleſiam noſtram quamplurimis libris nouis, quos fieri fecit, & ſcribi propter antiquorum nimiam vetuſtatem; fecit etiam alia plura, quæ longa eſſent enarratu, & quæ omitto, ne te legentem verborum onerem ruditate, & iſta tibi ſufficiant pro geſtis ſuis, ſed aliqua de ipſius vita proferamus. Fuit reuerâ iſte Guido lucerna Monachorum ſuper candelabrum poſita, lucens & ardens, lucens in prædicationibus & operibus, ardens verò in vera dilectione Monachorum ſuorum, nec non & in perfecta charitate, & breuiter, omnibus, qui in domo Domini erant; ſuis temporibus hic lucebat. Fuit inſuper virtute venerabilis, gratia plenus & caſtus, qui præcinctis lumbis ſuis ſuper gregem ſibi commiſſum diligenter ac ſtudioſè vigilans, honori ac vtilitati Monaſterij noſtri ſe totum impendere non ceſſabat, litterarum ſcientia ſtrenuiſſimè imbutus, in ordinis obſeruatione manſuetus & rigidus, in temporalium adminiſtratione ſtrenuus, in contemplatione & oratione peruigil, in ſermone verax, in conſilio diſcretus, in commiſſo fidelis, in refectione naturali ſobrius & modeſtus, infirmorum pius viſitator, pauperum erogator, nudorum veſtitor, triſtium conſolator, viduarum & pupillarum adiutor, & defenſor, in actu & habitu ſupra cæteros benignus & humilis exiſtebat. Iſte Guido verus erat pater, qui filios ſuos paterna deuotione ſpiritualiter ac temporaliter, non in ſolo pane, ſed verbo pariter & exemplo; doctus erat ſcriba, nam fratribus ſuis prædicando gaudium & pœnam, ſupplicium & gloriam promittebat, vt promittendo gaudium excitaret ad meritum, minando ſupplicia, à ſubditorum moribus noxas omnes & vitia extirparet. ipſe etenim bonis operibus in ſeipſo oſtendebat, qualiter alios in domo Domini oportebat conuerſari: corpus autem ſuum tali abſtinentia affligebat, quòd per octo annos & amplius ante eius obitum quarta feria ab eſu carnium abſtinebat, & hoc ita per quinque annos ſecretè faciebat, quòd nullus familiæ ſuæ potuit percipere quoquomodo Chriſti ſequens præceptum dicentis, ſi bonum faciat dextra tua, neſciat ſiniſtra: inſuper quotiens in lecto ſuo volebat intrare ad pauſandum cingebat ſe funiculo groſſis nodis & aculeis innodato, vt carnem ſuam infirmam plus domaret: multoties verò fertur cilicium induiſſe, ipſe verò vna cum ſeruitio noſtro magno & ponderoſo, pſalterium Dauid, Pſalterium beatæ Virginis glorioſæ, & officium de Mortuis, die qualibet proferebat, quod difficile eſt reputandum, & quod plus eſt pſalterium Dauid cum dimidio vna cum aliis prædictis fertur multoties dixiſſe: ſemper orationibus inſiſtebat, niſi ipſum aut comeſtio, aut dormitio impediret iuxta Apoſtolum dicentem

ſine

ſine intermiſſione orate, & vt liberius ipſe poſſet orare, & contemplationi vacare, antequam ipſe cederet, per quinque annos & amplius cedere voluit onerinoſtræ Abbatiæ & honoris; ſed nonnulli quærentes quæ ſua erant, imò veriùs quæ ſua non erant, vel credentes dictum Guidonem adhuc eſſe vtilem ad regimen noſtræ Abbatiæ ſupradictæ, ab iſto propoſito diuerterunt; ſed hoc videns ipſe Guido; tanta ſiquidem ſollicitudine tantáque deuotione ſpiritualibus rebus adhæſit, vt cum Maria ad pedes Ieſu ſedere iocundaret, omnem adminiſtrationem Monaſterij noſtri quibuſdam Monachis commendauit, qui Monachi decretum non habentes præ oculis dicens, in apibus vnus eſt princeps, grues vnam ſequuntur, vnum in regimine nunimè ſequebantur; ſed quilibet ſeipſum, prout melius ſibi erat, ſequebatur; vnde regimen Abbatiæ, quod per tot manus incedebat, bonum exitum poterat vix ſortiri, cùm eſſet in tot manibus, ſic diuiſum, iuxta Philoſophum dicentem; fortior eſt virtus vnita, ſeipſa diuiſa; & quod ſtatus & regimen Abbatiæ propter cauſas prædictas aliquantulum titubabat. Hoc præuidens dictus Guido, attendénſque ſenectutem, nec non & infirmitates ſuas, quæ ipſum in pluribus ſuis ſenſibus perturbabant, anno Domini milleſimo trecenteſimo-nono, die Martis poſt Aſcenſionem Domini, in manibus Domini Adeodati Abbatis de Latiniaco, & Domini Ioannis Cocardi legum Profeſſoris Commiſſariorum Reuerendi Patris Petri de Greſſibus Epiſcopi Autiſſiodorenſis, oneri noſtræ Abbatiæ ceſſit ac honori, cuius ceſſionem nonnulli Monachi defleuerunt, & qui vidit, teſtimonium perhibet, & teſtimonium eius verum eſt. Acta ſunt hæc apud Summam Caſam, anno & die ſupradictis. Retinuit verò dictus Guido prædictam domum de Summa-Caſa cum pertinentiis dictæ domus pro neceſſitatibus ſuis ſupportandis. Verùm reuerendus Pater Galcherus Abbas ſucceſſor ſuus videns dictum Guidonem modicum in redditibus retinuiſſe, ob affectionem quam erga ipſum Guidonem diu habuerat & habebat, redditus de Campis propè Autiſſiodorum ſibi contulit & commiſit. Dedit enim iſte Guido Conuentui tria arpenta prati apud Digiam ſituata, in prato videlicet Diderij vna cum duobus arpentis & dimidio vinearum apud Franciacum ſituatarum, quæ omnia ab heredibus Domini Guidonis de Triſiace militis comparauit pro anniuerſario ſuo anno quolibet faciendo. Rexit autem dictus Guido Abbatiam noſtram ſtrenuiſſimè & famoſiſſimè per viginti tres annos cum nouem menſibus, & circiter quindecim diebus, regnantibus Honorio, Gregorio, Cæleſtino, Bonifacio, Benedicto, & Clemente Romanis Pontificibus, & Philippo filio Philippi filij Sancti Regis Ludouici Rege Francorum, nec non & Guillermo de Greſſibus, Petro de Mornayo, & Petro de Bella-pettica, & Petru de Greſſibus Epiſcopis Autiſſiodorenſibus. vixit inſuper iſte Guido, poſtquam ceſſit, circa quinque annos, obiit autem apud ſummam Caſam annu Domini milleſimo trecenteſimo decimo-tertio, ſexto kalendas Martij, cuius corpus Autiſſiodorum honorificè eſt delatum, & cum omnibus proceſſionibus Autiſſiodori eſt receptum & ſepultum in Eccleſiâ Sancti Germani in parte Auſtrali iuxta Regnaudum, & Ioannem Abbates huius Eccleſiæ, ſuóſque prædeceſſores, cum magno honore populi, & maximo luminati.

CAP. XIX. De Gavchero Abbate avctore Odone de Vavcemani Priore dicti monasterii.

Nos qui relinquimur, & qui reſidui ſumus, attendere debemus, quanta audiuimus & cognouimus quæ patres noſtri narrauerunt nobis, imo filiis qui naſcentur & exurgent fidelicet enarrare, & in ſcriptis redigere merita venerabilium & Sanctorum Patrum, vt per relationem bonorum operum & commendationem virtutum poſteri ad bene operandum & perficiendum de bono in melius fortiùs animentur, negligentéſque & ignaui à ſuo torpore & inertia excitentur, & per conſolationem ſcripturarum ſpem habeant in Domino Ieſu Chriſto, nec obliuiſcantur operum Dei, ſed mandata eius nitantur exquirere toto corde. Idcirco ego frater Odo de Vaucemani humilis Prior Monaſterij Sancti Germani Autiſſiodorenſis, conſiderans merita & virtutes, quibus refulſit vir venerabilis & præclarus bonæ laudabiliſque memoriæ Dominus Gaucherus, Abbas huius Monaſterij prælibati, quem vidi, cuius vitam agnoui, in quem ſpem gloriæ habui, quem dilexi, mores ipſius, actus, vitam, merita, & virtutes, nec non beneficia, quæ noſtro Monaſterio ſub ſuo

regimine obuenerunt, & ſi non omnia ex pluribus, tamen pauca non poſſum, nec audeo, imò neque debeo ſalua conſcientia omittere, ſeu ſub ſilentio prætetire. Fuit igitur prædictus vir vitæ venerabilis Gaucherus, natus de Caduco villa iuxta caſtrum Sancti Florentini, in Pago Senonenſi, ex Patre nomine Petro Dignon milite, & Agnete eius vxore legitime procreatus, qui fecerunt eum in primitiuis ſcientiis erudiri, & ſub diſciplina magiſtri bonis moribus & actibus virtuoſis ſtrenuè informari. Demùm cum eſſet annorum tredecim, vel circa diuina prouidentia tradente ſibi domno Ioanne Abbate in hoc Monaſterio habitum religionis aſſumpſit, videlicet anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo; prædicto autem Abbate viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Guido de Mugnais, cuius vita inclita totum Monaſterium multipliciter illuſtrauit, prout ſufficienter in ipſius titulo eſt oſtenſum, tunc Prior Clauſtralis huius Monaſterij electus fuit diſcorditer in Abbatem, & diabolo inſtigante zizaniam ſeminante inter fratres durauit diſcordia ferè per nouem annos in Curiâ Romanâ, antequam potuerit terminari: tandem ipſe Guido Abbas ordinatus tradidit dicto Gauchero claues Cellarij deferendas, deinde non poſt magnum tempus commiſſum fuit regimen domus, ſeu grangiæ de Nerone, & poſt aliquod temporis interuallum data fuit ſibi domus de Cigriaco cum redditibus & emolumentis ipſius, poſtmodum factus fuit Decanus de Recognito, quod per quinquennium vel circiter laudabiliter gubernauit, & vtiliter iura ipſius, necnon totius Eccleſiæ ſuſtinuit & deffendit: nam tunc temporis quaſi omnes homines Eccleſiæ ſeruilis conditionis maligno ducti ſpiritu contra Eccleſiam inſurrexerunt in libertatem ſeu franchiſiam proclamando, ſed per induſtriam & labores ipſius coacti fuerunt dicti homines ſuum recognoſcere errorem, & ad ſeruitutem priſtinam redierunt, quod non fuit factum ſine ipſius & totius Eccleſiæ magnis laboribus & expenſis. Vltimò verò factus fuit Prior de Monaſteriis, in cuius regimine quàm laudabiliter, quàm ſtrenuè, quàm vtiliter ſe habuerit, Eccleſiæ ipſius Prioratus profectò prædicat, Magni Stagni de Bourdon, cum domo pulchra adiacenti conſtructio clamat, Columbarij, murorum & turrium ædificatio, virgulti poſterioris plantatio, ipſius induſtriam ſollicitudinem & diligentiam omnibus manifeſtant. Hoc etiam plurium poſſeſſionum acquiſitio dilucidat & declarat. Illo tempore vacante Monaſterio Arremarenſi, Trecenſis Diœceſis electus, fuit dictus Gaucherus in diſcordiâ tamen, & à minori parte Conuentus, pro cuius electionis proſecutione ſedem Apoſtolicam adiit perſonaliter, tempore Bonifacij VIII. à quo infra triduum ſententiam contrariam reportauit, quod factum fuiſſe creditur beatiſſimi Germani interuentu qui ipſum futurum Abbatem ſui Monaſterij præſciebat, vnde noluit vt ipſum Monaſterium Sancti Germani ipſius præſentia & ſuffragio diutiùs fraudaretur, & idcirco ipſum ſuo proprio Monaſterio reſeruauit; proceſſu verò temporis vir prædicabilis memoriæ & præclarus ſanctitate, Guido Abbas ſenio confractus, viſu & auditu debilitatus, regimen Monaſterij ſponte ceſſit in manu Petri de Greſſibus Epiſcopi Autiſſiodorenſis, anno Domini mill. trecent. nono, prædictúſque Gaucherus tunc Prior de Monaſteriis de vnanimi conſenſu fratrum electus fuit per viam compromiſſi in Abbatem huius Monaſterij & Paſtorem, & in die Sanctorum Primi & Feliciani fuit dicta electio celebrata, nec ſine myſterio, quia ipſe primus Eccleſiam fœliciter gubernauit, maximè cùm in fœlici regimine anteceſſorem non habuit ſimilem neque parem, vt ſequentia declarabunt, Ipſe enim infra tres v[illegible] quatuor menſes à tempore benedictionis ſuę Monaſterium liberauit à multis o[illegible]bitis, quibus erat ſub vſuris & aliis pluribus creditoribus obligatum. In regimine ergo huius Monaſterij ſublimatùs non ambulauit ſupra ſe, ſed terminis ſuis contentus dimiſit Conſilium Regis, & ad regendum Monaſterium ſe totaliter mancipauit, conſiderans quòd non eſt aptus regno Dei retro reſpiciens ad aratrum manu miſſa. Fuit igitur virtutum operatione præclarus, humilitate præditus, quietus, humilis, pacem Euangelizans, iras & ſcandala reſecans, docens nihil penitus niſi ſolum de bono cogitare, & ſic Rectoris habuit officium atque nomen, incepit autem in ſui regiminis primordio tanquam ab opere digniori fabricam Eccleſiæ per magna tempora iam deſertam totis viribus in ſtatura attendens, quòd ſicut domus Dei dignior agnoſcitur, & ingentiori excellentia commendatur, ita debet inſignijs potioribus ve-

nerari. Vnde quandiu rexit Monaſteriũ, ducentas libras Pariſ. annis ſingulis fabricæ condonauit, & à Conuentu, vt tantam ſummã daret de ſuis pitenciis, precibus impetrauit; ipſam etiam Eccleſiam multiplicibus ornamentis & iocalibus pulcherrimis decorauit: nam dedit ſex paria veſtimentorum ditiſſimorum, ac etiam munitorum de omnibus quæ pertinent ad Subdiaconum, Diaconum, & Sacerdotem: item quatuor infulas ſine tunicis & dalmaticis: Item quinque altaris pallia, ſex ampullas argenteas; item duas alias argenteas ac etiam deauratas; item ſex calices, inter quos eſt vnus ditiſſimus, & valde pulcher: item ſex capas pulchras, inter quas ſunt duæ ditiſſimæ, ac etiam valdè pulchræ, vnam mitram ditiſſimam & valde pulchram, totam margaritis, ſapphiris, ſmaragdis, & multis alijs pretioſis lapidibus coopertam & ornatam. Item duos baculos paſtorales argenteos, ac etiam deauratos ditiſſimos, & inſuper valdè pulchros: Item vnam paruam mitram de puro filo argenteo, & de auro contextam, & totam margaritis, & multis aliis lapidibus similiter coopertam: Item centum marchas argenti puri, de quibus ſunt ſeptem magnæ Imagines fabricatæ, in quibus ſunt reconditæ Sanctorum Reliquiæ plurimorum: Item viginti parua vaſa argentea ac etiam cryſtallina, inter quę eſt vnum pulcherrimum. & in illo ſunt dentes plurimorum Sanctorum, & vnus dens beati Ioannis Baptiſtę, qui in medio illius vaſis eſt in vno paruo Capitolio cryſtallino & argenteo ſituatus: dictam etiam Eccleſiam pluribus aliis iocalibus exornauit, ipſum Monaſterium tam intra quàm extra pluribus formoſis & neceſſariis ædificiis inſigniuit, & non paucis redditibus & poſſeſſionibus augmentauit; in ipſo enim Monaſterio pulchram Capellam in hoſpitio Abbatum conſtruxit, turrim quamplurimùm eleuatam pro malefactoribus incarcerandis cum muris adiacentibus & propugnaculis ædificauit, grangiam elegantem incœpit, ſed morte preuentus imperfectam reliquit, quæ per Stephanum Abbatem ſucceſſorem fuit infra biennium conſummata: quandam domum ad vina ponẽda fecit, ipſam grangiam contingentem, clauſum vineæ ferè à porta Sancti Simeonis, vſque ad poſteriorem portam ipſius clauſi muris validiſſimis circumſtruxit, nec vltra progreſſus fuit malitioſè per gentes Comitis impeditus; quod impedimentum amouere, intercedente pecunia procurauit, tùmque impetrauit declarationem à dicto Comite quòd à porta Sancti Simeonis vſque ad portam de Villa noua, ſubtus Monaſterium, & ſuper muros ciuitatis poſſet ædificare, totum Monaſterium tum clauſo vineę muris & propugnaculis cum turribus excelſis poſſet circuncingere & firmare, quod non fuit abſque ingenti pretio & precibus impetratum. De Parrigniaco verò quid dicam, ipſa opera mirabilia ſunt auditui, ſed mirabiliora proculdubio in aſpectu, & ideo ſunt ſingulariter perſcrutanda. Primò ædificauit ibi grangiam lapideam miræ magnitudinis & latitudinis, in qua iacent animalia, fœnáque & ſegetes reconduntur; deinde fecit vnam magnam bergeriam verſus vineas de Biuerote, quæ mille oues poteſt recipere cum alimentis & paſtoribus earundem; poſtmodum fecit fieri duo ſtagna comparando ſitum ipſorum à perſonis pluribus & diuerſis. Quid plura? omnia ædificia antiqua diruit, cùm eſſent deformia, & etiam ruinoſa: ô quàm mirabile & quam incredibile! infra nouem menſes manerium in forma, in qua eſt, videlicet cum pauimentis & picturis integraliter conſummauit, virgultum adiacens pulcherrimum cum ſalicetis plantauit, & ipſam domum nobiliſſima ſupellectili adornauit: nec eſt illud omittendum, quòd quando dictum manerium ædificare incœpit, nullam habebat materiam præparatam, ſed intra ſpatium nouem menſium prædictorum ligna & lapides cum aliis neceſſariis adunauit, & totum opus compleuit. Quis ergo credet auditui noſtro, videlicet quòd tam breui tempore potuerit opus tam mirificum conſummare? Certè diligentia omnium artium mater, in qua præ cæteris viuentibus refloruit, ſpiritum ſuũ adiuuit & conſiliaria eius fuit. Apud Neronem fecit magnam domum pulcherrimã valdè cum clauſtro, cellario, & etiam torculari, nec non bergeriam ſatis aptã apud Groſſum boſcum excelſam conſtrui fecit domum, & torcular fodit in ea, cum domo conuenienti apud Gurgiacum; domum delectabilem cum ſuo porpriſio acquiſiuit: nam cùm dimidia pars ipſius domus ex quadam excaſura ad ius Monaſterij deueniſſet, aliam medietatem emit à quodam Majore dictæ villæ, pretio ducentarum librarum, & poſtmodum Capellam laudabilem & honeſtam erexit cum duabus cameris contiguis & propinquis, grangiam, preſſorium in alia forma quàm eſſent antea, ordinauit, apud Digiacum grangiam caſu furtuito

combuſtam in melius reſtaurauit, apud Brecena, vnam grangiam pulchram fecir. Item cùm idem Abbas ad Prioratum do Manſeliiś acceſſiſſet cauſa viſitarionis, totus Priorarus propter negligentiam famulorum de nocte incenſus fuit vniuerſaliter & combuſtus, quem fecit dictus venerandus Prior refici intra breue ſuis propriis ſumpribus & expenſis: remporibus etiam ſuis manus-mortua de Irancia-co fuit vendita, & remiſſa, decimæque dictæ villæ, quoniam vix conſueuerant recipi, fuerunt in pecunia commutatæ, videlicet in quatuor ſolidis pro arpento & ex manus mortuæ remiſſione, nec non & decimæ commutarione habiiit Monaſterium bonos redditus, vtpote ſexaginta libras annuatim, & nemus de la Prouenchere, quod erat commune vſuarium habirantibus dictæ villæ, fuit ſpecialirer appropriatum Monaſterio, & conceſſum: quodliber etiam arpenrum vineæ ſemel ſoluere debuit, arque ſoluit quinquaginra ſolidos pro præmiſſis ad redditus Monaſterij acquirendos, & licet prædicta pecunia habita fuerit & re-cepta, credo tamen quòd non fuir tora in reddituum acquiſitione conuerſa, ſed ob cuius culpam iudicio illius relinquo, qui iudicat de o... fi-dulè ſtuduerit, quàm prudenrer vacauerit, dignum duxi præcedentibus ...ctendum. Primò apud Autiſſiodorum planrauit vineam, quæ hodie vulgariter appellarur Planra Sancti Germani, in eodem territorio, & finagio de Perigniaco, domos, prata, terras arabiles, ſaliceta magnæ vtilitatis à pluribus acquiſiuir, & ſpecialiter à Bonnone de Sancto Florentino, emir quandam grangiam, & iuxta ipſam vnam domum à Ioanne dicto Lorys, quæ horto de Vabrum contiguè adhærebat, & per Abbatem Stephanum diruptæ fuerunt, vt Monaſterij clauſuram cum infirmotum ſpatio augmentaret. Item iuxra Rometum emit, la-Cumorgne, valenrem circa quindecim libras Turonenſes in alta iuſtitia, arque baſſa, à quodam Armigero, qui vocabatur Petrus de Sanctis Franchis Dominus Doumaigny, propè Aualonem, item apud Neronem clauſum vineæ quaſi totum planrari fecit, quod eſt pulcherrimum, vtile, atque magnum; ibique virgulrum, & plurima ſaliceta nutriuit, prata cum terris arabilibus acquiſiuir, apud Gurgiacum verò in terris, pratis, vineis, cenſibus, & aliis iuribus & poſſeſſionibus vſque ad quadraginra libratas terræ vel circa Monaſterij redditus ampliauit: in pago de ſumma-Caſa à quodam nobili, qui vocabatur Stephanus dictus Dorour, habuit circa duodecim libratas terræ pecunia mediante cum iuriſdictione omnimoda, & diſtrictum. Circa cultum verò diuini nominis ſummè fuit diligens & intenrus. Nam ante rempora ſua in altari beati Bartholomei tres Miſſæ rantummodo in Hebdomada debebantur, ſed ipſo inſtiruente, Miſſa ibidem Sancti Spiritus die qualibet celebratur, & quoniã breuitate gaudens, nolens ex prolixitate verborum, legentibus faſtidium generare, idcirco iis paucis conrentus finem impoſui geſtis eius viri, quia ſicut ſtella matutina in diebus ſuis luxir, eiúſque vita perlucida mentes hominum illuminauit, aliqua de eius vira & moribus perſtringere dignum duxi. Fuit enim deuotiſſimus erga Deum, nam ter vel quarer ad minus Miſſam qualibet hebdomada celebrabat, ſeruitium ſuum non ſyncopando, ſed diſtinctè reddebat, & niſi eſſet negotiis occupatus, nunquam neque diebus neque noctibus à colloquiis diuinis & oratione ceſſabat: fratribus quoque ſuis erat charitatiuus, quàm frequentiſſimè ad menſam ſuam pro refectione pleniori nunc hos nunc alios conuocabat, ipſos ad recreandum in ſuis hoſpitiis forenſibus conducebar, neceſſirates eorum pro viribus ſupporrabar, pecuniam beneficiatis indigenribus mutuando, veſtes, pecuniam, & alia Clauſtralibus tribuendo: erat etiam pœnitentibus miſericors, contumacibus ſeuerus, infirmis compatiens, in tribulationibus patiens atque fortis: dixit enim quandoque quod inter cæteras virtutes, quas habebar, ſola parientia plus ſibi intulerat commodi & honoris; vnde ipſam amicis ſuis, & domeſticis præ ceteris commendabat: pauperibus Chriſti, viduis & orphanis, ſcholaribus Pariſienſibus & Aurelianenſibus, quandóque publicè, quandóque ſecretè largas eleemoſynas erogabar, ſeipſum veſtibus vilibus induebat, & honeſtatem in habitu actúque & geſtu mirabiliter obſeruabar, carnem ſuam ieiuniis & afflictionibus diuerſis domabar, vt ſui ſecretarij pluribus retulerunt. Hic fuit ſuperioribus obediens & fidelis, inferioribus placabilis, domeſticis & vicinis amabilis, extraneis humanus, in gratiis concedendis frondoſus, cæteriſque donis & virtutibus multipliciter adornatus: vnde, quia omnes amabat, ab omnibus amabatur, & ſecundùm

præceptum beati Benedicti plus amari ſtuduit, quàm timeri ſtudebat; præterea vt dyſcoli ad ordinem conuerterentur, conuerſi non auerterentur, auerſi reuerterentur, peruerſi ordinarentur ad rectitudinem, ſubuerſi reuocarentur ad veritatem, ſubuerſores rationibus conuincebat, vel vt emendarentur, ſi fieri poterat, vel vt ſaltem perderent authoritatem, facultatémque alios ſubuertendi. Appropinquante autem tempore mortis cum Dominus ipſum feſſum à laboribus ad præmia inuitaret, dedit conuentui cenſus de Orgiaco valentes circa xxv. libras Turonenſes pro anniuerſatio ſuo & ſuorum annis ſingulis faciendo, quod ſibi licuit; cùm obtinuiſſet in quodam Capitulo generali, vt in recompenſatione acquiſitionum, quas fecerat, poſſet fundare anniuerſarium ſuum de antiquis redditibus Monaſterij, ſi ſibi expediens videretur. Conceſſit etiam conuentui viginti libras Turonenſes & duodecim cochlearia argentea valentia circa decem libras, ordinauitque vt bis in anno perpetuis temporibus pro ipſo & parentibus ſuis anniuerſarium celebretur, videlicet in die obitus ſui & in craſtino Inuentionis beati Stephani & qualibet vice per duos dies fiet officium ſolemne de mortuis, primâ die pro ipſo ſpecialiter, & ſecunda die pro ſuis parentibus & amicis, quibus quatuor diebus conuentus debet habere plenariam refectionem in pane, vino, & piſcibus, prout eſt in anniuerſariis quorundam prædeceſſorum ſuorum hactenus conſuetum. Inſuper totam pecuniam quam habebat ſuis familiaribus diſtribuit & dimiſit, in tantum, quod ſibi ſolus obolus non remanſit ſe in arcta paupertate mori diuitem non reputando, præterea diſpoſuit vt corpus ſuum in pratello clauſtri cum pauperibus clauſtralibus traderetur Eccleſiaſticæ ſepulturæ; funus ſuum, ſi abſque pompa fieret, iudicans glorioſum, quibus omnibus peractis poſt perceptionem deuotam omnium ſacramentorum feliciter in Domino diem clauſit extremum, & Monaſterium dimiſit in pace & tranquillitate, bonis omnibus opulentum. Obdormiuit autem in Domino prædictus pauperum pater anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo tertio; die Dominica ante feſtum Conuerſionis Sancti Pauli, illa hora videlicet, qua Dominus noſter IESVS-CHRISTVS, natus fuit de Virgine glorioſa. Rexit autem Monaſterium iſtud annis xxv. menſibus viij. tempore Clementis & Ioannis Romanorum Pontificum, Philippi, Ludouici, Ioannis Philippi, Caroli, Philippi Regum Franciæ, Petri de Greſſibus, Petri de Mortuo-mari, Talarando Petragoricenſi, Aymerico Guenat Pontificum Autiſſiodorenſium.

EXPLICIT.

HISTORIA
SELEBIENSIS MONASTERII,

QVOD FVNDATVM EST IN ANGLIA, IN honore Sancti Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo nono.

Auctore Anonymo qui ſcribebat anno MCLXXXIV.

DILECTIONIS tuæ precibus infinitis, virorum mihi Cariſſime, quibus me Hiſtoriographum creare non deſinis, plurima ſunt, quæ me huc vſque parere vetuerunt. Talibus ſiquidem ac tantis paſſim obedire rogatibus ætas immatura me vetuit, paruitas imperita prohibuit, ignorantia tenebroſa retraxit. Hæ ſunt meæ obſtinationis cauſæ præcipuæ, hæ excuſationes iuſtæ ſilentij, hæ ad excuſationem compulſiones violentæ. Cæterùm tua ſagacitas quod amicâ ſimplicitate noo valuit impetrare per ſe, aſtuta calliditate penè violenter extorſit per alium; quippe dum tuis precibus illius domni ſcilicet Prioris imperia ſociaſti, cuius iuſſioníbus obuiare nec paritur ratio, nec ſinit inſtitutio regularis. Sic coniuoctis viribus, tu precibus amicis iouitas ad ſtudium, ille imperiali obedientia compellit ad obſequium: tibi quippe quia amicus es, reſiſtere obſtioatè non debeo; illi, quia Dominus & pater eſt, obuiate nec volo, nec valeo. Negotium igitur curabo, quod imponitis, aggrediar hoc opus arduum hebes & inſcius, veſtra ſane merita meis viribus anteponens, & plus io veſtris orationibus, quàm io mea poſſibilitate confidens; aggredior inquam opus egregium puer & paruulus, qualitérque Eccleſia Selebienſis fundara ſit, quæ cauſa, quis modus fundationis extitit, qui & fundatores fuerint, ſicut ex ipſius Domni Prioris cæterorúmque ſeniorum relatione inueſtigare potuero, Domini Dei noſtri gratia adiuuante, litteris inſinuare curabo. Precor autem omnes huius opuſculi noſtri lectores, eorum veſtigiis mente prouolutus & animo, quatinus meam puſillitatem in charitate, quæ Deus eſt, ſupportantes, meæ infirmitati compatientes, nec inordinate poſitis obloqui, nec pueriliter ſtudeant derogare tractatis. Satis eſt me meo proprio iudicio iudicari, præterea ruſticitatis eſt & inclementiæ illum accuſare vel obloqui qui primitus accuſator eſt; ſui præſumptionis autem calumniam obedientia regularis, quæ ad hoc opus me compulit, refrænabit, ſimplicitatémque calami agreſtis ætas tenella, quæ vix viceſimum ſecundum annum ingreditur, excuſabit.

INCIPIVNT CAPITVLA.

I. *Qualiter Monachus digitum Sancti Germani decerpſit.*
II. *Quam admirabilem vltionem idem pertulit pro reatu.*
III. *De ſancti Præſulis corporis repoſitione, & obſequij diligentia.*
IV. *Qualiter Benedictus Monachus effectus ſit & poſtea ſubſacriſta.*
V. *Qualiter Sanctus Germanus tertiò apparuit, & in Angliam ad Selebiam cum digito ſuo transfretari monuit.*
VI. *Qualiter Benedictus ab Autiſſiodoro receſſit & in Angliam peruenit.*
VII. *Qualiter pro Selebia Salesbyriam adiuit, & ab Eduuardo ſuſceptus & honoratus ſit.*
VIII. *Qualiter ei ſanctus Germanus ibidem apparuit & per viſum ei Selebiam oſtendit.*
IX. *Qualiter perueniens Lunam nauem reperit quæ xv. diebus illic onerata iacuerat.*
X. *Qualiter Selebiam in eadem naui perueniens, habitaculum ſancti conſtruxit.*
XI. *Quam gaudenter locum illum amplexatus ſit & de ipſius loci ſitu.*
XII. *Qualiter mutus digito ſacratiſſimo Præſulis conſignatus loquelam promeruit.*
XIII. *Qualiter Hugo Vicecomes Benedictum viſitans & in familiaritatem & amicitiam ſuſcepit.*

XIV. *Qualiter Vicecomes tentorium ſuum extentum illic dereliquit & capellam conſtruere fecit.*

XV. *Qualiter Rex locum & licentiam ſundandi Monaſterium & alias terras Benedicto dedit.*

XVI. *Qualiter acceptis quæ rex dederat, conuentum ſancti Franciſci Benedictus congregauit.*

XVII. *Qualiter latronis dextra qui Capellam volebat infringere, parieti adhæſit.*

XVIII. *Qualiter filius Vicecomitis à cadaca gutta curatus per digitum fit.*

XIX. *Qualiter Benedictus Abbas ordinatus prece & pretio vbicunque potuit, terras acquiſiuit.*

XX. *Exemplar cartæ Vuilermi Regis Benedicto ad confirmationem quæſituum collatæ.*

XXI. *Quam prudens & quam ſtudioſus circa ſui & Fratrum profectum Benedictus fuit.*

XXII. *Quomodo Benedictus Fratres qui pecuniam apportauerant, crudeliter affligens plurimos aduerſum ſe commouit.*

XXIII. *Quomodo leſi Fratres in Monaſterio diſcordiam ſeminantes & Abbatem per prouinciam diffamantes ad Regem accuſauerunt.*

XXIV. *Quomodo Benedictus Stephanum Abbatem Eboracenſem iuſſu Regis ipſum capere volentem repulit.*

XXV. *Quomodo Benedictus dans locum inuidiæ, de Selebia diſceſſit.*

XXVI. *Quomodo Hugo Abbas Benedicto ſuccedens Monaſterium plurimis extulit incrementis.*

XXVII. *Quomodo fundamenta Monaſterij longius ab aqua iaciens ipſe quotidie cucullo indutus operario laborabat.*

XXVIII. *Quomodo charitate plenus & affluens in omnibus ſe ſicut Dei miniſter exhibuit.*

XXIX. *Quomodo finem ſuum præcognoſcens ſeſe in Abbatia depoſuit.*

XXX. *Quomodo poſt depoſitum onus paſtorale plurima Sanctorum loca viſitauit & poſtea domum reuerſus fœliciter obiit.*

XXXI. *Verſus vice Epitaphij de eodem ſcripti.*

XXXII. *De Abbate Herberto & illius moralitate.*

XXXIII. *Qualiter laborem infinitum ſibi cernens incumbere de regiminis loco tranſtulit.*

XXXIV. *Quod illi ſucceſſit Abbas Durannus & de aqua quæ Capellæ gradum tranſire nequiuit.*

XXXV. *Qualis idem Durannus fuit, & quam ob cauſam paſtoralem honorem & onus admiſit.*

I.

Prima quidem Lectione, de Venerandi Patris & Patroni noſtri Germani digito, qui totius pæne noſtræ narrationis cauſa eſt & materia, qualiter eum de dexterâ Præſulis olim violenter quidam decerpſerit, manifeſtare dignum duxi. Quod quidem tibi, Lector, ideo primâ Lectionis fronte inſinuare curaui, vt cùm Hiſtoricam narrationem inchoauero, ſine digreſſionis habitu continuetur oratio, nec ſit neceſſe de hiſtoria ad alia narranda digredi, cùm quod ſcire oportet de digito tibi præcedenti relatione fuerit antea patefactum. Fuit in Autiſſiodorenſi Cœnobio, vbi beatiſſimi Germani corpuſculum incorruptum requieſcit & integrum, frater quidam, qui etiam inibi ſub ſecretarij fungebatur officio, qui in beatiſſimi Confeſſoris amorem ſpecialis igne dilectionis accenſus extitit, in eius laude continuus, in memoria ſedulus, in obſequio ſtudioſus. Hic vt ei eſſet memoria præſulis de frequenti frequentior, ſpes ex certâ certior, cultus ex deuoto deuotior, neſcio cuius ſpiritus ſuggeſtione concepit, vt aliquid monumenti de Sanctiſſimo Sancti corpore furtiuus inuaſor abſtraheret. Hoc facile quidem crediderim hunc animum ſiniſtri ſpiritus perſuaſione conceptum, cùm eum & amoris incendium ad culpam compulerit, & ad præſumptionis auſum ſimplex & pia intentio animauerit. Huiuſmodi affectu mente concepto ad effectum opus affectum perducere totis deſideriis anhelabat, temporis oportunitatem expectat, horæ congruentiam præſtolatur. Nec mora; nocturnum ſilentium Monachorum, & cuſtodum abſentia, ſociorum & cuſtodum ſubtractio, ad conceptam animo rem exequendam horam congruam, conſtantem animum, ſilentij

fidem contulerunt, credebat homo latere debere rem factam ſub tenebris, mortaliúmque deuitare notitiam, quod ſub ſolius Dei perficeretur aſpectu. Hac ſpe confirmatus in anima ad factum, locum quo ſanctiſſimi præſulis corpus requieſcit adiuit, præmeditatúſque, vt credo, quid eripere voluiſſet, digitum medium manus dexteræ ſacrilegij reus vel morſu, vel abſciſſione deſtruxit.

II.

Vix ſe temerarius ab auſu præſumptuoſo retraxerat, cùm confeſſoris offenſi admirabilem & inauditam ſæculis in ſe præſenſit vltionem, quæ tam admirabilis eſt, & plena ſtupore, vt difficile ſit agnoſcere vtrum in ea plus ira præſulis, quàm clementia, plus miſericordia, quàm iudicium commendetur. Mox namque vt reatum reus admiſerat, diuinitatis quodam agitatus impulſu, virtutéque coactus reum pectus infatigabiliter pugno tundere cœpit vtroque; ſemper voce flebili continua lamentatione declamans, Sancte Germane miſerere mei. Poſtea quandiu ſuperfuit ab hoc mirabili ſatisfactionis genere ceſſare non potuit, niſi cùm corpuſculum aut ſoporis quiete foueret, aut ciborum perceptione reficeret. Reſpice quæſo, & mirare mirabilem Germanum feciſſe mirabiliter, reſpice & mirare clementem Pontificem erga filium non immiſericorditer iniuria commoueri, & ſi commotus iniuria, ſat tamen clementer & paternæ commotionis repreſſit incendium, dum non ad ſalutis virturiſvè diſpendium, ſed ad obtentum veniæ, ad ſatisfactionem offenſæ, ad beatitudinis meritum vltionis exercuit diſciplinam. Sic igitur dum ſe reus deprehenſum à diuinitatis majeſtate ſentiret, digitum ſuper altare neceſſitate coactus repoſuit, in ſatisfactione prænotata continua lamentatione perdurans, nec interceſſit dilatio, cùm ad eum quoſdam de fratribus conduxit fortuna: aſpiciunt & mirantur miraculum omnibus ſæculis admirandum, non diu celati potuit res digna ſpectaculo, paucis primò præcognita ad plurimorum notitiam in momento peruenit: accurrunt Monachi, dúmque paſſum accelerant ſinguli, in hora congregantur vniuerſi, in Conuentu publico reus de euentu conuentus cauſam ediſſerit, expoſuit modum, confitetur admiſſum, oſtenditur digitus in altari quem rapuit, manifeſtatur ſententia quam ex rapinâ promeruit: plangunt Monachi præſulem tam vehementer offenſum, plangunt errorem fratris immenſum: plangunt filij patris iniuriam, plangunt fraterni reatus incuriam.

III.

Communi ſubinde fratrum conſilio corpus Præſulis in tali loco reponitur, ſic aptatur, vt ſine plurimorum conſenſu nec aſpici valeat, nec adiri: circumcluditur ſiquidem vſquequaque forti muro ſarcofagus, vno tantum oſtio ferreo admittente acceſſum ad requieſcentis honorem, indeficienti lumine lampas ibi perſeuerat accenſa, quæ vt illius cuius deſeruit honori circa ſacri Sepulchri ambitum præſentiam commendaret, viſa quindecim diebus fermè totidemque noctibus, dum ſemper arderet nihil imminutionis prætuliſſe. Nec illud ſilendum eſt, quod ſi fortuito caſu per noctem illam extingui contigit, ſicut in libro miraculorum eius ſcribitur, nulla indulgeatur cuſtodibus requies, nulla potiendi ſomno facultas, donec defecti luminis obſequium reparetur, interdum cuiuſdam manus impulſu moleſtiùs impetuntur, vt nemini impunè dubitare liceat debita loco ſeruitia non ineptè, non ſegniter exercenda. Digitus autem in eburnea pyxide compoſitus honorificè vice corporis Altario ſuperpoſitus eminebat, qui ad incorrupti corporis inuincibile argumentum, ita carnis & cutis integritate perſeuerat ornatus, vt pili etiam infra mediam iuncturam tam firmiter cuti adhæreant, quod ad intuentium admirationem per eos in ſublime digitus poſſit & ſoleat eleuari. Iis ita digeſtis, ad hiſtoricæ narrationis accedamus exordium.

IV.

Eodem fermè tempore, quo Angliam Dux Normanniæ VVillelmus inuaſerat, potentique dextera ſuo ſubiugauit imperio, fuit in prædicto Autiſſiodor. Cœno-

bio Frater quidam nomine Benedictus, nec immeritò ſane tali nomine vocitatus, nam tanquam de re nomen ſortitus habere meruit benedictionem à Domino & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Hic in eodem educatus Cœnobio loci illius Abbati ſub ſeculari habitu diu multúmque ſeruierat, iámque tempus aduenerat, quo & egregij iuuenis obſequia ſua ſibi præmia poſtulabant; & benignus Dominus non eius ingratus obſequiis, illum honorifice remunerare parabat, & ne remuneratio iuuenis animum vel votum offenderet, duarum illi rerum propoſuit optionem, vt ſcilicet quod mallet è duobus eligeret, vel militiæ cingulum in ſæculo, vel militiam Monachatus in Monaſterio: optionem ergo huiuſcemodi proponente, reſpondit Abbati Benedictus, *melior eſt*, inquit, *dies vna in atriis tuis Domine ſuper millia, elegi prouidus abiectus eſſe in domo Domini Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum, quia miſericordiam & virtutem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Infinita eſt in ſæculo militantium multitudo, verùm quod pudor eſt dicere, vitiis potius quàm virtutibus ſeruientium: infamis eſt militia ſolo nomine militare, & dedecus indecens vitiis & inertiæ ſeruire ſub armis, ad hæc ſpiritalia caſtra me confero, vbi nec virtus præmio, nec honeſtas reuerentiæ carebit honore: Illi Domino militabo, qui ſuos milites virtute corroborat, quiete lætificat, gloria & honore coronat. Nec mora, Monachicis diſciplinis Benedictus inictus, litteriſque appoſitus, ordinem Monachorum & ſeruitium in breui didicit, quia in lege Domini voluntas eius, & in mandatis eius meditabatur die ac nocte. Sic ergo dum ambularet de virtute in virtutem, dum aſcenſiones in corde ſuo diſponeret, dedit ei Dominus fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius, ac deinde tanquam moribus & genere fuerit Leuita ſacrorum ſecretorum cuſtos & conſcius eius pro vitæ merito pro morum honeſtate prælatus.

V.

Quo officio dum tempore plurimo fungeretur, fideliſque ſeruus & prudens in modico & in maiori probaretur, beatus Germanus ei nocturna viſione apparuit, talibúſque eum tanquam alterum Abraham eſt allocutus affatibus: *Egredere*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua & de hac domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi.* Eſt locus in Anglia, vocatúrque Selebia, meo prouiſus bonori, meæ laudis prædeſtinatus obſequijs, mei nominis titulis celebris futurus & gloria: qui ſuper ripam Vſæ fluminis ſitus, non plurimum diſtat ab Eboracâ ciuitate. Huius te loci prouidi & præelegi meo nomini fundatorem, fundabiſque tibi cellam in poſſeſſione Regali, quæ ſcilicet prope pertinet ad ius Regis, & ne tantam talémque peregrinationem ſolus formides arripere, meo crede comitatu conſolaberis, meo conſilio confirmaberis, meâ protectione munieris: Digitum etiam meum, qui ſuper altare eſt, in mei memoriam tecum aſportabis, quem vt ſecurè & ſine amiſſionis periculo ferre valeas, brachium tuum inter cubitum & ſcapulam cultello aperies, & infra illud digitum collocabis. Nec hoc facere trepides, quia nec effundes ſanguinem, nec pœnam tolerabis. Ijs dictis viſio ſactatiſſimi Confeſſoris ablata. Mane ergo facto nolens Benedictus obſeruare ſomnia, quæ multos multoties errare fecerunt, neglexit viſionem, nec attendit, cui ſe beatus Germanus iterata viſione demonſtrans increpauit, cur neglexiſſet quod viderat, imperauit vt omnia quàm citius implere ſatageret: neglexit adhuc Benedictus viſionem, ſicut antea iam fecerat, nec aliquid de viſionis executione cogitabat. Nec immemor ſuſcepti negotij tertiò ſe Monacho ſicut primò & ſecundò jam fecerat, beatus Confeſſor oſtendit, quem ſolito ſeueriùs affatus taliter aſpera ratione conuenit: Heus, inquit, num tanti à te habitus ſum, vt viſionem meam digneris implere? Iam tertiò tibi fruſtra apparui, votum & velle meum aperui, nec tamen hactenus imperiis meis parere paraſti; prædico igitur, & in veritate pronuncio, quòd niſi citius iuſſionem meam adimpleueris, inobedientiæ tuæ grauem excipies & perfetes vltionem.

VI.

Hac Benedictus voce perterritus exinde cœpit ſecum de profectione tractare, & quoniam diſceſſionem ſuam rationis & licentiæ libertate munire volebat, ingreſſus Capitulum licentiam petiit abeundi, cauſam tamen diſceſſionis miraculúmque viſionis omnino diſſimulans, nec impetrare valens vice prima quod petijt patienter ſuſpendit negotium, diéque craſtina licentiam iterum ſatis auidè poſtulabat, reclamant ſinguli, reſiſtunt vniuerſi, & in contumelias Monachi Monachorum omnium voces vna proſiliunt, clamores perſtrepunt, iurgia proferuntur,

Voces immites, conuicia, iurgia lites,
Lis creat, ordo mouet, fert furor, ira fouet.

Contumelioſam itaque paſſus repulſam neceſſitate compulſus clanculò diſcedere cogitabat, digitum glorioſi præſulis, ſicut ei iuſſerat, ipſe nocturno ſilentio rapuit, apertoque brachio ſuo digitum infra repoſuit; in quo ſolo facto miracula plurima coruſcant, quia nec vulnus inuenit ſanguinem, nec vulneratus cruciatus incommodum: acceſſit etiam ad hæc non inferioris prodigij ſplendor & gloria, quia cùm pretioſum pignus ad brachium admouiſſet, ad illius ſuſceptionem continuò ſe vulnus hiatu citiſſimo ſufficienter aperuit, ſuſceptóque digito iterum ſe recenti reclnſione recepit. Ligauit tamen ille vulnus linteolis, ac ſi brachium cauteratium haberet, quo facto factiſque cæteris quæ facere compulit itineris apparatus, Deo ſe commendans, & ſanctiſſimo patrono ſuo Germano media nocte Monaſterium egreſſus, iter ingreditur, quod Gallicana ducebat ad littora. Iámque craſtina dies illuxerat, nec illius abſentia diutiùs latere valebat, primò quidem ſociis & ſacrorum cuſtodibus ac deinde Fratribus omnibus illius diſceſſus innotuit, quæritur in Monaſterio, nec inuenitur; inquiritur per ciuitatem, nec vlla de eo certitudo cognoſcitur, exploratur per Eccleſiam ſat ſollicitè ſi ſalua ſint omnia, ſi illo diſcedente cuncta, quæ ſub cura eius fuerant, intacta remanſerint. Dum ergo conſiderantur omnia, ſingula pertractantur, ad extremum pretioſum præſulis digitum abeſſe comperetunt: tunc clamor per Eccleſiam oritur, & turbatio per Monaſterium funditur, tunc gemitus & lamenta per ciuitatis ambitum eleuantur:

Tunc doluit quiuis, mulier, mas, aduena, ciuis,
Hinc gemitus iuuenum perſonat, inde ſenum:
Doctus, hebes, ſtultus; ſenſatus, paruus, adultus,
Femina, vir flebant, fletuque fluente madebant.

Ad perſequendum poſtremò Monachum per itinera plurima plurimi deſtinantur.

Inſequitur Monachum Monachorum turba furentum,
Atque minans cædes hinc eques, inde pedes.

Vnum plurimi proſequuntur, vnanimes perſequentes inueniunt, inuenientes capiunt, capientes clementer arguunt, indignanter increpant, vehementer obiurgant, ſacrilegij demum Benedictus arguitur de digito ſacratiſſimo ſecretè palamque conuenitur: diffitetur impoſita, conſtanti ratione ſe nec ſacrilegum nec ſacrilegij conſcium viuâ voce teſtatur, ſed illi quorum cor induratum, quorum fuit manus extenta nec eius excuſationem accipiunt, nec vllam approbant rationem. Cæterùm vim & violentiam ingerentes manus iniiciunt, veſtibus eum expoliant, omnia perſcrutantur incaſſum, tandem conſummato labore quia ſcrutati ſunt iniquè, diſpendioſo defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, nec ſuper eum quod quærebant reperire valentes maxima perturbatione confuſi Autiſſiodorum redierunt. Benedictus autem ad mare perueniens proſpero & fœlici curſu cum pretioſo theſauro deuenit in Angliam.

VII.

Secundis itaque ventorum afflatibus Anglica Benedictus ad littora pro Selebeia Salesbyriam cœpit inquirere, quam ab inſulanis edoctus ad eam quaſi ad locum ſibi diuinitus prædeſtinatum feſtinabat,

Dum citus accelerat, vt quod mens pes quoque quærat,
Conſummans breuiter abbreuiauit iter.

Fuit tunc temporis in Saleſbyria ciuis quidam, Eduuardus nomine, vir omni morum honeſtate præfulgens, & inter ſecularia vitam & morem diffitens ſecu-

larem, habitu tamen & ſpecie ſpecimen in eo ſeculatitatis apparebat, qui etiam non minus cenſus quàm ſenſus locupletatus honore propter diuerſarum opum affluentem congeriem diues cognominabatur : hic ergo Saleſbiriam aduenientem Benedictum ſolemni ſuſcepit officio, ſuſceptum deuoto releuauit obſequio, releuatum fideli & amico confortauit conſilio, cùmque diebus paucis apud eum perendinaret, Benedictus tam familiaris, tam amicus ei effectus eſt, vt eum ſemper de reliquo quandiu ſuperfuit prædictus Eduuardus vt amicum coleret, vt Fratrem diligeret, vt patrem & Dominum honoraret:

Hæc tria veridicum ſeruant conſtanter Amicum,
Vſus in iis clamat ſemper amicus amat.

Teſtantur hoc illius non minus pretioſa quàm ſpecioſa munuſcula, quæ charitate ductus ad decorem domus Domini ad ſanctiſſimi Præſulis Germani tenerentiam Benedicto poſtea delegauit; ſiquidem ei contulit ad pretioſi digiti repoſitionem phylacterium quoddam aureum, rotundum, quantitate præcipuum, qualitate perſpicuum, cælatura mirificum, opere pretioſum, quod vſque hodie in Monaſterio Selebienſi conſeruatum, omnes ſe contemplantes non minus in ſui ipſius laudem, quàm admirationem pro antiqui operis accendit dignitate. Dedit ei etiam ad altare operimentum linteum quoddam opere mirifico decoratum maieſtatis Domini cum Euangeliſtis quatuor, ſed & crucifici Domini, nec non etiam duodecim Apoſtolorum continens imagines opere plumario ſupertextas. Longum omnia retexere quæ Benedicto contulit. Hæc tantùm ad fidelis viri monimentum memoraſſe ſufficiat, maximè cùm vſque hodie in Monaſterio conſeruetur vtrumque. Cùm igitur, v dicere cœperam, ab hoc viro perenni memoria digno Saleſbyriam adueniens Benedictus exciperetur hoſpitio, venerabili hoſpiti ſuo cuncta, quæ ſibi contigerant, ſeriatim expoſuit, glorioſi ſcilicet præſulis apparitionem, apparentis allocutionem, alloquentis iuſſionem, iuſſionis executionem; ſuſpendit tamen aliqua nec plura de viſionis iuſſione narrauit, quàm vera & firma experientia certam probauerat. Summa totius narrationis hoc extitit, quòd eum Beatus Germanus in Angliam ad Saliſbyria delegauerat: ſic quippe putabat dixiſſe Confeſſorem, quia nomen Saleſbyriæ percelebre fuit, Selebiæ verò tunc temporis ſatis incognitum, & quia Saleſbyriam prius ſæpe nominari Benedictus audierat, illò ſe putabat à beato Germano tranſmiſſum. Igitur vt fidem audientibus faceret, Benedictus brachium ſuum oſtendit digitum præſulis continens pretioſum, grates ſummas & gratias omnes Deo & beato Germano perſoluunt. Illum bene veniſſe proclamant, felicem fore locum tam glorioſi præſulis patrocinio profitentur. Ac tum putabat Benedictus, ſe ad locum ſibi à Deo prædeſtinatum perueniſſe, cùm neque ciuitatem Eboracam, neque Vſam fluuium in illis finibus eſſe deprehendit, tunc admodum conſtriſtatus cœpit intra ſe valdè ſcandalizari, & à fide deficere, maximè quia locum, quem per viſionem vt putabat audierat, ſed loci ſigna non inueniſſet; lætitiam tamen & gaudium vultu præferens anxietatem & ſcandalum, quod patiebatur, callidè diſſimulabat,

Vultus lætitia mæſtos ſimulata ſerenans,
Scandala diſſimulat mentis amara viri.

VIII.

Iam exorto veſpere ſe tardior hora protraxerat, & Benedictum itineris fatigatio, mentis anxietas, cogitationum moleſtia ad refectionem, ad ſoporem, ad requiem inuitabant:

Cùm labor, anxietas, vaga mens monuere ſoporem,
Dormit homo, valeat vt ſit reparare vigorem:

Quem altius ſopore depreſſum beatus Germanus apparens ſubridénſque paululum talibus allocutus affatibus: Quid, inquit Benedictus tam nouus hoſpes & aduena, tam abundanti triſtitiâ, ſubitóque mœrore confunderis,

Dic quid agis, quid habes, dic quæ tibi cauſa doloris
Sunt mala quæ pateris intus, aperta foris.

Num tuæ habitationi locum congruum inueniſti? Si ſedulè petiſſes, ſollicitè quæſiſſes, inſtanter pulſaſſes, de acceptione certiſſima, de inuentione promtiſſima,

DDdd ij

de apertione & congauderes ; non dixi tibi Saleſbyriam , ſed vt requireres Selebeiam , quod nomen beatus Germanus ſeptus ſyllabarum producendo reperens: verum , inquit, ne tibi rurſus elapſo loci nomine error auertat à petuio , iam tibi locum ipſum oſtendam , vt cùm ad illum iterarò perueneris, ceſpitem ſcias quem elegi cognoſcere : ſic farus, raptum hominem, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, vniuerſum loci ſitum illi demonſtrans , Hæc , inquit, requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. His dictis viſio diſparuit confeſſoris.

IX.

Mane autem facto, quæ viderat , hoſpiti ſuo Benedictus expoſuit , interiectíſque diebus non plurimis accepro ab eodem hoſpite ſuo Clerico quodam Teobaldo nomine, qui ſcilicet interpres eius eſſet, Lumam Benedictus vſque peruenit, quò cum perueniſſet , nauem inibi reperit onerariam , quæ curſum Eboracam deſtinabat ad vrbem. Verùm inclementia demorata ventorum quindecim dierum intercesſu vel amplius , illic oneraria iacuerat Crediderim ſanè , nec immeriro ventorum hanc aduerſitatem cælitus commoueri , quatenus ſic rate retentà Benedicto illuc aduenienti non euectionis præſto deeſſet obſequium: quod ex ipſa aëris immutatione ſat patenter datur intelligi , quia in ſecunda die quâ illô Benedictus aduenerat , mox aëre murato ventorum opportunitas , auræ ſerenitas , æquoris tranquillitas ad nauigationem prouocabat ituros. Aſſerit ſe domnus Prior hæc apud Lumam à quadam Matrona valdè decrepita didiciſſe, quo ſe iuuenculam in domo patris ſui Benedictum vidiſſe perhibuit hoſpitatum , & cùm eundem Benedictum infirmitas fortaſſe coëgiſſet vt balneis vteretur , brachium ſuum dexterum in quo digitus glorioſus continebatur , iugiter ab aquis in ſublime ſuſpendens, præcauit ſummopere ne aquarum iniuria digitus offenderetur, quod cum vidiſſent, qui aderant, & cur hoc faceret inquirerent , prius infirmitatem quandam dixit ſe habere in brachio , ſed poſtmodum rei veritatem & ordinem hoſpiti ſuo narrauit, ſéque illò dixit aduenîſſe, vt ibi nauem conſcendens per aquarum fluxum locum ſibi prædeſtinatum adiret.

X.

Igitur nautæ prædictæ nauis Benedicti voluntatem cognoſcentes, & ſe ad illius ingreſſum benedici confidentes , illum cum maximo gaudio in eam ſuſcipiunt, omnia quæ ei erant neceſſaria deuotè conferentes , Benedicto itaque eorum aggregato conſortio,

Aura datur lenis , volat vndis cymba ſerenis ,
Tranſuolat alta ratis æquora ſana ſatis.
Nil graue , nil triſte monſtrat mare , te duce , Chriſte,
Rector vt optarat æquora primus arat.

Sicque proſpero ventorum impulſu mare peruolantes in Vſam fluuium elapſi ſunt, nec mora, loco qui Selebeia dicitur, appropinquant, quem eminus Benedictus intuitus , cúmque continuò ex priſtina viſione recognoſcens, hic , inquit, hic , ad terras reducite , quia hic locus quem elegit Dominus , ſícque ad terram cum ſociis demiſſus à nautis , è veſtigio ſuper ripa fluminis ad honorem Domini ſignum Crucis eleuauit , ac deinde ſub quadam miræ magnitudinis quercu , quæ à patriotis *Stribac* vocabatur , in regali poſſeſſione frondibus & foliis paruulum conſtruxit habitaculum, anno circiter ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo nono, qui eſt annus quartus VVillermi primi Regis.

XI.

Loci deinde ſitum vniuerſum vſquequaque Benedictus explorando perluſtrans, territorium, confinia , prædiorúmque & poſſeſſionum metas & terminos perambulans, quid cuiuis adiaceret dominio diligenter addidicit, vidénſque locum amœniſſimum tam frequenti nemore conſitum, tam abundanti diuerſóque flumine corona-

tum, tanquam terrenum quendam Paradiſum, illum amplexatus, non minùs de illius vtili opportunitate, quam ex inuentione celeri congaudebar. Cæterùm quoniam ſe præbet occaſio ſpecialius aliqnid & apertius de loci ſitu vel qualitate dicendum eſt: cuius nomen *Selebi* dicitur Anglicè, quod interpretatum Latinè dicitur *Marini vituli villa*, quod vocabulum eſt ſortitus, quia piſces huiuſmodi frequenter ibi ſolebant capi antiquitus. Situs ſuper ripam Vſæ fluminis, ad Auſtralem ſcilicet plagam Eboracæ Ciuitatis, ab eadem diſtans non plurimum, ſed quaſi ſpatio miliariorum decem, interiacente nemorum & ſyluarum multiplici circunſtantia ex omni parte coronatur. Quæ amœno loco multum decoris conferunt, plus tamen vtilitatis impendunt, inter quæ nemora plurima ſunt quantitate, qualitate præcipua, quæ propriè eiuſdem loci dominio adiacent & appendent, aquarum etiam tanta vicinitate fruitur, tot & tantis curſibus circuncinctus munitur, vt exceptis lacubus & ſtagnis quæ piſcibus copioſa proxima ſunt, quibus etiam molendina curantur, trium regalium fluuiorum Vſæ ſcilicet, Derpente & Air proximitate locus gaudeat, vtilitate vigeat, copia ſuſtenterur, ſunt namque prædicti tres fluuij valdè inſignes, & omni genere piſcium, qui in aquis dulcibus inueniuntur, abundantes. Harum igitur duarum rerum, nemorum videlicet, & aquarum commoditate Selebia præpollens tertiæ rei non minus vtilis, lapidis ſcilicet inſigniſſimi, copia ad omnem ſtructuram nobiliſſimi, ad omnem cælaturam aptiſſimi prædiratur. Quid plura? habentur in eodem loco vel in locis eidem loco pertinentibus quæcunque, vt ita dixerim, ad Regni gubernacula poſtulantur. Monaſterium præterea tam pulchrè, tam inſigniter in illo ſuo ſecreto ſedet receſſu, vt ex omni parte per vias publicas à longè gradientibus Eccleſiæ turris, & cætera quædam officinarum tecta, quæ aliquantulum in ſublime conſurgunt, appareant & oſtendantur. Quidquid etiam ad Eboracum de tranſmarinis partibus, vel ex vllis Angliæ portubus aduehitur nauigio, vel ab illa deportatur, ante portas Monaſterij Selebienſis tranſire conſueuit; ſed quoniam hæc de loci qualitate per digreſſum exponentes aliquantulum ab incæpta narratione receſſimus, his omiſſis ad ea proſequenda, quę cæpimus, redeamus.

XII.

Cum itaque, ſicuti prælibarum eſt ſibi paruulum tugurium vel potius vmbraculum Benedictus conſtruxiſſet, illo, pretioſo pignori, digito ſcilicet ſacratiſſimo, continuas laudes perſoluens, iuges excubias amminiſtrans, attendit ſummopere, ne vnquam reliquiis venerandis diuina deeſſent obſequia, exhibet officium ſacris, ſatis officioſè prouidet obſequium ne deſit eis ſtudioſè, verùm ne diutius illa pretioſa lucerna ſub modio poſita in illa deſerti ſolitudine lateret abſcondita, ſed potius in publico ſublimata, lucénſque quamplurimis ab omnibus coleretur, ad habitaculum Benedicti mutum quendam fortuna conduxerat, qui nutu annuens benedictionem aliquam ſibi fieri poſtulabat, quod Benedictus intuitus, ibíque materiam ſuæ demonſtrationis & profectus intelligens conuerſus ad patronum beniguiſſimum. En, inquit, beatiſſime Germane, in peregrinatione barbara poſiti non cognoſcimur, in ſiluestri gremio demerſi non videmur, in heremi ſolitudine detruſi ab omnibus ignoramur.: oſtende ergo ſuper hunc miſerum tuam miſericordiam vt videamur, exalta tuam potentiam ne vlterius ignoremur. Sic fatus digitum præſulis pretioſum apprehendens, ſuper os muti ſalutare Crucis ſignum expreſſit. Sicque prædamnatæ linguæ retinaculis diſſolutis in vſum luquendi modo mirabili oris officium relaxatur.

Os, ſic dum tangit digitus, ſua vincula frangit,
Paſſio victa tacet, non mage lingua tacet,
Purgantur venæ; nocuo rumpuntur habenæ,
Os patet, affatur lingua, loquela datur.

Hoc deinde per regionis amplitudinem vſquequaque diuulgato miraculo non minus in Benedicti, quàm in beati Germani reuerentiam & amorem omnium comprouincialium affectus accenduntur & animi. Ingens etiam raritas Munachorum quę tunc temporis extitit, duplo ad Benedictum honorandum & colendum ſtudia cunctorum excitauit: per totam enim Eboraci Siriam, excepta Du-

nelmenſi Congregatione, nec Monachus nec Monachorum locus aliquis in illis diebus facilè valuit reperiri.

XIII.

Contigit autem eodem tempore vt Vicecomes Eboracenſis Hugo ſcilicet, filius Baldrici, iuxta Selebeiam euectus nauigio pertranſiret, qui cùm ſuper ripam fluminis Crucis eleuatum conſpexiſſet ſignaculum, interrogauit quam ob cauſam ibi Crux emineret elata, cúmque rem didiciſſet continuò iuſſit ad terram nauē reducere, vt Dei ſeruum allocuturus exiret: comitabatur autem eum non modica militiæ multitudo, quia bellicæ claſſis immanitate perdurante, non adhuc perfectæ pacis tranquillitas ab armis & acie militem abſoluerat. Fregit hoc in illis finibus Anglorum indomita ferocitas & inuicta conſtantia, qui ſemper ad vindictam ſuam in Gallos inſurgentes vltra vires & poſſe, vbicunque ſibi inuicem obuiabant, quis eorum plus poſſet in viribus experiri nitebantur. Hac de cauſa tanta militum multitudine prædictus Vicecomes conſtipatus incedebat, qui cum ad Benedicti Cellulam perueniſſet, reperit eum fortuitu ante ſacras reliquias in Oratione procumbentem, & orationis fine præſtolato ab oratione ſurgentem, Monachum humiliter ſalutauit, illúmque benè veniſſe deuotiſſimè proclamauit. Quem Benedictus grarantet reſalutans aduentus ſui cauſam, & modum illi ſeriatim expoſuit, digitum ſanctiſſimi Præſulis Germani, quem attulerat, illis omnibus patenter oſtendens, dicebat ſe aduenam & peregrinum nullum in illis regionibus notum habere, nullum præcognitum, ſe nullius niſi ſolius Dei, & beati Germani adiutorio roborari: quamobrem, inquit, tuæ protectioni me ſubmittens, tuo conſilio me committens, tuam ſuppliciter exoro clementiam, vt ad id quod cœpi conſummandum pro Dei amore tuo me informes conſilio, tuo me proſequaris auxilio, tua me ſolertia conſoleris. Annuit illico vir fidelis, & ad preces ſerui Dei aurem inclinans benigniſſime: faciam, inquit, libentiſſimè, quæ precatis, quia Deo mihi incolumitatem largiente me habebis cooperatorem in quæſtubus, fautorem in votis, cultorem in proſperis, & adiutorem in aduerſis.

XIV.

Hæc dicens iuſſit mox tentorium ſuum extendere, vt hoſpitii vice digitum glorioſum exciperet, & ſuſceptionis honoraret obſequio: quod cùm perfeciſſet, nec eum plus inibi demorari curæ ſuæ pateretur officium, tentorium ſicut erat extentum hoſpiti, quem in eo ſuſceperat offerens dereliquit, aſſerens inuſitatum eſſe remanente hoſpite hoſpitium deportare, ac ſic cum cæteris proceribus, qui latus eius ambiebant, Benedicto vale dicens, mox omnes coniugibus ſuis mandauerunt, vt Carpentarios ad Capellam conſtruendam Benedicto delegarent, & omnia quæ eis erant neceſſaria miniſtrarent. Quod illæ mox deuotiſſimè proſequentes miſſis carpentariis, oratoriolum, in honore beati Germani in eodem ſcilicet loco, vbi vſque huc Capella villæ perſeuerat erecta, conſtruere fecerunt.

XV.

Vicecomes autem prædictæ promiſſionis ſuæ non immemor Benedictum in omnibus quæ poterat ſecundùm vires & poſſe ſuum promouere nitebatur, ſed quoniam in Regali poſſeſſione Rege neſciente defixerat habitaculum, conſilium habuit, vt quàm citiùs valeret, Regi ſe Benedictus oſtenderet, vt illius authoritate munitus ſecuriùs inchoata perficeret, perductúſque à Vicecomite ante Regem VVillelmum primum, cùm aduentus ſui cauſam modúmque Regi narraſſet, conceſſit ei Rex benigniſſimè, vt Monaſterium in ſua poſſeſſione fundaret, dans ei de propria menſa fundationis locum, vnam ſcilicet carrucatam terræ, in quâ Monaſterium & villa, quæ Selebeia dicitur, conſtructa ſunt, & nemus quoddam vocatum *Flaxlei*, & villam quandam vocatam *Roupeclif*, & aliam dimidiam carrucatam terræ in *Braitum*, & cum iis omnibus piſcariam vnam, quæ dicitur *VVuegiſt*.

XVI.

His aeeeptis à Rege VVillermo reuerſus eum paee Benedictus officinas regulares circa Capellam ſuam inſtitit ædificare. Cœperunt illieo ſenſim plurimi ad eius ſe conferre conſortium, depoſitáque ſeculariratis imagine ſuaui iugo Chriſti ſui eordis & eorporis humiliare ceruiees, quos Benedictus aduenientes prudentet exeipiens, ſed & alios, maximéque illos, quos indole bona pollere callebar, plurimis exhortationibus allieiens; infra breue tempus conuentum ſibi fratrum congregauit. Fuit namque vir bona ſapientiæ dote ditatus, & in ſua lingua ſpecialiter eloquens & diſertus, licet non ſatis artibus liberalibus eſſet edoctus,

Cui mens, lingua, genæ, conſulta, diſerta, ſerenæ,
Præſtant ad morem facienda, loquenda, decorem,
Tullius ore, Cato ſed mente, Pariſque decere,
Intus habens decoris munia, ſigna foris.

XVII.

Fuit autem eodem tempore quidam Princeps latronum nomine Suuain, filius Sigge, qui in vicinis nemoribus cum adhærentibus ſibi complieibus aſſiduis diſcurſibus vagabatur, ex cuius conſortio quidam maledictus Benedicto inuidens, & inſidians nequam ſpiritus inſtigatione corruptus, vt ea, quæ habebar Benedictus, furtiuus prædo diriperet, ad Capellam noctutno ſilentio violentus acceſſit, deinde vim & violentiam ſacris ambiens infetre ſacrilegus, vr oſtium eleuaret de cardine, manum temerariam incunctanter inieeit, nee diſtulit vlterius ſuam potentiam virtuoſam, potentémque vittutem oſtendere Beari Germani prouocata benignitas, quippe mox, vt contigit, maligna dextera ad Capellæ parietem adhæſit tam firmitet, vt & vires amitteret, ne damnum perficeret, & poſſe perderet, ne ſe à ſeelere non offenſus auerteret. Sie is, qui aliena venerat rollere, nee cum ſemetipſo tantum abire permiſſus, diei iubar Monachorum aduentum tremulus & inuitus expectabat, demum inuentus à Monachis, etiménque eonfeſſus, voti etiam interpoſitione conſtringens, quod nunquam illis malè faeiendo bearum Germanum oſtenderet, orantibus pro ſe Monachis vix promeruit, vr liber abire ſineretur.

XVIII.

Ex multis & magnis miraeulis, quæ tune temporis ſæpiſſimè refulſere, pauca ſunt admodum quæ ad noſtræ poſteritatis potuerunt peruenire notitiam; vnde cauendum ſummopere, ne aliquod irrelatum remaneat, quod ex illis veridica ſeniorum valuimus relatione cognoſcere. Ab Erniſſio Deburum tunc Eboracenſi Viecomite eentum marcás eo tempore Benedictus aſſumens digitum ei pretioſo loco pignoris pro tanti pretij quantitate commiſit, & cum prædictum pondus argenti coram teſtibus erat ſuſcepturus, pignus illud pretioſum de loculo producens, & per pilos, qui infra mediam iuncturam cuti adhærebant, cotam vniuerſis eleuans in ſublime, quam, inquit ad Vicecomirem, tibi arrham tradam In ſacculo diligenter attende, quod vel quale tuæ peeuniæ pignus ſuſcipias, cuius eſt profecto ſine æſtimatione quantitas, ſine diffinitione qualitas, ſine pretio pretium, ſine comparatione virtus & ſubſidium: ſicque digitum pretioſiſſimum reponens in loculo Vicecomitis commiſit diligentiæ, quem ille cum ſumma ſuſcipiens reuerentia deuotione tanta coluit, honore tanto ſeruauit, vt hinc & inde duo ſemper ardentia luminaria illius prouideter & procuraret obſequio, nec ſine pietatis mercede tantæ venerationis reuerentiam reliquiis inſignis huiuſmodi confeſſoris exhibuit, recepit illico beneficium, quod fidei pietas, quod deuotionis reuerentia promeruerat: habebat ſiquidem filium ætatis ſatis acerbæ, Hugonem nomine, qui lachtymabili infirmitatis genere prægrauatus caduca ſolebat paſſione vexari qui patris & iuſſu & monitu cum quadam nocte reliquijs deuotas exſoluiſſet excubias, clementiſſimi Germani meritis tali ſalutis & incolumitatis dono ditatus eſt, vt to-

tius paſſionis exemptus incommodo nunquam de reliquo illius paſſionis moleſtia grauaretur.

XIX.

Poſtquam igitur, vt prædixi, Conuentum ſibi fratrum congregaſſet Benedictus, volente & iubente Rege Willermo, à piæ memoriæ Thoma Seniore, Archiepiſcopo Eboracenſi Domini Dei gratia Abbas ordinatus, ac poſtea ſicut antea totis viribus ad queſtus & ad profectus domus ſuæ ſemper attentus, vbicunque terras vel poſſeſſiones adquirere, vel prece vel pretio ſe poſſe ſperabat, illuc ſe totis viribus & ſtudiis inclinauit, & contulit. Vnde Gaufridi de Lauuierce notitiam, & familiatitatem adeptus magna prece, ſed multo maiori pretio adquiſiuit ab eo villam egregiam cum omnibus pertinenciis: acquiſiuit & aliam de Guidone de Ramecurt, quæ dicitur Stauford: bonæ verò memorię Thomas Archiepiſcopus ſupradictus Deo & Sancto Germano duas villas Friſtunam ſcilicet & Selebeiam Minorem, in puram & perpetuam contulit eleemoſynam. Is itaque omnibus acquiſitis adiuit Abbas Benedictus Lundonias, vbi tunc temporis Rex Willermus aderat, poſtulauitque Regem, vt poſſeſſiones & terras, quas acquiſierat, ſui priuilegij, & Cartulæ collatione confirmaret, & vt Abbatiam ſuam, cuius vellet, libertatis dignitate donaret: annuit illico Rex benigniſſimè, petitionémque Benedicti ſcribendo taliter adimpleuit.

XX.

VVillermus fortiſſimus, immo potentiſſimus Rex omnium Regum illorum, à quibus eo tempore ſceptra Regalia ſub Diuino gubernabantur, Maximum Imperium Anglicæ terræ regens, quod promiſſione atque voluntate Dei primum ſignis mirabilibúſque prodigiis, ac deinde magnis viribus, bellíſque debellando Anglos, tandem acquiſitum gubernans, viris, tam Eccleſiaſticis, quàm ſuis Comitibus, Baronibúſque ac miniſtris omnibus ſalutes à diuina Prouidentia Dei miſericordia, & mea bonitate. Diuina clementia inſpirato deuotè poſtulanti Benedicto, Abbati deuotiſſimo, Cœnobium in honore Domini noſtri Ieſu-Chriſti, & beatiſſimę eius Genitricis & Virginis Mariæ, & Sancti Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi fundare conceſſi: in quo fundamine conjeci & Regali liberalitate poſui, & dedi de propria mea menſa ipſam Selebiam, videlicet vnam carrucatam terræ de *Snartes*, & ſex bouatas de *Flexlei*, & *Roupeclif*, & dimidiam carrucatam in *Brattum*, & vnam piſcariam. *VVitegift*, & terras à Thoma Archiepiſcopo eidem Eccleſiæ datas videlicet *Friſtunam & Selebiam minorem*, tam ſecundùm viuam vocem, quàm ſecundùm breuis eius tenorem, ſcilicet vnum Hundret, qui iacet in Vice-Comitatu Lincolniæ, quem dedit Gaufridus de *Lauuirche*, & Staufordque in Vicecomitatu Hametoniæ quem dedit Vuido de Ramecurt, ſine vllo retentu confirmaui, & dando conceſſi, & cuncta cum iis, quæ vndecunque, tam in terris & in poſſeſsionibus, quàm in aliis oblationibus, quæ iuſtinctu Spiritus Sancti à deuotis benefactoribus offerri, & quoquo verſum iure, prece & pretio adquiri poſſunt, ſub Regali munere, ab omni exactione & moleſtia, & vexatione, ſolutè, quietè, & liberè, prout decet eleemoſynam Regiam & propriam Abbatiam Regis, interminabili, & perpetua pace tenere, & curtem ſuam cum ſaca & ſoca, & tol, & tem, & Infaugenpef, & cum omnibus conſuetudinibus, quas meliores habet Eccleſia Sancti Perri Eboracenſis, habere & perpetuo poſſidere ad teſtimonium, & confirmationem huius Elemoſynæ dominationis pro ſalute animæ meæ, & tam præcedentium meorum, quàm ſubſequentium. Data Carta hæc & conſummata apud Lundonias in præſentia iſtorum ſcilicet Odonis Baiocenſis Epiſcopi, Eduardi de Saleſburia, Hugonis de Portu, & totius Curiæ Regis. Dedit etiam & ei aliam ſubſequenti tempore Cartulam huiuſmodi: Vvillelmus Rex Anglorum Thomæ Archiepiſcopo & Vicecomitibus ſuis, & cæteris fidelibus ſuis Francigenis & Anglicis ſalus. Volo & præcipio vt Eccleſia Sancti Germani de Selebi, ita bene amodo habeat omnes conſuetudines ſuas, ſicut melius habet Eccleſia Sancti Petri ſuas de Eboraco, & ita volo, vt terras ſuas Sanctus Germanus quietas habeat, ſicut ſanctus

Petrus

Petrus de Eboraco habet ſuas: & hoc concedo pro Dei amore & ſalute animæ patris mei, & meæ, & tam præcedentium meorum, quàm ſubſequentium.

XXI.

Superioris itaque dote priuilegij à Regis munificentia donatus Benedictus domum reuerſus omnia ſibi credita cum pace & tranquillitate regebat, ambulabat ſanè de virtutibus in virtutes, de bono in melius, de profectibus in profectus, ſemetipſum virtutibus & meritis, fratres religione & ordine, domum poſſeſſionibus & ſubſtantiis extollendo,

Quæſtubus Eccleſiam, ſe moribus, ordine Fratres,
Extulit, ornauit, glorificauit herus.
Diuitias domui, meritum ſibi, religionem
Adquirens, cumulans, inſtituénſque gregi.

Sic quippe cum Iacob inter Rachel & Liam alternis vicibus diſcurrebat, vt nec pro negotiis exterioribus animarum lucra negligeret, prout rerum vel temporum varietas exigebat, vtriſque ſe prudenter coaptans & accommodans, reddebat ſanè quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Cum Paulo Apoſtolo factus omnibus omnia vt omnes lucrifaceret. Sic itaque,

Pax intus, tutela foris, pater hic, ibi quæſtor,
Diuitias intus ſeruas, ab hoſte foris.
Pacificis plus pace fuit, plus hoſtibus hoſte,
Plus cruce crudelis, plus pietate pio.

XXII.

Verùm quàm ſe ſemper rebus proſperis admiſcere conatur aduerſitas, & proſperitatis gaudium infortunium frequenter intercipit, qualiter de ſinu pacis & portu tranquillitatis exciderit, breuiter inſinuabo. Ad communes vſus Monaſterij octoginta fermè libras argenti in Eccleſiæ theſauro congregauerat, quod duo cognoſcentes de Monachis, quorum alter Radulphus, alter Raudulphus vocabatur, auaritia tentati, & tentatione ſuperati, prædictum pondus argenti furantes apportauerunt. Quorum Abbas vt cognouit crimen, ingemiſcens, & facinus eorum è veſtigio cum manu valida proſecutus denique prope Notampthunam comprehendens, tantum iracundiæ, tantum furoris ex eorum iniquitate concepit, vt diſcretionis & æquitatis moderamine derelicto, eos & famulos etiam, qui eorum fugam comitati fuerant, omnes primò variis afflictos iniuriis, poſtremò damnatione membrorum genitalium euirauerit: zelum quidem, vt ait Apoſtolus, habens Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam: iuſtè quidem perſecutus facinus, ſed iniuſtè, quia crudeliter facinoris exercuit vltionem. Vnde factum, vt omnes, qui prænotatæ crudelitatis factum audirent, tantam illius tyrannidem deteſtantes, plurimùm erga eum commouerentur.

XXIII.

Per Monaſterium deinde prædictorum Fratrum oblocutionibus oriuntur iurgia, creſcunt ſcandala, murmura conualeſcunt, diſſenſiones turbant, detractiones ſæuiunt, pax extinguitur, diſcordia viuit & regnat: ſic modicum fermenti totam maſſam ſolet corrumpere, ſic vnius ouis morbidæ valetudo totius gregis ſalutem inquinat & deſtruit ſanitatem; ſic denique vnius Fratris murmur & detractio totius congregationis concordiam diſſipat, vnitatem diuidit, charitatem eneruat. Hinc quippe per Salomonem dicitur, *maledictus omnis ſuſurro & bilinguis, multos enim turbauit pacem habentes*: quod illi diſcordiæ ſeminatores virulentis oblocutionibus facientes, Abbatem per Prouincias & Monaſteria diffamare non ceſſauerunt, donec apud Regem ipſum Vvillermum ſecundum crimen imponentes, illum accuſauerunt, qui ſicut illius moris erat, ſemper ad ſiniſtram declinans, in accuſatum Abbatem Benedictum, ſicut in quamplures fecerat, crudelitatis ſuæ cogitauit exercere tyrannidem, vnde factum vt Abbati Stephano Eboracenſi, qui fortaſſe tunc præſens aderat, imperaret, vt Abbatem Benedictum caperet, captúmque cuſtodiret, vſque dum aliud de eo fieri eius coëgiſſet imperium.

XXIV.

Abbas ergo Stephanus neceſſitate coactus vellet nollet, idipſum ſe facturum eſſe ſpopondit: ſed cùm domum reuerteretur, in campo, qui *Segeſuuald* dicitur, Abbati Benedicto illum contigit obuiare, & cùm ſe Inuicem ſalutaſſent, ſic Abbas Stephanus Benedictum allocutus: mallem, inquit, Domine Benedicte, te alibi, quàm hic inueniſſe: coarctat me quippe Regis imperium, vt te capiam, & ad illius te præſto teneam iuſſionem: quod Benedictus audiens reſiliuit, & vehementer indignans baculum paſtoralem de manu famuli citius arripuit, taliterque locutus eſt: heu, proh dolor! inquit, quod hanc diem videre ſuperſum, tanquam latronem comprehendere me veniſtis. Nunc ergo gladios & fuſtes arripite, quia viribus vtendum: apparebit inter vos quis ſit audacior, quia per Dominum meum ſanctum Germanum, quandiu mihi vigor fuerit, non impune mihi veſtrum aliquis appropinquare tentabit. Quod vt vidit Abbas Stephanus, ſicuterat vir ſapiens & maturus, ſubridens retroceſſit, & deflexo loro per aliam viam reuerſus eſt in regionem ſuam.

XXV.

Videns autem poſtea Benedictus plurimorum aduerſum ſe malitiam commoueri, nec facile ſe poſſe ad pacem priſtinam & tranquillitatem peruenire, præſentiens maximè, cùm aduerſam partem plurimorum fauor & conſenſus armaret in crimine, locum inuidiæ dare diſpoſuit: probo ſiquidem & ſapienti fretus conſilio diſcordiæ peſtem diſcedendo maluit extinguere, quàm reſiſtendo procacitet liuoris crimen augere. Pudendum quippe duxit dominium, ſi ſic præeſſet, vt non prodeſſet, ſi cuſtodiret illorum corpora, quorum animas amittebat & animos, ſi viribus illorum extorqueret obſequium, quorum virtutibus non allicere valebat affectum: vniuerſis itaque congregatis Monaſterium & omnem Monaſterij ſubſtantiam eorum curæ committens, licentiam petiit abeundi. Quod licet multis diſplicuiſſet, & plurimi reclamarent, nullatenus remanere conſenſit, ſed vnicuique benedictionem, quam meruerat, derelinquens, flentibus & dolentibus, quibus erat mens melior, diſceſſit. Adiuit autem, vt dicunt quidam, Roueceſtriam, vbi quandiu ſuperfuit, honeſtiſſimè conuerſatus, & poſt obitum illius, ſicut Abbatem decebat, honorabiliter tumulatus. Præfuit autem Monaſterio quod fundauerat, ſicut ex ſubſequentium illius temporibus poteſt colligi, xxvij. annis, ſcilicet ab anno iiij. Vvillermi primi Regis vſque ad decimum Vvillermi ſecundi.

XXVI.

Taliter itaque, ſicut prælibauimus, Abbate Benedicto de Abbatia remoto vir piæ recordationis Hugo curam ſuſcepit paſtoralis officij, qui multo tempore priùs in Monaſterio Præpoſitus Congregationis electione, Regis fauore, Archiepiſcopi Girardi approbatione promotus & ordinatus. Fuit namque vir ſimplex, timens Deum, & recedens à malo, charitate præcipuus, humilitate mirabilis, pietate laudabilis, continentia glorioſus. Talem quippe eum ſuo tempore & oſtendit moralitas, & fama celebrauit, vnde factum vt ab omnibus, qui eum noſſe poterant, magnificaretur, & à ſingulis prædicaretur, à populis honoraretur, à Clericis diligeretur, à principibus coleretur, à Sacerdotibus amaretur. Supererant adhuc quippe per illos dies bonæ boni ſæculi reliquiæ. Vigebat probitas, bonitas enitebat, valor & virtus conregnabant, honorabantur ſerui Dei, religio deuotè colebatur, & vt hanc exaltarent certatim ſua ſtudia ſinguli conferebant. Tantum denique ſe quiſque lucratum fuiſſe gaudebat, quantum pro Dei amore Dei ſeruis beneficii contuliſſet. Inde contigit, vt in ſuo tempore Monaſterium idem Abbas Hugo plurimarum plurimis rerum adaugeret incrementis: Abbatiam ſiquidem ſuo quæſtu redditibus extulit, Eccleſiis quamplurimis inſigniuit, ornauit honoribus, ornamentis honorauit, decorauit ſubſtantiis, prædiis & poſſeſſionibus ampliauit.

XXVII.

Eccleſiæ quoque, ſed & omnium officinarum regularium fundamenta in loco vbi nunc Abbatia, deuotus architectus ipſe locauit: nam vſque ad ſuum tempus omnes officinæ ligneæ fuerant, ſed & flumini omnes contiguæ, quarum ille, ſicut prædiximus, aliquantulum ab aqua longiùs fundamenta coniecit. Circa quod opus tantus ei ardor inerat, tanta deuotio, vt omnia, quę ipſi operi conferre poterat, nihil ſibi viderentur, niſi etiam ipſe aliquid propriè de ſuo contuliſſet. ducebat quippe ſatis exiguum illud tantum operariis amminiſtrare, quod larga deuotio fidelium beneficii offerebat, ſi non aliquid ex ſe & per ſe ipſe impenderet, ſed tamen quid ex ſuo poſſet impendere, quid habuit quod non accepit, oblationes fidelium, redditus poſſeſſionum, non ſua, ſed beati Germani eſſe ſciebat, illa prudenter & vtiliter diſpenſare, non tam virtutis eſſet & meriti, quàm diſſipare, vel ad libitum tractare, ſacrilegij & rapinæ. Hæc igitur prudenter intelligens tale ſtuduit operi beneficium impendere, quod conferre magnæ eſſet virtutis & meriti, retrahere verò nec culpæ nec vitij. Quotidie ſiquidem cucullo indutus operario, lapides, calcem, & quæque operi neceſſaria humeris ſuis ſuppoſita cum cæteris operariis ad murum ſolebat aduehere, & omni ſabbato mercedem ſibi ſicut vnus ex operariis accipiens, pauperibus erogauit, vt illud ſcilicet impleret, quod ſcriptum: de tuis iuſtis laboribus da pauperibus: Tandem ergo maxima Eccleſiæ parte Dei adiutorio perfecta, regularibus etiam officinis regulariter circumædificatis vigiliâ beati Patroni Germani ſuas oues ſcaulis paſtor deuotus induxit. Hæc igitur ad admirabilem & deuotam circa domus ſuæ prouectum ſollicitudinem oſtendendam breuiter euo luta.

XXVIII.

Cæterùm de charitate eius & pietate quid dicam? cùm vtraque ſemper virtute plenus & affluens, gauderet cum gaudentibus, & fleret cum flentibus, numquam ſine illius pœna puniri potuit aliquis, vel in ſucceſſibus proſperari: aliorum ſucceſſus ſuos profectus æſtimabat, aliorum infortunium ſuum damnum eſſe credebat. Quis enim vel ſine illius mœrore paſſus eſt noxia, vel ſine illius gaudio meruit profutura? ô quàm ſæpe ſuis votis reſtitit vt aliorum voluntati ſatisfaceret! quàm ſæpe penuriam paſſus eſt, vt aliorum inopiam ſubleuaret: nam ſi aliquando contigiſſet vt veſtem minus idoneam aliquis haberet è fratribus, confeſtim eum ad ſe ſecretò aduocans ſuam ſolebat abſtrahere, & ei tribuere, meliorem videlicet pro priore commutans, ſic de cibo, ſic de potu, ſic de cæteris rebus facere ſolebat. Fuerat autem conſuetudo quotidie quando domi eſſet, antequam fratres pranſuri refectorium intrarent, primum pulmentum per omnes menſas circumferre & apponere. Omni die duorum pauperum cibum de coquinâ accipiens ad ſuam ipſius menſam ſolebat afferre & cum ſuo componere, vt tanto ſcilicet ſibi diſtrictiorem indiceret abſtinentiam quanto per præſentem eleemoſynam pauperum maiorem cogitaret inopiam. Prætermitto quàm ſuerit in orationibus ſedulus, quàm in canticis & hymnis ſpiritualibus aſſiduus, quàm in pſalmorum modulatione deuotus, in huiuſmodi namque ſtudiis tanta fuit ei delectatio, tanta deuotio, vt ſæpiſſime matutinis expletis officiis domum infirmorum ſoleret adire, & ibi cum quodam Clerico Aluuino nomine, qui in eadem domo ſamulabatur, pſalterium & litanias decantare, quod & ſolebat facere, cùm iter quoduis ageret, adiunctis ſcilicet ſibi clericis, quos famulorum loco ſecum ducebat, tota die pſallendo & orando proficiſci; ſed quia longum eſt omnia quæ de illo ſunt bona referre, hæc pauca ad illius honeſtiſſimam moralitatem demonſtrandam memoraſſe ſufficiat. Nunc ad illius finem ſe narratio noſtra retorqueat.

XXIX.

Cùm namque viginti & ſex annis Monaſterio præfuiſſet, ab anno videlicet decimo Willermi ſecundi, vſque ad annum viceſimum tertium Henrici Regis, finem ſuum, vt credo per ſpiritum imminere prænouit, & quia noluit in prælatione finire, Archiepiſcopum Turſtinum de Curæ Paſtoralis abſolutione, nemine ſciente,

conuenit, qui licet inuitus plurimúmque reluctans, Abbatis tandem voluntati conſenſit, adiunctiſque ſibi religinſis & honeſtis patriæ perſonis, Radulpho ſcilicet Dunelmenſe Epiſcopo, Radulpho Epiſcopo Orcadum, Gaufrido Abbate Eboracenſi, Priore Pontefractenſi, & aliis plurimis, quos enumerare longum eſt, Selebiam tanquam de alia cauſa tractaturus aduenit. Quibus in Capitulo conſidentibus ſurgens ex improuiſo Abbas Hugo ſolo proſtratus abſolutionem ſuæ petiuit obedientiæ. Tunc mœror & luctus omnium, tunc planctus & gemitus vnà proſiliunt, tunc dolor ſubitus tantò vehementiùs, quantò & repente Monachorum omnium mentes affecit, & animos. Reclamabant Epiſcopi, vniuerſæ perſonæ reſiſtebant, diſſuadentes, deprecantes, obſeruantes, ne paſtor oues deſereret, ne filios pater inconſultos relinqueret, ne Monaſterium moderamine rectoris orbatum raptoribus exponeret & prædonibus, quorum precibus & lacrymis dum ille non moueretur, cum feſtinatione abſoluit eum Archiepiſcopus: non enim purè Abbatem Hugonem dilexerat, quia ille vnus fuit ex eis, qui in electione eius reclamauerant, & ideò ſe faciliùs ab abſolutionem eius inclinauerat, ſed tamen non ſine timore: timebat quippe ſe Regis indignationem incurſurum, ſi ad illius notitiam perueniret, quòd in Abbatiam ſuam manus contra rationem iniecíſſet. Vnde factum, vt abſoluto à cura paſtorali Abbate Hugone omnem exteriorem curam domus, non cuilibet ex ſuis, ſed Priori, Willermo ſcilicet Magno, commendaret, ſed & baculum Paſtoralem cùm ei vellet Abbas Hugo reddere, non adquieuit accipere, ſed ſuper altare iuſſit deponere.

XXX.

Sic itaque Paſtoralibus curis fœliciter vir ille fœlix exoneratus, multa ſanctorum loca per Angliam orationum gratia viſitauit, & cùm eum apud ſanctum Albanum & apud Donelmum honorabiliter, & cum magna reuerentia, ſicut virum ſanctiſſimum vellent retinere, nunquam ſibi ipſe perſuadere potuit, vt à beato Germano aliquantulum temporis moraretur. Domum ergo reuerſus, vitam eremiticam in prædio quodam *Scablu* nomine, non longè à Monaſterio honorabiliter cœpit exercere. Cùmque duos annos poſt gradationem ſuam peregiſſet ſpatiandi gratia, quodam tempore domum aduenit: tunc incommodo repente corripitur, languore deprimitur, febribus aggrauatur, tanquam manifeſtè daretur intelligi maximam de eo curam beatum Germanum habuiſſe, quem ſuo ſic inſtinctu ad ſe reuocauerat, vt ibi videlicet corpus requieſceret, vbi æternam requiem multis beneficiis promeruerat. Cùm itaque diebus paucis acerrima valetudine vexaretur, rebus demum exemptus humanis, appoſitus ad patres ſuos, & ab Herberto tunc Abbate Monaſterij cum magna reuerentia, ſicut talem ac tantum decebat virum, in Capitulo tumulatus, de quo vice Epitaphij ſic cecinimus Elegiacè.

XXXI.

Verſus de Abbate Hugone.

Hugo decus morum, decor orbis, flos Monachorum,
Cùm ruit, omne ruit quod Monachile fuit.
Lux animæ vina, via vitæ, pacis oliua,
Cum fugit & vadit, ius, decus, ordo cadit.
Hic vir virtutis, decoris vas, vnda ſalutis,
Gloria, dum ſteterat, religionis erat.
Præ cunctis humilis, aliis carus, ſibi vilis,
Mente minor puero, pluſque rigore, fero.
Non homo, ſed vermis, ſibi non vir, res ſed inermis,
Mens ſibi, mors finis, terra fauilla cinis.
Mos ſibi ſe flere, mens ſternere, vota valere,
Nolle malo mori viuere, velle mori.
Eſſe ſibi Regem mens, cunctis vota ſubeſſe,
Cor prodeſſe gregi, lex ratione regi.
Simplicitas puerum probat hunc, ars, ſenſus Homerum.

Vis probitas iuuenem, conſiliúmque ſenem.
Libertas ſocium, dominum valor, actio diuum,
Gratus amor Fratrem, ſollicitudo Patrem.
Sic Monachile decus par cunctis, omnibus æquus,
Cuique coaptatur, cui comes ipſe datur.
Diuitiis ſuperis, teneris pietate, ſeueris
Iudicio, pueris mente decore meris
Iuſtitia iuſtis, ſpe ſanctis, ore venuſtis
Actibus ingenuis, ingenuiſque ſuis.
Quæſtibus, hic primus, & opimis rebus opimus,
Plura ſuæ domui contulit arte ſui.
Eccleſiam fecit, cuius fundamina iecit,
Cui tulit & dona plurima larga bona
Sic vir plúſque viro virtutum munere miro
Dum viruit periit, dum fletus interiit.
Cùm cadit is, cadimus, & eo pereunte perimus,
Cùm premit hunc finis, fit decus omne cinis.
Se cato dat terræ, quod ſumpſit iuſſa referre,
Semina miſſa metit, ſpiritus aſtra petit.

XXXII.

Igitur poſtquam ſe Abbas Hugo de ſede paſtorali tranſtulerat, ſucceſſit ei in Monaſterii regimine Herbertus, vir valdè Monachus, & ordinis obſeruatione probatiſſimus, qui ex Sancto Albano electus, à Rege collaudatus, bene ſibi paſtoris & nomen & officium perpetuò vendicaſſet, ſi Columbinam in ſe ſimplicitatem ſerpentis prudentiâ temperaſſet. Sed quia ſimplicitatem ſuam nec ornauit ad plenum prudentia, nec diſcretio temperauit, ei plus obfuit, quàm profuit, quantum quidem ad Paſtoralem curam exercendam. Fuit quippe vir admodum ſimplex, & ſatis, pluſquam rectorem decebat Eccleſiæ. Quia ſic quietem Mariæ diligebat, & partem, vt omnem Marthæ ſollicitudinem deſereret, & laborem, nulla de rebus exterioribus ei cura, nec ſollicitudo, de poſſeſſionibus, de ſubſtantiis Monaſterij nihil agebat, nihil cogitabat. neſciuit de ijs iudicare, nec voluit, recolens quia; nemo militans Deo, ſe negotiis implicat ſecularibus, ſedebat in Clauſtro ſolitarius, & tacebat, pſallebat, orabat. Legit & decerpſit flores de ſcripturis, ipſe primus ingrediebatur ad horas, vltimus exibat. Quid plura? Sic interioribus profeſſus Monachum, vt in exterioribus omnino diffiteretur Abbatem. Ex hoc accidit, vt res exteriores certo procuratore carentes non bene cœperint adminiſtrari, inculti agri, horrea demolita, manſionum extirpata pecuaria, ſummam inopiam Monachis pollicebantur imminere, conſulitur ille; ſed conſulentibus ſe conſulere neſciebat, querimoniis huiuſmodi frequenter eius corrumpitur Lectio, præpeditur oratio, contemplatio defraudatur, & ad hæc acceſſit afflictionis grauioris incommodum; quia nec apud eum querela ſolatium, nec neceſſitas inuenit remedium.

XXXIII.

Cùm itaque quatuor annis vix in regimine perduraſſet, cernens ſibi laborem infinitum incumbere, vnum ſibi vidit ſupereſſe conſilium, vt ſe videlicet de tali cura transferret. Aduenerat in Angliam eo tempore Cardinalis quidam Apoſtolicæ ſedis Legatus, Ioannes nomine, quem Herbertus apud Eboracum allocutus; de officij ſui cura conſuluit; cúmque illius moralitatem Cardinalis didiciſſet, nihil, inquit, tibi frater hoc tempore vel tuis moribus cum paſtoris officio: ſimplicitas hoc tempore reputatur ignorantia, humilitas ignobilitas, manſuetudo ſtultitia. Quam ob cauſam in veritate tibi conſulo, vt onus paſtorale deponas, & ſarcinam, & cum ſe diceret Herbertus hoc ratum habere conſilium, hoc quærere, hoc deſiderare, abſoluit eum Cardinalis. Veniens itaque domum, continuóque vale dicens Fratribus, & Monaſterium eorum curæ committens, ad Sanctum Albanum reuerſus eſt.

XXXIV.

Poſt cuius diſceſſionem electus Durannus quidam Monachus Sanctæ Mariæ Eboraci, qui nouem annis præfuit Monaſterio, ſcilicet vſque ad annum nouiſſimum Regis Henrici, in cuius Duranni tempore res magna contigit & plena ſtupore, quæ vt paginis inſerta præluceat, breuiter hanc memorabo. Niuis & glaciei diſſolutione mirabili Vſa fluuius mirabiliter excreſcens ripas ſuas vehementer exceſſerat, cuius inundatio tam repentina fuerat & inſolita, vt cùm matutinorum ſigno pulſante nihil appareret, antequam Fratres Matutinas percantaſſent, per totum Clauſtrum & officinas ſe aqua diffudiſſet, tunc villæ Capella, quæ fluminis alueo fuit contigua, tantò plus aquarum impulſibus periclitata, quantò maiori fluminis rigore concuſſa, circa quam ſatis ſe præſentem oſtendit Beati Germani potens benignitas & benigna poteſtas; nam cùm aqua per quindecim ferè dies excreſcens ſe ſuper Capellæ parietes qui virgultis contecti fuerant, quinque ferè cubitis extuliſſet, nunquam tamen valuit infra Capellam vnum gradum qui ante altare fuit, excedere, quamuis parietibus vſquequaque carie conſumptis foramina per circuitum & plurima paterent & maxima. Viſum ergo & diligentius exploratùm, & inuenta aqua duobus cubitis eſſe altior extra, quàm intus. Hoc miraculum tam cognitum & diuulgatum, vt adhuc etiam quaſi prouerbium euoliter per ora cunctorum. Dicunt etiam in eadem Capella luminaria ardentia ſæpius viſa fuiſſe, ſæpè voces Pſallentium & Cantantium auditas & intellectas, ſed in diebus Abbatis Duranni hoc quod retulimus contigit de aqua miraculum.

XXXV.

Erat autem iſdem Durannus vir in exterioribus valdè prudens, ſed in interioribus & ſibi & aliis longè pluſquam oportuit negligentior: erat ſiquidem multimoda gratiarum dote donatus, liberali ſcilicet ſcientia ſufficienter eruditus, forenſium ſapientia bene conſummatus, præterea facundus eloquio, acutus ingenio, munificus dextera, decorus facie, expenſis nobilis, nobilitate conſpicuus, verùm ad tot inſtrumenta virtutum, quæ habuit, corrumpenda acceſſit fermentum erroris, noxia videlicet familiaritas ſuſpectarum perſonarum. Amabat quippè Rex Salomon mulieres alienigenas multùm quæ ſubuerterunt cor eius, & eum errare fecerunt, vnde publicè diffamatus, & notatus per prouinciam laïcis fuit ſcandalum, ordinatis opprobrium. Correptus autem ſæpiùs & increpatus à Monachis cùm nulla ratione malus vſus inolitus valeret aboleri, tandem ſuadente & co[illegible]ente ſupradicto Archiepiſcopo Truſtino, Paſtoris honorem cum onere à Conuentu deſerere compulſus. Cùm autem ei per omnia Archiepiſcopus reſtitiſſet, ne amiſſum recuperaret honorem, adiuit ille Cluniacum, vbi ſub religionis & ordinis profeſſione honeſtè cœpit conuerſari, vnde poſtea Abbatis Cluniacenſis collatione nobilem & excellentem in Anglia adeptus Prioratum regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu Sancto, honor virtus & gloriæ, nunc & per omnia ſæculorum ſæcula.

MONITVM AVCTORIS, SEV PRÆFATIO IN SEQVENS OPVSCVLVM.

Superioris exaratione voluminis iam ex vtraque parte ſcheda decurſa præſentis opuſculi propoſueram finire laborem, quod me facere dum non permittitis, facitis indiſcretè, quia & meam tenuitatem tam immoderato labore vexatis, & inuidorum, ſi qui ſint, aduerſum me liuorem excitatis, odioſum me facitis Chananeis & Phereſeis habitatoribus terrę huius. Illis ſiquidem materiam augetis inuidiæ, dum honoris mihi cauſas adminiſtratis & gloriæ, vnde tremulus ſatis & dubius iſtud proſequor veſtræ iuſſionis opuſculum, quia timeo quod futurum præſentio, ne ſcriptoris causâ contemnatur pagina, ne occaſione vilis Hiſtoriographi pretioſa ſubſannetur & reſpuatur hiſtoria. Sunt enim quamplurimi in hoc tempore, qui non quod, ſed quis dicas, attendunt: qui peruerſam metonymiam facientes non perſonam ex

dictis, ſed ex perſonâ dicta volunt approbare, timeo quod iam imminere video, ne ij tales ob meam paruitatem à me ſcriptam ſubſannent hiſtoriam, nec dedignentur legere quæ tam vilem perſonam cognouerint edidiſſe. Quamobrem ab hoc labore manum retrahere propoſueram, ſed vos, qui pene violenter hoc coëgiſtis incipere, violentiùs cogitis & implere: factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis, ſiquidem non veni voluntatem meam facere, ſed eius qui miſit me: meis votis reſtiti, vt veſtris ſatisfacerem, meam voluntatem adnihilo, dum veſtram implere laboro. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, ſine iniquitate cucurri, & direxi, inuidorum inſaniæ, ſcandalis puſillorum, quæ ex hoc noſtro ſtudio fortaſſe contrahentur vos arbitror in capite debere reſpicere, quia vos huius operis adiutores eſtis, ego miniſter. Cæterùm ſunt aliqui, quibus reſpondendum, qui ſuam inuidiam volentes palliare, quaſi iuſta ratione hoc Opuſculum noſtrum nitantur reprobare, dicentes, à nemine debere rem ſcribi, niſi à quo potuit & videri, nec aliquem debere credere rem ex auditu quam probare non potuit ex viſu. Quid ergo, nonne fides ex auditu, quanta audiuimus & cognouimus ea, quia patres noſtri opera Dei & virtutes eius narrauerunt nobis, ne ſint occultata à filiis eorum in generatione altera, & tamen maiorem hiſtoriæ partem ab Abbate ſcilicet Hugone vſque ad calcem vidiſſe potiùs quàm audiuiſſe me iudico, quia illorum ore locutus ſum qui viderunt. Teſtem inuoco conſcium ſecretorum, me aliud non narraſſe, quàm ab illis audiui, qui etiam tales ſunt, vt eorum maturitati diſcredere infidelitatis ſignum ſit & nota perfidiæ. Hæc me paucis dixiſſe non ſine magno cordis dolore liuor & oblocutio compulit inuidorum. Cæterùm benè facient ſi ſe ab huiuſmodi vitio correxerint, qui ſibi conſcij ſe cognouerint hic notari: ſi autem peccator adiciat ad peccandum, ad illius nos non pertinebit exceſſus, ſit ſanguis eius ſuper eum: nos Paulum habentes Apoſtolum, Chriſti bonus odor erimus, & in iis qui ſalui ſiunt, & in iis qui pereunt.

CAPVT I. *De electione Abbatis VValteri*

II. *De moralitate eiuſdem, etiam prædicationis inſtantia.*

III. *Verſus de eodem.*

IV. *De Abbate Helia.*

V. *De Homine, qui Eccleſiæ fores in guerra volebat effringere, & qualiter percuſſus ſit.*

VI. *De milite, qui equum de Cœmeterio rapuit.*

VII. *De milite, qui de Eccleſia quendam rapuit & eduxit.*

VIII. *De eo quod nullus ſine alicuius experientia flagelli poteſt euadere qui Sanctum Germanum quoquo modo offenderit.*

IX. *De Capella quæ inter incendia permanſit illæſa.*

X. *Quod milites nullum in guerra Captiuum tenere propter Sanctum Germanum valebant.*

XI. *De pellipario qualiter Sanctum Germanum inuocans à vinculis liberatus.*

XII. *De paruulo qui Sancti Germani inuocatione liberatus eſt.*

XIII. *De muliere, quæ ſe pro viro ſuo obſidem dederat, qualiter euaſit.*

XIV. *De Clerico, qui pro parte obſes tenebatur, qualiter meruit liberari.*

XV. *De viris quos Sanctus Germanus viſibiliter apparens abſoluit & eduxit.*

XVI. *De quodam VVillermo, qui de ſummitate Caſtelli mirabiliter euaſit.*

XVII. *De ruſtico, qui Sanctum Germanum inuocans nullius cruciatus ſciuit ſentire ſupplicium.*

XVIII. *De Martino, qui hominem Sancti Germani volens calumniari, loqui non valuit.*

XIX. *Quomodo illum à militibus ſuſpenſum Sanctus Germanus à morte ſaluauit.*

XX. *Quomodo idem Martinus vſque ad mortem vulneratus infra diem tertium reſtitutus ſoſpitati.*

XXI. *De eo, quod plurima abbreuiationis gratia ſunt omiſſa.*

XXII. *Quomodo Abbas Helias degradatus, & Germanus Eccleſiæ Prælatus.*

XXIII. *Quomodo Abbas Germanus redeunti Heliæ ceſſit, & iterum authoritate Legati rediit.*

XXIV. *De moralitate Abbatis Germani & illius obitu.*

XXV. *Verſus vice epitaphij de eodem ſcripti.*

XXVI. *De Ciſtellis, quæ in flumine ceciderant, quomodo illa, quæ reliquias continebat, ſicca inuenta.*

XXVII. *De recluſa, cui Sanctus Germanus apparuit, & Selebeiam per viſum oſtendit.*
XXVIII. *De puero bimo, quem carri rota contriuit.*
XXIX. *De femina, quam Sanctus Germanus per viſum increpauit, cùm famulos ſuos non attentiùs honoraſſet.*
XXX. *Be Canonico à quartano febrium incommodo ante feretrum liberato.*
XXXI. *De muliercula, quæ xv. annis infirmitate laborauerat, quomodo ſanata.*
XXXII. *De paruulo contracto & ſanato.*
XXXIII. *De puella morti proxima quomodo ſanitatem ante feretrum recepit.*
XXXIV. *De homine languido, quomodo nocte Sancti Germani, ſanitati reſtitutus.*
XXXV. *De homine vexato à dæmone, quomodo per reliquias mundatus ſit.*
XXXVI. *De ruſtico, cuius manibus vanga adhæſit.*
XXXVII. *De homine inflato, quomodo Sanctum Germanum inuocans ſanatus ſit.*

I.

Poſtquam Abbatem Durannum de regiminis excellentia ſua culpa deiecerat, Paſtorali moderamine per duos annos Abbatia viduata permanſit. Egit hoc de Abbate eligendo inter Monachos exorta diſſenſio, quia dum vnuſquiſque alterius voluntati reſiſtit, nullius ad effectum valuit velle perduci. Fuerunt ſiquidem eo tempore plurimi in Monaſterio, qui ad Prælationis faſtigium ſuſpitabant, vnde dum vnuſquiſque promotioni propriæ intendebat, alterius electioni reclamabat. Cùm autem ſe tam diuturnâ contentione diſtrahi fruſtra viderent, & ſe ab inuicem præpediri mutua infeſtatione dolerent, tandem ſub vna ſe colligentes ſententia domni Archiepiſcopi Turſtini procedente conſilio Priorem Pontefractenſem Vualterum elegerunt.

II.

Fuit autem idem Vualterus moribus & ætate bene maturus, artium liberalium aſſertione præcipuus, religionum grauitate prouectus, famæ celebratione ſpecialis. Denique nihil imperfectionis in eo moralis plenitudo dereliquerat, niſi quòd aliquantulum iracundus extitit & feſtinus; ſed eius ira vix ei ceſſit ad vitium, quia admodum ſtipulæ quantò faciliùs ſolebat accendi, tantò citiùs conſueuit extingui, quippè nec inuenit in eius ſinu requiem, nec in eius corpore reperit manſionem. Igitur electus à Monachis, & à ſæpè dicto Antiſtite Turſtino conſecratus, multarum ornamento virtutum, multorum priuilegio meritorum Prælationis honore ſe dignum eſſe monſtrauit: tanta ſiquidem ſollicitudine, tanta deuotione ſpiritualibus rebus curam adhibuit, vt cum Maria ad pedes Ieſu ſedere iocundans, omnem exteriorem Cœnobij adminiſtrationem cuidam ex Monachis VVillermo ſcilicet Grandi commendaret, quatinus ipſe tanto liberiùs ſpiritualibus vacare poſſet profectibus, quanto à terrenarum rerum impedimentis eſſet abſolutus; Moyſi videlicet in hac parte ſecutus exemplum, qui pro ſe viros ſeptuaginta ſupra populum conſtituit, vt quantò ſe ab exterioribus cauſis abſconderet, tantò ardentius interna penetraret. Regulæ quotidie lectionem in Capitulo ſolebat exponere, ne ſe de ignorantia quis fratrum excuſaret, prædicabat verbum Dei, inſtabat opportunè, importunè arguebat, increpabat, obſecrabat, in omni patientia & doctrina, proferebat doctus ſcriba de theſauro ſuo noua & vetera, gaudium & pœnam, ſupplicium & gloriam, vt promittendo gaudium, excitaret ad meritum, & minando ſupplicia à ſubditorum moribus noxas omnes extirparet & vitia: præterea prædicationis inſtantiam honeſtæ conuerſationis authoritate in ſe ipſe roborabat, & vocis libertate, collatione diſciplinæ moralis ornabat. Sicut enim defendebat loquendo quod vixit ſic ornabat profecto viuendo quod dixit, caſtigauit cum Apoſtolo corpus ſuum, & ſeruituti ſubiecit, ne aliis forſitan prædicans, ipſe reprobus efficeretur, quos verbo genuit, nutriuit exemplo, quia quod vocibus prædicauit, moribus adimpleuit. Sed tamen, quamuis interioribus curis tantâ ſe ſtudioſitate contuliſſet, nequaquam tamen omnimodis à cauſis forenſibus ſe ſubtraxit, ſi quando neceſſitas exigebat, pro proximorum vtilitate charitatis condeſcenſione clementer inſeruiit: ſumma ſiquidem prudentia diſperſa congregans, & modeſta temperan-

tia congregata conſetuans, præcauit ſummopere, ne in ſuo tempore domus alicuiusincommodi diſpendium vel alicuius damni periculum pareretur, ſic itaque conſtanti vigilantia, dum & interiora purgaret à vitiis, & exteriora protegeret ab inimicis, fortiter & ſuauiter diſponens omnia, pacificè & tranquillè perficiens vniuerſa, curſum paſtoralis officij ſex annorum curriculo terminauit: diuturno quippè attenuatus incommodo pridie Kal. Martij hominem exuens migauit à ſæculo, & in Monaſterij Capitulo cum ſummæ venerationis obſequio, cum magnæ deuotionis reuerentia traditus ſepulturæ, ad cuius laudem ſic elegiaco carmine dictum eſt.

III.

Stella cadit cleri, perit hæres almus Homeri,
Dum mors Valteri demetit ora meri.
Tullius hærede, parili Cato, Pallas & æde,
Priuatur ſede Muſa, Minerua pede.
Claudicat ars dia, titubat iam philoſophia,
Cumque theoria iuncta ſophia pia.
Plangite Pierides, veſter ruit almus Atrides,
Quemque premunt lapides, plangat amica fides.
Ars perit & Clerus, quia corruit alter Homerus,
Orbis honor verus, religionis herus.
Artibus armatus, morum probitate probatus,
Legibus ornatus, artibus arte datus.
Artibus omnigenis pollens, titulisque ſerenis,
Conſiliis plenus, ſenſibus, ore, genis.
Sic ſibi quoque dato virtutum munere grato
Eſt Paris ore, Cato moribus, arte Plato.
Flos, decor Eccleſiæ, Cleri decus, aula ſophiæ,
Regula Iuſtitiæ mentis honore piæ.
Digna ſit orbe coli VValtero laus data ſoli,
Qui demptus Soli tranſit ad aſtra poli.
Eſt Caro facta Cinis, laus eius neſcia finis,
Quem cum diuinis viuere Chriſte finis.

IV.

Huic ſucceſſit Helias Paganellus Prior Sanctæ Trinitatis Eboraci, qui omnino penè laicus, excepta pſalmorum recordatione, vtpote conuerſus ex milite, pro morum tanta honeſtate & exteriorum ſcientia, qua bene pollebat, electionem omnium promeruit, & affectum illexit. Ordinatus autem bene præfuit, quia in multis profuit, & maxime in hoc, quod Monaſterij poſſeſſiones ab hoſtium & prædonum violentia viriliter protegebat, quanquam eo tempore bellicæ cladis immanitate vbique regnante tyrannorum & prædonum inſania quemque opprimeret, rebúſque ſpoliaret quem viribus imparem cognoſcebat, ſed quoniam ad alia quæ digna memoria in illius tempore contigerunt feſtinamus, hoc de illo compendioſè dixerimus, quòd omnia ſibi credita viriliter & vigilanter ſeruauerit, prudentérque ſeruando bene & fideliter vſibus Monachorum miniſtrauerit.

V.

Contigit ergo in eius tempore vt Henricus de Laci, qui eiuſdem cognatus extitit, communicato cum eo conſilio in Selebio Caſtellum eleuaret, nec prætериuit hebdomada, cùm hoc cognoſcens Comes Willermus.... cui fuit cum Henrico congreſſus, incœptum Caſtellū obſidere feſtinauit: villam ergo primū anxius impetens & furibundis inſultibus cùm diu pugnatorum repelleretur inſtantia, tandem aditum clandeſtinum per Monachorum habuit officinas. Interea propter metum inuadentium hoſtium, propter prædonum effrænem incurſum, ad Cœmeterij refugium, ad Eccleſiæ præſidium, ſe cum ſua ſupellectili quiſque contulerat; villam igitur hoſtium &

prædonum ingreſſis agminibus, ad prædæ raptum, ad rapinæ congeriem ſinguli vires & ſtudia conferebant, ſed cùm domos rebus & habitatore vacuas & vacantes reperiſſent, plures ex eis ad inuaſionem Eccleſiæ crudelitas rapacitatis attraxit, quorum vnus cæteris in malum audacior, Eccleſiæ fores de vectibus eijceret palum leuatorium oſtio ſubmiſit in limine, tunc vna vox omnium foris aſtantium in cœlum defertur, vt ſeipſum defenderet, ſuam domum protegeret, ſuis inimicis reſiſteret beatus Germanus poſtulatur, nec plus in ſcelere proceſſerat ſceleratus ille ſacrilegus, è veſtigio diuinitatis attritus iudicio cecidit reſupinus, edoctus proculdubio non plus ſapere quàm oportuit, ſed ſapere ad ſobrietatem. Cœpit illico tam vehementi tumore per omnes artus miſer groſſeſcere, vt ipſa ſua inflammatione pene cutis extenta rumperetur, ac deinde perſeuerante tumore tam deformi nigredine obfuſcari, vt Mauro ſimillimus pice vel fuligine cacabatus putaretur, denique leuatus, & ad hoſpitium delatus à ſociis, in doloris lecto collocatus, tunc aliquantulum paſſione ſuſpenſa, doloréque laxato in ſe reuerſus, nomine Benedictum Monachum qui operi præfuit, vt abſolutus res ſuas ei tribueret, fecit accerſiri. Qui cum adueniſſet & illum vidiſſet, tam repentino horrore ac timore correptus, ac ſi dæmonem facie ad faciem conſpexiſſet: rogatus autem vt res languentis ad operis vſus acciperet, ita reſpondit, oblationes, inquit, impiorum abominabiles Domino quæ offeruntur ex ſcelere. Traditus hic totus Sathanæ, nec habet in eo partem Dominus deſuper, aut hereditatem omnipotens de excelſis. Vix verba compleuerat, & mox rediuiua calamitas adeò miſerum fatigabat, vt ei præſente Monacho neſcio qua diuina virtute protinus vnum ex oculis vis doloris eijceret: tunc metu & horrore cogente cùm Monachus feſtinaſſet exire, priuſquam perueniſſet ad oſtium, oculus qui miſero remanſerat de capite ſicut prior erupit: ad modum namque pruni præmaturi, quod cum manu premitur, lapidem ſolet euomere, ſic illius oculi paſſionis anxietate depreſſi, cum ſanguinis conſtipatione migrarunt de ſuis ſedibus, & eruperunt. Notandum quod fortaſſe vitia quæ in eo percuſſa ſunt ipſius percuſſionis qualitatibus ſunt notata dum per tumorem corporis mentis ſuperbia, per obfuſcationem nigredinis conſcientiæ malitia, per oculorum amiſſum cordis cæcitas oſtenſa. Ideò quippè, ſicut dicit Gregorius, fiunt exteriora miracula, vt mentes hominum ad interiora perducantur, quatinus per hoc, quod mirum viſibiliter oſtenditur, ea quæ mirabiliora ſunt inuiſibilia credantur. Volens ergo confeſſor eximius per vnius interitum plurimos ab offenſa ſaluare, cauſas verberis denotauit in verbere, vt hoc cognoſcentes homines vitia regnare timerent in ſe, quæ tam diſtrictè puniri cognouiſſent in alio, vexatus itaque miſer ille tantæ paſſionis pœna, tanti cruciatus incommodo, vix diem tertium in languore ſuſtinuit, quin ei ſicut oculos, ſic & animam cum magna cruciationis anxietate valitudo paſſionis auferret, ſicque factum vt plurimi à talibus auſis illius cohiberentur interitu, nec aliquis beatum Germanum auderet offendere, qui illius damnati vel vidiſſet vel audiſſet admirabilem & infœlicem euentum.

V I.

Fuerunt tamen aliqui, qui eodem die priuſquam illius manifeſtaretur interitus, ad opus ſimile, licet ad non tam omnino temerarium, manus extenderent, quorum fortaſsè ſacrilega potuiſſet latere præſumptio, ſi non eam vltio ſubſequens diuina propalaret. Quidam namque ex militibus Paganus Foliot nomine, eodē die equum de Cœmeterio rapuit & eduxit, ſed non impunè, reuerentia poſtpoſita confeſſoris hoc præſumpſit, cuius protinus indignationem pertulit, & expertus iram: ad vindictam quippè malefacti mox antequam Cœmeterium egredi potuiſſet, vulnus recepit lethale. cuius irremediabili damnatus incommodo, & mentis & corporis ſalutem amiſit: ſicut enim corpus languorem ex vulnere, ſic & animus amentiam contraxit ex languore, ſed hac in re hoc mirabile videbatur, quòd licet tam acerrimo fuiſſet vulnere ſancius, qualiter tamen vel à quo fuiſſet vulneratus, penitus ignorauit: cùm itaque perſeueranti valitudine grauaretur, omnémque modum & menſuram accreſcens languor excederet, intra dies paucos ſingulari calamitate viam vniuerſæ carnis ingrediens, præſentis vitæ miſeriam terminauit.

VII.

Equitem alium ad tantam amentiam auiditas rapinæ protraxerat, vt ex ipſa Eccleſia vi & violentia quendam abſtraheret, abſtractúmque captiuum deduceret, cuius temeritatem temporis poſtpoſita dilatione comes vltio proſecuta. Diuinitatis namque ſententia contractis & conflexis artubus membrorum & vſu & officio priuatus emarcuit, qui percuſſus doluit, attritúſque ſuſcepit diſciplinam, quia tantum melius profecit ex verbere, quantò deteriùs affligebatur ex ſcelere, donánſque ſubinde libertate captiuum, votique ſe promiſſione conſtringens, quod confeſſorem, quem offendebat, ſatisfacturus ex offenſa requireret, Monachorum pro ſe intercedente conuentu, priſtinæ reſtitutus ſoſpitati.

VIII.

His ergo tribus prælibatis exemplis diligenter obſecto, prudens Lector, aduerte, quàm ſui, quàm ſuorum iniuriæ diſtrictus vltor beatus Germanus exiſtat, hoc in libro miraculorum eius legimus, hoc exemplis inibi ſuppoſitis diſcimus, hoc in hoſtium noſtrorum euentibus frequenter approbamus, hoc quaſi vulgare prouerbium habentes in ore aſſerunt noſtri ſeniores, dicentes, aut vix, aut nunquam aliquem ſe vidiſſe, qui beatum Germanum, vel furto, vel fraude, vel alicuius rei ablatione prouocaſſet, qui ſine alicuius experientia flagelli potuiſſet euadere. Alij puniuntur inopia, alij valetudine & infirmitate flagellantur, quidam quod durius ante mortem integritate memoriæ, quidam ſenſus ſanitate priuantur, quod nos tantò liberiùs & indubitanter aſſerimus, quantò, inquam, plurimis, licet minores ſimus, hoc viderimus approbatum; ſed hæc peccatorum percuſſio vtrum clementiæ Confeſſoris deputanda ſit, an furori, non temere quiſquam definire præſumat: percuſſionum quippè diuerſa ſunt ſcelera, & ſunt aliqui quos clementia iudicis flagellis atterit, vt purget: quidam verò quos furor affligit vt damnet: omnis namque diuina percuſſio ſecundùm Gregorium, aut in nobis purgatio præſentis vitæ eſt, aut initium pœnæ ſubſequentis: ſed infeliciores ſunt quicunque ſine pœna vel flagello punienda committunt; quia iuxta Auguſtinum nihil infelicius fœlicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala conſuetudo velut hoſtis interior roboratur. Verùm, ſicut beatus Germanus in ſui vel ſuorum iniurias vlciſcendo diſtrictus eſſe probatur, ſic in ſubueniendo de ſe præſumentibus omnino clemens & benigniſſimus. Quod quidem ſatis euidenter miraculorum ſubſequens enarratio declarabit.

IX.

Hoſtes namque poſtquam villam inuaſerant, inuaſámque rapacitatis violentia deprædati fuerant, tandem ſe de tam diſſolura diffuſione congregantes in aciem collegerunt. Caſtellum autem vnius Henrici tantummodo munitum præſidio cum totâ die coniunctis viribus oppugnaſſent, nihil proficientes inani labore, ſe diem illam exegiſſe doluerunt ad veſperam. Repulſam ergo ſuam alicubi vindicare ſtudentes, accenſis ignibus villam incendio damnauerunt. Ignis igitur alimentum ex omni parte reperiens, non acquieuit accenſus, donec totius pene villæ fabricam in vnum redigeret quaſi fornacis incendium. Tunc circa pretioſi Præſulis Germani Capellam, cuius ſuperius in ſuperiori libello meminimus, oſtenſum ſatis euidens & inſigne miraculum: æſtuantibus quippè circuncincta flammarum incendiis permanſit intacta, igniúmque ſæuientium periclitata fulminibus perſeuerauit illæſa, quamuis ei tanta proximitate hinc & inde domorum adhærerent ædificia, vt propinquiora cùm accendiſſet incendium, vltra Capellam quaſi in vnum crinem è diuerſo veniens ſe flamma colligere videretur. Quæ res ipſos etiam hoſtes adeò ſtupore repleuit, vt mirantes loquerentur adinuicem, ſi ſuper hoc tugurium congereremus incendium, antea liqueſceret, quia arderet: fidenter dixerim illum clementem ſcilicet Germanum eſſe præſentem, illum hanc Capellam combuſtionis eripuiſſe diſcrimini, qui attriti pedis olim prægrauatus incommodo hoſpitium ſuum

ab exuſtione protegens à periculo ſaluauit incendij, & hoc pro maximo habere debemus honore, pro ſummo tenere ſolatio, eum ſpeciali deuotione venerari, quòd antiqua miracula, quæ geſſit in corpore, quadam reiteratione dignatur apud nos clemens innouare patronus. Vno ſiquidem virtutis genere, eadémque miraculi qualitate expaueſcens, illic flamma præſulis hoſpitium, hic Eccleſiam, vtrobique præſentiam tranſiluit vltra citraque deſæuiens, & inter globos flammantis incendij incolume tabernaculum, quod incluſus habitator ſeruabat, emicuit, nec hoc prætterire debemus, quòd cum crux quædam, quæ in eadem adoratur Capella, foris contra ignem fuiſſet allata, continuò ſe repreſſit incendium, & ſe in ſeipſum retorquens Crucem illam vbicunque portaretur, quaſi fugere conabatur.

X.

Igitur cùm prædictus Comes poſt dies aliquot Caſtellum obtinuiſſet, Henrici milites inde deiiciens, ſuos intra conſtituit, qui rapinis vacantes & prouinciæ deprædarionibus inſiſtentes, omnes opprimebant quibus viribus preualebant, ſed grauem in beatum Germanum eſt crudelitas eorum ſorrita vicinum, qui eis in omne damnum imminere ſolebat: nam aut raiò aut nunquam aliquem captiuum, qui vel minimam in beatum Germanum fidem conceperat, retinere valebant, quin eum perderent ereptum piiſſimi clementia Confeſſoris, quod exemplis ſuppoſitis ſatis liquidò comprobauimus.

XI.

Pelliparium quendam ex Pontefracto crudelitas eorum infauſta rapuerat, à quo cùm pro redemptione pretium exigerent, quod dare nequiuit, quaſi votis eorum voluntatique contrarium diu multúmque diuerſis eum cruciatibus afflixerunt. Qui ſibi deeſſe ſentiens ad euadendi remedium humanum omne ſolatium, ad diuinum ſe totis deſideriis inclinauit auxilium. Sanctum Germanum iugi lamentatione proclamat, aſſiduis gemitibus inuocat, continua deuotione requirit. Vnde cuſtodibus furore commotis, quadam die, cùm ad diſcutſum omnes procederent, vinculis eum omnimodis, quàm firmiùs potuerunt, arctantes taliter illum ironica ſubſannatione deridebant: clama, inquit, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, ne ſileas antequam vincula clamore diſſoluas, ſi quid poteſt, adiuuet te miſertus tui, tuus Sanctus Germanus ille, quem inuocas. Sicque feſtinantes ad prædam illum cuſtodem hoſpitii reliquerunt, pondere grauarum catenarum, poſt quorum egreſſum vix hora præteriit, cùm ei manus, quæ poſt tergum vinciebantur, cœperunt repentè diſſolui, quas ad ſe retrahens, & ad votum expandens, vincula gauiſus ſui clamoris virtute dirupta, cúmque ſecum de facto cogitaret vidit ſubito de lignis, quæ pedes eius compreſſerant, clauos emergere, ligna ab inuicem diſſolui, laxari vincula, ſeras amoueri. Pedes ergo ſatagens ad ſe retrahere nullius obſtaculi ſenſit retinaculum. Surgens itaque quàm citiùs quaſi de ſua ſalute ſollicitus ad Eccleſiæ ſe præſidium confulit modo mirabili confeſſoris adiutorio liberatus.

XII.

Item filium paruulum quidam & captiuis obſidem pro ſua redemptione cuidam militi dereliquerat, qui paruulus edoctus Sanctum inuocare Germanum, eodem modo, quo ſuperior, à vinculis meruit liberari.

XIII.

Quædam mulier quoad vſque vir ſuus debitum redderet, obſidem ſe pro eodem dederat inimicis; ſed cùm veniſſet terminus, quo nouem marcas vir ſuus reddere conſtituerat, nouem coniugi ſuæ denarios delegauit, quos cum illa militi, cui debebantur, obtuliſſet, in indignationem illum vehementer commouit, & accendit in iram, quæ tam fuit efferа, plenáque furore, vt mamillarum vel manuum abſciſſionem prænotatus eques ei minaretur. Tunc ſolito aſperior hiems inhorruerat, quæ

nimium & ventorum aſpirata procellis quemque fœlicem fecerat, qui ſub tectorum præſidio meruit inueniri. Quod cernens miles vel potius miſer ille, quia nihil miſerabilius quàm neſcire miſereri, mulierculam illam pene nudam tota nocte ſub dio conſtituens, hiemalis rigoris torum ſuſtinere coëgit horrorem. Namque manibus à tergo ligatis, pedibúſque per medium parietem compedum & catenarum arctatione conſtrictis, duplicem miſeram perferre fecit cruciatum, cum brumalis ſcilicet tempeſtatis incommodo nexuum & catenarum flebilem afflictionem: Vnde totis viſceribus ad clementem Germanum illa conuerſa, eò deuotiùs, quò & opportuniùs adiutorium illius poſtulabat: nec mora, manibus & pedibus diuina virtute vinculis abſolutis, ad Eccleſiam nocte media, cùm Fratres matutinos hymnos cantaſſent, incolumis & læta peruenit.

XIV.

Item Clericus quidam pro genitoris redemptione obſes tenebatur in vinculis, nec pater eius debitum reddiderat, iam præſtitutus terminus præterierat, nec reddendi prælationem expetierat, cuius fidei falſitas fraudiſque fallacia in detrimentum & ſupplicium innocentis filij tota redundabat. Pro paternæ quippe tranſgreſſionis iniuria nati punitur innocentia. Qui pudore confunditur, opprobriis eiuratur, ſuppliciis atteritur, minis prædamnatur. Quadam namque die, cùm manus miles pranſurus ablueret, iuuenis vt manicas teneret abluentis acceſſit. Quem cum ille indignationis rancore repellens: quid, inquit, inter homines te canis peſſime præſumis immergere, fuge velocius, & hoc interim habeto ſolatium, quòd non citiùs ea menſa tolletur è gremio, quin de te dignam & grauem capiam vltionem. Repulſus taliter inter manducandum petita licentia ex parte curiæ cum cuſtode vinctus exiuit, vidénſque Eccleſiam, ô, inquit, ſancte Germane meæ miſeriæ dignare miſereri, experiar in me quæſo, quàm clemens erga alios tam benignam audiui ſæpe clementiam. Vix hæc intra ſe verba compleuerat, & ecce compedis annulum de pede ſubito ſenſit deſcendiſſe, quem manu ſubleuans, volucrique curſu per mediam domum exiliens, ad Eccleſiam quàm citiùs potuit, properauit: Inſequuntur eum ex omni parte quamplurimi, & licet eum attingere multi potuiſſent, nullus tamen in eum vt retineretur, manus valebat inijcere. Sicque beati Germani ſe protegente clementia præſidium Eccleſiæ nemine ſubiuit obſtante.

XV.

Ex vnius pagi conſortio viri fuere ſeptem, qui ſub vna cuſtodia ſimul in vinculis tenebantur afflicti. Ad quos ſeruandos tantò proceſſerat cuſtodia durior, cura ſollicitior, vigilantia cautior, quantò de illis ſperabatur redemptio ditior, cenſus profuſior, pecunia maior. Pedes, ligna; manus, vincula conſtrinxerant: affligebantur tam immenſo catenarum pondere, vt eos potiùs ferrea moles opprimeret, quàm ambitus coarctaret, nec tamen milites ſecuros reddidit huiuſmodi captiuis illata captiuitas, ſemper eos dubios & ſuſpectos fecerat ſolita miſeratio Germani clementiſſimi, & illum iugiter inuocans mirabilis fides & deuotio captiuorum, qui ſemper illum in corde tenentes, & ore nunquam ab illius inuocatione ceſſare volebant, vnde cuſtodibus ordinatis aſſiduam & indefeſſam eis cuſtodiam militum ſollicitudo prouiderat, vt ſi eos vincula retinere non poſſent, ſaltem vel cuſtodum & vigilum ſagacitas à fuga prohiberet. Cùm ergo nocte quadam egentes, anguſtiati, afflicti, miſeri, gementes ſederent, ex omni parte cum luminaribus cuſtodes habentes, reſerato ſubito oſtio, quod ſeris arctabatur, ingreſſa perſona pulcherrima, quæ vnum illorum talibus affata ſermonibus. Quid, inquit, clamas ad me, ſurge velociter & Eccleſiæ quàm citiùs pete refugium. At ille cum lachrymis, O Domine, inquit, quomodo poſſem fugere, qui tot vinculorum concatenatione proſtratus immobilis effectus ſum, & ſi vinculis abſoluerer exire non poſſem cuſtodum iſtorum præſentia prædamnatus. Et perſona: nunc, inquit, videbis, quid facturus ſim, ſurgere ne differas, ſatagénſque complere, quod moneo, ad nuoimen te transfer Eccleſiæ. Tunc ille pedes ſatagens ad ſe retrahere, nullum impediens ſenſit obſtaculum: ſimiliter cæteris vinculis abſolutis liberatum ſe comperit, &

ſenſit expeditum, vix abſolutionis ſuæ ſortem edixerat, cùm ſe omnes ſimiliter inuenerunt abſolutos, continuóque ſurgentes, obſtante nemine, nullo retinente, præeunte perſona, ad Eccleſiam peruenerunt. Hæc omnia cuſtodes videntes & intelligentes, taliter ſunt diuina virtute percuſſi, vt & motum perderent, & vocem, donec ad villæ medium fugitiua turba veniſſet.

XVI.

Cùm ergo ſe taliter milites à Confeſſoris potentia conſpexiſſent illudi, plus de pudoris immanitate, quàm de damni magnitudine ſunt confuſi, vnde Præſulis clementiæ quaſi rebellare nitentes, conſilium contra eum ineunt, vt vel vnum ex captiuis ab illius ereptione ſeruando viderentur illius potentię ſuis viribus reſtitiſſe, & in hoc cæterorum omnium captiuorum admiſſum bene ſe vindicaſſe crederent, & tenerent, ſi vel vnum ex ipſis quaſi fortiores à beati Germani liberatione retinero valerent. Igitur vt hęc fierent certatim ſinguli ſua conſilia contulerunt, vnum ergo Willermum nomine, capientes infra domum quandam in Caſtelli ſummitate recluſerunt, de longinqua regione ſpecialiter pro hac cauſa cathenam miræ magnitudinis & horroris attulerant, hanc à domuſtecto, vbi eam cuidam aſſeri clauis affixerunt, dependentem collo circundedere captiui: alligabantur præterea pedes eius in compedibus, & manus eius in manicis ferreis: tali cuſtodia prædamnatus doloris & anxietatis vulnere miſer tabeſcebat, ſpem tamen ſuam in beato Germano collocauerat, cuius auxilium continua deuotione poſtulabat. Nec incaſſum eius adiutorium tam inſtanter petierat, quem ſine dilatione temporis habere meruit adiutorem. Iam namque decurſa hebdomada, Dominica dies illuxerat, qua milites omnes & famuli ad Miſſarum audienda ſolemnia de Caſtello deſcenderant, ianitor etiam ipſe, qui captiui cuſtos extiterat, obſerato oſtio domus tanquam citius reuerſurus exiuit, tunc intuens ſe captiuus ſine cuſtode relictum clementem Germanum obnoxius inuocabat. Nec mora, manuum & pedum ſolutionem meruit deuotio fideliter poſtulantis, qui protinus manus extendens ad tectia, tectum cellulæ diſſipauit, aſſerémque catenæ ſuæ adhærentem in humeris accipiens per foramen euaſit ſicque ſepium & herciorum hirſuta tranſcendens acumina, foſſarum profunditates & abyſſos quomodo vel qualiter neſciuit tranſiliens, populorum denique ab Eccleſia redeuntium occurſus prætetiens, ad Capellæ munimen, nemine perturbante, peruenit.

XVII.

Ruſticum alium cùm cepiſſent, nec ſe vellent eius cuſtodiæ milites diutius inquietare moleſtia, vt citiùs ab eo redemptionis pretium extorquerent, plurimis eum tormentis affecerunt, ſed cùm piiſſimi nomen inuocaſſet Germani, tale tantúmque Præſulis erga ſe cognouit beneficium, vt quaſi munimine Regio ſeptus nullius paſſionis incommodum, nullius cruciatus ſentire ſciret ſupplicium, vnde cum tortoribus tormenta deridens omnes, quas ei hoſtes irrogare poterant, deſpexit iniurias: mole namque loricarum aggrauatum cum illum nunc per manus nunc per pedes tyranni ſuſpenderent funem, de fumo ſubterponentes, nihil ingerere valuere ſupplicij. Hiemalibus item menſibus cùm eum mergerent, & nunc hac, nunc illac traherent chordis ſub glacie, nihil paſſus iniuriæ, locum quietis & refrigerij adeptum ſe fuiſſe gaudebat afflictus, ſicque confeſſoris adiutorio protectus à pœnis, ab hoſtium mancipatione etiam confeſtim meruit liberari.

XVIII.

Marcas quindecim duobus militibus nocturno ſilentio prædo furtiuus abſtulerat, cuius criminis reatum cuidam ex armigeris ſuis, cui Martinus fuit vocabulum, imponentes, illum furti facti vel authorem, vel complicem eſſe dixerunt, quod cum ille viuâ voce negaret, quatinus ab eo rei confeſſionem extorquerent, multimodis & multis cum cruciatibus affecerunt. Qui in arcto poſitus, vt imminentes cruciatus vel euaderet, vel differret, quia veram neſciuit confeſſionem, mendacem aduer-

ſus ſemet ipſe compoſuit. Dixit namque ſe furatum fuiſſe pecuniam & cuidam ex hominibus ſancti Germani Roberto nomine, totam commiſiſſe, ad Monachos hac cauſa fit militum ſubinde concurſus, vnanimiter ſe de facto ſibi damno conquerentium, cum cis etiam miſer ille famulus eorum aduenerat, hominem ſancti Germani de furti participatione vel exceptione calumniaturus, quem iniqua plenum cogitatione quidam ex Monachis, Willermus ſcilicet grandis intelligens, ex parte te, inquit, Dei & ſancti Germani prohibeo te, ne falſum ſuper hunc hominem clamorem emittas: adhæſit miſero lingua mox faucibus, & interdicto ſermonis officio, vis vocis in gutture damnata defecit. inſtant milites vt loquatur, vt modum rei vel reatus edicat omnes hortantur, ſed non prius à damnationis vinculis ſolui meruit, quàm ab iniqua cogitatione, quâ virum innocentem calumniari propoſuerat, mentem omnino purgaſſet: mutans ergo animum, omnémque mentiendi voluntatem abiiciens, vſu recepto loquendi tales prorupit in voces, oportet obedire Deo magis quàm hominibus, veritatem oportet dicere, cui mentiendi eſt omnis ablata facultas, vnde in veritate profiteor, quod nunquam iſte me ſciente, de veſtro cenſu vel paruum, vel magnum habuit aut cognouit.

XIX.

Quod vt milites audierunt verecundo rubore ſuffuſi pariter ad hoſpitia redierunt. Pœnis item acerrimis miſer addicitur, ſuppliciis afficitur, cruciatibus examinatur. Qui tantæ paſſionis inſtantiam, ſicut antea fecerat aliquo cogitans interuallo dirumpere: iam, inquit militibus, quia nullum de euaſione ſpei ſolatium eſt, bonum & verum vobis dabo de pecuniæ veſtræ recuperatione conſilium: ad viuarium pergite, ibíque quàm citius inuenturi ſaccellum quærite, quia inibi me fateor pecuniam abſcondiſſe demergendo ſub flumine; nec diſtulere milites huiuſmodi, ſi verum eſſet, probare conſilium, raſtris & vncis tota die gurgitis imum diſcerpunt, ſed nihil exoptato reperire valentes diſpendioſo labore deficere deluſi, vnde vehementi furore repleti ad illuſionis tantæ vindictam omnes aſſurgunt, vno animo concordique conſilio famulum illum ſumentes in craſtino in ſecreto nemoris receſſu ſuſpenſione damnauerunt, ad hoſpitium ſubinde reuerſi cum iam furore ſedato rationis lumen mentis tranquillitas admiſiſſet, ſic vnus eorum cæteros affatus: ſtultam, inquit, rem & inconſultam fecimus, qui hunc hominem ſine iudicialis definitione ſententiæ, ſine criminis alicuius approbatione damnare præſumpſimus, ſiquidem erga Dominum & erga homines iuſtam damnationem promeruimus qui iſtum iniuſtè damnauimus. Feſtinemus igitur vt illum deponentes de ſtipite, alicuius artis induſtria temeritatem noſtram palliemus. Ad locum itaque quo illum damnauerant, concitè venientes, quem iam mortuum ſe reperturos putabant, ſaluum & incolumem inuenerunt: & cùm illos ad ſe venire vidiſſet, recedite, inquit, pro Dei amore recedite, nec me vlterius inquietare velitis, ſanctus Germanus, quem inuocaui ſæpiſſimè, ab omni me periculi ſaluauit diſcrimine. Ipſe me ſuis manibus in cruce ſuſtinuit, nec vllam laquei moleſtiam ſentire permiſit.

XX.

Solutus tandem & ad hoſpitium reductus nouis ſuppliciis iteratò ſubiicitur, quem hoſtium veſana crudelitas tam vehementer afflixit, vt abundantiori abſorptus triſtitia eligeret potius vitam finiendo terminare ſupplicium, quàm diutius ſubſiſtendo tanti diſcriminis tardius inuenire remedium. Caſu veſtes iuxta eum mulier conſuerat, cuius ille forcipes audacter arripiens, & ab inuicem in fruſta detorquens, ſemetipſum in corde percuſſit, & quanta valuit virtute perfodit. Ruit ilico miſer Elannus, & manante iugiter madefactus ſanguine mortuo ſimilis iacebat immobilis. Clamor mox populi repentinus aſſurgit, volat fama per villam ſe ipſum occidiſſe Martinum ferebatur per ora cunctorum, quod audiens Monachus ille, quem prænominaui, Vvillermus, cum cæteris & ille feſtinus accurrit, qui milites increpatione contumelioſa redargueret. Vos, inquit, huius reatu criminis adſtricti tenemini, quoniam ad hanc rem perpetrandam non tam fuit occaſio, quàm violenta compulſio veſtra crudelitas. Vel iam nunc illum, cùm plus punire nequeat,

ceſſet punire velle noſtra veſania. Mihi nunc illum ad honorem beati Germani donate, vt ſi verum quòd illum in ligno ſanctus Germanus à morte ſaluauit, nunc illum ſaluti priſtinæ ſua virtute reſtituat; quod cùm milites libenter annuiſſent, vulneratum illum & vix vitalem halitum in corpore habentem, ad Monaſterii cœmeterium Monachus fecit afferri, protinúſque faciens illi cum aquæ benedictæ, qua reliquias lauerat, admixtione de virentis herbæ gramine potionem, infra diem tertium puſſimi præſulis auxilio priſtinæ reſtituit ſoſpitati. His igitur miraculis, quæ ad notitiam noſtram multorum relatione peruenerunt, breuiter annotatis, ad proſecutionis hiſtoriæ ſeriem redeamus, ſi hoc tua prudentia, lector, agnoſcat, plurima nos abbreuiationis gratia præteriſſe, ne ſi circa ſingula quæ audiuimus, & vera probauimus, moraremur, generaret legentibus lectionis prolixitas congeſta faſtidium.

XXI.

Cum igitur nouem annis Abbas Helias præfuiſſet Eccleſiæ de iure regiminis Henricus eum Archiepiſcopus callida machinatione deiecit, cuius facta fuit occaſio, quòd eiuſdem electioni cum quibuſdam aliis Abbas Helias obſtiterat, vnde præſul vehementer offenſus nulla ſe voluit virtute reſtringere, cùm iniuriæ ſuæ proſecutor & vltor inclemens exiſteret. Sed cùm nihil reprehenſionis in Abbatem reperiſſet, artis callidæ fretus aſtutia fraudulenter intercepit improuidum, ſiquidem blandimentis eum tot & tantis in tantum ſubegit, vt ab eo iusjurandum extorqueret, quòd eius ſe conſilio Abbas omnino committeret, quo facto ſic eum allocutus Archiepiſcopus: quia te frater meo conſilio commiſiſti, hoc meum noueris eſſe conſultum, vt te de prælationis dimittas faſtigio, nihil viro laico cum paſtoris officio, cæcus ſi cæco ducatum præſtiterit, vtriuſque caſus repentinus extiterit, non bene poterit aliorum animabus conſulere, qui inter virtutes & vitia ſubtili neſcit diſcretione diſcernere, vnde te ſcieris diſcrimen damnationis incurrere, ſi ſarcinam differas huius curæ deponere. Quod audiens Helias ſerò ſui pœnitens callidâ ſe vidit circumuentione deceptum, nec tamen reniti valens aut reſiſtere, continuò ſe de paſtorali cura tranſuexit. Quo facto poſt dies aliquot electus à Monachis Vvillermus illo, cuius ſæpius memoriam feci, ſed eius promotioni non adquieſcens Archiepiſcopus Germanum Priorem de Thinemu Monachum ſancti Albani promouere totis viribus ſatagebat. Cuius voluntati fermè per annum & dimidium Monachi reſiſtentes, nunquam illius diſpoſitioni conſentire volebant; dicebant enim ſe nec Germanum, nec alium ſuſcepturos donec Helias, qui Canonicè electus & benedictus fuerat, Eccleſiæ iudicium Canonica diſcretione Abbatiæ vel redderet vel auferret, nec eos valuit ab hac obiectione præſul deflectere, donec eos quaſi rebelles & religionis inimicos anathematis vltione damnaret, ſicque demum eos ad conſenſum emolliens publica reclamatione ceſſante Germanum coëgit excipere.

XXII.

Poſt cuius exceptionem vix trium menſium ſpatium præteriuit, cùm Archiepiſcopus Henricus hominem exuens, diem clauſit extremum. Tunc Helias Capituli ſancti Petri corroboratus conſilio, totius Cleri iudicio, per Archidiaconem Oſbertum, quia iniuſtè & contra Canonum inſtituta fuerat deiectus, Abbatiæ reſtitutus, cuius aduentum Germanus præcognoſcens equos ſuos feſtinanter aſcendit, & Sanctum Albanum adiuit, cúmque ibi dimidium ferè annum moraretur, Theobaldi Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui tunc legationis dignitate fungebatur, authoritate, dignitati propriæ reſtitutus, & Helias eiectus. Supradictus namque Archidiaconus Oſbertus, & cæteri, quia plures quorum conſilio & adiutorio Abbatiam intrauerat, ab eo ſe deflexerant, & ad aliam partem declinauerant, vnde apud Synodum à legato degradatus ad ſanctam Trinitatem Eboraeum reuerſus eſt.

XXIII.

Rediens itaque Germanus Selebeiam cum honore & reuerentia tali viro digna ſuſceptus, & prælatus Eccleſiæ fuit, ſiquidem idem Germanus Monachus probatiſſimè & vt breui clauſula multa concludam, omni virtute quæ Monachum decet, decenter effulgens, nec facile reperiri valuit ſuo tempore vel perſona religioſior, vel Monachus ordinatior, cui tanta fuiſſet copia virtutis ad meritum, vel morum integritas ad ſubditorum exemplum. Quidquid namque dicebat, vel agebat, nihil fuit aliud, quàm honeſtatis & honoris indicium, virtutis & religionis exercitium, maturitatis & perfectionis exemplum. Quâ verò benignitate & humanitate ſubditos tractauit, qua charitate & amore dilexit, qua ſollicitudine & pietate neceſſaria prouidit & miniſtrauit, non noſtræ poſſibilitatis exponere, maximè, cùm ad huius opuſculi finem quanta poſſumus breuitate feſtinemus. Sed cùm ſeptem annis Monaſterio præfuiſſet, carnis tactus moleſtia, ingraueſcente valetudine vehementer cœpit vrgeri. Suum ergo prænoſcens imminere diſceſſum, quadam die Fratrum manibus ſuſtentatus in Capitulum ſe fecit adduci, humiliterque coram Priore, cæteriſque Fratribus conſidentibus humo proſtratus, ſe in pluribus deliquiſſe fatebatur, non talem ſe Fratribus exhibuiſſe, qualem oportuerat, nec ſic res Monaſterij tractaſſe, ſicut decebat, cum lachrymis proponebat, ſuſcipiénſque corporalem verbi coram Fratribus diſciplinam ad lectum ſuum flentibus & dolentibus omnibus adductus, nec multò poſt, cùm quotidie vis doloris excreſceret, nono videlicet Kalend. Decembris ergaſtulo carnis eductus appoſitus ad Patres ſuos, & in Capitulo Monaſterij, ſicut talem ac tantum decebat virum, reuerenter tumulatus. Cui etiam, ſicut cæteris, qui inibi requieſcunt, Epitaphium hoc modo verſibus Hexametris adaptauimus.

Triſtis adeſt vitio, vitijs corrumpitur orbis
Qui ruit exitio, lapſu, diſcrimine, morbis.
Mundus abit, nec habet quod nos abeundo moretur,
Quod tenet, aut quod habet, nec ſtat, nec ſtare meretur.
Sic viget vt pereat, ſic eſt vt deſinat eſſe:
Sic ſtat vt intereat, ſubit hoc caro quæque neceſſe.
Sic hominum generi conſtat generale perire.
Omnia prætereunt celeri mortalia fine,
Et ſubito pereunt miſera data ſorte ruinæ.
Hæc ſors lethalis, ſors aſpera conditionis,
Sors mala plena malis decus aufert religionis.
Occidit & periit decus & decor orbis honoris,
Cum pius interiit Germanus gemma decoris.
Vir vitæ ſpeculum, pietatis formula, morum
Exemplar, tumulum ſortitur ſorte reorum.
Laude virum cupiens attollere tam ſpecialem
Deficio nequiens hominem deſcribere talem.
Quem ſcio, quem video, maiorem laudis honore,
Quàm volo, quàm valeo perſtringere mente, vel ore.
Hoc precor ergo ſibi pro laudis honore dicetur,
Quod nequit aſcribi ſua quodpia vita meretur.
Dicere me liceat quod non reticere licebit.
Sic licet intereat caro, ſpiritus aſtra tenebit.
Vermibus eſca datur hæc, hic collega ſupernis,
Iure coaptatur, hic cœlis, iſta cauernis.

XXVI.

Nec inſerere Lectioni tædeat miracula, quæ circa feretrum ſuum in peregrinatione prædicationis beatus Germanus dignatus oſtendere: nam cùm in ſupradicti Abbatis Germani temporibus aliquantulum in prædicationis gratia fratres cum feretro laborarent, ſe de ſuis curam habere quàm maximam ſignis multis

plurimiſque prodigiis Confeſſor eximius frequenter oſtendit. Ex quibus multa omittentes, hæc paucula dignum duximus mandare memoriæ, ne opera diuina, quæ ad Sanctorum laudem & gloriam contigerunt, omnino videremur ſilentio præteriſſe. Cùm namque tempore quodam iter agerent, flumen quoddam eos oportebat tranſire per Pontem, cúmque pertranſiſſent, equum onerarium, qui ciſtellas ferebat, in fluminis medio lapſo pede contigit cecidiſſe. Clamor omnium in cœlum ſuſtollitur, beati Germani præſidium vox vniuerſorum vna petebat. Monachus cui nomen Benedictus humo proſtratus, lacrymiſque perfuſus de ſanctuariorum madefactione, quàm de caballi periculo verebatur. Coniunctis tamen viribus, collatiſque conſiliis cum magno labore caballum cum onere tandem ad terram pertraxerunt, ad aquarum eliciendam iniuriam citius ciſtellas aperiunt, quarum altera veſtimenta cum reliquiis, altera ceras mappulas, cætera iter agentibus neceſſaria continebat, aquâ plenam repetiſſent, illam, quæ reliquiis conſeruandis ſeruiebat, ita ſiccam & intactam inuenerunt, ac ſi nunquam illam laticis vllus contigiſſet excurſus.

XXVII.

Pagum quendam alio tempore prætereuntes carrum ſua ſupellectili oneratum ante ſe duci fecerunt. Infans bimus ſtans caſu in tugurij cuiuſdam oſtiolo, cùm citiùs metu carri voluiſſet aufugere, repente cecidit, & vſque ad viæ medium volutatus eſt: equiductor id neſciens cum incunctanter cum carro progrederetur, vna rota vehiculi per ventrem iacentis tranſiuit infantis, quod cùm vidiſſent, qui ſequebantur, eleuatis vocibus vt caueret, vt ſtaret carri ductor, hortantur. Quorum ille vocibus attonitus ſubito reſtitit, equúmque paululùm cum habena recullans, rotam iterum per infantis pectus tranſire coëgit: mater pueri de tugurio repente proſiliens cœlum gemitu, aërem clamore repleuit, puerum de ſolo ſuſtulit extentum exanimem nihil indicij vitalis habentem. Comitabatur tum feretrum domnus nunc Prior, quo nunquam aliquis in ſanctum Germanum deuotior, qui videns quod factum fuerat, timénſque ne aliqua illis inde tribulatio naſceretur, dolore plenus ad pium patronum conuerſus veluti familiari vel parili taliter loquebatur. Quid ſancte Germane feciſti, nos te prædicamus ſuſcitaſſe defunctos & tu è contrario viuentes interficis. Nuntios vt homicidas ad prætorium vis duci facere, iudicis ſubiciendos ſententiæ. Iam facito quod volueris, quia non antea feretrum iſto de loco mouebitur, quàm ab hac offenſa nos liberos & immunes reddideris. Sic fatus mox cum cæteris omnibus equo deſiliens orationem pro puero faciebat, interim ſub feretro mater tenebat infantem, qui oratione completa, cum inter matris manus non conualuiſſet ad terram ſub ſanctuariis Monacho iubente depoſitus, & mox vt terram tetigit quaſi indignans quod ſuper nudam humum poneretur, modo mirabili rediuiuus exurgit, & veluti ſi nihil paſſus fuiſſet incommodi, ſancti Germani virtute ſaluatus aufugit exiliens.

XXVIII.

Inde progredientes in Eccleſia quadam pernoctauerunt, cuius parieti cellulam habebat quædam Recluſa contiguam, quæ cùm ad feneſtram ſuam eadem nocte ſedens orando forſitan obdormiuiſſet, ſanctus ei Confeſſor Germanus apparuit, eam huiuſmodi ratione conueniens: Quid, inquit, ſopore deprimeris? Cùm te magis conueniat vigilare, an ignoras, quàm ſancta quam pretioſa ſunt iſta ſanctuaria, quæ coram te cernis præſentia, domum etiam meam, vnde hęc ſunt, eam tibi demonſtrabo, móxque eam per viſum Selebiam adducens, vniuerſique loci ſitum, Eccleſiam, Monachos etiam in choro pſallentes, cœmeterium, quod arboribus nuceis conſitum, apertè demonſtrans: hęc, inquit domus mea, ij Monachi, horum fraternitatem poſt finem tibi valdè neceſſariam die craſtina ne obliuiſcaris expetere: Clerico etiam, qui pro reliquijs ad populum loquitur, ex mea parte hoc dicito, quòd niſi ſe à diſſolutione leuitatéque compeſcat, infra annum pudendam inobedientiæ ſuæ perferet vltionem. Mane igitur facto, ſe fidelis fœmina Monachorum precibus

beneficiſque committens vniuerſa, quæ per viſum viderat, ſeriatim expoſuit. Clerico autem Radulpho nomine, quæ Confeſſor iuſſerat, cuncta narrauit, quæ cùm ille non attendiſſet, eodem anno, ſicut Confeſſor comminatus fuerat, magnum & pudore plenum incurrit infortunium.

XXIX.

Nec huic viſioni fuit illud diſſimile, quod cùm quædam femina, quæ eos hoſpitio ſuſceperat, minus illis deuotè miniſtraſſet, nocte ſequenti ſanctus ei Germanus apparuit, & cur famulos ſuos & ſanctuaria non attentius honoraſſet, aſpera obiurgatione quæſiuit, præcepitque, vt in craſtino vbicunque eſſent in prouincia, eos accerſiret, & deuotis eos obſequis præueniendo dignâ ſatisfactione priſtinam negligentiam emendaret. Quoddam etiam fideicommiſſum eadem mulier cùm eſſet iuuencula ſtolide fecerat, quod obliuioni tradens omnimodo negligenter violauerat; quod ei beatus Germanus ad memoriam reducens, cui, quando, & vbi hoc fecerat, manifeſtè declarauit, & vt tanti reatus exceſſum humili ſatageret confeſſione corrigere, diligenter admonuit, quæ omnia complens illa cum ſumma diligentia precibus & orationibus in craſtino ſe Monachorum humiliter & deuotè commiſit.

XXX.

Febrium adeò Canonicus quartano vexabatur incommodo, vt nullius adiutorio medicinæ valens liberari, ſub mortis diſcrimine plus deſperatione, quàm morbo tabeſceret. Hic ante feretrum cum ſummæ deuotionis reuerentia veniens & auxilium piiſſimi Germani cum magna contritione cordis implorans, hauſta, quâ reliquiæ lotæ fuerant, aqua benedicta, omni valetudinis calamitate depulſa, priſtinæ reſtitutus eſt ſoſpitati.

XXXI.

Apud Donuuicum muliercula quædam fuerat quæ quindecim annis, vt aiebat, valetudine tanta laborauerat, vt nunquam progredi ſine duorum baculorum ſuſtentatione valeret. Hæc cum eò feretrum aduenit, cum cæteris & ipſa, ſicut valebat, occurrit, & in Eccleſiam ſancti Ioannis, vbi ſtationem acceperat, deuotiſſimè proſecuta, cúmque piiſſimi Præſulis Germani clementiam diutius imploraſſet, turba plebium diſcedente, domicilium & ipſa repetiit. Mane facto tantum ſibi virturis acceſſiſſe perſenſit, vt vnius ei baculi ſuſtentatio bene ſufficeret, venit ad Eccleſiam, fecit quod potuit, dedit quod habuit, fragmen panis ad feretrum obtulit matrona fidelis. Monachus cùm rem geſtam cognouiſſet, ſpem, inquit, habero bonam in ſancti Germani clementia, eras præſens aderis, tibique ſalutiferam de aqua benedicta conferam potionem. Annuit mulier, in craſtino venit ſine baculo, tantam ſe virtutem & incolumitatem habere proteſtans, quanta ſe nunquam à natiuitate meminit habuiſſe, ſicque poculum ſalutare deguſtans, Germani piiſſimi meritis profectum ſuæ valetudinis meruit retinere remedium.

XXXII.

Affuit ante feretrum die craſtina non inferioris fidei fœmina filiarum quatuor adhærentium ſibi circuncincta proceſſu, aderat quintus puer maſculus quinquę annis à natiuitate lachrymabili contractionis damnatus incommodo, contractis ſiquidem & conflexis neruis in poplite pedis vnius & greſſum & motum perdiderat: pro illius ſupplicaturæ ſalute candelas habentes in manibus mater & ſorores aduenerant, cúmque pro paruuli ſanitate diutius exoraſſent, acceſſit mater ad Monachum, & vt cum reliquiis genu pueri languidum tangeret, cum lachrymis poſtulauit, quod frater annuens, arreptis reliquiis ſuper infantis genu poſuit, pſalmum quinquageſimum cum precibus & collecta decantans, puer protinus in lachrymis & clamore prorumpens anguſtiari cœpit, ac ſi totius cruris inciſionem pateretur, extendentes ſe nerui cœperunt crepere, veluti ſi corrigias quaſdam aliquis ibi fregiſſet, ſicque

Sanctorum meritis, quorum ibi reliquiæ ferebantur, mater triſtitiæ, puer infirmitatis miſeria liberati, domum cum ſummo gaudio redierunt.

XXXIII.

Eccleſiam quandam, vt ibi cum feretro pernoctarent, intrare volentes oſtium inueneru nt ſeris arctatum, clauem Monachus allaturus domum Sacerdotis expetiit. Quò cùm perueniſſet ſororem Presbyteri tanta reperit infirmitate grauari, vt nocte proximâ deberet ad munimen exitus Chiſmatis vnctione liniri. Occupauerat adeò totam familiam fletus & gemitus, vt vix de negotio vel breue reſponſum ab eis Monachus extorquere valeret. Tunc ſalutare conſilium illis impertiens; quid, inquit, vos ipſos lachrymis, infirmam clamore confunditis, candelam illi facite, quæ hac nocte reliquiarum noſtrarum honori deſeruiat, & credo, quia ſi fides veſtra non obuiat, citò circa eam diuinæ videbitis operationis indicium, & factum eſt, mater pro filia nocte cum candela ſanctuarijs vigilias deuotas exſoluit. Mane facto tanto ſe leuamine perfuſam ſenſit ægrota, vt è lecto proſiliens amicorum manibus ſuſtentata veniret ad Eccleſiam, vbi cum Miſſas audiens, & orationibus inſiſtens, ad horam vſque nonam feretro miniſtraſſet, excubias diuinâ copioſiùs meliorata virtute domum repedauit, nullius indigens ſuſtentationis auxilio. Hinc ad ea, quæ hoc noſtro tempore fieri vidimus, enucleanda procedat oratio.

XXXIV.

Anno, vt arbitror, ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, qui annus ſeptimus Abbatis Gilerberti, languidus quidam, Ketellus nomine, ab amicis in carro Selebiam deductus in villula, quæ Gaiteford dicitur, ad ſancti præſulis Germani ſolemnitatem deſcenderat: nocte feſtiuitatis in Eccleſiam delatus à ſuis inter chorum & altare cum luminari deponitur, tunc ſicut mos languidis ante curationem vehementiùs cœpit vrgeri, tantóque duriùs languore vexari, quanto ſaluationis illius velocius imminebat & tempus & hora. Inſtitit ſanè tam miſerabilibus vocibus, tam lachrymoſis gemitibus, tam planctuoſis ſuſpiriis, vt nos omnes, qui in choro fuimus, ſui doloris compaſſione plurimùm promoueret. Circa ſecundum nocturnum membra ſua viſceráque tanta ſenſit commotione turbari, ac ſi omnia eius interiora quadam reuolutione verſarentur. Nauſea ſubinde diu multúmque laborans ſanitatis ſibi tandem appropinquante remedio, quod pectus ſuum infecerat, valetudinis virus euomuit. Sicque paulſper ſumpto ſopore eùm euigilaſſet, infirmitatis excluſa moleſtia, perfectæ ſalutis ſibi diuina virtute ſenſit acceſſiſſe ſubſidium. Surgens ergo protinus, & oblationem ſuam faciens nemini quicquam de ſuæ recuperatione ſalutis oſtendens, domum pedetentim reuerſus, nec tamen celari res potuit, quæ celari non debuit. Mittitur ergo totius conſultu capituli fidelis frater, qui rei mirabilis euentum approbet, modum exquirat, veritatem exploret. Qui ad prædictum Pagum veniens loci ſeniores in Eccleſiam conuocauit, ſtatuitur in medio, qui ſanatus fuerat, de ſalutis ſuæ recuperatione conuenitur. Tunc ille, ego, inquit, Domine, per hos quinque annos ſicut præſentes omnes nouerunt, tanto languore grauatus ſum, vt nunquam ad opus aliquod manus valerem extendere, nunquam, quem non citius euomerem, cibum aliquem ſumere, nunquam vel ad Eccleſiam progredi ſine aliorum adiutorio præualerem: cúmque cum vxore ſua omnes, qui præſentes fuerunt, vnius acclamationis ſententia hoc ſe vidiſſe, ſic ſe rem habere teſtarentur, adiecit ille: Huiuſcemodi ergo, Domine, damnatus incommodo plurima ſanctorum loca viſitaui, ſed ſemper deterioratus ex labore itineris infirmior redij, quàm exiui, inforrunio tanto tabeſcens non exire, non progredi vltra diſpoſui: cúmque propoſitum illud bene tenerem, apparuit mihi nocte quadam vir pulcherrimus, dicens ſe eſſe Sanctum Germanum, & cùm obnoxius illum pro ſalute mea deprecarer, ad Eccleſiam, inquit, meam in feſtiuitatis meæ ſolemnio venies, ſi ab hac qua laboras moleſtia cupis liberari. Veni, ſicut inſſerat, & ab infirmitate Dei gratia, ſicut cernitis, liberatus ſum. Reductus ergo à Monacho,

& in foro venalium die Dominica populo demonſtratus, Eccleſiæ ſanctæ repræſentatur incolumnis, ſolemni eum proceſſione ſuſcepimus, & Te Dominum laudamus quantâ valuimus deuotione cantantes, nomen Domini benediximus, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

XXXV.

In craſtino feſtiuitatis noſtri Pontificis beati Petri Apoſtolorum Principis ſolemnitatem, quæ ad Vincula nominatur, per orbem celebrat vniuerſalis Eccleſia. Qua die ioculatores, qui ad feſtiuitatem noſtram conueniunt, cereum feſtiuum ad veſperas ſolent offerre, quod cùm in anno prænotato cum hiſtrionum & ſaltantium laſciuâ iactantiâ vniuerſo eos vulgo proſequente feciſſent, Monachi cuiuſdam famulum, qui ad feſtiuitatem venerat, intra Eccleſiam dæmonium arripuit, & in terram proiecit, tanta protinus miſer vexatus inſania, tanto furore repletus, vt ſi ſiueretur ſemetipſum ſuis dentibus mordicus diſcrepſiſſet. Verùm aſtantium populorum vi & virtute cohibitus, cùm manibus diutius teneri bene non poſſet, quodam extentus & ligatus in aſſere, coram altari deponitur, beati Germani clementiæ commendatur, funibus vſquequaque ligatus cùm ſic coarcaretur, vt nullum in eo membrum moueri potuiſſet, rotantibus & totis aſpectibus furibundis & indefeſſis vocibus barbaris & inauditis ſermonibus ſuam inſaniam propalabat. Cùm igitur eum fratres vehementer ſine ceſſatione vexari conſpicerent, eius miſeriæ condolentes in aliquo miſericordiæ opere ſubuenire ſatagebant; orationem ſiquidem pro eo facientes ſudarium Sancti Præſulis noſtri Germani ſuper caput eius, ſuper pectus autem pbylacterium, carnemq; Sanctæ Virginis Agathæ cum cæteris reliquijs continens poſuerunt. Inter tam ſancta ſanctuaria perfidus inuaſor, malignus hoſtis attatus quò fugeret quò ſe verteret non habebat, hoc vnum ſibi poſſibile reperit vt inuaſum hominem derelinquens ſanctuariorum præſentiam repentino deuitaret elapſu: fœdas igitur & fœtore plenas poſt ſe ſemitas derelinquẽs per os iacentis vomitu eiectus exiuit. Sicque Sanctorum meritis homo liberatus, omnem in momento vultus & animi ferocitatem abiecit, & velut agnus manſuetiſſimus caput declinans oculorum palpebras in ſoporem deflexit. In ſequenti die poſt Miſſæ maioris Euangelium ſanum illum & incolumem cum ſignorum pulſatione, & feſtiuo, Te Dominum laudamus, ſuſcepimus, Dominum in donis ſuis, & Germanum ſanctiſſimum in omnibus operibus ſuis benedicentes, qui de Eccleſia ſua curam ſe habere maximam tot virtutum & miraculorum ſignis tam frequenter oſtendit.

XXXVI.

Ruſticus quidam in prouincia, quæ Elmete dicitur, anno ſubſequenti fuerat, qui reuerentiam Sancti Confeſſoris oblitus iſta feſtiuitatis ſuæ die hortum operaturus intrauerat. Verùm tantæ támque reuerendæ ſolemnitatis die non diutius operando violare permiſſus, reatum, quem ex tali præſumptione contraxerat, mox indice pœna cognouit. Cùm namque rota virtute terram effoderet, adhæſit repente tam firmiter manibus ſuis vanga quam tenuit, vt nullo modo illis excuti poſſet, vel auferri. Nec antea meruit ab huiuſmodi damnationis vinculo liberari, quàm Sacerdoti reatum confeſſus, voti ſe etiam promiſſione conſtringeret, quòd Eccleſiam Sancti Germani cum oblatione ſua requireret, & ſemper de reliquo, quandiu viueret, diem illam ſolemniter celebraret. Tunc demum clementiſſimi Germani clementia liberatus Selebiam cum oblatione ſua perueniens, & ſatisfactionem ex offenſa faciens, diſcrimen quod temere incurrerat, & fœliciter euaſerat, nobis expoſuit.

XXXVII.

Nec prætereundum, quòd non ſolùm apud nos, verùm etiam omnibus in locis vbicunque Præſulem noſtrum tribulatus aliquis inuocauerit, & Eccleſiam ſuam expetere ſe fideli mente promiſerit, votorum ſuorum optatum conſequi meretur effectum. Hoc nautarum & naufragorum ereptione ſæpè didicimus, hoc infir-

mantium & male habentium ſaluatione frequenter experti ſumus, & hoc quidem multo ſæpius ſolet accidere, quàm vt exemplis indigeat approbari. Hoc vnum tamen antequam liber calce claudatur, referatur exemplum. Homo quidam ex pago, qui Duuigtum dicitur, in nemore, die quadam ante octauas Sancti Germani laboraturus exierat, cúmque cibum, quem ſecum attulerat, ſine potu ſumpſiſſet, tantam præ ardore ſolis nimio & laboris inſtantia incurrit ſitim, vt niſi citiùs alicuius potus ſedaretur exhauſtu, animam exhalare putares: aquam igitur diu multúmque quærens, nec vſui aptam inueniens, pluuialem & patentem tandem reperit & aſſumpſit, quam incredibili auiditate abſorbens potius, quàm ebibens, cum infœlici poculo infœliciorem deglutiuit & peſtem. Mox ſiquidem vt potauerat, tanta cœpit inflatione groſſeſcere, vt antequam domum peruenire valeret, per omnes eius artus ſe tumor lethalis effudiſſet. Itaque collocatus in lectulo, cùm per momenta ſingula tumor cum languore ſuccreſceret, ſpe omni ſalutis excluſa in moribundi ſenſibus futuræ tantùm mortis regnabat imago. In tanta tribulatione laborantem conſolantes vicini frequenter concurrerunt. Cùm cæteris ad infirmum intrauit quædam matrona fidelis, quæ videns infirmum valetudine tanta tabeſcere, inquit, fili cariſſime, ſi aliquam in Sanctum Germanum fidem concipiens, illum te requiſiturum cum tua oblatione fideli mente permitteres, credo quod illius merito citò reciperes ſanitatem. Ad illius feſtiuitatem deſcenderam, & tot ibi languidos ſuæ ſalutis vidi recuperare medelam, vt difficile crediderim aliquem in eum ſpem bonam habentem ſui voti non citiùs effectum promereri. Is languidus in deuotionis arce leuatus votum vouens ſe Sancti Germani mœnia, ſi conualeret, expetiturum cum oblatione promiſit. Lichino demum ſe metiens, antequam hora præteriit, diuino quodam melioratus antidoto, vomitu totum quod eum infecerat virus eiecit, ſícque peſte valitudinis totius elicita infra diem tertium priſtinæ reſtitutus ſoſpitati, votum ſuum deinde perſoluens, ad Eccleſiam noſtram vſque peruenit, & quæ circa ſe facta fuerant, nobis ſeriatim expoſuit. Actum autem hoc anno Incarnati Verbi Dei, milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto fundationis Eccleſiæ noſtræ centeſimo ſexto, Abbatis Gileberti decimoquarto, quo etiam anno hæc ſcribere aggreſſi ſumus, præueniente & proſequente ſtudium noſtrum gratia Dei, qui viuit & regnat trinus & vnus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

EXPLICIT.

MISCELLANEA
OPVSCVLA HISTORICA,
CVM ALIQVOT
SANCTORVM VITIS
NONDVM IN LVCEM
EDITIS.

EX NARRATIONE INVENTIONIS CORPORIS S. IUDOCI.

REGNI *Francorum Proceres* ad id ſemper culminis euaſiſſe à ſui primordio, vt cum corporis proceritate, cum celebritate nominis, virtute etiam ac dignitate opum, ceterarúmque rerum copia reliquis præſtarent circum ſe gentibus, nón ſuæ modo, quæ aliquantum modernæ, verùm quoque exterarum gentium, quæ paulò antiquiores videntur, oſtendunt Hiſtoriæ. Vnde non immeritò placuiſſe ſummo creditur Deo opifici rerum his vſquequaque illos muneribus ditari, quos longè ante præſciebat ſui cultus religionem optimè ſeruaturos, citóque ad ſui amoris pertrahi poſſe calorem. Namque miſſos ſibi cœlitus *Verbi Dei Prædicatores* gentili adhuc impliciti errore non ſolùm non inſectati ſunt, verùm cordis ſui aurem illorum verbis libenter accommodarunt. Iure itaque opulentia rerum comitatur illos, qui in ſuis membris Chriſtum poſt fuerant deuotè ſuſcepturi. *Hæc* verò *Gens* inter cetera etiam *Regna* hoc quaſi *Priuilegium* poſſidet, quod Maioris auctoritatis *Sanctos* ſiue *viuentes*, ſiue *in Chriſto quieſcentes* ſuſcepit, *ſanctarum* necnon patrocinia *Reliquiarum* ſuæ retinet in gremio telluris. Quodque *diuini Verbi* excolit *Miniſtros*, propenſiúſque conſueto ſibi more honorat. Ob id ſiquidem venerationis cultu digna habetur, exteris etiam nationibus formidini eſt.

Sequentium verò Opuſculorum Vitarúmque Catalogum, quod prolixior foret nec anguſtu huius paginæ limitibus coërceri poſſet, in præſentia omittere decreuimus.

MISSELLANEA

MISCELLANEA HISTORICA

BERNARDI GVIDONIS

ORDINIS S. DOMINICI,

TRACTATVS

DE SANCTIS, QVI ORNANT LEMOVICENSEM DIOECESIM.

Quem ex codice Petauiano 638. aliâs deſcripſimus antè decennium.

PRÆFATIO.

HÆC ſunt nomina Sanctorum, quorum corpora Lemouicenſem Diœceſim ornant, & honorant, & ſuis iuuant meritis apud Deum, quæ in locis ſuis habentur, & ibidem deuotione congrua fideliter venerantur.

Item nomina quorundam Sanctorum, qui fuerunt de Lemouicenſi oriundi, aut conuerſati in eadem, quamuis alibi Deo ſic diſponente eorum corpora in pace ſepulta ſint & in Domino requieſcant.

I.

AMPLECTIMVR itaque primò & præcipuè brachiis piè dilectionis & reuerentiæ filialis alumnum & diſcipulum Domini IESV CHRISTI ſanctiſſimum MARTIALEM quem Saluator ipſe tanquam de latere ſuo direxit ad nos per B. Petrum Apoſtolum eius conſanguineum in Galliarum Apoſtolum & patronum, Imperij Claudij anno tertio, vel potius quarto; anno vero Domini quadrageſimo-ſeptimo. Erat autem tum habens triceſimum & primum annum. Qui nobiſcum manens duodecim Angelis ſibi ad continuam cuſtodiam deputatis à Domino, & duobus ſanctis Preſbyteris à B. Petro Apoſtolo, innumera millia hominum ad Chriſtum conuertit, ſeu mortuos ſuſcitauit, cæcis viſum, claudis greſſum, mutis loquelam, aridis & paralyticis ſoſpitatem reſtituit, dæmones ex locis & de corporibus humanis expulit & compulit in humanâ effigie apparere & aſtutias atque malitias ſuas dicere, dæmones vicit, Angelos vidit, futura præuidit, ſicut hæc & alia plurima in geſtis eius pleniùs continentur.

Virtus autem eiuſdem ſanctiſſimi Martialis & poteſtas apud omnipotentem Deum quotidie viſibiliter experitur, percipitur, & ſentitur, ab his qui igne ſacro manifeſtè comburi videntur, cum ad eius venerabile perducuntur ſepulcrum, vbi crebra iugiter videntur miracula in huiuſmodi ardentibus extinguendis in quo ſpecialis prærogatiuæ gratiæ priuilegium obtinet apud Deum.

Ex Chronicis quoque antiquis pluribus colligitur & habetur, quòd ipſe B. Martialis ad partes Aquitaniæ veniens de pretioſo ac virtuoſo ſanguine B. Protomartyris Stephani ſecum tulit, habuitque in comitatu ſuo virum Dei, nomine AMATOREM, & vxorem eius nomine VERONICAM, quæ familiaris extiterat ac præcordialis amica B. Virginis Matris Dei. Iſti duo coniuges ſcilicet Amator & Ve-

ronica ordinante Deo attulerunt ſecum de lacte B. Mariæ Virginis benedictæ, de capillis quoque, ac eiuſdem Dominæ ſotulares, quorum vnum poſuit B. Martialis in ciuitate Vetulâ, quæ mutata nunc Anicium Græcè, quod Latinè dicitur Podium, ciuitas nominatur, quia diuinis reuelationibus, ſicut legitur in geſtis eiuſdem Eccleſiæ fuit mutata. Alterum verò ſotularem ſanctiſſimæ Virginis poſuit in Ruthenâ. De capillis verò Virginis Matris Dei partem poſuit in ciuitate Aluerniâ, quæ nunc Clarus-mons dicitur, partem verò aliam in Gabalis ciuitate, quæ tranſlata modò Mimmas vocatur: his quatuor ſedibus in honore Virginis ſacratiſſimæ dicatis.

Lemouicenſem verò ſedem, Bituricenſem, Petragoricenſem, Caturcenſem, Toloſanam, & Agennenſem in honore Protomartyris Stephani dedicauit, reliquias eiuſdem primi teſtis Domini ponens ibi.

Cùm autem prædicaret Pictauis, apparuit ei D. IESVS dicens: Scito quod in hac horâ quæ nunc eſt, crucifigitur pro nomine meo Petrus in vrbe Româ: & ideo quàm citiùs funda Eccleſiam in honore ipſius. Quod pluſquam trecentis annis poſtmodum egregius Doctor Hilarius in Concilio allegauit: quod ſcilicet Eccleſia Pictauenſis in ipſo ſanguine Beatorum Apoſtolorum fuerit à ſanctiſſimo Martiale fundata: & ideò barbam B. Petri dono meruit ab Imperatore Chriſtianiſſimo obtinere. Quæ reliquiæ cum magna reuerentia conſeruantur Pictauis. Fundauit etiam in honore eiuſdem Principis Eccleſias Sanctonenſem & Engoliſmenſem.

Cùm verò Burdegalis primam dedicaſſet Eccleſiam in honore Protomartyris Stephani, in quâ poſtea ſanctus ſepultus eſt Seuerinus, & ampliorem in honore B. Petri diſponens dedicare, apparuit ei B. Petrus dicens: Noueris fratrem meum Andream hodie cruce leuatum pro Chriſto, & ideò hanc Eccleſiam in honore ipſius conſecrare feſtina: quod & fecit.

Amator verò ſolitariam vitam diligens in rupe quæ nunc ab ipſo Rupes Amatoris vocatur, diu permanſit, altari inibi conſecrato à B. Martiale in honorem Virginis Matris Dei, humili quidem loco, ſed nunc honorabili vniuerſæ terræ, ibique B. Amator cum corpore, quod adhuc cernitur incorruptum, ſanctam reſurrectionē expectat.

Veronica autem vxor S. Amatoris B. Martialem prædicantem vbique ſequens & deuotiſſimè audiens tandem confecta ſenio in territorio Burdegalenſi ſuper mare reſedit capellâ à B. viro Dei Martiale illic in honorem Virginis Matris Dei ædificata & dedicata, quæ Solac dicitur pro eo, quòd ſolum lac Virginis Mariæ ibi poſitum eſt aliis reliquiis eiuſdem Virginis quas habebat, alibi diſtributis. Tandem B. Martialis inſtar Euangeliſtæ Ioannis ad æternum conuiuium ab ipſo D. IESV CHRISTO inuitatus dicente ſibi: Quintodecimo die venies ad me: migrauit à ſæculo cum indicibibili claritate pridie kalendas Iulij, anno Dominicæ Incarnationis ſeptuageſimo quarto, Epiſcopatus autem ſui anno vigeſimo-octauo. Huius ſacrum corpus Lemouicis ab omni populo veneratur in ſepulcro ſuo, quod eſt iuxta baſilicam ſancti Petri, quam idem Martialis ædificauit & ſextò Nonas Martij benedixit.

B. autem Martialis quamuis non ſit de illo ſacrato Apoſtolorum numero duodeno, qui in Euangelio ſcribitur & habetur, officium tamen & nomen Apoſtoli inſunt ſibi, qui merito ſuæ legationis Aquitanico populo miſſus à D. IESV CHRISTO inter Apoſtolos dignus eſt collocari. Quod Ioannes Papa XX. qui cœpit anno Domini M. XXIV. ſcribens Iordano Lemouicenſi Epiſcopo ac cunctis Epiſcopis Galliarum auctoritate Apoſtolica definiuit decernens in ſuis literis, cum Apoſtolus non ſit numeri, ſed officij nomen, S. Martialem Apoſtólum meritò nominari & ſibi æquè Apoſtolica officia in diuinis myſteriis exhiberi, ſicut in literis Apoſtolicis pleniùs continetur.

Ad quod amplius declarandum libet ſubnectere in hoc loco id quod longo pòſt tempore extitit diuinitus reuelatum. Nam circa annum Domini M. CC. fuit in partibus Leodij fœmina quædam Deo ac ſanctis eius deuotiſſima cui frequenter dabatur, duce Angelo, choris Sanctorum in ſpiritu intereſſe & illa beata ſupernorum ciuium agmina oculis intellectualibus contemplari, cúmque ſemper videret è Senatu Apoſt. quendam ceteris iuniorem vultu decorum, & ad modum Epiſc. infulatũ, quæſiuit ab Angelo duce ſuo: Quis hic eſſet? Cui ille, Martialis Lemouicenſis eſt qui Apoſt. primus Aquitaniæ Epiſc. opus & meritum in terrâ meruit habere

majorum, & per conſequens præmium in regno cœlorum. Fœmina illa ſancta ignorans numen Sancti atque Prouinciæ quæſiuit à Confeſſore ſuo Verbi Dei prædicatore illius temporis, cuius relatione poſtea hoc vulgatum eſt, quis eſſet ille de quo tanta & toties fuiſſent ſibi oſtenſa. Qui vitam eius ſeriatim ſibi expoſuit & ad amorem & honorem S. Patris, vt debuit, ſanctum eius animum vehementer accendit. Huius ſancti Martialis celebritas eſt pridie Kalendas Iulij.

I I.

Protomartyr Galliarum Virgo Valeria Lemouicenſem ornat Diœceſim, imo Eccleſiam vniuerſam, cuius animam peracto Lemouicis paſſionis triumpho de corpore egit, animam fulgidam inſtar Solis viderunt omnes tam pagani quàm Chriſtiani cum hymnidico concentu Angelorum & globo igneo deferri ad cæli gloriam: corpus verò truncum, caput abſciſſum à corpore manibus bajulando Angelo duce per mediam ciuitatem firmis incedere veſtigijs à loco paſſionis vſque ad ſanctum peruenit Martialem illa paſſionis hora pro ipſa orantem & diuina myſteria pro eius martyrio in baſilica S. Stephani celebrantem, capútque ſancto obtulit Martiali, & tunc decubuit coram ipſo: cuius corpus cum capite ſecto S. Martialis honorificè ſepeliuit, & in loco, vbi ſepulta fuit, Eccleſiam conſtrui fecit, quam in honore S. Petri dedicauit.

Iſtius Virginis & Martyris corpus ſanctum poſtmodum delatum eſt, & repoſitum apud Cambonum Monaſterium, vbi nunc veneratur: caput verò & cineres ipſius cum matre ſua Suſanna quam S. Martialis baptizauit, & poſtmodum defunctam ſepeliuit, Lemouici retinuere ſibi. Geſta ſanctæ Valeriæ præclara habentur cum geſtis S. Martialis, Feſtum verò eiuſdem eſt quarto Idus Decembris,

I I I.

Beata Suſanna matrona nobiliſſima, mater S. Valeriæ Virginis & Protomartyris Galliarum, B. Martialem cum diſcipulis ſuis Alpiniano & Auſtricliniano Preſbyteris in ſuo recepit hoſpitio quando primùm Lemouicas aduenerunt, quam S. Martialis de fide D. N. IESV CHRISTI. *Nonnulla hic deſunt.*

* * * * * * * * *

I V.

* * * * * * * * *

Leonardum, in Chriſto dormiuit in Eccleſia quam ipſe ædificauerat ibidem. Florebat autem anno Domini M. C X X X. Cuius geſta habentur ibidem. Feſtum eius agitur quinto Idus Aprilis.

V.

S. Aredius alter Heros Iocundi Principis Lemouicæ ciuitatis & B. Pelagiæ filius vnicus, in Artano Monaſterio, ſic enim antiquitus vocabatur quod nunc ex nomine Sancti, villa S. Aredij nominatur, tanquam in proprio alodio requieſcit in capſà argenteâ miræ pulchritudinis ſuper altare ſuum decentiſſimè collocata. Qui in teſtimonium munditiæ atque vrbanæ nobilitatis per terram Sardonum transferri nequiuit.

Huius Inſignia geſta in quatuor libris digeſta ſtylo perpulcro, & alto atque magnis ſenſibus pleno habentur & leguntur ibidem. Huius etiam Aredij magnam mentionem facit in libris ſuis B. Gregorius Turonenſis. Feſtum S. Aredij agitur octauo Kal. Septembris,

V I.

Sancta quoque ac Beata Pelagia mater S. Aredij requieſcit in eadem Eccleſia filij ſui, quam S. Gregorius Turonenſis in libro ſuo de miraculis Sanctorum collocat inter Sanctos & miraculoſiſſimum tranſitum ipſius deſcribit.

V I I.

Sancta Kariſſima in eadem Eccleſia S. Aredij in tumulo lapideo ſuper terram habetur, quam in rebus perditis inueniendis, precipuè in auibus nobilium, opem ferre per experientiam ſæpius comprobatur.

V I I I.

S. Tillo Monachus cum vno de Innocentibus Solepniacum Monaſterium propè Lemouicam ornat, qui Ermenum Epiſcopum Lemouicenſem ad ſuas exequias

properantem & præſenio cœcum factum meritis ſuis illuminauit. Feſtum eius recolitur ſeptimo Idus Ianuarij.

IX.

S. Ferreolus Epiſcopus Lemouicenſis Confeſſor apud Anexonium in capſâ veneratur. Cuius feſtum recolitur ibidem in Feſto S. Ferreoli Martyris Viennenſis.

X.

S. Martinus Confeſſor, qui fuit Capellanus Karoli apud Sanctum Præjectum propè Axiam in Domino requieſcit. Cuius ſacrum caput habent Fratres Prædicatores Lemouicis. Cuius partem quidam furtiuè abſtulit, & cum apud quamdam matronam depoſuiſſet pro eo, quòd minus reuerenter illud tractaret, terruit eam per ſomnia & per viſiones horribiles, nec ceſſauit ſanctus Confeſſor quouſque caput ſuum reportari fecit. His quoque vindictam in homines caſtri Lemouicenſis, qui Eccleſiam ſuam inuaſerant & violauerant, dum Sacerdos celebraret diuina, in eadem die exercuit: nam interfecti fuerunt atrociter ab inimicis ſuis de Axia pluſquam triginta, anno Domini M. CC. LXX III.

XI.

Sancta Imperia Monaſterium de Charnix honorando decorat.

XII.

S. Martinus Martyr Briuenſem villam decorat, cuius fama ſignorum vſque ad aures Valentiniani Imperatoris peruenit. Cuius geſta habentur. Feſtum eius recolitur quinto Idus Auguſti.

XIII.

S. Liberalis Confeſſor in eadem villâ Briuenſi in propria Eccleſia veneratur, per quem rogus longius ab ipſius Eccleſia ſeceſſit quondam, qui burgum cremauerat magnâ ex parte.

XIV.

SS. Wlfardus, Laudus, Clarus, & Baumardus Tutelam tuentur & iuuant. Per Clarum clara & ſerena tempora dantur: per Baumardum terra infunditur pluuiis, ſicut ſæpius eſt compertum.

X V.

S. Sanctinus qui fuit Meldenſis Epiſcopus & Confeſſor requieſcit in villâ ſui nominis propè Briuam.

XVI.

SS. Primus & Felicianus Martyres, qui in paſſione ſanctæ Fidis Agennenſis leguntur, apud Bellum locum. S. quoque Aurelius Confeſſor. Sancta etiam Felicitas cum iiſdem Martyribus & Confeſſore ibidem apud Bellum Locum Monaſterium iuxta Dordoniam fluuium à Monachis & populo venerantur, eiſque congaudent, & dignum præſtant obſequium.

XVII.

S. Calminius Dux Aquitaniæ apud Aquinam requieſcit, cuius geſta partim habentur.

XVIII.

S. Vincentianus in villa ſui nominis in Exandonico territorio, quod Sanctorum donum dicitur, requieſcit, ad cuius corpus transferendum ad tumulum vrſus cum boue ſponte ſe inclinauit ligandum.

XIX.

S. Fortunata paſſa eſſe traditur in villâ, quæ modo ſuo nomine nuncupatur, ibidem clara ſignis & virtutibus requieſcens.

XX.

SS. Leo & Coronatus duo ſacri Præſules Vſerchenſe Monaſterium decorant, qui de Britanniâ illuc allati dæmones potenter expellunt & afflictis ſubueniunt.

XXI.

Sancta Madalgodis Voſienſi Monaſterio fauet, quæ de Britanniâ illuc delata ſignorum multiplicitate plures lætificare ſolet.

XXII.

SS. duorum Innocentium corpora apud Alaſſacum venerantur in Eccleſia in honore ipſorum fundata.

XXIII.

Sancta Fauſta Virgo & Martyr Cœnobium de Briuaraeo fauote & honore inſignit, quæ ab Arnaldo Principe Vaſconum illus delara debitæ venerationi habetur.

XXIV.

SS. Marcelli & Anaſtaſij de Argentonno non modicam partem habere ſe gaudet Eccleſia de Fauarſ.

XXV.

Sanctam Emerentianam collactaneam B. Agneris Virginis Eccleſiæ de Bar habere ſe gaudet.

XXVI.

S. Maximum, S. Sagittarium, S. Sigulenam Eccleſia, quæ vocatur Monaſterium-Leolenum, & quædam aliæ habere ſe fantur. S. verò Segolenæ caput apud Colongias in territorio Turennenſi à populo feſtiuatur in die feſti ſui.

XXVII.

S. Dulciſſimus dulciter quieſcit apud Chambaretum, quem Præſulem Agennenſem ſanctæ Fidis Virginis & Martyris geſta declarant.

XXVIII.

S. Gaudentius dormit in gaudio Domini ſui & Angelorũ apud ſanctum Angelum.

XXIX.

S. Albinus Epiſcopus Andegauenſis quieſcit ibidem apud ſanctum Angelum.

XXX.

S. Dominius quieſcit in Baſilica S. Stephani iuxta Gimellum.

XXXI.

Sancta Ferreola quieſcit in Eccleſia S. Martini quæ nunc ſuo nomine nuncupatur.

XXXII.

Sancto Iuniano Eremitæ & Confeſſori iubilant Comodoliacenſes Canonici: ſic enim antiquitus vocabantur; qui nunc S. Iuniani Canonici nominantur; cuius geſta habentur ibidem. Feſtum eius recolitur 17. Kalend. Nouembris.

XXXIII.

S. Amandus, qui præceptor fuit S. Iuniani, ibidem in capſa habetur, veneratur, & colitur.

XXXIV.

S. Roricius Lemouicenſis Epiſcopus ibidem in capſa requieſcit.

XXXV.

S. Victurnianus in vico ſui nominis, vbi & eremiticam vitam duxit, in Eccleſia Protomartyris Stephani requieſcit, deuotos ſibi & clamantes ad ſe potenter eripit de faucibus luporum & rapacium beſtiarum, & multa beneficia incolis præſtat.

XXXVI.

S. Pauli Narbonenſis magna pars corporis habetur & veneratur apud Rupem Cauardi.

XXXVII.

S. Milicius Epiſcopus Redonenſis apud Brilhacum à populo honoratur.

XXXVIII.

S. Galterus Abbas Stirpenſis Confeſſor domini glorioſus, Sancta Gemma & ſancta Serena quieſcunt & venerantur apud Stirpum. Florebat autem S. Galterus, anno Domini MXXVIII. cui pro ſuæ merito ſanctitatis auctoritatem indicandi de criminibus conſuluit Victor Papa II. qui cœpit anno Domini M L V.

XXXIX.

Sanctus Iſilus & ſanctus Theobaldus quieſcunt in Eccleſia Damacenſi qui vita & miraculis pariter claruerunt: quorum primus S. Iſilus B. Galterum Abbatem Stirpenſem enutriuit & docuit.

XL.

S. Leodegarij Auguſtodunenſis Epiſcopi, & Martyris, quem Ebroinus Major-domus Regiæ decollauit & exoculauit, manus & caput apud Maymacum in Monaſterio pia deuotione venerantur.

XLI.

S. Audoenus ſiue Audeneius Rothomagenſis Epiſcopus, quieſcit in villa denominata ab ipſo, ſcilicet apud S. Audoenum, ſiue Audencium. Dicunt autem incolæ quod limina B. Iacobi Compoſtellæ viſitauerat, & in reditu illic defunctus eſt & ſepultus. Hic Audoenus primo fuit recluſus, & quodam die bene refectus. in menſa Archiepiſcopi Rotomagenſis ſequenti nocte cum ſe ſopori dediſſet ſenſit dæmonem ventrem eius attrectantem, & crebrò repetentem: Modo bene Audoene, Audoene modo bene. Tunc Sanctus: ſed cras malè, ſcilicet manducabo & hodiernas delirias in palatio diætâ craſtinâ compenſabo.

Anno Domini MCCXXX. ſanctæ memoriæ Guido Epiſcopus Lemouicenſis ſacrum corpus S. Audoeni in capſa repoſuit de pariete ſubleuatum. Feſtum eius recolitur 9. Kalend. Septembris.

XLII.

S. Pardulfi Confeſſoris ſarcophagum cum cineribus Garactenſis Eccleſia tenet, quæ ad teſtimonium illius caſtiſſimæ viræ, fœminam nullam admittit. Corpus verò eiuſdem almi Pardulfi credunt & dicunt ſe habere in capſa ſupra altare apud Aruachum Monachi inibi habitantes per antiquam nobilitatem Principum de Turribus illuc tranſlatum. Cuius corpus ſanctum ad portam vrbis Lemouicæ tandiu immobile perſtitit, donec cæcus adductus coram populo illuminaretur.

Floruit S. Pardulfus tempore Stephani Papæ II. qui cœpit anno Domini DCCLII. Migrauit autem ſub Rege Carolo & Duce Aquitanorum Vnaldo. Huius geſta præclara habentur. Feſtum eius recolitur pridie nonas Octobris.

XLIII.

S. Leobonus Confeſſor tanquam Theſaurus Domini precioſus in Burgo Caſtri Salamaci cuſtoditur, cuius ope ardentium multi ſanantur ad eius tumulum.

Hic pater inſignis vim ſacri deſtruit ignis.

Ac infirmorum flammas ſimul & vitiorum.

Signis innumeris ſubueniens miſeris. Huius geſta præclara habentur ibidem. Feſtum eius recolitur tertio Idus Octobris.

XLIV.

S. Valericus Valens cuſtos in villa & Monaſterio ſui nominis requieſcit. Cuius ope incolæ terræ illius ſæpius ab imminentibus periculis liberantur. Feſtum eius recolitur quarto Idus Ianuarij.

XLV.

S. Turpio, ſeu Turpinus Epiſcopus Lemouicenſis ſanctitate & miraculis clarus ibidem apud S. Valericum expectat D. IESVM CHRISTVM.

XLVI.

SS. Iuſtina & Ruffina Virgines & Martyres apud Furſaeum ſecus flumen Gartempæ quieſcunt: quæ apud Hiſpalim ciuitatem Hiſpaniæ martyrizatæ leguntur. Radulfus miles quidam cachinnando nomen Ruffinæ lepori eam aſſimilauit. Cuius quum mox in ſtabulo ignis abſumpſit, ceteris iumentis illæſis permanentibus.

Iſtarum Virginum & Martyrum coſtas & brachia habent Fratres Prædicatores Lemouicis. Feſtum earum agitur XIV. Kalend. Auguſti.

XLVII.

S. Clarencius vnus de Innocentibus apud Noſerinas pro viſu petitur & inuocatur.

XLVIII.

S. Stephanus de Mureto Eremita & Confeſſor & Virgo, inſtitutor Ordinis Grandimontenſis, in honore habetur in Grandimonte in capſa ſupra altare. Hic vir præſtantiſſimus conuolauit ad Eremum de Mureto prope Ambatacum non longè à Lemouica ciuitate anno gratiæ Chriſti MLXXVI. ætatis verò ſuæ anno XXX in ſede Romana Gregorio Papa VII. præſidente, Guidone verò de Leron deinde Humbaldo qui fuit depoſitus, deinde Guillelmo, deinde Petro ac demum Euſtorgio Lemouicis ſucceſſiuè præſulantibus. In qua eremo in mirabili auſteritate vitæ, lecti, cibi & potus atque tegumenti quinquaginta annis vixit Deo, in mundo, cui mortuus erat, mundus, carne aut ſagimine nunquam vſus, loricam deferens ad carnem intrinſecus, vt eam ſpiritui ſubiugaret: vbi multi deſerentes mundum ſequuti ſunt eum.

Extant ipſius geſta deuota & perfectione virtutum mira. Obijt in Mureto

anno Domini MCXXVI. ætatis verò ſuæ anno octogeſimo : miraculis multis clàruit : regulam viuendi ſuis fratribus dereliquit.

Canonizatus fuit & Sanctorum Conſeſſurum catalogo annotatus per Dominum Clementem Papam III. Pontificatus ſui anno ſecundo, anno verò Domini MCLXXXIX. à fœlici verò tranſitu eius anno LXII. Feſtum eius recolitur ſextò Idus Februarij.

XLIX.

Sanctarum ſex Virginum & Martyrum de Coloniâ corpora ſeu capita in Grandimonte cum Stephano Confeſſure & Virgine habentur & venerantur ibidem.

L.

S. Macarius Martyr ex Legione Thebæâ habetur in Grandimonte, & veneratur in capſa.

LI.

S Godinus cum ſociis ſuis quieſcere fertur apud Caſtelletum. Feſtum eius recolitur in Kalend. Septembris.

LII.

S. Gonſaldus in podio ſui nominis in Monte alto ſuum habet tumulum in Eccleſia. Hic ſicut in quodam libro vetuſto Eccleſiæ ſuæ legitur, fuit ſocius ſancti Præjecti Martyris Epiſcopi Claromontenſis, fuitque vnus de illis tribus abſtinentibus in die ſancto Paſchæ, qui in geſtis S. Præjecti leguntur, quos quibuſdam irridentibus in conuiuio Epiſcopi, ſolarium cecidit, & irriſores miſeros oppreſſit abſtinentibus cum S. Præjecto ibidem remanentibus incolumibus & illæſis.

Hic gutturnioſis inuocatus opitulari ſolet. Hic Ademarum Abbatem S. Martialis in ſomnis toties & tam imperioſè perterruit, donec eum in Collectario, de quo abradi fecerat, reſcribi iuſſit. Huius caput Canonici S. Andreæ Lemouicis habere ſe dicunt. Feſtum eius recolitur Nonis Nouembris.

LIII.

S. Pſalmodius in Monaſterio Haentenſi crebris miraculis ſe eſſe demonſtrat, ibique colitur & veneratur. Hic cardiacam paſſionem habentibus magis opitulatur.

LIV.

S. Thyrſi Martyris corpus apud Caſtrum Poenciacum honoratur, in cuius honore dicti loci Eccleſia eſt fundata.

LV.

S. Adorator Epiſcopus & Martyr apud Lobeteiacum adoratur. Hic Turonicus natione apud Mediolanum à B. Ambroſio baptizatus & in territorio Aluerniæ à Paganis pro fide Chriſti occiſus, tandem apud Loberciacum Lemouicenſis Diœceſis delatus eſt & ſepultus.

LVI.

SS. Geruaſii & Protaſij Martyrum ſacrati vertices apud alterum Loberciacum prope Glanderium in Eccleſia S. Stephani venerantur.

LVII.

Sancta Radegundis, alia à Pictauenſi, ibidem apud Loberciacum in domino requieſcit. Hæc B. Martialem dicitur hoſpitio ſuſcepiſſe, & domum ſuam dediſſe, vt eam in Eccleſiam dedicaret.

LVIII.

S. Marianus Recluſus multos vſque hodie vocat ad recluſorium ſuum in territorio Bituricenſi. Corpus tamen ipſius apud Euuahonium in Diœceſi Lemouicenſi eſt ſepultum. Anno Domini MCCC. Dominica primâ Auguſti fuit corpus B. Mariani apud Euuahonium de pariete Eccleſiæ vbi diu ſteterat eleuatum ad ſublimiorem locum & in capſa argentea pretioſa honorificè & ſolemniter collocatum per D. Reginaldum la Porra Epiſcopum Lemouicenſem, aſtante copioſa multitudine Cleri & populi ac Religioſorum virorum. Feſtum eius recolitur XIIII. Kalend. Septembris.

LIX.

S. Siluanus Martyr apud Agedunum burgum, vnde natus fuit, à Vandalis cum alijs ſuis ſocijs eſt pro fide Chriſti occiſus. Inde verò poſtmodum cum ſocijs ſuis aſportatus eſt à Danis. Feſtum eius recolitur XVII. Kalend. Nouembris.

LX.

Sanctæ Annæ mamilla, quâ Dei genitricem Mariam Virginem aluit & lactauit, habetur, veneratur, & manifeſtè oſtenditur infra cryſtallum in Eccleſia S. Annæ in loco ſic ab ipſa Anna denominato.

CONCLVSIO.

De tuis ſuffraganeis Sanctis, Magne Martialis, me ſcripſiſſe delectat, licet Aquitania tibi ſit obnoxia, quorum tamen nomina, quamuis neſciens præteriui, plures enim ſunt, ſupplex exoro, vt piè mihi ignoſcant, quia ignorans feci, meritiſque omnium iuuer apud Deum, vt omnes videre merear in gloriâ cœleſti in æternum. Amen.

EIVSDEM

BERNARDI GVIDONIS

DE SANCTIS LEMOVICENSIBVS EXTRA DIOECESIM SEPVLTIS.

PRÆFATIO.

HÆc ſunt nomina Sanctorum, qui de Lemouicenſi Diœceſi nati fuerunt, aut maximè conuerſati, quorum ſacra corpora extra eandem Diœceſim quieſcunt, & venerantur in locis ſibi à Domino deputatis.

I.

S. Eligius oriundus de vico, qui Catalacum dicitur, non longè à Lemouica ciuitate, Aurifex optimus, poſtmodum Nouiomenſis Epiſcopus ſanctitate & miraculis clarus, apud Nouiomum requieſcit. Florebat autem anno Domini DCXLVIII, cuius inſignia ac præclara geſta habentur. Feſtum eius præcipuum recolitur Kalendis Decembris.

II.

S. Vedaſtus, qui fertur oriundus de caſtro, quod dicitur Curuiſunium in monte ſitum, apud Atrebatum, vbi quadraginta annis fuit dignus Epiſcopus, requieſcit. Florebat autem circa annum Domini quingenteſimum, temporibus primi Clodouei Regis Francorum & Clotarij filij ſui, qui eidem ſucceſſit in regno, quibus magna gratia & veneratione fuit coniunctus. Feſtum eius recolitur VIII. Idus Februarij.

III.

S. Amandus natus apud villam, quæ vocatur la Mayſa, requieſcit in villa ſui nominis ſancti Amandi in Petragoricenſi Diœceſi.

IV.

S. Boſolus oriundus in montanis, veneratur in ſuo recluſario, vbi nunc eſt Abbatia in Diœceſi Treuirenſi, cuius legenda habetur. Feſtum eius recolitur idibus Octobris.

V.

S. Goaris Preſbyter natus eſt ex Lemouicano, habetur in Diœceſi vbi & obijt & in quodam nemore hoſpitalitati ſe contulit. Hic quadam vice in nemore quodam deficientibus duobus Clericis præ fame, qui eum ad Epiſcopum Treuerenſem tanquam reum, cum eſſet iuſtus & innocens, perducebant, orauit ad dominum, & mox venit cerua lactans, & mulgens eam, refocillauit eos, & mirati ſunt & compuncti.

Hic adductus coram eodem Epiſcopo Treuirenſi, injungente ſibi Epiſcopo, qui de ſanctitate eius dubitabat, præcepit infanti paucorum dierum furtiuè concepto, vt loqueretur, & patrem ſuum manifeſtaret, de quo grauis quæſtio & accuſatio erat orta. Infans autem cunctis audientibus clarâ voce reſpondit, iſte Epiſcopus eſt

eſt pater meus. In quo Goaris innotuit fuiſſe ſanctus, & Epiſcopus, qui latebat, apparuit certius eſſe reus. Feſtum S. Goaris recolitur.

VI.

S. Proſper Doctor, cuius ſententiæ extant, de Aquitania natus fuit. Hic apud Regium ciuitatem Lombardiæ, vbi XXII. annis fuit Epiſcopus, requieſcit. Hic fuit notarius S. Leonis Papæ. Anno D. CCCCLXXI. paullo plus minúſue, ſicut æſtimo ex his quæ circa hoc ſtudui & collegi, B. Pruſper memoratus Reginæ vrbis Antiſtes feliciter ibidem obdurmiuit in Chriſto VII. Kal. menſis Iulij in bonis & optimis.

Anno verò Domini DCCIII. VIII Kal. Decemb. fuit tranſlatum corpus Pruſperi de primo tumulo ad ſecundum per Venerabilem virum Thomam tunc Epiſcopum Regienſem in Romana ſede præſidente Iuhanne Papa VI. & Luitprando Chriſtianiſſimæ gentis Longobardorum Rege. Anno vero Domini MCXLIV. fuit reuelatum & manifeſtatum pariter & oſtenſum verum corpus B. Proſperi eſſe in Baſilica & Monaſterio ipſius nomine nuncupato contra figmentum cuiuſdam alterius corporis tumulati in Eccleſia de Caſtellu.

VII.

S. Odo ſecundus Abbas Cluniacenſis, qui primò fuit Abbas Tutellenſis Lemouicenſis Diœceſis. Cœpit autem Cluniacum gubernare, anno D. DCCCCXXVII. cuius geſta habentur. Obijt verò Turonis XIV. Kal. Decembris, ſepultus ibidem in Monaſterio S. Iuliani quod ipſe fundauit.

VIII.

S. Remaclus primus Abbas Sollempniacenſis poſtea Epiſcopus Tungrenſis, qui poſtmodum tranſlata ſede nunc dicitur Leodienſis, in ſede ſuâ multis miraculis coruſcat. Hic fuit diſcipulus S. Eligij. Corpus eius iacet & veneratur in Abbatia Monachorum Nigrorum quæ vocatur Stabulum in eadem Diœceſi Leodienſi.

IX.

S. Sacerdus Lemouicenſis Epiſcopus, quieſcit apud Sarlatum in Diœceſi Petragoricenſi. Hic beatus & ſanctus Sacerdos natione Burdegalenſis, ex patre Laban & matre Mundana, tempore Clodouei Regis Francorum diuina reuelatione factus eſt Munachus, deinde Abbas, tandemque Epiſcopus Lemouicenſis, qui cum quadam die inueniſſet, patrem ſuum ſine viatico ex hac vita migraſſe, diutiſſimè orans ipſum in nomine Domini ſuſcitauit, communionem ei dedit, & poſtulata benedictione cùm ei pater benedixiſſet, iterum mox in pace quieuit.

Infirmus in quadam villa exiſtens & ouorum edulium quærens, cum non inuenirentur eo quòd milui & accipitres omne genus gallinarum improbâ voracitate vaſtabant, dixit in hoc ambitum villæ nulla deinceps auis rapax gallinas vaſtet: quod vſque in hodiernum ſeruatur diem. Sentiens autem diem obitus imminere, ibi voluit ſepeliri, vbi exordium ſumpſerat religionis ſcilicet in vico Calabro, ſed in via præuentus eſt tertio Nonas Maij, ſpiritum Deo reddens. Fuit autem contemporaneus magno & ſanctiſſimo Benedicto. Feſtum eius recolitur tertio Nonas Maij.

X.

S. Alpinianus Preſbyter & Confeſſor diſcipulus S. Martialis primò iacuit in Monaſterio S. Martialis Lemouicis, vbi defunctus fuit ſepultus. Nunc autem tranſlatum inde corpus eius apud Caſtrum Sarracenum veneratur in Diœceſi Toloſanâ.

EIVSDEM

BERNARDI GVIDONIS

DE STEPHANO OBASINÆ FVND. GAVFRIDO, ROGERIO, ET AVBERTO.

PRÆFATIO.

Iſti qui ſequuntur ſancti viri iacent in Diœceſi Lemouicenſi, in locis ſuis, qui licet miraculis & virtutibus claruerunt, dum viuebant, & vſque adhuc inuo-

cantibus ſi deuotè opitulentur in infirmitatibus & alijs neceſſitatibus; tamen in locis ſuis humiliter ſanctam reſurrectionem expectant cum Eccleſia militante, licet animæ eorum iam cum triumphante contegnent.

I.

Dominus Stephanus requieſcit apud Obaſinam Ciſtercienſis Ordinis Abbatiam, qui locum fundauit ibidem & Coyroſium Monaſterium Monialium non longè ab Obaſina: cuius geſta clara habentur, & frequenter multis miraculis apud Deum ſe viuere manifeſtat.

II.

Domnus Gaufridus de Anho prope Briderium oriundus requieſcit apud Caſtalium prope S. Aredium cui crucem tranſmarinam ſumenti & loca ſancta inuiſere cupienti & proponenti cùm in choro Caſtalienſis Eccleſiæ quam à Normannis deſtructam reædificauerat, ſtaret, apparuit Abbas Paulus, qui eiuſdem loci Abbas cum toto conuentu ſuo à dictis Normannis occiſus fuerat, & ex parte Dei ſibi inhibuit ne locum & fratres deſereret, nec Ieroſolymam ire præſumeret, ſed ibi Dominum expectaret. Hic omni die tres quinquagenas pſalmorum dicebat, vt Deus & Dominus IESVS CHRISTVS ipſum & ſocios & amicos ſuos à triplici igne ſcilicet corporalis flammæ luxuriæ & gehennæ liberaret. Floruit anno Domini MLXXII.

III.

Domnus Rotgerius quieſcit apud Dalonem Ciſtercienſis Ordinis Abbatiam. Hic B. Bernardo qui ſuæ Claræualli Abbatiam de Bullo volebat addere & Daloni cuius fuerat à principio ſubtrahere, parabolam propoſuit de illo qui habens centum oues pauperculo homini ſuam vnicam abſtulit.

IV.

Domnus Aubertus quieſcit in Eccleſia ſeu Monaſterio Beneuenti, vbi ſunt Canonici Regulares ad cuius tumulum multi febricitantes ſæpe curantur. Hic cum eſſet Magiſter Pariſius & Canonicus Lemouicenſis tandem ſoli Deo vacare deſiderans cum licentia & aſſenſu Capituli Lemouicenſis in manſo quodam Parochiæ de Salaniaco nomine Segundelas Eccleſiam in honore S. Mariæ Magdalenæ ædificauit: ſed poſtea per Epiſcopum Lemouicenſem Iordanum in manſo qui dicebatur Segundeletas tranſlatus eſt: ad quem locum allatis reliquijs B. Bartholomei de Beneuento ciuitate Italiæ quo tunc temporis corpus B. Apoſtoli allatum fuit de Lipari inſula domnus Apoſtolus Eccleſiam in ipſius honore fundauit, & locum Beneuentum deinceps appellari mandauit. Dederunt autem Canonici S. Stephani Lemouicenſis Domno Auberto & ſocijs ſuis ſub regula CHRISTO Domino perpetuo ſeruituris quinque manſos. Attulerunt autem illas reliquias quidam magni viri de terra qui ſancti Apoſtoli limina viſitauerunt & diuino curſu eodem die & ipſa hora quâ Epiſcopus prædicabat, eas Epiſcopo obtulerunt. Ideò dixit Beneuentum, id eſt, Bens i yen, appelletur hic locus.

DE INSTITVTIONIBVS ORDINIS CARTVSIENSIS.

Ex Codice S. Remigij Remenſis.

I.

De Magiſtro Brunone.

Magiſter Bruno natione Teutonicus, ex præclara vrbe Colonia, parentibus non obſcuris, litteris tam ſecularibus quàm diuinis valde munitus, Eccleſiæ Remenſis, quæ nulli inter Gallicanas ſecunda eſt, Canonicus & Scholarum Magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundauit & rexit ſex annis. Qui cogente Papa Vrbano, cuius quondam præceptor fuerat, Romanam perrexit ad curiam, eundem Papam ſolatio & conſilio in Eccleſiaſticis negotijs iuuaturus. Sed cum tumultus & mores curiæ ferre non poſſet, relictæ ſolitudinis & quietis amore

flagrans, relicta curia, contempto etiam Archiepiſcopatu Rhegienſis Eccleſiæ, ad quem ipſo Papa volente electus fuerat, in Calabriæ eremum, cui Turris nomen eſt, ſucceſſit, ibique laicis & clericis quamplurimis adunatis ſolitariæ vitæ propoſitum, quandiu vixit, exercuit. Ibique defunctus humatus eſt, poſt egreſſum Cartuſiæ vndecimo plus minus anno.

II.
De Domno Landuino.

Landuinus natione Tuſcus ex vrbe Luca, litteris & ipſe diuinis & humanis eruditus, annis decem. Qui cùm ad Magiſtrum Brunonem pergeret, incidit in manus Guitberti ſchiſmatici, quod multum horrebat. Aduerſus cuius minas & promiſſiones dolos & violentias, diuina iuuante gratia, modis omnibus perſeuerauit inflexus. Quem in ſuo defunctum errore lacrymabiliter planxit, adeo vt à circumſtantibus argueretur, quòd eum fleret, à cuius peruerſitate Eccleſiam ſuam Chriſti bonitas liberaſſet. Poſt eius obitus ſeptimum diem, etiam ipſe defunctus eſt, poſituſque in Monaſterio S. Andreæ ad pedem montis Siraptis, cui vicinum eſt caſtrum, vbi captus in cuſtodia tenebatur.

III.
De Petro Franciſco.

Poſt hunc Petrus, qui cognominabatur Franciſcus, eo quod in quodam Franciæ caſtro, cui nomen Felix-mons, maiore vitæ ſuę parte moratus ſit, natione Flandrenſis ex caſtro Betuna, anno vno. Qui prælationis pondus atque ſollicitudinem grauiter ferens, amore ſilentij & quietis, & cæterarum quæ ad cellam pertinent ſtudiorum, miſericordiam petijt & accepit.

IV.
De Ioanne Tuſco.

Cui ſucceſſit Ioannes, natione Tuſcus, ex caſtro Moriana Scholaſticis quidem ſtudiis non multum exercitatus, pœne quippe puer ſæculo vale fecit, ſed in his quæ ad religionem pertinent, nulli ſuorum ſecundus anteceſſorum. Qui prioratu annis octo prudenter adminiſtrato defunctus, Cartuſiæ ſepultus eſt. Colliguntur ita à primo Magiſtri Brunonis anno vſque ad huius vltimum anni viginti quinque, qui ante obitum eius, qui eſt Nonas Octobris, circa natiuitatem B. Ioannis Baptiſtæ complentur. Tali quippe tempore à Magiſtro Brunone præfata cœpit eremus habitari.

V.
De Guigone de Sancto Romano.

Ioannem ſecutus eſt Giugo de Caſtro Valentinenſis Epiſcopatus, cui ſancti Romani nomen eſt, claris de parentibus ortus, litteris ſæcularibus & diuinis adm̃odum eruditus, acer ingenio, memoria tenax, facundiæ admirabilis, exorator efficaciſſimus in tantum vt nullus anteceſſorum ſuorum fama vel auctoritate eum præceſſerit. Hic Cartuſienſis propoſiti Inſtitutionem & ſcripto digeſſit, & exemplo monſtrauit, & diuina fauente gratia, in eadem inſtitutione ſequaces multos habere promeruit: Sub eo ſiquidem Domus Portarum, Excubiarum, Durbonis, Siluæ maioris, Aluariæ & exordium accepit & incrementum non modicum, tam in perſonis quam in ædificijs Deo miſerante conſecutæ ſunt. Sed & in Aquitania prope Nannetenſem vrbem locus quidam Alaunus nomine ſub manu Magiſtri Benedicti circa idem tempus ſuſceperat ordinem eiuſdem propoſiti. Eremus quoque Montis Dei anno vitæ eius vltimo ipſius ordinatione & conſilio per manum viri valde Venerabilis Odonis S. Remigij Abbatis in Archiepiſcopatu Remenſi cœperat habitari. Hic ædificia ſuperioris, pariter ac inferioris habitationis pene omnia vel noua conſtruxit, vel vetera renouauit, & aquæ ductus lapideos labore mirabili & exquiſitis ingeniis fecit. Libris quoque authenticis perquirendis, ſcribendis, & emendandis ſtudium infatigabile præbuit. Vitámque B. Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi, iubente Innocentio Papa, nobili ſtylo conſcripſit. Sub huius prioratu, quod reticeri non debet, anno vigeſimotertio niues de altiſſimis rupibus impetu ſuo & incredibili mole ruentes cellas Monachorum omnes præter vnam, & cum iiſdem ſex Monachos vt

vnum Nouitium horrendo turbine rapuerunt,& vaſta ſua congerie ſubmerſerunt. Ad conſolationem tamen ſuperſtitum & teſtimonium beatitudinis oppreſſorum die ab eadem ruina duodecima, quidam ex iiſdem oppreſſis Arduinus nomine Lotaringos natione, nouiſſimus de profundo tantæ voraginis erutus, ſtupendo miraculo non ſolùm viuus, ſed & integro ſenſu, & illæſa memoria repertus in clauſtrum deportatus, pauca quidem verba, ſed miræ dulcedinis & ſuauiſſimi affectus alloquentibus reddidit. Ex more itaque ſacra confeſſione data, & inunctione accepta, cunctiſque fratribus oſculatis, dominici corporis & ſanguinis alimento poſt tantam inediam ſatiatus, placidiſſimo fine quieuit in Domino. Anno itaque à natiuitate ſua quinquageſimo circiter quarto, à conuerſione eius triceſimo, & à prioratu viceſimo ſeptimo, cùm ab exordio Cartuſienſis eremi, annus quinquageſimus tertius ageretur, ſexto Kalendas Auguſti, prædictus Prior beatorum ſtudiorum, & piorum actuum finem faciens, ſanctum Domino ſpiritum commendauit.

ORIGINES CISTERCIENSIS ORDINIS INCERTIS AVCTORIBVS SCRIPTÆ.

NOS Ciſtercienſes primi huius Eccleſiæ fundatores ſucceſſoribus noſtris ſtilo præſenti notificamus quàm Canonicè, quanta authoritate, à quibus etiam perſonis, quibuſque temporibus Cœnobium & tenor vitæ illorum exordium ſumpſerit, vt cuius rei propalata ſincera veritate tenacius, & locum & obſeruantiam regulæ ſanctæ in eo à nobis per Dei gratiam vtcumque inchoatam ament pro nobiſque (qui pondus diei & æſtus indefeſsè ſuſtinuimus) orent in arcta & anguſta via quam regula demonſtrat vſque ad exaltationem ſpiritus deſudent, quatenus depoſita carnis ſarcina in requie ſempiterna fœliciter pauſent.

I.
Exordium Ciſtercienſis Cœnobij.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo octauo beatæ memoriæ Robertus Moliſmenſis Eccleſiæ in Epiſcopatu Lingonenſi fundatæ primus Abbas, & quidam eiuſdem Cœnobij fratres ad Venerabilem Hugonem tunc Apoſtolicæ ſedis Legatum ac Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum venerunt, vitam ſuam ſub cuſtodia ſanctæ Regulæ Patris Benedicti ſe ordinaturos pollicentes, & ideirco ad id liberius exequendum, vt eis & ſui iuuaminis Apoſtolicæque authoritatis robur porrigeret conſtanter flagitantes. Quorum voci legatus ille lætanter fauens tali Epiſtola exordij eorum fundamentum iecit.

II.
Epiſtola Hugonis Legati.

Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, Roberto Moliſmenſi Abbati, & fratribus eum eo ſecundùm Regulam Sancti Benedicti Deo ſeruire cupientibus notum ſit omnibus de ſanctæ matris Eccleſiæ profectu gaudentibus, vos, & quoſdam filios veſtros Moliſmenſis Cœnobij fratres Lugduni in noſtra præſentia adſtitiſſe, ac Regulæ Beati Benedicti, quam illuc vſque tepidè ac negligenter in eodem Monaſterio tenueratis, arctiùs deinceps atque perfectius inhærere velle profeſſos fuiſſe. Quod quia in loco prædicto pluribus impedientibus cauſis conſtat adimpleri non poſſe, nos vtriuſque partis ſaluti videlicet inde recedentium atque illic remanentium prouidentes, in locum alium, quem vobis diuina

largitas deſignauerit, vos declinare, ibique ſalubrius atque quietius Domino famulari vtile duximus fore. Vobis ergo tunc præſentibus Roberto Abbati, fratribuſque Alberico Odoni, Iohanni, Stephano, Letaldo, & Petro, ſed omnibus quos regulariter & communi conſilio vobis ſociare decreueritis, hoc ſanctum propoſitum ſeruare, & tunc conſuluimus & vt in eo perſeueretis præcipimus, & authoritate Apoſtolica per ſigilli noſtri impreſſionem in perpetuum confirmamus.

III.

De egreſſu Ciſtercienſium Monachorum de Moliſmo & de aduentu eorum ad Ciſtercium & de Monaſterio quod inceperunt.

Poſt hæc, tali & tanta ante dictus Abbas & ſui authoritate freti Moliſmum redierunt, & de illo religioſo Fratrum collegio ſocios votum in regula habentes elegerunt, ita vt inter eos qui legato Lugduni fuerant locuti & illos qui de Cœnobio vocati viginti & vnus Monachi eſſent, talique ſtipati comitatu ad eremum quæ Ciſtercium dicebatur, alacriter tetenderunt. Qui locus in Epiſcopatu Lingonenſi ſitus & pro nemoris ſpinarumque tunc temporis opacitate acceſſui hominum inſolitus à ſolis feris inhabitabatur. Ad quem viri Dei venientes locumque illum tantò religioni, quam animo jamjamque conceperant, & propter quam illuc aduenerant habiliorem, quantò ſecularibus deſpicabiliorem & inacceſſibilem intelligentes, nemoris & ſpinarum denſitate præciſa ac remota, Monaſterium ibidem voluntate Cabilonenſis Epiſcopi & conſenſu illius cuius ipſe locus erat, conſtruere cœperunt. Nam viri iſti apud Moliſmum poſiti ſæpius inter ſe Dei gratia aſpirati de tranſgreſſione Regulæ Beati Patris Benedicti loquebantur, conquerebantur, contriſtabantur videntes ſe cæteroſque Monachos hanc regulam ſolemni profeſſione ſeruaturos promiſiſſe, eámque minime cuſtodiſſe, & ob hoc perjurij crimen ſcienter incurriſſe, & propter hoc Apoſtolicæ ſedis legati authoritate, vti prælibauimus, ad hanc ſolitudinem vt profeſſionem ſuam obſeruantia ſanctæ regulę adimplerent veniebant. Tunc Dominus Odo Dux Burgundię ſancto feruore eorum delectatus ſanctæque Romanæ Eccleſiæ præſcripti Legati litteris rogatus Monaſterium Ligneum quod inceperunt de ſuis totum conſummauit. Illiſque inibi in omnibus neceſſarijs diu procurauit & terris ac pecoribus abunde ſubleuauit.

IV.

Quomodo locus ille in Abbatiam ſurrexit.

Eodem tempore Abbas qui aduenerat ab Epiſcopo illius Diœceſis virgam paſtoralem cum cura Monachorum iuſſu prędicti legati ſuſcepit, fratreſque qui ſecum aduenerant in eodem loco ſtabilitatem regulariter firmare fecit, ſicque Eccleſia illa in Abbatiam Canonicè Apoſtolicaque authoritate creſcendo.

V.

Quod Moliſmenſes autem Domini Papæ pro reditu Abbatis inquietauerunt.

Igitur haud multo tempore elapſo Moliſmenſes Monachi voluntate Domini Gofridi Abbatis ſui, qui Roberto ſucceſſerat, Dominum Vrbanum Papam Romæ adeuntes poſtulare cœperunt, vt ſæpedictus Robertus in locum priſtinum reſtitueretur, quorum importunitate motus Papa mandauit Legato ſuo, Venerabili ſcilicet Hugoni, vt ſi fieri poſſet idem Abbas reuerteretur & Monachi eremum diligentes in pace conſiſterent.

VI.

Epiſtola Domini Papæ pro reditu Roberti.

Vrbanus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum, Venerabili Fratri & Coepiſcopo Hugoni Apoſtolicæ ſedis Vicario, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Moliſmenſium Fratrum magnum in concilio clamorem accepimus Abbatis ſui reditum vehementiùs poſtulantium. Dicebant enim religionem in ſuo loco euerſam, ſeque pro Abbatis illius abſentia odio apud Principes & cæteros vicinos haberi. Coacti tandem à Fratribus noſtris dilectioni tuæ in præſentia ſcripta mandamus ſignificantes gratum nobis exiſtere, vt ſi fieri poſſit, Abbas ille ab eremo ad Monaſterium reducatur. Quod ſi implere nequiueris, curæ ſit tibi, vt & qui eremum di-

ligunt, conquieſcant, & qui in Cœnobio ſunt regularibus diſciplinis inſeruiant. His Apoſtolicis litteris Legatus lectis viros autenticos & religioſos conuocauit, & de præſenti negotio quæ ſubter ſunt exarata definiuit.

VII.

Decretum Legati de toto negotio Moliſmenſium atque Ciſtercienſium.

Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſeruus chariſſimo fratri Roberto Lingonenſium Epiſcopo ſalutem. Quid de negotio Moliſmenſis Eccleſiæ in colloquio apud portum Anſillæ nuper habito definierimus fraternitati veſtræ notificare neceſſarium duximus. Venerunt ante nos illuc cum litteris veſtris Moliſmenſes Monachi loci ſui deſolationem atque deſtructionem quam per remotionem Roberti Abbatis incurrerant oſtendentes, ipſumque ſibi reddi in patrem magnopere poſtulantes. Nullomodo enim aliter ſperabant pacem, & quietem Moliſmenſi Eccleſiæ poſſe reſtitui vel Monaſtici ordinis vigorem in priſtinum ſtatum illic reuocari. Affuit etiam ibi in præſentia noſtra frater Gaufridus, quem eidem Eccleſiæ in Abbatem ordinauiſtis, dicens ſe libenter ipſi Roberto velut patri ſuo locum daturum, ſi nobis placeret, vt eum Moliſmenſi Eccleſiæ remitteremus. Audita igitur veſtra & ipſorum Moliſmenſium petitione, relectis etiam Domini Papæ litteris ſuper hoc negotio nobis directis, totum diſpoſitioni & arbitrio noſtro committentis, tandem multorum virorum religioſorum, tam Epiſcoporum quàm aliorum qui nobiſcum aderant concilio precibus veſtris & eorum acquieſcentes Moliſmenſi Eccleſiæ ipſum reſtituere decreuimus, ita videlicet vt priuſquam illuc redeat Cabilonem veniens in manu fratris noſtri Cabilonenſis Epiſcopi cui ſecundùm conſuetudinem cæterorum Abbatum profeſſionem fecit, virgam, & curam Abbatiæ reddat, atque Monachos noui Monaſterij qui ei ſicut ſuo Abbati profeſſionem fecerant & obedientiam promiſerant ab ipſa profeſſione & obedientia liberos & abſolutos dimittat, ac ſic ab ipſo Epiſcopo profeſſionis, quam ei & Cabilonenſi Eccleſiæ fecit, abſolutionem accipiat. Dedimus etiam licentiam cum eo redeundi Moliſmum omnibus illis de fratribus noui Monaſterij qui eum ſecuti fuerint quando à nouo Monaſterio receſſerit, tali conditione vt deìnceps neuter neutros ſollicitare vel recipere præſumant, niſi ſecundùm quod Beatus Benedictus Monachos noti Monaſterij præcipit recipiendos. Poſtquam hæc ſupradicta fecerit remittimus eum dilectioni veſtræ, vt Moliſmenſi Eccleſiæ illum in Abbatem reſtituatis, ita tamen vt ſi deinceps eandem Eccleſiam ſolita leuitate deſeruerit, nullus ei ſubſtituatur viuente Gaufrido Abbate, abſque veſtro & noſtro, eiuſdemque Gaufridi aſſenſu. Quæ omnia Apoſtolicâ authoritate rata eſſe præcipimus. De Capella autem prædicti Abbatis Roberti & de cæteris rebus quas à Moliſmenſi Eccleſia recedens ſecum, & cum eis Cabilonenſi Epiſcopo atque nouo Monaſterio ſe reddidit, id ſtatuimus, vt omnia fratribus noui Monaſterij ſalua permaneant, præter Breuiarium quoddam quod vſque ad feſtiuitatem Sancti Ioannis Baptiſtæ retineant, vt tranſcribant aſſenſu Moliſmenſium. Huic autem definitioni interfuerunt Epiſcopi Nortgaudus Eduenſis, Galterius Cabilonenſis, Beraudus Maticenſis, Pontius Belicenſis, & Abbates Petrus Trenorcienſis, Iacento Diuionenſis, Gaucerannus Athanacenſis. Petrus quoque Domini Papæ Camerarius, multique alij viri honeſti, & boni teſtimonij. Hæc omnia Abbas ille laudauit, & fecit abſoluendo Ciſtercienſes à profeſſione & obedientia quam ei in illo vero, in Moliſmenſi loco promiſerant, & domnus Galterius Cabilonenſis Epiſcopus Abbatem à cura illius Eccleſiæ liberum dimiſit, ſicque reuerſus eſt, & quidam Monachi cum eo, qui eremum non diligebant. Hac ergo ratione Apoſtolica diſpenſatione iſtæ duæ Abbatiæ in pace & libertate ſumma permanſerunt: rediens vero Abbas ſecum pro ſcuto defenſionis has litteras Epiſcopo ſuo detulit.

VIII.

Commendatio Abbatis Roberti.

Dilectiſſimo Fratri & Coepiſcopo Roberto Lingonenſi Epiſcopo Galterius Cabilonenſis Eccleſiæ ſeruus, ſalutem. Notum ſit vobis fratrem Robertum cui Abbatiam illam in noſtro Epiſcopatu ſitam quæ nouum Monaſterium dicitur, commiſeramus, à profeſſione quã Cabilonenſi Eccleſiæ fecit, ab obedientia quam no-

bis promiſit ſecundum domni Archiepiſcopi Hugonis definitionem à nobis eſſe abſolutum. Ipſe autem Monachos illos qui in præfato nouo Monaſterio remanere decreuerunt ab obedientia quam ſibi promiſerant & profeſſione abſoluit & liberos dimiſit, illum igitur amodo ſuſcipere & honorificè tractare ne vereamini, valete.

IX.

De Electione Alberici primi Abbatis Ciſtercienſis Eccleſiæ.

Viduata ergo ſuo Paſtore Ciſtercienſis Eccleſia conuenit, ac regulari electione quemdam fratrem Albericum nomine in Abbatem ſibi promouit virum ſcilicet literatum in diuinis & humanis ſatis gnarum: amatorem regulæ & fratrum, quique Prioris officium & in Moliſmenſi & in illa diutius gerebat Eccleſia, multumque diu nitendo laborauerat vt ad illum de Moliſmo tranſmigrarent fratres locum, & pro hoc negotio multa opprobria, carcerem & verbera perpeſſus fuerat.

X.

De Priuilegio Romano.

Præfatus Albericus cura Paſtorali licet multum renitens ſuſcepta cogitare cœpit veluti vir mirabilis prouidentiæ quæ tribulationum procellæ domum ſibi creditam aliquando concutientes vexare poſſent, & præcauens in futurum cum conſilio fratrum tranſmiſit Monachos ſuos Ioannem, & Ilbodum Romam, domnum Papam Paſchalem per eos exorans, vt Eccleſia ſua ſub Apoſtolicæ protectionis alis quieta & tuta ab omnium Eccleſiarum ſecularium impreſſura perſonarum perpetuo ſederet, qui fratres prædicti Hugonis Archiepiſcopi, Ioannisque & Benedicti Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Valterij quoque Cabilonenſis Epiſcopi litteris ſigillatis fratres Romam propere ierunt & redierunt antequam ipſe Papa Paſchalis in captione imperatoris poſitus peccaret reportantes eiuſdem Apoſtolici priuilegium iuxta vota Abbatis ſuiorumque eius per omnia exaratum has Epiſtolas, & priuilegium Romanum congruum duximus in hoc opuſculo relinquere, vt poſteri noſtri intelligant quam magno concilio, & authoritate Eccleſia eorum ſit fundata.

XI.

Epiſtola Ioannis & Benedicti Cardinalis.

Domino Patri Papæ Paſchali & vbique laude eximia prædicando Ioannes &.... Bened. ſeipſos per omnia. Quia veſtri moderaminis eſt omnibus Eccleſiis prouidere & iuſtis poſcentium votis manus porrigere veſtroque adiumento religio Chriſtiana fulta debet incrementum ſumere, veſtram ſanctitatem obnoxius deprecamur, quatenus harum litterarum baiulis noſtro conſilio à quibuſdam religioſis fratribus paternitati veſtræ miſſis aures pietatis veſtræ flectere dignemini: petunt enim vt præceptum quod de quiete & religionis ſuæ ſtabilitate à prædeceſſore veſtro Domino noſtro beatæ memoriæ Papa Vrbano acceperunt, & quod ſecundum eiuſdem præcepti tenorem Archiepiſcopus Lugdunenſis, tunc Legatus, & alij Coepiſcopi & Abbates inter eos & Moliſmenſem Eccleſiam, à qua religionis cauſa diſceſſerant, definierunt, veſtræ authoritatis priuilegio in perpetuum maneat inconuulſum. Ipſi enim vidimus eorumque veræ religioni teſtimonium perhibemus.

XII.

Epiſtola Hugonis Lugdunenſis.

Reuerentiſſimo Patri & Domino ſuo Paſchali Papæ Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſeruus per omnia ſeipſum. Fratres iſti præſentium geruli ad paternitatis veſtræ celſitudinem tendentes per nos tranſitum fecerunt. Et quia infra prouinciam noſtram videlicet in Epiſcopatu Cabilonenſi permanſionem habent, humilitatis noſtræ litteris apud celſitudinem veſtram ſe commendari petierunt: ſciatis autem tunc eos de quodam loco qui nouum Monaſterium vocatur, ad quem de Moliſmenſi Eccleſia cum Abbate ſuo exeuntes propter arctiorem, & ſecretiorem vitam ſecundùm Regulam Sancti Benedicti quam propoſuerant tenendam habitandum venerunt depoſitis quorumdam Monaſteriorum conſuetudinibus imbecillitatem

ſuam ad tantum pondus ſuſtinendum imparem iudicantes. Vnde Moliſmenſis Eccleſiæ fratres, & quidam alij adjacentes Monachi eos infeſtare & inquietare non deſinunt, æſtimantes ſe viliores & deſpectiores haberi apud ſæculum, ſi iſti qui ſi ſingulares, & noui Monachi inter eos habitare videantur; quapropter deſiderantiſſimam nobis paternitatem veſtram humiliter & cum fiducia deprecamur, vt fratres iſtos totam ſpem ſuam in vobis, poſt Deum ponentes, & idcirco ad Apoſtolatus veſtri authoritatem confugientes, benignè pro more veſtro reſpiciatis, & eos ac locum ipſorum ab hac infeſtatione & inquietudine liberando, authoritatis veſtræ priuilegio muniaris, vtpote pauperes Chriſti nullam contra ſuos æmulos diuitiis vel potentia defenſionem patantes, ſed in ſola Dei noſtri clementia ſpem habentes.

XIII.

Epiſtola Epiſcopi Cabilonenſis.

Venerabili Patri Papæ Paſchali Valterius Cabilon. Epiſcopus ſalutem, & debitam ſubjectionem: ſicut ſanctitas veſtra vt fideles in vera religione proficiant ardenter deſiderat, ſic eidem veſtræ protectionis vmbram, veſtræ conſolationis fomentum deeſſe non expedit; ſupplicitet ergo petimus quatenus quod factum eſt de fratribus illis qui arctioris vitæ deſiderio à Moliſmenſi Eccleſia Sanctorum virorum conſilio receſſerunt quos in noſtro Epiſcopatu diuina pietas collocauit à quibus tranſmiſſi præſentium litterarum bajuli vobis præſentes adſunt ſecundùm prædeceſſoris veſtri præceptum, & Lugdunenſis Archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis, tunc Legati & Coepiſcoporum & Abbatum definitionem, & ſcriptum; cui rei nos præſentes & eius auctores cum aliis fuimus, vos approbare, & vt locus ille Abbatia libera in perpetuum permaneat, ſalua tamen noſtra perſonæ ſucceſſorúmque noſtrorum Canonica reuerentia, authoritatis veſtræ priuilegio corroborare dignemini, ſed & Abbas quem in eodem loco ordinauimus, & cæteri fratres totis viribus hanc confirmationem in ſuæ quietis tutelam à veſtra flagitant pietâte.

XIV.

Priuilegium Romanum.

Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili Alberico noui Monaſterij Abbati, quod in Cabilonenſi parrochia ſitum eſt, eiuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in poſterum. Deſiderium quod ad religioſum propoſitum & ſalutem animarum pertinere monſtratur, authore Deo, ſine aliqua eſt dilatione complendum. Vnde nos, ò filij in Deo dilectiſſimi: citra difficultatem omnem veſtrarum precum petitionem admittimus, quia religioni veſtræ paterno congratulamur affectu. Locum igitur illum, quem inhabitandum pro quiete Monaſtica elegiſtis, ab omnium mortalium moleſtiis tutum ac liberum fore ſancimus, & Abbatiam illic perpetuo haberi ac ſub Apoſtolicæ ſedis tutela ſpecialiter protegi, ſalua Eccleſiæ Cabilonenſis Canonica reuerentia roboramus. Præſentis itaque decreti pagina interdicimus, ne cuiquam omnino perſonæ liceat ſtatum veſtræ conuerſationis immutare, neque veſtri (quod nouum dicitur) Cœnobij Monachos ſine regulari commendatione ſuſcipere neque congregationem veſtram aſtutiis quibuſlibet aut violentiis perturbare. Eam ſanè controuerſiæ deciſionem quam inter vos & Moliſmenſis Cœnobij Monachos frater noſter Lugdunenſis Epiſcopus tunc Apoſtolicæ Sedis Vicarius cum prouinciæ ſuę Epiſcopis aliiſque religioſis viris ex præcepto noſtri prædeceſſoris Apoſtolicæ memoriæ Vrbani ſecundi perpetrauit, nos tanquam rationabilem ac laudabilem confirmamus. Vos ergo filij in Chriſto dilectiſſimi ac deſiderantiſſimi meminiſſe deberis, quia pars veſtri ſeculares latitudines pars ipſas etiam Monaſterij laxioris minus auſteras anguſtias reliquiſtis: vt ergo hac ſemper gratia digniores cenſeamini, Dei ſemper timorem & amorem in cordibus veſtris habere ſatagite, vt quanto à ſecularibus tumultibus & deliciis liberiores eſtis, tanto amplius placere Deo totis mentis & animæ virtutibus anheletis. Sanè ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, iudex, aut Eccleſiaſtica ſecularíſvè perſona quælibet hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire tentauerit ſecundò tertiovè commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendauerit, poteſtatis, honoriſque

que ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitatè cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri Ieſu-Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat, cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu-Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia pacis inueniant.

XV.

Inſtituta Ciſtercienſium de Moliſmo venientium.

Dehinc fratres illi cum Abbate ſuo non immemores ſponſionis ſuæ Regulam B. Benedicti in loco illo ordinare & vnanimiter ſtatuerunt tenere reijcientes à ſe, quicquid regulę refragabatur, frocos videlicet & pelliceas ac ſtaminia, capucia quoque ac femoralia pectina, & coopertoria ſtramina lectorum ac diuerſa ciborum in refectorio fercula, ſagimen etiam, & cætera omnia quæ puritati regulæ aduerſabantur, ſicque rectitudinem regulæ ſupra cunctum vitæ ſuæ tenorem ducentes, tam in Eccleſiaſticis quàm in cæteris obſeruationibus regulæ veſtigiis ſunt adæquati ſeu conformati; Exuti ergo veterem hominem, nouum ſe induiſſe gaudebant, & quia nec in regula, nec in vita ſancti Benedicti eundem doctorem legebant poſſediſſe Eccleſias vel altaria ſeu oblationes, aut ſepulturas, vel decimas aliorum hominum, ſeu furnos, nec etiam fœminas Monaſterium eius intraſſe, nec mortuos ibidem excepta ſorore ſua ſepeliſſe; ideo hæc omnia abdicauerunt dicentes, vbi beatus Pater Benedictus docet, vt Monachus à ſecularibus actibus ſeſe faciat alienum, ibi liquido hæc non debere verſari in actibus vel cordibus Monachorum, qui nominis ſui etymologiam hæc fugiendo ſectari debent: decimas quoque aiebant à ſanctis patribus qui organa erant Spiritus Sancti, quorumque ſtatuta tranſgredi eſt ſacrilegium committere, in quatuor partitiones diſtributas, vnam ſcilicet Epiſcopo, alteram Preſbytero, tertiam hoſpitibus ad illam Eccleſiam venientibus ſeu viduis, & orfanis ſiue pauperibus aliunde victum non habentibus, quartam reſtaurationi Eccleſiæ, & quia in hoc computo perſonam Monachi qui terras ſuas poſſidet, vnde & per ſe, & per pecora ſua laborando viuat, non reperiebant, idcirco veluti aliorum ius iniuſtè ſibi vſurpare detrectabant. Ecce huius ſæculi diuitiis ſpretis cœperunt noui milites Chriſti cum paupere Chriſto pauperes inter ſe tractare, quo ingenio, quovè artificio, ſeu exercitio in hac vita ſe, hoſpites, diuites, & pauperes ſuperuenientes, quos vt Chriſtum ſuſcipere præcipit regula, ſuſtentarent, tuncque diffinierunt ſe conuerſos Laïcos barbatos licentia Epiſcopi ſuſcepturos, eoſque in vita ſua & morte, excepto Monachatu, vt ſeipſos tractaturos, & homines etiã mercenarios, quia ſine adminiculo iſtorum non intelligebant ſe plenariè die ſiue nocte præcepta regulæ poſſe ſeruare; ſuſcepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & ſyluas, aquaſque ad faciendos molendinos, ad proprios tamen vſus, & ad piſcationem, & equos pecoráque diuerſa neceſſitati hominum vtilia. Et cum alicubi curtes ad agriculturam exercendam inſtituiſſent, decreuerunt vt prædicti conuerſi domos illas regerent, non Monachi, quia habitatio Monachorum ſecundùm regulam, debet eſſe in Clauſtro ipſorum, quia etiam beatum Benedictum, non in ciuitatibus, non in villis aut caſtellis, ſed in locis à frequentia populi ſemotis Cœnobia conſtruxiſſe ſancti viri illi ſciebant, idem ſe æmulari promittebant, & ſicut ille Monaſteria conſtructa per duodenos Monachos adiunctos patri diſponebat, ſic ſe acturos confirmabant.

XVI.

De triſtitia illorum.

Illud virum Dei prædictum Abbatem & ſuos aliquantulum mæſtitiæ ſubdidit, quòd raró quis illis diebus illuc ad eos imitandos veniret. Viri enim ſancti theſaurum virtutum cælitus inuentum ſucceſſoribus ad multorum ſalutem profuturum communicare geſtiebant, ſed ferè omnes videntes & audientes vitæ eorum inſolitam aſperitatem, & quaſi inauditam, plus corde & corpore elongare quàm approximare ſe eis feſtinabant, & de perſeuerantia eorum titubare non ceſſabant, ſed Dei miſericordia, qui hanc militiam ſpiritualem ſuis inſpirauit ad multorum profectum, egregiè eam amplificare & conſummare non ceſſauit, ſicuti ſequentia declarabunt.

XVII.

De morte primi Abbatis & promotione ſecundi, & de inſtitutis & lætitia eorum.

Vir autem Domini Albericus in ſchola Chriſti per nouem annos & dimidium regulari diſciplina fœliciter exercitatus migrauit ad Dominum fide & virtutibus glorioſus & ideo in vita æterna à Deo merito beandus. Huic ſucceſſit quidam frater Stephanus nomine, Anglicus natione, qui & ipſe cum aliis de Moliſmo illuc aduenerat, quique amator regulæ & loci erat: huius temporibus interdixerunt fratres vna cum eorum Abbate ne Dux illius terræ ſeu alius aliquis princeps curiam ſuam aliquo tempore in illa Eccleſia tenerent, ſicuti antea in ſolemnitatibus agere ſolebant, deinde ne quid in domo Dei, in qua die ac nocte deuotè ſeruire cupiebant, remaneret, quod ſuperbiam aut ſuperfluitatem redoleret, aut pauperratem cuſtodem virtutum ſponte quam elegerant aliquando corrumperet confirmauerunt ſe, ne retinerent cruces aureas ſeu argenteas, niſi tantum ligneas coloribus depictas, neque candelabra niſi vnum ferreum, neque thuribula niſi cuprea vel ferrea, neque caſulas, niſi de fuſtaneo vel lino, ſine pallio auro atque argento, neque albas, neque amictus, niſi de lino ſimiliter ſine pallio auro & argento, pallia verò omnia & cappas atque dalmaticas tunicáſque ex toto dimiſerunt, ſed calices argenteos non aureos, ſed ſi fieri poterit deauratos, & fiſtulam argenteam, & ſi poſſibile fuerit deauratam, ſtolas quoque ac manipulos de pallio tantùm ſine auro & argento retinuerunt, pallæ autem altarium vt de lino fierent, & ſine pictura planè præcipiebant, & vt ampullę vinatiæ ſine auro & argento eſſent. Illis diebus in terris & vineis ac pratis curtibuſque eadem Eccleſia creuit, nec religione decreuit. Ergo iſtis temporibus viſitauit Deus locum illum, viſcera miſericordiæ ſuæ effundens ſuper petentes, ad ſe clamantes, coram lachrymantes, die ac nocte longa profundáque ſuſpiria trahentes, & ferè oſtio deſperationis appropinquantes pro eo quod ſucceſſoribus penè carerent. Nam tot Clericos litteratos & nobiles Laicos etiam in ſæculo potentes & æquè nobiles vno tempore ad illam Dei gratia tranſmiſit Eccleſiam, vt triginta inſimul in cellam nouitiorum alacriter intrarent, ac bene contra propria vitia, & incitamenta malignorum ſpirituum fortitérque decertando curſum ſuum conſummarent. Quorum exemplo ſenes & iuuenes diuerſæque ætatis homines in diuerſis mundi partibus animati videntes ſcilicet in iſtis poſſibile fore, quod antea impoſſibile in cuſtodienda regula formidabant, illuc concurrere ſuperba colla iugo Chriſti ſuaui ſubdere, dura & aſpera regulæ præcepta ardenter amare, Eccleſiamque illam mirabiliter lætificare & corroborare cœperunt.

Abhinc Abbatias in diuerſis Epiſcopatibus ordinauerunt, quæ tam larga potentique benedictione Domini in dies creſcebant, vt infra octo annos inter illos qui de Ciſtercienſi Cœnobio ſpecialiter fuerant egreſſi, & cæteros qui ex eiſdem fuerant exorti duodecim Cœnobia conſtructa fuerint inuenta.

XVII.

Epiſtola Innocentij Papæ.

Innocentius &c. dilectis filiis Abbati & Conuentui Ciſtercij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm paci & quieti eorum qui Mariæ officium elegerunt paterna ſollicitudine prouidemus, officij noſtri debitam proſequimur actionem, qui quanto feruentius in Dei ſeruitio perſeuerare noſcuntur, tanto amplius ne ab eo valeant reuocari, debent in ſuo laudabili propoſito confoueri: hinc eſt quod cùm fugitiui Ciſtercienſis ordinis ſuper receptione ſua aliquoties litteris impetratis contra debitum vos moleſtare præſumant, ob fauorem religionis & ordinis veſtri volumus & mandamus, vt ſi huiuſmodi deſertores ſuper receptione ſua litteras impetrarunt in quibus non cōtineatur vt recipiantur ſalua ordinis diſciplina, vel ſi raræ fuerint & honeſtè tales litteræ ne ipſarum occaſione poſſitis à diuinis laudibus reuocari, nullam obtineant firmitatem, & ne earum obtentu de fugitiuorum receptione aliquis vos compellat authoritate Apoſtolica prohibemus. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem attētare præſumpſerit, indignationem Dei omnipotētis

& beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtram ſe nouerit incurſurum. Datum Later. Calendas Iulij 14. Pontificatus noſtri anno quinto.

Nec plura inuenimus in noſtro Codice MS. quæ edita ſimul omnia fuerint, nec ne, ante hoc tempus, prorſus ignoramus: nonnulla ſanè hinc inde ſparſa in Annalibus Ciſtercienſibus obſeruauimus.

PROCESSVS CANONIZATIONIS S. ROBERTI ABBATIS MOLISMENSIS ET PRIMI CISTERCIENSIS ORDINIS Fundatoris.

I.

EPISTOLA ABBATVM V. AD HONORIVM III. PAPAM.

SANCTISSIMO Patri & Domino Vniuerſali HONORIO Diuina prouidentia S. Sedis Apoſt. ſummo Pontifici, S. Benigni, S. Stephani Diuionenſium, Reomenſis, S. Michaëlis Turnodorenſis, & S. Martini Melundenſis Abbates Lingonenſis Diœceſis, cum pedum oſculo ſalutem, & debitæ reuerentiæ famulatum. Cùm Moliſmenſis Eccleſia, & illæ in quibus habemus miniſtrare, proximæ ſint, & adeo vicinæ vt vix aut nullatenus in vna earum aliquid magni contingat, quod ad alteram fama velox citò non referat, de S. P. R. Moliſmenſis Eccleſiæ Abbatis primi, & Ciſtercienſis Ordinis Fundatoris vita, quæ innumeris veneranda virtutibus effulſit, & de miraculis quæ quotidie ad ſepulcrum ipſius Diuina operatur clementia; dignum duximus in præſenti articulo veritati teſtimonium perhibere. Nam inceſſanter totius populi regionis eiuſdem vox clamat in auribus noſtris, quòd multitudo maxima contractorum, cæcorum, mutorum, & aliorum variis languoribus detentorum quotidie ad ſepulcrum dicti ſancti Roberti in Eccleſia Moliſmenſi confluentium facta oratione & Sancti nomine inuocato, priſtinâ ſanitate recepta, incolumis videtur remeare ad propria. Inde eſt quod ipſius Sancti inflammati miraculis, ſanctiſſimę Paternitati veſtræ in quantum poſſumus humiliter & deuotè ſupplicamus, quatenus ſæpedictum S. Robertum, quem mirabilis Deus in Sanctis ſuis coruſcantibus meritis per miracula mirificè magnificauit in partibus noſtris, canonizari & ſanctorum Catalogo annumerari decernatis.

II.

RESCRIPTIO DOMINI PAPÆ AD LINGONENSEM ET VALENTINENSEM EPISCOPOS ET ABBATEM CLVNIACENSEM.

HONORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Lingonenſi & Valentinenſi Epiſcopis, & dilecto filio Abbati Cluniacenſi Matiſconenſis Diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Mirificans miſericordias ſuas Dominus, quæ ſuper omnia opera ſunt ipſius, vt fidem Eccleſiæ ſuæ roboret, ſpem erigat, & charitatem accendat, vt confutet hæreticam prauitatem, perfidos ad viam reuchat veritatis & conuertat ad pœnitentiam peccatores, innouat ſigna, & immutat mirabilia immutabilis in ſeipſo magnificando mirificè ſanctos ſuos, qui iuxta conſilium Saluatoris, contemptis tranſitoriis, & terrenis, iuxta promiſſionem eiuſdem ad æterna & cæleſtia præmia feliciter peruenerint, & animabus glorificatis felicius ſtolam primam adepti cõfidentes in illum intelligunt veritatem, & fideles in dilectione acquieſcunt eidem, certi de adipiſcenda ſecunda, quando ipſorum intemerata nunc corpora demum feliciſſimè glorificanda reſurgent, fulgida, agilia, ſubtilia, & impaſſibilia cum Domino perpetuò permanſura: in cuius rei euidentiſſimum & ineffabile argumentũ glorioſus Deus in Sãctis ſuis quorũ animas iam glorificauit in cælis, nonnũquam corpora honorat in terris, faciens ea quaſi participantia ſupernæ gloriæ diuinis miraculis coruſcare, quibus tanquã veridicis linguis Sancti notã faciãt

filiis hominum Dei potentiam & gloriam magnificentiæ regni eius. Et nos ad venerationem eis debitam exhibendam, corúmque ſuffragia imploranda merito inuitemur, vnde gaudemus in Domino, & in eius laudibus delectamur, quod ſicut dilecti filij vniuerſi Abbates Ciſtercienſis Ordinis in Generali Capitulo congregati, necnon Abbas & Conuentus Moliſmenſis ſuis nobis literis intimarunt felicis recordationis ROBERTVS, qui primus Moliſmenſis Monaſterij fuit Abbas, primúſque iecit Ciſtercienſis Ordinis fundamentum, quod diuina gratia faciente creuit in Templum ſanctum in Domino, religioſè viuens tanta fulſit gratia meritorum, quod Dominus tunc multa & magna per eum miracula operatus adhuc poſt eius felicem obitum ad ſepulcrum ipſius ad oſtenſionem ſanctitatis eiuſdem dignatur operari maiora: vt quem virtus morum honeſtauit in via, miraculorum virtus nobis inſinuet in patria honorati. Quare ijdem nobis ſupplicarunt inſtanter, vt cum luce clarius pateat ipſum in ordine Confeſſorum regnate in Eccleſia Triumphanti, eum in Militanti Eccleſia Sanctorum Catalogo adſcribere deberemus. Verùm quia in tam ſancto negotio non eſt niſi cum grauitate plurimâ procedendum, nos de fide ac diſcretione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tam de vita quàm de miraculis ſancti prædicti perquirentes, ſollicitè veritatem quam inueneritis per veſtras nobis literas fideliter intimetis; vt ex veſtra relatione ſufficienter inſtructi procedamus exinde prout ſecundùm Deum videremus procedendum. Quòd ſi non omnes hi exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani 8. Kal. Februarij, Pontificatus noſtri anno quinto.

III.

RESCRIPTIO DICTORVM EPISCOPORVM ET ABBATIS AD DICTVM PAPAM.

SANCTISSIMO Patri ac Domino HONORIO Dei gratia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſummo & vniuerſali Pontifici H........ Dei gratia Lingonenſis & G......... Valentinenſis Epiſcopi, cum pedum oſculo ſalutem, & debitæ reuerentiæ famulatum. Mandatum ſanctitatis veſtræ recepimus ſub hac formâ: HONORIVS Epiſcopus &c. ſicut ſuperius eſt annotatum. Huius igitur auctoritate mandati ad locum perſonaliter accedentes Domino Abbate Cluniacenſi collega noſtro nobis Epiſcopo Valentinenſi committente vices ſuas, teſtes recepimus, quotum depoſitiones verbo ad verbum ſcribi fecimus in hunc modum. Odo Moliſmenſis Abbas iuratus dixit, quòd cùm eſſet in habitu ſæculari in pueritia conſtitutus, vidit quamdam mulierem cæcam à natiuitate habentem filiam, ſicut ipſa mater firmiter aſſerebat, quam ipſa ad ven. Patris Roberti, de quo agitur, adduxit ſepulcrum. Et cùm ibi eum matre quadam nocte vigilaret, viſum recuperauit. Huic facto interfuit idem Abbas, & vidit. Vidit etiam idem Abbas tempore Dedicationis Eccleſiæ Moliſmenſis, poſtquam habitum Monachalem & ordinem Sacerdotalem ſuſcepit, cùm ſepulcra propter reuerentiam Dedicationis ab Eccleſia tollerentur, & eſſet ad ſepulcrum eiuſdem ven. P. ad motum ſepulcri proprios oculos de terra liniens recepit ibi mulier quædam viſum. Altera de eadem terrâ comedens recuperauit loquelam, quæ per trienium muta fuerat, ſicut maritus eius & ipſa firmiter aſſerebant. Accidit poſtea nondum à præſentæ teſtium examinatione duobus annis elapſis, quod quædam vacca vulnerata fuit à lupo, quod perpendens mulier cuius erat, vulnus aqua benedicta reſperſit, ſtatimque ipſam capitis & brachij tremor continuus, & enormis inuaſit. Quæ ipſa die ad memoratum ſepulcrum rediens ſtatim curata eſt penitus & ſanata. Hoc vidit idem Odo temporibus iſtis iam Abbas in eadem Eccleſ. conſtitutus. Vidit prætetea quendam Monach Raineriū nomine, qui factus fuerat furioſus, ad ſepulcrū eiuſdem V.P. ligari, & ibidem recuperauit per Diuinam gratiam ſanitatem. Willelmus Presbyter iuratus dixit de muliere quæ viſum receperat tempore dedicationis idem quod Abbas: De muliere quæ loquelam recuperauit, audiuit, ſed non vidit: De muliere quæ tumorem capitis & brachij patiebatur, idem quod Abbas. Vidit præ-

terea quandam mulierem quæ tempore ſeſtiuo ſuerat operata propter hoc, ſicut creditur, ipſa die in manu percuſſam & vſque adeo curua fuit manus, quód deſperabarur ipſam poſſe ſanari: ſed per diuinam clementiam ſtatim ſanara eſt ad ſepulcrum accedens. Vidit etiam ibi quendam furioſum ſanari. Ancherius Monachus & Preſbyter iuratus dixit de miraculis ſactis in ordinatione idem quod Abbas. De muliere quæ recuperauit ſanitatem manus, idém quod Guillelmus. Iacobus Monachus & Preſbyter iurarus dixit, quod quidam frater eius carnalis in ætate puerili conſtitutus ita enormiter læſus fuit in capite, quod oculus de proprio loco erutus in eius facie dependebat. Qui ad eius inſtantiam ad ſæpedictum tumulum deporratus, ſtatim ibi per diuinam clementiam ſanatus eſt, & abſque omni læſione oculus ad locum debitum eſt reuerſus. Hæc omnia vidit idem Monachus Iacobus circa fratrem ſuum. De alijs duobus miraculis factis in dedicarione idem quod alij vidit etiam ſæpedictus Iacobus quandam mulierem de longinquis partibus deportari, quæ longo tempore fuerat contracta, ſtatim viſo Monaſterio in quo requieſcit vir Ven. cui ſe in ſpe recuperandæ ſalutis deuouerat, curata eſt & omnino ſanata. Milo Laicus iuratus dixit de oculo eruto & recuperato idem quod Iacobus: de miraculis ſactis in dedicatione & de muliere quæ tremorem capitis & brachij patiebatur idem quod Abbas & alij. Bartholamæus Monachus & Presbyter iuratus dixit de duobus miraculis factis in dedicatione & muliere percuſſa in manu idem quod alij. Hugo Preſbyter & Monachus iuratus dixit quod vidit quendam ciuem Metenſem cæcum venientem cauſa deuotionis & ſpe recuperandi viſus ad ſæpedictum ſepulchrum. Qui veniens viſum recuperauit & vidit ſquammas ab oculis eius mirabiliter defluentes. Qui ciuis inde ad S. Iacobum proficiſcens hoſpitatus eſt in itinere in domo cuiuſdam mulieris quæ contracta iacebat in lecto; ſed ad conſilium illius ciuis ad ſepulchrum viri Ven. ſe deportari faciens eſt ſeruata Guillelmus Monachus & Preſbyter iuratus dixit, quod vidit quondam Clericum, qui longo tempore contractus fuerat, ad idem ſepulchrum ſanari & de duabus mulieribus in Dedicatione idem quod alij. Liecelinus Monachus & Preſbyter iuratus dixit de duobus miraculis in dedicatione idem quod alij. Martinus vocatus dixit quod alij. Haymo Monachus & Sacerdos iuratus dixit quod vidit quendam furioſum ibi ſanari. Magiſter Simon Presbyter iuratus adiecit quod quidam Laicus apud Moliſmum luderet conuicijs in Ven. Patrem & in eius miracula blaſphemias proferebat: qui inde recedens ſequenti die intra fines eiuſdem villæ à duobus militibus eſt occiſus. Huc etiam dicit Iacobus ſe vidiſſe. Vidit præterea quendam Laicum qui contractus fuerat per vndecim annos ad ſæpedictum ſepulchrum ſanari. Fulco & Iacobus Monachi & Sacerdotes iurati dixerunt, quòd cùm quadam die eſſent iuxta tumulum ſupradictum, & ipſi viro Ven. reuerentiam exhiberent capita inclinando, quidam Monachus aſtitit cum ijſdem in hæc verba ipſis præſentibus & audientibus contumelioſè prorumpens. Vt quid ei capita inclinatis? Sciatis pro certo quòd nunquam ſanctus fuit, immo quidam ruſticus multum deformis, ſepulcrum pede proprio percutiens hoc dicendo, ſtatim autem tumor arripuit pedem illum per totum corpus vniuerſaliter aſcendendo, ita quod intra quindenam illa infirmitate grauatus ſpiritum exhalauit. De furiuſis & febricitantibus ſanatis infinita multitudo clamabat coram nobis & ſe eſſe ſanatus firmiter aſſerebant. Ita quod communis opinio totius regionis in tantum inualuit circa iſta, quòd plurimum ipſum tenorem atteſtationum extollit, hæc noſtris temporibus accidiſſe dicuntur, ſicut ſuperius eſt expreſſum. A tempore autem obitus ipſius, cuius non conſtat memoria, infinita miracula referuntur. Ita quod tota vicinia ipſum jam reputet Sanctorum Catalogo meritis coæquatum. Cæterum vita ipſius ſanctitati veſtræ per nuncios Eccleſiæ Moliſmenſis porrigitur in ſcriptis, quæ ſatis oſtendunt ipſum multis meritis claruiſſe. At quæ audiuimus cum ſumma diligentia fideliter inquirentes Beatitudini veſtræ per ſcripta præſentia declaramus, vt veſtra ſancta Paternitas videat, quid in talibus ſit agendum.

IV.

Confirmatio Honorii Papæ.

Honorivs Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs Abbati & Conuentui Moliſmenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm olim nobis per

litteras & nuncios veſtros ſupplicaſſetis inſtantet adjuti teſtimonijs & interceſſionibus plurimorum in ſanctæ memoriæ B. ROBERTVM, cuius corpus in veſtra requieſcens Ecclesia multis & magnis miraculis coruſcabat, Sanctorum Catalogo adſcribere debemus: Nos ne in tanto negotio videremur vti aliqua leuitate, tam de vita ipſius quàm de miraculis per Ven. Fratres noſtros Lingonenſem & Valentinenſem Epiſcopos mandauimus inquiri, cùm ad hæc vt aliquis habeatur Sanctus in Ecclesia Militanti, neceſſe ſit, vt & veræ fidei, quæ per dilectionem operatur, ſana merita cum perſeuerantia finali procedant, & clara miracula ſubſequantur, nec alia ſine alijs plenè ſufficiant ad indicium ſanctitatis, eò quòd nonnulli faciunt opera ſua, vt videantur ab hominibus, & nonnunquam Angelus ſathanæ ſe in lucis Angelum transfigurans hominibus frequenter illudit, ſicut de magis, legitur Pharaonis: Cùm itaque inquiſitores prædicti nobis ſuper his plenè reſcripſerint veritatem, quia licet nobis quædam miracula quæ poſt mortem fecerat, intimarint, de his tamen quæ in vita feciſſe dicitur, fidem plenariam non fecerunt: Nos ne precibus veſtris videremur omnino deeſſe, Concedimus vobis, vt eum tanquam SANCTVM in veſtra Ecclesia venerantes, eius apud Dominum ſuffragia fiducialiter imploretis. Datum Laterani ſexto Idus Ianuarij Pontificatus noſtri anno ſexto.

De his pauca hæc Odolricus Raynaldus ad ann. 1222. num. 49.

Ineunte anno Abbati & Conuentui Moliſmenſibus permiſerat, vt B. ROBERTVM, cuius reliquiarum opera, quæ apud ipſos quieſcebant, res miræ patrabantur, ſolemni in eadem Eccleſia ritu ceremonijſque colerent.

DE MIRACVLIS
B. VIRGINIS MARIÆ,
AVCTORE GAVTERIO MONACHO CLVNIACENSI.

Ex duobus Codicibus MSS.

FRatri Venerando & in Chriſti viſceribus plurimum complectendo Sancti Venantij Monacho Gauterius Cluniacenſis Monachus vſque ad finem pondus diei & æſtus conſtanter portare. Petitionis veſtræ, noſtræque promiſſionis non immemor, miracula ſanctiſſimæ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ quæ coram vobis retuli ad ædificationem legentium litteris mandaui, non præſumptionis causâ, ſed vt ſimplices quique hęc ſimplici ſtilo conſcripta facile intelligant, & per ea ad ſupra dictæ & ſemper dicendæ Virginis Mariæ venerationem commoueantur, & ne quis iſta velut vana & friuola reiiciendi putet, ſcias me nequaquam oculis proprijs hæc aſpexiſſe, ſed ab vno Venerabili Goffrido Carnotenſi Epiſcopo, & Apoſtolicæ ſedis Legato in conuentu nobilium perſonarum referente cognoſſe. Nunc ergo, quæ ad laudem Glorioſæ Dei Matris audiuimus, tibi & cæteris tibi ſimilibus in Chriſto paruulis, qualium eſt regnum cœlorum, notificabimus.

I.

In Galliis vico, qui dicitur Dormientium, habetur imago Matris Domini tanta venuſtate, & formoſitate depicta, vt ſupra nihil. Ad hanc videndam & venerandam ex diuerſis prouinciis fideles quique veniunt, vota ſoluentes, & auxilium illius implorantes. Mater vero totius miſericordiæ ſe adeſſe miraculis frequentibus probat, ex quibus pauca, quæ ad nos venerunt, referemus. Cùm diuina prouidentia anno ab Incarnatione Domini 1133 peccatis noſtris exigentibus ad correctionem multorum ſacro igne quorundam corpora depaſci permitteret, ſupra dicta Eccleſia tanta diuinæ largitatis gratia redundabat, vt quicunque patiens hanc infirmitatem coràm Beatæ Virginis vultu adueniret, ſtatim ſuperna gratia viſitatus ardoris ſui refrigerium ſentiret: ea propter & languentibus Eccleſia illa replebatur, vt vix in ea

conſiſtere poſſet aduenientium turba. Accidit autem vt cuiuſdam ruſtici ad ius Eccleſiæ pertinentis vxor ſatis apud ſuos habens honeſtatis, pauenda & horribili vltione in ipſo vultu percuteretur. Adducitur ad communem ſalutis portum, & in ſupradictam Eccleſiam manibus filiorum & parentum introducitur: Coram ſanctiſſimæ Virginis imagine gemebunda proſternitur, & multis lachrymis & ſuſpiriis Matrem miſericordiæ euocat, & vt ſui miſereatur flebilis & miſeranda deprecatur. Conuentus Virginum ſacrarum in eadem Eccleſia Reginæ Virginum ſeruientium accurrunt, & pro deuota ſibi ſupplicant ancilla, quam miſerabili languoris genere teneri conſpiciunt, peruigilem ducunt noctem pſalmis & orationibus cum lachrymis & cordis contritione Dei miſericordiam, & B. Virginis auxilium inuocantes: fit inaudita rerum mutatio, miſericordia obduratur, quaſi preces virginis reſpuuntur, nec ad vllum perducuntur effectum: manet infœlix mulier, & adhuc expectat Matrem miſericordiæ, vt ſui miſereatur, furit iterum infirmitas & totum vultum mulieris occupat, fœtor inuiſus ab infœlicis facie conſurgit, omnemque replet Eccleſiam. Tædio laboréque grauatus recedit maritus, filij filiaque illius vigiliis, fœtore, deprecatione laſſantur. Mulier inuelata faciem indecoram, impudenter coram populo erigit, & iam ipſa deſperata poſt 13. dierum expectationem ante imaginem Virginis proſternitur, & lachrymis ſuffuſa, miſeranda facie huiuſmodi verbis quaſi præſentem Dei Matrem compellat. O Domina, inquit, quam totius miſericordiæ Matrem & pietatis fontem, & portum credidi miſerorum, video te mihi in crudelem verſam, & fruſtra tuam expectare miſericordiam. Omnes alienigenas huc aduenientes, & vndique concurrentes priſtinæ ſanitati reſtituis, me autem quæ propria ancilla tua ſum, deſpicis, nec vllum inuenio conſilium à te mihi collatum. Recedam ergo ab Eccleſia tua, nec faciam cœteris amplius fœtorem, aut terrorem meæ inauditæ deformitatis. Hæc dicens mulier ab Eccleſia egreditur & omni collachrymanti turba ſpectantum voces miſerandas & lachrymoſa ſuſpiria trahens pedetentim, vt poterat, egreditur à toto vico meante, & ſtupente omni populo, fit terrori mulier omni occurrenti, non enim vultum præferebat hominis, ſed informis monſtri imaginem protendebat. Carebat omni naſo, cum labio inferiori, vtriſque genis infirmitatis violentia coniunctis, & iam ab oculis profluente multitudine concremati ſanguinis, tandem incumbente iam die fatigata nimis infœlix mulier ad domum cuiuſdam peruenit ruſtici, hoſpitiumque ab illo quæſiuit, qui miſericordia motus in parte ſecretiori domus ſuæ lectulum in ſtramine illi compoſuit & ad quieſcendum in eo mulierem collocauit: monuit illam, vt aliquantulum cibi ſumeret, & illa non acquieuit: tenebreſcente autem nocte mulier præ tędio, & labore viſa eſt obdormiſſe, & in eodem ſomno videt B. Virginem Dei & Domini Matrem cum conſueta claritate aſſiſtere, ſibique comminari, ſeque increpantem, cur ab Eccleſia receſſiſſet, illa autem pedibus eius prouoluta miſericordiam precabatur: Beata itaque Dei Genitrix manu propria mulierem erigit & coram ſe ſtare præcipit: manu benigna vultum attrectat, & omni effugato dolore priſtinæ eam ſanitati ſub momento reſtituit, ita vt nec etiam cicatrix aut ſignum aliquod vulneris alicuius remaneret, benedictáque muliere, viſio glorioſa diſparuit. Illa ad ſemetipſam reuerſa ſanitatis ſuæ incerta viſionem ſuam ad memoriam reducit, vultum ſuauiter manu tangit, integram faciem inuenit, & prorſus fugatum langorem: certa facta de miraculo mulier voces laudis & confeſſionis emittens, clamore valido totam ſui hoſpitij turbat familiam, accenduntur luminaria plurima, accurrunt vicini, vident fulgenti facie ſedere, quam paulo ante viderant horribili deformitate fœtere, Interrogant quomodo factum ſit, narrat mulier viſionem quam viderat, per quam ſanata fuerat. Reducitur ad Eccleſiam mulier, & coram imagine Sanctiſſimæ Dei Genitricis proſternitur, curatrici ſuæ flexis genibus & eiulans gratias refert, admirante & congaudente populo, & in Virginis B. laudes acclamante: videres ibi populum certatim concurrentem ad mulieris oſculandam faciem, quam Mater Domini propria manu formauerat. Tradidit autem ſeipſam mulier in perpetuam ancillam eidem Eccleſiæ ad laudem & gloriam nominis IESV-CHRISTI, qui cum Patre &c.

II.

Alio autem tempore in eodem vico manebat quidam plebeiæ multitudinis vir, qui vxore propria derelicta, quandam puellam deuirginauerat, quam loco pellicis

in proprios vſus tenebat; mulier autem illius grauiter & iniquo animo huiuſmodi disjunctionem ferens quotidie coram B. Virgine proſternebatur clamorem faciens de muliercula illa. Dicebat autem hæc verba quotidie: Sancta Maria Mater Domini fac mihi iuſtitiam de meretrice illa, quæ mihi virum meum incantationibus aufert. Peccatrix autem mulier quotidie procedebat ad Eccleſiam & ante imaginem Matris Domini hæc proferebat, Aue Maria, &c. Illa clamabat, hæc ſalutabat, donec ſic agendo annum peregerunt: illuceſcente autem die Dominicæ Reſurrectionis apparuit Deigenitrix, & ſemper Virgo Maria mulieri quæ clamorem faciebat, & dixit ei; Mulier, quære alium qui tibi iuſtitiam faciat de muliercula illa, quia ego nullo modo facere poſſum eam tibi: illa vero, vt ſibi videbatur, reſpondebat illi dicens, O Domina, quæ poteſtatem obtines ſuper omnes cœlorum virtutes, & quæ mundanam ſuperbiam ſemper, cùm tibi placuerit, humilias, nec non Dæmonum crudelitatem poteſtate comprimis, quomodo dicis Domina te mihi non poſſe iuſtitiam facere de miſera muliercula, quæ peccat in filium tuum & in te auferendo mihi maritum meum? Ad hæc mulieris verba reſpondit Regina Virginum dicens. Verum dicis mulier, quia mihi data eſt poteſtas omnium, quæ in cœlo ſunt, & in terra, & in dæmones facio iuſtitiam; ſed peccatrix illa quotidie mihi reducit in memoriam gaudium maius quod vnquam babui in præſenti ſæculo, proferens mihi ſalutationem Angelicam, quæ fuit gaudium reſtaurationis humani generis, & ideo non poſſum pati vt aliquod infortunium illi contingat, hæc dicens viſio adſtantis, & colloquentis diſparuit. Mulier vero cùm mane ſurrexiſſet recolens viſionem quam viderat ad Eccleſiam quidem proceſſit: Sed coram Beatæ Domini Genitricis imagine intimè ſe præſentauit, nec ſolitum clamorem apud eam fecit: æſtimabat enim ſe per incantationem eſſe deluſam & malitia ſupradictæ pellicis Dei Matrem, quod dictu quoque nefas eſt, ad hæc dicenda contractam. Manſit autem diu in Eccleſia ſtupens, & neſciens quò ſe verteret, vel quid agere deberet, poſt hæc egreditur ab Eccleſia, & in porta habet obuiam illam de qua loquimur pelliceam, in cuius aſpectu commota mulier, velut amens exclamat, O infelix mulier cur tu hanc Eccleſiam præſumis ingredi, quę mihi legitimum tuliſti maritum, & ipſam Dei matrem præcantationibus tuis adeo ſeduxiſti, vt mihi dixerit hac nocte hic ſalutationibus tuis delectari, vt de te nullam poſſit facere vindictam. Peccatrix autem mulier coram multitudine virorum ac mulierum ſic prouocata, nihil mali procaci reſpondit mulieri, ſed tantùm in turba declinare eam volens, in medio populi ſeſe ingerebat: At contra mulier alia pœne furibunda, & vix ab ea continens manus vociferans inſequebatur eam populo contra renitente: turbati Preſbyteri, & Clerici accurrunt, cauſas clamoris inquirunt, refert mulier omnia ſicut narrauimus & viſionem quam viderat ſicut eam ſupra retulimus: inquirunt Clerici à peccatrice cuiuſmodi ſalutationem B. Virgini proferret? refert illa, agnoſcunt ſalutationem Angelicam quam Gabriel Archangelus ei protulit, cùm Dominum ex ea naſciturum prædixit, vbi verò peccatrix mulier ſe exauditam comperit, ante ſupradictam imaginem genua flectens audiente populo perpetuam continentiam deuouit, ſeque Sanctimonialem fieri poſtulauit, quod conſecuta cellulam iuxta eandem Eccleſiam ædificans, in ea ſe concluſit, & in eodem propoſito permanſit vſque ad tumulum fideliter.

III.

Accidit autem vt quædam pauper mulier cum paruulo filio quem in vlnis ferebat ſola ſupradictam Eccleſiam ingrederetur, nemine in Eccleſia conſiſtente, quod vbi mulier conſpexit coram Dei Genitricis Imagine genua ponens orationem propriam cœpit dicere, & vt ſibi dignaretur adeſſe, ſupplex orare, furte paruulus quem mulier in brachiis tenebat fruſtum panis dentibus adhuc infirmis ruminabat qui intuens puerum quem B. V. in manibus tenebat partem panis ſui fregit & Imagini filij Virginis porrexit balbutiendo dicens, infans comede, quod dum ſæpius iteraret, & pueri ſimilitudo vt pote inſenſibilis minime reſponderet, cœpit infans mulieris flere quia videbat alium puerum de pane ſicco nolle comedere. Nunquam obliuiſcenda clementia ſaluatoris! Imago pueri illius per virtutem S. Spiritus locuta dixit puero flenti, vſque tertiam diem tecum epulabor. Stupefacta mulier, quæ filium tenebat in vlnis, cum audiuiſſet Imaginem loquentem ad filium exclamauit præ timore; *Sanctimoniales mox aduenientes* cauſam clamoris inquirunt, narrat

narrat mulier tremens quomodo pueri ſanctiſſimi Imago locuta ſit ad filium ſuum, & quid ei dixerit. Audito miraculo tanto, accurrunt omnes tam Clerici, quàm Laici, dantque conſilium vt infans retineatur in Eccleſia vſque in tertiam diem, vt viderent quid ei accideret, quod cum placuiſſet omnibus, mater cum puero in Eccleſia manſit vſque in diem tertium. Tertia autem die facies pueri vltra ſolitum reſplenduit, & in ipſo ſplendore ſine anguſtia ſpiritum exhalauit, compleuitque ei dominus quod promiſerat, dans ei panem Angelorum, quo nutriuntur omnes ordines cœleſtium virtutum; corpuſculum autem Sancti pueri intra eandem Eccleſiam ſepelierunt ad laudem & gloriam Domini Ieſu-Chriſti, &c.

IV.

In quodam Monaſterio erat Imago Virginis ſupradictæ ſatis honeſtè depicta: in eodem autem Monaſterio erat quidam Monachus, qui iacebat in Eccleſia curam habens horarum ſonandarum. Qui Sacroſanctæ cum vitiis deſeruiret plurimis; carnis fluxui deditus, quaque nocte Monaſterium egreſſus cum meretrice, quam propriam tenebat, dum alij dormirent, illicito concubitu defluebat abominabilis Deo & hominibus: dum itaque antiquus ſic eum deluderet, hoſtis & nullum ſui criminis haberet conſcium, pia Domini Mater huiuſinodi miraculum manifeſtauit ſuper illum. Erat iuxta ſupradictam Eccleſiam ſtagnum, per quod in parua nauicula quaque nocte tranſibat ad domum infœlicis muliercula Monachus infelicior, cum autem illuc pergere vellet, obſeratis vndique portis & ante Imaginem B. Virginis tranſiens veniam coram ea petebat, animam & corpus in eius ponens cuſtodia, & ſic per quoddam egrediebatur oſtiolum. Accidit autem vt nocte quadam cùm ad opus nefarium properaret, petita venia coram imagine, vt nauicula ſubmergeretur in ſtagno, & infœlix Monachus aquis immerſus ſuffocaretur. Affuit illico dæmonum turba infœlicem trahens animam ad tormentorum loca, quibus occurrens B. Dei Genitrix eripuit miſeram animam de pœnis illorum, dicens: O miſeri nec miſerandi! vt quid præſumpſiſtis inuadere animam Monachi huius, qui licet ad peccandum pergeret, ſub mea tamen cuſtodia ſe poſuit. Audientes hæc dæmones exclamant: Iudicemur ante Dominum: Cumque coram Deo veniſſent, ait Mater miſericordiæ: Animam hanc Chariſſime fili! ſub mea poſitam cuſtodia inuaſerunt dæmones, & niſi citius occurriſſem, ad ſua ſecum tormenta pertraxiſſent. Cumque iudicium veſtrum quæſiſſem, ecce coram vobis aſſiſtens oro, vt reuocetur ad corpus ſuum, & deinceps viuat vt Monachus, nec illuſionibus & deceptionibus dæmonum amplius acquieſcat, ne deterius in fine illi contingat. Benigniſſimus autẽ Iudex ait Matri ſuæ: Quomodo non licet, Mater veneranda, me tibi aliquid negare, ſicut petiſti, redeat Monachus ad ordinem ſuũ, & agat pœnitentiam, ne grauiùs in die vltima iudicetur; ſic anima dimiſſa à ſuperis ad ſeculum reuerſa eſt. Dum hæc circa animam ſic aguntur, nox tranſierat, Monachique Fratrem defunctum eſſe neſcientes quærebant nec inuenire poterant. Cum vero circa ſtagnum quidam illorum deambularent, viderunt eum ex aquæ profundo ſurgere, & ad littus natando venire conantem. Quod cum vidiſſent, intrantes in nauiculam perrexerunt ei obuiam, & cum foras eduxerunt. Ille verò curſu concito peruenit ad Eccleſiam vociferando dicens, conuenite huc ad me qui Dominum timetis, & Matrem Miſericordiæ veneramini. Currens itaque peruenit coram imagine Genitricis Dei, & cadens in faciẽ ſuam cum multis lachrymis & gemitu valido ſe peccaſſe, ſe reum eſſe. Aderat turba mirantium, tam Monachorum, quàm laicorum, & quid hæc ſibi vellent penitus neſcientium. Poſt longa autem ſuſpiria tandem Monachus ab oratione ſurgens impetrato ſilentio omnia manifeſtat, ſicut ſupra expoſuimus, & quomodo per miſericordiæ matrem è diaboli faucibus abſtractus & ſaluti ſuæ reſtitutus. Videres populum piè collachrymari & compatiendo pectora tundere, cordibuſque ac vocibus glorioſam collaudare. Ecce quæ de B. Maria audiuimus prout potuimus litteris mãdauimus: veniant itaque ad eam pœnitentes cum interno gemitu rea pectora tundentes, ſine dubio, ſi verè pœniteant meritis huius Sanctiſſimæ Virginis recuperaturi gratiam benigniſſimi Filij & D. N. I. C. qui viuit, &c.

V.

Precioſi Confeſſoris B. Martini Turonenſis Archiep. quoddam memoria dignum opus referre cupientes monemus legentes, ſi qui forte legere voluerint, vt adhibeant fidem dictis: quoniam, ſicut ſcriptura teſtatur, ſi non credideritis, non intelligetis.

Archiepiſcopus ſiquidem Dominus Vgo qui temporibus Gregorij Romanæ ſedis

Summi Pontificis, & Ludouici Francorum Regis ſupradictam ſedem regebat, hoc quod ſcribimus miraculum ſuo teſtimonio verum fuiſſe confirmat. Conſuetudo ſiquidem eſt in Eccleſia Turonenſi, vt quando dies feſtus celebratur de tranſlatione corporis B. Martini nocte illa, quę diem præcedit, nemo in Eccleſia illa permittatur remanere ante galli cantum, quoniam, vt plurimi affirmant, B. Martinus cum alijs ſuis Confeſſoribus in eadem Eccleſia officium nocturnale celebrare perhibetur. Accidit autem vt quidam Eccleſiæ ipſius Canonicus, anno ab Incarn. Domini 1141. à cuſtodibus & æditiuis multis precibus impetrauerit, quatenus cum populus poſt completorium ab oratorio expelleretur, accenſis luminaribus & cereis ſolus in Eccleſia pernoctare permitteretur: hic autem de quo loquimur Canonicus à pueritia iuſtus in eadem Eccleſia honeſtam & ſine querela vitam duxerat, cùm verò iam decrepitæ eſſet ætatis omnia quæcunque habere potuit in Eccleſia B. Martini diſtribuit, & cum iam nihil penitus haberet, mortemque ſibi ſentiret adeſſe præſentem, vt iam præmiſimus, vigilia tranſlationis B. Martini, populo cum clero recedente, in ſupradicta remanſit Eccleſia, cúmque cœleſtes ante B. Martini corpus ageret excubias, ecce S. Martinus Pontificalibus exornatus inſignibus, cum tribus alijs Epiſcopis chorum ingreditur & coram altari breui completa oratione ipſe quidem in ſede Pontificali; aliorum vero trium vnus iuxta ipſum, duo autem in alia parte chori reſederunt, hoc Canonicus, qui intra duos latebat Cherindros aſpiciens gaudio metuque turbatus in oratione proſternitur, & lachrymis ora ſuffuſus cœleſtes viros tota mentis intentione contemplatur: cùm interim quatuor alios Pontifices videt eadem, qua venerant alij, via venire, vnumque illorum altiorem, & comptiorem cæteris renitere, vt mox ipſi orationem, ſicut alij compleuerunt, in ſuis ſedibus iuxta alios conſederunt. Ille autem quem longiorem cæteris apparuiſſe diximus, coram B. Martino aſſiſtens, hic ait ſciat Paternitas veſtra Domine, quendam clericum intra Baſilicam iſtam latere, noſque intueri attentè, cui Sanctus: permittite, inquit, eum ibi manere, quia bona intentione huc aduenit. Clericus hæc audiens alacrior in contemplatione perſiſtere cœpit, cùm ſubito chorum intrare vidit præſulem veneranda ſpecie, barba ſubrufa, parum habentem caluitij, ornatu aureo, fulgenti facie, quem ſequebantur fere centum Pontifices inſignibus Epiſcopalibus renitentes, qui omnes ſicut alij facta oratione in choro conſederunt. Ille autem rufus coram Beato veniens Martino humiliter ſuggeſſit ei, non eſt inquiens Domine dignum, vt Clericus ille noſtro interſit officio, quia necdum noſtram ſocietatem impetrauit à Domino. Poſt hæc ſanctus Martinus ſurgens venit ad locum, vbi ſe Clericus latere credebat, & manu apprehendens eum, & leuans à terra dixit ei, quoniam Fratres, & Coepiſcopi noſtri nolunt te intereſſe huic noſtro conuentui, egredere frater, & deforis audies nocturnale noſtrum officium; Canonicus verò, inquit, cùm omnes huius Eccleſiæ portæ clauſæ ſint & obſeratę, quomodo poſſum exire, ſanctiſſime pater, niſi tu mihi copiam pręſtiteris abeundi: Tunc B. Martinus manu eum tenens duxit ſecum vſq; ad maiores Eccleſię fores, & eas ſine claui aperiens præcepit vt exiret. Clericus autem ad pedes illius corruens cum lachrymis, vt ſui memoriam haberet, obteſtatur, & veniam peccatorum à benigno ſaluatore ei acquirat. Sanctus ergo Pontifex finem dierum prædicit illi imminere, & vt ſe præparet ad tranſeundum ex hoc mundo præcipit. Spem veniæ in Saluatoris clementia ſibi poſitam, nihil de ſalute deſperandum Chriſtum credentibus, & amantibus. Poſthęc iterum Clericus in genua procumbens. B. Virum obſecrat, quatenus ei nomen & meritum indicet Pontificis quem longiorem inter ſecundos quatuor apparuiſſe diximus. Qui B. Viro primus latentem Clericũ oſtendit. Reuerendus ille Epiſcopus de quo interrogas ſanctus Eunertus Aurelianenſis quondam Epiſcopus eſt tanti apud Deum meriti, vt quandiu pręſens ſeculum durauerit, omni die animam vnam à loco pœnarum Deus ob illius gratiam liberat. Subſecutus etiam Clericus, quoniam, inquit, ſemel ad Dominum meum cœpi loqui, quæſo vt aperias quis iſte rufus, quem turba Pontificum ſequebatur maxima, qui etiam de me perſuaſit, vt foris expelleret. Ille, inquit, de quo quæris, Beatus eſt Nicolaus Mirreorum Archiepiſcopus, qui ad feſtiuitatem noſtram cum Coepiſcopis ſuis Græcis, ſua gratia aduenire dignatus eſt, hæc dicens Sanctus Martinus Clericum foras de Eccleſia miſit, & ad alios in choro remeauit. Clericus vero foris poſitus in terram ſe proiecit, & ſanctiſſimum conuentum illum Matutinas celebrantem audiuit. Mox autem vt gallus cecinit æditui adfuerunt Eccleſiæ oſtia ſanctæ illius domus aperientes, clericumque quem intus dimiſerant foras

inuenientes reſpiciunt ianuas obſeratas ſicut clauſerant, quærunt quomodo factum ſit, exponit ille eum multis lachrymis, quæ viderat, quæque audierat, vt ſupra retulimus : ſtupent omnes qui audiunt ſuper tam mirabili facto, & Dominum mirabilem in ſanctis ſuis cordibus, & vocibus pariter collaudant, poſtquàm verò ad horam ventum eſt qua maioris miſſæ ſolemnia celebrari debent, aduenit Dominus Archiepiſcopus Hugo Carnotenſis miſſam cantaturus; ſicut mos eſt Eccleſiæ, coram eo, & coram omni populo aduenit Clericus, qui rem geſtam vt diximus retulit & præcepto Archiepiſcopi Sacramento facto ſupra B. Martini corpus, ſicut dixerat, verum fuiſſe confirmauit. Octaua vero die ſupradictus Clericus poſt perceptionem Sacroſancti corporis D. N. I. C. vt B. Martinus prædixerat, fœliciter obijt.

CHARTA SEV MEMORIALE

PRIVILEGII ODONIS MAIORIS DE CHALO prope Stampas, conceſſi à Rege Philippo primo.

Ex veteri membrana quam mihi commodauit V. C. Antonius de Vyon D. d'Herouual, atque ex Regiſtro 97. Regij Chartophylacij num. 17.

NOrum fieri volumus vniuerſis tam præſentibus quàm futuris, quòd Odo Major de Chalo, nutu diuino, conceſſu Philippi Franciæ Regis, cuius famulus erat, ad ſepulcrum Domini perrexit, qui Anſoldum filium ſuum, & quinque filias ſuas in manu & cuſtodiâ ipſius Regis dimiſit, & ipſe Rex pueros illos in manu & cuſtodia recepit & retinuit. Conceſſit quoque Anſoldo & quinque præfatis ſororibus ſuis Odonis filiabus, pro Dei amore, & ſola caritatis gratia & ſancti Sepulchri reuerentia, quòd ſi heredes maſculi ex ipſis exiſtentes fœminas iugo ſeruitutis Regis detentas matrimonio duxerint, liberabat, & à vinculo ſeruitutis abſoluebat. Si verò ſerui Regis fœminas de genere heredum Odonis maritali lege duxiſſent, ipſæ cum hæredibus ſuis de ſeruitute Regis eſſent. Rex autem heredibus Odonis & eorum heredibus majoriam ſuam de Chalo & homines ſuos cuſtodiendos in feodo conceſſit: ita quòd pro nullo famulorum Regis, niſi pro ſolo Rege iuſtitiam facerent, & quòd in tota terra Regis nullam conſuetudinem darent. Rex verò tunc temporis præcepit famulis ſuis de Stampis, vt cuſtodirent Chalo cameram ſuam, quia Chalo debet cuſtodire Stampas, & earum curam ſeruandarum vigilanter habere. Et vt hæc libertas, & vt hoc pactum firma & inconuulſa permaneant, memoriale iſtud inde fieri, & nominis ſui charactere & ſigillo ſignari, & præſente propria manu ſua, Cruce ſancta corroborari præcepit, aſtantibus de palatio eius, quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. S. Hugonis tunc temporis Dapiferi, S. Guaſtionis de Piſeiaco Conſtabularij. S. Pagani Aurelianenſis Buticularij. S. Guidonis fratris Gualeranni Camerarij. Actum Stampis menſe Martij, in palatio, anno ab Incarnatione milleſimo quater-vigeſimo quinto: anno verò regni eius vigeſimo quinto. Interfuerunt præfatæ libertati in teſtimonio veritatis Anſelmus filius Aremberti, Arnulfus Bonumlatus, Geſinerus Sacerdos de Chalo, Geraldus Decanus, Petrus filius Erardi, & Haymo filius eius. Ego frater Andreas B. Maglorij Pariſius humilis Abbas teſtificor me vidiſſe priuilegium illuſtriſſimi Regis Philippi, & verbo ad verbum legiſſe, prout continetur in præſenti ſcripto. Ego Frater Aſcelinus S. Victoris Pariſienſis Abbas, &c. Ego Frater Theobaldus S. Genouefæ Pariſius humilis Abbas teſtificor idem, &c.

Priuilegium illud ſuis ſubſcriptionibus firmarunt Philippus VI. Luparæ prope Lutetiam Pariſiorum anno 1336. menſe Decembri. Ioannes apud Caſtrum-nouum ſuper Ligerim 1350. menſe Nouembri: Carolus V. 1366. regni 3. menſe Aprili, Carolus VI. 1394. regni 14. Carolus VII. 1436. regni 14. Ludouicus XI. 1461. menſe Ianuarij regni primo qui erat 1462. more Romano: Carolus VIII. Blæſis 1483. regni primo menſe Octobri, &c.

DE S. BABOLENO FOSSATENSI, EIVSQVE VARIIS TRANSLATIONIBVS.

Ex Archiuis Eccleſiæ Foſſatenſis hæc tranſcripſit Iacobus du Bois Canonicus 4. Octobris, anno 1602. cum Catalogo Abbatum & Decanorum.

POſtquam clementis Dei intuitu egregius Chriſti Confeſſor Babolenus, in cuius nomine proximum altare conſecratum eſt, ex hac inſtabili luce ad cœlos emigrauit, & corpus eius ſanctiſſimum dignè, vt decebat, ſecus hanc Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam ipſe conſtruxerat, humo commendatum fuit, paulatim paries, cui inhærebat, de die in diem virtute diuinâ ſe aperire cœpit, & hunc ſarcophagum lapidem, in quo ſanctus vir iacebat, viſus eſt intra ſe recludere. Deuoluto ergo non multi temporis ſpatio, & Eccleſiæ pariete, ita vt numquam lapillus inde ceciderit, diuinitùs perforato, ſancti viri corpus infra eandem hanc Eccleſiam pertranſiuit iuxta aram Dei Genitricis Mariæ hic oppoſitam foramine iugiter manente in pariete. Inde eſt ergo leuatum corpus eius poſt annos multos pro ſtudio Monachorum hîc Deo famulantium, atque in altera Baſilica, quæ elegantiori opere à Religioſo Abbate huius Monaſterij XVIII. nomine Benedicto conſtructa, & à S. Aldrico Senonenſi Archiepiſcopo fuerat conſecrata. Sed cum immunditiâ pollueretur ſancti Baboleni ſarcophagus, in hac capellâ B. Virginis Mariæ ſuper geminas duorum altitudine cubitorum columnas lapideas retro altare poſitus, gypsóque decenter adopertus. Hic, vbi vides, eſt relictus: in pariete quoque, qui ad caput fuit tumuli eius, lapis inuentus eſt, inſertas in ſe litteras de certificatione videlicet dici tranſitus ipſius, quæ eſt ſexto Kalendas Iulij, continens pariter & nomen Sancti. Ad probationem autem ſanctitatis viri, in hac Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, qua idem glorioſus Chriſti Confeſſor ſepultus quieuit, oleum multis diebus per plurima annorum curricula de lapide eius ſancti Mauſolei manauit, quo infirmi variis languoribus oppreſſi, poſtquam erant liniti, reddebantur continuo priſtinæ ſanitati. Ab eo itaque tempore dies tranſlationis ſancti viri in alteram Baſilicam ſemper celebratus fuit ſuo die, ideſt ſeptimo Idus Decembris, quemadmodum ex vetuſtiſſimis Kalendariis huius Eccleſiæ cognoſcitur. Vixit B. Babolenus primus Abbas huius Monaſterij ſub Clodoueo II. & mortuus ſub Theodorico fratre Childerici, inde tranſlatus, anno 989. VII. Idus Decembris.

ELOGIA ALIQVOT EPISCOPORVM Lingonenſium & vnius Abbatis S. Benigni.

Ex veteri Martyrologio Eccleſiæ S. Benigni Diuionenſis.

DEpoſitio domni ISAAC Lingonicæ vrbis Epiſcopi. Hic mirandæ ſanctitatis refulgens gratia, & ſequacibus ſuis vitæ factus eſt forma, & auctoritate fultus Regia commiſſum ſibi à Deo Epiſcopatum ſapienti dilatauit induſtria, nonnulláque in eo Sanctorum extruxit loca. Inter quæ & hoc Diuionenſe Monaſterium olim quidem refertum religioſorum caterua Monachorum; ſed tunc infeſta paganorum vaſtatione deſtructum, in qualem valuit, non verò ſicut voluit, hora mortis dies eius terminante, reformauit ſtatum. In cuius noua reædificatione adeo tota incubuit mentis deuotione, vt non ſolum terris, ſeu ornamentis Regali dono conceſſis ditaret; verum etiam Abbatem ſecundùm regulam S. P. Benedicti Monaſtico gregi ordinaret, ſepulturæque ſuæ locum ibidem deſtinaret. Qui feliciter 25. annis in Epiſcopali regimine tranſactis cum 15. Kalend. Auguſti

quieuiſſet in Chriſto Catalaunis, ſepultuſque fuiſſet Remis, permiſſione Regis Caroli, ſtudio quoque Præſidis Argrimi ſucceſſoris ſui, exinde aduectus eſt hic & reconditus, vt viuens præceperat 4. Nonas Februarij.

Depoſitio domni ARGRIMI Lingonicæ ſedis Epiſcopi, atque huius Eccleſię Monachi. Qui inter plurima quæ huic Monaſterio contulit beneficia hoc quoque ex ſuo ſuperaddidit, medietatem ſcilicet annualis mercati, quod eſt in feſtiuitate omnium Sanctorum, ad veſtimenta fratrum, quoniam alia medietas iam data fuerat S. Benigno largitione Karoli Regis, quando eidem donauerat Burgum pariter & diſtrictum. Adjecit præter hoc memoratus Pontifex Abbatiolam S. Ioannis ipſi loco contiguam cum omnibus appendicijs ſuis ad exceptionem hoſpitum. Primidum quoque villam cum Eccleſia & adjacente ſilua ad miniſtrandum hiberno tempore infirmis fratribus focum. Duarum quoque decimas & paratas Eccleſiarum in Aſiriaco & in Longonico conſiſtentium ob diem anniuerſarium depoſitionis ſui corporis ibidem quieſcentis, nec non & requie cunctorum Lingonenſis Eccleſiæ Præſulum eleemoſynario & ſolemni officio celebrandum.

Depoſitio domni WARNERII Epiſcopi, qui Lingonenſis Eccleſiæ Deo diſponente cum ſuſcepiſſet Pontificatum, ſic factus eſt imitator Patrum huius loci benefactorum vt omni quod vixit tempore liberalem ſe ei præbuerit pro ſuo poſſe. Denique Dei & S Benigni amore accenſus reddidit huic Monaſterio Saciacum villam cum Eccleſia, manſis quoque & mancipijs vtriuſque ſexus ad eam pertinentibus, aliáque 28. manſa præſenti loco adjacentia. Dedit & quandam ſui iuris Eccleſiam infra muros Diuionenſis caſtri in honore Beati Vincentij Martyris conſtructam, cum omni videlicet manſionum ipſius atrij integritate: interueniente Godrado Abbate, quatenus Monachis iſtius Cœnobij eſſet ad refugium, ſi quando hoſtilium deterreret aduentus nationum. Tradidit eis nihilominus & pratum Aſiriaci per manus Abbatis eorum Suanij ob ſepulturam videlicet corporis ſui, quod hic iuſſit ſepeliri, vt in anniuerſaria depoſitionis eius die fratres Deum pro eo deuotè ſupplicarent, & more ſolemni memoriam illius celebrarent.

Depoſitio domni BRVNONIS Epiſcopi Lingonicæ vrbis. Hic poſtquam diuina fauente gratia & vnanimi omnium laudante concordia Epiſcopali ſublimatus eſt in Cathedra, ſic apparuit ſtrenuus in commiſſo ſibi regimine, vt nulli anteceſſorum prædictæ ſedis Antiſtitum fuerit ſecundus in paſtorali gubernatione. Namque cùm eſſet tam nobilitate generis quàm morum probitate inſignis, magis ſpem ſuam poſuit in virtute Dei, quàm in potentia ſæculari. Quapropter ita ſuperno promeruit corroborari auxilio, cooperante ſibi & adjuuante maximo Comitum Burgundiæ, Ottone Willelmo cognomine, pariterque religioſo Monachorum Abbate eodem nuncupato nomine, vt hanc Diuionenſem Abbatiam & interius in antiquum reformaret ſtatum ſecundùm regulam Sancti Benedicti, & exterius adjiceret plurimarum reddendo poſſeſſiones terrarum, quæ iniuſtè olim à quibuſdam pſeudopaſtoribus datæ fuerant ob pompaticam mundi gloriam. Verùm non hoc ſolummodo ſancto Benigno contulit beneficium, ſed etiam larga ſtudij munificentia mirifici operis eidem conſtruxit templum, perennauitque annualem cenſum & paratas Eccleſiarum. Præterea quod eſt ſuper omnia decentius ad oſtendendum paternæ dilectionis exemplum ſuis ſucceſſoribus per multos vitæ ſuæ annos quadrageſimale tempus, cum Diuionenſibus peregit fratribus materno affectu curam eorum agendo & cuncta propemodum victui neceſſaria de ſuo ſufficienter miniſtrando. Denique tantùm ſupradictum Monaſterium dilexit, vt ſepulturæ ſuæ locum inibi omnimodis deſtinaret. Cuius votum quamuis aduerſo caſu impediente nullomodo potuerit perduci ad effectum, tamen poſtquam deceſſit è mundo 60. ætatis ſuæ anno Epiſcopatus autem 36. pro animæ ipſius requie iam fatum Cœnobium 200. argenti librarum remuneratum eſt quantitate.

Depoſitio Domni ROBERTI Lingonenſis Epiſcopi. Hic celſa Regum Franciæ ac Ducum Burgundiæ ſtirpe genitus, poſtquam diuina fauente gratia Pontificatus ſuſcepit regimen, anteceſſorum ſuorum Pontificum qui hanc Eccleſiam materno ſemper coluerunt affectu, ita ſe ſtuduit conformare exemplo, eorúmque in ſe transferre animum, vt quoad vixit viuo ſemper amore, hunc lo-

cum dilexerit & liberalitate munifica donis ingentibus ampliare ſtuduerit. Denique Dei ſanctique Benigni amore ſuccenſus Abbatis quoque Iarentonis frequenti exhortatione commonitus dedit nobis Eccleſiam de Noiant, cum Capella eiuſdem caſtri & omnibus tam Eccleſiis quàm altaribus ad ipſas pertinentibus. Dedit etiam Eccleſiam de Claromonte, Eccleſiam de Magnomonte, Eccleſiam de Ycio, Eccleſiam de Caſuedo, Eccleſiam de Spanaco, Eccleſiam de Vareſo, Eccleſiam de S. Lupo, Eccleſiam de Germaniuillare, Eccleſiam de Reiniaco, Eccleſiam de Onco, & Eccleſiam Adelini curtis. Addidit præterea ingens erga hunc locum ſuæ beneuolentiæ documentum. Capella namque Vangionis-riui iuris erat Eccleſiæ Diuionenſis: ſed Clericis illam tenentibus; nullus inde veniebat profectus. Vnde frequenter à prædicto Iarentone Abbate ſuper hoc pulſatus precibus, Guidonis etiam eiuſdem caſtri nobiliſſimi Domini crebra exhortatione commonitus, Clericis inde remotis tradidit eandem Capellam Monachis, & omnia quæ ad ipſam pertinebant, Eccleſiam videlicet de Sariſiaco cum omnibus ad eam pertinentibus, dimidiam Capellam de Roecurte, & medietatem decimarum ipſius Eccleſiæ. De Maſnili decimam totam alterius Eccleſiæ de Hericurte, terram de Grimcurte, medietatem quoque decimarum de Columbeiaco, vbi ſunt duæ Eccleſiæ. Conſtituit etiam vt Eccleſias infra Diuionem poſitas S. Ioannis ſcilicet, & S. Philiberti liberiùs, & quietius poſſideremus, & ne Preſbyteri in eis cantaturi nonniſi ad nutum Abbatis vel Monachorum ſubrogarentur, vel remouerentur, ipſóſque Preſbyteros ab omni exactione Preſbyteri, Epiſcopi, vel Archidiaconi immunes eſſe decreuit. Præcepit etiam vt totum panis qui in eiſdem Eccleſiis offerretur, in refectorio fratribus apponeretur, vt dum ſæpius inde corpora reficerent, largitoris animam ipſi quoque ſuis precibus recrearent.

Depoſitio domni ODONIS Bajocenſis vrbis Epiſcopi. Huius anniuerſarium diem inter præcipuas benefactorum noſtrorum memorias meritò numeramus. Quippè qui deuotionem erga nos habitam & à ſuis progenitoribus traxit; & ipſis hanc fructu vberiore hæres non degener augmentauit. De ſtirpe ſiquidem Comitum Normanniæ extitit oriundus, qui hanc Diuionenſem Eccleſiam affectu vnico dilexerunt, eámque rebus & poſſeſſionibus plurimùm prouexerunt. Quorum iſte imitator effectus, ita eorum affectum ſuo tempore ſtuduit renouare, vt & ſua & illorum memoria apud nos ſemper noua merito debeat perdurare. Cuius deuotionis indicia vt ex parte tangamus cùm luce quadam Vrbanum Papam intra Gallias conſtitutum expeteret, Diuionem veniens à domno Iarentone, & fratribus huius loci tanta honorificentia exceptus eſt, vt ſibi nimis incompetens videretur, ſi non tanto eorum obſequio tali viciſſitudine reſponderet, per quam ſuum erga eos affectum perenni teſtimonio comprobaret. Vnde adhortante ſe Willelmo Bajocenſis Eccleſiæ Decano, paritérque Richardo Rotomagenſi Archidiacono, dedit S. Benigno Diuionenſis Eccleſiæ patrono per manum ſupra memorati Abbatis Monaſterium S. Vigoris extra vrbem Bajocenſem in monte Chriſmatis ſitum cum omnibus appendiciis ſuis, videlicet plenariam decimam totius villæ in qua Monaſterium ſitum eſt, tam in hominibus & territorio, quàm in cæteris redditibus. Dedit & burgenſes quatuor, duos in Campofloride, & duos ad Pontem Olberti cum terra & conſuetudinibus eorum. Dedit & plenariam decimam de villa nomine Tur cum terra Preſbyteri, Eccleſiam de Olferes, Eccleſiam de Cruſſeio, Eccleſiam de Colgrino cum plenarijs earum decimis & terris, ad ipſas pertinentibus & terris Preſbyterorum: dedit & plenariam decimam de tota Creca villa cum terra Preſbyterij ea quæ ad Eccleſiam pertinet. Conſtituit præterea ibidem fieri ſuam & omnium poſt ſe futurorum Pontificum & Canonicorum Bajocenſium ſepulturam. Verùm, quia hæc omnia Diuionenſi Eccleſiæ in Gallijs poſitus dederat, hanc eandem donationem poſtmodum apud Bajocas in manu præfati Abbatis laude & teſtimonio ſuorum Clericorum tradidit, & carta facta non ſolùm quæ dederat confirmauit, ſed inſuper plura addidit, pecuniam ſcilicet multam, domos ſegetibus diuerſis refertas, animalium etiam promiſcui generis greges numerum centenarium excedentes. Qui cùm ſedem ſanctæ Bajocenſis Eccleſiæ annis 48. feliciter gubernaſſet, iter Hieroſolymitanum aggreſſus intra Apuliam vitæ ſuæ curſum in ſanctæ vitæ propoſito conſummauit, & ſic in Eccleſia B. M. genitricis ſua ei ſepultura prouenit.

Depoſitio domni IARENTONIS Abbatis iſtius loci. Huius temporibus ſatis amicabiliter hanc Eccleſiam Deus viſus eſt reſpexiſſe. Hic enim cùm primò ad iſtam Eccleſiam venit, deſtitutam illam inuenit. Nam & forinſecus poſſeſſiones factione prauorum Principum annullatæ penè fuerant, & interius obſeruantia regularis & feruor religionis tepefactus omnino videbatur. Verùm is diuino fretus auxilio, & religionis cultum in priorem ſtatum reſtituit, & nonnullas poſſeſſiones amiſſas recuperauit, & nunquam habitas acquirere meruit. Nam quia erat profundus conſilio, iocundus alloquio, & Principibus tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus valdè placebat, & quoties illos adiiſſet, maximum in eorum curtis locum habebat, & ab ipſis magnificè remuneratus domum redibat. Porrò illi non ſatis erat per vicina ſibi loca Eccleſiæ ſibi commiſſæ commoda perquirere, ſed ad exteras, & remotas regiones, in Hiſpaniam ſcilicet atque Angliam pergendo aurum & argentum, & pallia aliáque ornamenta Eccleſiaſtica vndecunque huc conuehebat, & vt fidelis miniſter, quæ ſibi à fidelibus tradita fuerant, domus ſuæ fideliter vtilitatibus impendebat. Vnde & contigit, diuina fauente clementiâ, vt in diebus eius tam religionis gratia, quàm exteriorum affluentia ſuper omnes ſibi vicinas hæc Eccleſia caput extulerit. Verùm vt de poſſeſſionibus per eum recuperatis, vel adquiſitis aliqua memoremus, ipſius induſtriâ recuperauit hæc Eccleſia Cellam S. Mariæ Cabillonenſis, necnon, & cellam de Sarcophagis. Ipſo etiam agente dedit nobis Odo Bajocenſis Epiſc. Cellam S. Vigoris cum Eccleſiis, & terris ad eam pertinentibus. Guntardus quoque Valentinenſis Ep. hortatu eius dedit nobis Eccleſias quas in Valentinenſi territorio habemus, & Hugo Biſuntinus Archiep. Capellam de Logianouella, necnon & Agano Heduenſis Epiſc. Eccleſiam S. Iacobi de Arneto. Ipſo enim interueniente dedit nobis venerabilis memoriæ Robertus Lingonenſis Epiſc. Eccleſias, & Capellas inferius annotatas videlicet Eccleſiam de Noiant, cum Capella ipſius caſtri, Eccleſiam de Claromonte, & Capellam Caſtri Vangionis riui cum Eccleſiis ad ipſam pertinentibus: Eccleſiam de Magnomonte, Eccleſiam de Ycio, Eccleſiam de Caſnedo, Eccleſiam de Spaniaco, Eccleſiam de Vareſo, Eccleſiam de S. Lupo, Eccleſiam de Germaniuillare, Eccleſiam de Reiniaco, Eccleſiam de Occeyo. Duo ſanè nobiles viri ſub eo conuerſi dederunt alodium ſuum de Hyſchino, & de S. Benigno de Boſco. Per eius ſiquidem ac Monachorum eius induſtriam reinhabitari & reædificari ceperunt villæ iſtæ, videlicet Caſnedus major & minor, Mercennarius, Vareſus, & Miſſiniacus. Ex quibus duas Caſnedum ſcilicet & Marceniacum ad anniuerſarium ſuum faciendum deputauit, vt dum fratres orationibus ſuis ipſius animæ ſubſidium miniſtrarent, ipſi quoque eius prouidentia lautiori cibo corpora releuarent.

ELOGIA

PHILIPPI PVLCHRI

FRANCORVM REGIS, EIVSQVE FILIORVM,

LVDOVICI HVTINI, ET PHILIPPI LONGI.

Ex Chronico MS. Landulfi de Columna Carnotenſis Canonici ad Ioannem Papam XXII.

PHILIPPVS dictus Pulcher XLV. Rex Francorum cœpit regnare anno Domini MCCLXXXV. & regnauit annis 29. Hic inunctus eſt & coronatus in Regem anno Domini MCCLXXXV. Adhuc patre viuente duxit Ioannam filiam, & heredem Henrici Regis Nauarræ, ex qua genuit Ludouicum pri-

mogenitum, quem adhuc viuens fecit in Regem Nauarræ coronari, data ſibi filia Ducis Burgundiæ in vxorem anno Domini MCCCVII. Item ex eadem genuit Philippum, & Carolum, qui duas ſorores germanas filias Comitis Burgundiæ, & Comitiſſæ Atrebatenſis, duxerunt poſtmodum in vxores anno prædicto Domini. Item ex eadem genuit Robertum, qui in pueritia mortuus fuit, fuitque ſepultus in Monaſterio Dominarum de Poiſſiaco. Item ex eadem genuit filiam pulcherrimam & ſapientiſſimam nomine Iſabellam, quam duxit poſtmodum in vxorem iunior Edoardus Rex Angliæ filius Edoardi ſenioris. Hic corpore & animo pulcherrimus fuit, honeſtiſſimis moribus, & vltra humanum modum extitit omnibus gratioſus. Flandrenſes rebellantes licet cum magno labore compeſcuit. Edoardum ſeniorem Regem Angliæ in Vaſconia, & in multis aliis regni partibus nouos motus meditantem ſua prudentia, & ſtrenuitate ceſſare coëgit, & ipſum ſua ſapientia per affinitatem, & amicitiam obligauit. Palatium mirificum Pariſijs conſtruxit, & totum regnum ſuum innumerabilibus manubiis & ædificiis venuſtauit, & Catholicæ fidei verus piúſque zelator Templariorum abominabilem perfidiam confudit, atque deſtruxit. Apud Poiſſiacum locum Dominarum pulcherrimum & ſolemniſſimum conſtruxit, & verus religionis amator fratribus Prædicatoribus & Minoribus, & S. Auguſtini multa bona, & eleemoſynas magnas fecit, & erga Eccleſias & pia loca regni ſui deuotione promptus multas immunitates & priuilegia conceſſit eiſdem. Deceſſit anno Domini MCCCXIV. die B. Andreæ Apoſtoli, & apud S. Dionyſium extitit, vt decuit talem ac tantum Principem ſolemniter tumulatus: cui ſucceſſit filius eius.

LVDOVICVS XLVI. Rex Francorum incepit regnare anno Domini MCCCXIV. & regnauit anno vno, & menſibus ſex, diebus ſeptem. Hic poſt adepta regni inſignia, nobiliſſimam & ſapientiſſimam Dominam Clementiam filiam olim Caroli Martelli filij Regis Sicilię, & ſororem Regis Hungariæ duxit vxorem, cum qua pauco tempore regnauit, ſed immaturâ morte præuentus apud S. Dionyſium more Regio extitit magnificè tumulatus, cui ſucceſſit frater eius.

PHILIPPVS, dictus Magnus, quod magnus fuit corpore atque pulcherrimus animóque prudens atque magnificus XLVII. Francorum Rex incepit regnare, anno Domini MCCCXVI. & regnauit annis quinque, menſibus ſex, diebus 28. Hic quoque iuuenis ætate, ſed ſapientia & eloquentia ſenex negotium electionis ſummi Pontificis, ſibi à fratre commiſſum direxit prudenter, & ad finem gratum debitúmque perduxit, circa quod negotium eius prudentia, & fides extitit per totum Collegium Cardinalium mirabiliter commendata. Hic motus coniuratorum qui iam plurimùm inualuerant in multis regni Francorum partibus, ſuis viribus prudentiáque compoſuit, & Flandrenſes iam nouos motus meditantes humiliter ſapientérque ſedauit. Hic nobiliſſimam & ſapientiſſimam Dominam Ioannam filiam Comitis Burgundiæ, & Comitiſſæ Atrebatenſis duxit vxorem, ex qua duas filias procreauit, quarum vnam Duci Burgundiæ, aliam Comiti Flandriæ coniugio copulauit: cúmque pro ſua iuſtitia, munificentia, fide, pietate, morúmque mirabili grauitate omnibus eſſet acceptus in ſexto regni ſui anno, volente Domino qui omnem carnem mortis ſubijcit imperio, poſt longam & tædioſam ægritudinem viam vniuerſæ carnis eſt ingreſſus, & apud S. Dionyſium more Regio tumulatus, cui ſucceſſit frater eius.

CAROLVS XLVIII. qui nunc regnat, ſed quoniam non poſſet viuens tuto, & ſine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit ſe habere quod doleat, & de futuro videt ſibi ſupereſſe quod timeat, non eſt conſuetudinis ſcriptorum viuentium Principum geſta deſcribere. Prædicti ergo Regis, qui nunc feliciter regnat, cuius regnum, & vitam longa feliciáque Deus faciat, geſta ſcribenda ſuo tempore reſeruentur, Finis.

Poteram cætera præcedentium Franciæ Regum Elogia hiſce præmittere, verùm viſum mihi longè commodius eſt ea ijs deſcribenda permittere, qui triuialia quæque ac mendoſa chartis illinere geſtiunt.

GENEALOGIA DOMINORVM BELLISMENSIVM.

Ex MS. Codice S. Martini Sagienſis.

IVO de Beliſmo genuit Guillelmum de Beliſmo: & idem Guillelmus genuit Guillelmum Thalauatium patrem Mabiliæ, quem Rogerius de Monte Gomerici, cum tota hereditate ſua, quam ſiue in Beliſmenſi pago, ſeu Suenenſi vltra fluuium Sartæ habebat, duxit in vxorem. Qui Rogerius vir dictæ Mabiliæ Anglicano bello interfuit, & à Willelmo Rege Anglorum Comitatus duos ſcilicet Arundelli, & Salopebeſne dono accepit, & etiam honorem Heiæ poſſedit. Ipſe verò Rogerius de prædicta muliere Mabilia, quinque filios, & quatuor filias habuit, quorum nomina hæc ſunt. Robertus de Beliſmo, & Hugo, Rogerius Pictauinus, Philippus & Arnulfus: Emma, Mathildis, Mabilia & Sibylla. Rogerius Pictauinus Comitatum Lancaſtriæ, Arnulfus Comitatum de Pembroch tenuerunt. Robertus verò de Beliſmo maximas poſſeſſiones, & terras patris ſui adeptus eſt. Qui Robertus ex filia Guidonis Comitis Ponriuij genuit Guillelmum Thalauatium. Qui Guillelmus ex Hela vxore ſua genuit Guidonem Comitem Ponriuij & Ioannem. Qui Ioannes ex Beatrice filia Heliæ Comitis Cenomanenſis (errat, fuit enim filia Comitis S. Pauli) genuit Robertum Comitem Alencheij. Qui Robertus ex Ioanna vxore ſua filia Domini Ioſberti de Guitchia, genuit Ioannem & Mathildem. Qui Ioannes accepit in vxorem Aaliz filiam Domini Bartholomæi de Roye. Quo Ioanne abſque liberis defuncto, pater ipſius Comes Robertus filiam ſuam dictam Mathildem Comiti Bleſenſi Thebaldo matrimonio conjunxit, quæ, vt frater ſuus dictus Ioannes, abſque liberis defuncta eſt. Præfatus verò Comes Robertus Ioanna præfata vxore ſua defuncta, Emmam filiam Guidonis Domini de Laual in vxorem duxit, qui ex ea filium genuit qui Robertus vocatus eſt; ſed antequam puer naſcererur, ſępefatus Robertus Comes apud quoddam manerium ſuum, quod vocatur Morteueille propè Laual, diem clauſit extremum.

ORIGO COMITVM VINDOCINENSIVM.

Ex Veteri notitia excerpta.

RAINALDVS Epiſcopus Pariſienſis filius Burcardi Vetuli. Poſt eius mortem Fulco Nerra Andecauorum Comes honorem Vindocinenſem tenuit. Hæres Burchardus cum Adela matre ſua de manu Fulconis Comitis honorem recepit. Mortuo Burchardo tenuit mater ipſius honorem ſociauitque ſibi Fulconem filium ſuum ad honorem deſeruiendum; ſed cùm iſte Fulco erga matrem ſuam inſidiosè agens honore illam conaretur priuare, ipſa ſibi præcauens ad fratrem ſuum Goffredum Andecauorum Comitem acceſſit, eique honorem Vindocini totum ex integro vendidit. Goffridus honore comparato Regem Franciæ Henricum adiit, eique homo deueniens de manu ipſius dono ſuſcepit prædictum honorem, nepos ipſius Fulco cùm exhæredatus fuiſſet in Regis clientelam abiens ſeſe miſit, manſitque ibi tamdiu, donec ipſe Rex Goffredum Comitem pro eo interpellaret. Cuius precibus aliquantum acquieſcens reddidit Fulconi dimidium honoris. Procedente tempore, Gaufredo Comiti tantum exhibuit ſeruitij, quòd ei totum honorem ex integro reddiderit, authorizatis ab eo prius illis omnibus quæ Abbatiæ ſanctæ Trinitatis de eo honore ante donauerat.

DE PROCESSIONE RELIQVIARVM S. GENOVEFÆ ANNO MCCVI. AVCTORE Anonymo, qui præſens interfuit.

Ex veteri MS. Codice.

GLORIOSVS Deus in Sanctis ſuis, qui in abundantia delictorum gratiæ ſuæ oſtendit ſuperabundantiam, & in flagellis populi ſui non tantùm ſuam, ſed & Sanctorum ſuorum manifeſtauit gloriam. Gloria hæc & miſericordia Dei ſæpius, & ſæpius manifeſtata eſt in oculis ſuis, in flagellis regni Francorum, & in miraculis B. Virginis Dei dilectæ Genouefæ. Vnde eſt propoſitum noſtrum de his quæ oculis noſtris vidimus, veritati teſtimonium perhibere: vt ſimus ex eius diſcipulis, qui eſt via veritas & vita, via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Anno igitur Verbi incarnati MCCVI. Indictione IX. menſe Dec. flagellauit Deus regnum Francorum vehementi inundatione pluuiarum & impetu fluminum proprios fines & margines excedentium: ita vt in diluuio aquarum multarum arbores excelſæ ſtirpitus euerterentur, & terræ naſcentia radicitus euellerentur. Ædificia quoque ciuitatum, oppidorum, & villarum funditus ſubuerterentur. Inter cetera totius regni incommoda Ciuitas Pariſienſis omnium ciuitatum regni caput, & domina tanto impetu Sequanæ fluuij proprios fines excedentis ab ipſis fundamentis concuſſa eſt, vt inundatione facta ciuitati illi nauigio opus eſſet tranſeuntibus per vicos & plateas ciuitatis, ædificia quoque illius vel ex parte ſubuerſa eſſent, vel ex majori parte ſtantia crebris aquarum inundationibus & eluuionibus fluctuum minarentur excidium. Pons etiam lapideus qui reſpectu majoris pontis eiuſdem vrbis paruus appellatur, tanto impetu aquarum impulſus & conquaſſatus ruinam promittebat. Videres in ipſo ponte apertiſſimas ruinas & ampliſſimas, cementum demolitum, lapides diſiunctos ab inuicem, & ipſum pontem ruinoſum, & in proximo ruiturum ſicut aquæ ſuperficies quæ à vento agitabatur aſſidua colliſione vndarum fluminis huc & illuc fluitantium. Deſolata erat ciuitas plena diuitiis, ſedebat in triſtitia domina prouinciarum: Sacerdotes eius gementes, virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine, nec erat qui conſolaretur eam ex omnibus charis eius. Vnica ſpes populo periclitanti poſt Deum, & B. eius genitricem Mariam, erat in B. V. Genouefa per cuius beneficia memoria tenax populum ſpecialiter Pariſienſem ſubiectum eidem Virgini reddidit & deuotum. Vna vox populi, vnus clamor omnium, vna petitio ſingulorum, vt egrederetur B. Virgo Genouefa de loco ſancto ſuo, & præſentia ſua tueretur populum ſupplicantem & gementem, & pereunti ſubueniat ciuitati, ne inuoluatur iuſtus cum iniuſto, & pius cum impio. Opponat ſe murum pro gente ſua, frangat iram Dei ſupplicatione humili, ſuis precibus Dei impetret miſericordiam, vt miſericors Deus remittat offenſam, & imperet ventis, & aquis, & fiat tranquillitas magna. Supplicante igitur Epiſcopo ODONE & clero & populo parata ſolemni proceſſione, delatis ad Eccleſiam noſtram Sanctorum reliquiis, egreſſa eſt B. Virgo Genouefa de loco ſancto ſuo, & præcedentibus Sanctorum reliquiis præcedebat S. Genouefa populum ſuum tanquam columna ignis in nocte aduerſitatis. Venimus itaque ad paruum pontem ciuitatis lapideum, vbi non erat declinare ad dextram neque ad ſiniſtram, ſed per medium pontem iter erat. Præcedente quondam Arca Teſtamenti populus Iſraël per medium Iordanis ſicco péde pertranſiit. Præcedēte etiam B. Gen. cum Sanctorum reliquiis per pontem confractum, & ruinæ proximum, ſubſecutus eſt eam vniuerſus populus imminenti periculo inundantium aquarum, & pontis per colliſionem aquarum fluctuātis ſub eius ſecurus protectione. Moyſes tranſituro populo Iſraëlitico aquas maris diuiſit. B. verò Virgo Genouefa cum populo Pariſienſi ſuper intumeſcentes aquas fluminis pertranſiit, non tam à ponte fracto ſuſtentata quàm ipſum pontem ſuſtentans protectione diuina ingrediente tandem B. Genouefa Eccleſ. S. Mariæ in Pariſ. vrbe ſitam, continuo ſicut audiuimus ita & vidimus in ciuitate Dei virtutum venientes de monte ſancto eius, omnia in aduētu eius priùs commota, & pacifica & ſedata fuerūt. Ciuitas ipſa priùs à fundamentis concuſſa & commota, tranquilla fuit & quieta; populus ipſe grauiſſi-

nè ante afflictus in laudem B. Genouefæ reſpirabat, & ſicut ſcriptum eſt quaſi ſpecies electri apparuit in populo per præſentiam B. Virginis & certiſſimam ſpem diuinæ conſolationis. Videntes quaſi in rubo Moyſi flammam ignis ſine aduſtione, quia populus Domini flagellatus illuminabatur ad ſcientiam: & cum Sol occidiſſet ſuper eos, quærebant eum & diluculo veniebant ad eum. Huius rei teſtis eſt populus Pariſienſis, quod ab illa die, quæ ſabbatum erat, in qua S. Genouefa ſuper intumeſcentes vndas fluminis pertranſiit, aquæ abeuntes decreſcebant vſquequo Sequana fluuius intra alueum ſuum ſe collegit, & ab ipſa die non plus Dominus ſuper terram, donec plenè deſiccata eſt terræ ſuperficies. Tandem pacificatis omnibus & ſpem ſalutis in præſentia Virginis concipientibus, reuerſa eſt B. Virgo ſubſequēte vniuerſo populo per pontem fractum & vacillantem, cuius ruina differebatur, donec B. Virgini ad propria reuertenti mirabile & memorabile exhibet obſequium. Mirandis plus miranda ſuccedunt: poſtquam enim B. Genouefa ad propria eſt reuerſa, & ſua in ſede ſolemniter, vt decuit collocata, & populus qui eam comitabatur ad propria rediit, vix tranſacto dimidiæ horæ ſpatio, ſcilicet in noctis crepuſculo paruus pons corruit, & qui paulo ante ruinoſus populum tranſeuntem ſuſtinuit, populo tranſacto, nemine læſo, vel ſubmerſo, corruens præcedentis miraculi indicium fuit & teſtimonium. B. igitur Virginis laudibus adſcribendum eſt, quod pons confractus & ruinoſus ipſam D. Virginem, & vniuerſum populum tranſeuntem ſuſtinere potuit & quod poſt tranſitum eiuſdem Virginis totiúſque populi nemine læſo corruit. Inſuper quod Sequana tumens eius virtute ſeipſum retraxit & reſtrinxit, quod tanta etiam ſubſecuta eſt temporis ſerenitas, quod meritis S. Genouefæ, gratia Dei contulit ad ſalutem populi Pariſienſis, ad ciuitatis eiuſdem & totius patriæ liberationem, ad gloriam diuinam, ad honorem B. Genouefæ cuius ſuffragiis ab omnibus periculis liberantur qui dignè eius memoriam venerantur: miremur ergo miraculum, veneremur myſterium, adoremus Deum, ad æternæ vitæ ſuſpiremus præmium. Amen.

DE MIRACVLO HOSTIÆ A IVDÆO PARISIIS ANNO DOMINI MCCXC. MVLTIS IGNOMINIIS AFFECTÆ.

Ex ſchedis calamo exaratis.

MAGNA quidem fuerunt beneficia, quæ populo ſuo Deus olim contulit, ſed immenſa ſunt, quæ nobis Chriſtianis Diuina largitas exhibuit, & in dies exhibet. Cui non ſatis fuit filios naturâ iræ, Sacramento Baptiſmi filios Dei facere, niſi etiam nobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi permanens, ſuis nos alens carnibus & ſuo potans ſanguine, cùm corpus eius & ſanguinem in Sacramento Euchariſtiæ, in membra noſtra recipimus Chriſtiferos factos, tanquam membra capiti aptata ſibi vnire. De cuius Euchariſtiæ ad animæ vitam neceſſitate, vt olim, differente Domino, venenati parentes offenſi abierunt retrorſum, ita & de veritate illius dubij perſtiterunt filij venenati Iudæi. Ecce enim tibi anno Do. 1290. ipſo die Paſchæ II. April. Pariſijs vrbe longè omnium celeberrima, cùm muliercula quædam tenuiſſimæ fortunæ veſtes ſuas pignoris nomine pro ſumma 30. ſolid. Pariſ. apud Iudæum quendam depoſuiſſet, ab eo vt inter vicinas cultior appareat, repoſceret, gratis redditurum ſe Iudæus pollicetur, ſi rem illam, quam mulier Deum ſuum aſſerebat, afferret. Quod auara mulier promittens, in Eccleſia S Mederici Sacroſanctum Chriſti Corpus receptum eum paratis in ore abſconditum ad Iudæum defert, à quo veſtes gratis recepit.

Tum crudelis mercator: Sciam, inquit, an vera ſint, quæ de re huiuſmodi inſani garriunt Chriſtiani. Corripit ergo cultellum pennarium, quo ſacroſanctum Chriſti Corpus arcæ ſuperpoſitum diris transfigit ictibus, & ex ipſo ſacrum ſanguinem copioſè fluere conſpiciens vxori & filijs factum aperuit. Ex ſtupendi viſione miraculi attonita ſubſtitit vxor, perterritus quoque Iudæus, ſed non compunctus, arreptam rurſus Hoſtiam clauo & malleo transfixam, fluente, vt priùs,

ſanguine, flagris cecidit. Iudæum, vt ab incepto deſiſtat, increpat vxor, cuius increpatione factus deterior in ignem copioſum ſacroſanctam Hoſtiam proiicit, quæ inde integra exiliens per domum volitabat. Quam rurſus cultro in fruſta, integram ſemper manentem fruſtra diſcindere conatus, appenſam lanceæ, iuxta latrinam totis viribus percutit. Vnde vt & prius abundè rurſus fluente ſanguine in BVLLIENTIS AQVÆ CALDARIAM projectam, aqua ſanguinea facta ſuæ Majeſtatis virtute ſurſum eleuata in Corporis Domini Crucifixi ſpecie, Iudæo ſe videndam præbuit: cuius aſpectu vxore cum filiis flentibus ex euentu prodigioſo contritis totus amens fugiénſque cubiculum ſuum intrauit. Hæc qui ſecum perpenderit, Diuinam mirabundus laudabit pietatem, aliâmque Domini (licet à mortuis reſurgens iam non moriatur) quaſi reſurrectionem dicet. Sacroſanctam enim illam Hoſtiam, poſt punctionem, transfixionem, flagella, flammarum ardorem, diſcidium, lancinationem, & in bullientis aquæ caldariam projectionem, illibatam & integram in Eccleſia S. IOANNIS IN GRAVIA, honorificè reconditam portiuncula veſtis Domini inuolutam, & ad majorem gratiam Crucis Dominicæ portiuncula ornatam, cultellum quoque pennarium prædictum, ſanguinem, qui mirè ex punctione profluxit, & vaſculum ligneum in quod inſiliuit, in Eccleſia Fratrum Charitatis Beatæ Mariæ in eadem vicinia corporalibus oculis fideles poſſunt intueri.

Hæc autem domi facta ſic ad populi notitiam prodierunt. Cùm hora majoris Miſſæ in Eccleſia CRVCESIGNATORVM nolâ ſignum daretur, vt eo conueniens populus ſacroſanctum Chriſti Corpus adoraret, filius Iudæi foras progrediens prætereuntes, quo currerent, interrogat. Ad Myſteria ſacroſancti Corporis Chriſti adoranda, dicentibus: Fruſtra in Eccleſia illa Chriſtianos Deum ſuum quærere, ait, quem flagellatum, iniuriis affectum, & malè tractatum, modò pater ſuus occidiſſet. Quod audiens mulier quædam reſciendi auida, Iudæi domum horrore plenam ſigno Crucis armata ingrediens Dominicæ carnis iteratum intuetur martyrium, ſtatimque in ligneum vaſculum, quod quaſi ad ſuos vſus ignem mulier petitura portauerat, ſacroſancta Hoſtia ſacra & incolumis inſilit, quam magna cum reuerentia, ſub gremio recondens Sacerdoti S. Ioannis in Grauia conſeruandam detulit. Mulier autem illa quaſi vinculis conſtricta fuiſſet, Eccleſiam prædictam, licet egredi tentaret, non potuit, quouſque præfato Sacerdoti quam ferebat videntibus multis, qui iam eo facti rumore conuenerant, obtuliſſet. Quibus mulier factum, vt viderat, enarrauit. Sacerdos autem Epiſcopo Pariſienſi nunciandum curauit. Ad ſpectaculum tota ruit ciuitas, Iudæus cum vxore & filiis in vincula conjicitur. Acceritus coram Epiſcopo & viris Eccleſiaſtica dignitate inſignitis, Iudæus de delicto fatetur, monetur vt pœniteat, ſcriptum eſſe, Nolo mortem peccatoris, ſed magis conuertatur & viuat: veniam ſperet quando pro crucifigentibus ſe Deus olim orauerat. Vxore & filiis ad Chriſtianam fidem conuerſis, pertinax quoque Iudæus igni cremandus condemnatus, ductúſque ad locum ſupplicij cùm ignem ſupponere vellet carnifex: ô me infelicem, exclamat, qui tam ſubitò deprehenſus, arma mecum aſſumere non potui! Quæ hæc eſſent arma inquirenti Præpoſito Iudæus reſpondet. Habeo librum in domo mea, quem ſi mecum haberem, Deus veſter non poſſet me facere comburi. Iuſſu Præpoſiti ab apparitoribus allatus libellus Iudæo alligatus igne ſuppoſito, tam facilè vterque eſt in cineres redactus, quàm difficile ab infidelitate ſua conuerti Iudæus potuit. Tum populi aſtante corona, Pariſienſis Epiſcopus vbi miraculum, vt geſtum fuerat, recenſuit, Iudæi vxorem, filium & filiam baptiſmate ablutos ſacri Chriſmatis vnctione ſignauit. Multi quoque Iudæorum, tam manifeſto moti miraculo ad fidem conuerſi, baptiſmi ſacramentum percęperunt. Quo autem in loco tam immane facinus patratum eſt, RAYNERIVS FLAMINGVS, ciuis Pariſienſis, Capellam, quæ Miraculorum nomine nuncupata eſt, ſuis ſumptibus anno Domini 1294 ædificandam curauit. Deinde procurante GVIDONE DE IOINVILLA, Fratribus Charitatis B. Mariæ Catalaunenſis Diœceſis attribuit, PHILIPPVS autem Francorum Rex dictus PVLCHER, domo quadam prædicta Capellæ vicina anno Domin 1299. auxit. Fratres verò prædicti Ordinis tanti miraculi commemorationem Dominica in Albis ſolemniter quotannis celebrari ſtatuerunt.

Eandem Hiſtoriam exhibet Codex MS. Puteanæ Biblioth. & alij plures.

EPISTOLA EVCHERII EPISCOPI,

AD FAVSTVM PRESBYTERVM.

Ex Codice Vaticano Bedæ de Tabernaculo cum ſeqq. mutuatus eſt iam olim R. P. Iacobus Sirmundus, nos ex eius Apographo deſcripſimus.

FAVSTINO Preſbytero Inſulano EVCHERIVS Epiſcopus. Hieroſolymitanæ vrbis ſitum atque ipſius Iudææ, vt mihi relatione cognitus eſt, vel lectione compertus, breuiter amplexus ſum, breuíque ipſum præfatione indicans, quia opuſculo non diffuſo nequaquam eſſe diffuſam præfationem decet. Vale in Chriſto decus & præſidium meum.

HIERVSALEM ab Ælio Adriano Ælia vocitatur. Nam poſt ſubuerſionem Titi conditoris, Ælia nomen cum opere ſuſcepit. Naturale loci edita aiunt quaslibet ex parte haud dubiè aſcendendum erit. Diutino quippe, ſed molli tractu aſſurgit. Situs ipſe vrbis pene in orbem circumactus non paruo murorum ambitu, quo eſſe montem Sion, quondam vicinum, iam intra ſe recipit. Qui à meridie poſitus pro arce vrbi ſupereminet. Major ciuitatis pars infra montem iacet in planitie humilioris collis poſita. Mons Sion latere vno, quod Aquilonem reſpicit, Clericorum Religioſorúmque habitationibus frequenratur. Cuius in vertice planitiem Monachorum cellulæ obrinuerunt Eccleſiam circumdantes. Quia illic, vt fertur, ab Apoſtolis fundata pro loci Reſurrectionis Dominicæ teneteniá ob quod promiſſum quondam per Dominum Paracleto repleti ſunt Spiritu.

Celebriores tres ſunt portarum exitus. Vnus ab occaſu: alter ab Oriente; tertius à Septentrionali parte vrbis. Primùm de locis Sanctis procondítione platearum diuertendum eſt ab Baſilicam, quæ Martyrium appellatur à Conſtantino magno coltu extructa. Dehinc cobærentia ob occaſu inſunt Golgotha atque Anaſtaſis, ſed Anaſtaſis in loco eſt Reſurrectionis: Golgotha verò medius in Anaſtaſim. At Martyrium locus eſt Dominicæ Paſſionis. In quo etiam rupes apparet, quæ quondam ipſam affixo Domino corpore Crucem pertulit.

Aquæ hîc tum extra montem Sion poſitæ cernuntur quò ſe ad Aquilonem deficiens loci tumor porrigit. Templum verò in inferiori parte vrbis in vicinia muri ab Oriente locatum magnificéque conſtructum quondam miraculum fuit ex quo parietis vnius in ruinas quædam pinna ſuper reliquis ad fundamenta vſque deſtructis. Paucæ illic ciſternæ in vſum aquarum oſtenduntur in ea parte ciuitatis, quæ ad Septentrionem in vicinia Templi oſtenditur.

Bethſaida gemino apparet inſignis lacu. Quorum alter hibernis plerumque implerur imbribus. Alter rubris eſt diſcolor aquis.

Ab ea fronte montis Sion, quæ prærupta rupe Orientalem plagam ſpectat intra muros atque è radicibus collis fons Siloa prorumpit aquarum acceſſu in meridiem fluit

Iuxtà murum Ieruſalem vel Templi ab Oriente Geennon occurrit Vallis Ioſaphat à Septentrione in Auſtrum porrecta; per quam torrens, ſi quando pluuias aquas recipit, decurrit. Circumiecta Hieroſolymitanæ vrbis aſpera & montoſa cernuntur. Quæ etiam montem Oliueti mille à ſe diſcretum paſſibus in Orientem proſpectat. Duæ in eo Eccleſiæ celeberrimæ habentur, vna in eodem fundata loco, in quo Dominus ad Diſcipulos ſuos habuiſſe dicitur Sermonem: altera in loco, de quo cœlum aſcendiſſe traditur.

Sex millibus Bethleem ab Hieroſolyma in Meridiano latere ſecedit: quæ humili muro & abſque turribus anguſtiſſimo ſpatio circumdatur. Vbi Præſepe Domini exornato inſuper argento atque auro fulgenti cella ambitur.

Hiericho verò ab Hieruſalem in Oriente æſtiuo octodecim millibus excurrit. Iordanis quoque ab eadem cœli parte Iudææ terræ prætenditur quarto & xv. lapide ab Ælia ſeparatur. Qui primùm mare Tiberiadis inſecans atque ex hoc emer-

gens largis deinde ac placidis fluentibos aquis in mare mortuum conditur quod mare Hieroſolyma viginti circiter millibus reſpicit.

Chebron ciuitas quondam Gigantum lapide ferme XXII. ab Hieruſalem infra Meridianam plagam diſtat. Mare rubrum nuſquam vicinius quam iuxta Ioppem oppidum quod XL. ab ea in occaſum æſtiuum millibus abeſt. Longitudo terræ in Dan vſque Berſabee protenditur ab Aquilonari plaga ad Meridiem producta. Dan quoque vicusexiguus eſt in exterioribus Iudę, quæ Septentrionalem plagam contuetur in quarto à Paneade milliario Tyrum pergentibus. Ior verò Hebræi fluuium appellant. Cæterùm Berſabee, vt ſupra diximus, ad Auſtrum vergens vicus eſt maximus XX. à Chebron millibus. Igitur longitudo ſiue etiam latitudo Iudææ quanta ſit S. Hieronymus determinauit in quadam Epiſtola ad Dardaoum. Ex quo nos huic operi, quæ neceſſaria videbantur, excerpſimus, in qua aduerſus Iudæos de terra repromiſſionis diſſerens etiam addidit hæc: Reſpondeant mihi qui hanc terram, quæ nunc nobis per Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem terra repromiſſionis effecta eſt, poſſeſſam putant à populo Iudæorum, poſtquam reuerſus eſt ex Ægypto, quantum poſſederit, vtique à Dan vſque Berſabee quæ vix C L X. millium in longum ſpatio tenditur. Neque enim Dauid & Salomonem potentiſſimos Reges exceptis ijs, quos poſt victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuiſſe ſcriptura teſtatur. Et hoc dico, vt taceam quinque Paleſtinę ciuitates, Gazam, Aſcalonem, Geth, Accaron & Azotum. Idumeos quoque à Meridiana plaga vix LXXV. millibus ab Hieroſolymis ſeparatos. Arabas & Agarenos, quos nunc Saracenos vocant, in vicinia vrbis Hieruſalem. Pudet dicere latitudinem terræ repromiſſionis ne Ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe videamur. Ab Ioppe vſque ad viculum noſtrum Bethleem XLVI. millia ſunt. Cui ſuccedit vaſtiſſima ſolitudo plena ferocium Barbarorum. Item paullò poſt: Quid ſi quis obiecerit terram repromiſſionis dici, quæ in Numerorum volumine continetur à Meridie maris Salinarum per Sina & Cadesbarne vſque ad torrentem Ægypti qui iuxta Rhinocoruram mari magno influit, & ab Occidente ipſum mare quod Paleſtinæ, Phœnici, Syriæ cœlæ, Ciliciæque prætenditur, ab Aquilone Taurum montem, & Zephyrium vſque Hemath quæ appellatur Epiphania Syriæ. Ad Orientem verò per Antiochiam & lacum Cenereth, quæ nunc Tiberias appellatur & Iordanem qui mari influit Salinarum, quod nunc Mortuum dicitur. Trans Iordanem autem duorum & ſemis tribuum poſſeſſio eſt Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manaſſæ. Et ego fatebor hæc tibi repromiſſa, non tradita. Item poſtea addidit: Et mihi in Euangelio promittuntur regna cœlorum, quæ inſtrumentum vetus omnino non nominat: ſed ſi non fecero quæ præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me qui promiſſum accipere non merui. Vbi enim optio proponitur ad eligendum; qui operari renuis, fruſtra cupias quod promiſſum eſt. Lege librum Ioſué & Iudicum, & quantis poſſeſſionum anguſtijs ſis coarctatus intelliges. Hæc Hieronymus vir in omni Scripturarum ſcientia eruditiſſimus. Sed etiam Ioſephus nobilis Hiſtoricus Iudæorum ſitum totius regionis refert, quia vtrique Galilææ, Syriæ & Phœnici adhęret, determinauitque eam à ſolis occaſu. Ptolemaidis territorij finibus: & mons Carmelus aſſociatus, cui conuertitur Gabaa ciuitas quæ quondam Iudæis cauſa grauis exitus fuit. Ab Oriente Ioppe & Gadara ſuis finibus reſtant. Eadem autem à Galaditide regione & regno Agrippæ confinia præſcripta Veteribus fruere. A Meridiano latere Scythopolis & Samaria ſuis vtraque excipiuntur regionibus, nec vltra fluenta Iordanis patiuntur extendi. Septentrionalia eius à dextro latere Tyrus claudit omniſque regio Tyriorum. Cuius objectu Galilææ ſpatia definiuntur. Ipſæ autem inter ſe diſtinguuntur hoc modo: vtique inferior Galilęa ducitur ab vrbe Tyberiade vſq; ad vrbem cui nomen Zabulon ſupra maritima Tiberiadis extenta longitudine definitur. Latitudo autem eius à vico Kalth, qui eſt in Campo Maximo vſque ad Bethſabee haud dubiè ducitur. Vnde etiam ſuperioris Galilæę exordium aperitur, quod à vico Barlatæ attingit. Ipſo autem vico etiam Tyriæ Phœnicis determinatur. Longitudinis quoque eius initium vicus eſt Thoalla. Finis Thoallæ Iordanis finitimus intelligi datur quantum ſe porrigant ſpatia Galilææ ſuperioris, cuius initium Iordanis eſt vel eius confinia. Hac igitur ſitæ magnitudinis æſtimatione vtraque Galilææ diſtinguitur. Terra autem pinguis & herboſa diuerſo culturæ

genete nitens, diſtincta arboribus, vt quemuis alliciat ad ſui gratiam, aufuget autem laborem, ad ſtudia culturę inuitet atque excitet. Denique nulla hîc vel exigua terræ portio vacat freqnentia pleriſque inhabitantibus. Crebræ vrbes, vię frequentes, multitudo hominum innumerabilis, vt exiguus mons in ſe habeat quindecim millia inhabitantium. Item paullò poſt: Samaritana quoque regio, inquit, inter Iudæam, ac Galilæam mediaiacet. Incipit enim à loco cui nomen eſt Hælias definiens in terram Achrabatenorum natura conſimili, nec vllo differens à Iudæa. Vtraque enim montuoſa atque campeſtris eſt pro locorum diuerſitate, neque tota campis diffunditur, neque in locis omnibus montium rupibus ſcinditur: ſed vtriuſque qualitatis habet gratiam ad exercitium culturæ ſolubilis terræ mollior eò quod frumentis vtilis & prope circa fertilitatem ſoli nulli ſecunda. Maturitate certè fructuum prior omnibus. Nam cùm alibi adhuc ſerant frumenta, iſthic metuntur. Species quoque atque ipſa frumenti natura, haud vnquam pręſtantior habetur. Aqua dulcis decora ad ſpeciem: ſuauis quoque ad potum vt ſecundùm elementorum gratiam æſtimauerint Iudæi eam promiſſam Patribus terram fluentem lac & mel: cùm ſpoponderint illis reſurrectionis prærogatioam, quam quidem diuina pietas contulerit, ſi ſeruaſſent fidem. Sed infidelium animi vtramque repertam hic iugo captiuitatis, illic vinculo peccati perdiderunt. Nemoroſa regio denique, ſi vſquam, illic diſtenta vbera geſſit. Poma ſiluestria vel inſitiua ſuper omnes copias regionum. Referta autem vtraque vel Samaria, vel Iudæa hominum multitudine, vt videatur illud hic interpretari de Iudæis quod ſcriptum eſt: Quia nulla erit in eis ſterilitas & infœcunditas: cùm hoc de meritorum fœcunditate præſcripſerit & virtutum fertilitate. Principium Samariæ de Arabię finibus à vico, cui nomen Iordanis. Finis autem Iudææ à fluuio Iordane vſque ad Ioppem. Incipit autem à fontibus Iordanis à monte Libano vſque ad Tiberiadis lacum dilatatur. A vico quoque Arſa initium longitudinis eius quę vſque vicum tenditur Iuliadem: in quo Iudæorum pariter ac Tyriorum communis habitatio. In medio autem ciuitas Hieroſolyma quaſi vmbilicus regionis totius, vt prudentibus placuit, nuncupatur, abundans Mediterraneis copijs, nec fraudata maritimis. Multæ vrbes, ſed inter omnes Hieroſolyma eminet; ita vt quaſi caput in ſuo corpore non vmbret ſua membra, ſed regat, atque ita ei tuitioni ſit & pulchritudini. Hactenus Ioſephus: quæ idcirco relationi huic tinſerenda putaui, vt veritatem ſtudioſè inquirentibus majorem, Iudæus relator de Iudææ ſitu fidem faceret. *Cætera videntur deſiderari.*

PROLOGVS LIBRORVM TRIVM Adamnani de locis Sanctis, de quo Legendus Beda lib. V. Hiſt. Cap. xv. & ad calcem libelli de locis Sanctis.

Ex eodem Codice Manuſcripto Bibl. Vaticanæ.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, texere librum de Locis incipio SANCTIS. ARCVLFVS Sanctus Epiſcopus gente Gallus diuerſorum longè remotorum peritus locorum verax index & ſatis idoneus in Hieroſolymitana ciuitate per menſes nouem hoſpitatus, & locis cotidianis viſitationibus peragratis mihi ADAMNANO ſæpe vniuerſa quæ infra exaranda ſunt experimenta diligentiùs perſcrutanti & primò in tabulas deſcribenti, fideli & indubitabili narratione dictauit, quæ nunc in membranis breui textu ſcribuntur.

Capitulationes. { Libro primo capita xxx.
Libro ſecundo capita xxx.
Libro tertio capita v i.

Obſecro itaque eos, quicumque breuiter legerint hos libllos, vt pro eodem Sancto Sacerdote ARCVLFO diuinam pręcentur clementiam, qui hęc de Sanctis locis experimenta eorum frequentaror libentiſſimè nobis dictauit. Quæ & ego Preſbyter inter laborioſas & pene inſuſtentabiles tota die vndique congleba-

tas Eccleſiaſticæ ſollicitudinis occupationes conſtitutus, vili quamuis ſermone deſcribens declaraui. Horum ergo Lectorem admoneo experimentorum, vt pro me miſello peccatore, eorundem exaratore, Chriſtum iudicem Sanctorum exorare non negligat. *Finit Prologus.*

De ſitu Hieruſalem Caput I.

De ſitu Hieruſalem nunc quædam, &c.

DE OBLATIONE ET RECITATIONE VERSVVM ARATORIS S. R. E. SVBDIACONI.

Ex Codice Vaticano eadem manu qua liber ipſe, & ex alio Remenſi codice, cuius meminit Sirmundus in notis ad Ennodij Epiſtolam I. libri IX.

BEATO domno PETRO adiuuante oblatus hic codex ab ARATORE inluſtri, ex Comite Domeſticorum, ex Comite Priuatarum, viro religioſo, ſubdiacono S. Eccleſiæ Romanæ Sedis Apoſtolicæ, Sancto atque Apoſtolico viro Papæ VIGILIO, & ſuſceptus ab eo die VIII. Idus Aprilis in Presbyterio ante Confeſſionem B. Petri cùm ibidem plures Epiſcopi Presbyteri, Diaconi & Clerici pars maxima intereſſent. Quem cùm ibidem legi pro aliqua parte feciſſet, Surgentius vir venerabilis Primicerius Scholæ Notariorum in ſcrinio dedit Eccleſiæ collocandum. Cuius Beatitudinem literati omnes doctiſſimíque continuò rogauerunt, vt eum iuberet publicè recitari. Quod cùm fieri præcepiſſet in Eccleſia B. Petri quæ vocatur ad Vincula, religioſorum turba conuenit: atque eodem Aratore recitante, diſtinctis diebus ambo libri ſeptem vicibus ſunt auditi, cùm vnius medietas libri tantummodo legeretur propter repetitiones aſſiduas, quas, cum fauore multiplici poſtulabant. Eadem hæc repetitio facta eſt his diebus I. Idibus Aprilis. II. XV. Kalend. Maij. III. VIII. Idus Maij. IV. verò III. Kal. Iunij tertio anno poſt Conſulatum Baſilij V. C. Indictione VII. *Hoc eſt anno Incarnationis Dominicæ DXLIV.*

FABII PLACIADIS FVLGENTII INCIPIVNT EXPOSITIONES SERMONVM ANTIQVORVM CVM TESTIMONIIS.

NE de tuorum præceptorum ſerie, Domine, quicquam curtaſſe inobedientia putaretur, libellum, quem de abſtruſis ſermonibus parare iuſſiſti, in qoanrum memoriæ enthcca ſubrogare potuit abſolutum tribuimus, non tam phaleratis ſermonum ſtudentes ſpumis, quàm rerum manifeſtationibus dantes operam dilucidandis.

Quid ſit ſandapila, &c *Vt in editis.*

SERVII CENTIMETRO EPISTOLA PRÆFIXA IN CODICE VATICANO.

CLARISSIMO ALBINO SERVIVS Grammaticus. Tibi hunc libellum prætextatorum decus ALBINE. Nam licet patris auique, quibus maximam reuerentiam literæ debent, quotidie vrgeatis exemplo, ibique pubeſcas quo callæ ad Muſarum ſacra venitur; non tamen cœlo ſuo tantùm numina perfruuntur. Sæpe humiles locos ac vilia pauperum tecta ſubierunt. Quare laboris mei velim faueas voto, indulgeas audaciæ. Quod ſi ſecus ceſſerit in cupiditatem deuotionis interpretabor euentum nocendi. Vale.

Licet audacter non tamen ineleganter hunc libellum qui volunt Centrimetrum nominare, &c. *vt in editis.*

IANVA-

IANVARII NEPOTIANI EPISTOLA QVÆ EST PROOEMIVM EPITOMES VALERII MAXIMI.

IANVARIVS NEPOTIANVS VICTORI ſuo ſalutem. Impenſius quàm cæteri adoleſcentes Litteris ſtudes: quo tantum proficis, vt exigas ſcripta Veterum coërceri, mi VICTOR. Quod indicium etiam in ſenibus rarum eſt. Igitur de VALERIO MAXIMO mecum ſentis, opera eius vtilia eſſe, ſi ſint breuia. Digna enim cognitione componit, ſed colligenda producit, dum ſe oſtentat ſententijs, locis iactat, fundit exceſſibus, & eo fortaſſe fit paucioribus notus, quod legentium auiditati mora ipſa faſtidio eſt. Recidam itaque, vt vis, eius redundantia & pleraque tranſgrediar, nonnulla prætermiſſa connectam. Sed hoc meum, nec vim antiquorum habebit, nec fucum nouorum. Et cum integra fere in occulto ſint, præter vos duo profecto nemo Epitomata cognoſcat. Hoc tutius abutor otio, caue hic aliud, quàm breuitatem requiras, quam ſolam popoſciſti. Cura, mi VICTOR, vt valeas.

Poteram & alia plura eiuſdem generis Miſcellanea Opuſcula ad Hiſtoriam ſpectantia congerere, ſed ijs modo prætermiſſis ad meditas hactenus & à multis iampridem expetitas Sanctorum aliquot vitas tandem aliquando veniendum.

VITÆ SANCTORVM INEDITÆ.

VITA B. ADALBERONIS EPISCOPI METENSIS.

AVCTORE ANONYMO, QVI SE AB IPSO Adalberone in Abbatem Fingenij Scoti & Siuiardi ſucceſſorem benedictum aſſerit.

Deſcripſit paullò ante obitum R. P. Iacobus Sirmundus, ex Codice MS V. C. Claudij Hardy in Præfectura Pariſienſi Senatoris integerrimi ac doctiſſimi. Nos cum ipſo MS. Codice antiquiſſimo diligenter contulimus, & Epiſtolam Hildiuuardi Halberſtatenſis Epiſcopi, ad eundem Adalberonem addidimus, ex eodem Codice optimæ notæ cum vita S. Adelphi.

IGITVR Adalbero Sanctæ Metis Venerabilis Præſul, magni Adalberonis Fratruelis, licet tempore inferior, licet pòſt natus, merito & gratiæ priuilegio verè fatemur, non impar gloria: Luxque decúſque cùm ſuorum noſtrum dicimus, tum totius patriæ: ad hoc omnium quàqua orbis degentium. Genus ab atauis & ſupra nobiliſſimum, ſéque ſuóque præmio omnino perornans, omnino perluſtrans, dum vixit, ſplendor, gaudiúmque, & ad conſeruandas res publicas ſpes ſalutis & vitæ. XIX. Kalendas Ianuarij dum deceſſit, luctus, qui dici non poſſunt, reliquit his, quibus abſceſſus eius tenebræ æternæ, caligóque perpetua, abhinc pro dolor! perſeuerat. Hic nominè & vitæ gratia magnus ad mundi prouectum & Eccleſiæ ſtabilimentum procreatus, Patre Friderico, qui Galliæ Medianæ Dux generoſitatis excellentia, & ſapientiæ præeminentia multos prædeceſſorum in id officij ſuperauit: matre Beatrice, quæ Magni Hugonis filia fuit, progenitus eſt, & tantam támque inclytam lineam generis, non modo non infamauit, verùm vltra quàm eſt dicere, vltra quàm eſt dignè meditari, decoram reddidit & inſignem, dum Adalberonis vita puriſſima & glorioſa, prout fert inſtantia temporis, enarratur gentibus ad Dei & Chriſti eius Domini noſtri gloriam pronunciatur. Quid autem egerit, ad quid natus ſit, qualis vixerit, paucis dicere cupientes intimamus audire volenti, amatorem cum ex cordis integritate ac animi maxima alacritate ſui ex [illegible] fuiſſe conditoris. Proximum ex diuino præcepto omnino dilexiſſe, infirmantium corpore, ſiue corde, vſibus, vt ſibi ipſi, ſemper condeſcendiſſe. Mortuorum ſepulturis adſiduè, dum neceſſe erat, adſtitiſſe, & vt ſuccinctè multa dicam, eam ſibi legem beatus ſtatuerat, vt quocumque veniret, lux quædam veniſſe & ſpes ſalutis videretur, ſemperque ad diuina mandata conſeruanda & fratribus vtilia prouidenda ſe animumque ſuum intentiſſimè piiſſimus præparabat. Scholaribus diſciplinis apud Gurgitenſes caſtiſſimè detritus & inſtitutus, dum poſt mortem ſecundi Ottonis diui Imperatoris, & caſu patris & orbitate immatura filij poſt creati Cæſaris, totus occidens diſſenſione minorum, maiorum autem cupiditate ad regnandum omnino langueret, defuncto memorandæ vitæ viro Deoderico Pontifice, ad informandam in populis pacem, totius pacis amator Adelbero genere & men-

te nobiliſſimus, procurante & procurrente matre Beatrice, fauente domina Adelheide Auguſta prolis adhuc tenerrimæ auia: quod autem primum bonarum rerum poſtremumque eſt, Deo omnino annuente votis populorum & ſanctorum famoſiſſimę Meti Præſul eleuatur & conſtituitur die XVII. Kal. Nouemb. anno Dominicę Incarnationis DCCCCLXXXIV. Indictione XII. Mira vero Dei & Domini noſtri gratia & potentiæ antiqua virtute, quod eſt dictu mirabile, principum illa diſcordia quam putabant non ſine magnis periculis, nec ſine ſanguinis multa effuſione vnquam euadendam, ſic ſedata, ſic ad nihil redacta eſt, vt res iam in armis conſtituta ad vnitatem electi principis & ad diuturnitatem verę pacis, quæ quandiu vixit princeps idem, durauit, perfectiſſima rediit, dum votis fidelium Adelbero in hunc dignitatis pontificalis gradum felix aſcendit. Acta ſunt hæc felicibus auſpiciis Wormatię quondam Vangio dictę quo exercitus Galliarum, Germaniæque pars ad fauendum puero principi, pars vt reſiſteret, conceſſerat. Sed Adelberone baculi paſtoralis donato honore, regi quem Deus elegerat, vt erat videre, qui paulo ante reſtiterant, magis huius beati meritis poſt plus pronos ad ſeruiendum ſeſe impingere feſtinabant, & fideles fore ab hinc in poſterum deuouebant. Quid amplius? Pacatis rebus regis, tranquillatis cunctis regis noui negotiis, Beatrix, quæ huius pacis propagatrix Deo annuente extiterat. & cuius induſtria tam ſubita militum & principum in regem confederatio facta fuerat, cum ſua feliciſſima prole felix, & ipſa, & cum nobili illo Metenſium exercitu ad vrbem filio datam ire properat. Geſtibus cordis & corporis quibus poterat, quibus nouerat Deum & Dei antiquam clementiam & ſummam bonitatem ac notam gentibus virtutem magnificans atque collaudans. Fit concurſus virorum ac mulierum, fit inaudita populorum irruptio, fit admirabilis Monachorum & Virginum ac Sanctorum omnium votiuus ac dulcis applauſus dum veniunt, dum diu præſtolata gaudia affore cernuntur & ſuſcipiuntur. Quanta pijs gratulatio, quanta cordium præconia, dum à populis laudes Deo teſonant, dum clerus non tantum vrbis vnius modos dulciſonos & hos altiſſimos inter cantandum fecit, dum ſacrarum mulierum turba voces Deo dignas efferunt in excelſis. Interim benedictio Sacerdotalis vſque in Chriſti Domini natalem differtur: Et quia Dominicus dies ad hoc Sacramentum peragendum à patribus eſt inſtitutus V. Kal. Ianuar. quo Natalis Innocentum celebris veneratur, Dominicalis Reſurrectione Domini ſacratus ac ſanctus dies affuit, & ecce Antiſtites vicinarum ciuitatum Treuirim quæ eſt Metropolis antiqua, confluentes, cui Dominus Ecbertus Venerabilis Archiepiſcopus præerat paribus votis, parique aſſenſu dominum Adelberonem in ſedem Metenſis vrbis Præſulem conſecrant atque benedicunt. Hinc iam Paſtoralibus curis, & ouium Dominicarum regiſtris ſuſceptis, totum ſe vt forma commiſſi gregis fieret accinxit, totum in Dei opere corpus & animam præparare deliberans, exemplum ſubditorum & ſpecimen ad virtutes fore ſtudio ſummo curauit. Affabilis etiam ætate aut paupertate inferioribus vltra quam credi hoc tempore poſſit humilis, ſic vt à prauis in hoc & à ſuperbis quaſi nimis deiectus notaretur, quæ omnibus ſui temporis iræ omnino expers, ita vt ſe mirari diceret ad quid aut quomodo in homines mitium iracundię aſſurgeret, cum ipſe diſciplinas erga male facientes exercere geſtiens iraſci non poſſet. Seruorum Dei & præcipuè Monachorum amator feruentiſſimus, adeo vt à laïcis aſſiduè laceratus ac corroſus, nihil præter Monachos curare infamaretur: Chriſti Domini certè imitator fieri exoptans & verè cupiens, dum dominum ſuum, quòd cum publicanis & peccatoribus conuiuaretur, conuiciari legeret, & à Iudęis peſſimis vini potatorem vocatum audiret, ſe improperia huiuſmodi aut fere grauiora pro eiuſdem Domini ſui quo multum feruebat amore perpeti, diuitias inæſtimabiles & grata ſibi munera iudicabat. Conuiuijs virorum Sanctorum & Monachorum maximè ſic delectabatur, vt felicem ſe eo die fateretur quo cum eis prandere contingeret, quibus mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo, quibus & accumbens ſæpe dicebat, venite vt ſedeatis à dextris Filij matris Eccleſiæ. Hæc vere dico, vere fateor, quia hoc & verbo & paſtu licet immeritus, licet abiectiſſimus fratrum dexteræ ipſius Domini mei primus aſſidens ſæpe vſus ſum participatuſque eius ſacris colloquijs, & inter conuiuandum frequentiſſimè delectatus. Miſcebantur etiam ſacræ exhortationis ac correptionis dulciſſimi Sermones cibis quos ſumma cura ſibi erat Monachis ſemper dilectis accuratè ſatis parare. Vir beatus, vir cum quo vt verè credimus, Deus erat. Verè

Apoſtolicus omnia omnibus factus vt omnes lucrifaceret, omnia his non modo clericis ſed & laicis. Iudæis etiam dilectiſſimus erat, ita vt vſque hodie, prætermittam Chriſtianos, ab ipſis etiam noſtrę religionis infeſtiſſimis Iudæis quotidianis luctibus & grauibus ſuſpiriis defleatur. Hunc omnis ſexus & ætas, hunc omnis ordo & conditio, incolæ hunc & aduenæ, infra hunc, extra poſiti, hunc noti, hunc ignoti miro affectu mentis venerabantur ac diligebant. Erat igitur corpore plus cunctis ſui temporis venuſtus, ſtatura decorus, forma elegans, oculis ornatiſſimus, naſo mediocris, capillis albus & ipſis raris & planis, ex genere corpulentus, manibus pedibuſque & toto quod erat mirabilem Deum in omnibus operibus ſuis oſtendebat, & quam decorus factor in ſua natura ſit, cuius tam decora opera habeantur, ſe cernentibus indicabat. Primordia ac primitiæ actuum ipſius ad diuinos vſus & ad exercendos animos in his quæ pietatis ſunt, S. Symphoriani locus extitit, qui licet antiquitate nihil præter ruinas & caſus prætenderet, & in nigerrimam faciem eius magna nobilitas decidiſſet, ſitus amœniſſimus vineiſque vberrimus ac vrbis vicinio honorabilis, Sanctorum multiplicitatē, & quod eſt decentius ſedis Pontificum numeroſis corporibus famoſiſſimus, cor beati & dulciſſimi Domini noſtri Adelberonis & mentem, vt in hanc quæ eſt videre decoris ſpecioſiſſimi venuſtatem reduceret, induxit; & in redinuum vt aſſurgeret formoſitatis gratiam deuotiſſimus elaborauit, nec deſtitit, donec ad id quod cæperat felici Dei dono votis beatiſſimis adimpleret. Et quia parietum & maceriarum proceritas, tectorum culmina, columnarum honeſta rotunditas, rutilantium metallorum ſplendor, caſſo labore adquiritur, & inani ſtudio congeritur, ſi non remota omni mundani fauoris cupiditate & tranſeuntis laudis cuncto appetitu abiecto, pro ſolo diuinæ renunciationis reſpectu totum congeſtum corraſumque fuerit, & vt diuinas æternaſque manſiones ſibi fidelis ac deuota Deo præparet anima hæc terrena ædificia conſtruere apparareque totis ſtudijs debet. Hic beatus id præuidens loco quem Deo parauerat, ſeruorum Dei, qui inſtitutis S. Benedicti hene parere docti ad perfectum nouerant, collegio decentiſſimo exornat. Et vt pro ſalute perpetua cum ſua prædeceſſorumque ſuorum, tum pro totius orbis, cuius magna erant peccata, Deum exorarent, ſollertiſſimus aggregauit. Poſtquam vero locum hunc de hoc Deo ſtabilitum reddiderat & Monachorum copia pulcherrima quos vndecumque collegerat honeſtiſſimum fecerat, id deliberans, vt ſemper ſuus non ſolum ſpiritus, ſed & anima & corpus Deo & Chriſto eius ſeruiens nulla ſui pars vel ad momentum quidem à diuino pietatis opere otioſa conſiſteret, ſed impigra & vtilis laboris aſſidua multimodo etiam Sanctorum exercitiorum genere ſeſedeterere cupiens, Romanum iter aggreditur, limina Apoſtolorum adit, & ſuos ſubditorumque exceſſus fletibus quibus ſupra mortales abundabat, deplorans deponit. Papa Ioannes Sanctæ Sedi præſidebat, & vices beati Petri digniſſimè adminiſtrabat, qui domnum Adalberonem tanto honore ſuſcepit, tantaque reuerentia habuit, vt hominem huiuſmodi generis & nobilitatis decebat, & quod magis eſt tantæ ſanctitatis & pietatis viro competere nouit, ac Sanctorum reliquiis honeſtiſſimè munerauit. Quam durum, quam aſperum beato viro hoc iter fuerit, quanto labore, quantiſque ſudoribus iuga & deuia montium, rupium & ſiluarum arripuerit, qui noſti quantæ teneritudinis & grauedinis fuerit, qui ſcis eum robore corporis & membrorum viribus omnino cùm natura nobilitatis, tum animi imbecillitate debilem ac inualidum fuiſſe, perpendere ac diiudicare valebis. Rediens autem totum ſe diuino operi mancipauit, laudibus ſui creatoris aſſiduè inſiſtere curauit, eleemoſynis, vigiliarum & orationum laboribus ſe corpuſque macerauit, infirmorum neceſſitatibus, mortuorum ſepulturis aſſiſtere præcipuum faciebat, peregrinorum diuerſæ profeſſionis & diuerſi ordinis nuditati & paupertati ſubueniebat. Sic indefeſſè, ſic ſedulè, vt cotidiano vſu receptos pedes eorum manuſque lauans, deinceps ciborum generibus recreans, in commeando etiam muneribus donans hos relaxaret. Mox alios ſuſcepturus pari amoris feruore, pari pietatis dilectione, ea quæ Dei mandato & fratribus impendantur inſtituta cognouerat impenſurus. Xenodochium quidam locellus infra vrbem Mettenſem habebatur antiquiſſimus, pauperculus, viliſſimus præter id quod Beatæ Mariæ ſemper Virginis nomine erat dicatus. Quem amore Chriſti & Matris Chriſti Domini in quem ædificiorum ſplendorem erexit, quantis diuitiarum opibus aggregatas ibidem ancillas Dei ad laudes perpetuo creatori omnium celebrandas ditauerit, res acta indicio eſt. Domnus Aduentius Sanctæ Mettis

venerabilis Præſul in Bliſacenſi pago loculum quendam in Sanctę Trinitatis & indiuiduæ honore cæperat, quem Domnus Robertus eiuſdem Sedis Pontifex, prout erat paruus cæptus, paruum perfecit. Hunc dominus noſter Adalbero cernens ſanctæ Religionis cultibus aptiſſimum, quia & ſiluarum vaſtis finibus eremum prætendebat, & aquarum gratia amœnitatem circummanentibus conferebat. Quod autem maximè Sanctum virum permulcebat, quia & conſecratus in honore ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, vt diximus, & corpore Sancti Terentij Confeſſoris & Pontificis eiuſdem Mettenſis Sedis erat inſignis, multum delectatus: item feminas Deo dicatas coadunans inibi collocauit, & ſumptus ampliſſimos ad viuendum condonauit. Domnus Deodericus item Mettenſis vrbis Antiſtes glorioſus, cui hic dominus noſter Adelbero ſucceſſerat Præſul, in pago Caluomontenſi locum quendam inter Moſellam & montem qui in deuexa ſui caſtrum habens ex accidenti ruſticorum lingua Spinal vocatum, diuino famulatui aptum repetiens, Monaſterium conſtruxit, conſecrans illud Deo & ſancto Goerico, cuius ſacratiſſima oſſa ab vrbe Mettenſi transferens digna veneratione collocauit, & patriæ patrocinium fœliciſſimum præparauit. Domnus Adelbero huius ſucceſſor ad ſalutem Chriſtianitatis & ad votum commiſſorum Præſul effectus perpendens murorum alta faſtigia non valere, ſi non ſint ſerui Dei qui incolant ædificiorum conſtructiones, neque prodeſſe terrena, vbi cœleſtia defuerint, primo quidem Clericorum conuentum ad omnipotentis Dei honorem coadunauit. Poſt gloriam diuinitatis quantum in Domino eſt ampliare totis viribus omniquè conamine geſtiens, ancillas Chriſti ſub regulari vita & ſub inſtitutione Patris noſtri Beati Benedicti, ſcilicet bene edoctas Deo, & ſancto Goërico Pontifici ſeruire deſtinauit, dans prædia & poſſeſſiones, quibus ſine innopia, & ſine indigentia viuere poſſent. Quantæ vero humilitatis & hoſpitalitatis, quantæ patientiæ & largitatis erga peregrinos, & cunctos pauperes fuerit, res in eodem loco acta indicio eſt: Sanctus Confeſſor Chriſti Goericus, quid in vita ſua promeruerit, quid apud Deum valuerit, cunctis miraculorum ſignis & prodigijs declarans fama ſui longè latéque crebreſcente populis gentibuſque innotuit. Vt ergo gloria Dei nota fieret, & magnificentia bonitatis eius plus pluſque noſtris temporibus manifeſta clareſceret in Burgundiæ cunctis finibus clades peſſima multitudinem maximam populorum inuaſit, qua manibus pedibuſque ardentes miſerabili pœna hic perdito vno, hic vtroque truncatus pede, hic medio aduſtus, aliquis tunc primum aduri incipiens, non multum ſero veniens audito ſancto Pontificis rumore innitentes baculis, aut carriotis deuecti, vndecumque confluebant. Dum hæc fierent, domnus Adelbero dum viueret lux gaudiumque ſuorum, quia caſtrum imminens Monaſterio ſedes eſt Epiſcopalis, ſæpiſſimè aderat, & huiuſmodi viros quotidie ad conuiuandum recipiens, proprijs manibus vulnera illa contrectans & lauans, ore & oculis demulcens, Deum in omnibus ſuis operibus laudare, & benedicere non deſinebat. Verè loquar vii. diebus huic diuino ſeruitio cooperator interfui, & proprijs manibus aut lauabam, aut detergebam, dum non minus centum aut LXXX. vt diximus quotidie lauaret & cibo recrearet. Nam dum vulnera ipſa aqua perfunderentur, tantus vapor tantaque nebula domum in qua id fiebat, replebat, vt vix alter alterum videre præualeret. Fœtor etiam intolerabilis erat ſulphur, & quicquid in odoribus importabile eſt exſuperans & vincens. Hæc, vt dixi, beatus vir ſine deſpectu & cum magna cordis deuotione peragebat. Quæ idcirco dixerimus, vt in vna eademque re duorum Sacerdotum, duo facta memoriæ digniſſima prædicaremus & poſteris imitanda vel admiranda traderemus, dum in beato Goerico virtutum inſignia & in domno Adelberone humilitatis & abiectionis omniſque vilitatis humanæ appetentiam & ſummum amorem demonſtraremus. Sanè hunc tantum & talem virum nimiæ humilitatis, & omnium virtutum, quas ſancta mater humilitas pio vberum lacte enutrit cultorem prædicantes, & in eiuſmodi rebus probabilem enarrantes, ne id ei à poſteris, quod à præſentibus ſui temporis ad hoc à familiaribus imputabatur, imputetur. Fuiſſe ſcilicet eum nimium humilem, nimiumque deiectum: quædam huic operi ſubnectenda decreuimus, quibus certis temporibus certaque ratione bonis humilitate ſubditum, malis autem fidei conſtantia ac cenſura iuſtitiæ, temporis etiam conniuentia repugnantem,

& vitiis vitioſiſque reſiſtentem oſtendamus. Domnus Henricus Rex, qui tertio Ottoni diuo Imperatori ad regnandum quidem, necdum autem ad imperandum in tota Germania quæ citra Rhenum eſt, & in Lotharij regno quod cis Rhenum eſt ſucceſſerat, colloquium Synodumque conſciuit. Vbi omnes penè regni ſui ſummos Sacerdotes coadunans, & ex diuerſis diuerſa diſputans, inter diſputandum ipſos eoſdem Sacerdotes acerrimè congreditur, cur videlicet in ſuis Diœceſibus & Diœceſianis, ea quæ Synodali ac per hoc ſpirituali falce ſecanda erant non reſecarent, ac gladio Spiritus-Sancti putrida, & male ſana à membris fidelium abſciodere ſuperſederent. Mirantibus omnibus quid ſibi verba Regis, tam diſtrictiſſima vellent, quo ve tenderent, Rex admiratione eos abſoluere curauit, quid ve prætenderet palam fecit. Inter multa, inquit, quæ in regno noſtro ſuiſque parochiis corrigenda ſunt, parentes ſic ſibi proximè coniugio copulantur, vt Deum non timentes, & homines non reuerentes, etiam tertij loci conſanguinitatem, quod nefas dictu eſt, ad copulam adſciſcere non refugiant, & lineam quæ ad ſeptimam vſque generationem ſacris Canonum inſtitutionibus illibata conſeruari iubetur, Iudæis paganiſque infeliciores in ipſis ſui exordiis abrumpere non formidant. Epiſcopis hinc inde ſedentibus diuque ſilentibus, pars de quo diceretur neſciens, pars perſonam de qua dicebatur multum vel amans vel timens, quid dictis regalibus reſponderet, prorſus ignorabat. Mens enim malè ſibi conſcia, dum ea quæ non vult, audire computatur ſit ſtupida, vox refugit, verba dilabuntur & ſapienti coram poſitus honeſtius ei videtur ſilere quam loqui. Rex quem fallere nemo poterat, quia erat homo litteris adprime imbutus, eloquentia facundiſſimus, ad regendum Dei timore viuaciſſime adſtrictus, motum cordis patientiæ frenis reſtringens, ſacræ Scripturæ exemplis eos aggredi honeſtius eſſe iudicans. Ecce, inquit, ecce vos eſtis loca quidem ſanctorum Sacerdotum tenentes, & in meliori cathedra quàm ſediſſet Moyſes ſedentes, vtpote vices Domini poſſidentes, qui & boni canes, & ſancti arietes pro vitæ merito dici debueratis, contraria vice, inuerſoque ordine canes muti non valentes latrare eſtis effecti, ipſique cæcitate mulrati dum ſubditis ducatum præbere cogimini, & ductor & ſequens ambo in foueam præcipitamini. Ecce, inquit, Conradus, Dux Auſtraſiorum conſanguinitate nobis, & quicumque in tota patria nobiliores ſunt cunctis affinitate coniunctus, vxorem duxit ſic ſibi propinquam, ſic proximam, vt ſicut timemus, non modo ipſi, verum omni patriæ offenſa Dei citiſſimè, & vt dicitur pro foribus adeſſe videatur. Parumque minus crimen malis racentibus indicatur, quam ei qui idem ſcelus audacter, & ſine peccati æſtimatione perpetrare cernitur. Domnus Adelbero Metenſium venerabilis Præſul, ſanguinitate & affinitate regi adſidenti, & cunctis qui ex magni Henrici linea deſcenderant adprime coniunctus, huic ſacræ Synodo interſedebat, & vt erat cunctis conſacerdotibus nobilior, excelſiorque, ſic nobiliori celſiorique ſella inter ſuos prominebat. Hic regis obiurgationem vltra ferre non valens, & tacere amplius inhoneſtum iudicans: interim, inquit, ætatis ſanè titulis & ſcientiæ prærogatiua, locum quidem loquendi cum fratribus noſtris dantes, & honorem canis, ſenectutique diuino præcepto exhibentes quo dicitur, coram cano capite conſurgas, quia maieſtatis veſtræ potentiam, domine mi rex ad dedecus noſtri ordinis obiurgationi & inuectioni plus pluſque videmus verba augere, tacere vltra vere fatemur, & quæ recta ſunt non dicere, non ſolum ſtultitiæ, ſed quod maius eſt magnæ verecundiæ deputamus. Domnus Otto Dux, pater iſtius venerabilis Conradi Ducis nobis conſedentis natus ex filia magni Ottonis eſt, cuius ſoror Girbergia dedit filiam ſuam Conrado Burgundionum regi. Ex Conradi autem filia nata eſt domina Mathildis, huius Conradi aſſidentis vxor. Hoc ergo genealogiæ ordine, quia fratres ſororque in ſupputatione non admittuntur, conſanguinitas horum non pluſquam ſecundo loco elongari præualet. Hæc beato viro retexente, tantæ iræ tantæque ſimultates in ipſa Synodo exurgere cœpere, vt niſi eſſet ea nobilitas qua cœlo terra marique, vtraque inclytus effulgebat. Conradus dux, de quo res agebatur, & quicumque ſuæ partis erant, neque Deum, neque regiam maieſtatem reuerentes, neque Sacerdotibus, quorum maxima & honeſtiſſima multitudo præſens aderat, aliquid honoris exhibentes, arma furoremque corripuiſſent,

& ad inſaniam exſatiandum quicquid mali manus robutque inferre poſſet, non omiſiſſet. Aderat huic magis ſeditioni quam Synodo dominus Teodericus, frater quidem huius domni noſtri Adelberonis Pontificis, dux autem eorum qui cis citraque Moſam, Moſellamque reſident, & hæc quæ agebantur, quæque iuſtè diſponebantur, ſua auctoritate firmabat, atque corroborabat, nuptiaſque inlicitas cum reliquis ducibus, comitibuſque, & quod maius eſt Sacerdotibus Deo, & rectitudini ac regię iuſtitiæ fauentibus damnans, & humanas iras non formidans, æquitatis lance, quæ Dei erant liberrimè decernebat. Aderant etiam in hac venerabili Synodo primi & præcipui Sacerdotes Willigiſus Moguntinus Præſul, Heribertus Colonienſis iridem Præſul, Warmacenſis, &c. Argentenſis, Vualterus Spirenſis, Notgerus Leodienſis, Hezel Vviziburgenſis, Haimo Verdunenſis, Berraldus Leucenſis, aliique quampluтes, non ſolum ex Lotharij regno, verum ex omni Germania quorum pars fauore, pars timore nobilis perſonæ hinc inde agitati, hinc inde defluentes pauci admodum, & ipſi inter ſuos præcipui Deo dilectiſſimi Adelberoni, & dictis eius iuſtiſſimis teſtimonium veritatis exhibentes egerunt, vt inter verum falſumque diſcidij & diſcordiæ non modica diſceptatio fieret, quam etiam ipſe rex omnino ſedare non potuit: verum niſi eſſet domni & Pontificis noſtri Adelberonis incomparabilis nobilitas, furor cæcus & inſania miſera arma etiam telaque corripuiſſet, & ad homicidium vſque iræ commotione pertingere contigiſſet. Hac igitur ſimulatione his odiis infeſtiſſimis diſceſſum eſt, & vnuſquiſque ad propria redire feſtinabat. Sed domnus Pontifex, dum ex patria propria recedens ad regale colloquium perrexerat, nihil horum metuens, nihil horum æſtimans, quia erat omnium ſui temporis mitiſſimus atque pacificus, non multa militari manu, ſed Clericorum & honeſtiſſimurum Laicorum dulciſſimo comitatu, vſus eſt, & propter id in redeundo, verens, ne fortè in via hoſtis inſidias pateretur, ab itinere paruin quid declinare dignum duxit & cedere magis ad horam, quam veſaniæ furentis principis locum cædis, aut alicuius alterius malignitatis dare voluit. Dei autem omnipotentis & Chriſti eius ineffabilis pietas, & æterna clementia aliter quam dominus Pontifex crediderat, rei euentum miſerando diſpoſuit & diſponendo præordinauit, dum ſpiritum furoris & malignitatis, dum vim latrantis & turbulenti vertigines in eum pauorem in eúmque timorem commutauit, vt eo impetu eaque virtute, qua Dei ſeruum ante perſequi moliebatur, nunc fugere ac retro ire, viribus quibus poterat aggrederetur, ac magis capi timeret, quàm corpore elaboraret. Duabus igitur diebus fugæ fidem committens, donec in tuto ſe eſſe credidit, ſemper ſe à domno Pontifice, & fratre eius duce Theoderico inſequi exiſtimabat memoratus Conradus; noſtri vero nihil aliud quàm patriam repetere, & ad id ſumma feſtinatione conabantur: & quia & tempus poſcebat præter pacem, & ea quæ pacis ſunt, videlicet metere, caris domeſticis vtilia adminiſtrare. Domnus autem Pontifice conſueta repetere, Monaſteria videlicet vel rara conſtruere, vel vetera reſtruere procurabat. Hæc dixi propter hos qui beati viri innocentiam & pietatem, in ſtultitiam & ſtoliditatem vertebant, & Iudæorum ſequaces, qui caput noſtrum & principium mordacibus verbis perſequentes, vini potaturem & dæmonio plenum, quod nefas eſt etiam recordari, ſemper inclamabant. Horum, inquam; ſimiles ſeruum Dei & honeſtiſſimum ſummi capitis membrum, quia ad quæque conuitia, ad iraſcendum non inſaniebat, hebetem & vecordem dicebant. Hic autem beatus, & ad ſibi illatas iniurias patiens eſſe didicerat, & ſubditorum calamitatibus ſic ſemper adeſſe feſtinabat, & rerum oportunitatem præſtolans, omnibus omnia factus, ſanctis ſemper ſubditus, erga malos, vt conuerterentur ad corrigendum & exhortandum aſſiduè præparatus, frequenter ſua benignitate fructus ſibi ex prauorum conuerſione adquirebat, & lucrum ex pecunia ſibi credita feciſſe multum gaudebat. Exhortabatur quos exhortari debere videbat, increpabat duros & perfidos, obſecrabar pios, & benignos ad meliora conſcendere; quos verò mentis duritia incorrigibiles efficiebat, hos gladio & armis diuinæ animaduerſionis teliſque ſpiritalibus perſequi diu per patientiam expectatos, legibus etiam adiudicatos feſtinabat. Aliquando res eorum & facultatem depopulans, aliquando caſtra eorum ſubuertens, & terræ coæquans: quia hæc Eccleſiaſticæ familiæ nimis vicina, quicquid prædari poterant hic inferebant, & continuum pauperum clamorem ad aures piiſſimi Pontificis peruenire faciebant. Alteriacum namque Theo-

derici infeliciſſimi caſtrum. Lantfredi curtis etiam dicta, Turrem cui Eu... linus prauiſſimus inſidebat, & Vendoperam Beraldi Comitis in Calnon... tenſe pago ſitam ſubuerſione damnauit. Nouerit ſanè quiſquis hæc legerit iniurias ſibi ſpecialiter illatas nunquam vindicaſſe, ſed pro Chriſto & pro tanti nominis amore æquis animis cuncta toleraſſe, & per patientiæ virtutem ſibi ingenitam, Domini ſui imitatorem extitiſſe, qui vt Beatus Apoſtolus dicit, cum pateretur non comminabatur, cùm malediceretur non maledicebat. Recordabatur quia traditus idem Dominus, omnem patientiam exercebat. Non contendit, non clamauit, nec in plateis audita eſt vox eius. Recordabatur quia inſultantium ille ſputa ſuſcepit, qui ſpiritu ſuo oculos cæci nati aperire dignatus eſt, coronatus eſt ſpinis qui Sanctos Martyres floribus coronat æternis, palmis in faciem cæſus eſt, qui veras palmas vincentibus tribuit, ſpoliatus eſt veſtibus, qui indumento immortalitatis ceteros veſtit. Flagellatus eſt cuius nomine ſancti & ſerui eius diabolum & Angelos Apoſtàtas flagellant. Cibatus eſt felle, qui cibum cœleſtem fidelibus dedit & ſemper dat, & qui panis eſt Sanctorum Angelorum. Aceto potatus eſt qui ſalutari poculo fidei Chriſtianis quotidie propinat. Hic innocens, ille iuſtus, immo innocentia ipſe, & ipſe iuſtitia inter peccatores & iniquos deputatur & teſtimoniis falſis veritas premitur, iudicatur iudicaturus, & Dei Verbum, Deique ſermo ad victimam tacens ducitur; ad vltimum mortem crucis patitur & moritur qui vitam præſtat mundo, qui reſurgens ſpem reſurrectionis fidelibus dat, & aſcendens in cœlum quia cum eo aſcenſuri ſumus, ſi capiti noſtro compacti & conglutinati bonis operibus & actibus ſanctis inueniemur membra effecti Chriſti Domini, qui eſt caput principiumque non ſolum noſtri, verum omnium creaturarum. Hæc cuncta Deus filius Dei in ſua natura impaſſibilis, in noſtra effectus paſſibilis, virtute patientiæ pro nobis perferre dignatus patientes nos eſſe non modo verbis, verum exemplis ſuaſit. Quæ & hic beatus ſic ſequi, ſic imitari ſtuduit, vt iniurias ſibi à quocumque etiam infimo illatas nunquam vindicarit, nunquam vltus fuerit. Sed firmo pectore præcepti dominici executor quo Beatum Petrum inſtru[...]at: non dico tibi Petre dimittendi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties quicquid in ſe vnquam aliquis delinquere poterat patientiſſimè ignoſcere poterat, & iniuriarum immemor magis beneficia pro malis quàm vindictam compenſa[...]at. Rapinas verò Eccleſiarum quæ filiis Eccleſiæ inferebantur, diu quidem per patientiam ſuſtinens iam tandem vel malorum enormitate vel pauperum nimis aſſiduiſque clamoribus tædiatus, quia id cenſura officij expetebat, & id diuinum præceptum fieri mandat dicens corripiendum prauum primò ſolo Deo teſte ſecundò adhiberi vnum aut duos teſtes, tertiò debere dici Eccleſiæ. Deinceps ſi Eccleſiam non audierit, deputari inter ethnicos & publicanos. His omnibus ei qui incorrigibilis exiſtebat exhibitis, aliquando vinculo anathematis eum adſtringere aliquando praua eius domicilia ſubuertere, multoties rebus proprijs [...]buert re non cupiditate actus, ſed pro correctione prauorum & bonorum requie id agere compulſus. Quia vero pietate magis quàm auaritia hæc faciebat, ea res indicio erat dum ab aliquo maligno quippiam lege accipiebat, ſuis vſibus exinde nihil vnquam miſcere voluit, ſed aut pauperibus ea ſtatim diſtribuenda, aut reſtituendarum Eccleſiarum vſibus largienda diſpertiebatur. Dum enim ea quæ ſibi vel ex patris, matriſque patrimonio, vel ex commiſſæ Eccleſiæ theſauris & magnis diuitiis in re comperebant, non reſeruare, non congregare vnquam valebat, ſed pauperibus, viduis, orphanis & præcipuè Monachis, qui erant ſua cura, qui erant ſuus ſummus amor, cuncta largiebatur, credi fas non eſt, quod is bona alicuius etiam legibus adquiſita ſibi reſeruare, aut marſupijs Eccleſiaſticis includere concupiſſet verè beatus, verè vir in quo dolus nullus erat, nullum circunueniens, nulli fraudem inferens. Quin potius ſua libenter impertiens, in craſtinum aut nulla aut pauca retinens. Apoſtolici præcepti deuotiſſimus & continuus executor, habens victum & veſtitum his contentus erat: Nihil, inquiens, intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid poſſumus. Erat ei humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriam facere neſcius, illatam ferre ſciens. Cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater eſt, timere quod Deus eſt, Chriſto omnino nihil præponere. quia nec nobis quicquam ille præpoſuit, charitati

tati eius inſeparabiliter adhærere nouerat, cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtebat, quia hac didicerat coheredem Chriſti exiſtere. Hoc eſſe præceptum Dei facere, hoc eſſe voluntatem patris implere. Quæ autem dicam, his qui eum exterius nouerunt incredibilia fortè videbuntur, quia & nobilitate carnis & natura ſupra mortales cunctos tener ac delicatus erat, & ad perferenda quæ dura ſunt omnino imbecillis. Miſſas & Sacramenta diuina ſine cilicio nunquam celebrauit, panem cæleſtis myſterij intimis lacrymis irrorabat, potum itidem diuinum cum fletu ſemper temperabat: Vigilias Natalis Domini & Sancti Paſchæ, ſanctæque Pentecoſtes, & omnium Sanctorum Apoſtolorum, & præcipuorum martyrum ſine aliquo cibo ſemper tranſigebat: & id in occulto cubiculo conſcientiæ & cordis, Deum exorans faciebat. Quadrageſimæ dies ſine Monachis, ſi in patria demorari poterat, nunquam celebrabat, quod præcipuè apud Gurgitenſes facere conſueuerat, quia locus idem & ſacræ religionis diſtrictione inſignis, & diuitiis opulentus, & ſitu amænitatéque gratiſſimus, ad diuinos vſus, & ad diuinum ſeruitium perficiendum placidum quietúmque ocium exhibebat. Nam duabus Quadrageſimis iter Romanum pro ſolo Dei amore celebratis, iterauit, & ſacroſanctas Apoſtolorum memorias lumináque orationibus & muneribus honorauit. Si quis autem ad credendum tardus, beatum virum cilicio vſum refragatus fuerit aut negauerit, ad nos veniat, & viſo quo vtebatur cilicio, & ſtaminea lana qua omni Quadrageſimæ induebatur, quæ nos ab his qui ſecretorum intimè conſcij erant, quæ & nos pro magnis theſauris adquiſiuimus & ſeruamus, quia Deo nihil eſt impoſſibile quod oculis cernere eſt credulitati cor fidele neceſſe eſt comitetur. O quàm facilis aditus ad colloquendum & ad conuiuandum ad quæque commoda perquirenda omni ordini, omni ætati, omni poſſeſſioni, pauperi, debili, perſonæ viliſſimæ, iuſto, peccatori, erga beatum virum ſemper erat, nulli præſentia eius deerat, ſecretarium eius cunctis patens, fores eius nulli clauſæ, ſubſidia eius omnibus aderant, eius dulce conſilium nulli deerat. Anniuerſaria priorum Pontificum quo ſumptu, quam magnis eleemoſynis, quanta deuotione venerabatur ac recolebat, me tacente hi qui in Miſſis agendis, in pauperibus recreandis, & reliquis pietatis vſibus ſancto Pontifici cooperatores frequentiſſimi extiterunt, referant, & iuſtum digna laude, pro diuino cultu diuinóque ſeruitio extollant, recolentes ſcriptum, omnis laus in fine decantatur, & ſapientem dixiſſe memoretur. Ne laudes hominum in vita ſua, quoniam quidem in vita hac nihil veri conſtat, ſed cuncta mendacio plena, cuncta caduca, nec poteſt eſſe recta laus vbi finis certus non eſt, dum quiſque beatus beatæ vitæ inſeritur, & ei coniungitur qui eſt via, veritas & vita, tum verè laudatur, tum verè in memoriam hominum vertitur, quia laus, & pax, & gaudium, & honor omnium Sanctorum eſt, quem laudare & benedicere hic quiſque incipiens bono fine conſummatus, hincque tranſiens quum verè videt facie ad faciem, verè laudat, & verè benedicit. Epiſcopi ſui temporis aliqui faſtu ſuperbiæ, aliqui ſimplicitate cordis, filios Sacerdotum ad ſacros Ordines admittere dedignabantur, nec ad Clericatum eos recipere volentes, hic vir beatus neminem deſpiciens, neminem ſpernens paſſim cunctos recipiebat, neque perſonam, neque genus eligens, aut præiudicans; ſed id mente fixa retinens, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Vix in omni tempore ſui Pontificatus annus pertranſiit, quo vel ante diem natalis Dominici vel Quadrageſimæ tempore ſtatuto antiquitus ieiuniorum ſabbato, Preſbyteros, Diaconos, & aliquos Eccleſiaſtici iuris miniſtros non ordinaret, & ſe eorum precibus ſubnixè non committeret, in tantum vt Sacerdotum ab eo ordinatorum numerus vltra mille fere procedat, & reliquorum graduum numeroſitas comprehendi nequaquam poſſit. Qualis frequentia, quale Dei & omnium Sanctorum decus, quanta populi totiuſque Cleri lætitia, quotienſcumque beatus Pontifex vel miſſas publicè dicebat, vel aliquarum nouarum Eccleſiaſticarum nouam dedicationem exercebat, vel benedictiones diuinorũ graduum adimplebat, quis dicere, quis valeat enarrare? Ipſe autẽ ad tanta officia peragenda in hominũ faciebus & in publico, auro cũctiſque pretioſis margaritis, gemmis & lapidibus circũcinctus ac decoratus intrinſecus induebatur occultè, vt ſupra diximus, duriſſimo aſperrimóque cilicio, videlicet interiori ho-

mini interiora & ſpiritualia exhibens, vt in eo poſſet Chriſtus per fidem habitare; exteriori vero ea quæ ad cultum conſuetum pertinent ſine typo ſuperbiæ, & ſine inanis gloriæ elatione perficiens. Tertius Otto diuus Imperator vſque ad vltima ferè tempora domni Adalberonis Metenſium beati Pontificis imperauit, & in Romana vrbe totum penè vitæ ſuæ tempus exegit. Vnde ſic imperij ſui regna, & patriæ deuaſtabantur, quo vix ſubſiſtere aut viuere ipſis etiam primatibus Pontificibus & majoribus regnorum facultas eſſe poſſet. Cuius periculoſiſſimos procioctus & miſeranda rapinarum diſcrimina, hic beatus ac ſemper memorandus Adalbero data ſibi à Deo ſapientia, datoque animi ingenio ſemper & ipſe euaſit, & commiſſam plebem eripere maximi habuit, dum quantulocumque adiutorio à filiis Eccleſiæ accepto, plurima autem, & penè cuncta pecuniæ patrimoniorumque ſuorum redibitione deſtructa, per omnes ferè annos, huic vix ferendo ſeruitio, & importabilibus xeniis vndecumque compilata tranſmittere iuſtius leuiuſque iudicans minora tradere, & pauca mittere, quam ipſe delicatus & nobilis expeditioni ſeſe committens, & quæque ardua itinera aggrediens plus ſuæ viæ ſumptu, quam regalis famulatus expenſa, & nulli indulta pecunia prægrauaret. Nouerat & ſapienti ingenio præuiderat, quoniam quidem licet eſſet genere & ſanguine nulli mortalium inferior, licet poſſet non debere, reſiſtere poteſtati, dicente Domino ac iubente, Reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari: videlicet Cæſari tributum, vectigal, cenſum, Deo autem pietatis opera, orationum munia, eleemoſynarum fructum. Sciebatque Apoſtolum imperare ac ſuadere: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Idcirco vtilius animæ ſuæ ſubditorumque fore præuidebat ſua quam ſe peſſundare, terrena diſtrahere, quàm ſpiritualia, meminitque Dominum dixiſſe, Homini nihil prodeſſe, ſi totum mundum lucretur, animę vero ſuæ detrimentum patiatur: Anima enim perdita, nihil deeſt ad perdendum: ſalua anima, etiamſi cenſus carnalis defuerit, non deerunt diuitiæ, quas fur minuere non poterit, tinea non demolietur, ærugo non conſumet, egeſtaſque eius ditiſſima locupletabit: erit etiam tanquam nihil habens, & omnia poſſidens, eritque ei Deus omnia in omnibus, vt in omnibus adimpleatur. Mandatum dominicum, Gratis accepiſtis, gratis dato, Præſul venerabilis perfectiſſimè adimplens, & dum vixit veriſſimè cuſtodiens, nunquam pro Eccleſiaſticis officiis, nunquam pro ordinandis ſui clauſtri miniſtris, nedum Abbatibus Monaſteriorum, quos vſquead quadragenarium penè numerum conſecrauit, pecuniam aut quodpiam munus ſuſcepit, ſymoniacamque hæreſim, vt venenum mortiferum, mortemque venenatam ſemper exhorruit & aufugit. Si quis ſanè eſt qui putet in numero ordinatorum ab eo Abbatum fidem dictorum nos in ſcribendo exceſſiſſe, dum non tot ſunt in Metenſi Diœceſi Monaſteria, ducat memoriæ in aliquo eorum duos, in aliquo tres viros patris loco & nomine & dignitate promouiſſe, vt eſt iudicio hic ſacer locus, cui Deo auctore licet indigniſſimi præſidemus, dum præcedentibus duobus ſanctis & venerabilibus patribus, Fingenio ex Hibernia. Nam Scoti & reliqui ſancti Peregrini ſemper ſibi dulciſſimi habebantur, & domno Siriaudo, ex Gorziæ ferulis ad regendum abducto, nos qui hæc ſcribimus, benedictione huius beati Pontificis tertio loco regimini ſuccedere compulſi ſumus. Sancto Trudoni duos, Sancto Adelpho duos, Sancto Felici itidem duos, Sancto Martino vltra fluuium duo, nec adjacet vrbi Monaſterium cui benedictionis gratiam datis patribus non contulerit, aut etiam bis terque viam patrum illo ingrediente, hoc ſuccedente repetierit, præter felicem locum Gorziæ, felicem autem, non minus ex eo qui impræſentiarum præeſt, & ſanctiſſime, dulciſſiméque prodeſt, quam ex his qui iam beati ad cæleſtia tranſmigrarunt, quorum vita inclyta & glorioſa proprios libros expetunt, & geſta verè memoranda otium ſatis longum ad ſcribendum requirunt. De huius viri multum honorandi geſtis honeſtiſſimis ad augendum noſtræ materiæ decus plurima inſerenda iudicaremus, ſed quia ad votum vtilitatémque patriæ adhuc Dei gratia ſupereſt, adulationis nota inuri timentes, alij tempori vel perſonæ id reponamus, hic certè Dominus & multum venerabilis Immo poſt deceſſum patris Obelberti à domno Theoderico, ſacro Pontifice Gorgiteoſibus Paſtor, & Abbas conſtitutus ex omnibus primoribus domus Sancti

Stephani Abbatibus & Abbatiſſis, quos domnus Adalbero præeſſe inuenit, ſolus hunc eundem ſanctum Antiſtitem ſupervixit, & interim quo multum gaudemus ſuperuiuit. Conſecrauit etiam noſter beatus & electus Deo Sacerdos Adalbero Ludulfum Treuirenſibus Archiepiſcopum, vitæ magna ſimplicitate, & morum maturitate inſignem, quibus viuentibus & proprias Eccleſias gubernantibus pacis tempora, verè fatemur, extiterunt, quibus decedentibus etiam dies in noctium nigerrimam faciem tranſmutatæ, nihil præter mortem, & mortis diſcrimina, non dicam viuentibus, ſed morientibus & nec mortuis prætendunt, & quos plangere nimia diuitiarum potentia, & pacis ingenti ac diuturna inſolentia nouiter defunctos, & vt eſt in ore vulgi, virides mundus non nouit, aridis iam membris & in cinerem iam redactis, continuis lamentis & lai goris calamitate & omni miſeria pleniſſimis deflorent, ac deplorantur. Iam certè in hæc noſtra pro dolor tempora, & vtinam iſta ipſa tempora noſtra non eſſent. Nam vita odio eſt, mors verè optatur vt adſit, quoniam quidem cuique tollitur vnde viuat, quomodo viuere velit ignorat, & cui ſumptus vitæ deeſſe contingit, viam arripere omnino abhorret: vrbes certè depopulatæ, vici & villæ incenſæ omnes, viri omnes & feminæ, & totum promiſcuum vulgus ferro, fame, igne, peſtilentiaque conſumptum; multi etiam nobiles in paupertatem & magnam miſeriam deuoluti, multi gladio perempti, ita vt hodie verè dici poſſit: Peruenit gladius vſque ad animam. Nam vineæ eradicatæ, arbores & arbuſta exciſa, Monaſteria depopulata; & iam in proximo eſt, vt effugatis habitatoribus ſeruorum & ancillarum Dei habitacula in ſolitudinem & eremum vaſtiſſimam deuenire cogantur. Verum dum adhuc res in dubio eſt, nec inter compugnantes ac litigantes alicui victoria data eſt, dum etiam pars parti cedere neſcit, threnos hos & lamenta tam ingentia alteri ſcribenda committimus, noſque cuncta pacifica, cuncta dulciſſima paginæ noſtræ indere aggreſſi, illa triſtia & Poſteris noſtris in dies deploranda, & elegiaco planctu non dicam cantu aliquis deſcribat, relinquimus. Cum igitur beatus vir, & Deo dignus Sacerdos Adelbero pro meritorum magna prærogatiua, vt remuneraretur, tempus adueniret, ac bono fine & bonæ perſeuerantiæ termino conſummaretur, & qui bene vixerat, melius & moreretur, licet deceſſus Sanctorum verius tranſitus de morte ad vitam dicatur, & non poſſit malè mori qui bene viuit. Forte fuit vt Theodericus frater iſtius noſtri Pontificis res quaſdam Deo & ſancto Arnulfo auferens, diu & multum precibus & legibus tædiatus condictam diem conſtituit, vt decreto ſapientum cuius vis aut iniuſtitia eſſet, pateſceret ac manifeſtaretur. Aduenit aſſignata dies, & dies illa tota rei ventilandæ neceſſitate conſumpta eſt, quæ nimio æſtatis feruore omnes qui aduenerant adurens, quia hic beatus Pontifex, vt ſæpè diximus, & genere & nobilitate adhuc ex proprij corporis nimia imbecilitate, vltra quam dici poſſet delicatus, & tener habebatur, impatienſque erat omnium laborum, quod pro omni huius vitæ commodo nunquam ferre, aggredi, aut vellet aut poſſet, pro Dei & Chriſti amore, & pro creditæ ſibi Eccleſiæ vtilitatibus ſubiit, videlicet pondus diei & æſtus portare. Diei vtique illius, cuius caloris nimietas ſic intolerabilis extitit, vt nemo recordari poſſet, ſe tantum feruorem aut ardorem vidiſſe per tota temporum, vel annorum curricula, & quod grauius erat hac tanta importunitate vſque in ſumma veſpera conſumpta & deducta eſt. Quid amplius? Diſceſſum eſt poſt colloquium, & tribus aut quatuor miliarijs, peracta iam die itineri inſiſtere compulſus Numeniacum vſque ſine cibo medij Maij tempore penè media nocte deuenit, quando dies noctem plus minus triplo magnitudinè vincit, & tandem cum ingenti militum manu feſſo multum corpore refectioni indulget: vt verò erat homo cui parcitas victus & ciborum ſemper contraria extitit liberalitas & affluentia ab ineunte ætate amica & familiaris multúmque & pene vſque in lucem ſeſſum eſt, ingentique lætitia intus conuiuantium vſus eſt cum clericis, quorum frequentia ſibi dum vixit continua, & dilectiſſima erat, cum huius diuerſarum dignitatum nimioque more, vt poſt patuit & vt accidere ſolet, magna, & per cuncta tempore dolendi detrimenti cauſa fuerunt. Nam dum nimis & plus nimis, quod alterius temporis erat exercitio ſedant, tandem ad hoſpitia propria pergentes diſcedunt, atq; ſe

ſopori tardius iuſto dederunt: reliqui quidem quod deerat noctis in diem ſequentem ſomno dediti reſtituerunt. Sed quia dici ſolet, non eſſe mortem ſine occaſione, venerabilis Pontifex conſuetum morem præterire nolens, quin debitum munus noctis Deo exhiberet, vix caput ad dormiendum demiſerat, vix ſopori aliquantulo membra tradiderat tenerrima, & ecce ſurgit ad confitendum Deo ſuper iudicia iuſtitiæ eius, deuotéque plus ſolito expenſas officij nocturnalis Deo perſoluebat, cum ſubito mærorem ſuorum abhinc in æuum permanſurum referam, ſic ſubito ſic de repente membra beati viri paralyſi reſoluuntur, vt nullum ex his ſuum officium peragere præualens terræ totum corpus darent, tantaque velocitas ipſius peſſimi morbi in arripiendo extitit, vt nullus caſui illius ſuccurrere ex adſtantibus Clericis poſſet, antequam beati viri corpus ſolo proſterneretur. Acceſſum eſt ergo quàm citius potuerunt, & ecce ſub tanta velocitate, neque os, neque pes, non manus, aut lingua, aliquid ſui officij implere præualuit. Deportatus eſt ad lectum diſcipulorum brachiis, perſtititque triduo non loquens, nec ad aliquem intendens, donec tertio die pulſatus Dominus precibus ſuorum. Nam non ſolum ex proprio Epiſcopio, verum ex multarum regionum angulis, viri & feminæ, Monachi & Monachæ, etiam ipſi ſolitarij, & Eremitæ propoſitum nimis doloribus & inedicibilibus mœroribus frangentes accurrerunt. Accurrit & Dux Theodericus frater ipſius Pontificis, adfuerunt & Comites primariique militum ſuorum nobiles, & ignobiles, coacti ex vrbe, ſuburbiis, agris, villis, & oppidis irruentes clamabant ſe miſeros, ſe omni felicitate indignos, qui tali Paſtore orbati deſtituebantur: Lupos omneſque malas beſtias adeſſe pro foribus, quarum morſibus vſque ad ipſam necem dilaniandi paterent, vocibus intolerabilibus ingeminabant. Præſul venerabilis auditis his, animo quidem & ſpiritu conturbatus, & ad pietatem ſibi ingenitam commotus, in multas lacrymas reſoluebatur, & quod multæ aduerſitates populum poſt mortem ſuam inſequuturæ eſſent, ſicut ſæpè incolumis prædixerat, nunc infirmus & tranſitui ſuo ſatis heu nobis proximus prædicebat. Dicebat ſuas magis infelicitates vt deflerent, ſe magis lamentarentur, nihil noui adeſſe, debitum primi parentis nulli indulgendum, dum is qui nullius debiti obnoxius erat Chriſtus Deus, & Dominus noſter ipſa mortis acerrima diſcrimina experiri, & pati non refugiſſet. Ipſa ergo infirmitate oppreſſus per aliquot dies in eodem vico Numeniaco iacuit, donec inuento, communicatoque in inuicem conſilio, à clero plebeque ad vrbem propriam deportatus à multis quidem deuectus, à pluribus ſuſceptus. Dicere poſſibile non eſt quantæ voces, quanti clamores viduarum, orphanorum, virorum clariſſimorum, honeſtiſſimarum fæminarum ad alta aëra protendebantur: monachorum & ſanctimonialium quorum fruges maxima in manipulos perplures, & non nominandos ipſius eiuſdem Paſtoris diutino continuoque labore & ſudore exſurrexerat, pudore ordini ſuo debito nimiis doloribus poſtpoſito, omnis ſexus, & ætas accurrens, & vt verius dicam irrumpens, heu inquiunt, heu quid tanto paſtore deſtituti plebs, Clerus, ordo Monachilis vtriuſque ſexus tibi omne quod ſapiebas, quod viuebas magis dilectus, quid ager, quo ſe vertet, cui ſubiciendus relinquitur? Ipſe verò dilectus Deo Pontifex conſueto ſemper ſibi more extenſa manu ſigno Crucis omnes non ſemel, non bis tantum, ſed quouſque Sancti Stephani Protomartyris Eccleſiam deportatus intromitteretur, Deo commiſſam plebem commendare non deſinebat. Iuſſerat autem vt primò ante Sancti Stephani altare, poſt cunctis oratoriis domus deductus deueheretur, ibi ſe ſuumque populum Deo orationibuſque Sanctorum precibus depoſitis committere prout poterat, prout virium poſſibilitas, aut imbecillitas permittebat, ſtuduit. Hinc baiulorum manibus Epiſcopalibus tectis introductus lecto deponitur, & vt competebat infirmitati eius ſubſidium neceſſarium familiaréque ei impenditur. Eleemoſynas ex propriis rebus Numeniaco expendere cæpit, ſed Metis ſic compleuit vt quicquid ſe habere recordabatur nihil reſeruauerit, ſiquid verò remanſit, auaritiæ potius ſuorum, quam pij Paſtoris incuriæ deputandum eſt. Quicquid auri argentique, palliorum, veſtium pretioſarum habere poterat, non modo proximis & vicinis, verùm ſeruis Dei longè manentibus mittere curauit, & vt pro remedio animæ ſuæ, proque quotidianis exceſſibus, ſine quibus vix aliquis aut nullus

viuit, exorarent, & apud pias diuinitatis autes intetuentotes fierent deprecabatut. Nam Beato Martino Turonis, Sancto Dionyſio Pariſius, Sancto Remigio Remis, Sanctæ Mariæ Virduni, Sancto Petro Coloniæ, multiſque alijs per Franciam ſuperiorem, inferioremque Sanctis Xenia honorificentiſſima mittens, patronos ſul itineris quo pergebat adquirere, prout poterat feſtinabat, & de mammona iniquitatis amicos qui ſe in tabernacula æterna reciperent, lucrari maturabat. In hac denique tanta infirmitate conſtitutus, hoc ægritudinis onere prægrauatus, cælum ac cœleſtia ſuſpirijs continuis petere, oculis ipſis & ſpiritu ſedulo non ceſſans, multo maiora ſe promeruiſſe ore & corde ſemper fatebatur: Dum etiam ſecundum Apoſtoli dulciſſimum adhortatum ipſis Sanctis pro gloria æterna & perpetua corona certantibus non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram tandem gloriam quæ reuelabitur in eiſdem Sanctis & vtinam in nobis, licet indignis & non merentibus. Sancti Iob & Tobiæ Venerabilis patientiam reliquorumque Sanctorum patrum: veteris nouíque Teſtamenti reminiſcens, qui ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, diſtenti etiam ſunt non ſuſcipientes redemptionem vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Beati etiam Seruuli recordabatur, & ſemper merita prædicabat, qui ea qua is noſter idem felix defixus infirmitate, infirmitati virtutes adnectens ipſius IESV-CHRISTI Domini noſtri in ipſius beati obitus articulo meruit viſitatione conſolari, & Hymnidicorum Angelorum voces in cœlo reſonare audiens, quid virtus in infirmitate perfecta, quid patientiæ lenitas adipiſcatur, poſteris imitanda dereliquit. Nam beatus vir & venerandus Sacerdos Adalbero, vt aceruus meritorum eius etiam per infirmitatis pondus in perfectionem vſque deueniret, & in virum perfectum pleniſſimè ſuccreſcens exurgeret, qui tentationes illatas ſemper piè ſufferens, vt acciperet vitæ coronam, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ægritudine hac tam valida, tam ingenti depreſſus iacuit omnibus dextræ partis membris grauiſſima paralyſi reſolutus, nullius officij vigore aliquomodo compos exiſtens, ſolius linguæ miniſterio nactus laudes creatori ſuo Deo Patri, & redemptori ſuo Deo Filio, & illuminatori ſuo Deo Spiritui Sancto indefeſſa ſedulitate referebat. His ergo bonorum actuum fructibus, his beatæ conuerſationis commercijs Deo diu commendatus ſpiritus cœlo reſtituta anima xvi. Kalend. Ianuariarum die felix migrauit ad eum quem deuotiſſime ſitiens diebus, quibus vnquam vixerat, adeſſe ſibi concupierat, & cui iungi indefeſſis precibus & vocibus indefeſſa bonorum operum aſſiduitate elaborauerat. Erat prima hora ſextæ Feriæ, quando ciuitatis omnis populus & pro diei conſueta reuerentia, & pro aduentus Domini dignitate ad Eccleſias Sanctorum ſacro & honeſto more concurrerant, & orationum ac miſſarum ritui & obſequio inſiſtebant. Fit ecce ſtrepitus concurrentium, fit clamor ad alta deceſſu pii paſtoris lacrymoſis ſuſpirijs plebs omnino gemebunda & mæſtiſſima Deo commendare feſtinat; atque tranſitum eius digna veneratione, & digno cultu proſequitur. Dantur Deo preces & laudes pro debito, dantur patri piiſſimo luctus & fletus pro pietate, quia & patri debent vt orent pro animæ abſolutione & commendatione, & ſibi debent vt lugeant pro dilecti & multum dilecti receſſu, proque detrimento abſentiæ & diſceſſus eius, qui licet hinc abiens cæleſtia diu petita promeruerit, hos quos relinquebat, quia ex magna quotidianorum colloquiorum dulcedine ac mutuæ affabilitatis conſuetudine, in nimios amariſſimoſque luctus dies ſe deuenturos clamoribus quibus plus poterant ingeminabant. Interim circa beati viri corpus exequijs rite peractis, lotis ex more ſacris iuſti membris, induto pontificalibus veſtibus & ipſis pretioſis, vt nullus vnquam ſic pretioſis Clericorum, Abbatum, Monachorum, Laicorum diuerſarum dignitatum & ætatum proſecutione lamentabili lugubrique ad Eccleſiam Matrem deuehitur, atque Sancti Srephani Protomartyris pretioſiſſimi Leuitarumque præcipui ante altare deponitur. Ibi tota quæ ſupererat parte diei, tota etiam ſequenti nocte à Clericis non vrbanis & regularibus, ſtipendiariiſque [domus tantùm, verum ſuburbanis & ex forenſibus, quorum magna & copioſa multitudo vndecumque conuenerat vigilijs conſuetudinariis &] pſalmis magna deuotione celebratis, obſequiis ſanctiſſimis frequentabatur. Sequenti die quæ Sabbati dies dicebatur, celebratis Miſſis oblationibuſque Deo magna reuerentia datis, & vſque in horam nonam pro commendatione felicis animæ officioſiſſimè exhibitis votis

latis amicitiæ maximè vigeat pignus, nos tamen poſtquam diuæ memoriæ Deodericus Epiſcopus veſtram noſtrámque Eccleſiam mutuæ charitatis vnitate plantauit, veſtráque ſuperexcellens dilectio abundantius rigauit, non quaſi debitores carnalium, ſed dilectores ſpiritalium ex charitatis lege concorporari ex animo ſemper optamus; quæ omnia amicorum inter ſe communia fore decernens eadem nos velle, eadem nolle, eadem metuere, eadem diligere inſtituit, vt in ipſo manentes proficiamus qui totius bonæ inchoationis incrementum dat Deus. Ad hæc pro exhibitis veſtra nobis ex parte beneficiis, cum omnibus nobis affiliatis ſolo tenus proſtratis grates vobis flentes innumeras quidquid ſupetna manus noſtræ humilitati aut digito introrſus depinxit, aut tranſitoriè extrinſecus appoſuit, ante veſtros pedes claritatis pro libitu vtendum effundimus totum. Proinde ad declarandum in vos noſtræ dilectionis igniculum, diuini cui indignis deſeruimus altaris ſpeciale donum, doctrinæ, videlicet & veritatis Rationale vocatum Venerabilis Papæ Agapeti decreto ſibi collatum, prout nobis veſtra claritas per fratrem communiter noſtrum Meinzonem iniunxit, quia vnum diuidere non potuimus, exemplar illius vobis deuotiſſimè direximus. Idipſum, aut illius ſimile, ſi iuſſeritis, quantocyùs miſſuri, eo tenore vt noſtræ Eccleſiæ amplectendæ ſorores in Chriſto oramus illud in vnitate charitatis ſolæ poſſideant, nec in alias vllomodo iam velut pro vilitate diſpertiant. Super omnia autem & per omnia, vt in Epiſtola, quam veſtræ ſerenitati per filium noſtrum dilectum H. in tranſacta Paſchali feſtiuitate noſtra deſtinauit deuotio, obnixè ſupplicauimus, nunc lachrymarum tinctura informatis iterum imploramus literis, vt de ſancto communis noſtri Patroni B. Stephani ſanguine, qui apud vos in ampulla ſole clariùs emicando pullulat, partem, vel modicam, ſanctæque Glodeſindis Virginis reliquias Eccleſiæ, cui præſidemus immeriti, per eam quæ nihil indiuiſibile patitur, charitatem conferre dignemini. Quatenus pietas diuina, quæ alijs in Gallia Hunnorum deuaſtatione pereuntibus veſtram horum interuentu ciuitatem protexit, nos etiam eorundem precibus à præualidis Sclauorum, quibus vndique premimur infeſtationibus, omnibúſque periculis liberare dignetur. Cæterum quia longa terrarum intercapedine remoti ore ad os non poſſumus loqui, veſtrum lepidulum caput ipſo cordis per ſpiritum vngentes oſculo, omnes vobis commiſſos ſalutamus ex animo, ſeniores vt patres, iuniores vt fratres, omnes demum vt dominos, obſecrantes vtrinque Chriſto continuatim ſupplicare, vt ſibi velut capiti connexi in beati ordinis tabula pariter mereamur conſcribi. Valete.

VITA SANCTI ADELPHI
CONFESSORIS, ABBATIS MONTIS-ROMARICI.

Quam ex eodem Codice V. C. Claudij Hardy, Senatoris deſcripſimus, qui fuit olim Cœnobij S. Symphoriani Metenſis, continetque I. Vitam S. Clementis primi Metenſium Epiſcopi. II. Geſta Metenſium Pontificum auctore Paulo Diacono. III. Epitaphia filiarum Pipini &c. IV. Epiſtolam Ioannis Papæ ad Vualonem Ep. de datione Pallij. V. Nomina Metenſium Pontificum. VI. & VII. Ordinationem & Paſſionem Beati Clementis Papæ. VIII. Vitam S. Arnulfi, cum Genealogia S. Arnulfi, Faramundi, & Pipini Landenſis, atque Inuentione Sanctorum à Deoderico Pontifice repertorum. IX. Vitam S. Goerici. X. S. Clodulfi XI. B. Adalberonis. XII. S. Romarici. XIII. S. Amati Confeſſoris. XIV. S. Adelphi. XV. S. Manſueti Epiſ. XVI. SS. Eucherij, Valerij atque Materni. XVII. S. Vuillebrordi Ep. XVIII. S. Maximini Archiepiſ. XIX. S. Goaris Confeſſoris.

INEFFABILIS & Clementiſſimus Dominus IESVS-CHRISTVS, cùm fidelibus ſuis normam viuendi traderet, quodam loco ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Quamobrem ille glorificandus eſt, qui vt operetur bonum tribuit effectum; & idcirco non ſilenda eſſe cenſuimus opera bona & laudabilia, quæ mo-

dernis temporibus erga ſupremum diem obitus ſui laudabiliter Pater noſter pius atque dulciſſimus Domnus ADELPHIVS Abbas peregit, adjuuante Chriſto, qui dixit: *Nemo venit ad me niſi quem Pater meus cœleſtis attraxerit.* Et Beatus Paulus dicit: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, &c.* Quibus verbis perſpicuè patet; quoniam pœnitentiæ bonum à Domino poſcentibus clementer tribuitur. Iam igitur nunc ipſius Adelphi Abbatis narranda aggrediar acta. Fuit enim lenis in verbis, hilaris in aſpectu, dulciſſimus hominibus bonis, mitis & affabilis cunctis, officijs in omnibus promptiſſimè intentus, alienarum rerum non cupidus, ſeruientibus Domino obnixè & dulciter ſubjectus, patientiæ ac modeſtiæ ſectator, omnibus hominibus laudabiliter aptus. Denique ante hos, ni fallor, triennij annos, illo videlicet ſciente, qui ſolus hominum corda nouit, per eremi vaſta huc illúcque locatim diuertens vltrices flammarum globos vbertate fletuum ſecretè extinguere nitebatur. Et quoniam pietas inenarrabilis Dei crebro permittere ſolet, vt ſuperueniens infirmitas corporis maculas animæ miſericorditer abſtergens purificet, cùm graui & infeſto quateretur dolore, gemitibus & lachrymis multis animæ ſuæ flagitabat medelam. Denique accito Sacerdote, ſi quid ſe meminit deliquiſſe proſtratus humo exomologeſim fecit poſcens animæ ſuæ medendæ pœnitentiam impertire, atque ſupplex ait, dulciſſime Deus meus ab omnibus fratribus & ſororibus commeatu accepto volo & deſidero Luxouium vſque ad ſanctos Fratres properare; quoniam illis ſimiliter confeſſionem meam facere diſpono: quibus orantibus veniam ac remiſſionem de peccatis meis adipiſci non ambigo. Nec mora, deſtinationem ipſius ſecutus eſt effectus. Cùm ergo Cœnobium fuiſſet ingreſſus, mox ſanctus Abbas Ingofridus cultor Dei vna cum Fratribus ſuis velut ad conquirenda ſibi æternitatis præmia velut munus de ſupernis deſtinatum amplectentes illum ſuſceperunt, ibique ſancto Fratri Emmoni Monacho electo Dei commendatus cum multo & grandi ſtudio dilectus eſt. Nam illius tunc eidem Emmoni de hoſpitibus inſtabat cura. Erat vir ille ſanctus opere & gratus in actu, qui cum ſummo ſtudio famulabatur Sancto Adelphio [videntur hic deeſſe multa] Dúmque per aliquod ſpatium temporis fraterna inuicem fruerentur dilectione adeſt extrema dies vt effœtum Adelphium Abbatem ſui funeraretur dilecti. Denique iam aderat ſurgendi hora diei, & ait; Qua hora vis domne Emmo vt ſurgamus & pergamus ad orationem? Tum ille: Quieſce modicum Domne. Illico Emmo digreſſus foras, & puer officialis inibi remanſit cum illo. Et ecce ſubito brachium illius dolor ingens perculit, ſtatimque præpeti verbo ait: Surge, accede huc Frater, quia ſæuiſſimus dolor percuſſit brachium meum & vexillum crucis ſupra frontem & corpus ſuum conabatur facere & dicebat: Chriſte adiuua: Chriſte adiuua. Et hac voce emiſſa atque ſigno Crucis ab eodem facto illius ſancta egreſſa eſt anima. Tunc proculdubio in eodem ſuppletum reor Prophetæ monitum quo ait: Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, & illud: Sapientia viri in exitu cernitur. Statim ergo ad Monaſterium Habindenſe pernix nuncius venit, moxque vir illuſtris Domnus Garichrannus Abbas de nocte conſurgens cum non parua & promiſcua turba populi atque Monachorum Luxouium vſque perrexit, acceptóque corpore Sancti viri cum Sanctorum reliquijs cereis & crucibus ingentique triumpho in caſtello Habendenſe ad vrnam vſque ſuam mirabiliter transvexit. Nam cum alueum Moſellæ iam geſtantes transmeaſſent ecce veniens Sancta Tetta quæ & Ebedrudis Abbatiſſa occurrit obuiam vna cum ſanctis ſororibus geſtantibus Sanctorum reliquias cum cereis & crucibus, diuiſuſque eſt populus turmatim in tres cuneos. Pergebant namque & chori Monachorum Sancti viri corpuſculum ferentes præibántque omnibus. Et illico ſequebatur almifica Tetta Abbatiſſa præcedens chorum Sanctarum Virginum vulgúſque populi poſt tergum capiebat iter. Reſonabant namque in excelſum voces pſallentium paſſim in laudem Domini. Omnis namque illic repleta eſt terra vocibus & cantibus Antiphonarum & Pſalmodiæ. Sic namque diſponente Domino factum eſt, vt in die illo quo feſtiuitas Sancti Amari agebatur, filiolus ipſius ſanctus Adelphius in eadem Baſilica cum magno ornatu ſepeliretur. Poſtquam autem ſepultus eſt, quæ vel quales viſiones de eodem quibuſdam fidelibus apparuerint, ſaltem aliquæ ſilendæ non ſunt. Nam antequam ſepultus eſſet, in Baſilica S. Petri geſtatus eſt, ibique à pernoctantibus vigiliarum excubiæ celebratæ ſunt.

Sed

Sed quam grande miraculum, & virtus audita fuiſſet ſub ſilentio reticendum non eſt. Et quoniam gemina S. Amati, ſicut iam præfati ſumus atque Adelphi feſtiua aderat dies, peractis matutinis hymnum beati Amati cantare cœperunt: quem Adelphius à primo verſu vſque ad finem alta voce iugiter eructauit cum illis, atque leuata dextera manu ſignaculum Crucis facere conabatur. Vir quippe religioſus erat, qui iuxta illius corpus innixius vigilabat. Hic illum cantantem ſolus audiuit atque cum lacrymis teſtificans Deum & domnum Petrum iſtud miraculum nobis narrauit. Poſt hæc autem viro Dei Adelphio vrnæ tradito quidam Diaconus Procurator Monaſterij ob quaſdam vtilitates diſpenſandas in platea S. Petri aduenit, & ecce in Oratorio audiuit pſallentes tanquam feſtiuitatem celebrantes: Canebant autem hunc verſum: Viuet anima mea & laudabit te, Deus. Suſpicatus denique eſt inibi famulas Chriſti cantare & poſt puſillum ſciſcitatus nullum hominem inibi reperit adeſſe. Alia denique die cùm quædam Dei famula in Baſilica S. Petri innixa in oratione iaceret, audiuit in ſupradicto Oratorio tanquam Miſſas celebrantes canere: Pſallebant autem: Lætabitur iuſtus in Domino. Et accitis alijs famulabus Chriſti, vtræque audierunt alta voce canentes, ſuſpicantes quippe Fratres ibidem Miſſarum ſolemnia celebrare. Igitur viſiones illius quę de eodem viſæ ſunt iam nartandas aggrediar auctoritate fultus de talibus ſupra B. Auguſtini & almifici Gregorij Papæ, quoſdam Monachos hoſtium incurriſſe phalangas, moxque ſtipite interemptis per totam noctem ibidem ad corpora animas ipſorum pſalmos canentes ab iiſdem hoſtibus alijs narrantibus audiſſe fatetur. Nam & B. Auguſtinus refert cùm iuſtorum animæ in locis amœnis iuſtis fuerint ſociatæ licentia adepta quos in hac vita dilectos habuerunt, reuerti ntur inuiſere per ſomniorum reuelationes & conſolationum hortamina. Quod & crebrò actum per Sanctorum comperimus libros. Nam nec illud ſub ſilentio reticendum eſt quod de S. Adelphio comperimus. Quædam namque Sanctimonialis famula Chriſti ſancta repleta deuotione ad ſepulcrum illius dum intentè pſalmos caneret, factum aſſeruit infra vrnam illius tanquam murmur lene in aliud latus vertendum. Móxque locus ille inenarrabili dulcedine atque odore ſuauitatis repletus enituit. Erant namque ibidem gaudentes & quaſi excubantes lætitia indicibili. Hæc quippe pauca ſunt narrata de multis, quæ ſancta atque almifica Tetta Abbatiſſa ob memoriam Beati viri Adelphi ſe propter exemplum fidelium in proceſſu temporis recolenda commentatiolo indita ſtylo vulgari præcepit adiuuante Omnipotenti Deo, cui laus eſt & gloria & poteſtas per immenſa ſemper ſæcula ſæculorum. Amen.

PASSIO B. ANTONINI MARTYRIS,

QVI PASSVS EST SVB APAMIA CIVITATE IV. NON. SEPTEMBRIS.

Deſcripſit R. P. Iacobus Sirmundus ex Codice MS. S. Albini Andegauenſis.

QVæcumque de Sanctorum ac Beatiſſimorum Martyrum mirabilibus recitanda ſunt, atque de ipſorum paſſionibus glorioſa meritorum virtutúmque ſunt inſignia declaranda, quę nobis optimus Deus per veridicos teſtes manifeſtiſſimè demonſtrare dignatur, nec aliqua ſunt detrahenda, nec adulationis cauſa verbis falſidicis addenda. Nam ſicut vitio adulationis mendacij oriuntur notamina; ita maximum credimus eſſe peccatum, ſi de ipſorum triumphali paſſione, vel etiam miraculorum pretioſitate aliqua retenta vel defraudata viderentur in diminutionem eſſe deducta. Nec non vtique mentis obliuione neglecta incutiosè repetiantur prætermiſſa: maximè propter illud, quia quorum eſt in conſpectu Domini mors pretioſa ipſorum ineffabilis à Chriſto vnà cum immarceſſibili corona collata gloria in conſpectu omnium eſt omni cum deuotione prædicanda. Ergo quia ſicut nonnulli, qui ſuas editiones ſub arrogantiæ faſtu ſupercilióq; dictauere ſuperbo, nos non eos imitando, ſed longius ab iſis diſcedendo: verum etiam ſimplicitatis pro poſſe viam ſequendo, qualiter beatiſſimus Martyr Antoninus ad Martyrij perueniſ

palmam humili nitimur diſplicare ſermone, atque miracula, quæ per ipſum dignatus eſt operari, partim enarranda. Noſtrum cum adminiſtratione Domini deſpectiuum flectamus articulum.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT VITA, VEL PASSIO S. ANTONINI MARTYRIS.

IGITVR reuerentiſſimus puer Antoninus Appamiæ oppido extitit oriundus, nobilis quidem genere, ſed nobilior ſanctitate. Quique vero beatiſſimis ab ipſis infantiæ ſuæ crepundiis manifeſtiſſimè cœpit ſanctis pollere virtutibus. Sacris & literis eleganter edoctus, ſalutaria præcepta quæque legebat, ipſe perſemetipſum fideliter adimplere ſtudebat. Refulgebat itaque Deo dilectus Sanctis virtutibus, innocentia præditus, ſimplicitate conſpicuus, ſuauitate venerabilis, benignitate laudabilis, caſtitatis etiam dono præfulgidus, & ipſius veneratione virtutis magno ſplendore coruſcans, exemplnm bonæ conuerſationis omnibus demonſtrabat ſollicitus: caritatis autem feruore ſublimiter vberans ſecundùm Apoſtolicum præceptum ita erat in ipſa fundatus, vt veraciter poſſet comprehendere cum ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum. Hac itaque profunditate comperta, vir Dei leuiter adornatus, meditabatur in lege Domini, vt videlicet diebus ac noctibus in vigiliis & orationibus perſiſteret miniſter ſedulus, & vt plantatùs in domo Domini floreret vt palma, & vt cedrus Libani multiplicaretur, fructum bonæ operationis Domino reddens operator gratiſſimus. Stabilitatem verò firmitatis in corde ſuo immobiliter ferens, lorica iuſtitiæ circumdatus, galea ſalutis ſcutóque fidei protectus, ſpe certiſſima roboratus, & gladio Spiritus Sancti honeſtiſſimè armatus, cæterarúmve virtutum pretioſiſſimis gemmis decoratus, inexpugnabilem athleta fortiſſimus victoriam ſumpſit, qualiter ad Martyrij palmam feliciter perueniret: memoratus etenim vir Beatiſſimus Antoninus deſiderio Martyrij exæſtuans ab oppido Appamiæ egreſſus cœpit peragrando requirere, ſi quo modo Chriſtiani nominis illuminatos atque fideles alicubi inueniret viros. Tandem itaque, ducente Deo, perueniens ad quendam locum, inuenit quamplurimos in fide Chriſti ſanctæque religionis perſiſtentes viros. Inter quos etiam ſuperioribus Eccleſię gradibus ſanctiſſimos inuenit Paſtores atque Doctores, cum quibus ergo vir beatiſſimus diutiſſimè commanens, igne ſuccenſus diuini amoris de virtute in virtutem ad altiora conſcendens, vas electum à Domino ab eiuſdem Sanctis Patribus ad Sacerdotalem electus atque conſtitutus eſt ſuſcipiendam dignitatem. Hac igitur familiari fraternitate, ſanctóque ſibi impoſito onere confirmatus, confortatúſque vir glorioſus ſacer Antoninus propter meritorum ſuorum præclaram ſanctitatem geminatum ſuſceptum talentum, vt lucrum bonæ operationis ſacrique commercij Domino ſuo duplicatum reportaret Euangelij Chriſti ſui Domini cœpit eſſe Doctor egregius. Idem ipſe vere ſanctus ac Deo dilectus IESV Chriſti ac ſui Saluatoris imitator effectus non reſpiciens perſonam hominum omnium & ſingulorum merita iuxta qualitatem operum ſatagebat increpare ſollicitus: longè vero latéq; verbum Dei prædicabat, ſeminando verus miniſter fidelis, vt fructum eiuſdem beati ſeminis in horreum Domini ſui congregaret orator aſſiduus. Omnes igitur credentes, vt melius proficerent exhortabatur ſanctus, & incredulos quoſq; duróſq; corde forti conſtantia roboratus arguebat attentius. In quodam autem vico cum ſolus inter gentilium tenebras, ſicuti ſolet radius ſolis nube tectus minimè ſplendeſcere, ſanctus idem obnubilatus reſideret, vt ſacrilegam ipſorum gentilium vitaret inſaniam, & maximè quia illius ſanctæ prædicationis non ſolũ non adquieſcebant, ſed improbè reſiſtebant, iuxta ſanctum Euangelicum præceptũ Domini dicentis, *Quicumque non receperint vos recedentes ab illis, etiam pedum veſtrorum puluerem excutite in teſtimonium ſupra illos.* Et item, *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam*, ad alium vbi plurimorũ erat congregatio Chriſtianorũ tranſmigrauit locum. Itaque vir ſanctiſſimus ac Deo dilectus inter Chriſticolas permanens alacriter, toto corde Martyrij coronam accipere deſiderans nunquam à ſancta prædicatione ceſſabat. Ab ipſis quidem religioſiſſimis viris cum quibus aliquandiu commoratus fuerat roboratus confortatúſque vt miniſterium ſibi creditum pleniùs adimplere non deſtitit crebrius peragrando peragere. Prædicando etenim iter agens contigit, vt labore itineris ſitus ardore fatigatus laſſaretur. Hoc igitur diuina credendum eſt per-

miſiſſe potentia, quatenus virtutis illius meritum pateſieret, & ipſe Sanctus dono ſibi diuinitus collato fidei conſtantia plenius certificaretur. Nam ſiti fortiter exæſtuans, aſpectum oculorum ſuorum ad cælum erigens, ipſum quem veraciter ſciebat omnia poſſe dare credenti, deprecatus eſt, inquiens ita: Tu Deus omnipotens, omnium quæ facta ſunt auctor & opifex, qui pro ſalute humani generis de cœlis deſcendens in terris carnem humanitatis noſtræ dignatus es ſuſcipere, & per ipſam humanitatem fatigatus ex itinere, hora ſexta reſidens ad puteum, aquam ad bibendum à muliere Samaritana petiſti, vt in ea & in omnes qui in te perfectè crederent, tibique veraciter obedirent, fontem aquæ vitæ ſalientis in vitam æternam procreares; quique fortiſſimo Sanſon poſt victoriam ſitienti aquam de dente molari ad bibendum protuliſti, & in eremo per Moyſen aquam de petra manare feciſti, vt Iſraëliticus populus biberet & iumenta, clementiam, quam ab exordio ſuccedentibus generationibus tribuiſti, non immemor beneficij tui etiam & mihi in ſitis ardore laboranti togo non deneges. Oratione verò completa terræ ſolum intuens, virga quam manu geſtabat, fiducialiter percuſſit. Tunc exauditum athletam ſuum, Dominus gratiſſimum ex arida fontem produxit, & fideli famulo ſuo non ſolùm temporalem, ſed etiam æternum præbuit potum. Qui videlicet fons Sancto viro datus à Domino, ſalutem magnam præbet infirmantibus, adminiſtrante clementia eiuſdem Chriſti Domini noſtri, qui ne ſolùm per ſemetipſum, verùm etiam per ſe & ſuos fideles mirabilia dignatur oſtendere magna. Qui etiam idem ipſe Dominus de his qui ipſum imitando perfectè ſequuntur, ſicuti Martyr Antoninus eum ſecutus eſt, loquitur dicens; *Opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet: & quodcumque petieritis in nomine, meo hoc faciam.* Fidelis enim in verbis ſuis Redemptor piiſſimus, quia quam aquam in principio ipſe creauerat, à muliere Samaritana non dedignatus eſt petere, Antonino Martyri ſuo virtutem tribuit talem, qualiter poſſet fontem è terra producere manantem.

IGITVR Sanctiſſimus Martyr Antoninus, peracto multis in locis Chriſti ſeruitutis obſequio, cognito diuinitus, quòd iam prope eſſet eius glorioſus triumphus, pro Chriſto Domino ſuo mori: minimè formidans, eidem IESV Saluatori ſuo gratias agens reuerſus eſt Apamiam. In eodem etenim loco, cùm Sancti operis propoſitum meditatione ac ſtudio religioſitatis ſedulò perſiſtens vna cum prædicatione diuina, gentilium Paganorum vitia increpare non deſiſtebat. Cúmque aduerſus eum diabolica rabies in ſacrilegorum pectoribus inflammata concreſceret, diuino refectus ſpiritu prædixit ipſe paucis, qui tunc ibi aderant, Chriſtianis ſuum, quod diuinitus agnouerat iam imminere, Martyrium. Nam cùm dies ſollemnitatis Chriſtianæ Religionis ageretur, eſſetque in eadem feſtiuitate Chriſtianis deuota voluntas, & loca ſacra, vbi Sanctorum corpora quieſcebant, viſitarent orando, Beatus Antoninus cum ipſis pergens aliquantiſper longius iterum ſe cauſa orationis illis innotuit, atque inde ſe minimè reueſurum, ſed impiorum manibus gladio crudeliter feriendum eſſe prædixit. Itaque ſentiens ſibi vir Sanctus inſidiantes appropinquare gentiles, qui eius inuidioſè conſiderando Sanctum ſpeculabantur ingreſſum & egreſſum, vltro ipſe ſe obiiciens tentus eſt ab eis, deductúſque cædendo vſque ad ripam fluminis, ad radices Apamiæ decurrentis, in confeſſione Domini fideliter permanens capite truncatus eſt; cum parte corporis, glorioſum Martyrium complens. Impiiſſimi denique ſatellites ex B. Viri capitis abſciſſione non arbitrati ſunt ad plenum vindictæ ſibi poſſe ſufficere, niſi fortè eum ex toto perderent, quatinùs, nec à Chriſtianis inuentus veneraretur vt Martyr. Eiecerunt terris inundantis fluuij profundiſque gurgitibus Sancta pretioſáque præcipitare glorioſi Martyris membra. Ergo totum corpus crudeliter diſcerptum ſimul cum abſciſſo capite demerſerunt in flumine. Denique viri religioſi, qui tunc temporis aderant, quique pro ipſius ſancta prædicatione ad fidem Chriſti venerant, effecti iam Chriſtiani, B. Martyris corpus magna cum deuotione quæſierunt, atque ſine ipſius corporis capite fideliter repererunt. Condigna namque veneratione ſuſceptum ex aqua venerabile corpus ab ipſius diſcipulis, & à fidelibus Chriſtianis eſt ſepulturæ traditum, ipſo diſponente, qui talem ac tantum Martyribus ſuis præſtat triumphum.

EXPLICIT VITA VEL PASSIO S. ANTONINI MARTYRIS.

ITEM DE IPSO MIRACVLA.

CVM igitur Beatiſſimus Martyr ANTONINVS ſuum, vt ſupra taxatum eſt, pretioſum compleuiſſet Martyrium, & Sanctum eius corpuſculum à ſacrilegis ac furibundis manibus in amnem fuiſſet proiectum, omnipotens Deus, qui per Sanctos ſuos innumera dignatur oſtendere mirabilia, magnum illic per Martyrem ſuum dignatus eſt exhibere miraculum. Nam glorioſus ille ſanguis, qui pro Chriſti nomine fuerat effuſus, & in aquam proiectus, protinus inter aquarum colliſiones eſt coagulatus atque conſtrictus, quaſi in vnius aridæ terræ loco nihilominus fuiſſet collectus, nihilque ex ipſo aquarum impulſu diſperſum, veluti quodam famulatu fideliſſimo ad membra corporis vnde manarat, integrum, imminutumque coniunxit. Præterfluens itaque fluminis ipſius aqua, vbi Sanctum corpus fuerat proiectum creatori ſuo obediens & famulum Chriſti agnoſcens, ita ſe à curſu ſolito, locóque defluenti ſubtraxit, vt iniuriam inferre ſe ſancti corpori metuere demonſtraret, & ad requirendum B. Martyris membra fidelibus populis viam congruam præpararet. Hoc enim ad laudem & gloriam nominis ſui, per militem ſuum operatus eſt omnipotens illud Iſraeliticum renouans antiquum miraculum, quando populum ſuum de Ægypto eductum ſiccis pedibus tranſire fecit mare rubrum, & in Iordane flumine hinc inde diuiſo per aridam terræ viam introduxit in repromiſſum deſiderabile ſcilicet regnum. Suſtinuit etenim Antoninus pro Chriſto paſſionem tribulationis, & introire meruit in hereditatem æternæ repromiſſionis. Pertulit Antoninus, vt pro Chriſto capite plecteretur, & obtinere meruit vt capiti ſuo, id eſt Chriſto, in æternum cum ipſo regnaturus coniungeretur. Caput Antonini proiectum eſt in aquis fluminum. Sed ſuſceptum eſt cuſtodientibus manibus Angelorum Sanctorum. Nec enim prætereundum videtur illud magnum miraculum, quod Dominus de ipſo S. Martyris capite fidelibus ſuis oſtendere dignatus eſt. Multorum igitur opinione relatum eſt, quod cum caput S. Martyris à carnificibus amputaretur, & in gurgite fluminis nefandiſſimè iactaretur, ſtatim Angelica ſuſceptione opitulante Chriſto in paruo eſt mauſoleo collocatum, nauiculáque Angelico officio recepturi parata depoſitum. Tum denique per longa terrarum ſpatia, aquarum flumina decurrentia, per fluuium ſcilicet, qui Areia nuncupatur, ad Garonnam vſque perueniens fluuium, qui videlicet occiduas præterfluens experit partes, continuatim natando alium, qui Tarnis dicitur, in Garonnam decidentem inueniens fluuium, Domino annuente ilicò ſubſtitit in ipſum, deinde Occidentales prætermittens decurrere partes, Orientalia velociter expetiuit climata. Retrogradum igitur arripiens curſum per Tarnis fluuium introiuit in Auarionis alueum. Sícque diſponente Chriſti gratia, & Angelica ſemper aſſiſtente cuſtodia, vt fertur in ſimilitudine duarum Aquilarum ad inſtar niuis candidarum, deducebatur nauicula. Iam iámque feliciter properando peruenit ad locum ſibi deſtinatum Qui videlicet locus tunc temporis Vallis vocitabatur nobilis, in quam denique vallem cuiuſdam principis magni, qui dicebatur FESTVS, erat habitatio. Quam ſcilicet habitationem, & relatiuè fertur, iſdem S. Martyr Antoninus, eandem religionem prædicando peragrans eidem Principi Feſto petierat ad habitandum. Cúmque iam nauicula ad littus perueniſſet fluminis, contigit vt vnus ex ſupradicti Principis famulis venire vellet ad locum littoris. Adpropinquans ergo conſpexit nauiculam eminus & in ipſa caput intuitus Antonini Martyris, conuocatiſque ſuis cæteris commilitonibus, viſóque miraculo cum omnibus, Domino ſuo feſtinauit nuntiare quantociuſcúmque perueniſſet ad locum iſdem Princeps iam denominatus FESTVS, admiratus valde intellexit inſpirante gratia diuinitatis ſibi deſtinatum adeſſe caput Antonini Martyris, rememoratúſque petitionem quam ei ſupradictus S. Martyr pridem poſtulauerat, tandem rediens ad ſuam conſcientiam, dixit omnibus, qui cum ipſo erant; cernitiſne, inquiens, magnum Dei myſterium? Etenim dum aduiueret, habitaculum à me expetierat, nunc in cœlo coronatus Deo diſponente precioſus ſibimet ipſi vindicat Martyr. Tunc ergo amouit habitationem ſuam à loco illo: dedicánſque Eccleſiam, caput glorioſiſſimi Martyris cum magna veneratione poſuit in ea, gratias agens, laudánſque Deum & benedicens Dominum.

Magnopere eſt enim ſtudendum enarrare mirabile Sacramentum, quod Dominus noſter IESVS-CHRISTVS operari dignatus eſt per Martyrem ſuum Antoninum. Vt ergo nomen Martyris ſui celeberrimum amplius faceret, meritum virtutis illius magnificè manifeſtauit. Eodem namque tempore, quo beatiſſimi eiuſdem martyris Antonini caput à Principe iam dicto Feſto, & à fidelibus populis eſt mirabiliter ſuſceptum, & in Eccleſia quam idem Princeps ædificauerat, venerabiliter introductum, cauſa extitit, ſicuti relatione præconiatur, quia ciues Catutcenſis vrbis in partibus Hiſpaniarum ad ciuitatem videlicet, quæ Toldetis nuncupatur, propter aram altaris ad opus Sancti Stephani perficiendum legatos tranſmitterent. Qui cum vtique reuertentes altare magiſteriali opere ſculpendum, inciſum atque politum deducerent, & iam ſupra vicinatui propinquarent, contigit vt prope prædium ſupradicti principis ipſorum fieret tranſitus. Cùm ergo iam adpropinquantes è contra Eccleſiam, vbi caput B. Antonini Martyris cuſtodiebatur, deuenirent, ſtatim prouidentia permittente diuina, ita vehiculum vbi illud altare fuerat impoſitum, immobile, fixúmque permanens conſtitit vt à multis, vt fertur, iugis penitus moueri non poſſet. Omnibus verò hæc videntibus, in admirationem & ſtuporem verſis, nunciatum eſt illico huiuſcemodi factum, principi Feſto. Qui cum hoc audiſſet, proloquens ait: O admirabile factum præconium! O verè mirabilis Deus, qui tale ac tantum famulis ſuis præſtat videre prodigium! Hac ergo voce glorificans Deum, rationem exhortatoriam protulit omnibus dicens. Audite conſilium meum omnes, ſi forte voluerit voluntatem ſuam nobis demonſtrare omnipotens Deus. Iungantur, vt mihi videtur, illi vehiculo duæ vaccæ indomitæ, & permittantur viam, quam Dominus voluerit arripere ſine vllo ductore. Quod ita factum eſt. At ipſæ illam, quam alij ductores carpebant, relinquentes viam, pervexerunt ad eundem vſque locum, quo hactenus illud pulcherrimum altare inſtat impoſitum. V[illegible] igitur Princeps iam ſæpe nominatus Feſtus, hoc quod à Domino impetrarat Martyr Antoninus, adquiſiuit habitationem atque prædium, qui Protomartyris Stephani retinuit altare de tam longè deductum. Solemni igitur facta conuentione cum omnibus ibidem manentibus iſdem Princeps honorabilis Feſtus in ipſius altaris medio caput poſuit Antonini Martyris cum magna veneratione conditum aromatibus. In quo videlicet loco, nec non & in illo, vbi Martyris Antonini ſancta permanent humata corporis membra plurima à Domino præſtantur beneficia. Ibi recipiunt cæci viſum, ſurdi auditum, debiles greſſum, dæmoniaci liberationem, cæterique infirmi per interceſſionem Sancti Martyris perfectam obtinent à Chriſto ſalutem. Verè valdè pretioſus eſt Martyr Antoninus, cuius Sanctum corpus diuiſibiliter ſepultum veneratur in terris, & anima cœlo ſuſcepta cum ipſo Deo lætatur in gloria, cuius regnum & poteſtas permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

VITA SANCTI APOLLINARIS
VALENTIÆ EPISCOPI ET CONFES.
INCERTO AVCTORE, SED COÆTANEO.

Deſcripſimus ex veteribus membranis, quæ penes nos ſunt, & contulimus cum alio MS. exemplari. Eius meminit Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcop. de Iudaicis ſuperſtitionibus vitandis: S. Apollinaris Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ quantus fuerit & ſit, non ſolùm geſta de eo ſcripta, ſed & crebra eius miracula vſque hodie ſublimiter teſtantur, &c.

QVantum ſe omnium vita Sanctorum Beatis actibus ſacriſque virtutibus, non ſolùm præſenti clarificauit in ſæculo, ſed æternitatis quoque titulis extulit in futuro: tantum fidelium ſenſibus reatum abuſionis exhibent, ſi linguæ

taciturnitate debitis præconiis negligantur. Et licet ſufficiat eis pręſentia gaudia laborum viciſſe compedibus, tamen memoriæ fraudantur, & poſteris, ſi ſuccedentibus ſæculis viuacia facta ſilentio denegentur. Et licet orbis totius ſpatia geſtorum admiratione compleuerint, & nullus ſit Chriſtiani nominis locus, qui aut electorum glotiâ careat, aut operum felicium laudes ignoret; tamen nos admonent Apollinaris ſummi facta Pontificis, ne prætereat ſedulitas vocis, quod nequaquam lingua valet exæquare ſucceſſibus.

Igitur B. Apollinaris Valentinæ vrbis Epiſcopus apud Viennam, & natus & inſtitutus eſt, qui nobili generis ortu conſpicuus, naralium titulos mentis faſtigatione ſublimans dum Paſtoris cura gregem ſibi credirum paterna gubernatione foueret, mulris eum conſtat emicuiſſe virtutibus, quas prn immenſitate geſtorum prætetite maluit imperita præſumptio, ne tanti viri merita indignis adgreſſa ſuffragiis, non tantùm mandarentur dictis, quantùm verborum confunderentur iniuriis. Tamen quod mundanæ vitæ propinquante iam termino, eum egiſſe recolimus, tam præſentibus quàm futuris ſæculis aperimus, vt prædicandis actibus exemplisque glorioſis æmulatione laudabili poſteriras excitetur.

Iraque accidit vt quidam ex officio Regis Sigiſmundi, nomine Stephanus, qui ſuper omnem dominationem fiſci principatum gerebat, & defuncta eius coniuge ſororem vxoris ſuæ, ſibi illicirè coniugij conſortio copularet. Qua de re ſancti ac beatiſſimi Apoſtolici viri Auitus & Apollinaris, qui ſecundùm carnem germani, in Chriſti verò opere famoſiſſimi fratres, omni ſemper in tempore operibus mancipati diuinis, nobilitate eorum cognita, prudentia, doctrinis ſanctis, ſpiritu feruente eruditi, ſynodalem inſtitutionem ſeruantes cum reliquis Pontificibus ſimul in vnum congregati ipſum Stephanum ſacra communione priuari ſanxerunt, vt calcata ſcilicet humanæ fragilitatis impudicitia, inceſtum, quod iuſtitia ſuperna damnauit, inhoneſta præſumptio non audeat vindicare. Tunc Rex diræ inſaniæ furore permotus beatiſſimos Pontifices acerrimè inſidias prætendendo iniuriare non deſinebat. Sed Apoſtolici atque venerabiles viri, minas terreni Regis minimè formidantes, imperijs cæleſtibus armati ita ſe iuſtitiæ vinculo nexuerunt, vt quælibet ſupplicia eiſdem inferrentur, vt ſæua paſſionum tormenta tolerarent. Viſum enim illis eſt, vt in oppido ciuiratis Lugdunenſiom, quod nuncupatur Sardinia, pariter tanquam exilio deputari auxiliante Domino comitarentur. Videns verò Rex ille conſtantiam eorum incorruptibilem eſſe, ab ira non deſinens præcepit vt Pontifices, qui ibidē pariter reſidebant, ad propria reuerterentur & ſigillarim per ſingulos menſes Regem opperiri deberent. Sed quia beatiſſimus Apollinaris in condemnatione Stephani perſeuerans videbatur, ipſum primum ſtuduit obſeruare. Tunc omnes lacrymis diuinam potentiam obſecrantes, ne ſe derelinqueret, valedicentes celebrara oratione profecti ſunt. In quo loco dum vir Dei moratum ſpatia neceſſitatis cauſa ſuſtineret, ab ardenti æſtu fluenta Rhodani repefacta ſunt, vt à ſitientibus ex eo aqua potari non poſſet, & quia nullus puteus, neque fons, vnde aqua hauriri deberet, ibidem reperiebatur, beatiſſimus vir Dei firmans ſe Spiritu Sancto de virtutibus non ignoræ potentiæ ſecurus confert ſe ad locum à Deo deſignatum & ſecretius præcepit ſuis ſarculum exhiberi. Quo exhibito, oratione impleta, ait ad eos: In nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hunc locum aperite. Hoc facto mox annuente illo qui aquam feruere iubet in corde terræ, fons exortus eſt: & quādiu beatiſſimus Pōtifex ibidē demoratus eſt, beneficio omnipotentis Dei aquam ſibi placitam ſemper habere promeruit. Poſt diſceſſum verò eius fons ſiccatus eſt, vt omnes agnoſcerent meritis ſerui Dei fontem ipſum obſequium ſuum detuliſſe, & ad priſtinum curſum fuiſſe reuerſum. Cúmque Rex virum illum Apoſtolicum nec videre vellet, ſed magis inſidias prætendere ſtuderet, quem meritorum rectiſſimorum & immenſæ virtutis laudabilis iudex celerem vltionem demonſtrans, illico contigit, vt ipſe Rex ita vim febrium incurreret, vt potius funebris quàm vitalis eſſe crederetur. Tunc Regina ipſius fide accenſa alacri feſtinatione peruenit ad locum, vbi beatiſſimus Pontifex reſidebat, & auida deuotione petebat, vt interceſſione ipſius dominus incolumitatis donum reciperet. Sed vir Dei abdicata mundanæ elationis efferentia eiuſmodi famulatum omnimodis denegauit, magiſque Regina illa lacrymis pedes eius rigans poſcebat vel cucullam eius ſibi præſtari, quam ſuper Regem ſternere de-

beret. Victus fletibus ceſſit. Quæ cùm tribuente Deo ſupra virum ſuum fiduciali conſtantia fuiſſet expanſa, ſtatim effugata infeſtatione febrium, vel ſi quæ alia impugnatio videbatur, proſperitatis munus emeruit. His actis reminiſcens Rex ille facinus quod admiſerat, licet grandi confuſione repletus, tamen exultans quòd ſuffragante Pontifice per veſtimenti eius tegmina priſtinam meruiſſet conſequi ſoſpitatem, præcurrens primum ſtatuit tanti miraculi tantæque virtutis largitate laticès quos Dominus ſeruo ſuo benignitatis munere tribuit, vt oculis viſibilibus cernere iuberetur. Agnita virtutis gratia venit ad virum Dei, & amplectens pedes eius coram poſitus cum exultationis fletu veniam poſtulabat dicens, Peccaui, iniquè geſſi, dum iuſtis indignas ſæpè intulerim tribulationes. Nam quę expugnari neſcit iuſtitia cæleſtis, hoc ipſo quo impugnatur fortior eſt. O cæleſtis Regis indulgentia, qui peccantium animas non vult perire, ſed culpas! O virtutum gloria, quæ per famulum ſuum Apollinarem refutatis mundialibus curis geminæ gratia claruit virtutis! Denique adſiſtens pro iuſtitia inſaniam Regis tumidámque eius ſuperbiam reprimit & orationis effectu à languore mortali, quo detinebatur, abſoluitur. Dignum ergo eſt vt ſilendo non denegentur, quæ diuinitas in ſeruis ſuis operatur, ſed populo credenti Deo auſpice pateſiant. Ergo cùm Pontificalis officij curſum triceſimo & quarto anno venerabilis vitæ compleret, ſuperna commonitione commotus ad viſendos conſacerdotes propinquôſque ſuos properare decreuit, dicens ante tranſitum ſuum, quem iam celeriter imminere diuinâ reuelatione cognouerat, velle ſe tam liminibus Sancti Geneſij Martyris, quàm conſpectibus Pontificum, atque affatibus propinquorum præſentem contemplatione præbere. Tum iter diſpoſitum curſu nauigationis arripuit. Et quamuis cæteros pernicis Rhodani fluenta terrerent, tamen in ipſius Sancti Pontificis meritis confidentes, inter vndarum minas tuti ſecundis æſtibus properabant, vt deditum amnem caſibus tunc manifeſtum ſit caruiſſe periculis. Sempiterni ergo Regis admiranda & non ignota potentia dum ſanctis ſuis flumina ſubdidit, qui ſibi quondam æquora greſſibus patefecit. Sic fluuius, qui mortifera rapacitate terrere prius nouerat, iuſſione Dominicâ didicit famulari. Iámque ſont aquarum deſpecta ferocitate per nauigium ſopore corpora ſoluebantur, itavt & beatus Antiſtes ſecuritatem, quam vigiliis meruerat, dormitatione monſtraret. Qui tamen viribus inſopitis, diabolum, quem ſæpè inſomnitate vicerat, mentis indefeſſæ aggreſſione confudit. Quod etiam ſequens patefecit euentus. Namque cùm iam in conſpectu firmatam naturæ molimine arcem demonſtraret Auenio, nauigium quod ſanctum gerebat Antiſtitem, ſubitaneis fluctibus excitatis cœpit diabolica emiſſione vexari, itavt poſſet nauigium obruta deſperatione turbari, cùm eſſet potius dormientis gubernatione valdè ſecurum. Tunc quidam Diaconus, Claudius nomine, in parte ipſius lectuli reſidens, librum S. Hilarij lectionis ſtudio percurrebat. Qui reſpiciens vidit vnum ex pueris nomine Aliſium dæmonis impugnatione vexari. Quod non ſolùm perturbatione membrorum, verùm etiam hinnitu, mugitu, & balatu pecorum fatebatur. Cúmque cerneret periculum nauis ſucceſſione ſubmotum ſtatim ſanctum importuna aggreſſione à ſomno compulit excitari. Cúmque ab eo quoque ipſe vir Dei tam calamitatis ſeriem quàm metum præcedentis periculi cognouiſſet, ait ad eos lacrymans, grande certamen cum aduerſario humani generis nunc geſſimus in ſopore, quod in veritate conſtare ſubſequens demonſtrauit exemplum. Nam & dormiens procacitatem repreſſit vndarum ac dæmonium ab arrepto corpore euigilans effugauit. Quæ virtus vt periculum quoque euaderet vanitatis per ſuum Salutarem eum voluit curare Preſbyterum. Qui vix tamdem Antiſtitis ſui iuſſione compulſus, & manum ei impoſuit, & ad quietem priſtinam, diſcedente diabolo reuocauit. Et quia ipſe Preſbyter impugnationem dæmonis ſæpius ſuſtinebat, hoc magis ſanctus intendit Epiſcopus, vt ab eo aduerſitas ipſa in nomine Saluatoris ſe depelli cognoſceret, quem infeſtatione crebrâ adgreſſus fuerat ſuperare. Nam vterque ſanitate recepta, orationibus ſancti ſui Pontificis in ſe profeciſſe ſua ſalute perpetua docuere. His actis dum à cunctis grates diuinæ potentiæ redderentur, in conſpectu Arelatenſium vrbis Rhodano famulante peruenimus, vbi ſanctus atque præcipuus vir domnus Cæſarius Epiſcopus plebis quoque comitatus obſequiis: pariterque Liberius Præfectus ſtipante officio circumdatus, & ſedulo oc-

currere gaudio & lætis eum excoluere ſermonibus. Confidentes quod in aduentu eius diuinam miſericordiam excepiſſent. Hoc ciuitas gauiſa præſidio populorum exultauit ſtudiis. Hinc Sanctus Apollinaris ciuibus annuens pauliſper precibus moras indulſit: vbi à conſanguineis Parthenio & Ferreolo aſſiduo venerraretur occurſu. Quique pro ſalutis ſuæ commodis multis eum honorauere muneribus, quæ indigentium manibus propè tetinuit totum vrbs deuota quod dederat. In quo loco dum morarum ſpatia ciuitatis cauſa protraheret, Arcutamia Senatrice propinqua ſua inuitante, Maſſilienſium nos vota ſuſcipiunt. Vbi dum præcedens memoratus Diaconus feſtinaret, à ſocio itineris Leone nomine veridica reſponſione cognouit ipſos ſolidos, qui eleemoſynis ſuperfuerant quo ligari erant ſaluo linteo perdidiſſe. Tunc Diaconus ille meritorum Pontificis ſecuritate confidens, ait ad eum: Succenſendum eſt nobis, ne pereat quod eſt pauperibus deputatum. Itaque reuertentes ſparſos totos ſolidos protinus inuenerunt: nec potuit rem ſacratam largitioni pauperum arenarum quæ exceperat fraudare congeries. Accidit hic ipſo operante clarum ac grande miraculum. Nam quidam ſurdum & mutum filium exhibentes, quam geminæ calamitatis cauſam dæmonis aſſiduitas inueterata nutriebat, ſuppliciter poſtulabant, vt ab hac tribulatione Sancti Apollinaris orationibus ſanaretur. Quem ille per Presbyterum ſuum ſecretius Eccleſiam iuſſit induci. Qui dum fuiſſet oleo Sancto linitus, vt fuerat Pontificali iuſſione præceptum, ſtatim imbecillitate ſubmota ſalutis præmium, diabolo fugiente promeruit: ſequutúmque eſt poſt dies, vt Sacerdos ipſe inæqualitate detentus conſurgere ad dependenda matutina officia non valeret. Qui dum in lectulo ſuo tolerandæ infirmitatis cauſa quieſceret, quidam ex cuſtodibus cubiculi, Paragorius nomine, dæmonio inſtigante commotus, ad lectum ipſius inſania ducente peruenit, ac ipſius aduerſarij perſuaſus audacia, alapa non timuit vultum violare Pontificis. Quod opus nefarium propria religatione condemnans, factum eſt vt Pontificis viribus ſuiſque auſibus necteretur. Nam grabato cui admotus fuerat ſtatim hærens manſit immotus. Nos verò redditis Deo de more præconiis, dum cubiculi cellula nobis redeuntibus patuiſſet, cùm qui vinctus ſtabat locum tenere vidimus inconceſſum, indignantibúſque nobis cur quod reuerentia vitari ſolet præſumptio vendicare auderet, cauſam rei geſtæ tam verbis ipſius ſancti, quàm hærentis taciturnitate cognouimus. Tunc ſeruus Dei, fugato diabolo abſolutionem capto precibus exoratus indulſit, factóque in vno geminæ claruere virtutes, vt quem poteſtas vinxerat, benignitas liberaret. Leubaredus quoque Archidiaconus ipſius ſerui Dei eo tempore obſequiis inhærebat. Qui cùm ad Matutinas Laudes reddendas nobis conſurgentibus defuiſſet, & Claudius Diaconus cauſam ab eo huius inofficioſitatis exquireret: Remotis, inquit, officiorum ſociis ſollicitudinis voto ad cellulam domni Apollinaris acceſſi. Quam cùm immenſo lumine fulgere conſpicerem, & amoris inſtinctu integritatem ipſius cupiens inueſtigare miraculi, ſtudio deuotionis exarſi. Cúmque inter patentes ianuas inferro lumine videre cuncta poſſe me credidi, quamquam magna claritate terrerer, tamen quanto fulgor magis creuerat, tanto miraculum euidentius noſcebatur. Nam noſter patronus & Pontifex vtriſque manibus ad cælum extenſis, oculis apertis vultúque ad ſuperna porrecto mentem ſequi corpore videbatur, vt fide non dubia patentia regna cœlorum etiam corporalibus oculis inſpicere crederetur. Erántque ante eum & poſt columnæ duę mirabili proceritate conſpicuæ ardenti lumine radiantes, cereóſque ſingulos gemino geſtantes in vertice. Qua claritate deterritus, & gaudiorum magnitudine tremefactus reuertens lectulo membra proſtraui, tantum enim ſum viſionis ipſius ordine pauefactus, vt oculis hauriens æterna mortalibus ſufferre terrenis ſenſibus cæleſtia non valerem. Itaque victus iacui & vigore corpuſculi depreſſus, lætitiæ mole ſuccubui. Tunc ſupradictus Diaconus: Es quidem, vt narras gaudiorum timore confectus, ſed exultare te conuenit quod cernere meruiſti viſibus altiora mortalibus. Deus enim omnipotens ad confirmanda pectora fidelium ſuorum tanta incitamenta ſemper tribuit, vt ſuo gubernet imperio. Hæc retuli geſta quæ memini, quæ in terris magiſter ipſe affectans cælos inſignibus reliquit exemplis. Nam ipſe remeandi tantum ſpatium conſequutus cælos petens mundum quem ſemper contempſerat mox reliquit. At verò Valentia, quæ fleuit tunc amiſſum vrbs decora Pontificem,

tificem,

cifieem, deſtinaſſe à ſe ad ſupernis aſſiduum nunc gaudet habere Aduocatum regnante D. N. IESV CHRISTO; cui eſt virtus, honor, imperium & poteſtas cum Patre & Spiritu Sancto in Trinitate perfecta in ſæcula ſæculorũ. Amen.

Eiuſdem vitæ mentio fit in S. Auiti Viennenſis Archiepiſcopi perbreui vita, quam mox ſubijcio hactenus, vt arbitror, meditam.

VITA SANCTI AVITI VIENNENSIS EPISCOPI.

Ex Veteri MS. Exemplari expreſſa.

CAPVT I.

TEMPORE Zenonis Imperatoris, Beatus Auitus Epiſcopus ſapientiâ, & doctrinâ mirabilis, Deo mortalibus fauente, Viennenſem Eccleſiam poſt Patrem Iſicium æquè Epiſcopum ſuſcepit regendam. Hic Iſicius, vir primùm fuit Senatoriæ dignitatis, cui fuerant duo filij, clariſſima lumina, infulâ Sacerdotali præditi, Apollinaris Valentiæ Epiſcopus, miraculis inſignis, & Auitus, qui, ſicut iam dictum eſt, in Viennenſi Epiſcopatu ſucceſſor extitit. Hic aduerſus hæreſim Arrianam, quæ tunc non ſolùm Africam, ſed & Galliam, Italiámque ex parte occupauerat, magno ſudore decertauit; quod clariſſima eius opera reſtantur. Scribit enim dialogum hæreſim illam oppugnans, fideliſſimo, & doctiſſimo, immortalique ingenio, ad Gundebadum Burgundionum Regem, filium Gundouei. Item alios libellos duos contrà Neſtorium, & Eutychem authores erroris, luculentiſſimo, & caſtigato ſatis eloquio. Item de ſubitaneâ pœnitentiâ. Item conſolatoriam de tranſitu filię Gundebadi. Item epiſtolas, vbi ſoluit illud, quod Dominus in Euangelio dicit; Omnis qui reliquerit domum, aut fratrem, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, &c. Item epiſtolarum ad diuerſos, libros tres. Item homilias de diuerſis temporibus anni, & multa alia, tam proſaïcè, quàm metricè ad eruditionem omnis eccleſiæ Dei compoſuit, & multotiens pro eruditione eius ab hæreticis vſque ad exilium, & mortem periclitatus eſt. Hic venerabilem Abbatem Monachorum Veranum, Epiſcopum Lugdunenſibus dedit. Hic etiam Sanctum Viuentiolum de grege Preſbyterorum Dei electum, eiſdem Epiſcopum deſignauit. Huius temporibus grauiſſima perſecutio Vvandalorum, cæterarúmque gentium in Africâ excanduit, & Symmachus Pontifex per Africam, & Sardiniam, Epiſcopis, qui in exilio erant, quingentis quinquaginta, pecunias, & veſtes miniſtrauit.

CAPVT II.

Quantá autem ab hæreticis, & à Sanctæ Dei Eccleſiæ inimicis paſſus ſit, geſta fratris eius teſtantur, quæ ita ſe habent. Itaque accidit vt quidam ex officio regis Sigiſmundi, nomine Stephanus, qui ſuper omnem dominationem fiſci principarum gerebat, defunctâ eius coniuge, ſororem vxoris ſuæ, ſibi illicitè coniugij conſortio copularet. Quâ de re Sancti ac Beatiſſimi Apoſtolici viri, Auitus, & Apollinaris, qui ſecundùm carnem germani, in Chriſti verò opere famoſiſſimi fratres, omni ſemper in tempore operibus mancipati diuinis, nobilitate eorum cognitâ, prudentiâ, doctrinis ſacris, ſpiritu feruente eruditi, Synodalem inſtitutionẽ ſeruantes, cum reliquis Pontificibus ſimul in vnũ congregari, ipſum Stephanum ſacrâ cõmunione priuari ſanxerunt, vt calcarâ ſcilicet humanæ fragilitatis impudicitiâ, inceſtum quod ſuperna inſtitit àdãnauit, inhoneſta præsũptio nõ audeat vindicare. Tũc Rex diræ inſaniæ furore permotus, Beatiſſimos Põtifices acertimè inſi-

dias prætendendo, iniuriari non deſinebat. Sed Apoſtolici, atque venerabiles viri minas terreni Regis minimè formidantes, imperiis cæleſtibus armati, ita ſe iuſtitiæ vinculo nexuerunt, vt quælibet ſupplicia eiſdem inferrentur, vt ſocij paſſionum tormenta tolerarent. Viſum enim illis eſt, vt in oppido Ciuitatis Lugdunenſium, quod nuncupatur Sardinia, pariter tanquam exilio deputati, auxiliante Deo comitarentur. Videns verò rex ille conſtantiam eorum incorruptibilem eſſe, ab ira non deſinens, præcepit vt Pontifices, qui ibidem pariter reſidebant, ad propria reuerterentur, & ſigillatim per ſingulos menſes Regem operiri deberent. Sed quia beatiſſimus Apollinaris in condamnatione Stephani perſeuerans videbatur, ipſum primum ſtuduit obſeruare.

CAPVT III.

Tunc omnes lacrymis diuinam potentiam obſecrantes ne ſe derelinqueret, valedicentes, celebratâ oratione profecti ſunt. In quo loco dum vir Dei morarum ſpatia neceſſitatis causâ ſuſtineret, ab ardenti æſtu fluenta Rhodani tepefacta ſunt, vt à ſitientibus ex eo aqua potari non poſſet. Et quia nullus puteus, neque fons vnde aqua hauriri deberet, ibidem reperiebatur. Beatiſſimus vir Dei, firmans ſe Spiritu-Sancto, & virtutibus non ignotæ potentiæ ſecurus, confert ſe ad locum à Deo deſignatum, & ſecretius præcepit ſuis ſarculum exhiberi. Quo exhibito oratione completâ, ait ad eos. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti, hunc locum aperite. Hoc facto, mox annuente Illo qui aquas feruere iubet in corde terræ, fons exortus eſt, & quamdiu Beatiſſimus Pontifex ibidem moratus eſt, beneficio omnipotentis Dei aquam ſibi placitam ſemper habere promeruit. Poſt diſceſſum verò eius fons ſiccatus eſt, vt omnes agnoſcerent meritis ſerui Dei fontem ipſum obſequium ſuum detuliſſe, & ad priſtinum curſum fuiſſe reuerſum. Cúmque Rex ille, virum illum Apoſtolicum, nec videre vellet, ſed magis inſidias prætendere ſtuderet, qui eſt meritorum rectiſſimorum iudex, & immenſæ virtutis laudabilis, celerem vltionem demonſtrans illicò contigit, vt ipſe Rex ita vim febrium incurreret, vt potiùs funebris, quàm vitalis eſſe crederetur.

CAPVT IV.

Tunc Regina ipſius fide accenſa, alacri feſtinatione peruenit ad locum, vbi Beatiſſimus Pontifex reſidebat, & auidâ deuotione petebat, vt interceſſione ipſius Dominus ſuus incolumitatis donum reciperet. Sed vir Dei abdicatá mundanæ elationis efferentiâ, eundi famulatum omnimodis denegauit: magíſque Regina illa lacrymis pedes eius rigans, poſcebat vel cucullam eius ſibi præſtari, quam ſuper regem ſternere deberet: victus fletibus ceſſit. Quæ cum tribuente Deo ſupra virum fiduciali conſtantia fuiſſet expanſa, ſtatim effugata infeſtatione febrium, vel ſi qua alia impugnatio videbatur, proſperitatis munus emeruit. His actis reminiſcens Rex ille facinus quod admiſerat, licet grandi confuſione repletus, tamen exultans quòd ſuffragante Pontifice per veſtimenti eius tegmina, priſtinam meruiſſet conſequi ſoſpitatem; præcurrens primùm ſtuduit, vt tanti miraculi, tantæque virtutis lagitate latices, quos Dominus ſeruo ſuo benignitatis munere tribuit, oculis viſibilibus cernere mereretur. Agnitâ virtutis gratiá venit ad virum Dei, & amplectens pedes eius, compoſitus cum exultationis fletu, veniam poſtulabat dicens; Peccaui, iniquè geſſi, dum iuſtis indignas ſæpè intulerim tribulationes: nam quæ expugnari neſcit iuſtitia cœleſtis, hoc ipſo quo impugnatur, fortior eſt. O cæleſtis Regis indulgentia, qui peccantium animas non vult perire, ſed culpas! ô virtutum gloria, quæ per famulum ſuum Apollinarem refutatis mundialibus curis, gemina gratia claruere virtutis! Denique aſſiſtens pro Iuſtitia, inſaniam Regis, tumidámque eius ſuperbiam reprimit, & orationis effectu à languore mortali quo detinebatur, abſoluit, &c.

CAPVT V.

Hunc Sigiſmundum Regem Beatus Auitus poſt exilium in fide pietatis erudiuit, qui illo agente Monaſterium Sanctorum Martyrum Agaunenſium, Mauricij, ſociorúmque eius, conſtruxit; quem poſtmodùm captum à Francis, & occiſum vehementiſſimè doluit. Hic Imperatoribus & Regibus, etiam populo, per epiſtolas, per Homiliam, inſuper & viuâ voce declamãdo, quaſi tonitruum extitit. Huius labore & induſtriâ Baptiſterij Eccleſia muſiuo, & marmore mirabiliter ornata, & pauimento venuſti operis conſtructa, ipſúmque baptiſterium, cum aquæductu, & ornatu ſuo ad honorem Patriarcharum, & Prophetarũ, Sanctique Ioanis Baptiſtæ, quantâ celeritate à fundamentis reædificata ſit, in homilia, quam populo in dedicatione eius compoſuit, ità ſcribit; *Anteà locus, quàm annus expletus eſt.* Quantus autem in Eccleſiâ dum vixerit, fuerit, quiſquis ad plenum vult, poſt eius innumera in diuinis laboribus opera, Epitaphium ipſius legat, & quantus fuerit, videre poterit. Sepultus eſt autem in Eccleſia Apoſtolorum, ad ſiniſtram partem domus, in capite longioris maceriæ. Hic ad Elpidium Lugdunenſem Diaconum, virum doctum & ſanctum, vnam familiariſſimam, & ſale ſapientiæ conditam ſcripſit epiſtolam. Moritur Anaſtaſio adhuc Principe.

VITA SANCTI ARIGII
EPISCOPI VAPINCENSIS,
INCERTO AVCTORE COÆTANEO

Ex Codice Siluiniacenſi anno 1608 deſcripſit P. SIRMVNDVS, pluribus mendis barbariſmiſque inquinato.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Incipit vita S. Arigij Wapincenſis Epiſcopi, qui oriundus ex præclariori Francorum progenie, pater illius Aprocatius vocatur, & mater Simpronia: qui etiam filium primogenitum Arigium, cùm eſſet biennium ſuæ natiuitatis, Deo offerentes, prælibatum filium ante altare S. Vincentij Cabilonenſis vrbis B. Deſiderius Epiſcopus cum gaudio ſuſcepit & baptizauit, & exhibuit eum, & eruditionis normam annuente pueri o ipſe docuit, quia præſciuit ſibi filium ſubditum modeſtiæ, humilitatis, intelligibilem, & omni ſanctitate pollentem, omni obedientiá reuerentem. Sancti atque præcipui viri Arigij VVapincenſis vrbis Antiſtitis non faleratis, neque dialecticis, ſed tantùm ſimplibus eius venerabilis vita narratur elnquiis. Quòd ſi promptus attendit animus, illico ſacer ſociatur auditus. Adeò reor quod non idioticus auſterirarem auſcultantibus ingerat ſermo. Eccleſia Morgecenſi, vbi non modicus inhabitantium cernitur vicus, ob regimen Eccleſiaſticum annuente Chriſto peruenit ad honorem: ibidémque vnâ tantum temporis teſſaresdecadâ peracta ad omnium Sanctorum VVapincenſium clericorum ac Monachorum virorûmque conſenſu poſtulatum eſt, atque cum exultatione gaudij maximá promeren ſibi à Domino, vt Arigius vir Deo plenus Eccleſ. S. VVapincenſis vrbis conceſſam ſibi teneret ſedẽ. Interea deterſa de corde caligine, ad cælos animum intentè appoſuit, cúmque ob deſiderantis animi S. Marcelli martyris Eccleſ. adire deſiderium arripuiſſet; dúmq; vrbi Cabilonenſi ſe beatiſſimus vir adiungeret, infeſtante inimico, Regina quædam valuas liminibus ſancti appoſitas Brunichildis iniqua ſeris firmare præcepit, ſed S. Dei ſignaculũ Chriſti faciens, eiúſq; intercedenti bus meritis ſanctis, vbi Arigius venit nratione defixa clauſtra patefacta ſunt, narrata virtute regibus, munera indefinenter ad ſanctum miſerunt, quæ cum iſte vidiſſet, chlamyde ſua recepit

proiectiſque in terra ſolidis, exhorruit cum deteſtatione dicens, Dona iniquorum reprobat altiſſimus, & taliter diuina inſpitatione vir beatus repletus eſt, & ſicut Eliſæus Propheta contemnendo aurum & argentum, leproſos mundaret. Cúmque penſaret ob conſeruandi gratiam dominicum ſibi fuiſſe commiſſum gregem, ita omnium curam ſuſcepit animarum, vt ſolida conſeruaret, alligaret contrita, errantem reduceret, nullam penitus extra caulas erroneam omitteret ouem. Clericorum autem ſic viſus eſt in omnibus, vt ſpiritalem adſumeret curam, vt induſtriæ adfectum, ſeu bonitate miſceret. Sui qoippè moris erat, neminem contemnere. Et ſi quempiam ad erudiendum ſuſcepiſſet, indolem primò quidem ob rudimenta infantiæ blando commendans intimabat magiſtro, vt teneram inſtruens foueret infantiam ſic demum ſpiritualibus raſtris ad excolendos animos ſuo præcipiebat reſeruari labori. Cúmque eoſdem intra ſuæ recepiſſet Eccleſiæ ſepta, ita pro ipſis in omnibus induit curam, vt ſub ipſius ditione reuerentiſſimè commorantes in legis Domini meditatione diei ac noctis tempora non tranſirent, quatinus vt & perſonaret lectio cum inſtructione, & denuo cum exultatione Dauidicam canerent modulationem quos intra conclauis ſui clauſtra domini conſeruandos oratione facta nocturnis horis relinquens ipſe B. Pontiſex caſtrum, quod Wapincenſium eſt non procul ab vrbe, cum vno tantum Clerico, nomine Probo, qui tunc temporis Lectoris agebat officium, & nunc in ſacris Sacerdos admiſſus noſcitur eſſe myſteriis, quia eum nou inuenerit reprobum, ideò in ſpiritualibus auſis detinebat probarum. Hunc in ſuo adſumens obſequio cum ardenti fidei deuotione, nulla intermittens nocturna horarum ſpatia, arduum montis conſcendens ſupercilium ad S. Mammæ Martyris properabat Eccleſiam, in qua ſacratiſſima ſepta, clauéſque peſſulum ex more reſerare conſueuerant, clam auſerre faciens, ſimiléſque protinus præcepit fieri, ſícque acto noctis ſilentio, cum prædicto puerulo, qui ſuo vacabat obſequio, cauto ac pendulo, tamen fixo animo in ſancta ſanctotum ingerens greſſum, ab ſummæ noctis exordio orationem agens, cum gemitus modulatione, cum lacrymis in laudem Domini perſeuerans: ſic cum hymnis, & laudibus, & canticis ſpiritualibus peracto officio, deinde Chriſto præuio ad ſubjectam monti repedat vrbem. Sed dum templum B. Andreæ Apoſtoli ardenti deſiderio exercendo propè oppidum ipſius ciuitatis fuiſſet ingreſſus, quod latè Chriſtianis conceſſum eſt, ibi curſum meridianum reperit ſuæ iniquitatis fungente officio. Hoc ipſe Pontiſex ſub Angelica reſpiciens ex more viſione intulit, vt vbicumque in ſuo nomine quis hominum properaret, eum in nullo noceret. Tunc iter ab eo poſtulans vt vna cum ſatellitibus ſuis ſibi cohærentibus ageret itineris curam. Et quia iam tempus aderat vt Gallus cantaret, & clerus coerceret ipſos * quieto agebar, nullus tamen hominum, à quibus, vel de quibus venerat præter dominum ſciuit, & expectantibus Angelis quid ageret penitus ignorabant. I legit namque diuerſis atque exquiſitis laboribus in ſemetipſo dicandu martyrium, ſanctum affligere corpus, tamen dum voluit ab iſto exercitio non ceſſauit dirigere greſſum, nec antè cuiuſquam patùit auribus, ſed nec reuelatum eſt oculis, niſi cùm ad eius ſanctam conféſſionem, quæ ſancta reſerabant: clauſtra pendenrem ſuſpicientes cernerent ſerrum, virtutem namque operum domini quæ in tribularione fideli famulo nec horrendo negauit in gurgite. Scientes ad memoriam & neſcientes nunc ad ſcientiam reuocabo. Cúmque ſolito Durentiæ beatiſſimus vir ad vlteriorem fluminis ripam ſe vellet nauali euectione transferri, fortuitu inſidiante diabolo inopinante nauicula, præcipiti agente fluminis curſu, ca.haſa rupi mediæ voluentibus ponitur vndis conterenda incidit lapſu; ex cuius iminenti periculo mortis per Angelicam adprelienſus vit Dei dexteram cum Diacono ſuo, qui Ianuarius vocabatur numine, inimico ſuperponitur ſaxo. Et tunc inquit ipſum habuit ſuæ ſalutis in omnibus defenſorem, quem incurrere viſus fuerat in gurgite ſubmerſorem. Sed dextera læuâque gurgitum imminentes reſonarent lymphæ. Interea claro noctis tempore corde ſancto canebat ore dicens: *Expectans expectaui Dominum & reſpexit me, & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit ad progrediendum greſſus meos.* Cúmque igitur turba ingens clericorum famulorum ac ciuium ex vtraque parte littorum imminentes adſtarent & lugentes liberandi inſtantia perenne fatigarentur, propinquus inclaruit dies præcedens inclaruit virtus adducens eum cum exultatione extenta gratia Chriſti. Tria, inquit, geſſit beatiſſimus vir magna miracula, quæ nec ſilenda putabo in ſæcula.

Igitur cum immaniſſimus ac ſæuus ex opacis ſaltibus ap‹…› et non procul fuiſſet ab vrbe, cúmque ſolitis venantium conſtipatus fuiſſet cater‹…›‹…›is, atque vibrantes tenentéſque dexteris in perimenda beſtia tela dirigerentur ‹…› ferrata, & incaſſi omnium inuenirentur intendentium ictus. Tunc demum ſanct‹…›is Pontifex baculum quem in manu alma gerebat, in ferino & in inſano poſuit o‹…›re. Sic illico naturali carens virtute, optatamque qui aderant omnes ſimul vena‹…›ionis capiunt prædam. Et ſic factum eſt, vt omnium appareret obtutibus potiùs f‹…›acete potuiſſe ſanctitatis audacia, quàm puerilis armata temeritatis inſtantia. ‹…›um cuiuſdam Sabinæ illuſtris fœminæ, eò quòd in timore Domini ſacra & cer‹…› vera vidua eſſet, benedicendi gratiâ domum fuiſſet ingreſſus; atque inde progr‹…›ediens venenoſus viantibus apparuit ſerpens. Cúmque cæruleus ex triſulcâ ſib‹…›lum depromeret linguâ, atque per flexuoſos ſe traheret globos, vt letales infigere t‹…› morſus. Sed cùm mortiferum omnes effugerent caſum, atque fuſtibus ac ſaxis anguem obruere meditarentur. Sed cùm nullus eorum ipſum interimere potuiſſet, tunc vir Dei virtute animi magis quàm corporis, maligni caput ſancto attriuit calcaneo. Sicque proſtratus nequiſſimus anguis deinceps nunquam valuit ex ore nefario mala exundare venena. Sed hæc, inquit, omnia qui conculcaſti leonem & draconem ad tuam referunt omnes, Chriſte, virtutem. Propterea benedicimus, laudamus, & ſuperexaltamus nomen tuum Sanctum in ſæcula. Qui confidunt in te qui fideliſſimo tuo Arigio tanta dediſti virtutum inſignia, vt & ſerpentis inimica contereret membra, & Paſtorali baculo ſingularis feræ aperiret inſaniam. Alterum verò miraculum vir Dei noſcitur intuliſſe. Exigenti enim iam tempore, dum marcida floreret, præparatam inciſioni herbam, & quod ſolis ardor aduſtus iam adduxerat fœnum miſit beatiſſimus antiſtes operarios in prædia ſua. Et cum ad horam ſextam veniſſet, vnus ex operariis inerti animo, corde impedito, dicendo ſe laſciuum corpus pertrahere. Tunc demum athleta Dei ad ipſum venit, & dum veniſſet, eum non lucrantem mercedis opera, ſed iniquè gerentem ex conſorte maledixit ei in nomine Domini, vt probaretur oppreſſio inimici. Et dum ſe in terram aduolueret cum intentione iniqua, adueniens iniquiſſimus ſerpens, genua eius rabiens illuſit, & dum auida fauce venenum ipſe euomuiſſet, cœpit clamare: Miſerere piiſſime paſtor, quia qui me ſualit tibi mentiri, ipſe me certiſſimè decepit. Cúmque concurſus populi ad eius adclamationem factus fuiſſet, venit S. Arigius Epiſcopus. At ibi vt vidit deceptionem inimici, & hominis illius ruinæ etiam corpus eius exanime iacere, proiecit ſe in terram cum lachrymis orauit, dicens: Domine Deus Omnipotens qui feciſti hominem ex nihilo & periit primus homo per aſtutiam ſerpentis, & reparaſti cum per vnicum filium tuum Dominum noſtrum IESVM-CHRISTVM, tu repara hunc famulum à morte quam ipſe diabolus per ſinum venenoſum in eius membra transfudit, vt in nullo ei noceat. Et quia tu dixiſti; Qui in me credunt, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ita iſti famulo tuo per preces ſerui tui reddere dignare priſtinam ſanitatem. At vbi orationem compleſſet, ſignum Chriſti ſuper plagam manu ſuâ faciens, ita venenum euomuit corpus, vt nihil malum homo ille ſe inclamaret fuiſſe perpeſſum. Quodam in tempore interea cùm vir Deo plenos Romam ad Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum limina orationis cauſa pro amore Dei in Chriſti nomine properaſſet, tanta eſt à beatiſſimo Gregorio Papa veneratione receptus, vt cùm eſſet Eccleſia non tam meritis, quàm priuilegiorum ſupereminens poteſtate, atque Sacerdotalium infulis ceteris Sacerdotibus honore præpollens. Taliter beatiſſimum Arigium Epiſcopum cum charitatis ſubiectione atque ſummo venerationis portabat affectu, vt non ſolùm honoribus, ſed & moribus, & ſcientia, ſanctitate, modeſtia, caſtitate ſibi coæquandum putaret. Sed nec vnquam ſe à finibus Galliarum in Illyrici partibus talem ſe proteſtabatur omnimodis Sacerdotem vidiſſe. Nam cùm apud eum aliquantiſper, tam ex deuotione orationis, quàm pro inquirendo Gregorij Papæ Sermonum ſcientia ſingulari ſpiritales innecteret moras. Cùmiam valedicendi vtriſque inoptata aduenerit dies, cum tanto ſe amore ac profluuio lachrymarum fletuúmque ſibi ſummi Pontifices viſi ſunt ſancta oſcula tradidiſſe, vt adſtantes obſequio Ioſephi Patriarchæ cum lachrymis colla vnici fratris libri Geneſeos recordantes oſculando putarent. Sed tunc non cum modica ſpe fidei beatiſſimus Gregorius Papa Sanctum ac venerabilem Arigium Epiſcopum viſus eſt conſolari eloquijs, quod

IESVS-Chriſtus Dominus noſter, qui curam habet de omnibus, protinus eos in Paradiſiacam faciens adunare ſedem, laboris præmia centeno fœnore percepturos, & ſic, inquit, placido oculo ac ſereno animo ſuis omnibus tradens munera oratione facta flentes ab inuicem viſi ſunt diſceſſiſſe. Ergo & Beatiſſimo viro Valatonio qui tunc temporis Archidiaconus ſub ſæpedicto Pontifice Wapincenſem regebat Eccleſiam, viſus eſt Dalmaticam cauſa muneris induiſiſſe. Et quia comperterat, quòd eſſet ſacris litteris decoratus, adeò maluit vt eſſet ſuis munificentijs Sancto velamine circundatus, & quod ipſe in ſui magiſtri ſuccederet ſede. Beatiſſimus Gregorius Papa palam ſuis pronunciauit oraculis. Qualis autem & quanta fuit Sancti viri perfectę vitæ operatio, felix commutatio fidelium oculis declarauit. Dum per quatriduanam obſeruationem diebus ac noctibus perageret officia. Ita maccrato corpore præueniret ſanctæ reſurrectionis diem celebrando ſuſcipere, aduenere in trino numero elefantinoſi: quos cùm vidiſſet in ſua cella adire præcepit: ibíque adpoſita pelui, præcinctáque ſindone pedes eorum lauare cœpit, lectulos vbi membra putrida atque defeſſa requieſcerent, ſuis manibus adornauit. Illic tribus diebus detentus per noctis ſilentia pedes & capita eorum vel manus cum fletu & gemitu inrigabat: veniens ſanctus dies Cœnæ Domini taliter eum Dominus exaudire dignatus eſt, vt ſicut per magiſtrum lotis pedibus diſcipuli paradiſi amæna introierunt, ſic feſſi properantem de ſæculo beatiſſimi Arigij laudarent virtutem. Ita Domini miſericordia præſtare dignata eſt, vt detersâ putredine carnis, vocis laudarent enim clamore, quia ſe cognouerunt per Sanctum Dei Arigium Confeſſorem euaſiſſe ſupplicium, & poſtulantes viaticum. Sed dum in lectulo ſtratus ſui requieſceret, euigilans poſt quietem chorum Angelicum modulatis vocibus ante altare B. Marię ſemper Virginis audiuit. Statímque omnibus ſuis obſequio cubiculi vagantibus dereliquit, & curſu concito inter eoſdem introiuit. Sed dum Probus Clericus, qui ſuo perpetim vacabat obſequio, euigilaſſet, & eum non reperiſſet, pergens ad cubiculum, & eum illic non inueniret, ſtatim ad oſtium Sanctæ Eccleſiæ properans & eum cum Angelico Choro intuens metuit & penitus non introiuit. Cúmque prædictus Pontifex ad cubiculum rediret cum magna humilitate, Probus eum interrogauit dum inter eos pſallebat, qua etiam cauſa greſſu intimo retrocedebat, & coram obſequia ex more reciprocando repeteret. Sed ipſe Pontifex hanc viſionem ei ſilere præcepit. Igitur ſic inchoauit, vt finiret: ſic finiuit, vt quod quæſierat, perpetuò retineret. Nam cum iam ſuę vocationis vltimum pertingeret tempus, in quo oblationis omitteret diem, vt ſolitum Angelici panis ſumeret cibum, cum ex ſuo doloris impetu feſſa Sancti ſtratu membra iacerent, mens tamen amplius ex more erecta cœli Dominum intuebatur dicens. IESV bone, Saluator Domine, non tradas beſtijs animam confitentem tibi: neque eam derelinquas in inferno, quia in terrenâ teſtudine clauſa ſemper te deprecata eſt, in cœlis, atque ideo ſic iugem per multorum dierum ſpatia dum ſanctum ſpiritum cœlo rèdderet, orationem cum gemitibus permiſcebat. Sed neque hæc quidem, quod ex fideli debitore narrare neceſſe eſt, ſilendum omnino putabo. Cúmque vir Sanctus anhelum pectus paululum ſopori dediſſet, ante magni Regis tribunal ſe cum gaudio magno cernebat adſtare, & niueo peplo ſemetipſum ipſo præcipiente Rege indutum percepiſſe poteſtatem. Et deinde Iſicium quondam Gratianopolitanæ vrbis Antiſtitem intendit ſemitâ, qua venerat, alacrem properare, ac pari modo reſidente in ſplendoribus Rege miratur eſſe ditatum. Cúmque vir Dei à blando euigilaſſet ſopore, Beatiſſimo viro Valatonio, tunc temporis Archidiacono, & Diconcio prouectæ ætatis Preſbytero, & Probo Diacono adſtante etiam vltimo, qui iſtam ſtylo percurrente in ſuo amore narrauit viſionem, quam ſpiritalibus videt oculis, certè audientium auribus indicauit, & ſic auſus eſt in veritate dixiſſe, quod omnibus ſuæ Eccleſiæ filios Domino commendauit, benedixit, & abſolutione profuit cunctis. Nudato corpore ante altare S. Euſebij cum cinere & cilicio iacens viaticum corporis & ſanguinis Chriſti de manu Iſicij Epiſcopi, & Diconcij Preſbyteri, cùm accepiſſet, ait: Gratias tibi ago Domine IESV-Chriſte quia iam video tempus reſolutionis meæ, & ſurſum erectis oculis expanſiſque manibus, ait: Nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Obijt autem ipſo die Kalend. Maij, & continuò aduenit vir Sanctus de remotis montibus ipſe, qui quando de Roma redibat, qui bouem

concito ictu percuſſit & deuorauit, multa patrocinia Sanctorum denique & caligæ B. Mariæ ſemper Virginis & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & codices librorum ibi erant reperta. In Chriſti nomine vocauit Epiſcopus vrſum ſub iugo inclinato; currir capite ligatus onera perduxit Wapinco. Ipſe ante feretrum obuiauit corpori, vixit vſque ſenio, ad ipſam ſanctam ſolemnitatem veniebat vſquedum canus vixit, & multi gaudebant, qui videbant eum, & victum præbebant ei. Amen.

VITA SANCTI DESIDERII
CATVRCENSIS EPISCOPI ET CONFES.

Ex MS. Exemplari V. C. Antonij de Vyon Domini d'Herouual, in Suprema Regiarum Rationum Curia Auditoris doctiſſimi atque humaniſſimi.

CAPVT I.

IGITVR DESIDERIVS Caturcenſis Epiſcopus Obrege Galliarum oppidò oriundus fuit. Hæc itaque ciuitas in extremis penè Galliarum finibus ſita; regionibus quippe Aquitaniarum extrema, habens à meridie prouinciam Narbonenſem. In hac ergo parentibus honeſtiſſimis, & apud Gallicanas familias præ cæteris generoſitate ornatis, Deſiderius exortus eſt. Pater eius Chriſtianiſſimus, vocabulo SALVIVS, mater verò eiuſdem honeſta, HARCHENEFREDA dicta eſt; fratres autem eius RVSTICVS & SIAGRIVS, cum duabus ſororibus aderant; quarum vna SELINA, alia verò dicebatur AVITA: è quibus Ruſticus à primis pubertatis annis Clericus factus, Archidiaconatus officium in vrbe Rutena & Abbatiæ, ſub Lothario Rege adminiſtrauit; ad vltimum Pontificatus dignitatem in Caturcina vrbe emeruit. Siagrius poſt diutina Palatij Francorum miniſteria & familiaria Lotharij Regis contubernia, Comitatus dignitatem apud Albige geſſit, necnon & apud Maſſiliam iudiciariam poteſtatem diu exercuit.

Deſiderius verò ſummâ parentum curâ enutritus, literarum ſtudiis ad plenum eruditus eſt: quorum diligentiâ nactus eſt, poſt literarum inſignia ſtudia, Gallicanámque eloquentiam (quæ vel florentiſſima ſunt, vel eximia, contubernij regalis adductis inde dignitatibus) ac deinde Legum Romanarum indagationi ſtuduit, vt vbertatem eloquij Gallicani nitorémque grauitas ſermonis Romana temperaret.

CAPVT II.

Eo autem tempore TEVDEBERTVM Regem iam interemptum, TEVDERICVM æquè defunctum; BRVNECHILDEM quoque quorundam equorum pedibus ittritam, ac malè diſcerptam audiuit. LOTHARIVS autem pater inclyti Dagoberti Monarchiam Regni ſolus tenebat, à quo tres germani, id eſt Ruſticus, Siagrius, & Deſiderius, florentiſſimè enutriti, ſummis dignitatibus præditi ſunt. Ruſticus (vt præfati ſumus) Abbatiam Palatini oratorij, quod regalis frequentatur ambitio & Archidiaconatus Officium geſſit. Siagrius autem Maſſiliæ gubernacula & Albienſium Comitatum annis plurimis adminiſtrauit.

Deſiderius verò minor tempore, ſed non inferior dignitate, ſub adoleſcentiæ adhuc annos Theſaurarius Regis valde ſtrenuè ſe accinxit. Denique quantum Regi propiùs, tantum familiariùs inhærebat. & inter coæuos & proceres laudabiliter nimis adoleſcentiam ſuam gerebat; quantúmque ætate creſcebat, tantùm ſe in timore & Regis fidelitate roborabat, cuius vtilitatis, ſubtilitatis, affabilitatis, argutiæque ſagaciam ſi per ſingula voluero exponere, deficiet me tempus narrantem: tanta enim humilitatis & ſcientiæ gratia ornabatur, vt multos ſuperaret affines, pluréſque præiret coætaneos: & licet ad plenum litteris fuerit eruditus, inſignem tamen ac robuſtiſſimum naturalem habuit magiſtrum, propriam conſcientiam. In

aulam hanc ſub frequentiſſima Palatij opulentia degebat, ſed cautelam Monachi, propoſitúmque non amittebat. Laſciuiam ſanè, voluptatéſque ſæculi euitabat, vt mirum in modum ſemper ſperneret, quod ſemel contempſerat.

Delectabat námque eum iugis labor, nequaquàm conſiderans quid alij malè facerent, ſed quid boni ipſe facere deberet: ſemper enim ſæcularium conſortia ſtudioſè fugiens, Monachorum ac Religioſorum delectabatur eloquiis, prauorum contubernia declinans, humilium iungebatur cateruis. Item in Deo manens ſemper per bonam & malam famam, nec laude cuiuſquam extollebatur, nec vituperatione frangebatur. Habebat enim temperamentum in proſperis, patientiam in aduerſis, tenebat ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machinaretur dolos, habebat & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplantaretur inſidiis; magnum prorſus habens ingenium & facile loquebatur & purè, facilitáſque ipſa & puritas mixta prudentiæ erat. Cùm verò quempiam ſeruorum Dei concionantem audiret, nunquam ſatiebatur audiendi cupidine; ſed, vt ſcriptum eſt, *addens ſcientiam addebat & dolorem*, & quaſi oleum flammæ adiiciens, maioris ardoris fomenta capiebat: dicebat enim, habeant ſæcularia miniſteria ſua impedimenta, *mihi autem adhærere Domino bonum eſt*, & ponere in Domino ſpem meam.

Talia rudimenta Deſiderius nuntiabat, huiuſmodi experientia inter pompas ſæculi Chriſti tyrunculus gerebat; magnæ virtutis qui talia habuit rudimenta, qualis exercitatus miles erit? Quæ putas ventura ætas capiet bona; quando puberras, qua illud hominum genus procliue in vitiis trahitur, Chriſtianam militiam baiulare aſpirabat?

CAPVT III.

Dum his ergo exercitiis polleret, nuntius eum perculit, patrem eius SALVIVM ab hac luce migraſſe: & licet eſſet mente fortiſſimus, ab hac tamen cauſa vehementer ſe afflixit; nec minus de piiſſimæ genitricis deſtitutione, quàm de Patris abſceſſu condoluit. Ex Regis tamen permiſſione profectus ad matrem miſis eam modis conſolari ſtuduit, póſtque regreſſus ad Palatium, officium ſibi commiſſum ſtrenuè, vt cœperat, ac ſolerter prouidit.

Sub iiſdem fermè diebus anno tranſacto XXXIV. LOTHARII Regis RVSTICVS Deſiderij Germanus Archidiaconatus officium in vrbe Rutena ſuſcepit. SIAGRIVS quoque hoc tempore *Comens* indeptus eſt. Sortitúſque in mattimonium illuſtriſſimam puellam, Albigæ indigenam, nomine BARTOLENAM, quæ deuotam demum vitam geſſit, ac multum erga Eccleſias ſtudium impendit ſuper *quidem virum*, & omnem propè facultatem Eccleſiis delegauit, quod & iugalis eius antea iam per teſtamenti ſui paginam feciſſe manifeſtatur. Deſiderius verò inter exercitatiſſimi Palatij miniſteria ſedulò Deo vacans die noctúque orationibus inſiſtabat; habebat enim amicos bonæ fidei viros Paulum ſcilicet, Arnulphum, Eligium & Audoenum, quorum exemplo atque hortatu aſſiduè ſemetipſum ad meliora ſubrigens vitam ſuam in melius propagabat. Intereà Rex pius & manſuetus LOTARIVS debitum naturæ terminum implens, ac pacificè abiens DAGOBERTVM filium in principatu reliquit, à quo Deſiderius tanta familiaritate retentus eſt, vt amplioti dignitate quam indeptus fuerat, potiretur; ſiquidem diligebat eum Rex, quia nouerat eum ſtrenuum virum & ſibi fidelem, & in Dei timore eſſe iam ſolidatum; ipſe autem officia ſibi commiſſa ita prouidebat, vt & in Rege fidelitatem, & in Deo gratiam conſeruaret; opulentiſſimos quidem theſauros ſummamque Palatij ſupellectilem huius arbitrio Rex Dagobertus commiſit, ad eius obtutum data recondebantur, ad eius nutum danda proferebantur, multi quoque Epiſcoporum, Ducum ac domeſticorum ſub ala tuitionis eius degebant, multi nobilium ſibi eum gratificare gaudebant, Regina autem Nanthildis vnicè eum diligebat.

CAPVT IV.

Rex, vt dictum eſt, copioſos ei theſauros, pluréſque ædes multáque aulę nitentia commiſerat; ipſe autem non arrogantiâ extollebatur, non adductâ fronte

coæuos, aut contubernales ſpernebat, ſed omnibus ſe minimum iudicans in amorem ſui cunctum Palatij ordinem traxerat: erat quippe blandus in eloquio, honeſtus in aſpectu, cautus in verbo, prouidus in conſilio. Inter cætera animi exercitia nimis miſericors, ac benignus erat; conſtantiam in Deo talem habebat, vt non ſolùm coætanei: ſed etiam maiores natu eum reuererentur, & admirando præferrent. Ipſe autem in omnibus cautè ſatis progrediens futura Dei iudicia & diſtrictam eius diſcuſſionem formidabat, ſempérque mentis oculos ad bona æterna conferebat. Cum titillatio carnis vrgeret, proponebat ſibi aduerſùs carnis ardores futuros ſupplicij ignes, ſicque memoria ardoris futuræ gehennæ ardorem excludebat luxuriæ, ſciens ſcriptum. *Nihil eſſe fortius qui vincit diabolum, nihil imbecillius qui à carne ſuperatur*: ſciebat enim Domini dictum, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Scientiam quoque ſcripturarum ſatis amabat reminiſcens cuiuſdam ſapientis ſententiæ: *ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.* Nouerat & illud quod per quemdam ſapientem dicitur, *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Aſtra non ſunt munda in conſpectu Dei, quanto magis nos, quorum vita tentatio eſt?* Summopere enim varia ſcripturarum præcepta decerpere ſtudebat, vt futurus Sacerdos plenè priùs diſceret, quod demum poſſet docere, & rationabilem hoſtiam offerre præcauebat ſolerter, ne aut linguam, aut aures haberet prurientes, ne aut ipſe detraheret, aut alios detrahentes libenter audiret, Salomonis dictum ſæpius reuoluens, *cum detractoribus ne miſcearis, quoniam repente veniet perditio eorum.* nouerat planè illud dictum; *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*, necnon & illud Apoſtoli, *Omnis qui facit iuſtitiam ex Deo natus eſt, & omnis qui facit peccatum ex diabolo eſt*, & quòd non expedit *apprehenſo aratro reſpicere poſt tergum*, quod ſtadium eſt hæc vita mortalibus, futura enim hic contendimus, vt alibi coronemur, & *quod non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principatus harum tenebrarum*: Meminerat quoque quod Beatus Petrus in Epiſtola ſua infert: *Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* His incitatus ſtimulis ad omnem actum, ad omnem inceſſum Dei flagitabat auxilium, vt tandem poſt carnis conflictum mereretur peruenire ad brauium, & perfrui præmio ſempiterno nunquam lapſuro per æuum. Itaque honeſtiſſimo genitore SALVIO, vt dictum eſt, iam defuncto, fratre quoque SIAGRIO in faſcibus conſtituto, RVSTICVS germanus eius Epiſcopatum Caturcæ vrbis adipiſcitur: deceſſerat enim ipſo tempore EVSEBIVS præfati municipij Antiſtes, qui ſucceſſor in Epiſcopatum ſanctæ memoriæ VRSICINI fuerat. Deſiderius autem ſedulè in palatio ſeruiens, ac Theſaurarii officium gerens quotidie vitam ſuam ad augmentum melioris propoſiti prouehebat. In anno autem ſeptimo Dagoberti Regis prædictus germanus eius Siagrius, dum Maſſiliæ adminiſtrationem procuraret, Deo iubente vitam finiuit, pro quo Rex Dagobertus graui mœrore percuſſus, ſolerriſſimum Deſiderium loco Præfecturæ eius ſubrogare cenſuit. Profectus itaque Maſſiliam Præpoſiti adminiſtrationem vigilanter exercuit, atque aulam regreſſus miniſterium ſibi iniunctum omni cum ſollicitudine prouidit: ſed quantùm pia eius genitrix habuerit luctum, quantúmque Venerabilis Deſiderius pro fratre fuerit afflictus, inconueniens nimis eſt per ſingula voluere: Vnde interim his omiſſis ſuſcepta proſequamur.

CAPVT V.

Subſequente itaque tempore, & ſub iiſdem fermè diebus finiente anno ſeptimo, regni Dagoberti, & incipiente octauo, RVSTICVS Epiſcopus Cathedræ Caturcinæ præſidens, ſeptimo autem & eo ampliùs anno Pontificatus ſui adminiſtrato, à perfidis & ſceleſtis incolis interemptus eſt: ob quod conturbatio magna facta eſt in Eccleſiâ, non ſolùm in vrbe Cadurcâ, ſed etiam in Regis aulâ, ſiquidem vehementer ira Regis commota terribilia valdè promulgauit præcepta, adeò vt alij obtruncati, alij interempti, alii exilio damnati, alii etiam perpetua ob hoc ſeruituti addicti ſunt, ſic quoque vt nunquàm in ſempiternum ad

libertatis ſtatum meruerint peruenire. Reuerendiſſimus autem DESIDERIVS licet intolerabiliter ſit dolore percuſſus, vt in morte germani ipſe quodammodò videretur mortem ſubire, fortiſſimò tamen animo, & valdè accurato beatam matrem ſtuduit conſolari, nè amiſſione filij mòdum Chriſtianæ Religionis lugendo excederet, aſſerens eos, qui in Chriſto dormiunt, non eſſe lugendos, ſicut Apoſtolus admonet dicens, *de dormientibus nè contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* ARCHENEFREDA autem pia Genitrix tenerrimo valde affectu Deſiderium diligebat, quem crebrę orbitates ſibi fecerant iam chariorem; ſiquidem Sanctiſſimi iugalis Salui amiſſioni filiorum continuabatur luctus: hæc autem crebras ad eum Epiſtolas dirigens pio ſtudio filium cohortatur vt cœpta perficeret, vt *omni cuſtodia cor ſuum* corpuſque *ſeruaret*, præcepta Dei toto adniſu cuſtodire contenderet, quarum exemplar apud nos habito teſtamento memoriæ gratæ huius pagellæ inſerendum credidi, vt ex his aduertatur, qualis fuerit mater, qualéque propoſitum tenere filium vellet, quarum textus ita ſe habet.

CAPVT VI.

Dulciſſimo atque amantiſſimo filio Deſiderio Archenefreda. Immenſas Omnipotenti Deo egi gratias, qui dignatus eſt tribuere locum, vt litteras meas ad dulcedinem tuam dirigere deberem, per quas tantum ſaluto quantum viſcerum meorum exigit plenitudo, & rogo Domini miſericordiam vt mihi de vita & bona conuerſatione tua affluenter iubeat lætificari. Te vero dulciſſimum mihi pignus moneo, vt aſſiduè Dominum cogites, Deum iugiter in mente habeas, mala opera, quæ Deus odit, nec conſentias, nec facias: Regi ſis fidelis, contubernales diligas, Dominum ſemper ames & timeas; ab omni opere, per quod Dominus offenditur, ſollicitè te cuſtodi, ne alios in malis prouoces pro tua male vitæ inſtabilitate? quare nullam occaſionem vicini vel pares habeant per quam detrahere tibi poſſint, ſed magis bonam conuerſationem tuam videntes glorificent Dominum. Recordare ſemper fili, quod Deo pro vobis ſpopondi, & ideo cum timore ſemper progredere, de cætero tantum, te dulcis fili, ſalutare præſumo, quantum cordis mei continet plenitudo.

Dulciſſimo ac deſideratiſſimo filio Deſiderio. Archenefreda. Omnipotenti Deo immenſas ago gratias, quod ſe locus opportunitatis dedit, vt paruitatis meæ apices dominationi veſtræ dirigere poſſim, cognoſcite quod vos in Dei nomine proſperè agere cupimus, ſicut oportet pro vobis adſiduè orare; proinde profuſiſſimam ſalutem perſoluens ſupplico animo vt noſtra opera, noſtras orationes iuues, & quantùm poteſtis, ſemper animæ profectum elaborate, charitatem circà omnes tenete, caſtitatem ſuper omnia cuſtodite, cautelam in ſermone, in omni opere habete, & ſi fortè aliquid mali actum eſt, cito emendate. Epiſtolam verò, quam ante tempus vobis direxi, ſæpiùs legite, & animo tenete, ac tota mentis ambitione tenete, vt promiſſio mea de vobis apud Dominum per vos, dulcis fili Deſideri, impleatur, quod præſtet Omnipotens Deus, qui eſt ſuper omnia benedictus. De conditione vero Patris veſtri magni Abbatis, vnde antea tam ipſe quàm nos vos rogauimus ſic perinſiſtite, ac vt Sanctorum ſuit interceſſio maximam vobis mercedem apud Deum acquirat & in æternam vobis retributionem ipſa merces occurrat. De ſpeciebus verò, quæ vobis in palatio ſunt neceſſariæ, nobis per Epiſtolam veſtram ſignificate, & continuò in Dei nomine dirigemus: de proſperitate etiam veſtra nos celerrimè certificari iubete & valete in Domino, manu propria: incolumes vos Dominus cuſtodire, & hæredes regni ſui præparare dignetur.

Semper deſiderabili & dulciſſimo filio Deſiderio Archenefreda miſera mater: Iam credo tibi nuntiatum eſſe qualiter dulciſſimus germanus tuus Dominus Ruſticus Epiſcopus à perfidis Eccleſiæ incolis interfectus ſit, propterea, dulciſſime fili, dum & pater tuus iam deceſſit, & Siagrius frater tuus hinc migrauit, tu viriliter iſtam cauſam perſequi facias, vt grande exemplum per hoc fiat. Ego infœlix mater quid agam, cum fratres tui iam non ſint, ſi tu deceſſeris, ego orbata abſque liberis ero; ſed tu piiſſimum pignus, mi dulciſſime, ſic te iugiter præcaue, vt dum ſolatia fratrum perdidiſti, te non perdas: vt quod abſit in interitum vadas. Caue ſemper latam & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem, & temetipſum in via Dei cuſtodi, ego præ nimio dolore vitam meam amittere ſuſpicor. Tu ora vt egredientem animam ille ſuſcipiat pro cuius amore diu noctuque ſuſpiro. Ego Dodenum ad te direxi per quem omnia ſcire poteris quæ erga nos aguntur, quem cum omni velo-

citate remittere feſtina: incolumem te ſuprema gratia tueatur, fili.

CAPVT VII.

Iam verò, vt dictum eſt, interempto Ruſtico Caturcæ vrbis Epiſcopo, conſenſus Regis & ciuium pari ſententiâ in Epiſcopatum Deſiderii aſpirauit. Nam licet ſuggeſtio ciuium ad Præſules & Principes iam præceſſerit, Rex tamen pro hoc amantiſſima & valde ambienda præcepta dedit, in quibus perſpicuè agnoſcitur, vel quamobrem hunc Rex diligeret, vel quam de eo æſtimationem haberet, tale nimirum de illo Rex ciuibus & Epiſcopis, cunctóque populo teſtimonium dedit vt iure plebium teſtimonia, Regia oracula præcellerent, ac præuenirent. Cuius Epiſtolæ exemplarium neceſſarium huic operi inſerendum putaui: textus autem Epiſtolę iſte eſt.

Dagebertus Rex Francorum Epiſcopis & Ducibus, cunctóque populo Galliarum finibus conſtituto. Condecet clementiam principatus ſagaci indagatione proſequere, & peruigili cura tractare, vt electio vel diſpoſitio noſtra Dei & hominum voluntati debeat concordare, & dum nobis regiones & regna in poteſtate ad regendum largiente Domino noſcuntur eſſe collata, illis committantur priuilegia dignitatum, quos vita laudabilis & morum probitas vel generoſitatis nobilitas attulit. Et quoniam virum illuſtrem Deſiderium Theſaurarium noſtrum cognouimus religionis obſeruantiam ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore, in omnibus cuſtodire, & ſub habitu ſæculari Chriſti militem gerere, ac mores Angelicos & Sacerdotalem conuerſationem habere, vt non ſolum in contiguis, ſed etiam in longinquis regionibus fama bonitatis eius euulgata crebreſcat; ideò credimus eum merito ad Sacerdotium debere prouehi, quem ſicut diximus ornatis moribus videmus iugiter ad cœleſtem patriam anhelare, & dum ciuium, Abbatúmque Caturcorum conſenſus hoc omnimodis expoſcit, vt eum Epiſcopum habeant, & noſtra deuotio ſimiliter conſentit, abſque dubio credimus nutu Dei id fieri, vt dum ſatis nobis eſt in palatio noſtro neceſſarius, ipſi nobis quodammodo violentiam inferamus, & eum ab ædibus noſtris profectu veſtro procuremus, ſed dum nobis vt diximus eum & ab ædibus noſtris auferimus, quibus regiones & regna à Deo ſunt commiſſa, quamuis nobis inferamus diſpendium, tales debemus procurare paſtores, qui ſecundùm Deum & Apoſtolica dicta plebes ſibi à nobis commiſſas debeant regere, vnde nobis merces amplior poſſit accreſcere. Quamobrem iuxta ciuium petitionem, noſtram quoque concordantem in omnibus voluntatem decernimus, ac iubemus, vt adiuuante ac clamante laude ipſius clero vel populo, vir illuſtris & verus Dei cultor Deſiderius Pontifex in vrbe Caturci debeat conſecrari, & noſtra ciuiúmque voluntas, quod decreuit in omnibus, in Dei nomine perficiatur, & Pontificali benedictione ſublimatus, dum Chriſto propitio verè ac religioſè profitemur quod vita & conuerſatio eius digna & probata ab vniuerſis habetur pro nobis & pro vniuerſis ordinibus Eccleſiæ debeat exorare & acceptabiles Deo hoſtias ſtudeat offerre, quia ex hoc vitam nobis longiori æuo authore Domino credimus propagandam, ſi ille in Sacerdotio eligitur, & ſublimatur, qui pro nobis, vel pro vobis ſibi commiſſis ſecurus ante tribunal Chriſti preces offerat, & in futuro iudicio vt culpas excuſet peccatorum aſſiſtat. Qua de re præſenti authoritate decernimus vt ſæpe dictus Deſiderius Epiſcopatum in Caturcenſi vrbe præſentialiter ſuſcipiat, & Chriſto propitio eius temporibus teneat; & vt hæc deliberatio voluntatis noſtræ firmior habeatur, manus noſtræ ſubſcriptione ſubter eam decreuimus roborare. Crodobertus obtulit, Dagobertus Rex ſubſcripſit, Data ſub die Idus Aprilis, anno octauo Dageberti Regis.

CAPVT VIII.

Indiculus Dagoberti Regis ad Dominum Sulpitium Epiſcopum. *Domino Sancto & Apoſtolico Domno Patri Sulpitio Dagobertus Rex. Deo & veſtræ Sanctitati credimus eſſe compertum qualiter fidelis noſter verè illuſtris Deſiderius Theſaurarius nobis adoleſcentiæ tempore fideliter deſeruiuit. Nos deuotiſſimam ac Monaſticam conuerſationem eius habemus bene compertam: ideò nos cognoſcite taliter decreuiſſe, vt in ciuitate Caturca, vbi germanus eius Domnus Ruſticus præuuit, in locum ipſius honorem Epiſcopatus in Dei nomine debeat accipere, quia diuina inſpirante potentia talis noſtra deuotio manet, vt eos quos moribus ornatos, & ſanctis operibus deditos perſpicimus, ſicut eſt iſte fideliſſimus Dei*

& noſter Deſiderius, hos ad Epiſcopale culmen prouehere debeamus, quia ſic decet Regiam celſitudinem, vt quos cognoſcis in Dei timore conuerſari, & fidem Catholicam integrè cuſtodire, vel Euangelica præcepta omnimodis ad Pontificale Officium ſtudeat promouere. Proinde dum vos Archimetropolitani ſcimus tenere præſentes apices cum debito ſalutationis officio almitati veſtræ ſtuduimus deſtinare, petentes, vt ad eum benedicendum properare debeatis, & litteras ad comprouinciales fratres veſtros dirigatis, vt & illi adeſſe debeant, vt canonicè, & iuxta Apoſtolicam inſtitutionem ſub veſtri præſentia in ſancta Paſchali ſolemnitate Pontificali benedictione debeat eſſe conſecratus. Illud etiam ante omnia ſupplicamus, vt nos in ſanctis ac Deo placitis orationibus veſtris Domino commendetis, & ad explendum hoc negotium nullam moram faciatis. Quod verò indicimus, manus noſtræ ſubſcriptione, vt mos eſt, decreuimus roborare. Dagobertus Rex ſubſcripſit.

CAPVT IX.

Itaque Regis promulgata ſententia & ciuium conſona voce Deſiderius ad Epiſcopatum eligitur, datáque, vt ſupra dictum eſt, authoritate ad Sulpitium Bituricæ vrbis Epiſcopum, qui Metropolitanus dignoſcebatur, ipſe cæteros fratres comprouinciales ad conſecrationem Venerabilis Deſiderij inuitat. Factus itaque Epiſcopus ſub anno octauo Dagoberti Regis temporibus piiſſimi Heraclii Imperatoris, qualem ſe Deo miniſtrum, quantúmque præſtiterit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Prima enim illi ac præcipua cura fuit de Dei præceptis nihil præterire, humilitate iactantiam ſuperare, benignitate inuidiam ſuffundere. Deinde vt nullam obſceni in ſe rumoris fabulam dare, nullam occaſionem pro quolibet modo pernicioſis relinquere ſtuduit, ſummoperè ſubuenire pauperibus; viſitare infirmos, *conſolari puſillanimes, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, omnibus ſe omnia facere, vt omnes faceret ſaluos.* Erat enim cæcorum baculus, eſurientium cibus, ſitientium potus, miſerorum ſalus, ſolamen lugentium; frequenter in ore facta lectio, ſæpiſſimè Chriſti erat inuocatio, frequenter humi inhærens & flexo corpore mens erecta ad Dominum. Viam, quâ ſpiritus tendebat, monſtrabat; Rumigerulos Clericos ſanè & glorioſos, & palpantes adulatores quaſi hoſtem fugiens, ſola ſimplicia & pura contubernia amplectebatur. Pauperibus verò & fratribus refrigeria ſumptuum ita prouidebat, vt nulli nihil deeſſet. Si puſillanimem vidiſſet, conſolabatur; ſi in Dei amore ſeruentem, cohortabatur ad ſtudium; cuius locutio, inſtar fontis puriſſimi dulcis manabat ac placida, ipſúmque genus eloquij eius purum erat ac nitidum, adeo vt eò concionante nihil pulchrius, nihil dulcius, nihilque iocundius crederetur, ita enim in ſingulis virtutibus eminebat, quaſi cæteras non haberet; ſic præparabat ſe quaſi quotidiè moriturum, ſic nempè viuebat, vt non eum ab oratione ſomnus, non à lectione ſatuitas reuocaret. Quis vnquam de eo, quod diſpliceret, audiuit? Quis audiens credidit? Quis eo in fide firmior, in opere promptior, in oratione potior, in charitate ardentior potuit inueniri? Ab ipſo quippe exordio Epiſcopatus ſui in vitia extirpando, animóque recuperando omne ſtudium dedit, vbi inſtantiſſimè deſudans in opere ſine intermiſſione dies continuabat, ob hoc vel maxime ſemper aliquid operis facere ſtudebat, vt quoties inimicus eum pulſaret, nunquam ab opere inueniret otioſum, ſciens ſcriptum eſſe quod *otioſitas inimica eſt* animæ, & Apoſtoli eſſe præceptum, *quod qui non operatur non manducet*, & inuenit alibi eſſe ſcriptum, *in deſiderijs eſt omnis otioſus*: vagatur enim pernicioſis quiſque cogitationibus, inde ipſi etiam Apoſtoli *manibus proprus laborabant, ne quem grauarent, ſed magis habent vnde* refrigerium tribuere poſſent. Porrò induſtria ſua ædificauit & prope matrem Eccleſiam domos geminas, vtraſque duplis arcubus libratas, feneſtris obliquas, ſcalis contiguas, poſſeſſione coniunctas, compendio congruas, ſocias oratoriis, ornatas antis, quadríſque munitas, miræ magnitudinis miræque diſpoſitionis compactas, quas ſuper ripam Oltis fluuii extruens, præcipuúmque atque eximium pòſt facturis compendium præparauit: ædificauit etiam vltrà amnis ripam in aſpectu prædictarum ædium Baſilicam forma conuenientiſſimè comptam, ſcilicet in loco, quo germanus eius Ruſticus quondam fuerat interemptus, quam mirabiliter perficiens in honorem B. Petri Apoſtolorum Principis dedicauit. Terræ quoque redditus & nonnulla ex ſuis facultatibus eidem indulſit. Aliam verò quæ extrà munitionem in valle

quà Vilariago vel Spinô tenditur, ædificauit Baſilicam in honorem *Sancti Martyris Iuliani fundatam, quam cùm terræ compendiis* Monaſterio ſuo dedit. Ædificauit etiam aliquantò procul à majore Eccleſia ſub interuallo trium domiciliorum elegans oraculum miro opere miráque volutione conſtratum, quo loco dum mens deſiderantis ita ingrediens refouetur ac ſi partem Paradiſi ſe occupaſſe gratuletur; qui locus tam ſuauis, tamque iucundus exiſtit, vt etiam nolens in contemplatione erectus illic orare cogatur. Non ibi cœnum horrorem, non ventus fragorem, non gelu infert rigorem, non calor anguſtiam, non ſolitudo acediam, non inquietudo gignit moleſtiam, & hunc nihilominus larem in honorem B. Confeſſoris Martini voluit conſecrare; multa etiam ſub aliis compendiis * ſecuturis poſt fratribus præparare ſtuduit. Præter ciuitatis Carurcæ opera Caſtellum quoque Caturcum, quod antea nudum penè ac exiguum videbatur, copioſo opere conſpicanda quadam munitione ampliauit, erexit, ac firmauit, quod ſagaciter extruens, multóque ibi labore deſudans, Eccleſias, domos, portas, turres murorum ambitu ac quadratorum lapidum compactione muniuit, firmúmque ac ſolidum ad poſteros peruenire decreuit. Iam verò in altaris Eccleſiæ miniſteria dici non poteſt quantum ſe fuderit; quantáque fecerit, quàm numeroſa, quàm pulchra, quamque nitentia, quæ hodie conſtare melius puto intuentium oculos iudicare, quàm noſtro ſermone exponere. Quantus ſit in calicibus decor, in diſtinctione gemmarum nec ipſos intuentium obtutus facile diiudicare reor, fulgent quidem gemmis auróque Calices, prominent turres, micant coronæ, candelabra reſplendent, nitet pomorum rotunditas, fulget recentarij cælique varietas, nec deſunt patenæ ſacris propoſitionis panibus præparatæ; adſunt & ſtatarij cereorum corporibus aptati. His omnibus Crux alma ac pretioſiſſima varia ſimul & candida arcubus appenſa, ſanctiſque ſuperiecta fulgetris. Hæc ſunt opera Deſiderij, hæc monilia illius ſponſæ, hoc ſtudium Pontificis noſtri, hoc emolumentum Paſtoris egregij, in his ſedulum ſtudium impendit, quod dum parauit Domino quidem honorem, ſanctis autem venerationem, & ſibi prouidit mercedem perennem.

CAPVT X.

Sub eius quoque tempore res accidit non mediocriter ſtupenda, ſiquidem nonnulla ita in hoc ſæculo occulto Dei iudicio aguntur, vt humanæ inueſtigationi abdita omnino habeantur, magiſque terrorem incutiant agnita, quàm inquiſitionem ingerant experta: vnde & res, quam narro, ſtuporis pariter & admirationis plena eſſe conſtat, quia hanc vt dixi occulta Dei iudicia ſecreta eius obumbrant. Itaque die quadam dum vir Beatus in vnam ex ædibus, quam ſuper ipſam amnis ripam extruxerat, conſideret; vox ſubito è fluuio emiſſa ſonuit dicens, *hora venit, homo non venit*, ad quam mirum cuncti audientes attoniti diuerſa, vt in talibus ſolet, opinabantur portenta; venerabilis autem Deſiderius cùm eſſet altioris ingenij, cautâ & peruigili conſideratione cauſam protinus animaduertit, iuſſitque illicò famulis concito ad amnis traiectum pergere ac ſollicitè circumſpicere ſicubi quempiam transmeare volentem viderent, de quo præcepit, vt nullatenus fluuium permitterent intrare, priuſquàm ad ſe cognuſcendæ rei cauſa perducerent. Perrexerunt itaque miniſtri, & curioſè ripam fluminis contuentes vident eminus quendam equum vehementer ſtimulantem currere atque ad amnis traiectum pernici curſu feſtinare. Qui percunctantes vel cuius eſſet, vel quam ob cauſam curreret, audiunt ab eo Maurinij Comitis ſe eſſe, atque ad ipſum feſtinanter pergere ſibi eſſe iuſſum. Cúmque mox reſponſione impleta fluuium præcipitanter vellet intrare, tentus ab ipſis ad Epiſcopum ducitur. Percunctatus autem ab Epiſcopo, quæ eſſet cauſa curſus ipſius, reſpondit: *Ancilla* (inquit) *veſtra Placida ad filium veſtrum Maurinium literas me perferre mandauit: huius rei gratiâ feſtinanter vado*, ad quem Epiſcopus; *ſuſtine, paulìſper fili, quouſque literæ ſcribantur, ego epiſtolam dirigere volo, nunc tam ibis.* Dum iſta dicuntur, ille adhuc ad amnem anhelans, nec coërcere ſe valens, ſubito rubore perfuſus mixtum aquæ poſcere cœpit, anxiè, ac vehementer ſatagere, quem Epiſcopus cernens nimis anxiè palpitare, feſtinanter valdè vinum ſeruis ſuis afferre mandauit, quos ſcilicet anxios currere præcepit; allato igitur vino, nullatenus homo ori ſuo applicare permiſit, ſed longè repellens

RRrr iij

guttam aquæ clamare cœpit, cúmque aqua fuiſſet allata valdè inhianter cyathum præripiens deglutiuit, & cum ipſa vt ita dixerim hauſta, ſtatim occulto Dei iudicio in terram decidens, ſpiritum exhalauit, mortéque ſubitò præuentus obriguit, ex quo facto, cuncti videntes nimio timore percuſſi cauſam mortis huius ſatis mirabantur attoniti. Deſiderius autem occultum Dei iudicium glorificans, atque ex huius interemptione materiam ſermonis aſſumens, multa ſalubria, multáque terribilia præſentibus concionatus eſt, aſſerens manifeſtè quod multum eſſent metuenda, cunctáque incomprehenſibilia eius conſilia, proponens quoque huius viri interemptionem, quod quamuis ſummo ipſi conatu, ſubtilique ſtudio aquæ periculo eximere tentauerint, nullatenus tamen propoſito mortis termino ſubtrahere potuerint, hinc agat vnuſquiſque ſollicitus ſemper ſuſpectus quaſi ſub oculis Domini debet conuerſari, dum quæ illum mortis ſententia præueniat nullatenus valet præuidere, quia de re neceſſe eſt vt tantum quiſque ſit ſemper paratus, quantum de repentini caſus euentu conſtat eſſe incertus; ſed de his ſatis ſit dictum, nunc interim ad ea, vnde digreſſi ſumus, redeamus.

CAPVT XI.

Deſiderius itaque præter alia magnifica opera ædificauit Monaſterium ſub ipſo Caturcæ municipio in cunctis ædibus eximium, ſeptingentos circiter & quinquaginta paſſus à præcipua Pontificum ſede diſtante, quod ſummo ſtudio miro ac ſingulari opere in domorum, vel Eccleſiarum extructione patratum, vinearum quoque ac ſegetum ac pontis adiectionem circumſcripſit. Monachos etiam copioſo numero aggregauit, quibus poſt VRSICINVM venerabilem virum DADALENVM Abbatem inſtituit. Ipſe autem profluo ſe amore erga ipſum Cœnobium dedit, vt omnia quæ habebat neceſſaria, tam in vtenſilibus, quam ſpeciebus affluentiſſimè miniſtraret: ſepulturam quoque ſibi in eodem Monaſterio ſub dextri Lateris Baſilicæ volutione præparari iuſſit, vbi hodie in Dei nomine humatus quieſcit. Sub ipſo adhuc Caturcæ oppido ædificauit in honorem Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, cuius operis proſecutorem CLAVDIVM Abbatem conſtituit, ibique Abbatiam gerere permiſit. Alias etiam complures, & in Caturco territorio, & in Albienſi oppido, tam infra municipias, quam infra vrbanas, vel in Eccleſiæ Caturcinæ prædiis Eccleſiarum compages cœpit extruere, quæ per ſingula narrare non ſufficimus: ex quibus hodiéque pars maxima regionis decorata conſiſtit, ſed cum exteriori conſtructione præcipuum ei ſtudium fuit animarum pariter culmina erigere, bonum quidem eſſe dicens domum Chriſto extruere, marmoribus veſtire, pigmentis lucubrare, auro gemmiſque obumbrare, lacunaria ornare, pauimenta componere, ſed multo melius animas cœleſti ſponſo dignas præparare, quia verum Chriſti templum anima eſſe credenda eſt.

CAPVT XII.

Sanè vitæ ſuæ moderamina ita temperauit, in victu, in veſtitu, in domo, in comitatu, vt nec nimium ſuperflua, nec multum eſſent abiecta, ſiquidem omnes hypocriſis fictiones abijciens mediam ſemper diſcretionem tenebat, non diuitiis tumens, non contrahebatur paupertate, & læta & triſtia æque cõtinebat, melius dicens humilitatem in corde portare, quàm in corpore proferre, ſciebat proculdubio quales Dominus quærat ornatus, prudentiam ſcilicet, iuſtitiam, fortitudinem, & caſtitatem; nihil aiebat his virtutibus clarius, nihil hoc mondi pretioſius, nihil hac gemmarum varietate diſtinctius. Clerus ſanè & omne eius contubernium in publico Epiſcopum, domi patrem habebant; ſic enim omnes à maiori vſque ad minimum prouidebat, vt nihil nulli deeſſet, grauitatem morum hilaritate vultus temperabat, ſermo eius ad omne erat conuiuium de ſcripturis aliquid proponere, ſalubria libenter audire, proponentibus verecundè reſpondere, vtilia ſuſcipere, recta præferre, praua refutare: callidè enim acutéque diſcordantes magis blandè docere, quàm violenter conuincere, & ingenuo pudore qui ornabat ætatem quid opus eſſet ſimpliciter honeſtéque confiteri. Diuina quippè præcepta ſollicitè ſcrutans, cæleſtia oracula ſæpius percunctans dicebat, quod deceret, ſanam doctrinam, ſummopere ſtudens,

ne ſermones eius vel in modico contraria confunderent opera, recordabatur ſemper quod B. Petrus Sacerdotibus præcipit dicens: *Paſcite eum qui in vobis eſt Domini gregem ſpontaneè ſecundum Deum, neque vt dominantes in Clero, ſed forma facti gregis & ex animo, vt cum apparuerit princeps paſtorum, percipiatis immarceſſibilem coronam.*

CAPVT XIII.

Cum exterioribus autem curis templo ſemper inſeruiens erat ſollicitus ſi nitore altare eſſet aptatum, ſi parietes abſque puluere, ſi pauimenta eſſent ſine ſorde, ſi cuſtos ſollicitus, ſi Cantor paratus, ſi Æditiuus bene eſſet, ſi vaſa nitentia & clara, ſi ſacrarium mundum, ſi lucernæ accenſæ, ſi lampades dignè aptatæ, ſi vaſa Dominica munda, ſi altaris velamina honeſta, & in omnes cærimonias ſtrenua illi ſemper ſollicitudo diſpoſita, quiſque dum ſedulè inſeruit templo meritò ipſe templum efficiatur Dei. Nullum quidem eo tempore in vrbe Caturcæ propoſitum Monachi, neque habitum Religionis aut regulæ Cœnobialis intrauerat: ſecta Columbani procul aberat, inſtituta B. Benedicti longè diſtabant. Deſiderij autem tempore hæc ſecta Caturcæ intrauit, huius ſub die hæc religio adoleſcere cæpit: nam & Marciliacenſe Cœnobium huius temporis à viris laudabilibus Anſeberto & Leutado initiatum eſt. Et in ipſo oppido ſancti viri Monaſterium his diebus exorditum alia complura Monaſteria ſuo tempore ſata creuerunt.

CAPVT XIV.

Frugum verò abundantia, & vinearum ac ſegetum copia tanta in diebus eius ſuccreuit, abundauit & exuperauit, vt nec antea@cto tẽpore nec poſt tranſacto ſimilia vlla antiquitas meminerit affuiſſe, nam intra vrbem nullus ferè egenus erat, nullus quod cupiebat difficulter inueniebat, nec vlla victus aut veſtimentorum indigentia, ſed omnia plenè, omnia exuberantia affluebant, vicinæ quoque ciuitates ex abundantia Caturcorum alebantur, nec immeritò: Dominus enim opera eius dirigebat. Ipſe rerum copiam multiplicabat, eius Deſiderius *præcepta deſiderabilia ſuper aurum & lapides pretioſos* ducebat, verè quod ſcriptum eſt implebat, *Diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum*: non enim ſurda aure tranſierat, quod Dominus in Euangelio dicit: *Quærite primum regnum Dei & Iuſtitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis*: Et quia ſtudioſus auditor fuerat *non ſolum auditor, ſed etiam factor.* Ideo Dominus inuento qui mereretur accipere gratiam ſuæ largitatis non negauit, imò quod olim promiſerat; mirabiliter in eum adimpleuit. De talibus autem per Propheram dicitur *conuertimini, ait Dominus, & videbitis quid ſit inter iuſtum & iniuſtum, & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem*: hinc verò ſcriptum eſt, *Oratio iuſti cælos penetrat*, & iterum, *Dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat*. Denique tanta eum rerum copia, frugúmque vbertas comitata eſt, vt cum die quadam vnum ex colonis de villa Ruſticiago interrogaret, quot vini amphoras in Dominico tunc pro Canone eſſet illatutus, Ruſticus ille centum & eo amplius metras ſe ſolum in dolia illaturum reſpondit, ex quo Deſiderius valdè lætatus, nimiúmque largitatem bonitatis Dei miratus, qui ita vberes fructus in diebus ſuis contuliſſet, maximas Deo laudes; Chriſtóque gratias retulit, conijciens quid in maioribus, qui multa laborarent diuina largitio conferret, quando in hoc tantillo & modico, tam vberes fructus contuliſſet. *Tu ergo* (inquit) *pauperrime, mille amphoras habes*, cumque ille ita eſſe affirmaſſet, Deſiderius ei ipſas centum dimiſit, quas in dolia inferre debuerat, lætatus & multum in Domino gratulatus, qui tantam pauperibus largitatem in diebus eius conceſſit.

CAPVT XV.

Habebat eo tempore plures Dominus Ieſus in Gallis nobiles ſeruos Aruerno Gallum, Bituricis Sulpicium, Rutena Verum, Agenno Saluſtium, Engoliſma Ebargehenum, Petrogorico Auſterium, Noutomo Eligium, Metis Arnulphum, Luco Auſtraſium, Meſtarone Diodorum, Caturca Deſiderium. Cúmque Deſiderius inter diuina officia plerúmque ædium ædificationi inſiſteret, multique fragiles diffi-

cultatem opum ei obijcerent, ille conſtanter aſſerens doctis illud prouerbium quod *nihil ſine magno labore in hac vita Deus dedit mortalibus.* In aduerſitatibus verò illius dicti recordabatur. Pati (inquit) *neceſſe eſt mortalem multa mala*, & illius, *aurum & argentum probat ignis, homines autem iuſtos, tentationes*, & illud, *fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in tentatione.* Damna quoque rerum vultu læto portabat & omnia aduerſa æquanimiter tolerabat. Canebat iugiter orans *in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi*, & illud, *meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Cuius ego nunc vtilitatem, induſtriam, & ſagaciam ſi arbitrer à me dici poſſe, non ſapiam. Dum enim ſtudium eius in rebus quamplurimis conſidero, in memetipſum deficio, dum vtilitatem attendo, pro ipſa quantitate vehementer obſtupeſco; miror enim & ſupra modum ſtupeo tanta & talia per vnum hominem potuiſſe fieri. Opinor quidem ab India vſque Britanniam, a frigida Septentrionis plaga vſque ad ſinum Atlantici Oceani non fuiſſe virum meliorem: huius Deſiderij nomen magnæ inſuper opinionis magnæque erat apud omnes reuerentiæ. Dei inſignis amator, & pauperum pius ſubleuator, cuius habitus, vultus, & inceſſus diſciplina virtutum erat, vigil ſenſus, nec vanis cogitationibus patens, corpus pariter animúſque tendebat ad cælum. Erat ergo Deſiderius mente iuſtus, opere deuotus, charitate diffuſus, hoſpitalitate ſolatus, in eleemoſynis largus, in proſperis & in aduerſis cælo ſemper intentus qui præter alia imitanda exempla ſilentium ac ſtudium in tantum ſectatus eſt, vt in domo, in conuiuiis vix ridentia, anhelantiaque verba quis percipere poſſet, ſicut ſcriptum, quod *corrumpunt bonos mores confabulationes peſſimæ*, & quod *in multiloquio non deerit peccatum*, proinde hoc valde mirandum, vt inter tantam hominum cateruam, tantum poſſit ſilentium perdurare, vt nemo in vocem prorumperet, nemo ſe in plauſu auderet extollere, & hic timor non ſolùm in conuiuio, ſed in omni loco conuerſationis eius permanſit, nullus vt Epiſcoporum maiorem hunc amorem, nullus ſuper eum maiorem aliquando habuerit timorem; in ipſa autem conuiuij paſſione tanta elegantia, tantáque affluentia ſuppetebat, vt omnes ſuperabundarent, vt nulli nihil deeſſet, nulla neceſſitudo, nulla peruenientium muſſitatio ſubriperet conuiuas. In domo vbi habitare vel diſcumbere erat ſolitus, ita ſollicitè prouidebat, vt nullus ibi puluis errorem, nullus fimus horrorem incuteret, non ibi canes faſtidium animo, non ſues tædium irrogabant, non alia huiuſmodi quadrupedia voluptuoſa potiùs quàm neceſſaria intererant, non ſimius iocum, non hiſtrio riſum, non ſcurra cachinnum excitabat; ſed totum locum grauitas, totum potentia occupabat; nam prædicta inepta ita ſemper odioſa habebat, vt ſi fortuito quolibet loco canis veſtimento eius appropinquaſſet, vel ſi domum, in qua degebat, quamuis curſim intraſſet, graue ſibi diſcrimen allaturum iudicaret, vnde cùm à nonnullis pro hac obſeruantia detraheretur & carmina amatoria proferrentur, aiebat *non immerito plus placet mundo qui Chriſto diſplicet, ſi è mundo eſſemus, mundus vtique quod ſuum erat diligeret, nunc autem oculi mei ad Dominum ſemper, quia ipſe euellet de laqueo pedes meos, & mihi adhærere Domino bonum eſt, ponere in Domino Deo meo ſpem meam.* Quid plura loquendo immorer, nobilem iam inſignémque in omni parte Eccleſia habebat, in plebe dabat in affluentia eleemoſynam, parans ſibi diuitias profuturas, theſaurum non deficientem in cælis, ſtudens *ſibi facere amicos de inimico mammona, qui eum reciperent in æterna tabernacula.* Iam verò illius confabulatio & familiaris collocutio quàm eſſet ſana, quámque dulcis, quàm efficax, vix dictu credibile: monebat iugiter ſubiectos, Dei præcepta ſeruare, Dei mandata implere, caſtitatem cuſtodire, charitatem fraternitatis diligere, inferni ſupplicia metuere, Paradiſi gaudia deſiderare. Inferebat autem docens quo *magis inimicorum circumdamur agminibus, ideò ſemper nos oportet eſſe ſollicitos*; addebat quoque quod caro fragilis pugnat ſola cum pluribus, ideò exercitatiſſimum pati oportet conflictum, & ne paueamus, Heliſeus hortatur dicens, quia *plures nobiſcum ſunt quàm cum illis.* Memorabat frequenter, quòd humani inimicus generis, *rugiens ſicut Leo quærit quem deuoret*, & quod non quærit homines infideles, ſed de Eccleſia ſeparare feſtinat, vnde & libro Iob, *eſca eius electa*, de qua re verba Domini geminabat dicens, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*, necnon & Pauli monita ſæpius ruminabat, dicens. *Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione.*

CAPVT XVI.

CAPVT XVI.

Cumautem irruptiones gentilium circumquaque auditet, dicebat *noſtris peccatis Barbari fortes ſunt, noſtris vitiis Romanum ſuccumbit Imperium. Infelices* aiebat, *nos quantum diſplicemus Deo, vt armis Barbarorum tantillus in nos deſæuiat. Pœnitentiam* (inquit) *agamus, vt tandem repropitiatus Deus miſericordiam ſuam nobis tribuat in ſempiternum.* Præterea quantum fuerit Eccleſiæ Caturcæ in augmentationem rerum, & omnes penè norunt, & ipſa poſſidens Eccleſia teſtatur, multos quidem nobiles, multos attraxit mediocres, per quos Eccleſia conſtat dirata, multa terrarum compendia, multa villarum prædia adquiſiuit, non quidem vlli tollendo, ſed benefaciendo, & coëmendo, eodémque attrahente multáque beneficia affluenter tribuente, Polus, Agilenus, Dodo, Badigenus, Seuerus, Marregiſilus, Nicaſſus, Dadinus, Abulnaus, Abremundus, Felix, Auſceldes, Gauretredes, Baſona, Orontia, Nicetia, Afrania, multique alij, quos longum eſt narrare, res ſponte ſuas donatione Eccleſię dederunt. In quibus & ex quibus præcipuè Bobila Senatrix Romana......quondam relicta multa rerum ſuarum Eccleſiæ eius, necnon & Munaſteriis contulit, non ſolum prædiorum ac villarum conlationem, verùm etiam ornamentorum ac pannorum multam ſummam indulſit. Ipſáque in Monaſterio B. viri, & in eadem Baſilica, vbi ipſe requieſcit, ſepulturam emeruit. Dedit ad ipſum Monaſterium, pro oblatione, vel loco ſepulturæ ſuæ villas quatuor iuris ſui, quarum vocabula ſunt hæc villaris Veneſtria, Viniſtri, Lingius, & Mauringus. Deſiderius autem præter eos, quos dulcedine & ſtudio bonitatis ſuæ traxit, ipſe quoque tanto ſe amore in Eccleſiæ Caturcæ ampliationem diffudit, vt quicquid ex parentum ſucceſſione, quicquid regio munere, quicquid propriâ comparatione acquiſiſſet, eidem liberè per teſtamenti ſeriem delegaret: nam & Caderenſe de fiſco ex pago Caturcino impetrauit, & regio ex hoc præcepto perpetualiter Eccleſiæ obtinuit, exceptis aliis firmitatibus quas ſuis etiam alumnis diuerſis in locis conceſſit, Eccleſiæ Caturcæ ſpecialiter dedit.

CAPVT XVII.

In territorio Caturcino dedit villas........In Albienſi verò territorio dedit villas, Seſſio, Tanralio, Noſio, Lautrego, Petrogo, Terriniaco, Picio, Cerueano, Careciago, Marato, Buxio, Marinio, Caborinno, Grancialo, Marinamas, Aquimo, Marcialio, Erobeno, Fraialo, Blanciniaco, Galliaco, cum domo eximia miræque magnitudinis comptâ, infra muros Albienſis oppidi conſtructâ. Dedit per Baſilicas Monaſteriorum Caturcæ poſitas villas has, Baſilicæ S. Saturnini, & S. Vrſicini dedit in Cleppio Legidiaco, & Thocrio: Monaſterio S. Stephani dedit villas Aquiniaco & Caſſiaco: Baſilicæ S. Mauricij dedit Dunſiaco, Cambone, & Oſilingas, dedit Taxonias, & loco nuncupante Cercoexeno; Baſilicæ Sancti Iacobi, dedit Maciaco & Pettolieco; Baſilicæ S. Martini, dedit Daneciaco, Cepolia; & Baſilicæ Sanctorum paruulorum Iuſti, & Paſtoris Cornurio & Cocurnaco: Baſilicæ S......dedit portiones Malaritio, Faſcito, Polonio, & Coſtrio: Baſilicæ S. Remedij, dedit portionem Vilantreco, Carrecia, Semelingas & Criſcentio: Baſilicæ S. Eugenij, dedit villam Foſciaco: Item Baſilicę antedicti S. Martini Tenſalas, & Parnis & Lalo: Monaſterio Caducæ ſito, vbi ipſe corpore requieſcit, dedit villas....Marciliaco, Catuuiaco, Criſcentio......Proſemogo, Montiago... ..deditque ibi ex collatione illuſtris viri Agiles, Piſciaco, Gaucinico, & Marceliago: ſed quis valeat digno canere præconio, quanta pio optatu, quanti operis ſtudio Caturcinæ Eccleſiæ contulerit, quanta ob animarum medelam incitamenta, quanta ob corporum ſtipēdia exercitia geſſerit, quod ſingulari ſtudio ac penè inandito ingenio omni tēpore mœnia vrbis ſuo labore ſtruxerit, quod villas omnes, quod prædia Eccleſiæ decorauerit, quod Monaſterij ſepta prærogatiua quadā dignitate in.....domorū amplitudine & Baſilicarum admiranda altitudine, ac volutionū ambienda pulchritudine...... penè ſtudio ac ſingulari fabrica ſuſtulerit. Deniq; primam inibi more antiquorū Baſilicam præripiens quadris ac dedolatis lapidibus ædificauit, non quidem noſtro Gallicano more, ſed ſicut antiquorum murorum ambitus magniſque quadriſque ſaxis extrui ſolet fundamentis, cui geminas ſummo porticus adiciens opere adſimilauit, in quibus quidem & in cunctis Epiſcopatus, ſui ſtatu, tanto ſe accinxit ſtudio, & tanto effudit ingenio, vt quicquid ad vtilitatem, ornatúmque municipij, ac prædiorum eius per-

tinet,exquiſierit, ventilauerit, inuenerit,atque erexerit, & licet hæc magna ſint conſideratione ſui,ſed maiora illa ſunt externa exercitia, quæ ſilentio magis, quàm infirmo ſermone obumbranda erant. Cuius erat ſenſus pulcherrimi nectaris ſuauior & digno canore vox dulcior, proinde nihil illius ſeueritate iocundius, iocunditate nihil illius ſeuerius, nihil viſu triſtius, triſtitia nihil ſuauius; ita erat grauis in victu, vt hilaritas non deeſſet in animo, ſermo ſilens & ſilentium eloquens, vt miniſtri ipſius nutu potiùs quàm voce affectus ipſius agnoſcerent. Paulus quidem videbatur in vultu, & Petrus agnoſcebatur in ſpiritu, illius auſteritatem huius manſuetudine temperabat, ita vt cum præſentiam eius vix ſuſtineret, abſentiam ferre non poſſet. Habebat amicum fideliſſimum quendam, nomine ARVANVM, huic autem ſæpiſſimè eleemoſynam commendans, eius per officium in corda pauperum tranſmittebat; plerumque autem ei tales ſacculos cum ſolidis ad erogandum tradebat, qui vix manu capi, leuaríque poſſent, iſta quidem occulta, & ſolo Deo conſcio veluti quemdam peculiarem faciens in patria Paradiſi tranſmittebat. Palam tamen multos erogabat; ſed indeſinenter eos pauperibus ſpargebat, abſcondi quippè non poterat, tam larga bonitas, & nimia largitas, támque proflua diſpenſatio. Iſte Aruanus de genere Scotorum, veniens multis annis ſub Cœnobio Sancti viri, ac ſub ipſa Baſilica, qua vir Beatus requieſcit, vitam venerabilem duxit; vixit autem poſt mortem Beati Deſiderij annis plus minus quinque, demum obiens vbi vitam duxit, humatus requieſcit; ſed dum venerabilis Aruani mentionem fecimus, dignum puto commemorare, quid per eius occaſionem vir Beatus ex Deo dono prophetiæ experimento cognouit, ſiquidem & nonunquam ex dono ſupernæ gratiæ ita longè poſitus prouidebat, vt in ſui præſentiam geſta conſtarent, hinc eſt quod rei eius, quam narro teſtis exiſtens ſpiritum ſcilicet prophetiæ agnitum demonſtrauit. Ergo ſtudium erat iuge egregio Deſiderio de huius peregrini ſtipendio ſedulam ſollicitudinem gerere, ideo ſingulis diebus ex menſa ſua opportunam ei alimoniam ſubminiſtrare curaret. Quadam itaque die conſuetos cibos cum panis & poculi ſubſidio per duos ei Clericos dirigere feſtinauit, quorum vnus Leodolenus, alter vero vocabatur Dracolenus. Clerici itaque ferentes ea, quæ Epiſcopus viro Dei direxerat, dum iter carpunt, malo vtuntur conſilio, & medio fermè viæ excurſu, cùm ſe ab omnibus remotos cõſpicerent, gulæ cõcupiſcentia vincuntur, denique tam ſuauitate ciborum, quàm vini fragrantia incitati illecebroſæ gulæ conſentiunt promotíque eminus de via, & inter condenſas buxos reſidentes ea, quæ portabant, comedere præſumunt, affluentérque vini ac cibi perceptione ventrem ingurgitant, exſatutatíque minimum quod eſu ſupererat, accuratè valde recondunt, ita ſuper ſe........ poſt trium verò horarum ſpatium, vt putabant à ſeruo Dei redeuntes, Epiſcopum adeunt, eíque velut innoxij aſſiſtunt. Verùm prior Leudolenus genu Præſulis exoſculans quaſi ex viro Dei gratias referre, ac ſalutationes conatur exponere, cuius verba in medio fermè conatu præueniens Deſiderius ſpiritu Dei ſibi reuelante. *Bene* (inquit) *bellè mentiris, cur ita me fraudare voluiſti? patrem hodie Aruanum minimè vidiſti, & quæ ei direxeram, malè vſurpaſti, nunquid verò in præſens aderam, quando inter condenſos ſaltus reſidens cibos, quos Dei ſeruo direxeram, comedebas? Numquid non præſens eram, quando vinum bibebas, & panem edebas?* Cúmque adhuc ille defendere niteretur, & culpam periurij adiectione cumularet, protinus ab Epiſcopo iuſſus foris trahitur, & progeminata culpa acriùs coërcetur; alterum verò, qui erat minor tempore, Epiſcopus retentum blandè demulcet, vt omnia ſibi quæ egerint per ordinem manifeſtet. Clericus verò cùm ſe deprehenſum vidit, cuncta coram omnibus, ſicuti geſta erant, & Epiſcopus iam prædixerat, expoſuit, & ita miſericorditer dimiſſus ab vltione culpæ liber euaſit. Hæc autem cauſa multis demum & reuerentiam, & emendationem incuſſit, vt nemo iam B. Pontifici mentiri præſumeret, dum nihil quiſquam ei latere præſumeret.

CAPVT XVIII.

Deſiderius autem amplius quotidie in amorem Caturcinæ Eccleſiæ caleſcens, ipſam & hæredem habuit, & hæredem inſtituit, denique ſub anno decimoſexto Sigeberti Regis teſtamentum condens præter villas ſupra iam dictas, omne præſidium, cunctámq; ſupellectilem, quam habere potuit, ſanctæ matri Eccleſiæ Caturcæ dereliquit. De priſtino verò Eccleſiæ præſidio nihil minuit, ſed totum integrum,

illibatúmque reliquit, cui Eccleſiæ quàm humiliter quam...: quam affectuosè & eadem obtulit melius cognoſcitur, ſi verbis ipſius, ſicut dixit & ſcripſit, intimetur. Inter cætera verò, & ad locum in ſeriem teſtamenti ſui ita poſuit. *De præſidio* (inquit) *meo veſtimenta, ſcamnalia, menſalia, & electubilia* (fortè ſupellectilia) *aurum vel argentum quod ex ſucceſſione parentum habeo, vel quod in Regis aula, & in ſeruitio Principum elaboraui, & mecum veniens detuli, quicquid exinde adhuc ſupereſt, quod in ornatu eſt, & quod ad miniſterium tuum, ſancta mater Eccleſia, non impendi, totum & ad integrum poſſidendum tibi relinquo, tuóque iuri dono, atque tranſcribo, ac obteſtor vt nullus ſucceſſorum meorum quicquam exinde ex tuo gremio, ex quo ibi in ornatum tuum feci, vel in theſauro tuo indidi, auferre præſumat: Argentum vero tuum vel reliquas ſpecies, tuúmque præſidium, quod in tuo repoſito ſancta mater Eccleſia hæres mea totum inuenit, ſaluum relinquo, nihil enim exinde expendi, nihil minui, nec vlli vnquam dedi, ſed ſicut mihi eſt ſub oculis Dei traditum, ita totum ſaluum relinquo, libros verò meos tibi matri Eccleſiæ, tuóque aduocato ſucceſſori meo commendo, ſemper quæſo virtute ſanctitatis tuæ ab inſidiis quorumcumque defenſentur, vt ſub tuo ſe patrocinio perueniſſe congaudeant. Pauperes autem tuos, quos ego ſemper peruigili cura enutriui, tibi commendo, precórque, vt tua ſanctitate & Aduocati tui ſollicitudine alantur, & piè ſemper gubernentur. Sic quoque vt me abſente ſibi aliquid deeſſe non ſentiant, nec ſe doleant paſtorem mutaſſe.* Huc vſque Deſiderius, nos verò libenter fatemur, quòd nullum Eccleſia paſtorem poſt eius abſceſſum ſimilem ei habere potuerit. Sed interim iam à locutione ceſſandum eſt, iam præconiis eius hic finem pagella imponat, nunc ad terminum vitæ huius articulum deflectamus, & qualiter ab hac vita migrauit, explicemus.

CAPVT XIX.

Rex Dagobertus decimo-ſexto regni ſui anno adminiſtrato, pacificè obiens duobus filiis Clodoneo & Sigiberto Regni ſceptra reliquit, & Clodoueus quidem Regnũ Francorum, Sigibertus autem Auſtraſiorum Regnum gubernauit. Huius Sigiberti 17. Regni anno, Epiſcopatus autem ſui 23. parat Deſiderius ſolum proficiſci paternæ poſſeſſionis, Albienſe territorium viſitare: profectus ergo nobili ſuo comitatu rura Albigenſium adiit, cúmque iam Dominus pro cunctis eum laboribus vellet remunerare, viſione miſſa accerſiri iubet, móxque febre correptus cœpit deinde amplius ægritudine vallatus........in villa Monaſterij ſui lecto decubuit, ſic ſenſim paulatímq; decora illa facies, & omnis pretioſi odoris.... dignitas corporis mareſſere cæpit, cúmque æſtuaret febribus & venarum fontes calor hauriret, lapſo anhelitu triſte miniſtrorum frequentabatur........proh dolor afflante auſtro Lilij candor, & purpura violæ in pallorem iam ſenſim migrauerat, vniuerſis flentibus, ipſe valde feſſus pio omnes hortatu conſolabatur, & cùm eſſet fortis animo, in ipſa quoque morte viriliter ſe agebat. Poſt tandem ergo vltimo omnibus vale dicto, & oratione ad Dominum tranſmiſſa ſub die 13. Kalendarum Decembrium vltimum ſpiritum exhalauit, ſubitus repentè clamor totius villæ amplitudinem clangoribus repleuit, omnéſque plateas currente nuntio confuſus rumor obſedit. Quid multa? compoſito mox honeſtiſſimè corpore, feretróque indito iter arripiunt, profectúſque eſt exercitus copioſus, & multa populi turba in obſequio funeris, cúmque Albigenſium rura prætериiſſent, & terminos Caturcorum penetrarent, mulier quædam, quæ infeſtiſſimam Dæmonis incurſionem patiebatur, egreſſa à finibus illis, & pergens poſt turbam magnis & turbatis clamoribus prætereuntes fatigabat, cùm ſæpiſſimè inclamatione nomen defuncti Præſulis ingeminaret, omnes ferè in ſui admiratione cum ingenti ſtupore conuertebat, donec poſt longum viæ circuitum ventum eſt ad prædium, cui vetus antiquitas Miliacum vocabulum indidit, vbi eum numeroſa exequiarum frequentia ante corpus precioſiſſimum Præſulis perueniſſet, mulier turbatis clamoribus omnem penè cateruam in maximo ſtupore adducebat: torquebatur enim impurus ſpiritus, quia virtute diuinâ illuc ſe videbat adduci, vbi maximam vim perpeti formidabat. Miliaco ergo corpore poſito mulier vexata, ſpumans, & multum ſe diſcerpens adſiſtit, cúmque vt ferus taurus vehementer debaccharetur, & nunc toruis oculis, nunc pallẽtibus genis, nunc ſpumantibus ac tremẽtibus labris diuerſis modis torqueretur, feretro tãdẽ adiũcta proſternitur, mox autẽ vt ſuperjecta velamina tetigit diuino iuſſu fugatus Dæmõ aufugit, ſicque ad gloriam Chriſti, & laudem Præſulis Deſiderij mulierem ſanam reliquit; ex quo facto omnes, qui aderant, in admirationem

SSſſ ij

conuerſi, gratiam Chriſti & merita confeſſoris Deſiderij glorificabant. Deinde ergo corpore leuato certatim progreſſi Vinciagum atque Aciagum...... Cúmque poſt tandem corpus pretioſum Caturcæ proximaret, coaceruatim populoſitas per diuerſos aggeres obuiam extincto patri proceſſit. Nullus Monachus domi reſedit, qui non obuiam paſtori procederet; lugebant autem omnes, confuſo clamore clangebant, & inter diuerſos gemitus hæc ſolum verba reſonabant, *Eheu Deſideri, heu!* clamabant cuncti, *Paſtor vere, cur nos dimittis? Cui gregem tuum commendas fouendum?* Clerus nimirum plangebat patrem, Abbas Paſtorem, paruuli nutritorem, ſenes tutorem, viduæ protectorem, pupilli defenſorem, & vt breuiter complectar, tota cum Ciuitas, tota ſimul planxit Eccleſia.

Incipiunt Miracula.

Perductus itaque ad ſuum Monaſterium, ac ſepultus eſt in Eccleſia, quam ipſe, vt ſupradiximus, inſigni opificio ex vtraque parte ſuper............tectis quadris ac.........ædificauerat, vbi diligenter humo tectus æterna in requie quieſcit ſoporatus, vbique vallatus tumba, ſurrecturus iacet in gloria, ſed quibus poſt mortem miraculorum effulſerit ſignis, dignum eſt me commemorare, cum vos deſideratis audire.

I.

Clericus quidam nomine Theudolenus, dum vir beatus eſſet ſuperſtes, frequenter ab eo pro aſſiduis exceſſibus arguebatur, cúmque ille obijſſet, & (vt dictum eſt) iam humatus extaret, prædictus Theudolenus exultans ſuper eius morte cum cachinno exprobrationis elata verba ac conuitia proterua & iniurioſa non timuit iaculari: quæ contra ſtatum ſuum locutus & diuina...... it. ... ſe indignatione, ob iniuriam Sancti, ſenſit demum iudicium. Nam ex eo tempore miranda debilitate oppreſſus, omnes dies vitæ ſuæ cum dedecore duxit, itavt & officium manus dexteræ amitteret, & à pedis greſſu impediretur, & linguæ vſu denudaretur. Siquidem tortus incedens, ac turgidus, prauitatem tortuoſæ mentis exemplo debilitatis monſtrabat, nec paſſus eſt Dominus contumacem ſui Sancti, celeri interitu compendium mortis finiri, ſed diutino flagello, ad terrorem multorum rebellem...... coerceri.

Quædam quoque mulier ex parte Cauſincha Senomagenſe veniens ſimiliter ſuper eius morte viſa eſt exultaſſe, quod & ipſa ſimili modo caſtigata non ſimili exitu perpeſſa eſt: Nam diuina vltione..........neruorum ſubita contractione damnata eſt, adeò vt ſicut ericius complicata in modum glomeris volutaretur, nullámque ſpiritus ſui requiem, neque per diem, nec per noctem capeſceret, donec..............eiuſdem conſultum votorum ſponſo cum piaculi ſatisfactione crederet: die igitur annuali depoſitionis eius aduentante, parentes contractæ fœminæ votorum munera ſimul cum fœmina debilitate oppreſſa beato Confeſſori offerunt, quámque manibus ante ſepulcrum proijcientes ſubnixas preces cum ſatisfactione piaminum importunè, atque opportunè ingerunt. Et factum cum diu precibus inſiſterent, multúmque gemitibus ſatisfacerent, erecta mulier ſanitatem recepit, atque ita ad domum propriam cum magna iam hilaritate, maximáque ſuorum congratulatione rediit, ſicque factum eſt vt quæ laborioſo vehiculo fuerat adducta, libero greſſu remearet. Glorioſa Chriſte tibi tua ſunt opera, tua vbique fulgent magnalia; etenim quod ſerui tui faciunt, tuis beneficiis conſequuntur.

Miraculum II.

Poſt aliqua temporis curricula, mulier quædam ex prædio Eccleſię Blandiacenſi, quod adiacet fluuio Dornoniæ, cæca effecta, plurimum temporis laborioſè valdè ducebat. Hæc quandóque Dei miſeratione admonita in viſione, ſibi dicebat iuſſum, vt ſepulchrum Beati Deſiderij medendi gratia exposceret: ducta itaque eſt ad vrbem, atque ad Baſilicam ſancti viri à duobus filiis ſuis oblata, vbi paruo ſpatio excubans, confeſſore intercedente, & æterna Chriſti pietate largiente, lumine recepto ad propria remeauit, ſicque factum eſt, vt quę alieno ducatu cum labore venerat impingendo, proprio iam arbitrio, viſu

recepto gaudens rediret ad domum: ſiquidem cunctis ſtupentibus præibat exultans viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens.

Miraculum III.

Inter hæc miranda res ſe memoriæ obiicit, quam diuinò iuſſu actam reor, vt per hanc Dominus clariùs oſtenderet merita ſui Antiſtitis, quàm pretioſa apud eum conſtarent. Cuius ob honorem claritas miraculi emicuiſſet, cunctiſque occaſio expetendæ medelæ oriretur, dum diuina actam pietate rem nullus ambigeret. Itaque dum baculus beati viri, qui à Gallis Cambucia vocatur, ad caput ſepulchri illius ſedulè dependeret quadam ſubita infuſione madefactus, vberrimè guttas aquæ manare cœpit, ad quod miraculum multi aggregati ingenti ſtupore tenebantur, admirati quidnam eſſet facto opus, quidam autem altioris conſilij, quod medendi gratia, illud hoc fuerit ex diuina præſtantia datum denunciant: quod demum factum eſt; nam quoties ægri aduenerint, baculum ipſum aqua perfuſum ac tenuiter lauatum incommoditatibus datur, & multis per hoc ſanitatis bona tribuuntur. Adiiciatur etiam illud quod actus retulit miraculum actus.

Miraculum IV.

Quodam itaque tempore Arédius Ruthenæ vrbis Epiſcopus fortiſſima ægritudine correptus, grauiter laborabat per dies plurimos. Cúmque multimoda medicorum argumenta ei ſedulè impenderentur, nihil protſus proficere poterant, ſanctorum è diuerſo adminicula quærebantur: ſed nec ſic recuperare valebat: nolebant enim Sancti Martyres ei ſanitatis commoda præſtare, vt quanta eſſet in Deſiderio virtus facillimè declararent. Aredius ergo afflictus cùm nullum perfugium in tota vrbe ſua, nec per medicorum induſtriam, nec per Sanctorum adminicula poſſet inuenire, tandem poſt quinque menſium tempus ad Caturcam vrbem atque ad auxilium Sancti Deſiderii tota mente ſe conuertit; acceito itaque viro ſtrenuo, vocabulo Thelano, ad ſepulchrum beati viri Caturcæ ſub oppido cum muneribus dirigit, poſcitque vt quamuis eſſet laborioſum, quantocius pergeret, atque eo liquore aquæ, qui illic gratia ſanitatis largitur, ſibi deferret. Perrexit itaque ad ciuitatem Caturcam Thelanus, memoriam beati Deſiderij adiit, munera intulit .... Sancti viri lauari depoſcit. Curſu concito Ruthenis rediit, decumbentem atque in extremis poſitum inuenit, quem .... ſeque ſanitatem illi detuliſſe promiſit. Mira res & vehementer ſtupenda. Cúmque vaſculo reſerato aquam proferre ſperaret, vinum effluxit, tantáque flagrantia ex vaſe manauit, vt in grandi ſtupore ingentique miraculo omnes conuerteret: tantus quippe eximii ſaporis odor inde proceſſit, quantus nec inter vini ſapidiſſimi vaſa relerata ſolet ſentiri; bibit ergo Epiſcopus cum magno tremore & immenſa .... & cum ipſo hauſto, mox ſanitatem recepit ac multo poſt tempore .... manſit: nam ita celer ſubſecuta eſt ſanitas, vt eo die cum............ & amicis ad conuiuium publicum ſederet, ſecumque de Domini gratia, quam ſibi per ſamulum ſuum conceſſerat, vehementer gratularetur: cúmque poſt aliquos dies vrbem Caturcam & Medicum ſuum gratiarum iura ſoluturus inuiſeret, ea quæ retulimus germano ſuo Agarno Epiſcopo referre ſtuduit. Ille verò cum mente........... eſſet dubius extitit, nec mora & vehementiſſima febre correptus, non aliter ſanari meruit, niſi frequentiſſima repetitione, crebris diſcurrentibus miſſis, ad medelam Beati Deſiderij ſeſe conuertens ex corde conferret.

Miraculum V.

Alio autem tempore Frebrundus Abbas at........ incedens graui tædio confectus per dies multos laborauit: tandem in viſione bis terque admonitus, vt ad præſidium Beati tota mente ſe conferret, eoque ad........ adeitus ſepulchrum delatus eſſet, vbi ſicut oportebat innixus orationi inſiſtens Chriſti Domini miſericordiam ex interno cordis affectu poſtulauit, poſt non multum verò temporis ſpatium, diuina miſeratione præuentus medelam, quam optauerat, adeptus, ſanus ad propria reuerſus eſt. SSſſ iij

Miraculum VI.

Alio ruſus in tempore Sacerdos quidam, nomine Draeolenus, graui ægritudine confectus laborabat per dies plurimos, in tantum vt cibi perceptione penitus arceretur, cùmque 13. dies aderat, & Sacerdos vi febrium depaſtus ſine cibo durabat, cùm eius repente incidit in mentem Sancti Deſiderii ſuffragia expetere, eaque ex medicina loci Baculi poſtulare. Ventum itaque ad eius ſepulchrum eſt, medicina petita, ſalus impetrata (in villa enim Caſcamo æger decumbebat) allata ergo medicina die decimo ſeptimo, æger guſtauit, continuò autem cælesti rore perfuſus, conualuit, ſurrexit, comedit, & ſanatus eſt.

Miraculum VII.

Item alio tempore infantulus quidam, nomine Mumolenus; validiſſimè ægrotans ad extrema pene deductus eſt. Cúmque dies depoſitionis Beati Deſiderij inſtaret, nocte, qua laus vigiliarum celebratur, à matre propria oblatus ante ſepulchrum Antiſtitis proiectus, & non longo interuallo, confeſſore orante, Chriſti gratia largiente ſanus factus puer, parentibus iam exultantibus redditus eſt. Gratias tibi, Chriſte Saluator, tua agimus creatura, & in minimis & in maximis tua opera cognoſcimus, & ideo te, & in omnibus admiramur, & pro omnibus laudamus. Tibi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Miraculum VIII.

Alio vero tempore adoleſcens quidam............
Deeſt reliquum Caput 8. & initium 9.

Miraculum IX.

....
....
prodeſſe ſolet ægro illi deferre expoſcit, factumque eſt; præcurrens autem eius ſeruus, cui nomen Proſperius ad ſepulchrum Sancti concurrit, cuſtodem adiit, aggreſſus benedictionem expoſcit, impetrata ſecum detulit, ægro impertiit, confidenter accipere monuit, quod cum feciſſet........... ſpiritus gratia largiente, recuperare meruit ſanitatem, ſed non ſolùm ad ſepulchrum eius hæc ſigna geſtare arbitramini.

Miraculum X.

Pompegiacum, dicitur prædium, quod Beatus Deſiderius à potentibus quibuſdam perſonis caro precio comparauit, Eccleſiæque ditioni adnexuit, quem ipſum locum, vt pote carè coëmptum, mirificè diligebat, & plerumque ibi ad manendum diuertere ſolitus erat. Poſt mortem verò eius, incolæ loci in cubiculo, quo pauſare conſueuerat, vt pote magni ſtratum venerabantur, præcauentes priuatorum ab eo frequentiam, & pecorum, canúmque ingreſſus cohibere ſtudebant. Clericus quidam vocabulo Berrus, illic quondam ad manendum ductus caballum quoque ſuum in locum cubiculi manere intromiſit, quem cum habitatores loci .... non poſſent. Eum tamen monere ſtuduerunt, *ne ſtratum ipſum tenere præſumeret, quo Dominus* (inquiunt) *Deſiderius pauſauit, ideo pecus horridum hic intrare non debet*, quorum ille conſilium leue reputans, dictumque ruſticorum paruipendens in promptu neglexit ſermonem, caballum, quem ſibi pretioſum habebat, ibi ad manendum conſtituit, & factum eſt cùm die craſtino valdè diluculo caballum ipſe peruideret proſtratum, per certam extinctum inuenit, & ſic non ſine .... atque admiratione à loco illo diſceſſit. In loco autem ipſo arbuſcula quædam plantata vſque ad ſupremos parietes excreuit, quæ commoda incommoditatibus dicitur conferre. Gloria tibi, Chriſte, qui ita ſeruos tuos nobilitare conſueuiſti, tibi ſemper

gloria Nate cum Patre, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Miraculum . XI.

Adiiciatur & illud quod moderno tempore geſtum eſt miraculum tẽpore nuper tranſactæ quadrageſimæ. Oblatus eſt ad ſepulchrum Sancti Antiſtitis paruulus quidam nomine Hidulphus, filius cuiuſdam Edolæ, quem peſtis atrociſſima depaſtum penè in extremis deduxerat. Cuius ob cauſam parentes afflicti ad memoriam vt dictum eſt, B. Deſiderii properant, filiúmque penè exanimem proferunt ante ſepulchrum, vota gratuita ſpondent, vbi cuſtos cum parentibus oratione facta, ex eo oleo quod coram Sancto Sepulchro habetur ægrum.......... monétque irreuocabiliter fidem aſſumere, eáque de merito Præſulis ſibi ſupra vires præſumere credidit. Ergo ...... perunctus potatuſque abiit, & ſanatus eſt, pauciſque interpoſitis diebus munera votiua deferens ſanitatis ſuæ auctorem proſluè magnificéque honorauit.

Miraculum XII.

Pauci admodum fluxerant dies, & ecce Adoleſcens quidam, Alamontus nomine, horrore cuiuſdam morbi perfuſus turgentium malandrorum copia maxima faciem ſcabridam & quibuſdam puſtulis obſeptam æditui oſtendit. Cui Sacerdos, cui id officium commiſſum erat, orare.........& fidem de merito Præſulis monuit. Vt ergo oratum eſt, æger adſtitit, eúmque ex oleo B. Viri deformitatem, cunctamque conſtructam congeriem perunxit. Et ô mira virtus, ita demum omnem putredinem ſaniei illius delibutis ſalebris ſuccidit, emundauit, abſterſit, vt nec veſtigium quidem cicatricis vllius in facie remaneret.

EPILOGVS.

Sed longum eſt verba per ſingula exerere, quanta ibi quotidie per Domini ſeruum ſanitatis commoda diuerſis ægritudinibus conferantur. Vnde his interim ſtudioſè miſſis ad clauſulam iam præconiorum eius articulum coarctemus. Puto enim & ſi ſenſum ruſtico prolixum teximus ſermone, quod tantis meritis eius digna præconia nullatenus æquiparare valuerimus: nam licet extemporalis dictio abſque ordine ſenſuum, ſine lenocinio & compoſitione ſermonum; ex his tamen aduertere poteſtis, qualiter homo Dei à principio vſque ad finem peruenerit, & quanta bona, quantáque magnifica ſtudiis ac meritis eius alumnæ plebi collata ſint. In cuius abſceſſu geminata calamitas proteſtatur. Nam Caturca vrbs quæ eo ſuperſtite florentiſſimè opulentérque præ cunctis ferè vicinis vrbibus emicuerat, eius iam abſceſſu frequentibus bellis conuulſa, ad interemptionem pene deuoluta eſt, adeò vt ipſa quodammodo terra abſceſſum illius lugeat, & eius .... defleant, ac ſicut poſſunt, proclamare videantur. *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Siquidem continua pace, qua in diebus eius Deſiderii quidem, non ſuis meritis potita eſt, continuatis iam incurſibus & innumeris peſtilentiis depopulata gemiſcit, ac rerum copiam & frugum opulentiam quam merita Deſiderii vrbi aduexerant, eo migrante ſimul quoque ablata ſunt. Et non abſurdè cuncta cum illo migraſſe creduntur. Talem ergo patrem, talémque paſtorem dignum eſt vt boni colant, noxii timeant, prædicent fideles, mirentur Sacerdotes, qui viuens inter peccatores ad hoc forſitan *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*, & vt de de iuſto quoque ſcriptum eſt; *placita erat Deo anima eius, ideo properauit educere illum de media iniquitate*, ablatus eſt ita ex præſentis ſæculi tenebris; eóque ex hac peregrinatione ereptus, iure ſanctorum cœtibus iungitur, quia tanto opere Sanctorum officia, Eccleſiæque miniſteria, diuerſis metallis compendiiſque obumbrauit; cuius ſolertiam & induſtriam ſpecimen parietes tui, Caturca, teſtantur, cuius diligentiam, elegantiam & ſtudium dominica vaſa, vt ſupra iam diximus, diuerſáque Eccleſiæ miniſteria .... quibus mirabiliter diſpoſitis, eiſque .... patratis breuiſſimis titulis ea prænotari ſtuduit. In quibuſdam autem verſiculis ſic ſcripſit: *Deſiderij vita Chriſtus*. In quibuſdam autem ſic ſcripſit, *Deſiderij tu pius Chriſte*

ſuſcipe munus. In alijs autem, ita: *Accipe Chriſte munera de tuis tibi bonis oblata.* In alijs quoque ita: *Suſcipe ſancte Deus, quod fert Deſiderius munus, vt maiora ferat, viribus adde ſuis.* In alijs: *Hæc eſt ſapientia ſapientum profundi ſenſus.* In alijs verò, abbreuiatum illud dictum. *Sapiens verbis innoteſcit paucis.* Meritò ergo Eccleſia Caturca hunc Sanctum virum diliges, qui te ſingulariter ſupra cunctos parentes dilexit, & omnem affectum, qui parentibus debebatur, in vſus tuos tranſtulit. Meritò (inquam) diligis, qui te ſic amauit vt amicis præponeret, alumnis præferret, ornamentorum monilia æterno amore conſignaret, qui cum Domino tibi ſoli viueret .... tuis militaret, ſoliditatem tuam toto adniſu procuraret. Qua de re deſiderandus ſemper tibi eſt, non abſens non lugendus quaſi mortuus, vt illum expectare, non amiſiſſe videaris. Noli ergo plangere quem de morte credis ad vitam migraſſe. Nec doleat, quod talem amiſeris; ſed gaudeas, quod habueris, imo & habes, obligaróque parumper.... .... audi iam laudes eius, cuius ſemper hortatu commonita, cuius xeemplis accenſa es. Deſiderius tuus, imò noſter, relicta iam Ægypto & .... ſcalam conſcendit Iacob, Cedar ſupergreſſus ſecutus decantat. *Sicut audiuimus ita & vidimus in ciuitate Dei noſtri*, relictis inquam tenebris. Hoc enim *Cedar* interpretabatur, portat crucem ſuam & ſequitur ipſum, nec de craſtino cogitat, nec poſt tergum reſpicit, *quod in lachrymis ſeminauit, iam in gaudio metit, ſeminauit in ſpiritu & de ſpiritu metet vitam æternam*, ſecurúſque iam cantat, *Domine conuertiſti planctum meum in gaudium tuum. Conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.* Et illud, *poſt te in odorem vnguentorum tuorum currimus.* Quapropter Eccleſia Caturca, ſicet vehementer ſis contrita, licet innumeris cladibus ac ſæpe conuulſa; gaude tandem, & ſecura eſto, quod magna hæreditate ditata es. Secura inquam eſto & dic Domino, *non contriſtor quod receſſit, ago gratias quod dediſti, quippe meruit omnia, gratias ago tibi quod talem nobis dediſti Paſtorem, talem noſtris temporibus procuraſti Aduocatum, qui dignè pro noſtris peccatis poſsit interuenire, & ad clementiſsimas aures tuas preces ingerere.*

Quia iam finem liber poſtulat, ſermo cohibendus eſt, nobíſque magis innitendum, vt ad exemplum ſancti viri viuere elaboremus, cuius exemplo gaudeamus, quàm fuerit feruentiſſimæ fidei, qui non ſolum diuitias & omnia (quod apud multos impoſſibile videatur) ſed ſeipſum Domino obtulit, tradidit, dedicauit, qui contra diaboli tergiuerſationem nequaquam *pellem pro pelle*, ſed *carnes* & oſſa, & *animam ſuam* Domino conſecrauit. Quantum poſſumus iungamur ei ſpiritu, iungamur affectu, & fortitudinem meritis quam ipſe oſtendit in opere, nos imitemur in corde, illum indefeſsè noſtra vita ſequatur, illum noſtra pagella decantet, illum cunctæ litteræ ſonent; quem videre non valemus, recordatione teneamus, & cum quo loqui non poſſumus, de eo nunquam loqui deſinamus Hoc tibi, DESIDERI venerabilis, ingenij mei munus obtuli. Hæc tibi dilecte, libens conſecraui, hac ratione vt noſter ſermo proceſſerit, te laudauerit, te Caturci poſitum lector agnoſcat.

Explicit vita Sancti Deſiderij Epiſcopi & Confeſſoris.

VITA D. GERMANI DE ROTA
EPISCOPI ET MARTYRIS,
Eccleſiarum de Flamanuillâ & Carteret inſignis Patroni.

Iuxta Archetypum vetus eiuſdem Eccleſiæ Parochialis de Flamanuillâ, cuius Apographum communicauit R. P. Iacobus Machaldus Pariſinus Societatis IESV Presbyter. Verùm Hiſtoria hæc nec ab Authore coætaneo videtur ſcripta, nec ex omni vſquequaque parte probanda.

TEmporibus Domini Iouiniani mitiſſimi Imperatoris, qui poſt immitiſſimum Apoſtatam Iulianum totius orbis principatum, Deo annuente, obtinuit, Sancti

S.Chriſtiani nominis Religio vſquequaque creſcere cœpit : in tantum vt & Eccleſiæ Dei, quas impius Tyrannus exoſum habens nomen magnificum Chriſti, claudi iuſſerat, ne laudes Omnipotenti Deo redderentur, iam dicto Domino Imperatore Iouiniano incipiente regnare aperirentur, & multis creberrimè coruſcarent miraculis. In eius præclariſſimi Cæſaris tempore fuit quidam in pago Altiſſiodorenſi vir magnificis editus parentibus, Germanus nomine, qui in tantum breui tempore creuit, vt Tribunus effectus, cùm lucra ſæcularia Domino reddere deberet terreno, potiùs ad animarum tenderet lucrum : & quidquid acquirere valeret, cunctipotenti Deo munus gratiſſimum toto corde offerret, acceperat ſibi vxorem ſecundùm morem ſæcularem parentibus valdè nobilibus progenitam, quam donante Chriſti gratia ita diuinis inſtrumentis imbuit atque ornauit; vt non vxor, ſed ſoror vera fide crederetur. Quid plura? Dum vrbs itaque Altiſſiodorenſis deſtituta foret ſacro pontifice: mox voce ſummâ plebs vniuerſa hunc ſibi paſtorem poſtulat dari, quem corde puro noſcebat Chriſti fore cultorem. Conſtituitur itaque B. Germanus in iam prælibata ciuitate Pontifex à Deo electus, fit gaudium omni ciuitati. Namque videbant ſe alacres, ſic in Dei laudibus fore, vt non trepidam breuémque poſſidere ſe autumarent, ſed paradiſi ſe collocatos in gloria, atque Iordanica tinctos vnda melliflua. Erat namque vultu placido, donis decoratus Angelicis, vt intuentibus eum non humana forma, ſed Angelica effigies pulchra vt luna, electa vt Phœbus videretur, tantáque circà eum charitas Chriſti erat, vt in terris poſitus in cœleſtibus habitaret. Vir autem beatiſſimus, poſt multa fortiter patrata miracula, niſus eſt in Angelicis mœnibus Sanctorum circumire pignora. Non ſolùm itaque hæc quæ in Galliarum partibus conſtituta ſunt viſere ſtuduit ſola : verumetiam in transmarinis partibus loca ſancta circuire curauit. Completâ interea ſacra circuitione, dum ad propriam ciuitatem redire diſponeret, quatenus plebem ſibi creditam verbis Euangelicæ doctrinæ affatim refocillaret, contigit vt per Scotiam tranſiens Scotorum gentis principem ſibi, Audinum nomine, vna cum vxore, quæ Aquilla vocabatur, obuium haberet. In quorum comitatu ducebatur filius eorum admodum puerulus pulchra facie & decorus aſpectu, ſed cum ipſis parentibus adhuc gẽtilitatis errore detentus. Hos ergo eum obuios habuiſſet Beatiſſimus Antiſtes Germanus, & vidiſſet Angelicâ decoratos formâ, ingemuit conuerſúſque ad Dominum dixit. *O Domine Deus, quid eſt quod formam hanc, quam ad imaginem & ſimilitudinem tuam creare dignatus eſt, hoſtis antiquus poſſidet? Non iſ in tabernaculis, Domine, recubare debuiſſet, forinſecus Angelicâ ſpecie decoratis, ſed ignis æternus illius pabulum eſſe deberet. Obſecro itaque te Domine Deus meus, quatenus mihi nequiſſimo omnium, tibi tamen corde fideliſſimo concedere digneris, vt eorum corda ad te Deum verum omnipotentem per me conuertantur & agnoſcendo te ſummum Deum corde credant & diligant, ore collaudent vultúque adorent, tuque miſericors ſis dux eorum qui nunquam derelinquis ſperantes in te.* Compoſitâ itaque oratione viri Beatiſſimi ſubito Audinus cum Aquilla vxore eius prouoluti genibus rogauerunt eum dicentes. *Rogamus te, virorum Sanctiſſime, quatenus ad noſtra declinare non dedigneris tabernacula: videtur enim nobis facies tua vt Phœbus radians & ideo credimus in te aliquid diuinitatis eſſe.* Mox ergo vir Domini promiſit ſe cum eis ire. Cùm veniſſent domum, cœpit B. Germanus nomen Domini illis benignè prædicare, & in longum ſermonem protrahere. Quid multa? Credidit iamdictus vir Audinus, vnà cùm vxore ſua, omníque familia, & baptizati ſunt in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Ipſum quoque filium ipſius, admodum paruulum ſuſcepit, vir beatiſſimus, ab ipſo ſacri Laticis fonte, nomen ſuum illi imponens, vt non iam filius perditionis; ſed germana charitate repletus verè Germanus vocaretur. Poſtmodum his factis ad propria cùm gaudio feliciter remeauit. Poſt diſceſſum igitur beatiſſimi antiſtitis Germani cœpit puer bonæ indolis ita ſacræ litteris impleri doctrinæ, vt vix ſimilis illi in transmarinis partibus vllus inueniri poſſet. Erat namque vultu ſpecioſiſſimus vt intuentibus eum non humanam, ſed angelicam crederetur formam poſſidere. Verbum illius in tantum ſacræ erat ſapientiæ ſale conditum, vt propter allocutionis dulcedinẽ, qua Chriſto multa & innumerabilia agmina animarum quotidie aggregabat, per os illius videretur ipſe loqui conditor mundi. Quicquid itaque ibi ad vſus corporis acquirere ſui valebat indigentibus largiſſimè dare ſatagebat in victu pariter & potu. Magis autem cibo corda eorum refocillabat ſpirituali, lac quoque potum dabat ei in eſcam. Si quis ad eum diues, ſi quis mediocris, ſi quis pauper, ſi quis nobilis, ſi quis ignobilis, ſi quis ciuis, ſi quis peregrinus aliquis occaſione compellente veniſſet, nunquam ab eo diſcedebat donec glorioſum nomen

Chriſti cognoſceret, verbóque ſalutari pleniter inſtructus ad propria cum gaudio remeabat. Mentis itaque ſuæ benigniſſimam ſinceritatem monſtrabat glorioſiſſimi vultus ſerenitas, clementiámque cordis piiſſimi manifeſtabat in lenitate ſuauiſſimi ſermonis. Largitas ſacræ eleemoſynæ ita in eo eradiabat, vt cum aliquem videret pauperem, ſe Chriſtum cernere crederet mundi redemptorem. Vigilijs quoque ſedulus ſic inerat, vt videretur ſibi horis omnibus venturum affore iudicium memor Dominici ſermonis. *Vigilate*, inquit, *quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* In deuotiſſimis etiam orationibus ſic aſſiduè intentus erat, vt niſi orationi incumberet, ſemper ſibi tentatorem aſtare crederet, ſuúmque fragile corpus ab eo illudi variis tentationibus timeret, ſpiritúmque pariter in aliquo titubare compelleret, reminiſcens verbi Domini dicentis: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus, caro autem eſt infirma.* Charitate in tantum perfectus erat, vt nihil operis abſque ea compleret, credens illud Apoſtoli Ioannis, *qui manet*, inquit, *in charitate, in Deo manet, & Deus non eo.* Doctrinis ſacris ſic animos fidelium arguendo, obſecrando, increpando in omni patientia & longanimitate refocillabat, vt æſtimaret ſe paradiſi iam gramineis recubare in campis, atque ſplendidiſſima immortalitatis redimitus vndique ſtola, ſermo illius cunctis audientibus adeo erat gratiſſimus, vt pro lenitate atque ſonoritate vocis quodam indicio doceret ipſum Dominum in eius ore ſibi ſedem ſtatuiſſe, qui dixit: *Aperi os tuum & implebo illud.* Conuerſabatur itaque inuictiſſimus Chriſti tyrunculus in omnibus præceptis Domini abſque vlla titubatione mentis, quoniam extirpauerat à ſe ſæuiſſimæ principem iniquitatis terendo ſub pedibus colla illius valde ſuperbiſſima atque opera deteſtabilia. Sed quid fabor amplius? Nunquam inuenit in eo hoſtis aduerſarius humani generis ſæuiſſimus quod decipere aliqua fraude valeret, nec aliqua maleuola ſimulatione ſfuſcare. Inter has igitur & alias multimodas virtutes, quibus vir Domini Germanus decoratus erat, etiam & ſæcularem relinquere voluit habitum, & ſub clericali ordine Chriſti ſectando monita viuere. In quo ordine cœpit per eum miſericors & miſerator Dominus multa & innumerabilia patrare miracula, cæcis videlicet viſum reddere, claudis amiſſum greſſum, ſurdis auditum, leproſis cutis candorem, mortuos etiam ſuſcitare. Sanauit paralyticos, omnéſque infirmitates corporeas in Sanctæ Trinitatis curauit nomine. Non ſolùm corporeas ſed etiam omnes mentis morbos, prædicando glorioſum nomen Chriſti, curauit. Effugauit etiam dæmones infeſtiſſimos ab ipſis corporibus obſeſſis, qui in tantum timebant illum, vt dum aduenientem eum cernerent ante conſpectum eius diras emittentes voces, aufugerent. Dignè ergo hic B. Germ. in cunctorum vertitur memoriam, quia ſemper permanſit inter Angelorum gaudia cogitatione mentiſque auiditate in illa cœleſtis regni curia gratia Dei manens, id quod erat permanſit.

Accidit autem quodam tempore cùm ad Preſbyterij honorem perueniſſet, vt patriá parentéſque Deo admonente deſereret, & in his Galliarum partibus aduenire tentaret patrem ac ſuſceptorem Germanum viſitare cupiens. Cúmque ſecus littus maris veniſſet, cogitare cœpit intrà ſe, quo aut quali ordine tranſire illud altiſſimũ valeret mare: Conſpiciénſque hac & illac nullámque penitus nauim intuens, neque nautam, qui eum vltra immenſum pelagus tranſueheret, ait: *Domine ſi hoc glorioſo in conſpectu tuo acceptum eſt, vt ego ad Galliarum veniam partes dominumque meum pium patrem & ſanctiſſimum Doctorem dominum, ſcilicet Epiſcopum Germanum, qui me in tuo ſacro nomine baptizauit, atque de benedicto fonte ſuſcepit, oculis corporalibus videam, digneris mihi nunc indigno famulo tuo manifeſtare & vehiculum per quod has immenſas aquas valeam tranſmeare digneris oſtendere.* Hæc orante S. Germano ſubito nutu quædam rota plauſtri ante pedes eius apparuit, quam conſcendens vir prudentiſſimus cœpit pſallere dicens: *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis Domine, deduc me Domine ſicut eduxiſti populum tuum filios Iſrael per medium mare rubrum in manu tuorum fidelium Moyſi & Aaron, quia tuum eſt & velle & poſſe me adiuuare qui regnas ſolus in ſæcula ſæculorum.* Compoſita autem hac oratione vir Beatiſſimus cœpit nauigare feſtinanter, ac ſi in munitiſſimâ conſideret naui.

Erat autem ex altera parte ripæ maris quidam iudex, qui ipſa hora iudicabat populũ ipſius pagi, quo vir Domini feſtinanter aduehebatur tali nauigio. Sed cùm iam benigniſſimus nauta appropinquaret ad terrã, videntes eum populi vniuerſi, qui ante iudicẽ ſtabant, ſolũ per medios fluctus aduenire concitè, vnanimiter perrexerunt diligenter expectare volentes euentũ rei. Factũ eſt autẽ cùm approximaſſet vir Dñi vt viderũt eũ populi ſuper totã ſedentẽ in medijs fluctibus, cæperũt vehemẽter admirari, quidnã

eſſet. Aliqui autem eorum dicebant magum eum eſſe qui tali aduheheretur nauigio. Alij verò dicebant non, ſed eſſe Neptunum, quem credebant eſſe Deum aquarum. Cùm hæc altercatio eſſet inter illos, cæpit vir Domini Germanus ijs eos alloqui verbis: *Filioli mei non vt vos æſtimatis magus ſum, aut Neptunus, ſed ſum ſeruus Dei Omnipotentis qui creauit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & ipſum eclo, ipſum adoro, ipſum toto affectu mentis deſidero, quoniam omnia iudicia illius iuſta ſunt, & omnes viæ illius miſericordia & veritas qui me in tali poſitum periculo liberauit, vti me nunc ſtare videtis. Re etenim vera à transmarinis partibus me ad hanc veſtram patriam, tali vehiculo adducere dignatus eſt Dominus, vt conteſter vos bonam ignorare viam quæ in initio arcta eſt, in fine autem ampla, & ſpatioſa per quam peruenitur ad regnum omni decore ac pulchritudine, luce quoque inæſtimabili vndique repletum, vbi neque luctus, neque clamor, neque dolor, neque vlla omnimodis recubat triſtitia, ſed eſt in eo non temporale gaudium, ſed perpetuale, perpetualis lux, perpetualis gloria, perpetualis pax, & claritas inæſtimabilis, hanc bonam & glorioſam viam ignoratis Fratres mei. Scitis autem illam quæ in initio lata & ſpatioſa eſt, in fine autem anguſtiſſima, per quam peruenitur ad regnum omni fœtore repletum, vbi ſunt æternales tenebræ, æternalis luctus, æternalis ignis, æternalis ſtridor, æternalis clamor, æternalis miſeria, & rugitus intolerabilis, hæc eſt via quam ſcitis, & quam diligitis Fratres mei. Volo autem vos & obſecro hanc relinquere viam, & illam, quam ſuperius dixi, amplecti diligentiſſimè, quia tunc vobis præualere non poterit inimicus, & recipietis gaudia ſine fine manſura.* Hæc & his ſimilia proſequente B. Germano, vniuerſus populus ſumma cum lætitia exclamauit dicens. *Omnia quæ loqueris nos ſcimus eſſe vera, & in cunctis parati ſumus iam obedire, glorioſiſſime pater.* Audiens hęc vir beatiſſimus glorificauit Deum, qui ſaluat omnes ſperantes in ſe. Præſes verò videns quod fuerat actum, conuocauit omnes ad ſe, & dixit: *Vt quid vultis credere verbis iſtius malefici? per Deos omnipotentes iuro, quia non hæc per virtutem Chriſti agit, ſed magicis imbutus artibus debilitare cœpit mentes hominum, ne ergo credentes ei ſitis.* Factum eſt ergo vt dum in ſecreto cubiculo cauſa ventris purgandi reſideret, omnia interiora eius diffluerent, & ſic miſer horribilem vitam finiret pro eo quod malè de viro Domini ſenſerat. Geſſit itaque vir Dei & aliud miraculum valdè clariſſimum. Erat namque in prouincia eadem draco miræ magnitudinis, qui habebat ſeptem capita. In iis ergo locis, quibus anguis ſæuiſſimus recumbebat, nullus homo ſtare prę timore audebat, ſed ſancto adueniente viro pax cunctis continuò reddita eſt. Nam ante paucos dies, quàm ſanctus domini Germanus adueniſſet, quidam puer paruulus ob duritiam cordis patrem & matrem fugiens, dum per ſyluæ ſemitas ſolus erraret, contigit vt flatu draconis pręfocatus continuò caderet mortuus. Quod factum patri & matri latuit. Dum ergo vir Domini ad eandem, vt diximus, prouinciam perueniſſet, multáque per eum Dominus ſigna operaretur, factus eſt ſubitò concurſus vniuerſi populi vnà cum Maximiano præfecto clamantium & dicentium: *Succurre nobis piiſſime pater & libera nos à præſenti periculo, quia perijt vniuerſa plebs obſiſtente impio & ſæuiſſimo dracone.* Quibus ſanctus Domini Germanus reſpondit. *Si credideritis in nomine Domini mei IESV-Chriſti, erit quod petitis. Sin autem, ipſe draco peſſimus deuorabit vos.* Acclamauerunt autem rurſum omnes dicentes, *ſi non crediderimus pater ſancte in Deum, quem prædicas, fiat ſecundùm verbum tuum, tantùm libera nos, ne pereamus.* Quibus vir Dei ait. *Ducite ergo me ad locum, quo latitare ſolet.* Qui ſtatim cæperunt eum ducere trementes. Quibus iterum ait. *Quid expaueſcitis? venite, & ſtatim videbitis vinctum, quem formidatis.* Perrexerunt ergo. Cúmque medio veniſſent in itinere, inuenerunt puerum iam dictum iacentem mortuum. Dixerunt ergo viro Dei. *Domine, ecce hic afflatu draconis perijt.* Quibus ait. *Ne timeatis, videbitis enim confeſtim & alacriter ſurgere, quem mortuum ſuſpicatis.* Apprehenſaque manu pueri dixit. *Tibi dico puer: in nomine D. N. I. C. ſurge*, qui ſtatim ſic incolumis ſurrexit, ac ſi nihil mali vnquam paſſus fuiſſet. Deinde perrexerunt vſque ad locum, in quo immanis ſerpens iacebat. Cúmque vir Dei appropinquaret, ſtatim ſerpens ſæuiſſimus viſo eo, capita defixit in terram, &, quod dictu quoque mirum eſt, ſuppliciter vitamque aciem oculorum circumflectebat, ac ſi reatus ſui peteret indulgentiam. At ſtola ſua innexa collo eius ſanctus Dei, ſtupentibus cunctis qui aderant, in verbo Chriſti, quaſi animal manſuetum adduxit, & in ciſternam quandam altiſſimam demerſit faciens oppilari: fama ergo vulgante non modica plebs conuenit vndiq; & fundens lacrymas ex abundãtia lætitię magna conclamabant voce. *Magnus Deus Chriſtianorũ eſt, quem prædicat Germanus: vnus verè ſolus, & verus, in cuius nomine ab hoc monſtro eripimur.*

Et puer ab ipſo ſerpente peremptus aſtat incolumis. Veniat ſuper eum ira Dei quicumque amodo ritus idololatriæ tenuerit, & non Deo Chriſtianorum crediderit. Tunc vnanimiter aduoluti eius greſſibus ſe grauiter erraſſe confitentur, petentes vt baptizarentur. Et abdicantes ritum gentilitatis amplius quàm ſexcenti viri ex aqua & Spiritu Sancto ſunt regenerati. Maximianus etiam cum ſatellitibus ſuis baptizatus eſt cum eis à B. Germano in nomine Sanctæ Trinitatis. Longum eſt autem narrare ſingulatim, quot per eum ſimulachra & fana in regione eadem contrita ſunt, quot cæci illuminati, quot paralytici curati, quot leproſi mundati, quot mortui ſuſcitati; menſes verò tres & dies aliquot inibi commoratus, & vt in fide perſiſterent diligenter erudiens eos monitis ſalubribus, receſſit ab eis, dicens oportere quidem Euangelizari alijs regionibus. Cuius abſceſſum ægrè ferentes, vt filij non degeneres patri volebant multi eorum eſſe comites itineris, & quod tàm citò eos relinqueret, conquerentes proſequebantur eiulantes. Quibus vir ſanctus promittens ſe reuerſurum, vitâ ſibi comite, dimiſerunt, & ſe commendans Domino & lachrymantes deoſculatus in prædicatione Euangelii pacis aliàs eſt profectus. Deinde frequenter transfretans mare vltrà citráque non ceſſabat ligonibus verbi Dei ſaxoſa corda & ſpinoſa excolere. Et Deo auſpice ſeuit quam plurimos ſatione meſſis Dominicæ. Nec reticendum videtur quomodo idem Beatus ſit in ſortem Apoſtolatus acceptus, & Epiſcopali infulâ donatus; pro certo ſiquidem ſciens, quia qui plus laborat, plus & accipiet mercedis, nullius perhorruit barbariem gentis, malens mulctatione mortis perfectus confeſſor fieri, quàm occulere, vt ſeruus nequam talentum Dei verbi. Gallicis igitur gentibus orſus prædicare ad effera corda mitiganda plerumque ſignorum præibat virtute. Et cùm ſæpiſſimè fuerit ab idololatris conuiciatus, flagellatus, à vicis, oppidiſque extra ſua rura repulſus vt athleta ſtrenuus nullis ceſſit tentationum ictibus. Magis autem in potentia virtutis Dei confiſus, & loricam iuſtitiæ cum galea ſalutis indutus, aſſumptóque gladio ſpiritus ferociſſimam gentem ſuper Moſellam fluuium Lingones aggreſſus, metropolim etiam Treuirim perrexit intrepidus, vbi iam Confeſſorum Chriſti à Deo plurimus populus Martyrii palmam fuerat adeptus, vt inde fluuij occiſorum ſanguine rubricarentur. At vir beatus nil quidem tantum nefas reueritus, ſed ad lucrandos populos ſedulus, vt lucerna accenſa candelabro ſuperpoſita, lucebat omnibus cuius vſquequaque virtutum fama prodeunte Sanctus Seuerinus Archiepiſcopus Agrippinenſis Coloniæ ſtuduit eum accerſire. Et ruens in eius amplexus, nec paſſus eum ſuis aduolui greſſibus, *Deo gratias*, ait, *quod ab aſpectu tuo non fraudatus ſum, cuius præconio nomen Chriſti plurimum vbique diffunditur. Etenim quanta paſſurus ſis non me celauit Dominus, & te idoneum ſibi approbat in ſortem Apoſtolatus. Vnde noſtra authoritate Apoſtolicâ Pontificalem infulam ſuſcipe & ligandi ac ſoluendi accepta authoritate, Sacerdotale miniſterium exequere, & Eccleſias Dei, in quibus non ſunt locis fundatæ, vel in quibus ſunt, Sacerdotibus, vel miniſtris procura inſtruere.* Et conſecrans eum Epiſcopum per aliquot dies, in quibus familiariſſimè detinuit ſecum, normam Apoſtolicarum eum affatim perdocuit ſanctionum. Epiſcopali itaque infula decoratus exemplar virtutum ſe intuentibus eſt factus. Et ampliori ſtudio contiguas longéque poſitas permeans prouincias, Eccleſias fundando, & miniſtros ordinando, & ad fidem populos conuertendo, necnon oppreſſos variis languoribus ſanando, talem ſe exhibebat omnibus, vt etiam à gentilibus amaretur, quia vt idoneus medicus corporum languoribus ſic rationabiliter eorum condolebat erroribus. Præterea in animo habens ratum loca circumire Sanctorum, Romam proficiſcitur, Baſilicámque ingreſſus principis Apoſtolorum, vt moris eſt relligioſorum, in primis Sanctorum ſuper memoria decantationes orationéſque dicturus, præmiſit verſiculum Pſalmi centeſimi quinquageſimi ita perorſus: *Exultabunt Sancti in gloria.* Et ecce vox emiſſa ab Eccleſiæ adytis ſubſecuta reſpondit: *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Beatus verò Germanus: *Ora pro me Petre Apoſtole Dei.* Et vox altrinſecus reſpondit ab iis partibus, vbi cathedra habebatur Apoſtoli. *Rogo te famule Chriſti, vt & pro me intercedere digneris, quia impetrare mereris, ſi quid petieris à Deo.* Proſtrato toto corpore incumbens orationi diutiſſimè orauit cum lachrymis, atque veluti correptus ſomno, raptus eſt in extaſim, viditque Apoſtolos Dei Petrum & Paulum aſſiſtentes & dicentes ſibi. *Eya Frater Germane conſors Apoſtolatus noſtri. viriliter age, confortare ne ceſſes in plebem, verba veritatis fructu fidei redundantia ſeminare, vt & particeps ſias*

retributionem æternæ. Merces quidem iam parata eſt tibi pro exacto labore, ſed adhuc ingens certamen manet te pro corroboranda fide, dum roſeo perfundaris cruore hoſtilis gladij animaduerſione. Romæ aliquandiu immoratus Eccleſiarum Dei loca circumibat diebus, nocte verò ad Sancti Petri Baſilicam reuertebatur, & prædulcia figens oſcula Eccleſiæ liminibus, ſic Sancto deſiderio vix ſatiebatur.

De Viſione itaque Apoſtolorum hilarior factus, & patrociniis eorum confiſus, ad opus, quod cœperat, Romà regreditur, & quaſi iam majori deſiderio afflatus, Hiſpaniæ ſe intulit partibus, martyrij palmam illic nacturum ſe ratus. Vbi congruenti tempore eructans mellito gutture affatim fluenta vitæ, quæ diuinitus imbiberat ſitibundo pectore ad excitandum, & corroborandum minus perfectarum mentium teporem, & confutandum incredulorum errorem efficaciâ ſignorum claruit plerumque. Vnde multi inſpirati diuinitus fana, quæ colere conſueuerant, propriis deſtruebant manibus, à viro Dei expectantes baptiſmi munus. Vir autem Domini, vbi deſtruebantur fana, ex munificentia, & collatione religioſorum ſtatim conſtruebat Eccleſias, aut Monaſteria ordinans miniſtros de perfectioribus in fide orthodoxâ. Et quantò prædicatione ſua conuerti videbat multos, tantò quatenus adhuc & alij conuerterentur majori æſtuabat deſiderio. Et ſic vbi aliquos errore deceptos à diaboli laqueis captos audiebat teneri, intrepidè vt miles ſtrenuus mox eadem circumiens loca prædicabat liberâ voce Euangelium Chriſti. Vbi verò omnino contemnebatur verbum eius præconij, aliàs migrabat ſecundùm præceptum Euangelij, in teſtimonium tamen excutiens ſuper illos puluerem de pedibus. Sunt autem perpluta, quæ per eum Dominus in Hiſpaniæ partibus operans dignatus eſt miracula, nobis quidem partim incognita, Deo autem nota. Sed & quæ ad noſtram notitiam fidelium narratione ſunt prolata; ſi velimus digeſtè proſequi omnia, antè diei forſitan adeſſet clauſula, quàm narrandi deſit copia. Nam quas virtutes per eum Dominus edidit, cùm & vitam mortuis, viſum cæcis, greſſum paralyticis, munditiam leproſis, auditum ſurdis, à dæmonio oppreſſis, vel quolibet morbo laborantibus ſoſpitatem reſtituerit? Teſtis eſt Tholoſa, vbi hodie vſque vulgo, & iam narrantur virtutum eius inſignia, quibus inibi vſus eſt in prædicatione ſua. Cernens igitur ſuâ aliorúmque quorumdam prædicatorum induſtriâ Hiſpaniam ex parte plurimâ in diuino proficere amore & credulitate orthodoxa proſpera nauigatione tranſuectus eſt Britannici maris æquora. Terram quoque ingreſſus natiuitatis ſuę diſſimulando ſe eſſe, ſperabat deliteſcere, verùm ſpes ſua fefellit eum in hac re; nulla ſiquidem ætas, nullus ſexus domi remanſit, procedentes ei obuiam, quia non eum vnquam ſe viſuros ſperauerant. Taceo de eius cognatis & Chriſtianis. Pagani & ipſi idolorum Sacerdotes, & ipſi conuolabant ad eum & primores regni, quia apud vniuerſos iam celebre erat nomen Germani. Ambiebant quoque ſaltem fimbriam veſtimenti eius attingere, multum ſibi eius tactum credentes prodeſſe. Habebat autem magnam Dei gratiam & in vultu quòd à Saluatore prò munere acceperat. Si quis autem ignarus eius inter tantam multitudinem videre eum deſideraſſet, nullo indicante & animi puritatem agnoſcebat in vultu & per ſpeculum corporis gratiam ſanctæ mentis eius intuebatur: nam ſemper hilarem faciem gerens liquidò oſtendebat ad ſe venientibus cogitare ſe de cœleſtibus. Et ſi aliqui ſiniſtrâ valetudine laborantes properaſſent ad eum, & de longinquis locis & remotioribus, ab eo ſoſpitati reſtituebantur, nemo tamen vnam vnquam vexationem aut detrimentum laborioſi itineris eſt conqueſtus. Hoc etiam inter cætera gratiæ obtinuit, vt cùm ſecundùm præceptum Apoſtoli ſermonem ſale diuino conditum proferret in præconio fidei, inuidia careret inter Sacerdotes gentilitatis. Præterea cùm pueros irruentes ad videndùm ſe repellerent quique ætatis prouectæ conuentum populi æſtimantes tædio illi fore, tranquillo animo dicebat ipſe. *Sinite paruulos venire ad me, & vos omnes malitia paruuli eſtote.* Sic dono diuinæ gratię multos retraxit à gentilium errore & idolorum ſuperſtitione. Et ſumptibus patrimonij & fidelium collatione quamplurimas Eccleſias per vnum & ſemiannum ſtuduit fundare, & miniſtros ſecundùm morem Eccleſiaſticum ordinare. Deſiderans autem vt cum Chriſto eſſet iam reſolui, & ingemens martyrij palmam ſibi differri, in Franciam remeare diſpoſuit, quàm nouerat adhuc ex parte deditam idolis. Inſtruénſque quos Chriſto lucrifecerat de omnibus, quæ ſunt fidei & valedicens eis, cymbam conſcendit, atque præcipiens altius in pelagus agi, ipſe quidem proſternitur tranſtris, vt laſſo cor-

pori paululum indulgeret quieris. Verùm blando ſopore feſſos eius artus iam relaxante, ſubita nauis facta eſt concuſſio cum nimio fragore, & pœnè mergebatur, quaſi præ nimiâ præponderatione, non ſolùm pateſcentibus rimis, ſed & deſuper influentibus vndis. Vnde nautæ attoniti & videntes ſe iam profundo abſorberi, horribiliter inclamant cum lachrymis. *Expergiſcere vir Dei, & pereuntibus ſubueni!* Qui perturbatus à ſommo exilit, & verſum Pſalmi ſexageſimi quarti cecinit. *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.* Et omnibus circumſpectis videt inſidentem puppi aduerſarium humanæ ſalutis. editóque ſignò ſalutari · *abſcede*, ait, *inimice veritatis*. Mox vt fumus euanuit, putorem teterrimum linquens quaſi certa veſtigia ſui: *Non mirum*, inquit, *ſi periclitabamini, qui æmulum veſtræ ſalutis vobiſcum neſcientes aſſumpſeratis.* Tranquillitate verò illicò reddita, exanimata nautarum ſedauit pectora, & exemptos de periculo præſenti animatum periculum magis eſſe timendum admonuit, & aſtutias præcauendas diaboli: poſtmodum eius oratione transfretantes fauſtâ nauigatione in portum Mogilimi applicuere. Vbi ad propalandum meritum ſerui Dei, quid per eum Dominus operatus ſit licet inculto ſermone noſtræ inſeremus narrationi. Cuiuſdam nobiliſſimi viri filia Mogilimi indigena ab vtero matris cæca, omniúmque membrorum erat officio deſtituta. Hæc in ſomnis admonita, quòd à B. Germano eſſet ſananda, per ſeptem circiter annos eum expectabat ſollicita. Cognito autem eius aduentu quali poterat conamine ad eum accedere nitebatur. Tandem à domeſticis oblata, & à beato viro lauacro ſalutis in Trinitatis nomine immerſa oculorum, membrorúmque ſupplementum eſt adepta, & de caſtimoniæ puritate inſtructa, Petronilla, eſt ab eo vocitata. Sic per viri Dei merita ſoſpitate donata multis exitit ſalutis cauſa. Viſo enim tanto miraculo altus idololatras angebat ſtupor, longè latéque hoc factum percrebuit, & certatim confluentes populi notabantur ſigno Chriſti, & abrenunciantes Sathanæ, & eius pompis collatione munificâ conſtruebant Eccleſias Dei. Quocumque etiam vir Sanctus prædicando per Normaniam ibat, omnis plebs obuiam illi procedebat, quia virtutum eius fama proditrix paſſim præuolabat. Cùm autem Baiocas ciuitatem tenderet in itinere affectus ſiti, Comiti, qui præerat ciuitati, miſſis pueris ſuis mandauit, vt ad ſe refocillandum dignaretur vinum mittere ſibi, ſed Comes caninæ tenacitatis, paruipendens legationem ſancti vacuos aſpernanter remiſit. Vnde B. viri animus in Comitem aliquantiſper commotus, Dominum cum ſuis obſecrat comitibus, vt vinum omnino deficeret de doliis & apothecis illius. Et qui voluntates timentium ſe facit & deprecationes exaudit, voluntatem ſerui ſui non diſtulit. Ita enim ſubito omne vinum Comitis quaſi euaneſcendo defecit, vt nec guttula quidem in omnibus inueniretur vaſis. Comperto miraculo huiuſmodi Ganrius quidam illuſtris vir B. Germano feſtinus occurrit cum pluribus exeniis, quæ ei deuotiſſimè cum humillimis precibus obtulit, ſed vir Dei nihil ſibi præter aſellum viuum ſumpſit, cuius ſuaui geſtamine contentus poſtea fuit. Benedixitque ei ſanctus, & filiis ac filiabus & omnibus quæ erant viri illius, ſicque perueniens Bajocas pro quibuſdam carceratis, vt reſoluerentur, rogauit, nec impetrare potuit. Et nimia perturbatione animi imprecatus mala ciuitati calcaneo ſuo murum percuſſit, & maxima pars muri funditus ſubruit. Quod adhuc ciuitas ipſa omniſque prædicat: illa hodiéque apparent inibi tantæ ruinæ veſtigia. Ab vrbe autem progreſſus efferri ad tumulandum videt defunctum pueri corpus, parentibus proſequentibus illud celebri luctu. Verùm vbi præteriens à concurrente turbâ eſt agnitus continuo antè eius greſſus triſtes deponitur funus. Et quid plura? Compaſſus flentium & vt miſereretur deprecantium lachrymis, genua ad orationem flexit, ſurgénſque inuocato nomine Dei viuentem reddidit, & omnes, qui aderant, & hæc ſigna videbant, ex abundantia lætitiæ flentes clamabant: *Benedictus es Domine Pater & Filius tuus Ieſus-Chriſtus cum Sancto Spiritu, qui talem paſtorem nobis attribuiſti per quem tanta mira oſtendis.* At vbi in ciuitatem illata eſt fama huiuſcemodi, formido ſubita omnium animos perculit, & egreſſi dona plurima offerebant viro Dei. Sed is in cuius corde totus aruerat mundus, ſolúmque lucrum ei & viuere erat Chriſtus, nil horum ad ſuos ſuſcepit vſus. Carceratos tamen viginti quatuor reſoluit, & cum alimento carnali refouit, ſpiritali etiam, & de ſalute animarum eos commonens ſic profectus eſt via cœpti itineris. Verùm ne ſermo prolixus tædio ſit legentibus, vel audientibus, omiſſis miraculis, quibus claruit, quam pluribus, qualiter mortem obierit ſuccinctè explicemus.

Igitur, ſicut crebrò diximus, deſiderans vt cum Chriſto eſſet reſolui, inſtinctu diuino de Normania in pagum Ambianenſium tendens iter ſuſcipit, & iamiam affuturo die ſuæ reſolutionis, nocte præcedenti ſuper Elnam amnem in municipio, quod dicitur Mare mortuum hoſpitio manſit, vbi cum membra dediſſet ſopori reuelatione diuina didicit, quod diu optarat, in craſtinum mulctatione gladij ſe æthereo ſociandum Senatui. Proſiliénſque à ſommo hilaris, & quaſi ſui compos voti; ad ſoluendum Deo nocturna muneta ſocios ſuos excirauit, laudibúſque finitis, quod reſtabat noctis, deuotiſſimè in oratione pernoctauit. Summo autem in viam ingreſſus diluculo penè præibat pernix ſocios, vt ceruus fontes aquarum ſitiens, ad ſibi deſtinatum præuenire cœleſte brauium tendens. Subter crepidinem quoque montis, qui verus dicitur Rothomagus, iter habebat ſub turris mœnibus, quæ hodie vſque manſio Hubaldi Tyranni vocitatur, vbi tunc temporis ipſe manebat Hubaldus idololatriæ cultor præcipuus, religioníque Chriſtianę acerrimè infenſus. Qui Hubaldus, vt viri Dei tranſitus ſibi innotuit, mox tumeus bile inuidi cordis, accerſitis complicibus quamplurimis apparat eius veſtigia inſequi dolens eius præconio fidem Chriſti paſſim inſinuari. Beatus verò Epiſcopus tranſito Anda amne, qui eſt limes medius Normaniæ & Franciæ, ingreſſus eſt oratum contiguam Eccleſiam B. Virginis Mariæ, populiſque affluentibus vndique, quia ipſa erat Eccleſia capacitatis anguſtæ, egreſſus præ foribus inſiſtebat verbo doctrinæ, vallatus populi multitudine: interim ipſum ſatellitem Sathanæ multo ſtipatum militum agmine cernit appropinquare. Certus ergo mori intenta oculorum acie in ſummis in hæc orationis verba prorupit. *Agie, Agie, Agie, incomprehenſibilis, inuiſibilis, triplex ſimplicitas, ſimplexque Trinitas, iam tempus eſt, exime ſi placet, me de lutea corporis crate, neque me patiaris amplius in hac ærumnoſa vita degere. Commendo autem tibi, quos tibi lucrifeci, precórque, vt qui memor mei fuerit, aut in mei memoria te obſecrauerit in omni negotio miſericordia tua ei adſit.* Vix hæc verba compleuerat, tyrannus crudelis in eius iugulo gladium immerſit. Volénſque in pupulum aſtantem illi ſimiliter debachari, in fugam omnes compulit. Columba autem niuei coloris de corpore Sancti viſa eſt egredi, & ad cœlos vſque leuibus ſubuolare pennis. Abſciſſionem verò capitis paſſus eſt ſexto nonas Maij. Refecto itaque capite beati viri ſeorſum truncum corpus ad vſque in craſtinum expoſitum auibus, & feris iacuit; nam & ſuprema funeris attingere inhibebat iuſſio cruenta tyranni. Sed margaritum pretioſum licet humanitus incuſtoditum iacuerit, diuina tamen prouidentia non abfuit, quæ, & quod minores formidabant tyranni Hubaldi, per primores regni effecit: namque quem iam apud ſe glorificabat in cœlis, vt & apud homines magnificaret in terris, in extrictis artubus matris ſuæ oſtendit potentiam virtutis. Quædam enim iuuencula ad præfatam Eccleſiam oratum certis diebus conſueuerat properare, quam in craſtinum venientem ex more os abſciſſi capitis viuâ voce ita orſum eſt compellare: *Huc ades filia, nec noſtra venereatis funera, ſed madentes & concretos ſanguine crines noſtros tua manu corripe atque dexteræ noſtri corporis trunci & ſeorſum iacentis ingere. Nec pigeat te pro humanæ conditionis compaſſione, & Dei amore ad Senardum principem mihi quondam familiarem properare, qui modò abeſt non nimium hinc longè, in villa videlicet, quam Senardi pontem, eius vocauit ex nomine. Huic itaque ediſſere qualiter iaceam ab impio interemptus carnifice, & vt in eodem locó quo inueneris corpuſculum noſtrum tradat ſepulturæ.* Quæ licet diu primum cunctata ſit, iuſſioni tamen eius ſedula paruit. Comperto ergo obitu Germani Epiſcopi Senardus ſumptis Clericorum ordinibus ſecum adunata religioſi apparatus frequentia, comitantibus nihilominus non modicis populi agminibus properè maturauit, vbi iacebat ſanctum corpus. Beati autem aliquantulum corpus Angelico ductu progreſſum in loco, quo cæſum puella dimiſerat, non eſt inuentum. Et condiens aromatibus diligentiſſimè loco, quo repetit, inuoluit, miróque quem poſuit ſarcophago pia Sacerdotis membra ſtuduit locare, Eccleſiámque deſuper ædificare. Virtutes autem multas [illegible] dum conderetur & nunc vſque Dominus operatur, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ego Guillelmus Nerel, Presbyter Rector Eccleſiæ Parochialis D. Germani de Rota de Flammauilla, Diœceſis Conſtantienſis in Normannia exſcripſi qua potui fide. Idibus ſextilibus anni Milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi tertij.

NEREL.

VITA SANCTÆ GLODESINDIS, VIRGINIS, CVM VARIIS EIVSDEM TRANSLATIONIBVS.

Laurentinus Surius Cartuſianus ad diem 25. Iulij pag. 359. Vitam S. Glodeſindis Virginis in lucem edidit, ſed pro more mutato atque elimato ſtylo, eiuſque Auctorem ex quibuſdam Codicibus aſſerit fuiſſe vel quendam Bernardum Abbatem, vel ex alijs Arbertum Monachum. Nos integram vitam vulgamus abſque vlla ſtyli expolitione ex varijs Codicibus MSS. quorum vnus membraneus mole ſua ac plurimorum Sanctorum Hiſtorijs ſpectabilis ſeruatur in huius Pariſienſis Collegij Bibliotheca, quamquam in plerisque ſtylum incultiorem minûſque comptum exhibeat, verum narrationis huiuſce politioris Auctorem indicauimus, & plures præterea Tranſlationes hactenus, ni fallor, ineditas adjecimus eodem Auctore conſcriptas.

PROLOGVS DOMNI IOANNIS ABBATIS IN VITAM S. GLODESINOIS VIRGINIS A SE EDITAM.

MVLTA iam diu prece Sanctitatis veſtræ (Sorores in Chriſto chariſſimæ) paulò immoderatius me peturgente, ne quid veſtro denegarem amori id demum effecit quia quod petebatis, non modò honeſtum, verum omnino conſtabat teligioſum, ídque me recuſare cùm indigoum, tum etiam ſentiebam periculoſum, & ſi viresaliquantulum reputabam præponderare negotium, rurſus animum ſubibat, quod eharitas, quæ non ſua, ſed quæ proximorum ſunt, cogit curare, quò difficilioribus eius cauſa inſtatur, eorum faciliorum ſuceeſſuum nouit aditus miniſtrare. Neque in eauſa Dei verendum eum, cui tes agitur, pro ſe operanti deeſſe, tantum fide non infirmati contingat. Impellitis itaque, vt Sacratiſſimæ Virginis Chriſti Glodeſindis, cui deuotis continuè adhæretis exeubiis, quæ conuerſationis initia, qui medij actus in finem vſque fœliciter conſummatum extirerint, quantum ex ſctiptis, quæ ad noſtram ætatem qualibuſcumque litteris annotata perdurant, queam aduertere, ſtylo quoquo poſſibile ſit audeam pertentate. Quod tanto tempore tantáque inſtantia flagitatum, quia iodecens videtur oboiti, ope eiuſdem præſtantiſſimæ Virginis Deo ſpiritu mundo inhærentis vittutibus, tum veſtris pariter fretus orationum ſubſidiis; & ſi non ſine quodam rubore, vti qui patcitatem proprij perpendam ingenii, non diu per longa moratus exordia ocyus natratiooi accedam.

Incipit Textus NARRATIONIS.

Temporibus Childerici apud Hiſtoricos celebratiſſimi Regis Francorum in Gallia Belgica, quæ ex gente poſtea Franciæ nomen mutauit, Virgo Domini GLODESINDIS eximia, ſatis nobili generis ſtemmate procreata, Patre Illuſtriſſimo eodemque Duce clariſſimo, cui vocabulum Wintro, Matre Godila luce generoſitatis non diſpari, ab ioeunris ætatis ingreſſu multa virtutum dote inſignis, multiſque exemplo in via caſtitatis futura, vita & moribus clara enituit. Hæc cum in domo parentum, quoad puellares anoos excederet, integrè & ſub omni eſſet educata diligentiâ, vbi iam tempus, quo ſe dignis natalibus deſpondi deberet, acceſſit, iuueni, cuidam nomine Oboleno, à parentibus ex more ſponſa decernitur. Chriſto verò ſe vbique protegente, non minus corpote, quam mente ſeruatur intacta. Et quam ſemper mira in electis ſuis Dei miſerentis cuſtodia, cum tempote deſponſationis exacto, iuuenis Virginem, vt fit, à parentibus ſuſcepiſſet, domum cum graodi frequeotia nuptias paraturus deducit. Sed quia ſancta

Virgo cœleſti ſponſo iam corpus & animam ſuam conſecrauerat eodem fortè prædicto ſponſo, conſilio vtique diuinitatis iuſſu regio euocato, palatium iuuenis ſine mora contendit. Quo cùm perueniſſet, multis & nefariis ei ingeſtis ſceleribus grauiter in eum Regalis eſt incenſa ſeueritas. Ita arta retruſus cuſtodia, annóque integro ibi digno ſquallore confectus, eo exacto eductus iudiciali damnatus ſententia capite detruncatur: ſic virginitas ſancta, dum toto niſu carnali oblectationi repugnat, cunctam gloriæ temporalis pompam nihili reputat, Domino Chriſto, quem omnibus labentium rerum præferebat delitiis, pro ſe decertante, ei vni, quod ſemper optauerat, cor eius inhærens & corpore læta & victrix de totius iam damno corruptionis triumphat. Nec ſe quoque aduerſæ poteſtatis defecere doli. Pater nece ſponſi prioris auditâ, puellam venerabilem rurſus cogit ad thalamum. Illa, quæ iam ſponſum Chriſtum cordis medullis imbiberat, totis niſibus reſultare, nec in eam labem virtuti ſemel fixum animum inductione qualibet inclinare. Die interea nuptiarum ex condicto parentum inſtante, Beata Virgo præ eius ſpecie, quem oculis mentis incorruptibilem, immarceſſibilem, immortalem conceperat, hunc pòſt paululum putredinem & filium hominis vermem attendens, patre piè contempto, Dei ac Sanctæ Matris Eccleſiæ confugium petiit. Erat Patri Soror memorandæ Sanctitatis Rotlindis nomine fama Religionis Trenceris opinatiſſima. Ad hanc eam ſecum abducere tentabat, vt ſaltem eius ſuaſu animus puellæ emollitus paternis non recuſaret obtemperare conſilijs; ſed quid contra lumen æternitatis cœca molitur inſtantia? Sancta Virgo Patris iuſſis animo virili obluctatis vrbem populis, potentia, ipsáque ſui antiquitate terrâ maríque memorabilem Mettim, ſeu Mediomatricum maluit expetendam. Eſt in eadem vrbe Baſilica Beatiſſimi Protomartyris Stephani, quam multis ſæpe operatio diuina miraculis illuſtrauit. Hanc ancilla Chriſti cùm iam ſibi res prope ad vim ſpectaret, ingreſſa, vbi intra altare & confeſſionem, vbi cum eiuſdem Martyris ſanguine plurimorum continentur Sanctorum reliquiæ, ſe profugam collocauit. O ſeclis omnibus, caſtitatis ſtudium merito efferendum! Quò enim fluxa mortalitas natura ipſa quamuis pœnaliter vitiata trahente deſcendit captiua; hoc puella ſpiritus vigore ſe fortiter retinente quaſi immanis præcipitii voraginem exhorreſcens, quia aliàs euadendi aditus ſibi obducitur, fugæ ſolius capit præſidium. Nec ſanè in ſinu egens aut quicunque de turba erant, qui cogerent, Dux certe præpotens pater erat, qui & ipſis terrori locupletibus eſſet, cùmque circumſtipantium cohors minax inſtabat atque terribilis. Sed illa mori paratior quàm florem virginitatis & ſplendorem glorioſæ amittere integritatis, nec minis concuſſa, nec blanditiis mota, tanquam tutiſſimo portu manebat interrita. Diſcant Virgines præſenti exemplo non pulchrum ſibi eſſe maritalibus ſubijci vinculis, non in poſſeſſionum amplitudine, non in ſeruorum ancillarúmque gregibus, non in ornamentorum diuerſi generis apparatu, non in quorumcunque obſequentium cuneis delectari, cùm hæc omnia variis ſibi caſibus non ſine multo vtique dolore nouerint amittenda, nec quicquam eorum ſe morte omnia prorumpente vel comitari poſſe, vel ſequi; quin potius, quæ maius omnibus eſt, ſpecies beati pudoris Deo, Angeliſque vnicè chara agminibus ſuper omnia hæc infima & mundi caduca oblectamenta ſui ſolius voluptate, ſanctoque & immaculato illi ei deſiderio.

Sed vt cœpta ſequamur, Parentes puellam fugientem è veſtigio inſecuti, facto ſtupentes, iraque incenſi, maximè cùm ſponſalium adminiſtri ſe conqueſti deluſos acriori inſtimularentur dolore, Ancillam Chriſti ex ſacro confugii loco, ſi qua arte valerent, conabantur abſtrahere: fit iugis ante oſtium ædis ſanctæ pernoctatio, intentáque die noctúque obſeruatio, vt qualibet forte ſibi facultate oblata vi abducere properarent. Puella venerabilis ſpiritu robuſtiori, animóque ſe obſtinato immobilem tenens, vt ſacroſancto adhærebat altari, nulla inde ratione, vel puncto temporis aliquatenus quiuit auelli. & mirum dictu ſex continuis diebus manens in Eccleſia, non modò non egreſſa, ſed & omni prorſus cibo abſtinet & potu: verùm qui dat eſcam omni carni, & replet omne animal benedictione, famulam ſuam humanis fruſtratam, diuinis recreat alimentis, eámque precibus aſſiduis cœlo intentam Angelica dumtaxat probatur pauiſſe refectio, fide interea tam conſtanti perſeuerantiæ ſuæ remunerationem exigente conſolationis diuinæ, quæ tam diu con-

tractum nubem mœroris abſtergeret, lux repente grata reſplenduit. Inſtante namque iam ſeptima die, quæ Dominica erat, ecce vir quidam vultu Angelico, ſequentibus pueris duobus pulcherrimis ſub omnium conſpectu aduenit, partémque altaris, qua Virgo ſacratiſſima pudorem tuendo celabatur, rectà ingreſſus velamine ſanctæ ſpecimen Religionis cernentibus cunctis Beatæ Virginis caput obnubit. Nec mora, oculis intuentium, cum his, quibus apparuit, ſublatus magnitudine facti ſtupore & miraculo perculit vniuerſos, cùm terror ipſe eos ac ſi ſtolidos & mentis vacuę ſic reddidiſſet, vt neque proloqui, neque vnde, aut qui eſſent, qui venerant, poſſent ediſcere. Cùm verò poſt diſceſſum tantæ viſionis ad ſe reuerſi Sanctam Virginem eo habitu aſtantem perſpicerent, facilè animaduertentes, Angelicam apparuiſſe præſentiam, totumque id diuinitus factum eſſe, quod viderant, nihil quo vltro reſiſterent erat. Tantum ſolo ſtrati, veſtigiiſque Beatæ Virginis ſubmiſſi, iam omni feritatis tumore ſupplicem in geſtum conuerſo, veniam ſolam pro illatis exorant iniuriis. Non erat apud cor, cui ſpiritus pietatis & Rex præſidebat manſuetudinis, hic labor difficilis indulgendi, ac repente tamquam nullis læſa, omnibus quæque ea extiterant poſthabitis, in integram cum Parentibus & cæteris rediit gratiam. Attendant hîc Virgines & caſtitatis theſauro nihil Deo gratius vel Angelis diſcant familiarius. Virginitati Chriſtus inter omnia adeſt diſcrimina, ſpiritus cœleſtes vti ſponſæ Imperatoris ſui famuli deuotiſſimi obſequuntur. Hæc ſola immaculata agnum ſequitur vbique immaculatum. Quantóque ei adhęret vicinius, tanto ad quælibet poſtulata auditur velocius. Ecce quàm præſto huic ancillæ ſuæ gratia illa inæſtimabilis affuit. Verè prope Dominus omnibus, qui obtriuerunt cor, & prope timentes eum ſalutare ipſius. Quo vero putas ore eam tunc in laudem ſui erupiſſe creatoris, aut cuius genere vocis hymnum inæſtimabili fudiſſe cum iubilo, cùm oculos lucis illius inuiſibilis tam placidè in ſe deiectos, & aures illas ſecretiſſimas voci ſuę tam properè cognouit admotas, támque facili viâ preces datas effectui, vt Angelum Sanctum ſub ipſis Mortalium oculis ad ſe lætificandum & conſolandum præpotenti maieſtate adueniſſe gauderet. Prophetica nimirum exultatione iam ſponſa cœleſtis effecta, vti poterat, ac dicere: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis & indumento iuſtitiæ circundedit me.* Itemque voce vniuerſalis Eccleſiæ ex vtroque ſexu collectæ vni capiti ſuo gratulabunda proclamare: *Sicut ſponſo impoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento.* Beata itaque Virgo cùm, vt pręmiſſum eſt, viſceribus affluens pietatis cunctos ſibi pridem infenſos veniæ elementer admiſiſſet, & parentibus deinceps in nullo impatiens placidam ſe ſubdidiſſet, ad prædictam amitam ſuam Rothildam magnæ probitatis fama celebrem quam in ſecundo actu de nuptiis pudori metuens non contumaci mente refugerat, iam in gratia percepta non minimum gerens fiduciæ, Treuiros ſponte contendit. Ibi pro modo conuerſationis tempore non multo exacto, cunctis iam bonorum ſtudiis morum actuúmque ſtatu ad normam cœleſtis diſciplinæ quicquid diuinitus & humanitus æquo competit & honeſto pleniſſimè informata, vrbem ſibi patrociniis diuinis amicam Mettim repetiit. Vitæ illicò arctioris ingreſſum, cui iam dudum ſanctus eius ſpiritus toto deſiderio aſpirabat, ancillarum Chriſti ſe cum grege collecto ſumma vi atque ope nitens arripuit. Eſt locus infra mœnia vrbis ipſius iure hereditario tunc Parentum poſſeſſio religioſiori instituto admodum opportunus. Hunc Sancta Virgo diuinis vſibus dono dari ſibi expoſtulans, nec mora paratiſſima eorum liberalitate adeptum Monaſterium Puellarum Dei hodie vſque inſigne pulchro materialiter decore conſtruxit, pulchriori nihilominus virtutum robore nobiliter gubernauit. In quo vſque ad centenum numerum Collegium Chriſto famulantium adunauit, eique omni, vigilanter ſedulitate inſtitit glorioſa. Quæ huius deinceps Sancti certaminis conuerſatio fuerit, qui in omni genere ſpiritalis incrementi ei profectus quotidiano vſu acceſſerit, ſub quo diſciplinæ rigore & ſeipſa compreſſerit, & cæteris ſuperni dux facta itineris in ſe, quod ſequerentur, præſtiterit, itáque eis potius, quàm ſibi vixerit, fide atque arbitratu ſanæ intelligentiæ, quàm ſcriptis æſtimo commendandum. Conſideranti enim attentiùs liquidò claret quod Beata Virgo viſitationem illam in ſe tam à ſupernis iocundè effuſam præ oculis cordis continuè verſans exterioris operis executionem interiori non diſparem ſeruabat feruori. Poſtquam idem Monaſterium ad numerum ſex illorum

dierum, quibus præparationis Sanctæ integritatis mirabili illo in Eccleſia diutauerat ieiunio, ſex item annos fœliciter texerat Deo hominibuſque grata, vita quoque & ſignis magnifica, in Sanctitatis propoſito curſu fideliter conſummato coronam Iuſtitiæ perceptura à Domino, ſponſoque diu cupito cœleſti iam ſocianda in thalamo immaculata migrauit à ſæculo. Totum præterea huius ſpatium mortalitatis triginta annorum curſu eam emenſam eſſe confirmant. Nec ſane de ætatis quid plenitudine perquirendum, cùm quicquid fructuum annoſæ ſenectuti eſſet acceſſurum hoc breui conſummata nihil iuuentus detraxerit. Sunt enim iuxta ſapientiam, *cani ſenſus hominis & ætas ſenectutis vita immaculata*, quinpotius magno Dei dono iuſti æterna quiete recepti mundo prouidè ſubtrahuntur, ne videntes mala, quæ fiunt ſub ſole, aut internis paululùm remorentur delitiis, aut vitiis ipſius mortalitatis, quorum ipſe quoque obnoxius eſt viſus, contactu aſſiduo corrumpantur: atteſtante hoc eadem ſapientia. *Raptus*, inquit, *eſt ne malitia mutaret ſenſum eius, aut fictio deciperet animam illius.* Funus interea ex conſequenti debito honore curatur, & de more à ſe in eodem Monaſterio iam inde ab initio inſtituto corpus ad Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum haud longe à mœnibus vrbis ad portam Meridiem verſus effertur, atque ibi in crypta longè inferius demerſa ad latus ſiniſtrum deponitur. Nam hoc idem ipſa viuens, vt fieret, iuſſerat. Eo quod Cœmeterium Sanctarum puellarum eiuſdem loci in prædicta Apoſtolorum Eccleſia tunc temporis haberetur. Nec dum licet corpus glorioſiſſimi Confeſſoris Chriſti Arnulfi, quem poſt multa exinde tempora magnis vitæ & virtutum ibi conſtat enituiſſe inſignibus; eadem tamen Eccleſia non vocabatur Eccleſia Sancti Arnulfi, ſed Eccleſia Apoſtolorum. Vnde huic loco poſtea tam propter crebra miracula eius, tam propter nobilitatem generis eius nomen inditum, nec præter quam Beati ipſius Antiſtitis nomine vllius alterius Sancti apud vulgum ibi notatur memoria. Manſit venerabile pignus per annos circiter viginti & quinque in eodem loco in pace, ſpiritum ſpiritu inter præmia æternitatis omni iam temporis mutabilitate ſubacta ipſi, qui verè ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, adhærente, vitáque eò verè immortaliter, quò immutabiliter eum ipſo perfruente, qui immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PRÆFATIO EIVSDEM IOANNIS ABBATIS, de Tranſlatione ipſius Virginis.

PArtibus primis geſtorum ſacræ Virginis, vt dicendi ſiccitas patiebatur, ex veterum illatum litterarum ſitu in noua quadam facie Deo miſerante reductis, priuſquàm reliquis expediendis ſuccedam, Lectorem, ſi quis forte hæc in manus poſt illa ſumere non faſtidiet, bona venia paucis oratum volo, ne me quaſi temerarium & omnibus forſitan ſeriis vacuum mentis quadam mobilitate ad hæc denotet prorupiſſe, cauſáſque animo non aſpernetur addiſcere. In primis quam exordio profeſſus ſum, quæque cæteris præponderat, flagitatio ſanctarum nimium importuna, eademque diutina ſubegit Sororum, quibus quippiam denegare offenſæ pene videbatur in Deum. Deinde materia tam perſpicabilis, quàm merito ſui præſtantiſſimis quibuſque, liberè pronunciauerim, coæqualida, in ſui commendationem per ſeipſa ſufficiens, animum in ſe tota cupiditate conuertit.

Nec ſcriptura illa, quamuis ſilenti feratur authore, viribus rerum aliquid detrahit, cum ſemine vtique ac ſi raro aſperſa, non ſterilem vſibus noſtris in immenſum extendendam meſſem produxerit. Neque enim refert quouis indicio ex quacumque cauernula gemma pulcherrima extrahatur, dummodo auaritiam mortalium vſu expleat & decore. Et quoniam tanti pretij margaritam, pluribus pretioſis merito præferendam, inter vitæ huius ærumnas multiplices infirmitati veſtræ ſolatium tam efficax diuina præſtitit pietas, indignum omnimodis iudicabam, ſi ad tantam gratiam linguæ improba & ingrata torperent ſilentia, vt ſi non quanto dignum eſſet eloquij nitore oratio poſſet veſtiri, nudus ſaltem ſermo præſtaret, ne ſalus, quæ erat in commune, videretur mortalibus intercludi.

Non autem certiùs nos aliquid allaturos hac inſcripti nouitate fatemur, neque enim intactam ordimur rem, cum alienis tantùm veſtigiis innitamur, ſed quoniam Hiſtoria illa Beatæ Virginis ſimplici, vt forte antiquitas de repente mandauit memoriæ, ſtylo compacta vulgo ſolum erat accummoda. Conſiderantes iam Chriſto propitio plures diſciplinarum ſtudiis eminentes, lectionem inſulſioris ſcripturæ non ſine quadam nauſea faſtidire, eorum deliciis noſtram operam non incongruum æſtimauimus deſeruire. Fidem ergo geſtorum & in priori parte, vt ſcriptam præfata monſtrabant, interpretatione fida, vt puto, vſque ad obitum Beatæ Virginis tranſpoſuimus, & nunc ſequentibus deinceps pari nihilominus puritate Christo Domino noſtro præuio, meritiſque ipſius ſponſæ diuinæ fauentibus, narrandi eadem veſtigia perſequemur. Gratum præterea admodum habemus, quod hæc poſteriora certiori iam aliquantulum ducunt itinere, temporis maxime notitia, quæ ſuperiores partes non nihil infuſcat, lucidius inſignita. Nam excepto prima fronte nomine Childerici Regis & hoc ſub opinione appoſito per totam exinde narrationem, quid, ſub quo Rege vel Principe geſtum ſit, ita ſiletur, vt etiam ipſe Childericus, qui in nece ſponſi Beatæ Virginis ſententiam ferens repetitur, non ſatis certos temporis reddat. Hunc ſiquidem Childericum, ſi tamen ipſe eſt, fama tantum fert Caroli ſenioris non multum ſuperius tempora contigiſſe, eique adhuc ſuperſtite genitorem ipſius Caroli Pipinum prius ducem & maiorem domus, vt tunc dicebatur in Regio culmine ſuperductum, nimia illo ſocordia & inerti demerſo ignauia, rebus regendis non ſolum minus idoneo ſed per omnia prorſus inutili reddito. Hoc verum ſic ſe habeat nec ne, non equidem in magno ponam diſcrimine. Cæterum Annales ſeu Hiſtorici, quos inſpicere potui, præter ſolam Caroli vitam Raganfredum quendam continent, de cuius manu Carolus principatum ſuſtulit; Childericum vnus tantum ille annalis quàm breuiſſimè annotat & famam ſupradictam ſequitur eo depoſito de regno & tonſorato, Pipinum ei ſuperductum. Si tamen is de quo fama iactat ea ætate fuiſſe credendus eſt, quomodo id quod in præſenti libello reperitur quod locus Cœmeterij Sanctimonialium ad Sanctos Apoſtolos nec dum temporis corpore Beati Arnulfi haberetur inſignis, poſſit probari, non ſatis elucet, cùm conſtet & Beatum Arnulfum longiùs multò antequam is Childericus fuiſſe dicatur è mundo receptum, & vt ſacra geſtorum eius ſcripta declarant, vix dum anno dormitionis ſuæ exacto à loco ſepulturæ Mettis relatum. Ea vtcumque ſint quibuſque pro arbitratu in medium relinquentes non multum vtique ſententiarum ponderis hac adimente ambage quæ reſtant omnino Domino conatum iuuante iam perſequi contendamus, & tranſlationibus geminis Beatæ Virginis, quæ ſucceſſerint virtutum miracula, quæque ad ſacratiſſimam tumuli eius reuerentiam diuerſorum languorum ſint oſtenſa remedia officio, non minus deuoto, quàm debito explicemus.

Incipit narratio translationis primæ Sanctæ Glodeſindis.

Vt ſuperior narrationis ſeries comprehendit, poſtquam Sacratiſſimæ Virginis corpus intemeratum in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum extra muros vrbis per annos xxv. quieuerat, quædam fortè Religioſarum ſupra memorati Sanctimonialium Cœnobij reuelatione diuina ſe teſtata eſt fuiſſe commonitam, vt maiori Eccleſiæ, quæ erat loco ſubteriori, alia adiacens extrinſecus in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ conſtrueretur Baſilica; modúmque ipſius reuelationis hoc ordine referebat. Videbatur, inquiens, mihi quieſcenti Beata Virgo Domini Glodeſindis ſuper murum ciuitatis ſtans lapidem eminus veluti deſignando loco manu deiicere, meque verbis inſuper compellare. Ibi, inquit, Eccleſia fabricetur, quem in locum lapis caſu deuenit, in eo Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ erigatur altare.

Monſtrato denique aliam quandam in partem latere ſeorſum: hic, ait, oſtium fiat, quo ex Eccleſia maiori, huc eſt Monaſterio, in eandem peruius nouam ſororibus aperiatur ingreſſus. Hoc ſomno diſcuſſo, cùm cæteris retuliſſet, ancipiti diu hæſere conſilio, eò quòd tunc temporis Regiæ tutelæ locus ſubeſſet, nec niſi ad eum rogatione perlata tale quid aggrediendi eis ſuggerebatur fiducia. Itaque re celerrimè Principi inſinuatâ, eóque auctore in negotio exequendo,

vt viſio docuerat, ſumma facilitate adducto, opus ſtrenuè curatur atque perficitur. Edictum inſuper Regię liberalitatis eiſdem Sanctimonialibus eſt adiectum, vt eadem nouáque condenda eſſet Baſilica, Cœmeterium ſororum denuo ſolemniter haberet, ac mox in eandem Baſilicam corpus ſacræ Virginis ex loco prioris tumuli venerabiliter referretur humandum. Sic & longitudini itineris, quod funeribus ancillarum Dei vrbe exportandis laborioſum cernebatur temperatum, & patrocinium multitudinis fidelium eſt copioſiſſimè diuinitus prouiſum. Nec ex eo tempore iam, vt prius moris erat, vel ad memoratam Apoſtolorum nunc Beati Arnulfi nomine celebrem, vel cæteras circa vrbem Baſilicas cuiuſlibet earum eſt funus elatum; ſed veluti Matris familias vt viuentes deuotis obſequiis, ita ſæculo functas ſub tempus glorificationis ſuæ debita corporis videas adhærere quiete. Fabrica igitur noua Eccleſię ad ſummam manum perducta, ad locum ſepulchri plebe tota certatim vndique accurrente, mira alacritate contenditur, effoſſáque humo circumiecta, ac lapide monumento ſubducto reperiunt ſanctam toto adhuc corpore integram, nulla illius tam diutini ſepulchralis ſitus ſigna in carne monſtrantem, ſed ac ſi die eodem eſſet depoſita gratiam totius corporis referebat. Quæ ibi lætitia, quę intimi calore gaudii lachrimæ prorumpentes Beatam illam de tanta viſione tenuerint frequentiam, melius verbis ſubcumbere, quàm parum dignè dicere, quod vtique dicendo minus reddiderim. Nam & ſi quid fortè ſermo poſſię explicare, id multò vberius ea fidelis populi tunc euicerunt obſequia. Tandem incomparabilem theſaurum piâ auiditate exceptum cum ſolemni cœleſtis pompa triumphi, laudes Deo ſacris ordinibus concentu religioſo in cœlum tollentibus ad præparatum ſibi nouæ Baſilicę deferunt habitaculum. Ibi Sanctimoniales inæſtimabili in eam deuotione feruentes, corpus Beatiſſimum tamquam tunc primo vitâ exceſſiſſet, de more Eccleſiaſtico, lauant atque exornant. Inter lauandum quædam Sanctimonialium diutino languore obſeſſa, vitámque ipſam in ancipiti trahens, ſpe ſalutis non fruſtra præſumptâ, ad locum lauacri fiducialiter venit, & faciem ſanctæ digito leui tactu compreſſit. Ilico digitum redeuntem ſanguis ex facie virginea prodigio mirabili eſt ſubſequutus. Omnibus ibi pariter conſiſtentibus, & in exemplum Dominici lateris miraculo ſtupentibus, cruor iſdem palam apparuit. Cúmque eadem vix, vt dixi, Religioſa fœmina ſupremum halitum retineret, repente vires iam morbo exhauſtas paulatim ſibi redire perſenſit, & menſibus ſex tantæ rei teſtis poſtmodum ſuperuixit. Expleto omni pij amoris circa Sanctam Virginem miniſterio, depoſuerunt eam item in ſarcophago nouo ad dexteram partem altaris ſanctæ Dei Genitricis, humóque deſuper aggeſta, diligenter componunt.

Aliquantulum poſtea fluxerat tempus, & ecce nocte quadam cuidam vitæ continentioris fœminæ in viſu à quodam dicebatur, quod corpus Beatæ Virginis mus infra ſepulchrum corrumperet, atque in ipſo ſopore monumentum ſibi videbatur aperiri, & murem, qui iam pollicis pedis dextri partem corroſerat, ipſa, quæ hæc videbat, expelleret. Expergefacta diluculo, rem Matri Congregationis, cæteriſque Sororibus narrat. Ad id explorandum miniſtros ſacrorum acciri continuò placuit. Qui de more Chriſtianę Religionis Litaniis & orationibus pro re proſperanda peractis tumulum reuerenter aperiunt, & ad certa indicia viſionis pollice pedis dextero cruentato reperto, saniem depellentes, & viâ in reliquum penetrandi obſtructa ſepulchrum, vt prius, obcludunt & muniunt.

Quieuit in eodem loco corpus ſacratiſſimum vſque ad tempora Imperatoris piiſſimi Ludouici, Carolo famoſiſſimo ac maximo Imperatore progeniti. vbi pluribus ſe, frequenter Virgo Beata publicauit virtutibus, multáque infirmantium curatio ſanctitatis eius & meriti apud Dominum præſtantiſſimi teſtimonio fuit. Ea quamuis incuria antiquitatis ſcripto minùs ſint tradita, memoriâ tamen ex narratione præcedentium ſubinde in ſuccedentes transfuſâ, quæ res omnes vetuſtate & ſenio fugientes durabili reparat nouitate, ſemper eam oſtenſione ſignorum floruiſſe non tacet. Quæ autem poſteriori ætate otio iam ſegniori ſubmoto, litteræ ſignauerunt facile inſinuant, quanta fides præteritis poſſit haberi, nec minus claris in illo tanti temporis ſpatio miraculis eam celebrem extitiſſe. Fruſtra autem hæc in commendationem eius requiri videntur, cùm certè id vnum tanta præſentia deitatis conceſſum corpus ſcilicet per tot annos ſine corruptione ſeruatum cuncta exuperet

admirāda quā quocūque caſu extra potuerant peruenire. Vbi ſimul datur in alb[illegible] quāta gloria beatæ immortalitatis eius ſpiritus illic, vbi verè eſt, totius mutabilitatis expers triumphat, cùm hic & illud, quod corruptibile fuerat datum, ingentis meriti viribus ipſa conditioni mortalium iura impoſita tam potenti gratia ſuperauerit.

Quod vtique Dominus ad commendandam gloriam puriſſimæ caſtitatis eius oculis humanis oſtendere voluit, vt palam clareſceret, quo præmio apud eum ſoleat compenſari carne præ eius amore contemptâ ſolis ipſius hærere complexibus, quódque virginitas, quæ ſupra quam iuſſum eſt facit, plusquam promiſſum eſt meretur. Poſſe ſanè ex diuino duntaxat munere antè illam generalem corporum Reſurrectionem carnem hominis cuiuſquam integram per tempora durare aliquanta licet pluribus idoneis ſcriptoribus multa lectio teſtis defendat, vnum tamen in hanc partem ſecundùm Bedam Preſbyterum adduxiſſe ſufficiat, qui in Hiſtoria gentis ſuæ, quę iam Eccleſiaſticis authoritatibus merito rectæ fidei & ſanæ doctrinæ admiſcetur, de Beato Pontifice Cuthberto refert, quòd poſtquàm XII. eſſet annis ſepultus, integro corpore ſit repertus. Idque plenius in libro de vita ipſiùs exequitur. Simile etiam de quadam miræ ſanctitatis Regina Edeltrude commemorat. Sanctum quoque Patrem Hilarionem Hieronymus non ſolùm carne, ſed etiam veſtibus incontaminatis poſt aliquantum temporis ſepulturæ, à Diſcipulo eius ſcribit inuentum & ſublatum. Cæterum non hæc in obfuſcationem illius ſupereminendi & Domini gloriæ ſingularis de præconio ſanctorum ad tollimus: Chriſtus ſiquidem naturæ noſtræ particeps factus non culpæ ſicut præ filiis hominum gratia ampliori plenus, verè & naturaliter Dei filius extitit Deus, ita caro eius iuxta Prophetam paululum in ſepulchro requieuit in ſpem reſurrectionis orbis totius ſecuturæ, & anima, quæ inferno nullatenus potuit detineri, citiùs corpus repetente, ſanctus ipſe ſanctorum, nec in ipſa carne, quam mortalem aſſumpſerat, vllam eſt corruptionem expertus. Eſt maxima vtique ſeruorum ac domini diſtantia: ille, vt qui animam, quando vellet ponendi, & cum vellet iterum ſumendi, ſolus habuit poteſtatem, morte ſibi ſponte admiſſa, infra breue tempus clauſtris ſepulchri contentus virtute mox propriæ Majeſtatis mortis legibus fractis victor per ſe ipſe ſurrexit: Sancti verò corpore hoc mortali naturâ ipſi toti mortales egreſſi ſpiritu ad eum, qui illum miſerat, reuolante, caro lege primi hominis ad terram reducitur. Sed quia mirabili commercio natura vtraque carnis ac ſpiritus concreta dum in præſenti ad diuina ſe exercet, mutua inter ſe expendunt operandi officia, vt ſpiritus per carnem, caro per ſpiritus bona quælibet operentur, & hæc ſimul dum viuunt, Chriſti templum, & quaſi quædam arca teſtamenti diuinam ſeruantis ſcientiam habentur; mox vt ſpiritus ab auctore repoſcitur, corpus in quo tot ſacrata diu ſeruabantur, vice templi Dei, & arcæ illius ſacramentis pleniſſimæ dignè à fidelibus reuerendum excipitur & ſeruatur, donec in fine temporalium æterna vtraque reddita ſubſtantia in vnam, vt prius, compaginem, gloria tamen præſtantiori, amicis poſteà nulloque inter ſe diſſidentibus nexibus reparentur. Si ergo bonitas potentiæ Dei, quæ ſua ſanctam ex Virgine carnem nulli corruptioni ſubdi permiſit, ſanctorum quorumdam per aliquot tempora gratuito munere ſeruari voluit corpora incorrupta, hæc laus inferiorum nihil illam ſummè ſingularem Dei Chriſti omnium ſuperioris comminuit: quin potius hæc, quæ per ſe obſcurantur, lucis illius immenſitatis ornantur. Iam de ſecunda tranſpoſitione ſeu tranſlatione ſacratiſſimæ Virginis ordinem proſequamur, & quantis ſignorum ſplendoribus ad conſolationem mortalium, ſponſam ſuam Rex illuſtrauit Angelorum, meritis ipſius iuuandi cœpti operis termino intendamur.

Narratio de ſecunda Tranſlatione eiuſdem B. Virginis Glodeſindis.

Ludouicus Imperator, de quo præmiſimus, filius Caroli Magni, cognomento pius, poſt Patris glorioſiſſimè exactum imperium, in nullo inferiori faſtigio rerum potiebatur, anno ab obitu Patris decimo-ſeptimo, cum Incarnationis Dominicæ octingenteſimus triceſimus ageretur annus, & ſedem Apoſtolicam Romæ Gregorius quidam occuparet, qui duobus Eugenio & Valentino feſtinata tunc recens ſeſe morte conſequentibus, quorum prior tantùm triennium, ſequens vix menſem ſuperfuit, ſucceſſerat, tuncque tertium Apoſtolatus ſui annum agebat. Hanc

autem ſanctam ſedem Metenſem Drogo eiuſdem Imperatoris Ludouici frater, iam per annum tuebatur octauum, qui etiam vices Apoſtolicas in cunctis Galliarum partibus priuilegio ab ipſa ſede Romana cum pallij auctoritate & nomine ſummi Archiepiſcopatus accepto, vt ampliſſimæ dignitatis vir ſuſtinebat. Cùm igitur ad id vſque temporis, corpus Beatæ Virginis in dexteriore, quam prædiximus, parte altaris Baſilicæ nouæ Sanctæ Dei Genitricis, humo manſiſſet reconditum; diſpoſitio illa ſuperna, cui cum omnium, quæ condidit, tum maximè ſuorum cura extat præcipua, in ipſo quoque corpore ad oculos hominum merita ipſius ſacræ Virginis, quanti apud ſe ſemper extiterent, patenter voluit demonſtrare. Cœpit enim tunc temporis ſepulchrum ipſum de terra ſe ſpontè ſubrigere, & mirum in modum ita vt, nec in terra eadem viciniora tumuli loca apparerent, nec in murali conſtructione deſuper compoſita. Huius rei nouitas, dum ad notitiam ſupra memorati Pontificis peruenisſet, miraturn impatiens mox in craſtinum fidos ad hoc inſpiciendum ſacrorum miniſtros cum Archidiacono majore, quem cor Epiſcopi dicunt, direxit. Qui venientes & cuncta viris, vt relatio pertulerat, approbantes ad rem continuo certam renunciant. Epiſcopus ad hanc relationem de eadem ſacratiſſima Virgine, quæ fuerit, quæque ei conuerſatio vel vita viuenti fuerit, quæ vtique numquam ſatis vulgata claruerant, ſollicitiùs diſquirit.

Vbi cuncta ex ordine ab ipſis qui viuam ipſam in corpore videre potuerant, quorum pars multa adhuc ſupererat, didicit, gaudio mixto admirationi non minimè percitus, ac diuino neſcio quo nutu impulſus ad hoc hortatu addito plurimorum de ea ſubleuanda ocyus capit conſilium. Ne cui autem incredibile videatur huius temporis aliquos tunc eſſe potuiſſe ſuperſtites, Chronica à tempore Childerici Regis ex Pipino per Carolum in Ludouicum deducta facili id probat indicio. Quæ vtique non multum ſuper octogeſimum reperitur annum. Idque tempus ætate viuus hominis non difficile durare conuincitur. Antiſtes igitur Reuerentiſſimus eum ſacra Clericorum ac populorum frequentia, ad locum per ſemetipſum accedens, Religioſis votorum ſupplicationibus ritu ſolemni præmiſſis, patefacto ſepulchro ipſe propriis vlnis miro, & ſupra quàm credi poſſit, rel gioſo in eam feruens officio ſancta virginalia membra, quæ vtique tota adhuc compage integrè tenebantur, è tumulo ſubleuat, & feretro impoſitam laudes Deo, gloriam Chriſto, totis certatim turbarum & populorum agminibus perſonantibus, ad majorem ingenti triumpho Baſilicam perferunt. Eſt ipſa Baſilica major, quæ adhuc cernitur, paulo à muro ciuitatis diſiuncta, in cuius fronte Orientali foris murum vrbis, illa noua, de qua ſuprà expoſuimus, ſanctæ Dei Genitricis extiterat, ad cœmeterium puellarum extructa. Ipſa autem major Baſilica antiquo ab initio nomine & honore Sancti Sulpicij Biturici Epiſcopi & Confeſſoris ſacrata habebatur. Ipſa eſt, quam Beata Virgo, dum viueret, à parentibus ſuis ad vſus diuinos prædio conceſſo iactis fundamentis Monaſterium inſtituerat. Edicta quoque publica de poſſeſſionibus eiuſdem Monaſterij in cunctis ſcriptis Eccleſiaſticis vel Politicis vetuſto ſtylo & calamo editis nomen ipſius Beati Sulpicij continent, & tota ratio iuris hęreditarij ipſius loci terúmque ſupputatio, quam Abbatiam dicunt, eius nomine appellatur. Dicitur tamen & nomine Sanctæ Dei Genitricis, addito etiam Beati Petri Apoſtoli, aram ipſam majorem ſimul cum ipſo confeſſore eſſe dicatam: in hac ergo Baſilica ſarcofago nouo poſt ſactum altare venerabiliter præparato ſanctum & pretioſiſſimum pignus honore & cultu, quo ampliori valuerunt, diligentiſſimè collocarunt.

Mirabilia mox per virtutem Chriſti tam iucunda & ſalutaria illîc cœperunt clareſcere, vt quanti virginei meriti gloria apud Deum conſtare crederetur, ad hæc ipſa noſtra, id eſt humana iudicia, certioribus ipſe Dominus comprobare dignaretur præconiis. In quibus corporaliter quoque non deſinit adimplere, quod per virum Dei in libro Regum loquentem ad Heli proteſtatur, *Quicumque, inquiens, honorificauerit me, honorabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quia enim hæc ſancta & ſæpè dicenda ſancta puella, Dominum in ſuo corpore iuxta Apoſtolum glorificauit & reuerenter amore virginitatis portauit, ideo gratia copioſior, vt iam de illa immenſi ponderis cœleſti taceamus mercede, etiam in hac mortalitate eam & manentem in corpore eſt comitata, & extincta nunc ipſa illius membra ingenti honore proſequitur. Contemptoribus autem Dei & conculcantibus ea, quæ ſancta ſunt, & qui iuxta ſapientiam videntes iuſtos, & non intelligentes, nec ponentes in

præcordiis talia illa, quæ in eodem libro contexuntur iure conueniunt. *Condemnat autem iuſtus mortuus viuos impios*: & paulò pòſt. *Poſt hæc erunt decidentes ſine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum.*

Verùm de ipſis ſignorum virtutibus iam pleniùs diſſeramus. Feretro, vt ſuperiora retulerunt, ex ſepulchro priore impoſita, priuſquam altero reconderetur ſepulchro, quidam ex multo iam tempore cæcus, nec vltra in reliquum videndi ſperans ſubſidia, ad feretrum ſubitò ſpe meliori animatus acceſſit. Nec mora, ope ſacratiſſimæ Virginis deſperatum diu lumen perfectè recepit.

Item mulier quædam multorum ſimiliter annorum cæcitate tabeſcens, ſub ipſa ferè hora ibidem per gratiam Chriſti illuminata eſt.

Poſtquam verò tumulo ſacra ſunt membra recondita, quædam ſimili modo longa luminis amiſſione multata, vt ſigna, quæ Dominus per merita Beatæ Virginis operabatur, quæque fama veloci iam totam commouerant vrbem, audiuit, quantâ potuit celeritate, ad ſanctum Sepulchrum contendit. Vbi diuinum per famulam ipſius humo porrecta implorans auxilium, dum aliquot ibidem excubat noctes, quæſitum tandem integrè lumen adepta eſt.

Sub idem ferè tempus fœminæ tres febribus nimiis ex diutiſſimè tracto languore omnibus penè membris exhauſtæ, quæ in vana medicorum cura multoties ſibi fruſtra adhibita, cenſu pauperum perdito, & onus geminauerant paupertatis, & remedij nihil omnino attulerant, audita relatione ingentium mirabilium, ad Virginis ſanctæ Sepulchrum ſe fide non caſsâ properè contulerunt. Hæ mox vt limina ædis ſanctæ contigerunt, Virgine in ſui auxilium precibus credulis inuocatâ, integerrimam membris omnibus recuperauerant ſalutem. Et in quo auaritia ſemper, curationum carnalium comes, illa ſuæ, quâ in miſerorum corpora vel opes deſæuitartis, expenſa potentia tota defecerat; fides ſola, quæ gratis cuncta ferre conſueuit, quod ſuum eſt ſolita velocitate reſtituit.

Alia item fœmina morbo adeò grauiſſimo longiſſimæ ægritudinis lecto decubans tenebatur; vt ſolo ſpiritu tantùm ſupereſſet, cui quicquid humana adhibuerat manus, fruſtra totum id fuerat: quum etiam ipſa ſpe ſalutem ſibi vltra poſſe reſtitui iam penitus deſerebatur. Hæc, quo neſcitur inſtinctu, niſi forte vt pòſt ſatis claruit, Deo cui ſuorum omnium cura eſt, inſpirante, qui eam ex huiuſmodi foueâ deſperationis gratuitâ bonitate ſuâ eximere voluit, & fomentum boni operis, quamuis tenuiter in ea accenſum, non prorſus patiebatur extingui, ad limina ſacri Monaſterij inter manus ſe ferri fecit, quæ vbi iam ſeptum ſeu atrium, quo Monaſterium ambiebatur, ingreſſa eſt, gratias omnipotenti Deo voce, qua valuit, agere cœpit, quia quod nunquam ſperare potuerat, ſed nec aliquando fieri poſſe credebat, illuc ſe diuina miſericordia venire conceſſerit. Cùm verò portas ſanctæ Baſilicæ primis attingere cœpiſſet veſtigijs, paulatim languore mitigato ſe conualeſcere, quãtóque propior ſacroſancto corpori accedebat, tantò longiùs ægritudinem à ſe remoueri, & melius ſubinde ſibi vires & ſoſpitatem ſentiebat ſuccreſcere, deinde cùm ipſa ſui ipſius quodam miraculo ſtupens, huc illúcque quaſi ſpatiabunda Baſilicam obambulare cœpiſſet, & gratias vocibus apertis non modicas reſonaret, poſt modicum ad ſacri tumuli pauimenta ſupplicatura proſternitur. Ibi enixius oratione profuſa, & aliquandiu inter altare, & Sepulchrum pernoctans paucis pòſt diebus integrè ſanitati eſt reſtituta, vt illius diutini & deſperati languoris nulla in ſe indicia ſenſerit reſediſſe.

Die quadam ſanctimonialibus rem diuinam in Eccleſia agentibus, mulier ignota, oculis capta, alia quadam ſibi manu ductum præbente, in conſpectu earumdem puellarum Dei pſallentium, ad gradus vſque, quibus ad altare conſcenditur, peruenit. Quos vbi prætergreſſa propius altare ſola tunc ipſa conceſſit, palpebris, quæ longo & tenaci ſitu diu hærebant oblcuſę, in aliquantulum lumen percipiendum repentè diuiſis, ignotam quandam ſe ducere mirata conſpexit, ſubitóque clamore emiſſo, ſuam, quæ ſolito ſibi dabat manum, cœpit inquirere. Qua diuinitus fortè ſubducta nuſquam accurrente, ab ipſa ignota, quam ſub dubia adhuc luce vix cernere poterat, vſque ad ſepulchrum Virginis, parte, quæ caput reſpicit, eſt perducta. Ibi orationi proſtrata, vbi ſurgens tremebunda & ſtupenda è regione tumuli conſtitit, pro ſepulchro ipſo nubem quandam ſibi apparere putabat, & mirabatur, quod nubes, quæ altiùs in aëre ferri conſueuerunt, tam vicinæ tunc terram tangere videbantur.

debantur ſenſim deinde ei lux clariùs magis ac magis cœpit infundi, donec caligine tota oculis ſummota certo & vero intuitu, quia ſepulchrum eſſet, quod præ oculis ſitum habebat, planè cognoſceret. Tunc vbi eſſet, vel qualiter illuc adueniſſet, attonita, nihílque circa ſe, quod recognoſceret, videns, anxia hærebat & ſtupens: & quod adhuc pauorem augeret, iam nec ipſam ignotam perſonam, quam ſe paulo ante procedere, & illuc adduxiſſe mirabatur, vltra videre præualuit. Dum ergo in hoc mœrore diu contabeſceret, tandem ad ſe reuerſa, Beatam Glodeſindim ſibi apparuiſſe, & ſe illuc perduxiſſe, ac ſuis meritis lumen ſibi recuperaſſe certiſſimè cognouit, atque in gratiarum actionem prorumpens, iámque clarè omnia cernens, Dominum & ſanctam Virginem publicis vocibus collaudabat, nec iam vlterius duce indigens, viam liberè quaqua verſum exultans ingreditur.

Non multis hinc exactis diebus rurſus alia multi item temporis cæca ad tumbam ſanctam deducitur, illúcque cum cæteris languentium turbis illic excubantium per totam noctem diuinum cum precibus præſtolans ſubſidium, matutinali officio de more ab ancillis Dei peracto, vidit ſibi Beatam Virginem propiùs acceſſiſſe, & digitis propriis oculorum palpebras, quaſi violenter ab inuicem ſeparare. Nec mora, puro lumine reddito, meritis Virginis ſacræ plurimis poſtea annis reſtis ſuperfuit.

Quidam præterea mirabili narium horrore grauiter ſpirans, ita vt ne eminus quidem ei à quoquam facilis eſſet acceſſio, in quo cura à diuerſis mederi cupientibus ei ſæpè adhibita, vanè per omnia ceſſerat, vt rumorem longè, latéque currentium gaudiorum, quæ in Metenſi ciuitate ad memoratum Monaſterium per glorioſi meriti Virginem Glodeſindem fiebant, audiuit, illuc feſtinus accurrere ſtuduit. Quò poſtquam peruenit, & Eccleſiam ingredi viſus eſt, omnes nimio ex naribus prodeunte offenſi fœtore, fugere ab eo diuerſa cœpere. Ille quem anxij doloris cauſa præſens monebat, & pœnam ſuam ſecum circumferens ſe fugere ipſe non poterat, pudorem hominum neceſſitate deuincens, & de eo, qui leproſorum & cruore fluentium contactum non ſpreuit, & morbos atque infirmitates miſerorum curare deſcendit, nullatenus diffiſus, ad ſepulchrum omnibus ſalutare cum cæteris infirmis proceſſit. Ibîque lucernam Sanctorum manu protendens & pro ſalutis ſuæ recuperatione enixiùs ſupplicans miſericordiæ cœleſtis expectabat aduentum. Nec prius à fidei ſuæ inſtantia deſtitit, quàm ope ingentis meriti Virginis illa omni obſcœni odoris fœditate careret, & com[illegible] deinceps hominum frequentia, & ſolitis ſalutationum & confabulationum occurſibus ſine cuiuſquam moleſtiâ frueretur.

Item mulier iam decennio cæca, nec ſpem in reliquum viſus retinens potiendi, diuinitus, vt æſtimatur, commonita Monaſterium petiit, quæ Eccleſiam ingreſſa, vt tumultum infirmantium, qui plurimi ſedentes ſepulchrum circumſepſerant, audiuit, vocibus altiùs emiſſis in auxilium ſui Glodeſindem itémque nomine ingeminans inuocabat, Deúmque ſibi pecca[illegible] fieri precabatur. Mox virtutis ſupernæ largitate luce repertâ læta diſceſſit.

Et ne ſingulis quibuſque perſonis diutius immorari tædioſi, & ob hoc meritò refugiendi ſcriptoris culpam incurriſſe videamur; ſi quid memorabilius dumtaxat extiterit, quàm ſuccinctè notato, turbam curatorum in numerum quendam redegiſſe ſuffecerit. Ordinem ſanè, vt ſibi ſubinde operatio virtutum ſucceſſit, quoquam cauemus inuertere, ſed ſicut ſcriptura ipſo veterior retulit, quæ vtique vnamquamcumque narrationem iuxta ordinem temporis ita antecedenti ſubtexuit, vt quod prius factum ſit, prius ſcriberet, & quod deinde mox eſt ſubſecutum è veſtigio redderet: ſicque vſque ad certum tempus ſeries totius catalogi texeretur, licet fidi interpretis vitio denotandi, per omnia ſequimur.

Quinque ibi fœminæ diurna olim cæcitate multatæ, Chriſto Domino illuminante ad gloriam & commendationem ſacratiſſimæ Virginis diu deſiderati luminis gratiam recuperarunt. Exinde mulier quædam per tres circiter annos pedem vtrumque & manum vnam gerens diſtortam audiens tot mirabilibus, illò ocyus ſe ferri rogauit, allataque pauimento ſepulchri proſtrata, fletúque multo & precibus ſe ob peccata propria hæc pertuliſſe teſta-

ta, tandem in commendationem piæ & rectè actæ virginitatis, in conſpectu multorum circumſtantium directa in integrum perfectæ ſanitatis officium, diſceſſit incolumis.

Septem poſt hanc, mates tres, fœminæ quatuor, tenebtis oculorum iamdudum damnati ad laudem clariſſimæ Virginis, & ſemper lumine æternitatis ſplendentis, luci videndæ ſunt teſtituti.

Parum eſt circa præſentiam eius ſacratiſſimi corporis crebras factas eſſe virtutes, abſentes quoque nomine eius inuocato per gratiam Chriſti, qui in omni parte mundi cum ſanctis ſuis & manet & operatur, plurima ſibi affuiſſe ſenſete ſubſidia, quod vel ex his, quæ licet exigua ſubijcimus, colliquebit.

Clericus Monaſterij ipſius vicem officij Eccleſiaſtici in ordine proptio adminiſtrans, cui nomen Fulguberto erat, fluuium ciuitati à parte Orientali contiguum qui Sallia dicitur, cauſa aliqua perurgente traijcere geſtiebat. Qui vbi ripæ accurrens nauigium nuſquam videt adeſſe, diu ſi quis fortè quacumque ex parte fluminis adueniret, operiebatur: Hac expectatione vt fit tandem defatigatus, humóque paululum reclinatus ſomno corripitur; expergectus nec quid etiam tum ad traijciendum ſpectans conſilij, dum iam ſemetipſum morarum, quas ſibi tamdiu fruſtra inſumpſiſſet, accuſans, deliberaret recedere, repente ori ſubrepſit ſanctam Virginem nomine inclamare. Poſtquam vocem aliquot intra ſe momenta ſuſtinuit, & ecce reſpiciens nauim ſibi in loco littoris, quo ſtabat, ex improuiſo videt adſiſtere. Quæ quo ordine abſque humano miniſterio adducta ſit, cùm omnino non poſſet conijcere, diuinum tantummodo opus, cui omnia famulantur, & merita ſacræ Virginis, quam inuocaſſet, ſibi id certum tenuit præſtitiſſe. Stupénſque hoc tanto miraculo, & gratias, vt par erat, immenſas omnipotenti Deo ſanctæque Virgini reddens, fluuium, vt deſiderauerat, tranſiit. Hucúſque tam ingentis facti ipſe pòſt fidelis relator ſanctè iuratus aſſeruit nihil ſe confinxiſſe, ſed vt ſibi verè contigerat fideliter enarrare.

Paupet quidam longè ab vrbe commanens, qui vitam arte tantum piſcatoria tuebatur, die quadam vt Monaſterium prædictæ Virginis adiret mente concepit. Qui ſimplicitate ruſticâ, non tamen improbanda vacuus illuc procedere nolens, quia aliud fortè ſibi non ſuberat flumen petere, piſcémque, ſi quis forſitan occurreret, ferre diſponit. Tum nauicula conſcenſa [illegible] induxit non [illegible] tenere deproperat, ocyus piſcis ex rete violenter eluctatus in flumen elabitur. Ruſticus vehementer animo conſternatus voce lachrymabili; ſancta, inquit, Glodeſindis, redde quod tibi ferre diſpoſui. Hoc dicto rurſus rete flumini merſo idem qui prius piſcis præda fugitiua concluditur, votúmque, vt mente decreuerat, Monaſterio delatum & redditum.

In curatione vexatorum non minori gratia ſanctam hanc meritis potentibus præualere plurima prodidere frequentius documenta, quibus hæc fidem facere vel ſola ſufficiant.

Ruſtico de quo prædiximus, piſcem votum ferente & abeunte ſub ipſo ferè articulo temporis in loco eodem Faber quidam Imperatorius de villa Iudicio aduenit. Hic per annos vndecim grauiter dæmone agitatus, multa Sanctorum Martyrum loca etiam longinquiora Franciæ ad Sanctum Sebaſtianum Sueſſionis, cuius non multò ante idem temporis reliquiæ ab vrbe Roma illuc dicebantur delatæ & apud Sanctum Medardum reconditæ, ſeu ad Sanctum Quintinum Viromandis, adque Sanctum Dionyſium Pariſius, multorúmque præterea Sanctorum memorias ſpe recuperandæ ſalutis circuierat; ſed eius curatio diuino quodam arcano, non per omnipotentiam Sanctorum differebatur, ſed huic ſanctæ Virgini, cum qua manus Domini tam efficaciter operabatur, certiſſimè eſt reſeruata. Huic quoque carnalis medicinæ induſtria, ſi qua poſſet arte ſuccurrere, multa vanè remedia adhibere conata eſt, nihilque opis prorſus adtulerat. Tandem Dominus volens apertiùs demonſtrare fruſtra cum tot in longinqua toties expetiſſe ſubſidia, cùm de proximo velociorei

ſalus poſſet occurrere, vt de miraculorum tanta, quæ ad ſepulchrum Reuerentiſſimæ Virginis Glodeſindis fiebant, audiuit frequentia, Mettis quàm celerrimè potuit, peruenit, atque Baſilicam Beatæ Virginis ingreſſus, penes tumbam ipſius ſe collocauit. Vbi cum aliquandiu iacuiſſet, impurus ille ac teterrimus ſpiritus præſentiam tantæ ſanctitatis non ferens, nihil deinde iuris in homine poſſidens violenter pulſus abſceſſit.

Poſt hunc mutus quidam ab infantia illuc accedens repente ante corpus ſacratiſſimum abſolutiſſimam oris libertatem eſt conſecutus

Eodem modo & mulier itidem ex quo nata eſt muta virtute Virginis loquelam ibidem recepit.

Item fœmina quædam dæmone diu atrociter captiuata illuc deueniens aduerſario depulſo, ſui compos atque integra mente regreſſa eſt.

Claudius quidam ex villa Lauriaco in loco eodem potenti virtute Virginis pedes, quos valida tabes diſtorſerat, in vſum liberè gradiendi directos recepit.

Mulier ab annis plurimis cœca de villa Areuntiaco aliquo tempore ad ſanctum Sepulchrum cum infirmis cæteris excubans non poſt multum temporis luce donata eſt.

Similiter & aliæ duæ cæcitate damnatæ gratiam diu amiſſi luminis per Beatam Virginem receperunt.

Multa præter hæc & penè innumerabilia apud eius perpetua virginitate Beatiſſimum corpus ex tempore memorati Drogonis Archiepiſcopi per annos circiter LX. ſub Præſulatu Aduentij eidem ſuccedentis Epiſcopi, imperantibus Lothario Seniore, & poſt eum Lothario iuniore, ſunt oſtenſa miracula, vſque ad tempora Vvalonis, qui præfato Aduentio ſucceſſit, quæ ex incuria ſcripto non ſunt commendata. Quæ verò ſub ipſo Vvalone, vel ſucceſſore ipſius Rotberto, ſunt geſta, ordo ſubſequens declarabit.

Antequam ad reliqua progrediamur, quandò res ita monet, & ſe occaſio præbuit de memoratis primis duobus ſe ſubinde conſequentibus Epiſcopis, ſed & de ſtatu temporum aliqua breuiter adnotanda putauimus, eâ præcipuè causâ, quod alterius eorum, id eſt Aduentij, temporibus Monaſterio huius ſanctæ Virginis plurima Regali munificentia ſunt collata beneficia, Regiſque Lotharij iunioris edicta teſtamentalia penes ipſas ancillas Dei vſque hodie manent, quæ ſuaſu coniugis ſuæ Teutbergæ Reginæ, interueniente eodem Aduentio Epiſcopo, eis & de nouiter datis, & de antiquioribus reſtitutis, ſiue etiam de immunitatibus eiuſdem Monaſterij Regia authoritate conſtant liberaliſſimè attributa: nam & ipſa Teutberga Regina loci ipſius regimen tunc tenebat, quæ etiam ibi quieſcit, ſed & quis iſte Lotharius fuerit, & ex occaſione eius aliqua ſupra repetere non ingratum eſſe lectori arbitramur, vt ex noritia temporum validiores narrationi vires accreſcant. Hic eſt Lotharius iunior filius illius Lotharij ſenioris ex Lodouuico Pio geniti, qui poſt mortem ipſius piæ memoriæ Patris ſui diutina diſſenſione cum fratribus ſuis Lodouuico Germanorum Rege & Carolo qui pòſt Imperator factus eſt, cupiditate imperij habita, tandem grauibus & inteſtinis odiis funeſto ritu inter ſe longè prius protractis in pago Autiſſiodorenſi loco, qui dicitur Fontanetum, prælio atrociſſimo, & abſque exemplo cruentiſſimo, cæde miſerabili conflixerunt, adiuncto eis Pipino Aquitanorum Rege. Pace tamen pòſt inter eos facta, diuiſóque regno hæc pars Franciæ, quæ Rheno & Moſellâ limitatur, additis pro conſenſu & firmitate pacis quibuſdam ciuitatibus & Regalibus Abbatiis vltra citráque eidem ceſſit Lothario, eiuſque exinde in id vſque temporis nomine regnum Lotharij appellatur. Ipſe non multò pòſt cunctis ſæculi rebus ſponte abiectis, Monachum in Prumiâ Monaſterio profeſſus, ibidem quieuit, vbi & ſepulchrum eius celebre huc vſque nunc habetur. Succeſſit eidem filius & æquiuocus hic iunior Lotharius, de quo fama ſatis dolenda vulgatur, odio Teutbergæ eius, quam diximus, Reginæ, & illicita ſuperductione Vualdradæ. Quæ miſerabilis ſpeciès facti eùm faciem rerum luctuoſo fœdaſſet exemplo, totum penè orbem in ſui commouit inuidiam. Nam quod & multo amplius eſt pauefcendum, primarum ſedium

XXxx ij

Antiſtites Tietgaudus Treuerenſis & Gonterus Colonienſis huius execrandi connubij aſſentatores, cùm viderentur ſapientes eſſe ingenio, & litteris diuinè humanéque eruditi, inſipientiæ deterrimi ſunt facti fautores. Vnde à Papa Nicolao Romam euocati & ante ſacratiſſimum corpus Beati Petri Synodo, tam Italiæ penè totius, quàm & pluribus Galliarum Epiſcopis congregata auditi, & culpam prætextu conjugij ornare diu conati, tandem fraude captioſa, qua capere ſe alios arbitrabantur, ipſi capti Papa Nicolao cunctis aſſentientibus damnati, & gradibus ſunt Eccleſiaſticis multati. Rex quoque cum Waldradâ & cunctis eius ſcandalis participantibus pariter anathematizati. Et vt multa alia prætercam, qualiter ipſe Gonterus factum ſuum tuens, in Papam ipſum multis publicè inuectus iniuſto ſe iudicio alligatum teſtatus ſit, & vt parui pendens Apoſtolicam cenſuram domum nec venia petita, nec imperrata reuerſus, miſſas, & in die ſacroſanctæ cœnæ abſolutionem & chriſmatis actionem victus peregerit. Hoc tantùm in terrorem eorum, ſi qui fortè talium vnquam erunt participes, dixiſſe ſufficiat, quod ſocius eius Tietgaudus Treuerenſis peregrè Romæ excommunicatus interijt. Lotharius Rex, licet correctionem promiſerit, & Reginam Teutbergam in honore ſuo, vt videbatur, receperit, pòſt tamen Romam veniens à Papa ſuper fide conjugis requiſitus, & metu culpam inficiatus, ea conditione, ſi vera fateretur, Miſſas à Domino Papa in Sancto Anaſtaſio audiuit, & corpus Dominicum de manu eius infœlix præſumpſit. Inde patriam repetens repentè miſerrimâ clade ſuorum, penè in ipſis Romæ portis exorta, nec mora, nec requies morientium erat, donec tandem dum ocyus feſtinat, iam ferè omnibus ſuis aſſumptis, Placentiam vſque cum paucis peruenit, vbi circa horam nonam cùm incolumis reſideret, repentè percuſſus obmutuit, & mane morte miſerabili defunctus ibi in quadam operis viliſſimi Baſilica eſt obrutus. Eius morte Aduentius Epiſcopus cognita, nuncium ocyus Carolo Regi Franciæ Occidentalis dirigit, eúmque Mettim deductum, aſſociato ſibi Hincmaro Rhemorum Archiepiſcopo, coronâ ſecundâ, præter eam, quam habuerat, in Eccleſia Sancti Stephani, quæ dicitur domus Epiſcopij, capiti iterarò impoſitâ, Regem ſuper duo regna conſtituit. Hæc vt Epiſcopi cuius mentio facta fuerat, tempus magis clareſceret, paucis inſerta ſunt. Huic Aduentio ſucceſſit, vt diximus, Walo Epiſcopus, quo tempore Bertulphus Treueris præerat Archiepiſcopus, ipſo adhuc Carolo ſuperſtite, & Ioanne quodam vniuerſale nomen Papæ tenente, à quo & ipſe VValo pallium promeruit: qui Vvalo, dum vix ſeptem annis Eccleſiam rexiſſet, excurſione Nortmannorum, poſtquam plures Galliarum partes peruagata fuerat, vſque Treuiros accedente, dum incautè manúque impari congredi parat, vſque ad locum, qui dicitur Remicha in littore Moſellæ obuiam venit Nortmannis impetum minaciter facientibus. Dum his nullæ ad reſiſtendum ſuppetunt vires, non prælium iam illud, ſed ſtrages miſerorum fuit, ibi Epiſcopus cum cæteris obtruncatur. Corpus poſt cladem Mettim relatum, & in Baſilica Sancti Saluatoris, quam ipſe in Sepulchrum ſibi pridem à fundamentis extruxerat, ſepultum. Huius igitur temporibus iam iámque obitu ipſius imminente luctiferum quid monſtro ipſo præſagante, à parte ſepulchri ſacræ Virginis, quæ pedes reſpicit, oleum non phantaſticum, ſed verum, dictu mirabile viſum eſt emanaſſe. Hoc non modo ipſis ſanctimonialibus vel æditius, qui noctu atque interdiu ſacri Sepulchri adhætebant excubiis, verùm toti vrbi perclaruit. Viderit quiſque in quam partem hoc interpretari velit. Illud certè multorum & viſus probauit & tactus, diúque ita emanans ille liquor effluxit, vt ſpecie & vſu oleum palpabile repræſentaret, & à parte pedum, ad capitis vſque confinia ſepulchrum madefaceret, & quod magis ſtupeas vaſe exceptum diutius poſtea eſt ſeruatum, multíque pro diuerſis incommodis oo tacti & vncti vera retulerunt remedia.

Opinio vulgi erat, & quibuſdam reuelationibus ſibi plures oſtenſum eſſe dicebant, lachrymas eas Sanctæ Virginis eſſe; quibus imminente vrbis interitu iram Domini auertere laborabat. Non vſquequaque error damnandus, qui licet & ex ſimplici mente deſcendens; non nihil tamen intelligentiæ perſpicitur continere. Siquidem oleum figuram miſericordiæ, lachrymæ motum exprimunt indulgentiæ. Etſi enim in illa ſummæ lętitiæ ciuitate nullus dolor, nullæ omnino ſint lachrymæ,

vbi abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, non incongruè tamen Dominus oculis humanis huiuſmodi ſpeciem oſtendere voluit, per quam prudens quiſque colligeret, qua ſuauitate, quóue lumine in conſpectu claritatis Dei anima ipſa ſancta gauderet, cuius hic extinctus cinis tam iucundo curdibus & pulcherrimo oculis myſterio reſplenderet. Exitus tamen rerum edocuit, quòd Beata Virgo in occulto pro ciuitate obtinuerit, cùm eam ita periculo proximam à barbarorum infeſtatione, & ſi non lachrymis, certè precibus Virginis inenarrabilibus Christus inenarrabiliter flexus immunem reddiderit.

Sub eo etiam, qui huic poſt annum ſubrogatus eſt, Epiſcopo Ruotperto Gentis Allamannorum viro clariſſimo, olei ſimiliter emanatio ex ipſo ſacro ſepulchro frequentiùs viſa eſt profluxiſſe, vt à latere monumenti longiùs in riuum per pauimentum decurreret. Hoc ab Ancillis Dei ſpongia collectum, & vaſe vitreo dum impleretur deſtrictum, ſuper Sanctum ſepulchrum eſt reuerenter appenſum, de quo vt prædictum eſt plures ſibi remedia præſumpſerunt, & vt non vani quid ſimile hoc æſtimari daretur, illud palam cunctis & tunc temporis factum eſt, & per multorum ora, qui viderant, exinde ad nos vſque cucurrit, quod ibi ex oleo ipſo contigit. Erat Sanctæ Ædis cuſtos, nomine Doda, quam vna Sororum, cuius curæ erat Oratorium quoddam Sanctæ Crucis infra ſepta ipſius Monaſterij, importunè rogauit, vt vas vitreum, quod oleum illud diuinum continebat, ſibi ad idem curæ ſuę Oratorium quaſi maiori reuerentia à ſe ibi ſeruandum tribueret, quę dum leuitate admodum temerariâ manum ſuper ſepulchrum, quo vas appenſum meminerat, porrexiſſet, vt poſcenti daret, nuſquam inuenit. Mirata & tremens, dum item itemque palpando ſollicitiùs exploraret, nec ſentire vllo modo poſſet, cùm tamen ibidem vas idem vt poſitum fuerat dependeret, ridiculo ſatis diludebatur errore, cùm cæteras aduocaſſet, ipſæque ſimiliter cum eâ diutius errabundæ præ oculis ſemper haberent, nec viderent lucerna adſubita circa ſepulchrum huc illúcque vana indagine perquirebant: tandem poſtquam ſatis iam ludibrio huiuſcemodi ſunt fatigatæ, vix aliquando contingere potuerunt depoſitum. partem ipſius liquoris eadem cuſtos ſibi præſumens fratri ſuo viro Religioſo Presbytero Angellono ad Eccleſiam Sancti Saluatoris in eadem vrbe pro reliquiis munere miſit, vas ipſum cum reliqua parte perendi ſociæ tribuit, & Oratorio ſupra dicto ab ipſa eſt deportatum: mox ipſa cuſtos temeraria pro tam improbo auſu amentia ſe ſatis digna pœna corripitur. Nec prius medelam conſequi potuit, quàm ex vtriſque, quibus largitio illa inepta fuerat facta, quod illicitè datum erat, reciperetur, & loco ſuo ſuper ſepulchrum, vt prius, integrè reponeretur. Nam mox vt id factum eſt, vix ſpatio duarum horarum intercedente ſanæ mentis & pleniſſimi ſenſus effecta eſt. Ex eodem poſtea, vt dictum eſt, oleo plures caput, oculos, vt cętera loca corporis dolentes dum contingerent meritis Sanctæ Virginis ſæpiſſimè recreatos & perfectè ſenſerunt curatos.

Multa præterea temporibus eiuſdem Rotberti Epiſcopi, nec in mora, ſuperioribus ad idem Sacroſanctum ſepulchrum Dominus IESVS-Chriſtus eſt operari dignatus miracula, ex quibus ſubſequens ſtylus expedire aliqua tentabit eo ſecuriùs, quò multos, qui his interfuerunt, noſtra ętate ſuperfuiſſe certò comperimus, quos in idoneum teſtimonium aduocatos nemo eſt qui poſſit refellere. Ex ipſa quoque curatorum turba nonnulli hæc ipſa noſtra tempora attigerunt.

Mulier, cui Hildigardi nomen erat, annis octo oculorum luce priuata ſpe non caſſâ ſalutiferum ſepulchrum expetiit. Ibi nocte in excubiis permanens antequàm dilueſceret, miſeratione diuina Virgine intercedente nihil noctis obſtantibus tenebris, lumine puro donata eſt.

Item adoleſcens cœcus dum aliquamdiu infra Baſilicam viſitationem ſupernam expectaret meritis Virginis viſum perfectè recepit.

Fœmina, nomine Oſa, quinquennio clauda illuc ſe rogans deferri menſibus ſex ibidem languida iacens diuinum indeficientibus animis præſtolabatur auxilium, nec prius à fidei ſuæ inſtantia deſtitit, quam mercedem fidelis perſeuerantiæ ſoliditatem omnium membrorum perciperet, pedibúſque propriis gaudens rediret, quæ manibus alienis illuc allata fuit.

Quidam ſimiliter claudus veſpertino aliquanto tempore grabato deportatus, & pro foribus Baſilicæ depoſitus, dum copiam ſibi eâ nocte intra ædem ſanctam

XXxx iij

quieſcendi deprecaretur, nec obtinere valuiſſet, ibi ante ianuam fide non vacua vſque in lucem pernoctat. Ecce autem mane ſubito viribus validioribus accedentibus miro, celerique quodam ſaltu lecto excuſſus relicto in loco eodem grabato, gradu directo ad tumulum ſanctum proceſſit claré & palam Virginem Sanctam Glodeſindem diuino auxilio authorem ſuæ ſoſpitatis exclamans, & gratias quanto præualebat referens ampliores vocibus magnis Dei ſanctæque Virginis glorificabat clementiam.

Alius item infirmus & omni virtute corporis deſtitutus, cùm aliquandiu in illo ſancto loco opem ſui præſtolaretur, quadam die ſopore correptus obdormiſſet, videt ſibi in ſomnis Beatam Virginem aſſiſtentem & cum quodam imperio iubere vt ſurgeret, & his qui tunc forte pauimento inſtabant, operator ipſe coniungeretur, opúſque ipſum perfici adiuuaret. Statim expergefactus, & nihil priſtinæ debilitatis in ſe recognoſcens, lætus exiliit, & vt iuſſus fuerat, mirantibus vniuerſis ad opus acceſſit, nullóque ſegnior in operando apparuit, ſciens profectò Beatiſſimam Virginem deſideratam ſibi præſtitiſſe ſalutem.

Adelburga Mulier dicebatur, ore & naribus plurimo ſanguine diutius fluens, iam in ipſo vitæ agens diſcrimine, cùm nihil vndecumque ei remedii poſſet occurrere, forte dies natalitius Sanctiſſimæ Virginis in craſtinum imminebat, ſpem illicò ſalutis ex diuino præſumens ſolatio, candelam, quæ nocte vigiliarum ipſius ſolemnitatis ante aram ſanctam lumen præberet, voto propriæ ſanitatis erexit. Mox ea perlata optatam Chriſto per Sanctam Virginem operante ſalutem promeruit.

Simili modo vir quidam ex villa Fadiliaco, nomine Heileicus, habens filium debilem & membris omnibus inutilem, votum ſanctæ candelæ altari ipſius intulit, ac pro eo ibi precem profundens domum reuerſus inuenit filium ſanum.

Quid fœmina illa, quæ diu contracta, dum voto illo candelam miſiſſet, priuſquàm Eccleſiæ candela ipſa intromitteretur, perfectam emeruit ſoſpitatem. Hæc ex villa Columbaria fuit, & per totum æſtiuum tempus ita languida membris omnibus penè emarcuerat, vt nec greſſum figere, nec niſi alienis manibus valeret efferri.

Alia non diſpari modo diu debilis & clauda decumbens ad Eccleſiam perducta, integrè ibi eſt ſanata.

Audiant aliud diuinæ animaduerſionis documentum hi, qui eaquæ ſemel Domino vouerant, illicita præſumptione non timent effringere, & vel pœnæ manifeſtationibus diſcant quanti ſit periculi promiſſa non reddere, quæ ſcripturæ teſtimoniis noluerunt agnoſcere. Vir Mettis inter ſuos non obſcurus, cui Adelmanno nomen erat, filiam in ipſis primis annis Dei & huius Sanctæ Glodeſindis famulatui in habitu ſanctitatis voto delegauit. Hæc vbi adulta eſt, Patre, vt dicunt, ignaro & inuito, quendam extra vrbem clandeſtino conſecuta eſt matrimonio. Cúmque in tali coniugio tempus aliquod effluxiſſet, forte aliquando fuit, vt parentes & propinquos in vrbe vellet reuiſere. Vbi dum dies aliquot moraretur, ira repentinâ membrorum omnium diſſolutione contracta eſt, vt nec lecto exurgere, nec niſi alieno miniſterio loco poſſet moueri, tum Pater voti reminiſcens ad Monaſterium eam fecit deferri. Quæ ibi dimiſſa, poſtquàm multum temporis in languore tabida iacuerat, ab ancillis Dei ei ſuaſum eſt, vt ſacrum velamentum ſibi imponens ſe Deo ſeruituram promitteret. Factum eſt, & die tertio ſana & incolumis reddita eſt, vt priſtini doloris ne veſtigium quidem aliquod in ſe perſentiret, & de reliquo in eodem Monaſterio ſub habitu Religionis permanſit.

Item fœmina quædam duodecim iam annorum pedes languidos trahens, nomine Alda, ad Monaſterium adducta, per ſex annos ibidem debilis manſit: Cúmque crebris coram altare ſupplicationibus diuinum ſibi adeſſe ſæpius precaretur auxilium, die quadam inopinatò ita perfectè ſanata eſt, vt libero greſſu vbique gaudens incederet.

Dæmoniacus quidam ex villa Marlei, Wolferus dictus, ita atrociſſimo & veſano ſpiritu fuerat peruaſus, vt omnium ſe notitiam habere linguarum, & ſitus cunctarum iactaret noſſe terrarum. Hic ad ſacrum perductus Monaſterium, ac per dies octo ibi detentus, gratia Chriſti ac meritis Virginis hoſte fugato, mentis libertati integrè reſtitutus abſceſſit.

Item Adoleſcens quidam ex villa Lauriaco, & fœminæ quatuor fœdis ſpiritibus obſeſſæ, ibi ſimiliter ope ſacratiſſimæ Virginis curari meruerunt.

His illa non incongruè inſerenda cenſentur in quibus fidei, cui omnia Saluator perhibet poſſibilia, ingens oſtenditur documentum, vt quod natura negare conuincitur, ſancta & innocens virginitas merito ſui efficere poſſe probetur.

Ex his quæ habitu inter laicas Religioſo oblationes altario deferre conſueuerunt, quædam fuit, nomine Ragmaidis, quæ ad Baſilicam Virginis veniens vaſculum, quo vinum ad ſacra ſecum huiuſmodi circumferre ſolent, plenum detulerat. Ex quo dum ipſa obtuliſſet & cæteris, quæ plures oblaturæ conuenerant, dum quod ſuperfuit totum diuiſiſſet, repente vaſculum ipſum, quod iam omnino exhauſtum putabat, acceptans, vino vt priùs, repletum maximo cum ſtupore inuenit.

Cuſtos quædam eiuſdem ſacræ ædis, dum die quadam Miſſis celebrandis vinum quæſitum nequaquam in promptu poſſet, inueniri, ad arcam illam, qua neſcio de cauſa acceſſit vbi iam retro à menſibus ferè tribus vaſculum, quod in modum flaſconis paruuli, burticulam appellant, vacuum & ſiccum dependebat. Arca aperta vaſculum ipſum vino ad ſummum vſque impletum vidit. Ex quo & ſacrificiis tunc miniſtratum eſt; & quædam ipſius loci fœmina dudum grauiter languida, dum ex eodem vino parum quid ſibi abſorbendum popoſciſſet, mox guſtato ſalutem integram recuperauit.

Paſchali quadam ſolemnitate puella cæca cuiuſdam Ioannis ciuis Mettenſis filia ad Sanctum Sepulchrum perducta, dum per tres dies ibidem manſiſſet ipſa quarta ſacræ Hebdomadis Feria per gratiam cœleſtem viſum pleniter eſt conſecuta.

Hæc, vt valuimus, ex prioribus, quas inuenimus, transfudimus litteris, non quòd eandem ſcripturam nullam æſtimaremus, quæ vtique plena fidei & ad rerum geſtarum ordinem vires maximas ſubminiſtrat; ſed quia, vti præfatus ſum, litteratiorum, quibus iam Domino miſerante tempora florent, hoc expetere voluntas videbatur. Quamquam ne ad hanc quidem partem mihi aliquam ſcientiæ prærogauerim facultatem, qui, vt verè fateor, frequentiùs tamen dictis quàm ſcriptis nimio rubore ſuffundor, & niſi aliquorum, qui fortè in me amore labuntur improuido, ſtimuli incitarent, penitus conticerem. Ob hoc vel maximè, quia etſi ſcientia, qualiter præſentes, & qui ex ipſa inter nos conſuetudine quicquid ore exciderit probant, accipiant; ſecuturos certè aut omnino ingratos aut non multum hæc curaturus ſatis perſpicio. Quibus tamen quod acerrimo dente in æmulos Hieronymus procœmio Hebraicarum quæſtionum fixit, obiiciendum: *Peregrina merces tantum volentibus naui deferuntur. Balſamum, piper, & poma palmarum ruſtici non emant*, ita & illi ſi deſpexerint, ne quidem legant, moneo, & oro, dum tandem voti mei apud Deum & Sanctam eius Virginem, cuius me amor traxit immodicus, ſpem fideliter præſumptam mihi non penitus inuideant, vel intercludant.

Iam quia ad noſtram ætatem res perducta eſt, liberioribus ſpatiis decurrentes, breuiter, quę Dominus nobis videre conceſſit, annotamus. Poſt Rotpertum qui XL. prætum annis Vuigirico X. annis Pontificio exacto vita decedente. Dum Benno quidam in eremitica conuerſatione dudum famoſus bona intentione Heinrici tunc Regis, patris glorioſi poſtea Cæſaris Domini Ottonis, eidem eſſet ſubrogatus, vixque biennium in ſacro ordine exegiſſet, infanda & nimis lachrymabili ſeruulorum quorumdam factione excœcatus, & inutilis redditus, quo fungi non poterat officio ſeſe ipſe abdicauit, inde à Principe electione petita & impetrata virum magni pòſt futurum præconij, Dominum Adelberonem, hæc Sancta Sedes adepta eſt. Hic Monaſteria quæcumque per amplitudinem ſua erant, prouidentiæ retro à multis iam annis interius & exterius ſpiritalibus & corporalibus opibus nimium lapſa ſtudio præter cætera egregiè animum recuperare induxit. Et primum quidem eius operum ſpiritualium Gorzia Monaſterium fuit, vbi magnarum virtutum viro Domino Eginoldo promoto, & breui copioſa Religioſorum turba eo confluente, & in beatitudinem pauperum ſpiritu ſub Regula Beati Benedicti conſpirante, ad eius exemplar reliqua extra vel infra virorum ac fœminarum, ſi qua etiam ſub nomine Canonicorum erant, compoſuit Monaſteria. Vnde & hoc idem Beatæ Virginis Collegium Præfecta ibi Domna Himmiltrude,

ſanguine, & quod maius eſt, ſpiritu ſibi propinqua, ad Monaſticam inſtitutionem coëgit. De cuius Sancti Pontificis dignis Deo operibus proprium eſt meritò quod deſideretur opus, nec huius articuli breuitate tantam concludi fas fuerit maieſtatem. Quod ad præſens attinere videtur, breui ſubiicimus.

Anno Pontificatus ſui XXIII. cùm nongenteſimus quinquageſimus primus Dominicæ Incarnationis ageretur, matrem prædictam loci ipſius reparandi quia vetuſtas & breuitas monere videbatur, cupido cepit immodica. Id per ſe, quoniam non niſi ſacro corpore interim ſubmoto fieri poterat, non præſumens, quid animo conceperat, Epiſcopo intimat. Ille de fabrica vt fieret gratum omnino habens, ſuámque benignè pollicitus operam, de ſubleuatione ſacri corporis diu cunctabundus tandem Domini ſuper hoc voluntatem vt exquirerent, imperauit: communicato deinde negotio patribus tunc venerandis Einoldo, de quo præmiſimus, & Anſteo æquè Viro Religioſo, è proximo Sancti Arnulphi Collegio, ipsíſque animos eidem Sancto Pontifici vel Abbatiſſæ magis addentibus, in communi decretum eſt, vt fieret. Inſtabat tunc dies Aſcenſionis Dominicæ in quem populus vniuerſus Miſſarum ſolemniis condictò iuſſus adeſſe, Præſul Reuerendiſſimus poſt verbum ſacræ diei populo redditum, de hac ipſa re palam aperiens, Domini miſericordiam cunctos monuit exorare, vt proſperum conatibus fidelium ſuorum largiri dignaretur effectum. Quod cùm in craſtinum ſextæ feriæ multa cum deuotione ſacris ædibus circumquaque luſtratis alacritet peregiſſent, in ſequenti mox Dominica omnes ad ſacrum confluunt locum. Ibi ab ipſo Sancto Pontifice miſſis dictis, itémque plurimâ exhortatione plebe in Deum animatâ, cunctis acclamantibus, & miniſtris ſacrorum ſolitis ſupplicationibus preces in cœlum tollentibus, ad arcam Virginis aperiendam Pontifex Venerandus, cúmque eo Patres Monaſteriorum ſimul & ceteri ex Clero Religioſi dignè Deo Sanctęque Virgini ſubmiſſi reuerenter accedunt. Móxque Sacroſanctos artus loculo tunc pro tempore præparato exceptos in proximam quandam domum interim conſeruandos tranſponunt. Eadem die à parentibus quidam illuc dæmoniacus adductus cùm penes loculum in domo eadem populo abſcedente eſſet relictus, poſt modicum interuallum Domino & meritis Virginis ſuffragantibus à veſano ſpiritu eſt liberatus.

Sub ipſa ferè hora Sanctimonialibus à loco, in quo ſacrum corpus extulerant, ad corpora curanda reſidentibus, puerulum naturali membrorum compage damnatum, penitúſque ab ipſa natiuitate contractum baiulus vt brachio ferebat Eccleſię intulit. Inde à quadam ex Sanctimonialibus intra domunculam, quâ corpus Santiſſimæ Virginis ſeruabatur, ſub ipſo loculo ſolus relictus, parua mora intercedente nimio repente clamore puer emiſſo ad vocem cæteris accurrentibus membris officio naturæ directis, ſanus diuino auxilio eſt inuentus. Hunc multo poſtmodum tempore eadem incolumitate gaudentem proſpero vbique gradu conſpeximus ingredi.

Alter itidem puerulus oculis captus, ſed & quorumdam membrorum inæqualitate confectus, alio ferente illò deportatus, & ante loculum proiectus, [illegible] & cæterorum membrorum integritate virtute Chriſti & obtentu Sanctiſſimæ Virginis repentè cunctis ſtupentibus & gratias Deo clamantibus eſt muneratus.

Plura deinde & vſque in præſens tempus penè quotidie cum fide petentium ibidem Dominò Chriſto operante exhibentur ſolatia, tum corporum, tum quod præſtantiſſimum eſt, animarum. Vbi conſcientia vniuſcuiuſque ſupplicantis perſentit, quantam inde efficaciam precum ſuarum reportet, & niſi diffidentia ſola retundat, verè Chriſti certus fatebor, nullius illic ſuſpiria, nullius gemitus, vel lachrymas pleno corde profuſas, quæcunque illa fuerit neceſſitas, vel anguſtia, inde aliquando vacuo fructu reuerſas.

IOANNIS

VITA IOANNIS GORZIÆ ABBATIS.

Ex veteribus membranis præ madore in pleriſque locis iam exeſis quarum Apographum bona fide conati ſumus Lectoribus repræſentare.

PRÆFATIO SEQVENTIS

Hiſtoriæ de vita Domni Ioannis Gorziæ Cœnobij Abbatis, aliorúmque plurimorum qui cum eo vixerunt.

NOSTRVM in omnibus quæ piæ, probæ vel honeſtæ vitæ ſunt rari noſtræ ætate exempli Patrem Ioannem, iam pridem eo adhuc ſuperſtite, animus erat ad multorum profectum ſcriptis proponere. Et ne tantus vir ex nimia deſidia, quod nefas vtique non ſine reatu reputaretur, obſcuri nominis famâ tectus lateret, literis qualibuſcunque committere. Interea nobis diuerſa curantibus, & pro otio impeditius forſitan negotium expectantibus, ſpes in longinqua male porrectas caſus rerum, vt aſſolet, repente præcidit mortalium. Nam dum cunctamur, idem vir Sanctiſſimus initio Sanctæ Quadrageſimæ prima ipſa die poſt horam veſpertinæ refectionis ſanè, vt ſibi ſemper moris, parciſſimæ, id eſt panis tantùm & aquæ, acutiſſimâ febre corripitur, quam poſt quintam exinde diem exitus eſt ſubſecutus. Tum verò ac ſi per ſera ſuſpiria altius nobis tempora eatenus tam præſentia ex manibus prærepta ingemuimus, qui vtique, quæque dicenda eſſent de ipſo, ab ipſo meliùs, dum aduixiſſet, ad quem ſcilicet, ſi quo opus fuiſſet facilis eſſet recurſus, diſceremus, ſi tamen quiſquam ille intimus ei exiſteret, qui aliqua ex eo extorquere ſe poſſe confideret, adeò humanæ ſemper fugitans gloriæ, quidquid egerat ſoli operum ac cordis ſui teſti committebat. Sed miro modo vt gloriam quique appetentes ab ea amplius deſeruntur, ita è contrà ſe fugientes ipſa magis inſequitur, vnde Sancti viri, quantò latere deſiderant, tantò conſpectiùs licet inuiti produntur. Hoc igitur caſu mente pene conſopita, cùm à tantæ rei, quam dudum conceperamus exorſu nos grauiter deieciſſet, quid rurſum iacentes ac deſperatos paulatim in vires reduxerit, ac deinde iam volentes magis ac magis impulerit, fermè id fuit, cùm vir ſanctus ex tam valido, vt dictum eſt, morbo lecto ſtatim decubuiſſet, feſtino mox nuntio, qui circumquaque curam Monaſteriorum habentes ſumus inuenti, ad ſe in craſtinum omnes contraxit, è quibus nulli diuino neminem tunc contigit defuiſſe, additis ex primoribus domus Sanctæ Sedis Beati Stephani viris Religioſis, ad hoc minorum quorumcunque turba non modica. Ille ſingulos accedentium ex lecto ipſo in oſculo ſancto, vultu admodum gaudente, exceptos, ac pro tempore & re cauſis aliquibus determinatis, tum præterea cunctis in commune ſolita ſibi ſemper exhortatione, quantum morbus patiebatur, de infelicitate huius, de fælicitate alterius vitæ pauca loquutus, multitudine valefacto dimiſſa, Patres Reuerentiſſimi Radhroc, Berhardus, Hudo, Adelmodus, cúmque his ego infimus cum nonnulla parte noſtrorum ſancto tum exitu illius obſeruando ſubſtitimus. Ibi per quatuor quibus ſuperfuit dies, admixtis pariter loci eiuſdem ſancti Collegij Fratribus, qui vnice ei famulatu aſſiduè inhærebant, dum ei triſti admodum officio aſſidemus, atque ex eius ſacro ore; quo & inter ipſa vitæ mortiſque certamina doctrinæ ſalutaris gratia profluebat, pendemus varii inter nos edi ſermones ceperunt quomodo ſummus ille opifex cunctorum diſpoſitor & ordinatiſſimus moderator, hunc tanto tempore ſibi fideliter famulantem (quadrageſimus ſiquidem in ſancto propoſito annus ei tunc erat) tam acerrimè circa exitum ſineret fatigari: neque enim vehementiori eius quam alias diſcrimine intremuimus. Pia verò potius vnicuique cogitatio æſtuabar, ſi fortè pro atteſtandâ vitâ eius probatiſſimâ aliquo eum Dominus ad gloriam ſuam euidentiori declarare dignaretur indicio. Inter hos fluctus animorum cùm fere nulla ægris mentibus clarior aura rationis ſe aperiret, ſibi tantùm quiſque diffiſus ex dolore nimio reputabat, quid ſibi fieret, cùm nec illi tantæ perfectionis viro ſupera parceret diſpenſatio. Sed hanc temerariam mentis affectionem ipſa

citius ratio reuerſa compeſcuit. Qui certis vtique ſcripturarum documentis reuincebamus, & vitam hominum, non in oſtentatione corporum, ſed in virtute æſtimandam meritorum, & morum: nec attendendum, quo exitu quiſque hinc exeat, ſed qualis exeat. Quacunque enim occaſione moriendum omnibus ineuitabiliter eſt, mors vndecumque pio bonum eſt. Nec refert innocentem mori naufragio, an febre, dummodo innocens ſit, & ſiue hinc, ſiue inde moriatur, quærendum qualis ſit, qui moriatur; quo poſt mortem iturus eſt. Non vnde de vita exiturus eſt His & huiuſcemodi firmamentis liquidò ſatis collegimus illam examinationem viri iuſti, quam quidem ipſe, vt inter cuncta ſemper inflexibilis, ſapienter & æquo animo tolerabat, non modò laudi illius nihil detrahere, ſed ad amplioris quoque meriti fructum accedere: nam electis qui ad perpetuam vitam tendunt, quid obeſt, ſi aliquando durè moriuntur? Nec item ſignorum vel miraculorum nouitatem pleruinque differentiam facere ſanctitatis, vel inde patenter oſtenditur, quòd per malos hæc aliquando fiant, multóſque Eccleſia ſummo honore memoriis ſtudioſè extructis colit, de quibus an vno ſaltem ſigno claruerint, reticetur. Iamque vt cæteros taceamus, Ioannes ipſe, quo nemo natis mulierum maior, teste Euangelio, ſignum fecit nullum, & dum in carcere gladio feriretur, vtrum vel extrema qualibet nota à quolibet homicidarum ſeu latronum diſtiterit, perpetuo omnium ſcripturarum ſilentio conſopitur. Proinde fruſtra aliquid eiuſmodi ſplendoris corporei in commendationem tanti viri deſiderari, de quo firma ſatis & abſque cunctatione fides conſtaret, éaque in operibus ſuis, & ſancta conuerſatione atque indefeſſa vſque in finem in bonis perſeuerantia viſa ſint ſignis omnibus mirabilibúſque præſtare, & ſaluti animarum non ſine plurimo fructu conducere. Cùm hæc & multa his ſimilia in eodem ſancto conuentu multis confabulationibus fererentur, vniuerſis in eandem ſententiam venientibus, vtile nimis & perneceſſarium iactabatur, vt eiuſdem Beati viri conuerſatio, in quantum vel videri potuerit, vel maiorum relatio docuiſſet, ad multorum profectum ſe digna memoria ſcriberetur. Ego iam inde ab initio tanti negotij auidus hac conſultatione factus accenſior, etſi tenuitatis ingenii non immemor eram, ad hoc & mens laboris præſaga ab aliis ad me reuoluendum perſentiret, voce tamen cæteris addita, vt fieret item itemque ingeminabant. Cùm dubiæ cogirationi metus continuò ſucceſſiſſet, méque omnes ad hoc potiſſimnm delegiſſent, inter ruborem & auiditatem temporis articulo deprehenſus, dum quid deliberarem non facilè occurreret, tandem impatientia vicit, méque ad quod ſoluendum non ſufficiebam nimiùm præceps & impudens obligaui. Et planè fateor vt improbum ſcriptorem me ſumpſiſſe materiam non viribus æquam, ſed ſpes tandem ea ſolatur quòd miſeratione diuina quidquid illud erit oneris meritis eiuſdem viri, qui certa fide mea in præſentia claritate Chriſti aſſiſtit, leuandum non dubito, & qui licet immeritum, dum nobiſcum eſſet, ſancta familiaritate ſua non iudicauit indignum, nunc piè operi ſui amoris infantem ope amicæ olim pietatis, pro gratia ſua, vt liberè præſumo, non deſeret. Præterea cùm plurimos ſanctorum virorum deinceps ceperim hortatores, accedente præcipuè, tanquam pulcherrimo culmine totam fabricam miro lumine venuſtante, Domino & præcellentiſſimo præſule, gloria tam diuinâ quàm humanâ clariſſimo, Deoderico noſtro ſpeciali patrono, & non modò hortatu; verũ quod ineuitabilius eſt, iuſſu me impellente, tantorum mihi ſuffragia non defutura confido, vt quod ex me eſt impoſſibile per eos, quorum voluntati parere deſidero, ea, de cuius plenitudine omnes quod habemus boni accepimus, gratia ſuperna ſupplere dignetur. Quæ igitur à primis geſſerit annis, quorum raram admodum ad nos conſtat perueniſſe notitiam, in medium relinquentes, ea tantum, quibus in virum perfectum aſſurgens, plurimo videntibus & imitari volentibus emolumento fuit, vt miſericordia Chriſti ſtylum regere dignabitur, expedire tentabimus. Primò videlicet quanto in ſæculari adhuc habitu degens bonæ actionis germine viruerit, vel qualiter ipſa optima fruge in terra ſui cordis vberius fructificante, ad Monaſterialem inde vitam tranſierit. Deinde quo ſtudio in eodem ſancto propoſito, quo labore, qua iugiter vigilantia in omni virtutum exercitio, & prius in contubernio cæterorum ſub maioris imperio, & poſtmodum in regimine ſubſtitutus locum, quem ſemel in acie ſpirituali ceperat, tenuerit; nec quocunque hoſtis impulſu gradu exceſſerit, donec Domino

ſecum certante, ſéque ſeruante victor euaſerit. Poſtremò quis ei finis feliciter conſummati certaminis fuerit, cui nos miſericordia diuina etiam præſentes fuiſſe conceſſit.

TEXTVS IPSIVS HISTORIÆ.

Ab Auctore Anonymo quidem, ſed vt conſtat coætaneo, magna fide conſcriptæ.

PRÆCEPTA ſecularis doctrinæ, quæ Rhetorica dicitur, in perſonis ſingulis demonſtrandis inter cætera eſſe traduntur, vt maiores illius, qui prædicandus eſt, altius repetantur, & ita per gradus quaſi filo quodam ad ipſum linea deducatur, tanquam ex illis, ex quibus originem ducit, illuſtrior eſſe poſſit & clarior. Comparatione ducta ab arbore, quæ annoſa iam in ramis aruerit, vt ſterilitatem, inquiunt, ramorum radix fœcunda compenſet, & quod in fructu non teneas, miteris in trunco. Fuerit hoc inſtitutum illorum, qui tantum, quæ carnis ſunt, ſapiebant, & non tam de propriis vnumquemque clarè vel obſcurè geſtis, quàm de alienis famoſos reddi vel infames putabant. Cùm extet contra ratio pleroſque ex obſcuris ſæpiſſimè claritatem; ex clariſſimis item alios probroſæ vitæ calamitatem mutuaſſe. Longè autem diuerſo itinere ab his noſtra incedit Religio, in quâ mentium ac morum potiùs ingenuitas & vera ſpiritus dominio vitiorum exuta libertas, quàm carnis vana ac tumens, & in morem fumi vaneſcens celebratur nobilitas: apud hanc de puluere ſuſcitatur egenus, & de ſtercore pauper erigitur, vt cum principibus cœleſtis populi ſedeat glorioſus. Nec deſunt probationi documenta, cùm Dauid ex paſcuis gregum in regnum: Petrus cum conſeſſu paupertatis, ex retibus piſcium in orbis totius attollitur principatum. Quæque abiecta ſunt mundi & ignobilia eliguntur, vt potentia & nobilia confundantur. Dicente autem ipſo huius principe inſtituti, *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè liberi eritis & veritas liberabit vos*: quod non eſt aliud niſi liberos vos faciet, itemque ipſius principis præcone, *vbi ſpiritus Domini, ibi libertas*; Cuicumque de tanto munere libertatis gloriari licebit, fruſtra ei illius antiquitatis enumeratio, & nomina, cineréſque maiorum in laudis titulo conquiruntur, niſi forte ſpiritui carnem prætulerimus, cuius caduca nobilitas illi permanentis dedecus ignobilitatis ſuperducere conſueuit. Sed quorſum hæc tam longis anfractibus circunducta? Quoniam ſcriptoribus quibuſque in quolibet, quem dicendum ſuſceperint, talia fere ex more ſumuntur initia, vt qua regione terrarum, ſub quo cœli climate, cuius linguæ, vel gentis, quâ conditione, cuius fortunæ parentibus prodierit quaſi pro viribus futuræ rationis primo ſtatim iaciat fundamento. Quod ego in hoc noſtro quem tam copioſa ſpiritus generoſitas commendat ſuperfluum iudico laborari cùm eum tanta conſummatæ virtutis gloria, tot perfectorum retro virorum proſapiæ ſic aut æquet, aut proximet, vt quid fœlicium operum dignis de illis laudibus celebratur, in iſto velut mundiſſimo ſpeculo totum reſplenduiſſe monſtratum ſit. Ne cui tamen curioſiori minus feciſſe, & tanquam ex inopia materiæ hanc dicendi partem ſermo ſubterfugiſſe culpetur, quàm ſuccinctè ſi qua fortè talium inferere oportebit comprehenſis melioribus & fructu ſalutari pleniſſimis tempora transferantur. Oriundus itaque hic Ioannes in territorio fuit, partim Metenſi, partim Tullenſi, villa olim regia vocabulo Vind[illegible]a, parentibus vtique non nimium obſcuris, ſubſtantiæ ſanè locupletioris. Pater prouectæ, omnino ætatis, vt fere nonagenarius crederetur, inter ſuos in facultate ſufficiens omnibus æquus & bonus ac ſine querelâ habitus, vſque ad infimum quemque cunctis ſe præbens accommodum: dumque ruri intentus ac regendæ familiæ, quam ſecundum mediocritatem vitæ non minimam procurabat, plura ei iuſto labore ſuccreſcerent, eſſétque poſſeſſionibus, ſumptibus, pecunia, ex benedictionibus Domini admodum auctus, hoſpitalitati, eleemoſynis, Eccleſiæ quoque, prout poterat honorificentiæ, cæteriſque bonarum fructibus actionum ſtudioſiùs inſiſtebat. Coniuge denique liberioris generis in æuo ſenili iunioris ætatis ſumpta hunc Ioannem, duoſque poſt ipſum procreat, ipſe in domo paterna cò teneriori cura educatus, quò annuus ſenis vt ad id ætatis

editum omnem impatiens arcebat iniuriam; literarum tamen primis vix elementis traditus addiſcendis aliquandiu non longe à conſpectu Patris poſtmodum licet ægrè eodem patre ferente Mettis eis, quæ tunc eſſe poterant, Scholis instituebatur. Nonnullo etiam tempore in Monaſterio Sancti Michaelis ſuper Moſam fluuium ad ſtudia moratus eſt, vbi tunc temporis Hildeboldus quidam grammaticam profeſſus ex diſcipulis Domni Remigij doctiſſimi ea ætate Magiſtri Scholas habebat. Cuius doctrina, vt ipſe multoties poſtea fatebatur, incertum incuria, an quodam, vt apparebat, ſupercilio, cùm tamen à patre ſæpiſſimè non mediocriter muneraretur, macram ſatis frugem ſcientiæ eum contigit retuliſſe. Patre iam inde breui deficiente, cùm ipſe adoleſcentiam iam videretur ingreſſus, poſt aliqua, Matre vt pote iuniore thalamum innouante, ſolus fratrum, totiúſque familiæ domeſticæ curator relinquitur. In ea parte actualis ſcientiæ vel rerum omnium domeſticarum adminiſtratione, quàm ſtrenuus, cautus, & ingenio cæteris propemodum hominibus præſtantiori emicuerit, vt agro, pecore, familia, & his inſtituendis atque alendis ſubſtantia non medioeri locupletatus, deinde in artium diuerſarum, quę ad variam ſupellectilem vſui ſunt, exercitio & diſpoſitione, quantum valuerit, vt ferè in mundanis negotiis nihil eſſet quod eum præteriret. De his omnibus ſilere melius puto, quàm parum dignè conſcribere, præſertim cùm multorum adhuc horum reminiſcentium teſtimonia ſufficienter ſuperſint, ex quibus ſi quos hæc cura pulſat, facile poſſint doceri. Vſque ad exactam itaque virilem ætatem in domo propriâ verſatus, diuerſorum, tam ſecularium, quàm & Eccleſiaſticorum honeſtæ duntaxat vitæ hominum, familiaritate in variis officiis & negotijs per omne idtempus, prout opportunum fuit, adhæſit: ex quorum contubernio optimam ſibi formam viuendi exemplúmque conduxit. In domo Comitis Riquini præſtantiſſimi ea tempeſtate, & in omni genere agendarum rerum prudentis & ſagaciſſimi per annos aliquot conuerſatus plurimum exinde ſibi cepit profectum. Nam & Eccleſiam villæ ipſius, ex qua ortus eſt, dono eiuſdem Comitis poſſidebat. Dadonis etiam ſummi ingenij & famoſiſſimæ ſanctitatis Epiſcopi Virdunenſis non paruo tempore frequentia vſus eſt, qui ſibi quoque eum ob bene meritam indolem viuáxque in eo perſpectum ingenium perpetuum facere cupiebat. Sed quas ob cauſas non obtinuerit, parum comperimus. Cuidam deinde nobili viro Vvarnerio in confinio Tullenſi cauſa Eccleſiæ Sancti Laurentii in villâ Fontaneto eidem ciuitati adjacentis ſe nomine Domini ſocians eius officijs quàm familiariter inſiſtebat. Eâ occaſione Tullo ei tunc temporis frequens recurſus, quia cum hæc ex proximo altera quoque quàm ſimul genitalis ſoli retinebat Eccleſia eiuſdem erat Diœceſeos. Vnde Bernerum Diaconum ipſius ſanctæ ſedis in ſubiectione Eccleſiaſtica ſortitus Magiſtrum, virum ſanè & opinione ſanctitatis & literarum ſcientia eò loci ſatis celebratum, ſtudio lectionis apud eum intentiori curâ operam tunc cœpit impendere. Altius autem ſibi eatenus ſic tempore prætieriiſſe dolebat, vt de integro rurſus Scholas innouare cogeretur. Puerulus ſiquidem in diuerſa, vt dictum eſt, pręceptoribus ad ſtudia commiſſus, quantuluncumque autem inde vaporatam retuliſſe viſus erat, totum id conſequentium curarum mole pene ſopitum amiſerit, ſed facilitatem ingenij, gratia iuuante diuina, ea citiùs damna lucri ſequentis felici reparauit ſucceſſu. Prima itaque elementa Grammaticæ, primáſque tantum partes Donati ex ipſo Bernero audiuit, eáque introductoria aſpetſione contentus diuinis ſe omnino tranſtulit ſcriptis, in quibus intra breue tempus tantum intelligentiæ prætulit lumen, vt omnium nouo miraculo quaſcunque ſapientum non difficulter occurreret quęſtiones. Eccleſiam porrò S. Laurentij, quam diximus, vnico amore excoluit, & in miniſterio Eccleſiaſtico neceſſariis quantum religioſiùs potuit exornauit. Quotiens, denique vacuum erat, ſtrato ibi locato per plures dies inde non recedebat, noctéſque crebetrimas orationibus continuabat, & quanquam ſeculo adhuc voluptatem laxare videretur, ſecretiùs in oculis Domini pro locis & temporibus ſpiritalibus inhiabat. Ibi fœminam quandam ex gynæceo Domini ſui diuinis officiis ſubleuamine deputauit, quæ vt integra corpore loco ſancto eſt tradita, ita vſque ſub debito fine naturæ ſancta manens carne & ſpiritu ſub ſtipe ipſius Eccleſiæ nulla vnquam attacta infamia felix conſenuit; ibidem quoque peregrinum quendã iam prouectę ætatis Preſbyterum exceptum, dum beato fine excederet, aluit & omni

cura feruauit, de quo plura bonæ actionis nobis Pater Ioannes narrare conſueuerat: quod ſcilicet operi diuino nocte ac die intentus, nullo ferè tempore præter corporeæ neceſſitatis curam limen Eccleſiæ exceſſerat, Pſalmos verbis, & ſenſu diſtinctè, vt penè ſyllabas eum recenſere putares, aſſiduè ore voluebat, oratione pura noctis plurimum occupabat cum ipſis cogitationibus voce ipſa confligens, eáſque quaſi manu diuerberans; abite, inquit, vani & ignaui, non mihi Pſalmiculum ore ſubtrahite. Ad Martyrem quoque plerumque querula voce clamitans: Laurenti, quid hic agis, cur non me ab his veſanis defendis? Dæmones variis proludiis ſibi obuerſari corporeis oculis teſtabatur, vt ſæpè ſibi infeſtiſſimi vſque in quoſdam corporis cruciatus deijcerent, lectóque per aliquot dies non conſurgeret: hic idem de ſe referre ſolitus erat, tempore, quo Nortmanni irruptionibus ſæuis circa Sequanam & Ligerim populabundi excurrebant, ſe ab eis comprehenſum, & in puteo quodam nimiæ altitudinis, quales in patriâ, quæ Belſa dicitur, plurimi conſpiciuntur; nam inde oriundus erat, deiectum in nullóque penitus læſum, inde item extractum, in alio profundiori præcipitatum, cùm nec ſic opprimi potuiſſet, eductúmque gladio ferire decerneret, tandem vno ex ipſis dicente, nec dum eum perueniſſe in genus tertæ, quo mori deberet, diuinitus, vt creditur, dimiſſum, cùm poſt aliquot horarum ſpatia Nortmannis prætergreſſis, puteo ſe reptando vtcumque exemiſſet, & iter ingreſſus fame pene deficeret; nam triduo iam ferè ſine cibo manſerat, repente in media via tres iacentes reperit panes, ex quibus vſque ad prædictam Eccleſiam Sancti Laurentij peruenit. Is ſine vlla cunctatione firmabat pſalmorum virtute, quos ſemper in ore verſabat, quos in ipſis etiam puteis conſiſtentem ſe aſſiduè decantaſſe fatebatur, de tot periculis liberatum. Ab eo idem Ioannes ſe ex multis, quæ forte leuiter geſſerat, crebrò monitum, & aliquando acriùs redargutum, multipliciterque correctum, ſæpius gratulari ſolebat. Sed & aliis quampluribus, ſi quos probatæ vitæ ac doctrinæ compererat ſolitario comitatu quamquam ſecreto interim adhærebat, paulatimque & quaſi per partes à quibuſcumque mundi oblectamentis ſubducens, caſtigationibus ſe actibus applicare ſatagebat. Paulo ante dicto Bernero Diacono maximè delectabatur, cúmque honore & officio ampliſſimo venerationi habebat, pro eo quòd non modò doctrina & vita eius, quæ item vicem gerebat doctrinæ, apud ipſum proficiebat; ſed & quòd ſi quæ in ſe reprehendenda fortè vidiſſet, nequaquam his vel ad momentum parcere nouerat, quin ſtatim ſeueriùs, & ſi ita res expoſceret, etiam publicè objurgaret. Erat idem Bernerus inter cætera, quę bono odore de eo fama reſperſerat, religionis, & præcipuè vitæ pudiciſſimæ à puero inſignis, in vitia mordax, vt nec ſuperioribus aliquando cederet perſonis; eloquij nihilominus multa ei venuſtas, & plurima in exhortando, & perſuadendo facilitas; cenſus ei non multùm ſumptuoſus, ſed nec omninò abiectus; ſimplici enim victu vel tegumento contentus, ſi quid tamen eorum fuerat lautioris cultus, & vt pene notaretur, erat. Ita vir puri animi ſordium exteriorum attactum prorſus, quadam ſibi inſita natura horruerat, tantúmque pudicitiæ virtus mentem eius totam peruaſerat, vt quo fortè loco mulierem ſediſſe conſpexerat, nullo pacto illa recedente eodem ipſe vel fatigabundus ſuccederet. Interea Ioannes & Metis Monaſterio Sancti Petri, vbi & domum vicinam habebat, ſub occaſione Eccleſiæ, quam tenebat, quæ cum villa propria eidem Monaſterio ſubjacet, hebdomadarius ſacri Altaris aſcitus, poſt aliquod quàm ibidem officium cœperat, tempus, tali ordine ſalutis ei occaſio diuinitus prouidetur. In collegio puellarum eiuſdem loci, quod nunc feliciter Domino miſerante procedit, erat quædam moribus & conuerſatione remotior, ac cæteris annis admodum puellaribus, nomine Geiſa, quam amita eidem religioſa ſecretiori apud ſe cuſtodiæ educebat, hæc Fredeburg dicebatur, ea itaque Geiſæ cum ad arctiora ſe quotidie ſanctæ conuerſationis extenderet, inter cætera ſancti propoſiti ornamenta, etiam ſub omni veſte cilicij vſum addiderat. Ioannes eius inſtituti adhuc parum vix aut omnino ignarus, dum quadam die, quonam incertum loco, cum ea familiaribus vt cum cæteris aſſolebat ſermonibus quædam inſereret, à pectore puellæ intra interulam, quæ fuerat ſubtilior, vmbram cilicij ad carnem latentis ſub dubio viſu proſpexit, manu protinus ad explorandum quid eſſet iniecta, vbi rem aſperior tactus edocuit ſtupore vehementi, & toto corpore tremore exhorruit, quid deinde hic habitus prætenderet, percontatus, verecundior illa & rubore vultu aſperſa, poſtquam aliquandiu obticuerat: Neſcis, in-

quit, nos non iſti ſeculo viuere aut deſeruire debere. Hæc ad quæ pleroſque deditos video vana prorſus & animarum perditionem eſſe perpendo: longè alius mihi animus ab his proprij tantùm periculi ſollicitam cogit exiſtere. Plura in hunc modum ſancti deſiderij verba cùm replicaſſet, Ioannes ab imo pectoris in arcta excitatus ſuſpiria: væ, inquit, miſero mihi & ignariſſimo, qui tandiu moras non modò ſteriliter, ſed etiam perditè viuendo protraxi: ſcilicet me virum hunc fragiliorem ſexum virtute præire oportuit. Nam ſummo probro & contumelia non ſolùm non conſequor iam ambulantem, ſed nec deſes & totus hærens terræ vllo motu progredior aut conitor. His igitur acrius ſtimulatus, & ſupra in alia amodo hac cuiuſquam exemplo virtutis accenſus, de perfectioris vitæ inſtitutione fixâ mente deliberat. Studium itaque lectionis diuinæ cum eiſdem Ancillis Dei ſumma vi ſtatim arripuit, & primum ſacræ Bibliothecæ hiſtoriam veteris ac noui Teſtamenti percurrens ex integro, deinde quæcumque in diuinis officiis certis temporibus in Eccleſia frequentantur lectionis libri, qui Comitis dicitur, Orationes, & ſi quæ ſunt Sacramentarij in vſus diuerſos, Regulas ſupputationum temporalium, quæ coram antedicto Bernero Diacono prius ex multa parte relegerat, memoriæ viuacitet vt nemo ſuperius commendauit. præcepta canonicæ inſtitutionis, hoc eſt decreta conciliorum, iudicia pœnitentium, ordinem actionum Eccleſiaſticarum, ad hoc & ſecularium edicta Regum ad vnum vſque vt ita dicam verbum corde recondita mitè continuit Homiliarum, ſermonum, ac diuerſorum tractatuum, in lectionibus Epiſtolarum, vel Euangeliorum, ſed & geſta Sanctorum ſi qua ſunt memorabilium, tantam concepit notitiam, vt quoties poſtmodum ei opportunitas forte acceſſiſſet loquendi, ac ſi præ oculis liber adeſſet à prima vſque in extremam ſententiam ex ordine tanquam viſa perſequens veſtigia verbis communibus vniuerſa reuolueret: cantibus Eccleſiaſticis ſub idem temporis inſudare nec erubuit, nec deſperauit, & licet nonnulli, vt alieniori ætate deludi tacitè riderent ingenium, pertinacia boni deſiderij quamuis duro eluctato labore prorſus euicit. Hæc ei interim Sanctorum negotiorum otia cum prædictis Ancillis Dei fuere, ex cuius etiam Collegij multitudine pleraſque ab infimis delectationibus ad cæleſtium deſideriorum flammas igne diuini eloquij permutauit, quæ nunc vſque teſtes ordinis vitæ virtutumque exiſtunt. Iam vero in cæteris exercitiis ſpiritualibus, continentia, ieiunio, vigiliis, orationum frequentia, vel reliquo labore corporeo, carniſque caſtigatione, quanta ſe virtute accinxerit, & de die in diem melioribus ſe præparans, gratia Chriſti comitante in vlteriora ſemper tetendit, ſequentium atteſtatione operum fortiſan melius demonſtrabitur. Ad mundi contemptum & facultatum renunciationem ex integro omni deſiderio æſtuabat, ſed quo locorum ſe conferret, non facile præuidebat, adeò exemplorum copia ſe ex tota hac regione ſubduxerat: nec vllum omnino Monaſterium in cunctis Ciſalpinis partibus, ſed & vix in ipſa Italia audiebatur, in quo regularis vitæ diligentia ſeruaretur: quia igitur, quo ſe verteret, ignorabat quod ſolum poterat virorum quorundam, quos fama fulgentior à ſecularium conuerſatione ſejungere videbatur, frequens limina obterebat, eorúmque actionibus intentus, nec in collaborando inferior, menſem plerumque aut eo amplius, nunc in iſtius, nunc in illius contubernio, & quoquo poterat obſequio exigebat. Metis per id temporis duo continentis vitæ præconio ſatis celebres habebantur: Alter Rolandus ſcholæ cantorum in domo Sancti Stephani præſidens, & in remotioribus oratorijs Sancti Michaëlis, quod erat in ſuperiore eiuſdem Baſilicæ S. Stephani, orationibus, Pſalmis, Miſſarúmque celebrationibus, noctes diéſque continuans: Alter Warumbertus apud Baſilicam Sancti Saluatoris non longè à clauſtris Clericorum pari nihilominus ſtudio in rebus diuinis Chriſto deſeruiens, quorum vitæ omnibus acceptiſſimæ teſtes adhuc multi ſuperſunt: ex quibus, ſi quis velit, pleniùs poteſt addiſcere. His itaque non paruo tempore cohærens, & multo diuini operis laboré ſeipſum exercens etiam apud eandem Sancti Saluatoris Baſilicam retruſionis Cellulam, in qua perpetuo clauderetur, adorſus eſt. Sed credo loci incommoditate offenſus, vtpote medio vrbis, & potius ſecreta quælibet ſyluarum animo meditatus, interim ſtatuit differendum, auditâ interea famâ viri venerabilis Humberti, qui Virduni recluſus, & ſcientia literarum ſanctarum, & laudabilis vitæ teſtimonio clarus, & merito Sanctus ab omnibus eò loci habebatur, celeriter ad eum contendit, & breui mutuis confabulationibus animo inter ſe coadoleſcentes

aliquot dies cum eo exegit. Omnium ibidem exceſſuum ſuorum puram confeſſionem deponens, ex eodem venerabili viro formam pœnitentiæ cepit, carnibus vt putatur ab ipſo tempore omnino abſtinuit, & ieiunia ſibi ſemper amica infatigato rigore arripuit: cùm verò comperiſſet, & alterum quendam ſolitarium in vicinia eiuſdem ciuitatis intra remotiora ſaltus, qui Argonna dicitur, commorati etiam hunc eadem feruoris inſtantia adiit ſi forte ibidem deſiderio diu concepto de heremi habitatione ſatisfacere poſſet, hic autem ſolitarius Lābertus nomine, & moribus & [illegible]ientia omnino ruſticanus erat, & niſi quod multus labor, quo ſatis ſuperque duriſſimo, & velut irrationabili ſeipſum atterebat, eum aliquatenus in rebus diuinis commendabat, aliàs ſtolidus & agreſtis totus parebat, vt qui fortè infirmiorem eum conſpexerat, riſum tenere vix poſſet: tegendi corporis etiam & verecundiorum ei cura poſtrema: ſimiliterque cibi vel potus longè cæteris mortalibus vſus diſſimilis, modium integrum farinæ in vnum plerumque panem redegerat, qui menſem aut certè duos ei ſufficeret, donec præ nimia duritia niſi ſecuri non poſſet effringere, indéque ſibi particulam ad pondus quotidie præriperet: item lebetem permaximum olere ac legumine ſimul plenum in vnum excoxit quod repoſitum quotidie dum quid reſidui fuit ad menſuram aqua cruda reſolutum percepit, ſubitò quolibet mentis impulſu ex eremo ſe proripiens, villas & ciuitates ſubintrauit, itemque repente cellulæ ſe condidit, noctis plerumque medio Miſſas exorſus, etiam ſi ſic animus tulit, veſperi, aut ante, aut ſub lucis crepuſculo, poſt bidui triduíve ieiunium, vt defectio corporis fuit, non diei non noctis vllum tempus in reficiendo ſeruatum eſt. De cuius conuerſationis vario preludio Ioannes nihil motus, multotiens etiam tantas in imbecillo corpore vires cum quodam ſtupore ſecum compenſans, erat enim macie & ſqualore nimio confectus, cum eo aliquandiu eſt commoratus. Cellulam quoque ſibi ad habitandum compegit. Plures tunc ex vicino ciuitatis illuc viſendi gratia venientes, & quæque neceſſariis vſibus conferentes, non minimum in ſancto deſiderio accendebantur: inter quos & præfatus Humbertus plerumque accedens, ſubindéque recedens nonnunquam & aliquot dies ſubſidens. Et quidam vir, natione Britto, Andreas nomine, liberalibus apptimè ſtudiis eruditus, ſed & animi virtute præpollens, & quod his magis eſt in diuina admodum ſtudioſus. Hoc de patria inſula infeſtatione Normanorum cunctis eiuſdem inſulæ incolis, aut occiſis, aut fugatis, cum pluribus aliis doctis æquè ac ſapientibus viris pulſus à Reuerendæ ſanctitatis Epiſcopo Dadone, cuius ſupra mentio facta eſt, in Monte-Falconis cum nonnullis, qui cum eo aduenerant Brittonibus exceptus, & ſatis liberaliter eſt procuratus. Cum his communicato conſilio, vtrum loco eodem ſibi ſalubre ac frugiferum eſſet manere; illi vt cauti ei illius portentoſi [illegible]itatis Heremitæ morum non ignari ab eius cohabitatione omnimodis animum deflexerunt. Maximè eodem Humberto ſuadente, vt Romam ad memoriam beatorum Apoſtolorum ſupplicatum prius adire tentaret, quod iter ipſe iamdudum Deo propitio exegerat, & ſic demum vita comite rediens, quod in commune ratio demonſtraret pariter exequerentur. Mox moras omnes animi feruore diſrumpens, ſumptu ſane non ignobili facto, iter magna ope maturat: ſociatus eſt ei Bhernaeer quidam clericus multo ante tempore cum Warimberto illo, de quo ſupra dictum eſt, Mettis apud Eccleſiam ſancti Saluatoris verſatus, manu libraria cæteris eius temporis non inferior, cauendi diſciplina admodum præſtans, ſed & artis calculatoriæ ſtudioſiſſimus, cæteróque ingenio in rebus non minimùm pollens, tenui quidem re, ſed deuotione in diuina optimè cumulata. Poſtquam verò Romam veniens vota ſancti deſiderij circa loca quæque ſancta expleuit, cupido eum in vlteriora tendendi amplius cepit, ibíque aliquibus ex comitatu relictis ipſe cum prædicto Bernaero, paucíſque quibuſdam expeditior vſque Montem Sancti Angeli, cognomine qui Garganus dicitur, ocyus percurrit. Ipſo tamen itinere Montem Caſſinum Beato Benedicto inſignem & congregatione Monachorum frequentem conſcendit, cumque ipſis ſeruis Dei aliquot dies remoratus ſancti præpoſiti veſtigia, quæ ibi nonnulla ſupererant, curioſiùs explorauit. Interiora etiam illa marini ſinus, quæ ciuitati Neapoli adjacent, ſeruorum Dei habitacula, ſub nomine Sancti Saluatoris, Montem Bebium haud procul perpetuo vapore fumantem miratus penetrauit, eorúmque orationibus ſe commendans non nihil benedictionis ex his quæ ſecum tulit eiſdem ſeruis Domini largitus eſt. Tandem Chriſto duce, felici curſu & cunctis ſibi proſpe-

rè cedentibus domum regreſſus, nec mora monitore ſuo Humberto, conuento [illegible] ſilio ipſius, quia locus deſideriis eorum aptus nuſquã occurrebat, ſecum interim domi ſubſiſtere, & ſi qua piæ actionis poterat ibidem exercere, quanquam admodum ægrè ſatius duxit. Eratque vt pote qui figuram huius mundi præterire quantocyu[s] attendebat, habens tanquam non habens, emens tanquam non poſſidens, vtens hoc [illegible] tanquam non vtens, & iam totus cæleſtibus flagrans, ſpecie ſolares tranſi[illegible] diſponere videbatur. Cæterum vitæ eius, in quo à Monach[orum] inſtituto differret haud facile quiſquam diſcerneret, ita pernox in vigiliis, orationibus noct[illegible]eſque conjungens, lectionibus ſacris ſtudio vix aliquando intereiſo inhær[illegible] que caſtigatione corporis ſe ſe coërcens Crucis auctorem ſatis in ſibl[illegible]e Cruce leuatâ niſu indefeſſo quotidie ſ[e]quebatur. De [illegible] [illegible]orum ip[illegible] an quid ſermo dignè valeat explicare, prorſus non [illegible] [illegible] tanta [illegible] initiis ſibi indixit, vt ſi qui forte erant ex ſibi adhærentibus, qu[illegible] re [illegible]rant, miraculo ſtuperent [illegible], quomodo vel extremo [illegible] in [illegible] [illegible] [illegible] qu[illegible] [illegible]tius in augmentum admirationis p[illegible]m diem [illegible] [illegible] [illegible] vl[illegible] cibo ac potu, vt nec modic[illegible] guſtare [illegible] [illegible] [illegible] integritate, & facie lætiori a[illegible]lis & conſtan[illegible] [illegible] incederet. Id verò ipſum ex ore ipſius nobiſcum confa[bulantis] [illegible] audiuimus, quod in diem alterum frequenter omni cibo vel p[illegible] extraxerit. Fatebatur enim dum quidam fratrum dura aliqua re[illegible] aquam in potu male ſibi conducere quererentur, nemini æquè ac ſibi [illegible] continuo vſu vini aquæ perceptionem exoſam fuiſſe adeò inquiens, vt [illegible] diu mihi vino fuerat abſtinendum, aquam ſtomacho nauſeante, panem [illegible] ipſum per totam diem cum omni cibo funditus reſpuerim prætetea quam [illegible], & vnquam ne quis ſe prior irrueret feſtinus armaturam cæleſtem induerit, [illegible]que robore contra virtutes contrarias bellum Chriſto fretus ſuſceperit, carné[que] ac ſpiritu reluctantibus, cùm pars melior de palma ſemper contenderit, ta[men] ſemper periculi metuens rediuiui, brachia nunquam remiſerit, vt que inter [illegible] vitiis hinc propulſis, virtutibus hinc intromiſſis, ædificium morum optimè com[illegible]rum ſtructurâ perpulchra erexerit, magnorum ingeniorum vires vix poſſe [illegible] exiſtimo, cùm certè hæc ad ea, quæ diuino munere pòſt in conuerſa[tione] monaſteriali peregit, initia quædam velut & abiecta valeant reputari. Hæc [illegible] intra abdita domus Deo ſolo teſte vix aliquibus ex familia con[illegible] cauens omnino ſcire ſiniſtram, quid faceret dextera, & vt tene[illegible] virgultum prius quàm ſufficienti irrigatione radicem defige[ret] [illegible] ventorum contractum non bene credulum deuitabat. His ergo, [illegible] [illegible] [illegible] aquanda ariditas ingenij minime ſufficit, prætermiſſa, [illegible] [illegible] exequamur. Sanctus Pater & vnicum in his regionibus p[illegible]modum [illegible] Monachorum domnus Einoldus ipſo tempore Tullo in ſummo omni[um] bon[orum] exemplo vitam ducebat. Is in ſcientiâ literarum, tam ſecularium quàm diuinarum, [illegible] tempeſtate inter ſuos nulli ſecundus cùm eſſet, ſedis eiuſdem primo quidem Primiſcrinius; poſtea autem etiam primus Archidiaconus, cunctarúmque [illegible] affluentia dilatatus, amore cęleſtis deſiderij tactus, cunctis, quæ habuerat, vſque ad ſiliquam, vt dicitur, diſtributis, tantùm ſimplici veſte retenta, & libris ac veſte Sacerdotali, in cellula Clauſtro Clericorum adhærente ſe ſe cohibuit, & triennium ferè in ſumma & ardua continentia vitam agens raró vſquam, præterquam ad Eccleſiam Miſſas celebraturus, aut nocturnæ orationis obtentu proceſſit: famulo tantùm vno contentus fuit, qui ad quæque forinſecus neceſſaria mittebatur. Nam niſi quæ Epiſcopus loci vir venerabilis Gauzlinus, in miſericordiæ operibus ſanè memorabilis aut Religioſorum quicunque miſiſſent, nullis aliis ſuſtentabatur. Clientulus quoque ex Clericis vnus, qui Miſſas celebranti aſſiſteret, derelictus. De qualitate indumenti, cibi, vel potus, qua ei lieij aſſiduitate ſe ſe damnauit ſuperfluus eſſe vereor in dicendo, cùm etiam copiam quamcunque verborum operationis ipſius ſuperet magnitudo. Sic dum die quadam ſolus reſideret in cellula, vocem derepente vnde aut à quo editam neſcius claro omnimodis ſono hæc audiuit dicentem: *Suſtollam te ſuper altitudines terræ & cibabo te hæreditate Iacob Patris tui: os enim Domini loquutum eſt.* Hæc paululum inde attonitus, & ſecum vt ſit multa animo repu[t]ans, poſtquam miſſo circum-

circũquaque miniſtro, ſi fortè puerorũ aliqui è ſcholis vicinis, dum recitant, hoc protuliſſent, ac neminem toto id temporis ſpatio in quolibet loco contiguo fuiſſe renuntiante, vir prudentis ingenij, gratiæ diuinæ ſibi oraculum in ſpem fiducialiùs deinceps de donis Domini præſumendi directum fideliter intellexit, quod apud ſe quidem ipſe forti cuſtodia animi ſeruare ſtuduit reconditum, rebus autem poſtea in ipſo omnium eorum fides eſt ſubſequuta. Et hæc quidem de initiis tanti viri breuiter pro loci negotio inſeruimus. Cæterùm tanta felicium geſtorum eius extat materies, vt & proprium opus doctioribuſque meritò arripiendum deſiderent, & ampliſſimo audientibus & imitari volentibus fructu poſſint exiſtere. Cum itaque ſic Ioannes & ipſe domnus Eginoldus tam propinquis locorum interuallis abeſſent, alter alterum niſi facie ſola & loquutione communi non nouerat, adeò vterque popularis fugitans gloriæ ſe ſe tantum teſtibus fruebatur & Deo. Cùm interea caſu quodam ſupra memoratus Humbertus è cellula, qua ſe iamdudum Virduni recluſerat, ea quo neſcitur obtentu effracta, eundem venerabilem Patrem Einoldum ex improuiſo Tullo conuenit. Is enim inter raros alios vitæ ipſius iampridem conſcius fuerat, viro ſancto ad tam inſperatam eius pręſentiam ſtupefacto, præſertim quòd fama ad ſe certò detulerat lege recluſionis eum intruſum fuiſſe, cauſiſque egreſſionis acceptis inter quas præcipua erat ob hoc ſe aduenisse, vt eremum potiùs ſimul expeteret, ibique multò meliùs quam in vrbium frequentia omni hominum moleſtiâ liberi Domino deſeruirent. Conſilio clam inter ſe conflato, ipſi per ſe cunctis arbitris procul flumine Moſellâ oppidum ipſum præterfluente trajecto, & ſpecu quodam in ſaltu vicino reperto, ibidem ſe tanquam perpetui eremitæ futuri recipiunt, mox quibuſdam Religioſis ex oppido virum ſanctum requirentibus, & quamuis locum aditu difficilem amore ſuperantibus, vbi eos conuenerunt, cœptum huiuſmodi, quod nulli vtique bono vnquam eſſet probabile, ſaniori conſilio diſſiparunt: tanta ſiquidem loci iniquitas fuerat, vt nec ipſi cuiquam labori ibi inſiſteretur, nec à quoquam facile eis quicquam neceſſariorum poſſet conferri; ſed & ipſe, vt erat vir conſilij, non difficulter meliori ſententia flexus, amicam continuò reperit cellulam, Humberto Virdunum ad ſua ſe interim recipiente. Qui dum rurſus cum crebrius reuiſeret, quadam die inter cætera, quæ familiaritas illa parere aſſolet, colloquia, dum ſi qui forte alicubi ad id temporis, qui ad ſancta deſideria aſpirarent, exiſterent, vicariâ interrogatione percontantur: ſi hunc, de quo agimus, Ioannem ſibi, vt præmiſſum eſt, optimè notum adduxit in medium, de cuius laudabili conuerſatione cùm plurima replicaret, hominem, inquit domnus Einoldus, olim cognoſco, & ad me crebrò venientem vſu communi expertus ſum: verum autem harum rerum, quibus nunc prædicatur, ei mens ineſſet aut ſtudium, necdum vel tenuiter aduertere potui. At ille, ita, inquit, homo eſt, non paſſim cuicumque ſe niſi notiſſimo aperit, & id non facilè quidem: apud ſe enim omnimodis latens vitam, quâ in ſecretioribus ſub oculis ſuperni arbitri diſtrictè admodum ſe ſe coarctat, oculis hominum, vbi in publicum exierit, offerre ſumma vi atque arte diſſimulat. Attamen à vobis euocatus citiùs aderit, & mutua veſtri collocutio me nihil extra quàm res eſt de eo afferre facile comprobabit. Nuntio mox ſe cum velle videre & alloqui inſinuans, ita condixit, vt ipſius ſtaret arbitrio, verum ipſe cum domi, an ille ſe Tullo conueniret, quidque horum mallet reſignaret. Ioannes ad totius probabilis officij ſemper exequutionem non ſegnis, diſcipulum, inquit, potiùs obuiam ire decet magiſtro. Ego, vt dignum eſt, Tullo eum conuenio, vt ergo aduenit Humberto adhuc ibidem eum opperiente, quam familiariter ſibi alterutrum atque officioſiſſimè adgaudentes omnibus è conſpectu remotis, de cauſa propter quam illum accerſitum miſerant, conferre cœperunt, tandémq; vbi poſt non modicam rerum cæleſtium confabulationem deſiderij ſui alter alteri iam fida ſecreta reſuderat, conſilium exinde ſibi vitæ ducendę, vti quibus ſeculo penitus erat animus renunciandi, cura ſollicitiore diſquirunt. Sub hoc Ioannes cauſam ſibi ratus opportunam accidiſſe totius ſuæ conuentionis cum viris Religioſis & ſeriem pandens, & maximè apud quos Metis ſibi frequens tunc ſolum erat recurſus, nam à cæteris aliorum locorum iamdudum abſtinebat, quanta viri ipſi in eandem ſententiam concordia conſpiraſſent, aperuit. Illò quàm facile animis ad hoc inclinatis, vt ſecum ipſe eoſdem viros conueniret, hortatus eſt. Ita Humberto tunc propria repetente, ipſe poſt dies aliquot Mettis accedens, & ſuper

ſancto virorum illorum inſtituto non modicè delectatus, aliquandiu etiam apud eos eſt commoratus. Interdum verò ad propria ſuo tempore recurrens, memoria ſemel acceptæ dulcedinis, quaſi moras diutinæ abſentiæ ægrè ferente, ſuam eis præſentiam citius reuocabat. Erant autem Religioſæ illæ, de quibus ſupra dictum eſt, apud Sanctum Petrum fœminæ, Geliſa, & Amita eius, aliæque nonnullæ & Salecho Clericus Sancti Martini vltra fluuium, *Moſellæ* & Randincus Presbyter titoli Sancti Symphoriani extra portam vrbis meridianam, apud quem & crebrius pro loci ſecretioris vſu conueniebant, & Bernacer Diaconus Comes Ioannis iampridem Romani itineris: nam duo illi, de quibus memorauimus, vitæ præſtantiores Rolandus & Warimbertus iam vita deceſſerant. Cum his veluti in quibuſdam cæleſtium diſciplinarum ſcholis ſanctorum ingeniorum viribus ſe ipſos quotidie in ſtudiis omnium probatarum virtutum exercentes, duo ipſi viri præcipui, aut lectionibus, aut orationibus, ſeu certè mutuis ad cæleſtia cohortationibus inſiſtebant, ipſoſque, cum quibus verſabantur, ad majora ſui imitatione amplius atque amplius prouocabant. *Sed* & idem venerabilis Einoldus iam & ipſa, ad quæ interdum recurrere videbatur, propria ciuitatis Tullenſis funditus ſibi præcidens, dum cum ipſis tanquam manſionem perpetuam ſtatuit, eoſdem pariter omnes ad renunciationem quoque rerum omnium impellebat. Vnde cum de his inſtantius conſultarent, loca, in quibus communem vitam profeſſi pariter habitare poſſent, ſollicitè pertractant, ad hoc nullo eis in his duntaxat Regionibus, quæ ſibi ad ea, quæ mente conceperant, opportunus videretur, occurrente, adeò ſeculi maculam quædam cuncta ferè Cœnobia offuſcauerat, longinqua quæque & peregrina deligere ſtatuerunt. Hoc cum omnibus vno animo, eadémque ſententia placuiſſet, Ioannes ſuperiore profectione ſua Italica circa Beneuentanas Regiones loca ſe quædam in deſertis valde opportuna aſſerit conſpexiſſe, in quibus labore manuúm ad exemplar antiquorum ſanctorum facili victu vitam ducere poſſent, quæ vtique & vineis, & ſitu, & vaſtitate obductis, copioſa, & cetero vſu mortalibus per omnia eſſent accommoda: ad hoc & Montis Caſſini, quem ſubierat, & propriis viſibus explorauerat, mentionem adducens ſimul & illius abditi intra ſinus marinos Sancti Saluatoris Cœnobij, quod monti Bebio imminet, poſtremò in id omnes aſſenſi ſunt, vt quantociùs profectionem illuc maturare decernerent. Cum ecce diuinitus vt certum eſt hoc procurato ad notitiam Epiſcopi magni poſtmodum rerum diuinarum recuperatoris domni Adelberonis hæc omnia perferuntur. Bernacer enim vnus ex ipſis, dum Eccleſię Sancti Saluatoris poſt Dominum VVarimbertum ſtipe Domini eiuſdem Eccleſiæ magni & memorabilis viri Lamberti deſeruiret, eodem Domino ſuo ſecretiùs euocato rem omnem ordine aperit meritiſque ſanctitatis domni Einoldi atque huius Ioannis cæterorúmque, qui cum eis erant, & feruore ſanctorum deſideriorum eodem pleniùs intimatis, & qualiter, quoniam in his Regionibus non eis aptus occurreret locus ad ſeruiendum Domino, exteras deſtinarent petere Regiones, id ab eo interim accepit reſponſi, vt quoquo pacto eos retinere tentaret, dum ipſe opportunitate temporis captâ, Epiſcopo ea inſinuaret. Quod Domino facilè citiùs ex voto cadente, quæque ſibi ſuper viris eiſdem erant comperta, pleniter explicat, addens ad hoc ſummo vtique probro hanc maculam eis omnibus poſt ſeculis inurendam, ſi hi famuli Chriſti tanta ſpatia eius Epiſcopij Domino propitio ſic in immenſum dilatati ita ſibi cauſarentur præcluſa, vt quia nuſquam exciperentur, in longinqua quædam ſub cælo incognito properarent, fruſtráque tot ditionis ipſius eſſe Monaſteria, ſi modò ab his tam breuis numeri homines pellerentur. Epiſcopus cùm nihil ſibi vnquam magis deſiderio fuiſſe reſpondiſſet, quàm vt penes ſe retinerentur, ac viciſſim ab ipſo Lamberto de loco habitationis eorum exprimeret, ille Gorziam Monaſterium non multùm ab vrbe longius eis optimè poſſe concedi reſpondit: Ibi repente viro prudentiſſimo, quid aliquando antequam apicem pontificalis honoris attingerent, ſuper loco eodem ibi in voto fuerit ſecum animo reputante, nec humano conſilio, ſed diuina cura rem agi conſiderans, nihil omnino cunctatus firmat ſententiam. Interim rem taceri iubet, dum tempus eos detur acciri. Erat locus idem ex qua olim fuerat ſpecie præſtantiſſima longo iam ſitu pene præferens ſolitudinem, & præter paucos in veſte Monachi inibi habitantes, quibus diuinæ ſtipis vix modicum quid inferebatur, cætera ornatu omni ſubmoto fœda locum facies obſidebat. Poſſeſſionum quidquid exteriùs fuerat, Adelbertus Comes vir genere quidem clarus, ingenio autem ferox ac violentus, nec bono cuiquam

ferè vnquam morum probitate probabilis, ex beneficio Epiſcopi, cui militabat grâtiâ ſanè ingratâ tenebat. Cognatus ipſe iam dicti Lamberti: nam eius ſororem habebat, idémque inter ſe quibuſdam animoſitatibus diſſidebant. Ergo idem Lambertus, poſtquam animos Epiſcopi ad hoc inclinatos perſenſit, Bernacro celeriùs refert, vt viris quantum poteſt perſuadeat, quo mox coram venientes, quem ſibi locum diligere malunt, fuerint percontati, omnibus prætermiſſis Gorziam poſtulent. Dum hæc clandeſtinis inter hos agitantur conſiliis, omnium horum adhuc illis ignaris, & de peregrinatione maturanda tractantibus, alius item ipſorum, cui nomen Randinco, abſque licentia Epiſcopi ſub quo ſtipe Canonica merebatur, & titulo ſupramemorato deſeruiebat, ſe vel quibus deputatus eſſet deſerere, vel quoquam perpetuò poſſe ſecedere, non ſatis integrum ſibi videri ſuggeſſit domno Einoldo, cùm nullo modo improbante, imo canonicam ſic ſe habere regulam aſſerente, ad hoc & cæteris vt ocyus fieret in commune ferentibus, Bernacro mediante, per virum clariſſimum omniúmque apud Epiſcopum Conſiliorum intimum Lambertum conſpectibus Epiſcopi præſentatur, vbi cum gratia habitus poſtulandi quid reliquis quoque eſſet in voto, ex eius narratione palam perclaruiſſet, omnes qui forte conſtiterant admirationi gaudio intermixto ne talis ac tanti deſiderij vſquam dimitterentur, dignáque eis prouideretur potius habitatio, vocibus orabant & precibus, mox omnibus coram accitis ſéque dignè ac reuerenter exceptis, poſt audita ac reddita viciſſim colloquia, vbi Epiſcopus quàm prompti in eos animi eſſet expoſuit, locum ſibi ad votum quocunque in ſuo Epiſcopio copiam eis dat eligendi. Illi ſpatio breui inter ſe conferendi petito & accepto, Bernacer, vt clam doctus erat, Gorziam nominat, cæteris in certo nutantibus, eò quòd peregrinatio eis multo dulciùs complaceret: Ioannes quo majore nemo ardore exilij æſtuabat, æſtu quodam, tanquam id omnino eſſet impoſſibile, optimè, inquit, neque alter quiſquam meliùs poſtulabitur, æſtimans videlicet eo ſibi denegato, pro eo quòd Adelberto nullatenus terra videretur poſſe extorqueri, vti qui magnitudine, potentia, ac ferocitate, cum ſui, tum fratris Bernuini Virdunenſis Epiſcopi, acerrimę pariter mentis viri, plurimum ac penè in immenſum niteretur, ſua nihilo deſideria remoranda, quod longe aliter Domino diſponente prouenit, à conſultatione namque mox introgreſſis, cùm quid conueniſſet retuliſſent, Epiſcopus nihil omnimodo differens, ſine vlla cunctatione, vt iamdudum animi feruore conceperat, locum pristinus iuri eorum contradidit, nec multò pòſt etiam terram eidem Adelberto ſublatam, quæ res vtique ad vim non minimam ſpectare videbatur, licet ei prę magnitudine deuotionis poſtrema haberetur, Monachis ex integro reddidit. Quanto autem ſtudio vel ipſos, vel locum vnicè præter cætera dilexerit, atque voluerit oculorum magis, quàm ſermonum fide perpendendum eſt: vt bi cui ex illo dudum ſqualore deterrimo cuncta loci illius habitacula in nouam quandam lucem, & gratam aſpectibus reſplenduerint venuſtatem, vbi etiam vt mox inde ab initio præoptauerat, ſepulcro ſibi quàm longiſſimè ante obitum collocato Domino miſerante venerabiliter eſt tumulatus, præſtititque ei gratia Chriſti opere adimplere, quod quondam ante nonnulla ordinationis ſuæ tempora tacito ſibi in mente voto obuenerat: nam tempore Wigerici prædeceſſoris ſui, cùm quadam dierum populo admiſtus, qui ex vrbe ad idem Monaſterium anguſtia ſiccitatis compellente pedibus nudis proceſſerat, ipſe quoque ad Martyris ibi quieſcentis Beati Gorgonij ſepulcrum vſque veniſſet, horrentémque loci ſitum vidiſſet, ita vt iuxta altaria ipſa veſtigia fœda animalium deprehenderet, vbi ſe ad orandum proſtrauit, altiùs præ tanta pręlaturum iniuria circa loca ſanctorum ingemiſcens, in hęc, vt ipſe poſtea referre conſueuerat, verba inter orandum prorupit. Si indignum me, inquit, ô pietas Chriſti immenſa, & tuum, qui hic ades teſtis Domini pium auxilium, huius ſanctæ ſedis tuæ miniſtrum vnquam promouere dignaberis, hanc loci huius miſerabilem, quam cerno oculis, faciem in aliam ab hac habitudinem te mihi adiutore facto propitio commutabo. Audiuit omnipotens, & Wigirico non poſt multum tempus abſumpto, cum ei Benno quidam genere Sueuus in eremitica apud Turegum vaſtam ſolitudinem aliquando vitâ famoſus, zelo vtique pio optimi tunc principis Henrici Othonis Cæſaris poſtmodum glorioſiſſimi genitoris ſucceſſiſſet, eóque quâ profundâ iudiciorum Domini abyſſo incertum, à priſtinæ ſanctitatis & eremo quæſitæ laudis dignitate deferuente, ad vltimum lacrymabili rerum ſerie à nefandiſſimis ſeruulis in abditis excæcato, dudum ſe poſtea in concilio

Epiſcoporum idem publicè officio abdicaſſet, ipſe Adalbero præter ſpem omnium, cùm eſſet Regij quidem paterna ſimul ac materna ſtirpe longè retro vſque ab hominum memoria ſanguinis, ſed ob rei familiaris inopiam, qua ſecundis Matris nuptiis laborabat, cenſu aliquanto tenuior; conſenſu omnium publicíſque Eccleſiæ legitimíſque ſuffragiis in ſacræ Metenſis Cathedræ Pontificium Domino promouente ſuſtollitur. Cuius deinceps actus de die in diem felicius procedentes vt Chriſto duce ſuccreuerint, & vt in Monaſteriorum præcipuè reparatione, ſtudium præ cunctis transfuderit, nequaquam breui ſermone ſtringi quiſquam quæſierit, neque mihi id, ſi ſapiam, arrogare præſumpſerim; & certe res ipſa ita ſe cunctorum ingerit oculis, vt quidquid dictum fuerit, minus videatur, & multitudo factorum nequaquam exæquari valeat facultate verborum. Eccleſiam ſi quidem, quam ſuperiorum temporum perturbatione ab omni pene ſtudiorum bonorum feruore, tam in diuinis, quàm & humanis detritam ſuſceperat, ita ſecum Domino operante ex nullo; vt ita dixerim, in ſummum repentè ſtatum prouexit, vt quæcunque Diœceſi ſuæ ſuberant Monaſteria, longo iam & veteri morbo ab opere rectitudinis languida, & pene deſperata, regularibus diſciplinis redditerit: viros vitâ & doctrinâ probatos ſingulis quibuſque locis præficiens, qui mundo perfectè abdicato cæteris documento & doctrina proficerent. Clericorum ipſorum conciliabula, eò quòd diuiſam cum ſœculo conuerſationem non ſatis probabat, in Monachorum inſtituta mutauit, Sanctimonialium habitacula, quod ea etſi non re, fama tamen obſcurari quàm ægrè ferebat, omni ſiniſtræ ſuſpicionis morſu eripuit, & ad idem, quo Monachos, inſtitutum, & in nullo diſpares obſeruationes pro ſexus virtute coercuit. Nec iam antiquioribus & eminentioribus contentus locis, ipſas quoque cellulas longiùs ritu vago diſperſas, in quibus vix octo aut certè minoris numeri Clerici rurales nuda verborum reddebant officia, Monachorum habitu & obſeruationibus inſigniuit, vtque tempora réſque tulerunt, terras ſumptibus eorum neceſſarias & quæ locorum erãt, reſtituit, & propriis vſibus ſubtractas egregia liberalitate additis teſtamentis contradidit. Sed quanquam omnium miro ſtudio eum cura tenuerit, Gorzia tamen, vt dixi, vnico ſibi ſemper fuit amori, pro eo quòd & principium operum eius extiterat, & ſanctitas prædictorum virorum Einoldi atque Ioannis eum præcipuè oblectabat, quibus etiam præ excellentia virtutis fidei & ſapientiæ in omnibus ferè deinceps diuinis ſeu humanis eſt vſus conſiliis, nec fermè aliquando quidquid eorum promulgauit ſententia, fruſtra tentatum eſt, vt contra ſi quo extra egreſſum ſero pœnituit. Ingreſſi ſunt autem iidem Monaſterium, anno Incarnationis Dominicæ 933. obtinente partem Franciæ Regni quondam Lotharij Henrico Germanorum Rege, quo glorioſiſſimus Otho Cæſar omnium retro præconia ſuperans, & vniuerſo orbi, non minùs gloriæ, quàm fructui natus, exortus eſt; Franciam autem occidentalium partium Ludouico filio Caroli, qui bello apud Sueſſionum ciuitatem nota fama, nec victus, nec victor, in cuſtodiam ad mortem vſque detruſus eſt: vt autem eos pariter ſuperior deſcripſit conuentus, ita omnes ſacræ militiæ ſucceſſerunt, id eſt ipſi primi & noui duces exercitus, præſtantiſſimáque eius ſeculi lumina, Einoldus, atque Ioannes, deinde Salecho ex Clericis Sancti Martini citra Moſellam, Randincus Preſbyter tituli Sancti Symphoriani, Bernacer Diaconus, de quo ſupra memoratum eſt, cúmque his Adoleſcentuli duo, Teutincus Miniſter Domni Einoldi, & Teutberus qui adhuc bonæ conuerſationis ſupereſt, cum Randinco Preſbytero, cuius erat nepos admiſſus in veſtibus Clericorum aliquandiu inceſſerunt, donec Epiſcopo illuc veniente, & more Monaſtico electione de ſibi præficiendo patre petitâ & acceptâ, cum inſtitutione vitæ Regularis habitum quoque Monachi commutarunt: vno enim voto & pari ſententia Domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipſe primus omnium Epiſcopo Regularem conuerſationem ex inſtituto Beati Benedicti ſcripto profeſſus & cruci Dominicæ dedicandus cucullo induitur; ſequentes Abbati ex ordine profitentes, in militiæ cæleſtis & obedientiæ Sacramenta ſub ipſo omnes ſimiliter pari modo conjurant. Ad res extra curandas Domnus Ioannes doctus & gnarus earum eligitur, pauci qui ex vetuſtà conuerſatione ibi ſupererant Monachi ad exemplum nouorum coacti in communionem vitæ etiam ipſi aſſenſi ſunt. Cenſus eis vel ſubſtantia primò admodum tenuis fuit, quam tamen interioris animi theſaurus facilè tolerabilem faciebat, fideſque in Domino plena, quæ neſcit defectum, Religioſos quoſque ex locis diuerſis in eam primum

naſcentis gratiæ venuſtatem excitos quibuſcunque neceſſariis impendendis ardore certatim alteroalteri irruentibus impellebat. Ad hoc ipſe Ioannes quæcunque in facultatibus pridem ſupererant tanquam fidele Chriſto mancipium, immò probans in modico, quàm fidelis in maiori eſſet futurus, illuc cuncta contraxit, ita vt ne propinquis aliquibus vel ipſis etiam carne germanis quicquam ex quibuſcunque poſſeſſionibus relinqueret, quin potius ad cumulum gloriarum cæleſtium ipſos qui tantum duo fuerant ſibi germani ad diuinum poſt modicum temporis ſecum ſubegit ſeruitium, réſque omnis tam in domibus quàm in agris cum vinearum pulchettima admodum copia quæcunque partibus erant venturæ, in vnum redactas vſibus communibus Monaſterii delegauit, conditione tamen eâ propoſitâ, vt dum ipſe aduiueret in ius Monaſterii retenta eo decedente non aliter ab hæredibus, ſi qui forte proximiores tunc eſſent, repeterentur, niſi prius in libris argenti 30. Munaſterio datis redimerent. Matrem quoque ſecundo viro viduam poſt nonnullum tempus cum aliquibus ex familia ad ſe recurrentem, quod iam prouectioris eſſet ætatis, in ſtipe Monaſterii extra ſuſcepit, vbi etiam plures annos ipſa ſancta anus poſtea in bona conuerſatione fratribus congregationis ipſius ſeruiens deguit, & quæque in veſtibus erant neceſſaria ipſa cum ſuis aliquibus quæ ſecum in eadem ſtipe Monaſterii manebant, ſtrenuè ſatis ac fideliter exercebat, ibíque in ipſu deuotionis obſequio diem clauſit extremum.

Cum ad hunc vſque locum niſu admodum debiliore euectus in documentum protſus hebetationis ingenii veluti viribus cunctis effuſis, à cœpto tandem ſegnis & tanquam multo opere delaſſatus brachia penitus deieciſſem, nec vlterius viam quâ procederem aut nullam aut difficulter inueniendam mihi ſupereſſe ſperarem, inopinato ſtudiorum omnium lux hac noſtra nominandus ætate & cum vſui tum ornatui rerum omnium totus natus maximus & inclytus præſul domnus superuenit Deodericus, quo videlicet hortatore atque impulſore, vt in principiis reddidi, vnicè præter cætera vſus ad hoc opus nimium audax prorupi. Is vbi me caſu domi conuenit, ſi quid iuſſi operis, ſeu quantum confecerim requiſiuit, cui cum verebundus vti egeni conſcius ingenii, nec negarc, nec liberè, quod quoquo modo ineptum & plenum nugarum edideram, offerre præſumerem, atque interutrumlibet hæſitans trepidarem, illi ſcedulis ſibi deferre iuſſis, ordine cuncta cucurrit. Tum verò velut eos, qui ſub luce maligna diuerſum ab eo quo ſe habet res intuentur modo, quam erant, diſſimili, cum cuncta efferre, & quibuſque obuiis palam iactare ſatis quod mirarer noſſe non potui. Forte ibi tunc Traiectenſis ſeu Dabeutrenſis Eccleſiæ Pontifex clariſſimus atque in grege doctorum admodum celebratus Domnus Popo adfuerat, feſtis natalis Dominici in communicationem gaudiorum ab eodem noſtro Antiſtite cum ſuo, id eſt ipſius Poponis genitore, viro in rerum publicarum cura ſtrenuiſſimo, atque Comite Palatino, cui nomen Berno, aſcitus. Ei cum eadem pariter verbis non ſemel ſufficientibus ingeminans extuliſſet, ad me cum ipſo ora conuerſus, vt cæpta in nullo cunctabundus explerem, hortatu magis ac magis ampliore animos addere & fauore quàm plurimo mihi tamen erubeſcendo, non deſiſtebat accendere. Quibus cùm in aliquam fortè facilitatem ſe ſe animus attolleret, vt pene iam ſibi poſſibile eſſe ad quod tanto plauſu inſtigabatur, promitteret, in ſemet paululùm pòſt tamen relapſus, & virium itidem vt erant conſideratione remenſus, non minùs quàm à principio propriæ inertiæ veternum ſolo hærere compulerat. Sed & cito moras cunctationis diſrumpam, cum hac vtcunque animatione excitaſſent, tum quia imminutionem amor viri quem ſuſcepimus neſcit admittere præomnibus quid quid virium mihi poſſet ſupereſſe, ſuperque ipſas vires contendere, ſibi coegit expendere. Itaque reliqua ab ipſo Religionis habitu accepto, quæ ei conuerſatio fuerit, quantum ſcilicet aut ex teſtibus cunctis piis eius actibus adhærentibus, viris vtique religioſis aut ex ipſo narrante, vt caſus tulit, quod tamen dum gloriam reſpuit rarum fuit, audiuimus, vel quæ ipſi, quibus nulla potior fides, perſenſimus, hinc vt Domini erit Miſericordiæ proſequemur. Cæterum ne cui ſeu interrupta aut extraordinaria ſeries videatur, ſi qua de perſonis quorum quippiam eorum quæ dicentur intereſſe videbitur, inſerentur. quarum & nonnullas ſuperior propoſitio intulit, & decurrens alias pro cauſarum opportunitate & temporum ſermo plures inducet, de quibus vtique prioribus conſequentia non reddere, ratio ipſa, etiam ſi conaremur

reſiſteret, ſimul vir iſdem longe incomparabilis, cùm ita vitam egerit, vt ſolitarius inter multitudines vixerit. Nam fruſtra niſus recederet, ſi quis eius robore virtutum ſe poſſe aſpirare confideret, non ſibi tamen ſoli quæ fecerat arrogabat, verùm cæteros ſecum operari quidquid illud vel ſecreti ſolius eſſet iudicabat. Nihilque præ ſe ſuperius quàm communis vitæ actionem vnquam alicubi fecerat: quocirca qui ei pariter verſabantur, eorum non immeritò geſtis ipſius acta intererunt, qui non modò nullam tanquam ſuperiores ei inuidiam facient, ſed illis potius & tanti viri contubernio fulgor quodammodo amplior cumulabitur, & claritas creſcet & gloria. Antequam ergo vltra promoueam, primò quia non aliâs forſitan magis opportunè ſe locus offerre videtur, de viris quoque illis venerabilibus, quos textus ſuperior memorauit, Andrea atque Humberto, dignum arbitror dicere, quorum vterque his item vtriſque Einoldo atque Ioanni non imparis ſanctitatis incitamenta, & quidam quaſi ſtimuli ad virtutes fuere. Hi enim, vt fama vulgante loco prædicto ſe viros eoſdem recepiſſe, & plures vndique ad eos diuinæ ſeruitutis amore compererant feſtinare: ipſi quoque nullo remorati, etſi non tempore, animo tamen atque intentione pari illuc conuolarunt, & Monaſticam Inſtitutionem profeſſi, quibus fuerant prius præuij & Magiſtri eorum Magiſterio & ducatui ſubiici, nec abnuerunt, nec erubuerunt: & cum Andrea quidem germanus ipſius Maginfredus, poſtea etiam alij quidam gentis eiuſdem ſunt ſubſequuti. Cum Humberto autem puerulus quidam ei miniſtrans, Milo nomine, ſuſceptus eſt, bonæ ipſe indolis, & non minimo poſtmodum vſui profuturus. Præterea quod de eodem viro venerabili Humberto primò cum narrationi incideret eſt prætermiſſum, hic breuiter reddendum videtur; qualiter ipſe quoque diuino impulſu in habitum Religionis tranſierit. Ex parentibus ſic etſi ruralibus non adeò tamen re familiari ſubtritis, dum Adoleſcens cum eiſdem verſaretur, quadam forte die, vti ſe vita illa inuicem retinet priuatorum, noti aliqui vel affines in domo eorum venerant conuiuari illis, vt forte hora tulit, ibi nocte retentis, cubitúmque petentibus, lanceolas quas de more baiulantes attulerant, fœni aceruo, quod propter fuerat, verſo furſum ferro apponunt, caſu idem adoleſcens paulò ante aceruo conſcenſo ibidem obdormierat. Ad multam fere noctem ſomno excitus, cùm extra neſcio quo ante condixerat, egredi vellet, per aceruum ſe ſenſim dimittens, inter erectas cuſpides vicino nimium eſt illiſus periculo, ita vt veſte corpori adhærente comprehenſa, ferróque terebrata, per haſtile vſque ad terram decurreret, haſtili ſubacto & re palpatu ſollicitiùs explorata, ſtans & tam præſentem circa ſe Dei cuſtodiam etiam praua molientem conſiderans, gradum ab incepto iam meliora deliberans retinet, atque in reliquum Deo ſeruire mente tota pertractat. Nec multo poſt licet patre plurimum obſiſtente, rebus cunctis poſtbabitis, Romam proficiſcitur, & in id perluſtrationis tempore non paruo exacto reuerſus, cellulam recluſoriam Virduni ſibi conſtituit, vbi diuturnâ abſtinentiâ, cæteriſque bonorum operum ſtudiis pluribus viſus eſt profuiſſe. Lectioni quoque aſſiduè operam dans breui non modicum ſcientiæ Theſaurum ſibi comparauerat, in quo illud miraculo fuerit, quòd ante horum fere expers ſpiritu tantum magiſtro, ſapientibus repente non diſpar, certè ſuperior in multis apparuit. Ibi per idem tempus duæ oppidi ipſius Religioſæ fœminæ cellula ſeorſim remoræ ab eo inſtituebantur, & ex feneſtra tantùm cellulæ verbum doctrinæ ſeu cæteræ inſtitutionis ſumebant: aliæ item duæ apud eandem vrbem eius ſunt exhortatione accenſæ, quarum altera Mater plurimarum ancillarum Chriſti poſteà facta eſt in territorio Tullenſi, loco, qui Buxerius dicitur, vbi Monaſterium ab Epiſcopo bonæ memoriæ Gozlino ex nouo conſtructum, poſtquam hæ duæ primùm ſunt intromiſſæ, multiplex deinde ex diuerſis mundi lateribus ſancti feruoris ſe ibidem examen infudit, vt vſque hodie noua quadam gratia inter cætera reſplendere videatur. In ea itaque cellula recluſoria multos agens annos, poſtquam, vt ſupra memorauimus, gratia Domnum Einoldum viſendi Tullo veniens Domnum Ioannem ei innotuit, indéque propria repetiit, mox certæ ſedis ipſorum famam percepit, cum eis & ipſe habitaturus accurrit, in qua ſocietate de reliquo pio admodum labore eſt conuerſatus, donec cauſa Religionis exinde Monaſterio Beati Apri Tullo tranſlatus eſt, vbi & in cura gregis Dominici beato fine quieuit. Andreas quoque & ipſe poſtquam in eadem ſacra militia plurimam ætatem confecerat, iam ſenex, & mentem candore capitis referens, Romam ad poſtulationem

Papæ Agapiti mittitur, qui litteris cum nuntio quodam idoneo viro multùm à Domno Einoldo efflagitauerat aliquos ſibi Religioſos, quos in Monaſterio Beati Pauli, quod hunc ad Monaſticum ordinem transferre moliebatur, cum auxilio Regis Albrici collocaret, transmitti, quo cum altero quodam fratre, qui ex Monaſterio Luxouio Gorziam ante aliquot annos aduenerat, perductus, regulari inſtitutione loco informato non multò pòſt receptus ad Dominum ibidem eſt tumulatus. Et quia mentione duorum augmentum congregationis eiuſdem tangere cæpimus, de aliis quoque memoratu dignæ ſucceſſerunt perſonæ quàm ſuccinctè tes patientur, mox inferre non inconſequens arbitramur: ita enim plano quodam modo ſpatio de viro, quo propoſuimus, decurret narratio libera, atque omnibus expedita ſibi primùm abſolutis; ſoli tantùm propoſito continuus, & nullo intercifus labor incumbat negotio. Vt ergo ſuaue fragrans odor, in qua Chriſtus recubuerat, domus vbique iuxta vel procul reſperſus eſt, fideles quique eo attracti mira celeritate vndique cæpere concurrere, nec ſolùm, qui ſancto deſiderio iamdudum accenſi, vel ſpiritu occultiùs inſpirati, vel lectione diuina excitati, quis eis viam rectæ conuerſationis oſtenderet, expectabant, mox tota auiditate, quod oblatum cernebant, amplexi ſunt. Verùm alij quoque, qui eatenus frigidi torpuiſſe videbantur, horum exemplis concitati tanquam carbonibus viuis ſibi admotis calefacti, ad eorum conſortium ardentiſſimè feſtinabant. Neque hi ferè quicunque de triuio, ſed vrbanarum deliciarum, gloriæque, & ſumptuum fuerè non ignobilium, quorum etiam opibus non modica ſupellectile locus eſt auctus. In his patruus iam dicti Venerabilis Domni Adelberonis fuit Fridericus, qui infantulus quidem Monaſterio Sancti Humberti fuerat mancipatus, ſed immiti cæteris loco eorum morbo pallente ipſe quemadmodum maiorum ducebatur exemplis indifferenter ſeculo conuiuebat, erátque ad id temporis, quia iam admodum ætate proceſſerat, & magnorum, quantum ad ſecularia ſenſuum, vírque induſtrius videbatur, Epiſcopo adhuc tunc iunioris ætatis adhærens, cuius & conſultu pleraque tunc in Epiſcopio agebantur. Animis præterea, vt verè patruus, ſeuerioribus à pluribus quàm ſæpe non neceſſariis iuuenilia molimina reuocabat: hic tandem aliquando ſecum retractans, cùm tantam eorundem virorum Dei videret Inſtantiam, corde compunctus, cunctis, quæ ſe male illexerant, poſthabitis commodis, ocius eis acceſſit, nec multò pòſt loci ipſius præpoſitus poſt Abbatem ſtatuitur, ac Domnus Ioannes ei ſolatio ſupponitur. Poſtea autem rogatu Epiſcopi Leodicenſis Richarij Monaſterio proprio Sancti Humberti reſtiturus, & Regulari ordine Abbas præfectus vſque in finem laudabili conuerſationis rigore rem diuinam optimè Monaſtico tenore continuit. Situs eſt Treueris in Monaſterio Sancti Maximini, quò dum ſolemnitas dedicationis eum inuitat, morbo repente perualſus, diem extremum ingreſſus eſt, nouáque nouæ fabrica Eccleſiæ nouo hoſpiti nonum primo ſinum aperuit. Simili modo Virdunenſis Eccleſiæ primus ab Epiſcopo curam gerens Odilo, vir natalibus clarus, facultate ſufficiens, in rebus agendis admodum ſtrenuus, & ſi Clericum forte non impediret nulli, quæ mundi fere ambitus, loci ſui cuiquam impar, cunctis illis mordacibus curis reiectis, huic ſanctæ paupertati pauper ſpiritu factus ſe contulit, exiguúmque ac vile ſtipendium cunctis ſeculi opibus glorioſius & ſufficientius, æſtimauit. Is quoque poſt bene adultum Sanctæ conuerſationis robur petitus reformationi Monaſterii, quod dicitur Stabulacum, ibidemque promotus, ad rectitudinis lineas quæ praua fortè inuenerat, Chriſto auxiliante, correxit: vbi etiam curſum naturæ perſoluit. Ad idem fermè tempus ſpecimen, vt ita dicam, & flos eius, quod tunc cœleſtis compingebatur ſerti iucundiſſimus atque aſpectatu digniſſimus Angilramnus, primò Tullenſis, deinde ſanctæ quoque Metenſis Eccleſiæ primicerius, nobilitate & opibus ea ætate, quódque conſequenter ſatis eſſet gloriæ præſtans, moles ſecum auri atque argenti, cæteraque cumulos ſupellectilis trahens, inſtar primitiui illius Apoſtolici populi in vſus pauperum redigenda Sanctam illam ſocietatem expetiit. Prædii quoque non ignobilem quantitatem Monaſterio ſub teſtamento perpetuò obtinendam contradidit, cuius quæ poſtmodum fuerunt conuerſationis inſignia, quantáque fortitudine robur ſtructuræ eius in reliquum ſe tenuerit, gratius forſitan audietur, ſi prius quo paululum initia eius impulſa viſa ſunt vacillaſſe, breuiter perſtringetur, cùm præſertim concuſſus non ſtatione penitus ſit exturbatus, eóque

firmiùs poſtea pedem fixerit, quò ad tempus ſe ſe negligentius locum, quem ceperat, obſeruaſſe doluerat. Is itaque vbi cum eo, quo diximus, ſumptu ſuſceptus eſt, eò quòd ampla erat perſona, & ex deliciis cunctíſque ipſorum ante notiſſimus molliùs cæteris tractabatur atque honorabatur, nam & ex eius clientibus aliqui ad idem ſe propoſitum contulerant, ipſe interea, vti qui necdum, quam ſemel male admiſerat, gloriam perfectè corde diſpulerat, nequaquam æqua aliis pati, & pro his, quæ loco contulerat, paulò incontinentiùs eleuari, iámque quod conſequens increpationibus obſtrepere, correptionibus non acquieſcere, & vbi qui ſe minores cunctos attenderet, quaſi de ſuperiori loco ſententiam ferre, ſed & ſi qui forte infirmioris animi ſibi pro moribus acceſſiſſent, eos contra maiorum prolata pro libitu contueri. Ad hæc pater Einoldus cæteríque iam perfectæ in Chriſto ætatis multa pro rebus & temporibus reclamare, hortari, obſecrare, & prout ætas pateretur paulo ſeueriùs objurgare, quibus tamen nonnunquam ferè acerbiora in facie referens, vix contumelijs temperabat. Quid plura? cùm tempore hæc tracta, plus opere longiore ingrata nimiùm tædia peperiſſent, quadam forte dierum dum pro ſimili neſcio qua inſolentia acriùs argueretur maiorem in modum animo concitato è conſpectu Abbatis & cæterorum pariter aſſidentium ſe ſe proripuit, & quale iam ſeculo, niſi Chriſtus obuius repuliſſet, reuoluendus, clauſtrum egreſſus eſt, fratres triſtes ac pauidi inſequuti, cùm eum in porticu exteriori, in quâ exiens reſederat, inueniſſent, eius genibus aduoluti modis omnibus, quibus poterant, aggrediuntur, & nunc diuini nominis obteſtatione, ne faceret, obſecrare, ne quod bene cœperat bonum malè amitteret; nunc perpetuam, quæ ſe ſe apud ſeculum conſequeretur, ignominiam objectare, reminiſceretur magis antè exacti laboris, quem tam turpiter in medio conatu deſereret, reminiſceretur ad vltimum diſtricti examinis, cui forſitan ſenex iam iámque ſe cerneret propinquare, aſtutias inſuper Diaboli præcaueret, qui fructum totius laboris ei geſtiret præripere. Multa in hunc modum replicantes, cùm ille adhuc inflexibilis, ſua tantum ſibi redderentur ſe deinceps, quid ſe fieret, ſatis curare repoſceret. Illi maioribus inſtare, & pro viribus, quæ menſuram neſciunt, charitatis, animos viri in diuerſa verſare, ſermones ſermonibus, preces precibus inſtaurare. Nec prorſus Domino cooperante loco diſceſſum eſt, donec oculus ille Miſerationis antiquæ, vt tunc Petrum, ita & hunc modo reſpiceret atque in quendam alterum vt ita dicam hominem commutaret: nam & iſte in amatas profluens lacrymas illicò rediit & corpore nudato faſcibus virgarum manu prælatis, pœnam clamoribus poſtulans pedibus Abbatis proſternitur, non modò gemitibus, verùm totius geſtu corporis doloris magnitudinẽ proteſtatus. Quis putas ibi lacrymas tenuit? Quis eam caniciem ſe veſtigiis omnium intuens prouoluentem, non corde ſolutus eſt? Quis cum lacrymoſis vocibus inclamaret: Cædite reum, cædite rebellem, ne parcite quæſo ſuperbo, & contemptori, non gaudio mixto fletibus in eius veniam proclamauit? Tandem pater plenus pietatis aſſurgens, aliiſque cum eo manibus charitatis ſuppoſitis ſolo erigunt, & cunctis clementer, vt tanta deiectio merebatur, indultis in numerum tota alacritate recipiunt. Is verè dies in tantum ei extitit ſalutaris, vt quiſquis illum deinceps attenderet, vix aliquid in eo viri, qui prius fuerat, recognoſceret. Summâ etenim vi, quantum in ſe fuit, abiectionem ſui & quæque extrema ſemper appetiit, delicias & mollia omni genere reſpuens, difficilia & auſteriora magis amplexus eſt. Honorem impenſum miro pudore non ferens grauabatur potiùs, quàm oblectaretur, parcitatem cibi vel potus ea arte quaſi callidus quidam obſeruator aſſumpſit, vt de ſingulis, quæ apponebantur, quotidianis momentis paulatim quiddam ſubtraheret, donec ad minimam quandam quantitatem rediret. Interdum etiam quibuſdam penitus tanquam obeſſent, abſtinebat, nunc quidem piſcem omnem minoris generis, dum grandiores rariùs poſſe conquiri æſtimat, reſpuens, nunc eos ipſos, quos magis appetere videbatur, dum vndecumquè quæſiti offerrentur, poſt non multum temporis quodammodo faſtidiebat, tantáq; vt ita dicam obſtinatione victor ſui, quod ſemel animo ſtatuerat, cuſtodiuit, vt pulticulis tandem farinæ contentus eſſet quandã inter hæc creberrima, quæ etiam, dum in ſeculo viueret, diebus ieiuniorum fortiter perferebat, panis tantum & aquæ ieiunia exerceret, vt enim multorum fide percipiamus adhuc in ſeculo ei biduum totum ſine vllo cibo & potu omnino tranſire quaſi nihil videbatur: illud autem ſtupori videntibus erat, quòd vigor corporis ei tam viuidus

perſeue-

perſeuerabat, vt nihil de opere fratribus conſueto prætermitteret, coquinam, veſtium ablutionem, horti communem operam, calceamentorum lauationem, miſſæ hebdomadam, ordinem omnem Clauſtri & oratorij, viuido robore adimpleret, vultúſque ei hilaris & gaudens continuè ſupereſſet, tantùm poſt aliquod temporis interuallum à priſtina corpulentia venter ei ſubſederat orationum & vigiliarum eius inſtantiæ teſtis illud fuit Tugurium quod penes Tumbam Domni Chrodegangi, qua cellam ſolitariam vſque vocationis ſuæ tempus incoluit, in quo mox Synaxi Fratrum expleta ſolus oſtio ſe occluſo recipiens, gemitibus, & planctibus, & infinitis genuum inflexionibus noctes diéſque continuabat, & cum plerumque Fatrum vigilias præueniens plurimum noctis in precibus occuparet, finitis eiſdem vigilijs quantumcumque noctis hyeme vel æſtate ſupereſſet, ſomnum deinceps nullatenus nouerat, niſi ob ſanguinis forte, quod vix tamen fuerat, minutionem, ſed toto deinceps vſque horam ſecundam & tertiam ſpatio in ea ſancta contritione & cœleſtis ianuæ pultatione perſeuerabat. De continuatione ſilentij quid prædicem neſcio, cùm ipſa quoque licita colloquendi inuicem tempora fugiens in Pſalmorum potius melodiam commutaret, & ſi fortè compellaretur breue quiddam reddens ad ſolita & amica ſilentia protinus recurrebat, curis quibuſlibet corporis, balneis, cæteris quoque recreationibus communi vſu regulæ indultis, cilicium, vilitatem veſtium, & cæterorum cultum horridum præferebat. Extremum quidem fuerit quod dico; animi tamen eius virtuti comprobandæ permaximum, dum Fratres ſabbato antè mandatum & vel Feria quarta ex more antiquo quidem, ſed tunc nouiter nobis tradito calceamenta ſibi abluerent, ille cuilibet ex improuiſo poſt veniens dum Frater vnum abluendum manu teneret: alterum quodammodo inuito violenter ſurripiens abluebat: item dum faciem mane vel manus pranſuri lauarent, nunc quidem ad vas illud, ex quo aqua quibuſdam forulis Fratribus miniſtrabatur, præcurrens, & obicem illum, quo forulum illud obſtruitur, dum Frater lauaret tenens, nunc linteum, quod ad tergendum dependet, offerens, voluntatem cordis ardentis miniſtrabat. Plura in hunc modum obſequiorum eius ſtudia in omnes ſeruiebant, & cùm hęc & his ſimilia humilitati cordis eius fuerint documento, ad hoc & locum ordinis ſui in choro, quem ſuperiorem tenebat, tanquam infirmitate impediretur non ferens, in vltimum vſque commutauit. Reuerâ enim poſt tantam auſteritatem viribus defatiſcens non iam & ad ſtandum in choro, & ad cæterum laborem ſufficiebat. Quanta autem & vitæ puritas fuerit ex fine perclaruit: nam non longè ante obitum nocte quadam neſcio quid diuini audiens, nulli quidquam dicens, mane in feneſtra prædicti tugurij exarauit ſic: 5. Id. Septembris ſomniaui me moriturum. Fides his citius facta eſt, nam poſt paucos dies febre correptus menſe plus lecto decubans ad præfixum vſque diem languore valido perductus eſt, totúmque id ſpatium abſque vllo omnino permanens cibo, ſola tantum aqua ſuſtentatus eſt, & ita vſque in natiuitatem Sanctæ Dei Genitricis perdurans, quam in craſtinum Beati Gorgonij Martyris, cuius corpore idem Monaſterium percelebre eſt, dies conſequitur, quo tunc maxima diuerſis ex partibus Religioſorum virorum turba confluxerat, pleriſque eorum eum inuiſentibus per totam fere diem nunc hoc, nunc illo ad ſe introeunte verbis ſalutaribus communicans, integra mente & ſermone, ante mediam fere noctem deceſſit. Funus multitudo, quæ conuenerat, decenter dignéque tanto viro curauit. Eadem denique nocte, & vt coniici potuit, ipſa hora, qua obiit, cuidam congregationis ipſius, Adelgero nomine, in Monaſterio, quod dicitur Senonias in partibus Voſagi cum Fratribus quieſcente quidam in ſomnis apparens, ſurge, inquit, & quia Domnus Agilramnus defunctus eſt, campanas pro eo facito concrepare. Expertectus ille, & quibuſdam excitatis, dum ſigno tantùm innueret, nec certò intelligeretur quid vellet, luce data eadem referens, nec adhuc creditus, tertia die Epiſtola eius obitus allata noctem & horam nullo diuerſam fuiſſe compertum eſt. His ſuper hoc, quæ omittenda non erant, commemoratis, quoniam, de omnibus illius Collegij, qui ſinguli fere digni memoratu pro merito egregiæ conuerſationis eſſent, longitudine obſtante non ſufficimus, patrem nobis in Monaſterio S. Arnulphi datum Domnum Anſteum fas non eſt prætetire. Hic item in ſeculari habitu Domno Einoldo ſocius cui & ſanguine iungebatur, poſt aliquot annos relictis omnibus facultatibus ex

Archidiacono in pauperem Chriſti verè mutatus eſt, & in eandem ſocietatem commigrauit, vitâ non inferior cæteris claruit. Fuit autem linguâ quantum ad exteriorem ſermonem facundiſſimus, ſed & in ſcripturis ſacris ſtudioſiſſimus, quanquam & artium nonnulla ei noritia fuerit: corporis quoque gratia quædam virtutem eius animi inſignibat, vultu ac ſtaturâ decentiſſimus, vox ipſa virium plena grato, vt nihil ſupra, modulamine in ſacris concentibus aures implebat, quod tamen quantum in ſe erat cœleſtium deſiderio famulabatur, & ædificationi audientium ſeruiebat. Verbo gratia multa redundans exhortationi & animis vndecumque mouendis ad omnem facultatem in quolibet dicendi genere, vt Rhetorem deceret, ſufficiebat. Ad hoc & architecturæ non ignobilis ei peritia ſuberat, vt quidquid ſemel diſpoſuiſſet in omnibus locorum & ædificiorum ſymmetriis vel commenſurationibus non facile cuiuſquam argui poſſet iudicio. Aliquandiu ergo in eodem Monaſterio Decanus & Abbatis in omnibus onera ſtrenuè ſuſtentans, vita & verbo, omnique ſanctæ conuerſationis exemplo forma gregi Dominico factus, vt penè per ipſum poſt Abbatem omnia diſponi viderentur, tandem viro egregio Heriberto apud ſanctum Arnulphum, qui primus eidem loco à Domno Adelberone Pontifice Clericis inde ſubmotis regulari Monachorum ordine præfectus eſt vita decedente paſtor in Domino profuturus ſtatuitur: ibi breui eius induſtria claruit: habiracula enim Monaſtico ordini pulcherrimo ſchemate conſtruens, locum, quem omnino incultum, & nullis ad Religionem inſtitutionibus, ſuſcepit, ad omnes vſus Domino ſeruiendi aptiſſimum reddidit, & cum interioribus extruendis ſine intermiſſione operam dederit, non minus exterioribus, quæ item miſerè vbique locorum delapſa fuerant, reficiendis ſtrenuus & prudens incubuit. Ruris quidquid Monaſterio ſubiacebat, ita in vineis, pratis, agris, ſyluíſque excoluit, vt cum rem omnino pauperrimam, & vix pauciſſimo numero parcam nimis ſtipem promittentem inuenerit, poſt annum exactum (nam is grauis & quaſi peſtilentia attactus) fuit in omnem copiam rerum neceſſariarum Domino benedicente ſupereffluxerit, cunctíſque intrinſecus fratrum habitationibus intra quadriennium expletis, muro in modum caſtri forinſecus cuncta circundare animum intendit, quod opem vndique præbente eodem Venerabili Pontifico quatuor menſibus laboratum pene ad ſummam eſſet perductum, niſi infauſta Regni diſſenſio, quæ inter Domnum & glorioſiſſimum tunc adhuc Regem, póſtmodum Cæſarem Otbonem, & filium eius Liutulphum, & generum Conradum exorta, vſque ad gentis inimicæ Deo Hungrorum in nos eruptionem deſæuiit, impediſſet. Proximâ tamen æſtate Domino cooperante ocyus peractum, cumque horum extra perpetua ſollicitaretur cura, nihil tamen de his, quæ vel ad vitæ, vel conuerſationis puritatem, vel ad paſtoralis ſolertiæ vigilantiam pertinebant, eſt aliquando prætermiſſum, quin quotidie ſolitum penſum orationum, Pſalmorum vel lectionum ſanctarum expleret. Omnibus Dominicis & feſtiuitatibus Sanctorum celebrioribus Miſſas publicè dixit. Ad hoc vnaquaque quarta Feria priuatim, in quibus quantis gemitibus & lacrymarum victimis ſeipſum conficeret, ne referri quidem poteſt: & vt fiducialiter efferam, in viſceribus pietatis, & ſimplicitate cordis, & manſuetudine animi, condeſcenſione infirmorum, recreatione miſerorum, & omnibus omnino miſericordiæ actibus, non alter eo fuit præſtantior in his 25. annorum exactis laboribus, in ſanctæ perſeuerantiæ fine curſum conſummans pridie natiuitatis Beatæ Dei Genitricis decedens in monumento à ſe iam olim longè retrò à primis annis ſui regiminis præparato plurimâ deuotorum virorum frequentiâ, Domno & Venerabili Antiſtite Adelberone munus exequiarum explente depoſitus eſt ex parte Baſilicæ Aquilonari. Anno Domini 960. Sanctæ Metenſis Eccleſiæ Archidiac. Blidulfus iam in proceſſu loci eiſdem ſeruis Dei non ſine magno multorum miraculo ſociatus eſt. Viri enim cùm & nobilitate generis, & rerum copia non mediocri fultus, & multa in quamcumque partem arte animi callens, prudentiáne ea dicenda ſit an aſtutia. Ad hoc & literarum cæteros eius loci præter ſcientia, quippe qui ex Scholis adhuc ſupererar Remigij, tum ſecularibus ita deditus videbatur, vt vix cuiuſquam in eo Religionis veſtigia viſerentur. Is vt dicitur morbo repente præreptus Venerabilem Einoldum cinùs aduocans Monachum profitetur, ſtatímque habitum ſumens æger Monaſterio deuehitur, ac poſt paucos dies integer Deo propitio redditus, mentis

meliore integritate felix & multis deinceps exemplo futurus conualuit, atque in ſancta conuerſatione fere inferior nulli apparuit. Is poſt plures annos maiori calore virtutis tactus eremum altero quodam, cui Gondelach vocabulum fuit, ſibi ſociato, in remotioribus Voſagi experijt, ibiq; in illa diuinæ contemplationis ſuauitate, acerba admodum corporis caſtigatione, & mundo verè, vt veracium, qui eum nouerunt, fert ſententia, mortuus, decem aut eò ampliùs annos exigens felix deceſſit, atque in eiuſdem cellulæ ſuæ oratorio àb eodē ſocio ſuo viro æquè ſanctiſſimo, ſepultus, eundem ibi reliquit vitæ, vel rerum paupercularum hæredem. Porrò idem ſocius eius ex Monaſterio Fulda olim retro ante cōplures annos flore iuuenili conſpicuus, Treueris apud Sanctum Maximinum, ob inſignē Religionis conuerſationem commigrauerat, deinde Domni Eginoldi fama accenſus Gorziā veniens, ei indiuiduus ferè comes per aliquod tempus adhæſit, donec, eodem iubente, cum prædicto venerabili Blidulpho, in Monaſterio S. viri Ogonis magni & præclari prius in S. Maximino Abbatis; & poſt Leodicenſis Eccleſiæ egregij Pontificis Delegatus, poſt obitum ipſius Domni Ogonis. vtrique inde Gorziam regreſſi, mox breui ad ea quæ prædixi, eremi remotiora pari conſenſu ſecedunt, & vt dictū eſt ipſi Domno Blidulpho ſuccedens, locellum ipſum vſque in finem vitæ incoluit, doctrinâq; & vitæ puritate clarus ibidem quieuit. Virdunenſis etiā Eccleſiæ vir Religioſus Iſaac in vita Canonica ſatis decenter conuerſatus, iam canicie ipſa reuerendus cum alio bonæ ſpei, tunc iuniore nunc Domino auſpicabiliter prouehente eiuſdem S. Collegij Patre Domno Odolberto ferè poſt duos, quàm ſuperior Blidulphus venerat, annos, ſuſceptus eſt, quique vt erat magnæ ſimplicitatis & totus interioribus animæ bonis deditus ſine querela & innocentiſſima actione conuerſatus, etiam finem ſui diuino meruit præſcire reſponſo. Quieſcentibus namque quadā nocte fratribus Domnus Einoldus vigilans repente vocem producto ſono ter inclamantē audiuit ſic, Iſaac, Iſaac, Iſaac. Qui cum mane eodē accitu finis ſui eum cōmoneret, & quid audiſſet ediceret, &, ego, inquit ille, eaſdē voces audiui. & vocationem meā adeſſe cognoſco. Illicò autem morbo attactus breui deceſſit. De his igitur, qui quodāmodo eminentiores in ea congregatione viguerunt hic commemoraſſe ſufficiat, non quod omnia, quæ digna memoratu eſſent, de eis dicta ſint; cùm vtique de ſingulo quoque eorum propriū condi poſſit volumen; ſed & plurimi in eo ſanctu Collegio magnarum virtutum viri extiterunt, qui meritò in exemplum ſcriptis & laudibus efferendi eſſent, ſed à propoſito, quo aliquādiu diuulſi ſumus, iam quodam clamore reuocamur. Vnde his, quæ præteriri indignum cenſuimus, expediti, ad viri venerabilis Ioannis acta, cui hic propriè ſtylus ſudat, Domino miſericorditer præeunte accedamus. Primum quæ ei inſtitutio cōuerſationis & animi virtus fixa ab ipſis principijs in finem vſque ductu continuo fuit, vt in neutram partē mirabili vigore deflexerit, in quadā veluti breui tabella deſcribere cupio: quod ſicut à me expleri poſſe non mihi prorſus arrogauerim, ita vix vnquamà quoquam, quamuis diſertiſſimo, æſtimem comprehendi; nec verò penitus reticendum, ne ipſa parua, quæ dicentur, ſi pigro ſudario defodiantur, quos poſſent lucris dominicis ſubtrahant. Subiectionem patri & obedientiam tanta pertinacia tenuit, vt quidquid ſemel ore ille imperans emiſiſſet, hic tanquā famulus verberum metuens ſine dilatione arriperet, & in ipſis ſtatim principijs, dum pater Einoldus credito ſibi regimine loci vehementer angeretur, ſi ſibi exteriora curanda eſſent, qui longè alia diuinæ ſpeculationis meditabatur. Idem Domnus Ioannes ei accedens, non horū Domine, inquit, cura ſollicitemini, ego hoc vos faſce leuabo. Interioribus tantùm, vt cupitis, animum intendite, quidquid exteriorum eſt, ego Chriſti gratia & meritis veſtris adjutus mihi ſuſceperim. Cùm itaq; ita omnia ei commiſerit, & ipſe in ſolo Deo vacationē aſſumpſerit, non tamen quid vnquā paruum vel majus idem Domnus Ioannes, niſi eo conſcio, aut conſilio eius, & voluntate egit. Et horum ipſe Domnus Einoldus ſi quando ita interrat, teſtis erat, nunquam, inquiens, mihi inobediens fuit, nec fuit aliquando, qui me & illum in pacem reduceret: nec deſtitit prudens & ſagax in vtramuis partē Domnus Einoldus eum diuerſis exercere mutationibus. Nam plerumque ab exterioribus de induſtriâ eum reuocans ad interiora, etiam ad infimū quodque reduxit officium, in quo ne nutu quidem aliquando viſus eſt renuiſſe iuſſum: præpoſitis paret continuo, præpoſitura depoſita: eſto decanus, iugum quietus admiſit: eò abiens cellarium cura, manum illico profert: alio ibi ſuccedente, veſtes fratrum ſerua, nihilo plus reluctatur, ſic hoſpitibus, ſic ſi ita contigit infirmis, ſic quibuſque alijs imperatis ſumma cum alacritate moræ neſcius miniſtrauit, quæcūque nummis vel quibuſlibet

aliis rebus expendit, ſummam eorum in breue notatam Abbati poſt hebdomadã aut menſem reddidit, nec minus quęque extrinſecus de ratiocinijs quibuſque illata recepiſſet. Cúmque domnus Einoldus hæc audire faſtidiens, quia nihil ſuperfluo eum expẽdere ſatis ſciret, non vltrà ſibi hæc referri interdiceret, nihilominus tamen ipſe cuncta vſque ad ſiliquam, vt dicitur, annotata ſeruabat; patientiam, humilitatem, ſeu abjectionem & quæ omnia ſuperat charitatis in Deum, & in omnes feruorem incredibile dictu eſt, quanta fortitudine ſeruauerit; de quibus ſingulis quibus frequenter documento fuerit, ſi recenſere velim, nimium ſcripta ferrentur in longum. Vnde ſaltem ſimplicia annotamus. Præpoſituram Monaſterij vir Venerabilis Fridericus, de quo ſupra meminimus, & ſub eo hic Domnus Ioannes gerebat. Ille vt ſuperior hunc grauibus verborum contumelijs perſæpe etiam publicè & præſentibus ſecularibus irritabat, illo diutiùs perſtrepente. Hic tantùm item itemque ad ſatisfaciendũ terræ ſe ſternens perpetuum tenebat ſilentium cùm ille crebrò eadem clamore ingeminans ita feſſus iam & in verba deficeret, Ioannes ac ſi ſimulacrum ſine voce diu immotus perſiſteret, ad vltimum columnam vel parietem tangens, & vt eis potiùs verba quàm ſibi faceret dicens, è conſpectu ſe proripiebat. Ille eo tanquam contemptus incenſior quolibet fortè reſidebat. Inde poſt paululum motu ſubſidente, vbi placidior ad mentem redierat, ſecretius eodem Ioanne abducto pedibus eius aduolutus, occidiſti me, aiebat. Cum Ioannes, ego, in quo? patientia tua me, dicebat, occidit. Non ita, inquit iſte, ſed animoſitas veſtra vos occidit, nec pluribus, lites illicò rumpebantur. Nam idem vir Reuerendus hoc vno licet eſſet notabilis, cætera egregius, & vt magno natu conſpicuus & inſignis omnibus habebatur; & hos ipſos motus animi, quos vetus adhuc conuerſatio integrabat, prudens citiùs compeſcebat, doloribúſque ac planctibus vberrimis poſtmodùm le ſe conficiens condemnabat. Nec diſſimile huic eſt quod inferimus. Cellarium ipſe Ioannes; Bernacer autem iam ante dictus veſtiarium ſiue cameram fratrum ſeruabat. Is quadam die cellarium ingreſſus, vas quoddam, quod Imapum dicunt, guttulæ excipiendæ vaſi vinario ſuppoſitum inuenit, eo arrepto queſtibus Ioannem aggreſſus, & vas quod ſui miniſterij eſſet, cur ita perditum dediſſet, multa congeminans, illéque nihil læſum aſſereret: pro carrata, inquit, vini non ſic attaminatum vellem: cui Ioannes: decem, ait, vaſcula huiuſmodi carrata vna vini poſſunt acquiri. Iis Domnus Einoldus ſuperueniens, & altero iam abeunte, dum extrema, quæ vix dum finiens Ioannes illi eminus loquebatur, audiſſet. Quid hoc inquit eſt? An contenditis? illo protinus terræ proſtrato: non, inquit, præter panem, aquam & ſalem quidquam percipias, dum licentiam dedero. Iuſſa ſuſcipiens, nec ipſi quid referens, nec cuiquam verbum inde vllo modo faciens triduo continuo abſtinuit, & fortè tunc feruentiſſimi & ipſa æſtate dies fuerant longiſſimi, nec ob id ſoliti quicquam operis prætermiſit, quin alacrior & celer ad vniuerſa diſcurreret. Nam valetudo corporis ei iuſta, & in neutram partem nimia, facili motu per gratiam cœleſtem ad quæque agenda ſufficiebat, ab infimis quoque probra multoties infinita ſuſtinuit. Alij eum Hypocritam, alij Auarum, alij tenacem, alij fraudatorem publicè appellabant, nonnulli non eum ſeculum reliquiſſe calumniantes, in oculis familiam domus ſuæ, quæ cum matre Monaſterio ſeruiebat, ingerebant dicentes: tua huc ſubdolus contraxiſti, vt liberius ea hic poſſideres & melius quàm domi ſufficeres, hic procurares. Ecce & gynæceum clauſtrum Monachorum feciſti. Hæc & plura in faciẽ dum iacularentur, ipſe vt rupes immota manebat. Nec vnquã fuit quod quidem à quoquam reſcire ipſe potuerim, qui ex ore eius contumelioſum verbum retulerit, & hoc ſanè ſilentium inter clamores tenebat, ita tum nihil ibi, præterquàm terræ ſtratus veniam tacitus poſtulabat, quod & ipſis, qui longè vltimi ordine erant, eum frequenter feciſſe percepimus, quippe qui adhoc animũ dederat, vt nihil tam eſſet abiectiſſimum quo non ſe vltroneus inclinaret, vnde & ipſas latrinas fratrum cum frequenter purgaſſe non dubiæ fidei virorum relatione cognouimus. ſi quando ex more communi hebdomadam vicis ſuæ ſuſceperat in coquinam, & ex conſequenti munditiarum faciendarum non fere aliquãdo, niſi grauis eum occupaſſet vtilitas, vicarium requiſiuit: ipſe aquam à puteo hauſit, humero coquinæ illatam igni ſuſpendit, legumina vel olera lecta, vel manibus proprijs conciſa infudit, lauit, coxit, & appoſuit, vaſa refectorũ ſolus elauit, nec in pedibus fratrũ abluendis, quod erat finitimũ, alteri mandauit officiũ, & hoc quidẽ cõmune cum cæteris, illud autẽ ex ore eius ipſi percepimus, quòd farinam ad vſus totius congregationis duorũ vel trium modiorũ ſolus ipſe, vno tantũ puerulo aquã infundente, commiſcuit, ſer-

mentauit, in maſsã ſubegit, ſodore nimio in formulas panum expreſſit, dum piſtoribus opera reliqua ſuccederet, & hoc multi quamuis in conclaui clam omnibus id egerit, nota quadã nimiæ parcitatis inurebant, cùm ille fidele Chriſto mancipium ne quid rerum Monaſterii deperiret peruigil obſeruaret, & quod maius ac verius eſt, cauſa ſudoris ſui præmiis cœleſtibus munerandi ſui ipſius curam quam minimi duxerit. Ex his ſatis poteſt perpendi cibos lautiores, veſtes ſplendidiores, calceamentorum nitorẽ, ſtrati molliciem, balnearum fomenta, medicamentorũ in morbis quibuſq; ingruentibus adhibitionẽ, & quidquid omnino ad corporis aliquam delectationem accedere præter ineuitabilem neceſſitatem perpenderet, hæc velut crimini ducens penitus reſpuebat, cùm tamen nulli alii vſu eorum, quibus fortè opus fuerat, interdiceret: & hæc magna in eo erat diſcretio, vt cum ipſe ſibi auſterus & penè indiſcretus videretur, alij nemo miſericordior eſſet, ipſe ieiunans alios ad cibum cohortabatur, ipſe vigilans, aliis ſomnum indulgebat, ipſe laborans alios quiete remittebat, ipſe dum balneis penitus abſtinens ab ipſo conuerſationis ſuæ tempore nunquam eis vſus fuiſſe diceretur, niſi forte aliquando poſt grauem ægritudinem lecto reſurgens, ſi quibus tamen aliis competeret, nunquam damnauit vel interdixit, à perceptione cibi vel potus ante horam vel poſtea in perpetuum ſibi obſtruſa, nullum ſi cauſa infirmitatis expetiit, ſuſpendit; quin & ægrotantibus vſum carnium vltro ipſe obtulit, & non rogatus ingeſſit. Sic in veſtibus, calceamentis, ſtramento lectuculi, cùm ipſe ſibi viliora, abjectiora, parciora & duriora ſemper elegerit, cæteris ad omnem copiam, & quantum profeſſioni non nimis obſtaret, elegantiora & molliora exhibuit. Fallaciam vitiorum in his vigilantiſſimè obſeruabat, in quibus non facilè cuiquam etiam ſi eſſet ſuperior, ceſſit: ſed mox vitio aut fraude quemlibet aliquid petere ſenſit, omnimodis denegauit: cùm enim, vt dictum eſt, ſub motibus irarum ita mutus quodammodo exiſteret; vbi corrigendi locus adhuc inerat, ibi linguam excandeſcere, & in verba acriter pungentia vehementi quodam terrore videres effundi, nec omnino adulatio, quo communi pro dolor! morbo plerique laboramus, in eo quod foueri poſſet habebat, in quo ſimul & mendacis maculam vt capitale quiddam horrebat, vt ſi in gratiam potentium aliqua eum aliquando dicere neceſſitas loci aut temporis compuliſſet, ita inter vtramque viam cautus verbo incederet, vt & eos quantum ſatis eſſet attolleret, & veritatis limitem non excederet, præterque communem hodie l. e ninum obſeruantiam, illo Apoſtolico eum inſignem, vel ſolum, quantum humana paterentur eſſe perſenſimus, *ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*. Vigilias ac ieiunia in eo prædicare ſi cœpero, omnium, qui eum nouerunt, ora me oppriment: cùm vix quempiam huius ætatis, qui ei in his æquari potuerit, extitiſſe concordi omnes miraculo clament, cúmque perpetua pene lex ei eſſet, poſt vigilias quantacunque profunditate noctium actas ſomnum in lucem vſque neſcire, audires illum in illo, quod mos habet Monaſticus, inter nocturnum & matutinale officium interuallo, vario huc illúcque perreptare curriculo, & in morem apis pſalmos tacito murmure continuè reuoluendo, nunc circa altaria genua flectere, nunc paululum reſidendo mox exurgere, & aliquandiu ſtare, itémque egreſſus, è cœlo tempus noctis ſuſpicere, deinde lucernis, aut emungendis, aut reficiendis aſſiſtere, tum etiam ſcholas canentium reuiſere, interdúmque retibus texendis quod noctis ſupereſſet expendere, ſæpiſſimè ipſas communes præueniens vigilias, & lucernas dormitoris tanquam hæc ſibi ſpecialiter cura eſſet indicta, plerumque etiam vt videbatur ex ſuperfluo, cùm clarè lumen effunderent, corrigens; mox oratorium quàm latenter poſſet ingreſſus, & coram altari proſtratus diutinis planctibus & ſuſpiriis, vt cuſtodes audirent, cum multo lacrymarum flumine ſeſe conficiebat: inde aliquando ipſe ſignum ad vigilias concrepans, nihilo ſegniùs cum cæteris pſalmorum, orationum, & lectionum communium opus exequebatur, quæ tunc temporis vtique vt feruentibus conuerſationis initiis, & numero, & longitudine, & mora dicendi multipliciùs extendebantur; quæ poſtmodum puſillanimitas imbecillium in nonnullis compulit coarctari. Nam & orationes noctu ſerenâ mox ſigno dato ad vigilias multo prolixiores fiebant, & poſt ipſas omnibus pariter in choro reſidentibus 30. Pſalmi à 119. vſque in finem pſalterij, internæ orationes denis diſtributis pſalmis, ſigillatim ſilentio dicebantur, erántque primi decem defunctorum, medij familiarium, extremi generalium, breuioribus æſtiuis noctibus & feſtis diebus xv. tantùm cantica graduum, ternâ ſimiliter oratione diſtincta. Lectiones hyemalibus vigiliis ita producebantur, vt prophetis

qui Calendis Nouembribus ponuntur, duabus ferè hebdomadibus expenſis, aut denuo à quucunque eorum repeterentur; aut alia quædam adderentur, vnde & eundem virum ſub vna quondam lectione Danielem totum dum tertius lecturus aſſurrexiſſet, expleuiſſe percepimus. Item poſt dies Natalitios Apoſtolus, & à Septuageſima Epitaticus vſque ad dies Paſſionum, & in ipſis Hieremias integrè, ad vigilias legebantur, quorum nunc plurimùm ad menſas ſuppletur, & ſuper hoc poſt reliquum rurſus nocturni & pſalmorum conſuetudinalium vſque ad ſignum crepuſculi à pluribus plerumque pſalterium ſigillatim ex integro dicebatur. In quibus cum cæteri aliquando quid remiſſionis expeterent, hic ita infracto robore ſomno repugnans ad nullam ferè cedebat laſſitudinem, vt & toto quantum id protenderetur peruigil ſtaret interuallo, & matutino officio vel primæ horæ quæ continuè ſubſequitur cùm pſalmis 7. pœnitentiæ, & litania expleto mox lectioni accederet. Vbi ei aliquando ipſa vincente natura ſomnus obreperet, à codice ſe ſtatim excutiens, hinc illúcque pſalmi quid ſemper demurmurans ſpatiabatur, maximúmque æſtiuis matutinis huiuſmodi in eo cernere erat ſpectaculum, quibus aut rarò illum, aut nunquam lectulum repetiſſe, niſi minutio ſanguinis intereſſet, cognouimus. Nam noctu vel interuallis, hyeme vel æſtate, ſi ita forte intempeſtiuè vigiliæ longè ante lucem explerentur, vt nimia fatigatio compelleret, paululum ſe lecto reclinans, tum feſtinus illico reſurgebat, vt nec obdormiſſe quidem crederetur. Illud autem ſæpe ex ore eius ipſi audiuimus, quod ab ipſis conuerſationis initiis hoc aduerſus ſomnum matutinis horis continuum contraxerit bellum, quod nunquam ſuperare valuerit, quin iiſdem horis ſemper ſibi rediret infeſtior, ex veteri, inquiens, ſæculi conſuetudine hunc mihi blandum hoſtem nutriui, quia noctibus vigilans mane ſomno vſque in multam diem indulgebat, vnde huc vſque etſi non videam crepuſculum, tamen adeſſe ipſe quotidie ſomnus pronuntiat. Ad ſuperiorem ſcientiam ante conuerſionem vſum lectionis in quibuſcunque diuinarum literarum libris tanto ſtudio adiecit, vt eminentiſſimorum doctorum fere nullus eum præterierit, donec Spiritu-Sancto præuio ad omnem, quantum mortalibus fas eſt, notitiam ſcripturarum perueneri. In his primum moralia Beati Gregorij ordine quàm ſæpiſſimè percurrens, pene cunctas ex eo continentias ſententiarum ita memoriæ commendauit, vt in communibus exhortationum ſiue locutionum confabulationibus omnis eius oratio ex eiuſdem libris decurrere videretur. Nec minor ei Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi; & ſi quis antiquorum ad manus veniſſet, lectio erat: & quia ad id temporis, vtpote ſtudiis frigentibus, pene nec ipſi codices inueniebantur, Auguſtini in Ioannem, & Pſalmos, & de Ciuitate Dei integrè perlegit. Poſtremum in libris de Trinitate multa intentione ſudauit, in quibus eum de Dialecticis Rationibus quædam offendiſſet, maximè vbi propter demonſtrandam relationem patris ad filium, & ſpiritus ad vtroſque, eam, quę dicitur ad aliquid, categoriam introducit, ejúſque occaſione de omnibus quoque decem prædicamentis ſtrictim quædam commemorat, ſcholaſticam mox ſuper his ſibi aperiendis expetens, ab ipſis introductionibus Iſagogarum laborem arripuit lectionis. In quo cùm diu ingenita ſibi viuacitate ingenij, & vt in rebus cæteris, quas vnquam arripuerat, indefatigato labore luctaretur, repente domnus Pater Einoldus medios præcidit conatus: is enim rerum earundem iam olim ſtudioſiſſimus, & quanto labore ea conſtarent expertus, tempora in his fruſtra eum nolens expendere, breui prohibitione auertit, & vt animum potius ſacra lectione occuparet, vbi ſatis ſupérque & ſcientiæ, & quod majus eſt, ædificationis ei doctrina ſuppeteret, ille qui obedientiæ limitem tranſgredi nec ſemel iurauerat, mox incepto renuntiat, & in diuina vt à principio ſe totum tranſponit. Præterea Gregorij in Ezechielem multo vſu detriuit, vt pene memorię commendaſſe videretur: ad ſummam eiuſdem quæcunque eſſent Beati Gregorij, vnicè prætet cætera amplexus eſt, quamquam non inter hęc vitæ conuerſationes, vel dicta quorumcunque ſanctorum peculiari ſtylo de eis conſcripta, non eum præterierint, quippe qui ex ipſis in vſum propè conuerſationis ſibi aſſumpſerit Antonium, Paulum, Hilarionem, Macarium, Pachomium, & reliquos eremi ſectatores: tum Martinum maximum & ſanctiſſimum Epiſcopum, Germanum ad hoc, & quoſcunque auſterioris vitæ prælegerat, ſi tempora paterentur, forſitan attentare moliretur, quod vtique ex ea, quam arripuerat, caſtigatione dabatur conijcere, quem tamen etſi in laboribus corporeis diſparem, in virtutibus animæ non fere alium magis ipſorum

æmulum, noſtram vidiſſe ætatem, certo proferre non trepidauerim. Ioannis cuiuſdam Alexandrini Patriarchæ, quem Eleemonem cognominant, actus pene memoriæ retinens, in omnibus ferè ſermonibus cum grata & amica dulcedine reducebat, audientéſque ex eo multa attentionis ſuauitate retinebat: & quia de ſingulis proſequi operoſum nimis videtur, quorum non minor eum ſcientia vel imitatio aſſuefecerat, illud miraculo omnibus erat, quod cùm in iis tantum exercitij haberet, nihilo tamen quæcunque in rebus exterioribus agenda eſſent remittebat, quin circa diuerſa diſcurrens, & ſingulis ordinandis præcepta conſtituens, omnem totius Monaſterij in tam multiplicibus artibus & officiis rem ſtrenuè procuraret, cúmque poſſeſſionum Monaſterij vniuerſa in eum cura recumberet, tarus tamen illi ad eas proceſſus, potiúſque de ipſo Monaſterio quæque foris agenda eſſent dictabat, breuíque ſub tempore Miniſtris euocatis, menſis aut amplius quod ipſi expletum referrent edicebat, cum eminentior quælibet cauſa cum extraxiſſet, & ad cauſas agendas reſidere cum neceſſitas impuliſſet, id quanto citius negotia rerum patiebantur acceleratum, feſtinus interdum quoque nec pranſus Monaſterium repetebat, ſi quando foris manere res aut tempus exigeret, in quantum poterat cibi & potus menſuram Monaſterio ſolitam continebat: nam ſtrarus nunquam tegulam commutauit, vt plumam ſibi vllatenus præter capiti tantum ſubſterni permitteret, quod ex ipſo magiſtro ſuo Domino Einoldo, qui ex ipſis initiis hoc in finem vſque domi foríſque ſeruauit, vt verè diſcipulus doctorem regenerans pedibus eſt ſubſecutus, ſed & in ipſis prandiis ſecularium cauſa plurimum grauabatur: non tamen vt quiſquam eorum hoc vel leuiter perſentiret: nam ad omnem copiam ois quantum vellent non deerat, & ipſe cum eis multa iucunditate & condeſcenſione ſeſe gaudentem, & comem in omnibus exhibebat: ſed dum poſtmodum ſpiritualibus quibuſque colloqueretur, dolendo ingeminabat, ſe nunquam ita ſecularium conuerſationi, vel ad breue poſſe intereſſe, quin aliquid de conſueto ſibi modo conuerſationis deperderet, inſuper & terum fratrum plura inuitus expenderet: nam ita familiariter dicebat, dum ſermocinatio aliquando incideret de fratribus res foris curantibus, quòd non tam crebrò eos per ſe ea agere expediret, & verbo potius miniſtris laïcis mandarent, ipſique clauſtro ſe cohiberent. Nemo, inquiens, aliquando me magis caninus extitit, & qui plus tenaciæ argueretur, & reuera qui parcior foris eſſet, dummodo Monaſterio totum, vt opus eſſe cernebam, conueheretur, ſed nunquam, inquit, potui tantam adhibere diligentiam, vt quoties cum eis comedi, non fere tanta expenderem, quanta fratribus diatio conſueto ſufficerent: cùm enim quilibet, inquit, viantes priuatorum ſeu majorum, ſi qui in illa vel illa poſſeſſione, quæ eſſet Monaſterij, ex Monachis adeſſet, perquirerent, vt forte me ibi comperetant, ſpecie ſalutandi diuertentes, non congruè irrogati menſâ poterant ablegari, & ſic vtique non poteram obſeruare, vt quæque fratrum foris erant, vel quæque quoquo ingenio acquirebantur, integrè vt animus erat Monaſterio inferrentur. In ipſis iudiciis, etſi ab aliquibus notaretur, rectitudinis vel iuſtitiæ limitem nullatenus excedebat, vbi ſuperbia vel contumacia quoſdam ſupinos vel effrænes reddiderat, dum æquata cæteris colla refringeret, etiam ſi potentiorum patrocinia ſibi parare contenderent, nullo poterat inclinari. Ad id demum tota ſibi ſpectabat intentio, quidquid iuſtitia acquireret, totum fideliter Monaſterio inferre, & illud optimè cauit, ne ſacculus Monaſterij qualibet vnquam doli vel miſerorum fraude & calamitate contaminaretur. Æſtimauerit quiſque quod velit. Ego certa fide liberè pronuntiauerim, illum & ſemper odiſſe iniquitatem, & domino greſſus eius ſecundùm eloquium dirigente, non eum illi quantum humana patiebantur dominatum fuiſſe, qui vſuris eum inſeruiſſe, & ſub ſpecie Monaſterij neceſſitatum lucra vndecunque æſtimant egiſſe, ex ſuomet illum ingenio metiuntur; non quod in eo tale quid, aut viderint, aut certo didicerint. Commodabat equidem plurima, & recipiebat cautus, ne quo dolo debitorum falleretur, & ſecundum illud Perſij; *doctus & ad calicem vigilantis ſtertere naſo*, quod iſte meliori mutauerat arte, vt prudens diſpenſator dominicæ ſubſtantiæ ſumma induſtria obſeruabat, ne quid rerum Monaſterij deperiret, illud ſæpe de dictis Beati Gregorij ad quendam Diaconum res Eccleſiaſticas curantem commemorans, *res*, inquit, *hæ, nec meæ ſunt, nec tuæ, ita age, vt de his ei, cuius ſunt, rationem redditurus.* Si frumentum, vinum, ſalſ, vel quæcunque ad cibum pertinentia, ſimiliter ad veſtitum commodabantur, eiuſdem menſuræ, vel quantitatis repoſcebantur, vt nihil ſupra exigeretur, argentum pondo-

ac iuſto vel commodabatur, vel commutabatur, nec ipſum quod moneta iure extorquet, vllatenus petebatur, ſed quantum quis accipiebat aut dabat, æqua lance refundebatur. Nam ex laboribus agrorum & vinearum, in quibus ſummâ arte præcellebat, ſummóque ſtudio erat aſſiduus; in tantam ſupellex Monaſterij copiam ei diuina cooperante gratia exuberauerat, vt nulla eum inopiæ cauſa ad aliquid eorum impelleret. Quin potius ex ipſis laboribus cùm fratribus abundanter ſupereſſent, plurima venundata, quibuſcunque rebus vel in præſentibus, vel in futurum prouenturis ſufficiebant. Inde & res omnis familiaris alebatur, & ornatui multa ſuppeditabant, nec alia erant ei rerum temporalium lucra, quam opus ruris ſtrenuè exercere. Salinaſquæ, quæ vna tantum parte Regionis ipſius, quæ Vicus dicitur, habentur, extruere, vt in loco eodem plures, quas dicunt patellas, partim ex integro cum ipſis ſedibus emptas, partim quæ iuris Monaſterij erant, reparatas, multo vſui impoſterum profuturas parauerit, cum molendinis fluminibus cauſa piſcium occludendis, piſcinis priuatis parandis, gregibus armentorum, pecudum, auium domeſticarum ſeu agreſtium, tum quoque ferarum alendis inſtare, vt quibuſcunque vſibus fratrum, aut infirmorum, extrinſecus quoque, vel præſentium vel ſuperuenientium ad omnem ſemper copiam ſupereſſet. Magiſtris artium diuerſarum vndecunque conductis, primum clauſtrum muro in modum caſtri vndique circumſepſit, quod hodiéque non modo munitioni, ſed &, ſi opus ſit, oppugnationi adeſſe perſpicitur, deinde officinis intrinſecus neceſſariis, quoniam antiquarum ruinæ patebant, dum ex nouo reſurgerent, inſtitit indefeſſus: tum demum decori domus Dei in diuerſis ornamentorum generibus ſtudium adiecit, pallia, diuerſorum generum velamina, in vſus ſacros varia indumenta, vt Sacerdotalibus miniſteriis nulla deeſſent, cum & vaſa vſibus ſacrorum ex argento grauia opere ſolido atque eleganti parauit: Inde & Tumbam Martyris aggreſſus, tam ipſam, quàm quęcunque in diuerſis oratoriis erant altaria, laminis argenteis auro decenter inſignitis; Ad hoc & Ambonem Euangelio recitando operuit, & durabili robore compegit: Taceo coronas tam luminoſo fulgore à laquearibus dependentes, lampades locis & ordinibus tam diuerſas, candelabra tantorum ponderum ac ſpecierum, ſimul cum his vaſa penè ſine nomine omnia argento ſolido perfecta. Ad vltimum campanarum eam quæ viſitur & numeroſitatem & enormitatem, cæteráque operum eius inſignia, quibus peritiſſimum eius, vt erat in omnibus fere artibus, enituit ingenium, quæ vtique & memoriam præterlabuntur, & ſi quæ ſuccedere poſſunt, perſequi tentauero, nec prorſus ad explendum ſufficiet pauperrimi ſermonis anguſtia, & in tantam ea exuberant copiam, vt etſi ab aliquo forſitan poſſent explicari, non ædificatoriam oblectationem, ſed vt noſtræ mores ſcio ætatis, tædioſam omnino facerent lectionem; vnde ad alia cenſeo tranſeundum; ſed ne forte quis ſupra quàm res ſe habeant in huius viri fauorem ferri nos tacitè denotet, & hæc quæ huic aſcribimus magiſtri potiùs cuncta fuiſſe, id nequaquam abnuimus, imo ita eſſe plane aſſerimus: eiuſdem enim patris & magiſtri domini Einoldi iuſſionibus ex ordinatione cuncta perficiebantur, nec aliquid hic aliquando temerè arripiebat, niſi quod ore illius primo exiſſet. Verùm citius his occurritur, quoniam facta diſcipulorum in laudes redundant magiſtrorum, & nec ipſe Dominus Ioannes ad ſe vnquam quidquid egerat replicabat: ſed ſic ipſe inquiens, iuſſit, ita & exequor, ſed non ob id iſte expers operum eorundem meritò dicetur, cui labor totus ſudauit, illo dictata tantummodo dante. Quid verò inter quos quàm huic fruſtra cauſa contrahitur, cùm inter ipſos neuter neutri, quid aliquando diſconueniret, inuenerit, pater ſuum eſſe quod filius., filius quidquid ipſe congruè egerat, patri reputabatur, nec coniunctiora à ſeculis, Chriſto teſte, paria ſibi conueniſſe fatebor: ſi creditur fidei merces certa, ſin minus nobis, quod certo cognouimus, certo & proferre nemo obſtiterit. Cùm mens multa ſuggerat, & ad ſpecialia ac ſingularia quædam ipſius tangenda iam impatiens non retineat, de lege ieiuniorum, quam ſibi indixerat, quia ſupra pene prætereram, quàm breuiter potero, prius perſtringere cupio. In ipſo mox conuerſionis initio totum deinceps tempus, exceptis feſtis diebus, & occaſione alicuius ineuitabilis curæ corporis, & infirmitate, ſeu hoſpitum condeſcenſione, ieiunio diſpoſuerat dedicare, quod & aliquandiu, & robore adhuc iuuentutis, & priſtinæ olim in ſeculo fiducia caſtigationis viuacitet tenuit, & tanquam nihil omnino grauaretur, vt leue quiddam nec ferè ſentiens agili corpore, corde, vultúque lætiore peregit, híſque diebus nihil præter panem ſu-

mebat

mebat & aquam, & in ipſis quoque omni parcitate adhibitâ, vt non fere plus medietate panis, qui integer libra appenditur caperet, aquæ quoque ſimiliter vltra medium menſuræ, quæ fratribus apponitur vini, vix quidquam adiiceret, ſalis, herbarum virentium, aut alicuius talium, quæ abſtinentibus non interdicũtur, quidquam penitus nec attingebat, hoc & ipſe Domnus Einoldus dum ipſe ſe ipſum experiretur, interim permiſit: poſt aliquod deinde tempus, cùm eum valde perſpiceret defeciſſe, nec tamen à cœpto ceſſare, ſed vltra vires contendere, moderatè compeſcuit, & vt magis, quod ferre poſſet eligeret, monuit. In tantum nãque iam ſeſe confecerat, vt die quadam cũ fratribus ad hortum egreſſus, dum operi enixiùs incubuit, corde repente deficiens, citiúſque clauſtro ſe feſtinans recipere, in media via prolapſus ſit, atque inter manus deductus. Itaque regulam tolerabiliorem aſſumpſit, vt duas tantum quadrageſimas in anno peragerer, vnam ante natiuitatẽ Dominicam, alteram ante Paſcha. Priorem quidem idibus Sept. cùm nona hora fratres prandiũ repetunt incipiens ſequente mox ab octauis Epiphaniç Domin. tertia, & quinta communem cæteris tenens refectionẽ, vel quos quatuor abſtinebat dies, pane tantũ & aqua lege ipſa cõtentus, quam diximus: ſin verò feſtus quilibet dies incidiſſet, aut hoſpites ſuperueniſſent, eoſdẽ quoq; refectione mutabat in ſanguinis quoque minutione, quã plus menſe differre vix poterat, curam corporis non reſpuebat, ideò autẽ tanto prius tẽpora præueniebat, nec propinquiora ipſis ſolemnitatibus expectabat, vt ſi forte quęcunque dierum diſpoſitorum alicuius talium caſus præciperet, ſupereſſet ei in reliquũ, quo eoſdem dies recõpenſaret, ſufficeret: vnde multoties, cùm ita contigiſſet vt ex prædictis occaſionibus, aut aliis quibuſque accidentibus tota ſibi hebdomada, aut forte duæ vel amplius voto explendo impedirentur, mox optata reddita libertate numerũ prętermiſſorũ dierum continuara binis aut amplioribus hebdomadibus continentia, Dominica duntaxat vacante, cunctis, qui videbant, ſtupẽtibus vel dolentibus inſtaurabat. Itaque ne ex uotiuis quadraginta diebus, illo vel illo tẽpore quiſquã præteriret, callidus nimiũ obſeruator inuigilabat. Plerũque cernere erat illum ipſa quoque præſcire futura, cũ talem continuationem ieiunij tanquam ex improuiſo arripere videbatur. Nã ita ſæpenumero animaduerſum eſt, quod cùm ſic omnis remiſſionis ignarus ferueret, ſubſequente aut nuntio, aut aliqua ineuitabili neceſſitate Monaſterio progredi cogebatur: nam quandiu foris erat, humani diei latrocinia ſolerter attendens, ſecreti ſui cuius Deo tantũ mercedem ſeruabat, ſeculares arbitros eſſe cauebat: quanquam igitur & aliorũ tẽporũ certa ieiunia, aut quatuor anni temporũ & ſolemnitatum ſparſim per annum...... occurrentia ſtrenuè, ſi tantũ ſecum res eſſet, peregerit: nam etſi gloriæ ſemper fugitans itinere & hoſpite ſæpe reſoluit. Hæc tamen duarũ in anno quadrageſimarũ vota ferè nunquã prætetiit, reliquo anni tempore, quanto ſcilicet fratrum bina refectio tenditur, cõmuniter ſine aliqua adiectione vel diuerſitate conuixit, ciborũ quidquid parabatur, nullã faciens differentiam, nec viliora ſibi affectans, nec lautiora detrectãs, qualitati coctionis, qua cæteris miniſtratũ eſt, vſibus ſuis vnquã aliquid adiici vel mutari permiſit. Panis æqualis & ſimilis, vinum eiuſdẽ menſuræ & ſaporis nullo vniuerſalitati diuerſum aliquando fuit, feſtis diebus, quibus quàm lautius & exquiſitius fraterna iucũditas in honorẽ Domini vel Sanctorũ poteſt apparare conſueuit: quæcunq; apponebantur, liberè ſumebat; hoc non vtor, illud affer, vel para, nunquã ex eo auditũ, ita in nullo aliquando cibo & potu notabilis apparebat, quin & ipſe vt talium apprimè peritus parari hæc quàm lautiſſime his diebus faciebat, & nullo apparente typo ſumebat, corpus ei pene naturali ſemper inſolubilitate duruerat, vt difficile cibus in eo decoquererur. Inde potiones herbarum, aut plerumque quæ ad id facerent vel conducerent pigmentorum libenter ſumebat, his tantum admiſſis reliqua medicorum tam diuerſa arte confecta recuſabat. In ipſo illud Apoſtoli, ſcio eſurire & ſatiari cum præ cæteris huius temporis ſumma arte, & quadam veluti diſciplina inſtitutum & conſummatum palam enituit, nec enim eſurie demiſſior, nec refectione vnquam apparuit elatior. Ad ſummam pœnitentiæ rigorem eundem vſque ad finẽ vitæ mira perſeuerantia tenuit: quódque tantum ſuperexcellit, vt à nobis quolibet ſermonę expleri non poſſit: vnde his modo impoſito, ad ea quæ de exterioribus eius geſtis ſcire potuimus, ſtylum vertamus: in quibus partim prudentia ſagacis ingenii & robur animi virilis gratiâ ſupernâ adiuti, partim ſola diuinæ virtutis operatio, vbi humana adeſſe non poterant auxilia, ſunt demonſtrata. Cùm primò, vt ſuperior textus docuit, ibidem ſancti viri prompta domni Adelberonis Epiſcopi, voluntate ad locum Gorziam iam dictum conueniſſent, aliquandiu quidem ope eius imprimis ſuſtentati

ſunt, quia nec dum facultas eis fuerat, vt de poſſeſſionibus Monaſterij, quæ iam hinc longè retro beneficio ſecularium ceſſerant, eis aliquid reſtituere. Inde cum aliqui diuinitus inſpirati fama bonæ opinionis illuc confluere cepiſſent, & ſanctæ Congregationis augeſceret multitudo, res vix dum tenuis, exiguum præ ea quæ tunc non tanta, ne dum ad eam quæ poſt futura ſperabatur in dies magis magíſque augendam numeroſitatem pollicebatur ſtipendium, ad hoc & idem vir ſanctus Adelbero, regno tunc diuerſis perturbationibus concitato, circa plurimas curas diſtentus, minus eis ſolito proſpicere poterat. Inde compulſi iam aliena ſolatia penè quærere, deſtinauerant, & quia ſub idem ferè tempus Ogo præpoſitus tunc Sancti Maximini, fœlicis poſtmodum exẽpli, à ſeculari conuerſatione ſe reſtrinxerat, & ope Ducis Giſleberti idem Monaſterium ad regularem conuerſationem reduxerat, eiuſdem pio molimine Præpoſiti, illo ſe trãſferre aliquantiſper aſſenſum......inter hæc Dominus Einoldus rem fluctuantem ſaniori comp....ne quadam die inter cætera exhortationis verba omnes ſic alloquitur, ſcriptura, inquit, aſſerit, quia, *cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Negligentiam ergo noſtram hinc aduertere poſſumus, quia ſi eo, quo oportuerat, ſtudio mens nobis in diuina intenderet, facile Domino fuerat virum hunc flectere, & nobis comem & beneficũ reddere, & cor eius ad quod nobis expediret conuertere. Pluribus deinde, quæ ad ea conducerent, eos exhortatur, & vt nouitatis ſuæ conuerſionis memores, qui eis tunc feruor fuerit, retractarent, & ne quid nunc languidiùs, frigidiùs, ac negligentiùs apud ſe agereur, cautè perſpicerent, ac ſi quid horum ſentirent, omni vigilãtia inſtaurare contenderent, tantos repente eis animos reddidit, vt nunc ſinguli, nũc omnes, in nouam quandam conuerſationis pugnam acriter conſpirarent. Ad conſueta quiſque & regularia majora, & productiora adijcere, ipſa licita ſponte ſibi ſubtrahere, cibo, potui, ſomno, linguæ, ſeu cuilibet corporis requiei minimũ quiddam indulgere, vt tũ primùm, quaſi cõuerſationis initia viderẽtur, arripere, cùm interim prædicti Ogonis Præpoſiti S. Maximini, Ducíſque Giſleberti ſuaſio de migrando eos ſtimularet, etiam ferme triennio Epiſcopus loco abſtinuiſſet, fortè pro viro quodã iuris Monaſterij, qui rebus quibuſdã Epiſcopalibus præerat, Ioannes Metis aduocatur, blandè primùm ab Epiſcopo conuenitur, ne ſibi quod peteret denegaret, veſtra, inquit, petitio iuſſio eſt, virum illum, inquit, mihi cedas depoſco. Ille paulo cõmotior, & cui mens longè aliàs intendebat. Exemplo, inquit, fabulę Dauid nunc vtimini, vbi diues innumeris quas habebat ouibus parcens, hoſpiti ſuperuenienti vnicã pauperis ouẽ vi abſtractã iuſſit apponi, ſic cum infinita reliquorum copia abunderis, vnum hunc nobis pauperibus præripitis. Adducto ſupercilio, cùm ſe ille vix aliqua animi commoti verbo ſignans indicia auertiſſet, Ioannes ſeè conſpectu proripuit. Fridericus Monachus S. Huneberti, cuius ſupra mentio facta eſt, ſub ipſa ferme hora ingrediens, & ex vultu deiecto animũ perpendens, Quid, inquit, ſupercilia vobis ſic video dependentia? Nam hunc, vbi commotior eſſet, habitum velut naturalem ſibi induerat. Ab hoc, inquit, inſano Ioanne, vt nunquam antehac à quoquam ita contemptus ſum, vt nec pro homine vno apud eum intercedere valuerim. Ille conſcius quæ extra conflabantur conſiliorum, niſi, inquit, prouidebitur, proximè cunctis eis carebitis. Nam cum Duce & Præpoſito, quia à vobis parum ſibi adeſt auxilij, eos iamdudum conſciuiſſe cognoui, vtque in S. Maximino traducantur, ocyus maturatur. Concitè Ioannes reuocatus, & cur impulſus abiiſſet rogatus, cùm ſilentium tremebundus teneret, non te, inquit Epiſcopus, tam animoſum credebam, nec in te tam fere nulla ira difficilem æſtimabam. Peto igitur hominem, vel vſque ad aliquas inducias mihi cedas; ille quid in cauſa eſſet intelligens, nam pactio pecuniæ intererat, quantumcunque, inquit, iubetis ad quadraginta inquit dies & ille, etiam ad annum, ſi placet, non diu poſt hæc Epiſcopo quieſcenti perſona quædam terribili ac minaci vultu apparens hæc ſibi eum quadam auſteritate dicere videbatur bonum bene cœpiſti, ſed à cœptis nimis citò defeciſti...........defectio majorum tibi cauſa eſt ruinarum: repara quæ cœpiſti, ne in deteriora procumbas: expergefactus & ſecum multa pertractans de opere à ſe cœpto religionis, & tanto tempore neglectam hanc eſſe commonitionem non ſine acri dolore perpendit. Cubiculario mox, cui Marzilino cognomen; accito, ſumma, inquit maturitate Gorziam proficiſcere, & Abbatem Einoldum huc continuò adeſſe iubeto. Ipſam fortè noctem Abbas Metis egerat, ac diluculo reditum parabat, móxque Matutinis dictis abſcedens, cùm portæ ciuitatis acceſſiſſet, clauéſque ibidem operiretur, ecce nuntius ad ſe acceſſendum miſſus approperat, eóque viſo & ſalutato: Labore, inquit, me releuaſtis.

Nam ad vos huc euocandum mittebar, dominúſque vos continuo ſibi iuſſit adeſſe, illo mox adueniente réque tam repentina Epiſcopo ſtupefacto, vt ingrederetur, iubetur. Salutatione inuicem data & reddita, diu, inquit Epiſcopus, eſt, quòd rebus aliis obſtantibus Gorziam non veni: ſed Deo volente animus mihi eſſet illuc veniendi: cum maximo, inquit, vos videbimus gaudio: præcedite, inquit, vos, & quo die eam, vt videbitur, reſignate: erant tunc dies ieiunij Quatuor temporum menſis ſecundi incraſtinum, & eis exactis, vt fieret, dixit, non opus eſt, inquit Abbas, ob hanc cauſam differri, ſed ipſe hodie præcedã, & cras vos hora, qua videbitis, expectabimus: hora, inquit, tertia veniã, craſtina profectus, cum iam Monaſterio propinquare cœpiſſent, loco, qui dicebatur ad Crucẽ, equo deiectus ac diſcalceatus, ſic vſque ad Monaſteriũ pedes incedit, exceptus oratione facta, cõuentu aduocato, veſtigiis eorũ ſupplex proſternitur, neglectũ ſui circa eos ad id vſque tẽporis accuſat, ſpe de ſe meliori eos deinceps recreans, veniam ſummiſſus exorat, eâ facile impetratâ villam quondam iuris Monaſterij, quam etiam tunc germanus ipſius Gozilinus in beneficio retinebat, quæ Waringis villa dicitur, eis continuò contulit dans mandata Miniſtro, vt niſi omnes reditus integrè Abbati aſſignaret, ſi quid fraudis ibi machinaretur & doli, maledicto Dathan atque Abiron ſub Chriſti præſentia mulctaretur. Poſt horã ieiunij refectione exhibita, omni cum alacritate Epiſcopo abſcedente, mox in craſtinum Abbas cum ſenioribus quibuſdã ad villã proficiſcitur poſſidendã, cùm obiter ad caſtrũ, quod Scarponna dicitur, peruenissent, hora ferè tertia equus Ioannis claudicare cœpit. Quid, inquit, Abbas, equus ille ſic claudicat? Ferro, ait, perdito dolet: nõ vltra procedas, inquit, donec imponatur. Nos hic interim operibimur. Cùm ad forum concitus declinaſſet, quidã fortuitu, quo tenderet, requiſiuit: ille paululũ cunctabundus, prodetis, inquit, ſi me non celabitis, vnde, ait, tu es? ex villa portus, inquit, erat autem hæc etiam prædictæ poſſeſſionis, illuc, inquit, imus ex iuſſu Epiſcopi eã poſſidere. Paucis me, ait, audite. Cenſus totus pecuniæ adhuc ibi retinetur, nã cum proximè eũ Miniſtro Epiſcopi, is qui collegerat, attuliſſet, quia quinq; fortè ſolidi defuerãt, niſi ſimul totũ acciperet, recuſauit; ſed & annona anni præteriti adhuc recondita iacet, ipſéque Miniſter partẽ non modicã ſuis vſibus ſequeſtrauit. Ioannes celeriter equo ferro impoſito rediens, & in antẽ, quæ didicerat, Abbati loquutus Miniſtrum Epiſcopi hora circiter quinta conueniunt, qui tunc fortè apud prædiũ nomine Laium, cum Comitiſſa Eua tunc vidua, cuius ipſi tunc aduocatus erat, morabatur, Albulfus vocabatur. Is mandato Epiſcopi accepto, hodie, inquit, hic quæſo manete, cunctáque præbebo neceſſaria, donec præmittã, & condigno vos ibi honore excipiã. Quibuſdã aſſentientibus, Ioannes profectionẽ ſine dilatione inſtimulat. Senioribus quibuſdam dicentibus, puerilia hæc eſſe conſilia, & potius ea die ibi quieſcendũ, fruſtráque eſſe abſque vllo opere laborare. Abbas, ſatius, inquit, eſt properemus. Ioannes celeriùs præcurrẽs; nam non plus leucas tres aberant, refectioni habilem domũ in villa ipſa præoccupat, cæteráque ad id diligentiſſimè præparat, móxque horreũ ingreſſus callidus omnium explorator, vt ſibi erant prædicta, ordine cuncta inuenit, Cenſus collectorem cõtinuò aduocans. Ne quid ex tota, quam penes ſe adhuc retinebat, ſumma prorſus ſit diminutum, vſque in præſentiam Abbatis & Miniſtri Epiſcopi vehementer ex auctoritate interminatur Epiſcopi. Interea Abbatẽ cum ſuis aduenientẽ lautiſſimè excipit, miniſtro in craſtinũ expectato, ab eo ſub noctẽ clam nuntius miſſus, cenſorémque conueniens, vt ſibi pecuniã, quam pridem attulerat, Domino ſuo deferendã daret; ille interdictũ ſibi ex verbo Epiſcopi dicens vacuũ remiſit. Condicto in craſtinum miniſter cũcta, vt iuſſa erant, exequitur & iuri eorum integrè poſſeſſionẽ, quæ tota centũ Manſuũ quantitate protenditur, incolis ſacramento addictis aſſignat. Albulfus facilè nuntium Abbati dirigit, vt quædam, quę ex ſuo contractu ibi habuerat, ſibi reddi iuberet, cumque eſſet, ſcitum nihil prorſus eius ibi eſſe, ſed cuncta vſibus Domini cedere, conſilium forte fuit, vt ſolidi decem aut quindecim pro bona eius exequutione darentur. Nuntius niſi libras duas acciperet recuſans, Dominóque renuntians, ſtultè, inquit, egiſti, quod offerebatur reiiciens: nam forte iam nec ad aſſem peruenit, ipſe poſtmodum iam aperta fronte ſua .... niſi reddantur, Epiſcopum ob iniurias conuenturum. Ioannes, & nos, inquit, non diffugimus. Forſitan res eius non damnis augebitur. Ille conſcius retro commiſſorum: Domini mei, inquit, eleemoſynæ in nullo obniti vel obſtare cupio, tanta ego aliàs gratia ipſius mihi collata retineo, vt facile his, etiamſi plura eſſent, amotis ipſius gratia carere, quin &

mei iuris hæreditarij, ſi quid competat vltro velim adijcere. Ita re cuncta ſedata partem aliquam fructuum ei ceſſerunt, & pro bonâ eius poſtmodum in ſe pace ac gratiâ, & vt ſicubi opus exiſteret in ſui defenſione, eo deinceps vterentur, ex argento ſimiliter aliqua largiti ſunt, ſimili modo non multò pôſt, dum fratres pro quadam proximè ſibi poſſeſſione frequentibus pulſarent precibus, difficiliſque omnino pateret effectus, temque iam deſperatam diuino ſoli referrent auxilio, repente Epiſcopus Abbate accito; quod tanta, inquit, importunitate eluctarum tandem habete quod poſcitis, nec mihi gratiam vllam, ſed Beato Petro, qui me nocte vehementer perterruit, & vt facerem coëgit, rependite. Tempora diſſenſionibus nimiis, regnum hac illuc quoque ſibi trahente, fluctuabant. Otho maximus poſt rerum Auguſtus poſt genitorem ſtrenuum per omnia Regem Henricum prima regni tunc auſpicia cæperat, ſub quo Giſlebertus Ducatum regni Lotharij, Euerardus Franciæ, Auſtraſiæ, & quorundam trans Rhenum tenebat locorum. Transrhenaua interim quieta manebant, noſtra variè infeſtabantur, nec iugum facilè admittebant. Inde Boſo quidam filius dudum principis Burgundionum Richardi partem aliquam regni ſibi euindicans, caſtriſque ſe continens munitiſſimis, dominatum cuiuſquam prorſus reſpuerat, Victor.acum Campaniæ caſtrum obtinens inter reliqua circumpoſitorum, poſſeſſiones quaſdam Monaſterij Gorzienſis, ac ſi iure hæreditario vſurparat, ad has repoſcendas, ſi fortè apud talem virum, & pro diuino timore locus precibus vllus eſſet, Ioannes ab Abbate & fratribus deſtinatus eſt. ille, cui obedientia cuncta difficilia vel impoſſibilia facilia & poſſibilia reddiderat, per infeſta latrocinijs loca, & quæ multitudine quoque eſſent formidanda, vno tantum comite ex familia ſibi aſſumpto, iter aggreſſus eſt: dum ex improuiſo adueniſſet Comiti nunciatur, & quidnam ferret incertum, coram intromiſſus, vbi legationem Abbatis & ſeruorum Dei pro re, quâ mittebatur, abſoluit, illo in iram concitato: Quis te, inquit, maleficus hûc adduxit? vbi cuſtodiæ illæ meorum, vt eas ſic pertranſieris, adfuerunt? Quomodocunque, inquit, adductus ſim, huc perueni, & mandata & preces ſeruorum Dei ad vos affero, vt quæ de rebus ipſorum inuaſiſtis propter amorem Dei, timorem vel reuerentiam Sanctorum, eis reſtituatis. Interrogatus quæ eſſent? Ea audiens omnimodis abnegat, & vt ſe citò ſummoueat, imperat. At ille: ego, inquit, ſummoueri poſſum, alij item multo noſtrorum ſunt plures, & potentiores, quibus vicibus ſuccedere non ceſſabunt, nec à latratibus eorum requiem dum viuetis, habebitis. Quæ mihi, inquit, cura latratus eorum? Clamabunt, inquit, aſſiduè. Ad quem rogo? Num ad Regem neſcio quem tuum? Num ad Ducem tuum illum Giſlebertum? quem ego ac ſi ſeruum meum reputo nouiſſimum? Pari modo & de Epiſcopo tuo eſt Adalberone, quem ipſum vtique quantum mihi virtus fuerat, iuuare decreueram, qui de vitrico quoque eius Richizone eius cauſa vindictam ſumpſi: ſed quia contra me ad Giſlebertum defecit, viderit quid ei ex hoc commodi ceſſerit? Tunc Ioannes: Clamabimus, inquit, ad Deum, qui æquè perſonam noſtram accipiet ac veſtram. Ille commotior: non hinc, ait, caballum referes vel iumentum. Poteſtati veſtræ, ait, hoc erit, & quando aliud non erit conſilij, pedes redibo, non cæteros tamen ob hoc deterrebitis. Ille iam magis accenſior: membris iam ipſis quoque, inquit, multaberis: at ille: vobis, ait, id facile efficere, mihi autem non minus pœnæ .... vtique non ſatis dolebo. Si oculis priuabitis, magnis me curis & laboribus leuabitis, quia ſedens quietus pſalmis & orationibus intentior eſſe valebo. Cùm de virilibus ille minaretur, maxima me ait ſollicitudine ſecurum reddetis. Iam ferè arripi iuſſerat eum, cùm coniux prudens ſanè mulier interuenit, & ne tali ſe infamia dehoneſtaret, ſupplex monet, ne iam nec Monachis vel ſeruis Dei parcere diceretur; & quia poſtulata negabat, ſaltem illæſum abire permitteret: ita dimiſſus, & à Comitiſſa, quæ ſatis comptè eum exceperat, quiddam viatici percipiens, dato ſibi ab eâdem duce quodam, quouſque ad loca à latronibus obſeſſa liberè eum tutò perduceret, iter feſtinus arripuit: circa horam ferè tertiam villam quandam ingrediuntur, vbi Mercatum ea fortè die habebatur, & ecce multitudo per totum forum diripientium vendentibus atque ementibus æquè ſpoliatis, mortem inſuper, ſi quid oblatrarent, minitantium, Ioannes comitem quem ex Monaſterio ſumpſerat, clypeum ferentem intuitus, ſic inquit, clypeus damnosè nobis adoectus eſt, quia nec tu eo, vt expedibit vteris; & ipſe in nos forſitan impetum concitabit; quia tu ille, inquit, cæteros mortalium ſolus tam confidentiſſimus incedis, & merito dignáque morte peribimus. Cũ repentè dum hæſitant quendã ſibi notũ dux, quem Comitiſſa dederat, conſpicatur: eo accito, cauſã-

que dicta: maximo, inquit, huc periculo aduenistis, & an vos huic quoq; pacto expedire poſſim ignoro. Ioãnes ad hæc, vel trãſ ſyluã vſque quæ proxima cõſpicitur, nos perducere poſſis, cætera Dominus procurabit. Ita turbam prætergreſſi gradu pacifico ac temperato ad ſyluam vſque procedunt fonte captato ſtimuli acrius ſubiguntur ac præpeti curſu ſaltu tranſmiſſo, libero iam gramine quodam cibum ſumpturi deſcendunt. Ioannes panis caſei ac piſcis quiddam ex ſubcellaria pelle producens...... poſt tergo ſui ſoluto, ducem ad ſumendum cibum hortatur. Inter edendum dux producto ſuſpirio, tres aut certe quatuor inquit menſes ſunt, quibus nullo iuſtè acquiſito cibi vel potu vſus ſum præter quo nunc vtor. Nóſque omnes, væ uobis miſeris: non niſi præda & calamitatibus veſcimur miſerorum. Ad hæc Ioannes ſalutarem ingreſſus doctrinam inuenite multis aduersùs hæc hortabatur, multóque melius inopiam, famem, ſitimque ferendam, quæ Deus vtique, vt auibus, vel vermibus ſubleuaret quam ijs quibus Deus offenderetur inſiſtere. Tandem ad hoc ſermo proceſſit, vt ab eo die ſe ab his temperaturum promitteret. refecti iuuene dimiſſo Ioannes, dum Veſpertinæ ſynaxis ſignum daretur, Gorziam peruenit. Non multi interfuerant dies. Ecce Nuncius Comitis Boſonis Gorziam veniens anxio dolore Dominum graui ægritudine lecto nuntiat decidiſſe, ac penè deſperatum iacere, ſummáque prece Monachum, qui pridem à ſe receſſerat ſibi mitti poſtularet, protinus Ioannes Abbate iubente celer progreditur, Comiti nuntiatur adeſſe, dum coram veniſſet: quando, inquit, proximè hunc digreſſus es, non tam prope mihi æſtimaueram finem vitæ poſſe ſubripere, habeto ecce prædia, quæ poſtulaueras, tantúmque patronum me rerum earundem efficite, & quidquid exinde vobis deperierit, ego auro probato repenſabo His dictis vel actis dum è conſpectu abiiſſe & hoſpitio quo ſatis humanè curari iuſſi fuerant, ſe recepiſſent, Comes ſomno, quo iam per plures dies vel noctes penitus carens nimia tabe defecerat, ita repente opprimitur, vt ab horâ nonâ vſque in ſubſequentis diei horam fere tertiam non euigilauerit; at tandem experrectus coniugem nomine ſæpius iterato inclamitat, ſibi aliquid quod ſumat aſportaret, cuius itidem iam pluribus actis diebus nulla ei copia fuerat aſſumendi, quo ſatis delectabiliter ſumpto, iterum vſque horam fere nonam obdormiens, experrectus Ioannem aduocat eúmque ſalutis ſuas recuperatorem teſtatur. Honore multo deductum, & pro quibuſcunque voluit præbe.......

Poſſeſſio erat Monaſterij longo iam retro tempore beneficij nomine ad Comitem quendam palatij Hamedeum deuolutã, qui ſimul bona Monaſterij ſuæ precaria vel præſtariâ, quam dicunt, obtinebat. Eodem obeunte in eadem poſſeſſione, quâ proxima erat Monaſterio, nec dum funere elato, quod Metis fuerat deferendum, vt in Baſilica B. V. Mariæ, quæ dicitur ad Xenodochium, humaretur, Ioanni Gorziæ eſt nunciatum: caſu tunc ibi Epiſcopus aduenerat. Ioannes citò Abbatem cauſam commonet, ordine edocens Epiſcopum interpellet: Abbas mox introgreſſus & grauitate illa ſua paululum cunctabundus, poſt aliqua an, inquit, audieritis: Hamedeum veſtrum dicunt defunctum; & ego, inquit, audieram. Abbas ſubiunxit: Is quiddam iuris Monaſterij ſub precariâ detinebat, id nobis recipere liceat, perimus. Omni, ait, illud libertate recipite, Abbas re Ioanni relata, quid, inquit, poſtulaſtis? Ego, ex hoc nihil commonui, nam iſtud gratis nobis rediret, ſed beneficium vt repeteretis ſuaſi: protinus Abbas Epiſcopum repetens dicit, inquit frater Ioãnes me nihil vtile apud vos effeciſſe: quid igitur, ad eũ intenti ſumus? Res ait quaſdam menſæ Fratrum proprias retinebat, quas vt repoſcerem ſtimulauit: Epiſcopus vultu toto demutatur: vos ait nunquam quidquam eorum tenuiſtis, & omni tempore beneficio ſunt deputata. Cauſa verò erat quod in his difficilis videbatur, quod fratres ei plures ex Matre erant, & eis vſque ad id tẽporis parum conſulere potuerat, pluribus res Epiſcopij retinentibus, quos priuare nec jus, nec conſilium erat. Tanto robore ex ſuperioribus Epiſcoporum rebus factis nitebantur & ideo hac vel qualibet occaſione ipſis germanis quo quid largiretur expectabat, huic tamen intentioni alias probati & in rebus diuinis ſpectati ſancti viri miro ordine diuinitus eſt refragatum. Nam Abbatis reſponſo eius pene ab omni vlteriore .... conuentu quo pridem valde oblecta .... & ſatis iucundè eis fuerat conuiuatus. Iuit quidem ſed parum ore libans protinus redijt, móxque dicto completorio ſtratu ſe locat multa ſecum verſans, medium fere noctis inſomnio fatigatus, vbi nullo ſomnum datur adſciſcere pacto, vt mos ſibi erat, ſurgit, & orationi incumbere ten-

tat, ſed ea adſolitis intentionis viribus ita ei reſolutior fuit, vt ſtratum acedioſus repeteret, ibi diu ſomni cupidus diuerſo lateris motu defatigatus, nec vllo effectu eius potitus, ſurgit, arcam Martyris petit, culpam coram ſtratus fatetur. Voto res quibus de agebatur ſpondet reddendas, baculum inſuper altari ſupponit, hoc inquiens, Martyr Sancte, tuum tibi reſtituo: genibus flexus orationem intenſiorem nunquam præterea ſe, neque valentius fudiſſe profeſſus eſt. Oratione aſſurgens ſtratum petiit, in ſomnum concitè ſoluitur, & peruigilia prius inquieta ordine poſt naturali compenſans in nonnullam auroræ partem ſomnus protrahitur. Iam ſole rubente experrectus, & hymnorum ſibi ſolito ſoluendorum memoria perturbatus, ſatiſque cauſam ſecum retractans, tandem laudes ſurgens expleuit. Mox Ioannem iubet acciri, quo præſente: mala me ait nocte confeciſti, & baculum altari impoſitum cape, & poſſeſſiones, quas poſtulaueras, poſſide. Ille pedibus prouolutus, non, inquit, Domine ita conuenit, vos paululum vt defatigatus, requieſcite, & interim horæ primæ ſigno dato & celebrato, conuentum fratrum adite, & non vni, ſed omnibus, quod omnium eſt, dono gratuito reſtituite. Ita fecit inquit. Ecce ſolito maturiùs turba ſuorum diuerſis ex locis conuenit. Nam ipſe ibi moram fecerat, duobus vel tribus Clericis, totidémque cubiculariis contentus, mox Monaſterij ianuam penetrauerat, cunctis ſe comitantibus ablegatis, ſæcularium extraneus morabatur. In ijs qui conuenere, erat germanus .... Eccleſiæ cuſtode quodam incauto .... recti cubiculum Epiſcopi quieſcentis petebant .... celerius comperit, feſtinus in occurſum venit & quia infra...... Religio fuerat, ſigno vt ſe ſequerentur dato ianuam eos longè .... cuſtodi in aurem ſuſurrans, vt ſtatim à tergo ianuam occludat, ibi eos diuerſis allocutionibus illis parum iucundis aliquantum detentos, & Epiſcopum quia noctis incommodo dormire nequiuerat, tunc tandem quieſcere dicens, vt quidpiam cibi interim, nam æſtatis erat tempus, capiant monet. Illis recuſantibus, nec niſi colloquium Epiſcopi ſe quidpiam velle dicentibus: ſatius, inquit id eſt, dum ipſe iam ſolitis ſibi rebus expletus copiam ſe conueniendi exhibeat. Ita eos demoratus, & concitè paratâ guſtatione implicitos ipſe intro regreſſus ſignum pulſat prima dicta, pſalmiſque ſolemnibus, in Capitulum Epiſcopus inuitatur. Nonnulla pro tempore fratribus exhortatione factâ, fratres rem iam partim edocti poſtulationem faciunt rerum prædictarum, quibus in nullo abnuens, baculúmque prætendens. Habeat quod ſuum eſt Martyr beatus, eoſque mei memores habetote. his peractis, mox qui conuenerant, irrumpentibus, vehemens ſibi à germano fit ſupra rebus eiſdem vexatio. Iam Monachis ea reddita reſponſo, multis ille inſuper inſtare, & Monachis omnia vndique abunde ſufficere, ſuis magis eum debere conſulere. Vbi nihil profuit, & Epiſcopus cibo cum fratribus ſumpto progreditur iteratò ab ipſo limine Monaſterij per totam viam vſque vadum fluminis ſuper his ſermo repetitur. Iámque vadum ingreſſurus cùm multo iam tædio afficeretur. Fruſtra inquit, nitimini. Verè ſi mediam partem Epiſcopatus ipſis Monachis conceſſiſſem, nec paſſum pedis eis propter quempiam veſtrum auferrem, plura ſunt alia, quoties opportunitas tulit, Ioanne interueniente Monaſterio multis iam temporibus ab alienata & recepta ſunt ....
.......ndum accedamus. Legatio Regis .... inſigniſſimque factotum in gentes diuerſas tunc iam magni........ Domni Othonis perciti forte cum muneribus pro regia munificentia .... legati quibus Epiſcopus quidam præerat, dignitate ſolemni pro tanta maieſtate excepti, diúque retenti. Inter moras Epiſcopus, qui legatis præerat, mortem obit, dum à noſtris qui item eò remittantur diſquiritur, poſt nonnulla aliquandiu tracta conſilia id demum conuenit, vt quia idem Rex ſacrilegus & prophanus, vt pote Sarracenus, & à vera fide prorſus eſſet alienus, quíque quamuis amicitiam expeteret principis Chriſtiani, in literis tamen, quas miſerat blaſphema nonnulla in Chriſtum euomuerat, cum ſcriptis imperialibus, quæ ferrent, vocem quoque ſuam ipſi aperire, & ſi quo pacto diuinitus daretur immutare poſſent perfidiam. Forte ſub ipſos dies Adelbero noſter ſacræ memoriæ palatium adierat. Bruno magno ac felici poſtmodum futurus vſui & decori germanus Regis ſapientia & prudentia cùm rerum publicarum tum omnium liberalium eruditione diſciplinarum ita apprimè eruditus, vt ſui temporis omnes ſuperaret, & antiquos penè æquipararet, cui inſuper & Græcæ lectionis multa acceſſerat in-

ſtructio, omnium tunc temporis publicè ac priuatim agendorum communicator, ac prudentiſſimus erat conſultor, eique imperialium data prouincia literarum. Is variè cæteris conſultantibus, noſtrum Adalberonem ſacræ memoriæ nominat Epiſcopum, nullique aptius id negotij ſic poſſe iniungi, quia ipſe plurimos perfectorum virorum haberet, quos humanis nequaquam ceſſuros terroribus ſatis conſtaret, vt pote ſeculo iam defunctos, & libero pro fide coram quibuſlibet poteſtatibus ore locuturos. Conuenitur continuò Epiſcopus, & vt duos ſuorum idoneos legationi Hiſpaniarum paret imperatur. Mandatis acceptis Abbatem Einoldum aduocat, regia mandata inſinuat, ſuorum duos diſquirat, qui imperata perficiant, lecti primum duo Angilrannus & Wido, regiæque........ .... ſumptus & copia parantur itineris, ad hoc & quo .... partium Hiſpanarum, qui eos iuſſus erat deducere mora............ cùm ecce præfatus Vvido alter delectorum, die quadam pro qua neſcio negligentia in conuentu fratrum increpitus, in tantam aſperitatem proteruię tam in Abbatem, quàm in vniuerſum erupit Collegium, vt ad vltimum cùm tumor nimiæ animoſitatis, & inſaniæ in eo nequaquam reprimi valuerit, nec regularem pati diſciplinam aliquatenus acquieuerit, demptus cucullo Monaſterio pelleretur. Id imperatori continuò nuntiatur. Iuſſum illum abradi, aliúmque pro eo aſciri, cùm diu is quæreretur, omnéſque prorſus refugerent, nec in tanta congregatione quiſquam inueniri poſſet, qui ſe id aggredi vllo modo poſſe fateretur, Ioannes repente nihil cunctabundus ſe vltro offert. Abbate aliquantulum ægréferente, quod in eum tota re Monaſterij incumbente, grata quiete ipſe potiebatur, eo nunquam, ſi eſſet poſſibile, abſtinere pateretur. Vicit tamen perfectio charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed potiùs, quæ aliorum. Simul quia videbat virum cupidum eſſe Martyrij, ſi fors ita tuliſſet, Chriſto potiùs tranſmittere, quàm ſuis optauit neceſſitatibus retinere. Ita aſſenſus imperatori ex legatione Epiſcopi Ioannes dirigitur: Imperator multo hoc amplius delectatus, quem ætate & prudentia ad id negotij omnimodis idoneam aduertebat, mandata cum literis ſeu muneribus Imperatoris ei committit prædictumque Virdunenſem, cui nomen erat Ermenhardo, ſocium ob locorum Regionúmque notitiam facit, cui munera tradi Ioannes expoſtulat, ipſe literarum tantùm bajulus fit. Rediens Gorziam iter ocyus accelerat, poſthabitíſque ſocij procraſtinationibus, ipſe litteras ſecum habens, omnium Sanctorum precibus commendatus & votis, proficiſcitur, Sumptus omnis ex Monaſterio ei factus. Miniſtri Monachus tantum vnus, Garamannus vocabulo, ordine Diaconus, bonæ per omnia indolis ad .... quinque ſunt delegati. Socius .... vico quodam non multum à Tullo diſtante, qui inde .... inſequitur ſiue Lingonas, Belnam, Diuionem, Lugdunum, ... verſus intendunt vbi ſarcinis naui impoſitis Rhodanóque vſque ad certum locum vehendis, diſpendium perpeſſi non modicum: nam nauibus inuaſis, plura ſuorum amiſerant, poſt quædam recepta Hiſpaniam tendit. Barcinonam venientes, quindecim diebus morantur, donec nuntius Tortoſæ miſſus eſt. ea prima Regis Sarracenorum erat. Dux continuò eos properare reſignat, exceptóſque menſe integro detinet, atque ad omnem copiam procurat, donec velocius Regi Cordubæ nuntiati, de exceptione eorum per ſingulas ciuitates & loca dignè regiâ mandatum eſt honorificentiâ: tandem Cordubam Regiam vrbem deducti, à palatio domus quædam duobus fere millibus diſtans eis eſt delegata. Vbi regifico luxu omnibus etiam præter vſum exhibitis per nonnullos dies coacti ſunt remorari, cùm iam moratum tæderet, cúrque præſentia Regis tandiu retinerentur, ab his, qui ſe procurabant, diſquirerent, dictum eſt, quia nuntij prius miſſi à Rege noſtro triennio erant detenti, ſe ter tantum, id eſt nouem annos, condictum eſſe aſpectu Regio abſtineri. Interea quidam ex palatio illuc viros viſum venientes, cauſámque aduentus eorum percontantes, dum callidè cuncta explorant, nihílque ab eis certi acciperent, qui ſibi niſi præſenti Regi mandata cuiquam edicere fas nullomodo eſſe dicebant, illi iam cuncta ſe præcepiſſe iactabant, & quia contra leges ipſorum litteras Regi afferrent, vltimiumque eis ſine dubio inſtare periculum, quia & ipſæ iam literæ in notitiam principum deueniſſent, & reuera quanquam dolo contigerit, ita erat. Nam à ciuitate Tullo noſtræ prouinciæ, Comitem Epiſcopi legati defuncti, de quo dictum eſt, quendam ſecum Preſbyterum aſſumpſerant, qui toto deinceps itinere eis in omnibus communicans cùm Tortoſam, quæ prima erat

Regni Sarracenorum veniſſent, metuens vitæ ſi cum Comes legati defuncti ....
.... fido ſibi poſcens monſtrati citiùs excip................
ar Auguſtæ & reliquis ciuitatibus vbi ter............ remorantibus ipſe Cordubam præcedit cum literis, ... notuerint, parum cognitum fuit. Cæterùm rumor optima .... commouit, itaque primates inter ſe conſilio habito, & vtrum in notitiam Regis ea iam venerint diſquirentes, vbi parum id compertum habent, per ſe Regem ſtatuunt ſuper hoc perquirendum: lex enim tam improvocabilis eos conſtringit, vt quod ſemel antiquitus omni rei genti præfixum eſt, nullo vnquam liceat modo diſſolui, paríque nodo Rex populúſque tenentur innexi, omníſque tranſgreſſio gladio feritur. Si quid ab inferioribus Rex, ſi quid Rex ipſe commiſerit, cunctus in eum populus animaduertit, eis in legibus primum, dictúmque eſt, nequis in Religionem eorum quid vnquam audeat loqui, ciuis ſeu extraneus nulla intercedente redemptione, capite plectitur, ſi Rex ipſe audierit, & in craſtinum gladium retinuerit, ipſe morti addicitur, nec vlla interuenire poteſt clementia: Primoribus ergo illis palatium petentibus, cùm Regi ſuper hoc per nuntios ſuggeſſiſſent. Nam acceſſus ad eum ipſum rariſſimus, & niſi maximum quid ingruerit, nullus, tantum literis per Sclauos cubicularios omnia perferuntur. Ille nihil eorum ad ſe perlatum reſcribit. Amici legatos ſibi miſſos, eiſque filium ſuum in domo propria percepiſſe, necdúmque ſe, quid afferrent, reſciſſe. Ita tumultus illorum ſedatus eſt. Nam pro certo rumor ad eum iam venerat, & miſſis clam nuntiis vera eſſe comperterat, ſed timore ſuorum taliter rem omnem ſuppreſſerat. Rex vndique meticuloſus ancépſque periculum ſibi poſſe imminere conſiderans, artibus omnis generis quà euadat perrentat: & primo quidem Iudæum quendam, cui nomen Haſdeu quo .... ſe vidiſſe aut audiſſe noſtri teſta.............. qui de omnibus ab eis ipſis territus exploraret. Is .... diſperſum fuerat regij eum baiulum eſſe mandati ....rimo quo ſollicitabantur metu eum erigit, nihilque mali quemquam eorum ibi paſſurum, ſed cum honore patriæ remittendos ſe dicit. Multa de ritu gentis, & qualiter ſe coram eis obſeruare deberent, commonuit. Ipſi iuniores à quibuſcunque variis laſciuis motibus locutionibúſve compeſcerent, nihil ram paruum fore, quod non mox Regiæ notitiæ perferretur: ſi copia ſibi egrediendi pateret, ne qua ſcurrilitate fœminis ſaltem nutu ſe applicarent, nullam ſibi peſtem truculentiorem futuram, legem ſibi propoſitam nullatenus excederent, quo nullo obſeruantius notarentur deprehenſiq; nihil reprehenderentur. Ioanne ad ea, prout competebat, reſpondente, arque acceptiſſimè monitorem ferente, ſuóſque ex contrariæ partis homine ſuffundente, poſt plura inuicem conſerta, pedetentim Iudæus cauſam ingreditur, quid miſſi ferant ſollicitè diſquitit: dum paulùlum videt cunctari Ioannem, nam tunc ſecretò inter eos agebatur, ſui dat fidem ſilentij. Imò ſi opus ſit tuti opem conſilij: Ioannes cuncta ordine digerit: Dona Regi miſſa, Epiſtolâ præterea auribus Regis inferendâ, abſque ea neque dona exhibenda, neque præſentiam ſibi Regis fas eſſe conueniendam. Sententiam ſimul Epiſtolæ verbis aperit. Periculoſum, inquit Iudæus, cum hac Regem videre: cauti certè ſitis quidnam nuntiis vobis miſſis Regi reſpondeatis. Regis enim ſeueritatem iam vobis innotuiſſe eique declinandæ prudenter oportet conſulere. Illo tunc diſcedente, poſt aliquot menſes Epiſcopus quidam Ioannes ad eos miſſus eſt, qui poſt multa mutuæ confabulationis rogata, & reddita, vt ſit inter fideles, colloquia, mandatum Regis ſubinfert, vt cum muneribus ſolummodo in conſpectu Regis aduen iant. Quid ergo, Ioannes ait, de literis imperatoris: nonne earum maximè cauſa directus ſum? Quia ipſe blaſphemias præmiſit .... deſtruentibus confuterur. Ille ad hæc temp.........
ait ſub qua conditione agamus, peccatis ad hæc deuo.......... ditioni. Reſiſtere poteſtati verbo prohibemur Apoſtoli tantum....... ſolatij quod in tantæ calamitatis malo legibus nos propriis vti non prohibemur. Si quos diligentes Chriſtianitatis viderint obſeruatores, colunt & amplectuntur, ſimul ipſorum conuictu delectantur, cùm Iudæos penitus exhorreant. Pro tempore igitur hoc videmur tenere conſilij, vt quia Religionis nulla infertur iactura, cætera eis obſequamur, iuſſiſque eorum, in quantum fidem non impediunt, obtemperemus. Vnde tibi multo ſatius nunc de his reticere, & Epiſtolam illam omnino ſupprimere quàm ſcandalum tibi tuiſque, nulla inſtante neceſſitate pernicioſiſſimum concitare. Ioannes paululùm commotior, alium, inquit, quàm te, qui videris Epiſcopus, hæc proferre

ferre decuerat. Cum ſis enim fidei aſſertor, eiúſque gradus celſior poſuerit etiam defenſorem, timore humano à veritate prædicanda nedum alios compeſcere, ſed nec te ipſum oportebat ſubducere, & melius omnino fuerat hominem Chriſtianum famis graue ferre diſpendium, quàm cibis ad deſtructionem aliorum conſociari gentilium. Ad hoc & quod omni Catholicæ Eccleſiæ deteſtabile eſt & nefarium, ad ritum eorum vos audio circuncisos, cum fortis ſententia Apoſtoli reclamet, *Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Itemque de cibis, quos gratia communionis eorum abominamini. *Omnia munda mundis*, & erunt Doctores vaniloqui & ſeductores docentes illa & illa, & inter cætera, abſtinere à cibis, quos Deus creauit percipere cum gratiarum actione fidelibus, & *ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem*. At ille, neceſſitas, inquit, nos conſtringit: nam aliter eis cohabitandi nobis copia non eſſet, quin & à maioribus longéque antiquis traditum obſeruatúmque ita tenemus. Nunquam, Ioannes, inquit, id approbauerim, vt metus amore, vel fauore mortalis, transgrediantur ſtatuta...... deflexos nobis nunc pro auctori..... fuerit conſenſus, cum dolore non neque am.....qui amorem facere videmini Reginæ Cœlorum: quoniam eis vos..... fatemini mihi procul eis neceſſitatibus Chriſti gratia libero, ſi..... miſerante, ſtat animus, quod nullo terrore, allectione, vel gratiâ, ab his, quæ Imperatoris ſuſcepi mandatis, deflectar. Nam nec ſine Epiſt. Imperatoria, nullis inde demptis vel commutatis vſque ad vnom apicem literis, eum conueniam, & ſiquid contra ea quiſquam oblatrauerit, quæ ſanæ & Catholicæ fidei ferimus, & diúerſus ad hæc aſſerta obuenerit, palam reſiſtam, nec ipſius amore vitæ ab affectione veritatis diffugiam. Hæc Regi clam nunciantur: nam nec dom illa publicè à Rege, quibus item publicè reſponderet, mandata directa fuerant. Sed Epiſcopus ille diſquirendi tantùm gratia aduenerat. Rex callidis, quibus omnibus mortalibus præſtare dicebatur, conſultationibus mentem hominis modò hac, modò illac attentare excogitat, & tanquam muro præualido diuerſa arte impulſis machinis, ita firmitatem pectoris eius, ſi quo pacto daretur, certat concutere. Cúmque poſt menſem aut ſex vel ſeptem hebdomadarum ſpatium ei Regij nuntij mitterentur, atque ex ipſo quid apud ſe præfinierit quærerent, nihilque immutatum à primis initijs renuntiarent, Rex miraculo tantæ conſtantiæ in diuerſa agebatur, & primò quidem terrere eum plus metu Chriſtianorum, qui Regno eius liberè diuinis ſuiſque rebus vtebantur poſſe credens, die quadam, quę Domioica erat, ei Epiſtolam plenam minarum miſit. His enim tantùm diebus Dominicis, aut ſi quæ feſta noſtrę Religionis erant, maxime, natalis Domini, Ephiphaoiorum, Paſchæ, Aſceoſionis, Pentecoſtes, S. Ioannis, Apoſtolorum, aut nominatorum erant Sanctorum, ad Eccleſiam proximã, quæ erat in honore S. Martini, permittebantur accedere. Cuſtodibus hinc inde duodecim, quos ſagiones vocant, ſe deducentibus. Cùm ergo ea Dominica ad Eccleſiã acceſſiſſet, in ipſo itinere Epiſtola ei porrecta eſt, & quia cartæ magnitudo: nam quadra pellis veruecis erat .... ne ſacrorum qno tendebat auocaretur, interim diſtulit..... tis ad diuerſorium remearent, vt reuoluit terrentia quædam....... poſſent inuenit, nec vnquam aliàs ita ſe vllis terroribus percitum..... poſt multa quæ ei niſi iuſſis Regis aſſentiretur, comminabantur, quibus tamen nullo ſe motum fuiſſe teſtatus eſt, ad vltimum inſertum eſt, quod ſi ipſum interimeret, nullum in tota Hiſpania Chriſtianum viræ relinqueret, ſed omnes gladio trucidaret, addens hoc: cogita, inquit, quot animarum propter te interfectarum apud Deum reus eris, qui niſi contentione tua, à quo pacem & ſalutem magis ſperare debuerant, oullo alio reatu peribunt, quique pro eis quæcumque velles obtinere à nobis poſſes, ſi non tanta obſtinatione nobis aduerſus perſiſteres. His in ipſa qua ab Eccleſia hoſpitium repetebant viâ tacitè perlectis, dum magnis animi æſtibus aliquandiu agitatur, vt vel quod contra ea conſilium caperet, vel qualiter ad hæc Regi reſcriberet, quia non ſatis literis reſpondendi vſum habebat, repentè ſententiæ illius cœlitus, vt ſæpe nobis fatebatur, memoria menti terrorem omnem metúmque proterruit, *Iacta*, inquit, *in Domino curam tuam*, & alterius, *quis fecit os hominis nonne ego*? Mox hoſpitium ingreſſus, fratri Garamanne, inquit, ocyus pellem, in quâ quidquid eloquar adſcribas, para: illo ſtatim exhibente quadram exſectam vt ſumeret imperauit, calamóque parato ſedenti exorſus ſcriptoris velocitatem tanta verborum copia vicit, vt ſæpenumero ſcriptor dum plurima iungerentur, ſe non poſſe excipere quereretur. Erat enim idem Garamannus eius artis elegantiſſimus atque aſſuetiſſimus, primo ordine ad

ſingula reſpondit, ſe legatum miſſum præceptis Imperatotiis fidem inuiolatam ſeruare, non ſibi fas eſſe vt cui tanta maieſtas literas ſuas, & eas non ſignatas crediderit, ſine his faciem eius cui directus ſit videat, aut abſque ipſo in Regis, cui miſſæ ſunt, recitentur conſpectu; ſi ſic patiatur, ſe in nullo Regio honori defuturum quia .... Alter vniuerſa porius lege.....quam extra ea quæ ſibi indicta eſſent vel quantum ca......excesſurum, & ſicut ſuperioribus iam ſe itidem terrentibus reſpon....ſi etiam particulatim cuncta ſui corporis membra à minimis articulis vſque ad ſumma vitalia cotidianis reſectionibus decerperentur. Nam non maiorem vſquam cruciatum inferri poſſe, quam ſi hodie hoc articulo digiti, cras altero, inde per dies ſingulos ſingulis, inde brachio, armo, póſt femore, crure, pede, præciſis, poſtremò truncus reliquus fodiatur non eo tamen ſe territum aliqua ratione ceſſurum: ſe quoque ſatis compertum habere ex relatione anteriorum ſibi miſſorum ipſum Regem iam aduertiſſe, quod mori non nimis ipſe timeret, ideoque ſuperfluum eſſe eo ſe velle terrere, quod ipſe leuiſſimum reputaret. Iam quod ſcripſerat ipſo interfecto nullum in tota Hiſpania reliquum ſfacere Chriſtianorum, ſibíque reatum tantæ ſtragis à Deo imputari, id longè aliter ſe habere, nec ſe cauſam eſſe cædis ipſorum, ſed malitiam crudelitatémque iræ ipſius, ipſóque pœnas inrerfectorum luente, ſibi cum ipſis interemptis Chriſto propitio vitam meliorem ſuccedere, cum tamen id quoque Deo facile eſſer commntare; & ſicut Mardochæus quondam mandauerat Heſteri, *Si nolueris nunc intercedere, forſitan per aliquam occaſionem liberabuntur Iudæi, & tu & domus tua peribitis.* Ita & nunc Deum facere nihilominus poſſe, vt poſtquam omnia ab ipſo Rege eſſenr promulgata, iamque ipſis ceruicibus gladijs nouo & inopinato ordine ſuis Dominus ſubueniret. Quocirca huiuſmodi ſe minis vel terroribus noſſet nullatenus promoueri, quia qui Mardochæum à ſuperbiâ Aman conſtantiæ tenacem miro ordine eripuerit, ipſe ſibi, quia non proteruiæ, ſed obedientiæ cauſa intereſſet, quoquo pacto ſibi placitum videretur, non deeſſet. Huiuſmodi ſententiæ verbis plurimis auctæ atque teſtimonium competentium robore hinc inde præfultæ paginæ totius campum impleuerint, nec prius ori dicenda defecerunt, quàm ſcriptor impleta membrana nihil ſupereſſe confeſſus eſt. Hæc Regi perlata, non in iram, vr prius, menre......... Iampridem enim à ſuis, quibus res noſtræ iam fuerant peruulgatæ abſti.......... Imperarori noſtro obluctari rentaret, eum bellicoſiſſimum multarum gentium victorem: Iniurias omnes, præcipuè legatorum, quod nunquam alias ſeueriore animo repetitum, ac plurimorum copijs Regnorum coactis Hiſpaniam totam poſtquam variis calamitatibus vaſtauiſſer, fortè tandem iure victoris ſibi ſubiecturum. Pluribus ita iactatis quidam fortè ſuggeſſir, vt quia vir ille tantæ videbatur conſtantiæ, ac non minoris arbitrari poſſet prudenriæ, quem etiam tanti temporis mora in lege ſua tam fixum monſtraſſet, ac proinde nihil fidem mortalibus non denegaret, is ipſe ſuper hoc, quid facto ſibi opus eſſet, conſuleretur. Ita nuntijs ſe conuenientibus, poſtquam vltima hæc mandata percepit, tandem, inquit, ſapientiore conſilio rem tractaſtis, ſi mox initio id eſſet quæſitum, non tantas vobis & nobis tædij & anxietatis moleſtæ, tot ſpatia temporum protraxiſſenr. Nunc citum id & facile exrat conſiliũ. Mittatur Domino noſtro Imperatori legatio à Rege veſtro, vt mihi, quid de commiſſis agere debeam, deſcribat. Eius literis iterum viſis ad vniuerſa obediam, his Regi nuntiatis, acceptóque conſilio vt à prudente ſuggeſto, quæri iubeturquis iter tanrum vellet aſſumere: cùm ratus aut fere nullus palam ſe proferret, propoſitúmque eſſet, vt quiſquis illuc iret, honore quouis potito, & cuiuſcumque generis muneribus rediens potiretur, tandem extitit inter palatina officia Recemundus quidam adprimè Catholicus, & literis optimè tam noſtrorum quàm ipſius inter quos verſabatur, linguæ Arabicæ inſtructus, qui tantũ in Regia habebat officij vt diuerſorom pro neceſſitatibus ad palatium concurrentium cauſis extra audiris, quia literis omnes ibi quærimoniæ vel cauſæ ſignãtur & reſignantur, hic notata inferret, itidémque reſponſa referret, pluréſq; eidem alij erant officio delegari. Is trepidationem cæterorum aduertens ſibique tempus fortè oblatum nonnulli adipiſc..... quæ erar merces viro qui vendi....... nam ita ſolemne eis verbum, vt quoties ſummo quoti... quis deſtinatur, ita ei dicatur, vende mihi animã tuam, ſi ſoſpes exieris, quam ampliſſimè muneratus hoc Reuerendo quærenti reſpondetur quidquid poſtulatum ab eiuſmodi eſſet conferendum. Ille tantum veniæ ſibi dari petens, vt cum nuntijs concluſis ſibi copia eſſet loquendi, poſt vtrum tentare deberet edice-

ret. Hoc ei conceſſo Ioannem conueniens, mores & inſtitutа patriæ noſtræ ſollicitè diſquirit; Imperator cuius eſſet clementiæ, quantæ moderationis in ſuis, vtrùmve præceps in iram, & an in ſemel prolatam irreuocabilis ſententiam, multáque eius generis, tandem ſi ſibi eſſet fiducia Regiam ei legationem proferre, ne forte vicem tanti temporis, quo ipſe Ioannes ibi detentus fuerat, ipſe qui mittebatur exſolueret? Ioannes omnia bene proceſſura citò reſpondens, omni liberum reddit trepidatione, atque formidine, gaudijs & gratulationibus obuijs magis vbique excipiendum confirmat, ſe Epiſtolam Abbati ſuo miſſurum, qui illum magnificè exciperet, & tempore quanto cuperet, teneret atque curaret, donec Epiſcopo exhibitum, aut eum ipſo, aut cum legatione eius ipſe Abbas Imperatorijs eum conſpectibus cum pace & gratiâ præſentaret. His ille allectus palatium repetens, ſi ſibi, quæ poſtulet, dentur, itineri deuouet. Eccleſia fortè aliqua vacua recens erat Epiſcopo, hanc munus eius petit laboris, facilè obtentum, atque ex laico Epiſcopus repente proceſſit. Inde ſumptu Regio ac literis inſtructus, Gallias ocyus petit, atque in decem fermè Hebdomadibus Gorziam venit, ibi gratulantibus cunctis exceptus, ac per multos dies in vrbe à Sancto Pontifice Adalberone inuitatus & aliquot cum ipſo manens diebus iucundè admodum habitus eſt, inde loca quæque ſua cum eo inuiſens, quia menſe Auguſto iam præcipite venerat, Autumnum & Hyemem ſecum tranſegit, donec Domini Natalis Feſto tranſacto, qualiter Imperatori dirigeretur eſt ordinatum .... interim procuranda manſerunt. Inde circa Feſtum Sanctæ..... iori ab eodem Venerabili Pontifice comitante ſimul domno...... honorifice in palatio Francofurdæ ſuſcipitur .....fide legati atque conſtantia ſummo laudata præconio literæ mitiores .... nuntur. Ioanni de prioribus ſupprimendis reſcribitur, tantum eum donis procedat amicitiam pacemq. do infeſtatione latrunculorum Sarracenorum quoquo pacto conficiat, reditúmque maturet, edicitur, nouis denuo muneribus perferendis atque mandatis, Virdunenſis quidam, cui Dudo vocabulum, deſtinatur. Ita Hiſpanus Gorziam redit.... ibique ſacra quadrageſimæ maiore parte exacta circa palmarum diem cum legato Imperatorio proficiſcens Iunij menſis principijs Cordubam venit. Cúmque mox cum nouo Nuntio Regiam vellent irrumpere, Rex nequaquam, inquit, ſed qui litem tanto tempore protraxerunt, cum prioribus primùm procedant muneribus vel mandatis: inde ſecundi ordine inferantur, nec hi omnino faciem meam videbunt, niſi prius Monachum illum tanti temporis pertinacem adeant, & patriæ charorum Regis ſui mandatorúmque ipſius oblectatione lætificent. Ita cunctis expletis, Ioannes ..... iam fere annorum clauſtris ſolutus Regijs mandatur apparere conſpectibus. Cùm à legatis ei diceretur, vt crine detonſo, corpore loto, veſte lautiore ſe appararet, vti Regijs conſpectibus præſentandum, illéque renueret, rati illi non ei veſtium mutatoria ſubeſſe, Regi nuntiant. Ille mox decem libras ei mittit nummorum .... quibus decenter oculis Regis indueretur, conquireret. Non enim fas eſſe gentis, vt vi... abitu regijs aſpectibus præſentaretur. Ioannes primò cunctatus vtrum ſuſciperet tandem cogitans vſui pauperum id melius eſſe expendi, gratias munificentiæ Regiæ reddit, quod ſui tam ſollicitus eſſe dignatus ſit. Deinde reſponſo Monachi dignum ſubiunxit, Regia inquiens dona non ſpernor, veſtes verò alias præterquam qu..... .... prorſus nec coloris aliquatenus ,....... hoc Regi relato .... conſtantem animum cognoſco. Sacco quoque indutus ſi venit .... videbo, & amplius mihi placebit, poſt hæc die præfixa qua præſentandus erat, apparatus omni genere exquiſitus ad pompam Regiam demonſtrandam exercitur. Viam totam ab hoſpitio ipſorum vſque ad ciuitatem, & inde vſque ad palatium Regium varij hinc inde ordines ſtipabant, hic pedites haſtis humo ſtantes defixis, longè inde haſtilia quædam & miſſilia vibrantes, manúque criſpantes, ictúſque mutuos ſimulantes, præter hos mulis quidam cum leui quadam armatura inſidentes, dehinc equites calcaribus equos in fremitu & ſubſultatione varia concitantes. Mauri præterea in forma inſolita noſtros exterrentes, ita varijs proludiis, quę noſtris miraculo arbitrabantur, itinere nimium puluerulento quod per ſe ipſa quoque temporis ſiccitas (nam ſolſtitium erat æſtiuum) ſola concitaret, ad palatium perducuntur. Obuij proceres quique procedunt, in ipſo limine exteriori pauimentum omne tapetibus pretioſiſſimis aut pallijs ſtratum erat: Vbi ad cubiculum, quo Rex ſolitarius, quaſi numen quoddam, nullis aut raris acceſſibilis

reſidebat, peruentum eſt, vndique inſolutis cnncta velaminibus obtecta, æqua parietibus pauimenta teddebant. Rex ipſe thoro luxu, quàm potetat, magnifico accumbebat. Neque enim more gentium cæterarum ſolijs aut ſellis nituntut. Sed lectis ſiue thotis colloquentes vel edentes cruribus vno alteri impoſitis incumbunt. Vt igitur Ioannes cotam aduenit manum internè oſculandam ptotendit oſculo..... nulli vel ſuorum & extraneorum admiſſo, minotibus quibuſque ac medioctibus nun...... fori ſummis & quos præſtantiori excipit pompa palmam mediam aperuit oſculandam. Inde cella patata, manu, vt ſedeat, innuit: longa vtrique deinde ſilentia, tunc Rex prior, tuum, inquit, cot mihi plutimum diu cognoſco fuiſſe infenſum, quandiu te demum aſpectu meo ſuſpendi. Sed tu ipſe penitus noſti quod alitet fieti non potuit.......... tes ſapientia ....lia diſtuletunt, ſed quod non ..... id factum ſit volo cognoſcas ....
Verùm de quibuſcumque poſtulaueris impetrabis, Ioannes ad hæc: ſicut nobis pòſt refetebat, aliquid fellis tam diutino angore contracti in Regem .... tam placidus repente effectus eſt, vt nihil animo ipſius vnquam æquabilius eſſe potuiſſet: inde ad ſingula teſpondit, ſe quidem negate non poſſe, ptimò tot acerbitate nunciotuin fuiſſe permotum intet ipſa tamen tacitum ctebtiùs cogitaſſe ſimulatis potius quàm vetis minarum intentionibus hæc erga ſe agitati. Poſtremò quoque cuncta dilationum obſtacula ex ſuperioribus totius ttiennij actis vel dictis teſediſſe, nec eſſe quicquam teliqui, quod merito odio ſui factum ſuſpicari debetet; vnde ſi qua ea eſſent ſe penitus animo depuliſſe, gratia tantum, quam tam clementi magnificentia obtuliſſet, gratulari, & quod Regij pectotis in hoc & robut conſtantiæ & moderationis mediæ ptouidiſſet, temperamentum ſatis egregium. Rege his in multam gratiam delinito pluribuſque eum compellandi parante munera, Imperatoria ptimùm excipi poſtulauit. Quo facto rediens indulgentiam è veſtigio obſectauit. Rex admirans, quomodo, inquit, hæc tam repentina fieri poſſit diuulſio tanto tempotis ſpatio altetutrum expectati, modo vix viſi, ita abtumpemnr ignoti. Nunc interim mutuo ſemel conſpectu potiti, parum quiddam cognitio mentium ſe vtrimque aperuit, iterum viſi iam amplius tertiò tota iam plenitudo notionis & amicitiæ firmabitut. Inde Domino tuo temittendus digno eo téque deduceris honore. His Ioanne aſſentiente, ſecundi legati iubentut intromitti, cóque præſente munera, quæ deferebant, oblata nunc demum vtriſque ad hoſpitia remiſſis, poſt aliqũantum tempus Ioannes à Rege teuocatus familiaria multa cum eo conſeruit de noſtri Impetatoris potentia atque prudentiâ, de tobote & copiâ militum vel exetcitus, de glotia & diuitiis, de bello induſtria & ſucceſſibus, multaque id generis: ſuaè contra iactare quanto .... Rex excelleret............. poſſit anilitet.... illud vetè fateot regente hoc .... non eſſe, qui noſtro Impetatori terra armis aut equis poſſit æquati. Rex autem............. meritò inquit Regem tuum celebtas. Vera ne, an falſa ſunt: ille, inquit, licet experiri: Rex autem: cetera vtcumque approbauetim, vnum eſt in qno illum non ſatis ptouidum eſſe conſtitetit. Quod, inquit, illud eſt, quod poteſtatem vittutis ſuæ, non ſibi ſoli tetinet, ſed paſſus eſt vti quemque ſuorum ptoptia poteſtate, ita vt partes regni ſui intet eos diuidat, quaſi eos ſibi inde fideliores habeat & ſubiectiores, quod longè eſt: exinde enim ſupetbia & tebellio contra eum nntritut atque paratur, vt non in geneto ipſius actum eſt, qui filio ei per perfidiam ſubducto publicam tytannidem contra eum exetcuit adhoc vt gentem externam Vngrorum pet media quaqno regnotum ſuotum depopulandam ttansduxerit.

Hic definit Apographum noſtrum ex Veteri libro corroſo at miſerum in modum deformatè expreſſum. Cætera quæ ad vitam atque obitum, vittuteſque ac ritè facta eiuſdem Joannis Gorzienſis Abbatis pertinent, deſiderantur maximo Hiſtoricæ veritatis, quam illuſtratum imus, detrimento. Inibit maximam à nobis cæteriſque Antiquitatis ſtudioſis gratiam, qui integram vitam illam aut vulgauerit ipſe, aut nobis alijſve vulgandam tranſmiſerit.

EPISTOLA CONSOLATORIA, QVAM S. Leodegarius Epiſcop. Heduorum poſt obitum germani ſui Guayreni, poſt amiſſos oculos & labia inciſa direxit ad genitricem ſuam Sueſſionis in Cœnobio puellarum, Incipit.

Exemplar ſubminiſtrauit V. C. Antonius de Vyon D. d'Herouual, Regiarum rationum Auditor.

DOMINÆ & Sanctiſſimæ Genitriei Sigradæ, quæ antea per cognationem carnis, modò per coniunctionem ſpiritus facta es vera mater, & impletum eſt illud quod Sancta veritas dicit, *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt*; Leodegarius ſeruus ſeruorum IESV-CHRISTI Saluatoris noſtri, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino IESV-CHRISTO. Gratias ago Deo meo, qui non abſtulit miſericordiam ſuam à me, ſed dedit auditui meo gaudium & lætitiam pro fide noſtra & patientia in omnibus perſecutionibus & tribulationibus eius, quas ſuſtinuiſti in exemplo iuſti iudicis Dei, vt digna habearis in Regno Dei, in quo elegit te Dominus Deus noſter IESVS-CHRISTVS ante conſtitutionem mundi, & dedit tibi non ſolùm vt in eum credas, ſed etiam vt pro illo patiaris, ſi qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolarium Charitatis, ſi qua ſocietas ..... ſi quæ viſcera miſericordiæ in ipſo, impleſti Sanctorum gaudium, omnis triſtitia verſa eſt in lætitiam, quia nullo modo oportebat triſtari, ſicut ait Beatiſſimus Petrus, *Modicum nunc ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior ſit auro quod per ignem probatum.* Ita & B. Paulus teſtatur dicens, *id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia ſunt; quæ non videntur, æterna ſunt*; & alibi, *rememoramini priſtinos dies in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, in altero quidem opprobrijs & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti, nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam*, & vt confirmatio & retributio maneat in æternum, addidit dicens, *nolite itaque amittere confidentiam veſtram quæ magnam habet remunerationem: patientia enim neceſſaria eſt vt facientes voluntatem eius reportetis promiſſionem, adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt veniet, iuſtus autem ex fide viuit, quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ, nos autem non ſumus ſubſtractionis in perditione, ſed filij in adquiſitione animæ.* O Domina quantum gaudium oportet te habere in Domino nec lingua affati, nec pagina valet continere, dereliquiſti quod derelinquendum erat, adepta es quod deſiderauit anima tua, exaudiuit Dominus orationem tuam & vidit lachrymas tuas, quas multis peractis fudiſti in conſpectu eius, & quod paululum videbatur impedire ad capiendam æternam beatitudinem truncauit à te, vt ſoluta à vincolo familiarium & libera ab omni compede mundi huius vaces & viuas domino & gûſtes quàm ſuauis eſt Chriſtus, ipſe eſt Deus noſter, ipſe eſt Rex noſter, ipſe eſt Redemptor noſter, ipſe via & veritas & vita in agnitione Dei Patris, & Filij & Spiritus Sancti, ipſi ſeruiendum eſt in perpetuo, de quo Pſalmiſta ait, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Significans quid retribuendum ſit, illicò adiunxit, *Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo*, ô fœlix mors, quæ vitam tribuit, fœlix amiſſio rerum, quæ diuitias reſtituet ſempiternas, fœlix triſtitia, quæ gaudium affert Angelorum. Impræſentiarum probaſti quantum clementiſſimus dominus IESVS-CHRISTVS miſertus eſt tui, qui deuotionem ſpiritualem & cuſtodiam ſanctæ diſciplinæ & contemptum mundi tibi habere conceſſit, & pignora vteri tui de ærumnâ huius ſæculi & de errore præſentis vitæ eripuit, & dedit ſpem vitæ æternæ, ijs quos lugere poteras quaſi mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſes in mundo, de quibus non eſt habenda

mœſtitia, ſed multimoda gratiarum actio referenda Deo Patri & Domino Ieſu Chriſto: Ecce ablata eſt caligo, quæ obſcurabat pupillam animæ, ecce abiecta eſt ſubfaſcinatio & cura præſentis vitæ: iam non habet nudus luctam vbi adhæreat manus ſua ſuſcepto iugo leui portans crucem Chriſti; ſequentes itaque Dominum eius procedente miſericordia intrepidi, procedamus ad certamen, fidelis enim eſt, dabit nobis victoriam, quia ipſe præliabitur pro nobis, & conteret Sathanam ſub pedibus noſtris velociter. En quo Deus ſuos milites vocat ad certamen, quibus poſt victoriam paratas habet coronas, & talibus armis induit, qualia inimici eorum non habent, id eſt ſcutum fidei, loricam iuſtitiæ, galeam ſalutis, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignita extinguere, & gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes. nihil vult Rex noſter in ſuis militibus de veteribus armis, nec de veteri veſtimento reperire, ſed innouatos vult probare ad præliū, & ſi aliquid fuerit, quod abſit de vetuſta conſuetudine quamuis paruum videatur, maximum generat detrimentum, præcipuè ſi aliquid odij contra inimicos fuerit in corde, quod auertat Deus ab animo Chriſtianorum fidelium. Quæ enim poteſt perfectior eſſe virtus vt diligendo inimicos mereatur quis effici filius Dei, & dimittendo debito mereatur abſolui à vinculo delictorum ſuorum, dicēte Domino, *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, qualem viam Dominus docuit ſequi, audi eum dicentem cùm ad Crucem iret, *Domine Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*, ſi auctor vitæ æternæ qui carnem de virgine abſque peccati macula aſſumpſit, pro inimicis orabat, quanto magis nos qui pleni ſumus peccatis, oportet inimicos diligere, & orare pro eis, vt imitando dominum & ſequendo illum, mereamur partem habere in regno illius cum Sanctis, & ſi ſunt nonnulli quos peruerſitas vitæ in Communione à nobis ſeparat, tamen in id quod conditi ſunt, non ſunt odiendi, ſed potius propter præcepta Dei diligendi: illud namque ſummopere cauendum eſt, vt quos diuina pietas de curâ rerum temporalium liberauit, nullatenus nec corpore, nec animo reuertantur, & ſi qua ſint quæ iure legitimo debentur cum omni feſtinatione vendita aut data, vel etiam diſpenſata pauperibus ad theſaurum regni cæleſtis & æternam beatitudinem animus incaleſcat. Huic exemplo *Maria* obſequens, *Quæ ſedebat ad pedes Domini audiebat verbum illius, Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit & ait, Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare, dic ergo illi vt me adiuuet, & reſpondens dixit illi Dominus, Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Tanti amoris æſtu Maria intrinſecus anhelabat, vt etiam à corporali miniſterio Domini vacaret, & ſolam eius potentiam deitatis, in quantum Dominus ei præſtabat, contemplaretur, ideo oportet, vt quiſquis ad hanc contemplationem ſurgere meruerit, & malis impediatur obſtaculis, die ac nocte pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus vacans & obedientiam ſanctæ regulę cuſtodiens præſtoletur venientem Dominum, accenſa lampade, vt cum venerit & pulſauerit, confeſtim aperiatur ei, nihil melius quàm timor Dei, nihil dulcius quàm reſpirare in mandatis eius. O bona domina, quod tibi pius dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendere poteſt, qualiter in præſentem vitam te Dominus remunerauit, audi & aſculta, pro obſequio famularum dedit tibi omnes fratres ſanctos qui quotidie pro te orant, pro ſeruitio ancillarum dedit tibi ſorores ſanctas quarum conſortio frueris, pro labore præſentis vitæ quietem in congregatione Monaſterij, pro amiſſione rerum Scripturam ſanctam diuinam, & meditationem ſanctam & orationem aſſiduam, pro amiſſione parentum habes venerabilem & ſanctam dominam Ithetiam Abbatiſſam, eſt tibi mater, eſt tibi ſoror, eſt tibi filia: tu itaque ei viciſſitudinem redde, quia, vt certus ſum in Chriſto Ieſu, eſt vobis cor vnum & anima vna. Ideo te confido ita omnia accepiſſe, quia non meis meritis, ſed ſola miſericordia Chriſti per tuam orationem & ſanctitatem omnia mihi à Chriſto collata ſunt, *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me clementiſſimus Ieſus oſtenderet patientiam ſuam ad conſolationem omnium peccatorum & ſpem veniæ.* Quod minus apud nos terrena habetur ſubſtantia de theſauris ſacrarum Scripturarum vobis direximus, & cùm legeritis & audieritis gratias agite Domino per ſæcula æterna. Amen.

VITA SANCTI MANVÆI EPISCOPI BAIOCENSIS.

Deſcripſimus ex Apographo veteris Chartarij à R. P. Iacobo Macaldo Societatis IESV, ex inferiore Normannia ad nos huc delato.

IN vrbe Bajocenſi circiter quadringenteſimum ſexageſimum temporibus Marciani Imperatoris & Merouei Francorum Regis fuit quidam vir venerabilis nomine Manuæus, ex nobiliſſima ſtirpe procreatus & genitus, ipſe verò Manuæus Confeſſor Domini gratia Dei repletus eſt cunctis gentibus & ſuis quoque deuotus parentibus, & vbique illis ſubiectus dictis, & factis, & ſupplex in omnibus. Dei verò famulus cum ſumma dilectione ab infantia verum Deum diligebat die ac nocte ieiuniis, & orationibus ex toto corde, & mente, & corpore IESV-CHRISTO ſoli ſeruiebat: cunctis itaque rebus mundanis & terrenis diuitiis, deliciis, & laſciuiis calcatis & ſpretis ad Deum totaliter tendens, & ad cœleſtia regna cogitans Catholicæ fidei piè, iuſtè, & honeſtè viuendo ſe totum tradidit.

Cùm Beatiſſimi Manuæi Confeſſoris clariſſimi cernerent parentes eius & perciperent modum ſimplicem & maximam prudentiam, ſenſum eius & viuum ingenium, gauiſi ſunt. Erat ætate puer, ſed doctiſſimus & ſenex apud Deum in ſenſu & in opere. Cito miſerunt eum ad ſtudium & tradiderunt peritis Doctoribus quos ipſe diuina gratia plenus timebat, libentérque audiebat.

Tum tria quatuórvè ſubijcit omiſſis laciniis breuiter perſtringenda. I. In Eremum ſeceſſiſſe, ibique trium Monachorum Priorem extitiſſe. II. Vnum ex illis extinctum oratione eius excitatum ad vitam. III. Cùm idem iter ageret obuium in feretro mortuum ad vitam reuocaſſe. IV. Electum fuiſſe Bajocenſem Epiſcopum, & ante obitum 47. diebus ab omni cibo & potu abſtinuiſſe nihil ſumentem, præter veri IESV-CHRISTI ſacrificium;

Addit D. Thomas le Gouix Preſbyter, Rector Eccleſiæ S. Manuæi de Marcheſieux, Diœceſis Conſtantienſis Decanatus de Piris, apographum illud fideliter extractum ex veteri chartario in Eccleſia illâ exiſtente, ibique legi ſolito die 28. menſis Maij qui dies S. Manuęi ſacer, & ad locum per totum annum, maximè verò dicta die & Dominica proximè ſequenti plurimos propter febris, nec ſine ſolatio, accurrere. Eundem quoque Sanctum Manuæum patronum eſſe duarum vicinarum Parochiarum, nempe de Vaudre Meſnil, & de Gouſteuille, atque in ijs pluribus que aliis loci Diœceſeos Conſtantienſis, & Bajocenſis magna veneratione coli. In quorum fidem ſubſcripſit die 8. Auguſti anni 1652.

VITA SANCTI PIPIONIS LEVITÆ ET CONFESSORIS.

De Lectionibus Officij quod R. P. Ludouicus Iacob à Sancto Carolo, Ord. B. Mariæ de Carmelo, deſcripſit ex veteri Codice Eccleſiæ Vrbis Belnenſis in Vaſtino, quæ iuris eſt Illuſtriſſimi Domini Achillis de Harlay, Comitis de Bellomonte, Libellorum Supplicum Magiſtri, &c.

I. RVre Gallicano, in Pago, cui nomen Belna, in Vaſtino patre paſtore natus eſt præclarus Dei Confeſſor S. Pipio Leuita, qui primis annis & ipſe patris

ſtudia ſecutus oues paſcebat, parentum neceſſitati ſuo labore ſubueniens: à quibus benè educatus & in Lege Dei edoctus de ſublimiore paſcua cœpit cogitare. Nam dum in Paſtorali ocio ageret, ſecum multa de cæleſti Paſtore animo verſans eius ouile ſubinde ingrediebatur & egrediebatur.

II. Caſtum propoſitum ſeruare volens ſanctus vir primis adoleſcentiæ ſuæ annis parentibus orbatus, hæreditate magna ex parte pauperibus erogata pauca ſibi retinuit; Qui deinde Aurelias profectus liberalium artium ſtudiis, vt ſcripturarum paſcuis amplius frueretur admirabili prudentia impendit: omnem enim epularum luxum & carnis laſciuiam exhortens alternis diebus ieiunlis corpus ſuum macerabat.

III. Grandior autem natu eruditiórque factus Liticanrum vna cum B. Mathurino ſacros ordines ſuſcepturus ad Polycarpum Senonenſem Archiepiſcopum profectus eſt. Et Mathurino quidem in Preſbyterum ordinato dilectus Dei famulus Pipio ſupra Diaconatus ordinem promoueri recuſauit. Qui dum ſe magna humilitate à ſublimiori ordinis faſtigio retrahit, Deo omnipotenti proximus conſtituitur.

IV. Paucis à ſuſcepto ordine diebus interiectis eremitico cultu peregrinari cœpit. In medio autem itinere febre correptus aliquandiu in partibus Toloſanis commotatus eſt. Recepta demum ſanitate iter incœptum repetens felici ſucceſſu tandem Romam, vbi Mathurinus erat, appulit. Vbi non multo poſt defuncto S. Mathurino multis legitur claruiſſe miraculis: vt ipſa miraculorum magnitudine permoti Romani eum donis promiſſiſque ampliſſimis retinere contenderent. Quibus neglectis Sanctus Dei Confeſſor nigro per circuitum pallio indutus defuncti amici corpus ad partis domum reducendum procurauit. Vnde factum eſt, vt ita Deo volente in patriam propriam reuerteretur.

V. Redditus ſuis ſanctus vir Pipio, qui flebile corpus amici ſepelierat, de propria morte ac ſepultura curam egit: ad quam ſubterraneum quoddam Sacellum, in quo poſtmodum prouincialium conſilio eſt inhumatus, conſtruxit. Volens autem vt erat Deo deuotus & Eccleſiam ſacello adjungere, in ipſo medio opere interceptus obdormiuit in Domino.

VI. Febre ſiquidem longa afflictus & exeſus, vt morti vicinus erat, ab Angelo viſitatus & confortatus coronam gloriæ ſibi paratam feliciter audiuit. Ex quo tempore nihil terrenum, ſed quaſi iam cælos mente inhabitaret, diuina omnia ſpirabat & eloquebatur, tantiſper dum circa anunm Domini tercenteſimum VI. Nonas Octobris in pace requieuit. Cuius precibus ac meritis peſte, febribus, variiſque languorum generibus multos hodie ſanari credimus.

VII. Cuius ſanctum corpus deinde à Ludouico Meledunenſi Senonenſi Archiepiſcopo, anno Domini MCCCCLXII. die IV. menſis Iunij eleuatum eſt atque tranſlatum in præfatam Eccleſiam magno populorum concurſu. Collectis itaque & in capſula conditis ſancti Confeſſoris reliquiis, vt eius memoria in perpetuum haberetur, Templum viſitantibus ac de bonis facultatibúſque ſuis, prout cuique viſum fuerit, largientibus XL. dies Indulgentiarum conceſſit.

VIII. Miraculorum verò excellentia multorum voluit Deus omnipotens ſanctum ſuum à morte honorare. Nam plurimos per tumuli eius ingreſſum febrium languore eexolutos, & quotidie exolui, S. Pipionis meritis omnibus innotuit. Pluuias quoque ſiccitatis tempore eiuſdem ſancti reliquiis per vicos portatis exoratas à patribus noſtris audiuimus: & ipſi plerumque oculis noſtris conſpeximus, cùm ordine deuoto ad Fontem pago vicinum, *la Fontaine de Sainct Pipe*, quem creditur vir ſanctus manibus ſuis effodiſſe, pergeremus.

Septima die Octobris Officium illud feſtúmque celebrari ſolet, licet Sanctus Pipio obiiſſe dicatur die eiuſdem menſis. Tranſlatio prima peracta eſt die IV. Iunij an. 1462. Altera verò die 28. Octobris anno Chriſti 1653.

Ex Proſa quæ ſubjungitur 4. verſiculos ſelegi, quia ad Hiſtoriam ſpectare videntur:

Dum furor ſæuit Anglicus, & cuncta vorat gladius,
Inflammatur Eccleſia, integra reſtat hoſtia,
Et Pipionis meritis illæſa manet capſula,
Regi comes clientulus reſeruatur ex fauilla.

VITA

VITA SANCTI ROMARICI ABBATIS.

Deſcripſi ex Codice MS. V. C. Claudij Hardy Senatoris Regij, de quo ſupra meminimus pagina 783. ante vitam S. Adelphi eiuſdem S. Romarici Monaſterij Abbatis.

POSCIS Magnifica mater Sanctarum Virginum Domina Cæcilia, vt Sancti Patris noſtri ROMARICI acta, ſeu qualiter conuerſus ad Monaſticam vitam fuerit, in proceſſu temporis libellis inſerta mandentur. Obſecrationibus igitur tuis potius obedientia quam facundia parebo.

Itaque B. Romaricus nobilis in palatio atque parentibus ſatis clarus & amabilis vbique reſplenduit. Nam cùm in laïco habitu religioſam vitam gereret, reddidit quæ Regis ſunt Regi, & quæ Dei Deo. Ita ergo in Monaſteria vel Baſilicas Sanctorum ſeu pauperes Chriſti aſſidua vigilantia incumbebat, vt illum diem ſe perdidiſſe fateretur, à quo pietatis bonum vel eleemoſynarum opera minimè executiſſet. Quodam namque tempore cum Theodericus Rex Francorum germanum ſuum Theodebertum perſecutus fuiſſet, genitore ſupradicti viri interfecto, villæ eorum fiſci ditionibus redactæ ſunt: ac deinceps Romaricus, quia fidem ſeruauerit à perſequentium nequitia fugatus Metis petiit. Erat denique tunc temporis in palatio vnus Epiſcopus nomine Aridius qui Brunichildæ Reginæ ſedulo famulabatur alloquio, illiúſque ſupradictus vir pedibus proſtratus ſupplicat, vt res apud Reginam ſuo interuentu recipere potuiſſet. Illéque ira ſauciatus os viri pede excuſſo impiè verberauit, ſtatímque ſurgens vir Dei Romaricus ad Baſilicam Sancti Martini perrexit, atque in pauimento projectus mox tali voce affatur. O beate Martine, commendaui me tibi, vbi es? quid agis? affer opem miſero, vt nullus deinceps tuis patrociniis mancipetur. Et his dictis regreſſus ad ciuitatem tanquam reſponſo accepto rei præſtolabatur euentum. Sed inluceſcente die craſtina vulgatum eſt Regem Theodericum mortis ſententia perculſum fuiſſe, ac deinceps accitus à Regina, vel ab Epiſcopo Aridio Romaricus reddito patrimonio ſupplicatur, vt ſaltem per ipſum eiſdem de vrbe Metenſi fugiendi darentur ſpatia: Ille diligens inimicos ſuos, auxilium ipſis vt tempus patuit, non negauit.

Poſt hæc denique tempus euenit, vt in Lotharij Regis palatio inter cæteros electus haberetur, ſed ineffabilis Dominus videns militem ſuum ſub tenebroſis huius ſæculi rebus fortiter belligerantem, voluit illum ad lucidos perducere campos, actúmque eſt vt ex eterni ſecretis beatus educeretur Amatus Quin plura? Inueniens hominem hortatur, vt detonſo capite, rebúſque in pauperes diſperſis tanquam ſibi theſauro in cœlis poſito, iam ad perfectiora ſurgeret. Quibus ille auditis, vt erat totus ſancto deſiderio repletus, cum multarum rerum ſubſtantia Monaſterium Luxouium petiit, multis videlicet prius è ſeruitio libertatem adeptis, ibíque ſanctam humilitatem & obedientiam propter Chriſtum ſeruandam accepit. Illos denique ſeruulos, quos dudum miniſtros habuerat ſocios ſibi detondens pleroſque adjunxit, & effectus eſt illorum ſubditus, quorum priùs dominus præpotens fuerat. Nam in tantæ humilitatis & pœnitentiæ iugo ſe ſe ſubmiſit, vt quidquid deſpicabile in Monaſterio ad agẽdum eſſet, ipſe aſſumeret, & hortorum tamen frequentiùs præ cæteris fratribus operator exiſtens, pſalmos iugiter tradebat memoriæ. Nam cùm adhuc ad bonum opus profuturum vnam tantummodo reſeruaſſet villam· conſilio deinceps inito B. Amatus cum eodẽ ad Monaſteriũ puellarum ædificandũ pergit. Multis nãque adunatis puellis in eremo properãtes ſanctũ inſtituunt opus; pauperes quidẽ ſubſtãtia in ſæculo, ſed fide diuites in Chriſto illud credẽtes quod dixit Altiſſimus: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrẽ, aut matrẽ, aut vxorẽ, aut filios, aut agros, propter nomen meum,*

centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. Hæc deinceps ſicut nunc impręſentiarum cernitur in eorum operibus ſuppleta monſtrantur. Poſt obitum namque beati ſocij ſui Amati ipſe gubernandam ſanctam Congregationem ſuſcipit, ſicque prius & deinceps aluit & nutriuit tanta comitate & pietate repletus vt pro earundem requie ſeu opportunitatibus ſubleuandis in omnium iniuriarum laboribus ſuum corpuſculum tradidiſſet. Denique cùm aliquid in miniſtrandis vel neceſſariis rebus fortaſſis defuiſſet, hæc illius erat conſuetudo ſancta, vt mox conuerſus ad Chriſtum cum lacrymis diceret: ſatis habes tu, ô Domine Deus & ſuperabundans es, adiuua famulum tuum ſicut noſti. Non erat mora, & poſcentem ſubſequebatur effectus.

Quodam verò die operarij qui vias ſeu domos ædificabant, accedentes ad eum aiunt: Da nobis carnes ad edendum quoniam oportet, graue enim ſuſtinemus onus. Quibus ille: ſufferre, ait, paululum, & dabit Dominus, quia poſſibile eſt. Mox itaque canis qui ad portam vigilare conſueuerat, ſiluas montium luſtrare cœpit, & non moram faciens ecce de alto monte cum ceruo venit, qui labente greſſu de ſaxo ruit, fractiſque cruribus ſeſe neceſſariis tradidit. Cúmque ad hominem Dei allatus fuiſſet, vocatis operariis ait: Ecce dedit qui ſolebat, tollite carnes ad manducandum vobis: pellis namque ſororibus neceſſaria eſt. Vir denique quidam habitabat in partibus Voſagi habens vxorem deuotam ad cuius domum homo Dei hoſpitandi cauſa crebro veniebat: cúmque quadam die affuiſſet, inruito illo, mulier ait: O Domine mi, quid feciſti ſerò veniens? habuit enim ancilla tua potum, ſed ſuperuenientes ſeptima die compatres & vicini, iam non reperitur ex eo vaſculo remanſiſſe nec gutta liquoris: ſitit enim ſtanda ſeruæ tuæ exempto duſiclo patefactis meatibus. Et quid faciam miſerrima nunc domino meo? Quam cùm vidiſſet anguſtiantem, ait ei: Ne quæſo anguſtietur anima tua: habe fidem & ingredere cubiculum: potens eſt enim Deus parare menſam in deſerto habentem porum. Hoc autem dicto vexillum Crucis ſupra oſtium cubiculi manu depinxit. Ingreſſa namque mulier repetit repletam ſtandam vſque ad oram. Nam duſiclus iamdudum à foramine ſublatus procul iacebat & ceruiſia ſiſtebat intrinſecus, nec currebat. Egreſſa namque mulier cum gaudio magno plaudens manibus ait: O miraculum magnum! homo Dei veniſti, & ecce ſtandam meam repleſti ceruiſia: fatebatur enim mulier hæc pocula multorum medelæ profuiſſe.

Puella quædam ſanctimonialis intra Monaſterium à dæmone arrepta, ſine mora huius oratione intercedente cernentibus multis ſanata eſt. Denique adunatis quibuſdam puellis leproſis infra Monaſterium ſeorſum non alia ex cauſa niſi propter earum refocillandam infirmitatem cellulam fecit: nàm frequentare eas vel habitare in medio Congregationis prohibuit. Siquidem vno ex ipſis ſanctum adepta conſilium balneo, quo vir Dei ablutus eſt, furtim aquam rapiens membra ſtra perfudit, ac deinde ſubſequente medela paulatim lepra ex corpore eius abſceſſit, quæ vſque hodie incolumis famulatrix Chriſti in medio ſororum ſuperſtes cernitur. Sed & alia puella leproſa intra Monaſterium degens iſtius, vt credimus, interuentu à lepra purgata eſt: habuit autem & alios leproſos viros ſotinſecus: quorum iam laceratis luridiſque corporibus mâuu propria, & ipſe ſeruiebat, & aliis vt facerent ſimiliter inſinuabat. Tanta bona Dominus & ad præmia multiplicanda conceſſit, vt animas virginum circiter centum ſeu amplius ex Monaſterio ſuo ſibi prçuias ad cæleſtia regna tranſmiſerit. Licet multis Sanctorum conceſſum fuerit corpora de morte iterum moritura ſuſcitare: iſti vtique datum fuit animas de morte æterna Redemptore opitulante educere, & Domino IESV-CHRISTO ſine macula præſentare.

TRANSITVS SANCTI ROMARICI.

BEATVS igitur ROMARICVS priuſquàm ad diem ſupremum laudabilis peruenìſſet, & ad Principis palatium eatenus tamquam præſcius properaſſet, vt Regi ſeu Proceribus eius de periculo eorum vel caſu venturo cauenda nuntiaret. Vbi cùm ventum fuiſſet audito per internuncios vir magnificus Grimoaldus ſubregulus, quod noctis tempore ad eum accedere voluiſſet, ſurgens cum facibus accenſis, intempeſtæ noctis tempore, medio itinere obuius fuit, aſpiciénſque hominem Dei miræ magnitudinis neſcio quid tanquã Angelum ſeu celeſte ſignum ſe ſuper eum vidiſſe cõtremuit. Cum multa vtique reuerentia complexus muneribúſque allatis ſo-

factuꝛum eſſe quæ dicebantur pollicitus eſt : indéque remeans ruta Monaſterij circuiuit, vt valuit, adhortans vtique omnes eam doctrinam illibatè cernere quam dudum & iugiter ab eo audierant, & vt pro animæ ſcilicet ſalute ſemper ſoliciti eſſent. Cúmque ad Monaſterium perueniſſet nõ multo poſito interuallo modica febre tactus accubuit, ſed ſancta lingua illius iugiter ad laudem Dei vel ad prædicationem parata nullis obſtruitur vinculis. Nam & hoc ei ſpeciale Dominus tribuit munus, vt die qua ipſe triumphans ex inferis ad ſuperos victor remeauit vir ſanctus ſolutis membris ad præmia capienda egreſſus fuiſſet. Cúmque iam denique matutinis finitis & pænè in ipſo crepuſculo diei quidam è fratribus lectulo illius adſtitiſſent, rogarut, vt mutandi cauſa aliud verteretur in latus; mox animæ ſuæ cœpit egreſſum. Sed iam pœnè exuto corpore quidam Preſbyter clamare cœpit : Expecta Domine expecta : communionis gratia viaticum accipe. Ille tanquam regreſſus dexteram manum leuans ad cælum ſupra ſe cæteriſque adſtantibus vexillum Crucis iugiter depingebat. Multam namque moram faciens, vix tandem adeſt qui ferebat; & accepto munere labiis manu ſua bene compoſitis mox ſancta anima illa, vt credimus cum gaudio magno & exultatione Angelorum eſt egreſſa de corpore. Nam cum inter lacrymas & ſingultus quæreretur qui oscius oculóſque claudere debuiſſet, ipſe ſibimet pulcherrimè clauſit, id quod poſcebatur ab aliis ita vt videretur potius ſomnum quàm lethum cepiſſe. Celebrantur quippè deinceps exequiæ eius cum magno apparatu & ingenti ſtudio. Sepultus igitur eſt iuxta ſocium ſuum beatum Amatum, vt cui fuit in vita caritate indiuidua connexus, eius & lateri videretur ſepultura adſcitus.

Miracula denique illa quæ poſt glorioſiſſimum ſuum exitum ſeu in ipſius mortis articulo geſſit ſilenda non ſunt. Iuſſum itaque fuerat quibuſdam pueris cuſtodiæ cauſa ad introitum portæ vigilare qui vtique intuentes aſpiciunt. & ecce nubes denſiſſima montem atque omnem cellulã illius validiſſimè cooperuit. Illo autem egreſſo de corpore, pſallentibus fratribus in duas diuiſa eſt partes, móxque claritas viui ſplendoris & radiorum eius omnem montem cellulãque eius cœpit luſtrare, atque per medium nubis aſpicientibus pueris volumen candidiſſimum fulgoris ſcandens cœlos penetrauit, quod procul dubio animam ſancti viri fuiſſe non ambigimus. Denique in illa die poſtquàm ſepultus eſt, mulier quædam ad capita Beati Amati atque S. Romarici orãdi cauſa vniuerſo populo ablato ſe ſe proſtrauit, ſtatimque infra vrnam, in qua requieſcunt ſe audiſſe fatetur vtrumque ad inuicem vertentem, & quaſi murmure intrinſecus gaudii neſcio quid celeberrimi haberetur. Puella namque ſanctimonialis infra Monaſterium contra regulam aliquid geſſit, ſed hoc viuenti ſancto Romarico vniuerſiſque latuit. Nam vir ſanctus quid iſtic indutus corpore antea ignorauerat, illuc poſtea ſolutus membris melius agnouit ſiquidem per viſionem noctis tempore adueniens ſeueriſſimè pro eadem re corripuit atque pœnitentiæ terminum 40. dierum eidem ſaluberrimè tradidit. Alia rurſus puella quæ lumen baſilicæ accendere ſolebat, dictis matutinis cicindilem ardentem reliquit atque ſeſe ad quieſcendum tradidit. Cúmque iam ſol ortus fuiſſet, deficiente oleo proxima flamma vitrum lambebat, & non rumpebatur. Ad quam vir Dei accedens compulit eam per viſum & ait : Quam ob cauſam ſollicita non es de miniſterio tibi tradito? Illa expergefacta gradiens reperit ita eſſe, vt ſupra diximus.

Sed nec illud reticere me libet quod à quibuſdam narrantibus agnoui. Quidam Diaconus honoratus vir in eadem nocte Dominica inſtante tranſitu eius, in viſione ſe ductum fatebatur per loca amœna, vbi aſpiciens pulcherrimas gemmas auróque nitentes domos, inter quas vnam eminentem cæteris vidit. Ductus itaque ad oſtia, aperta aſpexit, ſed introeundi eidem in eam licentia nequaquam dabatur. Cúmque aſpexiſſet comperit iuſtorum animas albiſſimis indutas ſtolis inibi cum gaudio inæſtimabili curſitare, ſtatimque qui ducebat eum ait ei : Cernis hæc omnia? Reſpondit : Video Domine. Rurſúſque : Quem, inquit, inter eos iſtic agnoſcis? Video, ait, beatum Arnulfum Pontificem & agnoſco ſanctum ſucceſſorem illius Abbonem eumdémque Epiſcopum, ſed vellem noſſe, quæ ſit iſta gaudiorum ſolemnitas & tantæ claritatis apparatus immenſus, & quid ſibi velint hæ ſplendidæ quas video menſę. Tunc audiente illo vnus intrinſecus albatorum tanquam conuerſus ad S. Abbonem Epiſcopum ait: Quid moraris, ô Domine Abbo, cur non diſponis ſedentes per menſas has quas paraſti? Nam illius dicebatur eſſe hæc multa apparitio. Tunc ait : Suſtinete Domini

mi paululum, donec frater noſter veniat domnus Romanicus: illum enim expecto, nam hodie nobiſcum erit. Hæc ſe vidiſſe & alia nonnulla præfatus vir ille Diaconus teſtabatur, cuius de nomine ideo reticemus, quia adhuc ſupereſt in hoc lubrico & pendulo itinere. Nos itaque fatemur veram eſſe illius ſolemnitatis lætitiam de qua dicitur, *quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe*, cui gloria eſt & honor & poteſtas & regnum ſine fine in ſæcula ſæculorum. Amen.

R. P. Hugo Menardus libro 1. obſeruationum ad Martyrologium Benedictinum, die 8. Nouembris, nactus videtur vitam Sancti Romarici paullò noſtra hac ampliorem, cuius ſumma capita delibauit ex veteri MS. codice, qui extat in Prioratu Montis Sancti Romarici, & altero qui eſt in Cœnobio Sancti Cornelij Compendienſis. Tu per otium conſules, ſequentémque in Codice D. Hardy Sancti Amati Abbatis vitam cum Suriana collatam, quæ videtur ab eodem autore Anonymo quidem, ſed coætaneo, ad Clydonem Epiſcopum ſcripta, ſi quid rei litterariæ commodare poſſit, in altero tertióve Hiſtoricæ noſtræ Bibliothecæ Tomo expectabis. Interim obſerua in fine MS. illius Codicis membranei à ſexcentis, vt character aliáque demonſtrant, annis calamo exarati hos verſus adſcriptos fuiſſe ab Amanuenſi Bettone:

Pontificale decus qui geſtit noſcere cautus,
Perlegat hunc librum Bettonis arundine ſcriptum:
Quem Conſtantini ſtatuerunt iuſſa patrari,
Ad decus augendum vel honorem multiplicandum
Martyris eximij victoris Symphoriani.

VITA SANCTISSIMI AC BEATISSIMI CONF. VVANDREGISELI ABBATIS FONTANELLENSIS.

Deſcripſimus ex veteribus membranis, quas nobis exhibuit V. C. Antonius de Vyon, D. d'Herouual.

RELIGIOSORVM quorumdam virorum vita, quantùm eſt meritis excellentior, tantùm in geſtis lucere debet clarius: præſertim cùm ad indagandã eam idonei minùs ſumus. Confidimus enim in illo, qui dixit: Non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis: & per quem linguæ mutorum ſunt reſeratæ. Non ergo mirandum eſt ſi per plaſmaturam ſuam præbeat intellectum, cùm quando voluerit veritatem ſuam per ora iumentorum narrat. In huius ergo ſpem erectus & accinctus robore cæleſti ariditatem meam ad texendam vitam Beati Domni Wandregiſeli excitatus adgrediar ego facultate qua valeo (nam potens eſt Dominus ad ſermonem corroborandum) plurima quippè mihi de ipſius beatiſſimi viri virtutibus pandere multa à memetipſo viſa plerumque etiam venerabilium Monachorum ſeu diſcipulorum eius qui ei per prolixa tempora ſeruierunt, relatione prolata quæ non tantum audita, ſed viſa narrant in hoc opere de fulgente gratia prædicti patris, pauca de plurimis humili quidem ſermone, vt legentibus faſtidium non generem breui materiola expreſſi ſtilo, ſeu vt prolatior pagina ridiculum non inferat, ſed modica narratio, Lectoribus ædificationem nutriat, etſi eleganter minus expleta fuerit, diuini adiutorij miſericordia præſtante, vt noſtris exinde veniam tribuere dignetur. Nunc ergo qui hæc legit in ſtudium boni operis atque in feruorem eius animus incaleſcat quæ geſta in aure audierit in ara cordis ſui cum omni auiditate meditando cuſtodiat; cuſtodiendo perficiat, perfectúmq; in opere Domini cũ ſummo deſiderio adimpleat. Obſecro itaq; ego tenellus, vt omnis qui hãc vitã beati viri legerit caueat, vt ſicut Cain ferro, de inuidia non percutiat iſte dente & lingua, ſed curet cuſtodire in corde & anima, quia ſicut canit Propheta Filij hominũ dentes eorũ arma & ſagittæ lingua eorũ gladius acutus. Plerũque etenim ad conuerſationẽ ſeu correptionẽ mortaliũ multo proſunt exẽpla bonorũ quibus ædificatur homo cotidie mul-

tiplices cõſecrati virtutes: ſi enim ad adipiſcendã amœnitatẽ paradiſi quibus præmouemur præcepta deeſſent pro lege nobis Sanctorum exempla ſufficerent. Hoc à ſæculis adimplet Rex Trinus æternus qui ſeruorũ ſuorum famam commendans perennem vt poſteri eorum exemplo proficiant, atque in amorem cæleſtis patriæ cum deuotione maximâ incaleſcant. Hæc autem nos conſiderantes de huius Venerabilis Patris Wandregiſeli hoc quod ad laudem Domini pertineat non quod fauore humanæ declamationis laſſeſcat telarione inſeruimus. Habent mali in eâ quod metuant, boni quod gratulentur, ſuperbi vt humilientur, luxurioſi exemplum pudicitiæ verecundâ mente cuſtodiant, garruli vt quieſcant, cupidi vt areſcant, auari vt relinquentes mundum eum omni impedimento eius, ebrioſi diſcant ſobrij eſſe, raptores manſuetudinem apprehendant, ignaui vt feruefcant, imprudentes veram prudentiam cum ſanctâ ſimplicitate arripiant. Hoc omnes cum admiratione conſideremus quantam in huius athletæ Domini habemus religionis gratiam quod miremur & quantam vim virtutis eius vel afflictionem corporis & fontem lachrymarum. Pleraque deſpectu mundi quomodo aut qualiter abrenunciauit & voluntates proprias in tropheo Domini crucifigens perſeuerauit, quia non permittit breuitas totam eius operationem ſermone concludi, ſed tamen relinquamus huius textum narrationis vt felicius perueniamus ad enarrandum aliquid de eius vitæ meritis, ad gloriam Dei pronunciando ſurgamus.

IGITVR fuit virtute venerabilis Domino inluminante Vvandregeſilus cognomento Vvando oriundus territorio Verdunenſium natalibus nobilis ſed religione nobilior. Qui cum ſummis parentibus quondam comitans & ab ipſis iuuentutis ſuæ rudimentis ſtudijs iuxta mores ſæcularium eum in actione inſtituerunt inter mundi decus. Qui accipiens honores terrenos exercebat exactutam commiſſam ſibi, ſed tamen mens eius non erat alienata à mandatis Domini quia Sancti Euangelij iuſſionem explebat, reddebat enim quæ Cæſaris ſunt Cæſari & quod eſt Dei Deo. Non poſt multos dies rogatus à parentibus ſuis vt ſibi aliquam puellam deſponſaret, ipſe iuxta eorum iuſſionem ſublimibus parentibus & bene natam ſibi quandam puellam deſponſauit: erat enim in ſæculo nobiliſſima. Porro cœpit ipſe vir tacitè in cogitatione ſuâ dicere quid exinde facere deberet; volebat enim oblectamenta mundi deſerere & in Dei ſeruitio ſe ſubjugare, & quia pauebat ſi innoteſceret quod conſenſum ei minimè daret, cogitauit vt acciperet eam, & poſtea ei de conuerſationis habitu fabularetur, quia accipiens eam & poſt acceptam ſuam volens lucrari conjugem, ſicut ſcriptum eſt. Diliges proximum tuum ſicut teipſum, prudenti hortamine, vt erat eruditus, ſuadebat ei conuerſationis gratiâ virtutem magnam habere mercedem, vt qui hic in vna carne conjuncti fuerant, in gloria Sanctorum ſine fine copularentur. Illa autem accenſa à Spiritu Sancto talia verba præripuit dicens: O Domine Deus quid tibi fuit quod antea mihi hanc rem non diuulgaſti? ſcias certiſſimè quia & ego me abſque omni dubitatione volo tradere ad Dei ſeruitium, atque vanitates huius mundi deſerere & regnare in Chriſti gloria quod tibi in tantum ſupplico Domine meus vt quod ore profers, explere opere contendas, & temetipſum liberes & me ancillam tuam ad jugum Dei cum ſumma feſtinatione tradas. At ille hæc audiens verſus in gaudia glorificauit Dominum, & admiratus eſt de tam excellenti deſiderio eius. Fit ex vtraque parte conſenſus. Ipſe autem ſibi coronam capitis depoſuit, & ei velamenti gratiam circumdedit & Domino adjuuante, talis fuit ſua conuerſatio ſeu puritas cordis quod per eam Dominus adhuc in hoc corpore degentem plurimas virtutes operari dignatus eſt: Quid plurima? ad illud redeamus tempus quo Dominus per famulum ſuum oſtendere dignatus eſt fortitudinem ſuam. Adhuc cum eſſet in laico ordine pergens in itinere cum thoro & familia plurima veniens quodam loco qui eſt inter ruſticanos homines peſſimos qui nec Deum timebant, nec hominem quenquam reuerebantur orta eſt contentio propter pabulum equitum tam valida, vt niſi pietas Domini & merita ipſius hominis Dei ſubueniſſent, multa homicidia ibi fuerant facta. Ipſe autem ibi petijt adiutorium vbi poſſibilitas erat tribuendi, & ad orationem quaſi ad gladium pergens diuinæ miſericordiæ clypeum poſtulauit, & Domino miſerante qui ſeruis ſuis pius obauditor eſt, confeſtim ipſa litigatio ita eſt mitigata ac ſi de longæuis temporibus amicitiæ iura conjuncta habuiſſent & per filium pacis qui ipſe vir Dei aderat litigantes Dominus ad concordiam per ſeruum ſuum mirum in modum con-

uertit. Exinde cœpit magis corde ferueſcere atque eum ore profeſſionis annunciare dicens : Certè iſte eſt ſuper omnia diligendus, quia vbicumque fuerit inuocatus illico ad præſens eſt exaudiendus, iuxta quod ipſe Dominus per Prophetam promiſit : Cum autem quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis. Poſt quod ipſe vir Dei relinquens mundi iſtius oblectamenta, cupiebat in ſancto Cœnobio ſub religionis habitu conuerſari: In primitiis cum quodam fere in loco qui cognominatur Monte-falcone habitauit non multo tempore qui erat homo multum index coronâ capitis decoratus, oculos ſpecioſos, faciem liliabilem, manus prolixas, & frequenter per laticem cupiebat eas abluere, qui erogatas omnes facultates ſuas in camino paupertatis petijt aſſidendum ; ſed quia diabolus eſt inuidioſus ad nocendum & contra bonitatis formam pugnat malitia, inuidia diabolus maxima in eum exarſerat, qui per ſemetipſum ſeu per ſuos fautores eum inquietare non ceſſabat ; ſed ipſe præcinctus galea ſalutis & ſcuto fidei contra omnes ſagittas inimici fortiter dimicabat.

Dagobertus Rex qui tunc illis temporibus aderat pro eo quod ipſum hominem Dei in iuuenture in ſuo miniſterio habuiſſet, volebat eum inquietare pro eo quod ſine ſuâ iuſſione ſe tonſoraſſet & ipſum in ſuo palatio perduci iuſſit. Qui ipſe vir Dei confidens in adjutorium Chriſti qui ei præſens conſolator aderat, licet nolens quidem ad aulam Regiam perrexit qui eum veniſſet, prope de conſiſtorio Principis erat quidam pauperculus qui vehiculum ſuum ante portam ipſius Regis demerſerat pluribus ingredientibus & egredientibus nullus ei auxilium præſtabat ſed omnes pæne ſuper ipſum ambulabant deculcantes eum. Adueniens autem ipſe ſanctus Dei vidit impietatem quam operabantur filij diffidentiæ & de equo quem ſedebat cum velocitate deſcendens & pauperi manum porrexit, & ipſum plauſtrum ſimul de loco leuauerunt. Proſpicientes eum multi qualiter ſe inquinaſſet de luto deridebant eum & multa opprobria ei dicebant. Ipſe autem nihil curans de vituperationibus iniquorum : ſed humilis humilem magiſtrum proſecutus veſtigio quia ipſe Dominus in Euangelio dixit ſi patremfamilias Belzebuth vocauerunt quanto magis domeſticos eius ? Cum autem hoc in laudem Dei diuerteret ſtatim apparuit Angelus Domini qui veſtimentum eius diligenter curauit, & factus plus candens quam antea fuerat, poſtea peruenit in palatio Regis & ſtabat ante eum & ſatellites eius quaſi agnus in medio luporum; ſed Dominus paſtor omnium Sanctorum, ouem ſuam de fauce inimicorum ereptam in medio eorum quaſi cuſtos ſeruabat & cognouerunt omnes quia hic vir Dei erat & pro Chriſti deſiderio omnem gloriam mundi deſpexerat. Et præcepit Rex vt nemo ei faceret inquietudinem; ſed licitum eſſet ei Domini gloriam contemplari.

Inde reuerſus cœpit ædificare cellam in alio loco de facultatibus ſuis vbi ſe ieiunijs & vigilijs affligebat, cotidie gemitus, cotidie lachrymæ & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſerat nuda humo vix oſſa arida collidebat. Ille etenim pro metu gehennæ & amore Chriſti tali ſe carcere damnauerat. Videns eum diabolus ſemper ad eminentiorem viam conſcendere, nimia crudelitate in eum exardeſcebat atque multas inquietudines tam apertas quàm & pro ſopore ei faciebat qui ipſe ſanctus Dei cognoſcens fallaces inſidias eius quas ei per dulcedinis conſenſum ſuggerebat per vexillum crucis ſeu per abſtinentiam ſuas illecebras & ſuaſiones ſuperabat. Qui ipſe diabolus conſpiciens ſe ab ipſo viro Dei vinci, declinauit ad majorem interitum & ſi aliquo modo iuxta quod humana conditio eum ſomnus oppreſſiſſet per ipſam viſionem multiplices impugnationes ingerebat. Qui expergefactus à ſopore accipiebat armaturam Dei dicens : Deus in adjutorium meum intende: ſeu illud Domino deprecabatur vt ei donaret fortitudinem quatenus iniquum hoſtem ſuperaret & ſi quando in ipſa viſione nocturna per titillationem carnis inluſionem habuiſſet exurgens continuò cum gemitu & lachrymis mergebat ſe in fluuium ; & cum eſſet hyemis tempus in medio glacierum pſalmodiam decantabat & vnoquoque expleto vſque ad aquas veniam petebat. O quàm magnum ſtudium beati viri & maximum prælium quod contra inimicum agebat cotidie & Dominus clemens porrexit ei dexteram ſuam, quia mens eius ad IESVM iacebat, pedes rigabat lachrymis & crine tergebat & repugnantem inimicum ſuum corporis inedia ſubjugabat.

Videns Dominus militem ſuum quia fortiter contra aduerſarium pugnabat, miſit Angelum ſuum qui eum iuuaret & quadam nocte iuxta moris conſuetudinem in tugurio ſuo, in cilicio iacebat & tranſlatus eſt in ſpiritu ab Angelo ſancto, ductúſque eſt in Monaſterium quod vocatur Bobius in regione Longobardorum quæ dicitur Italia, oſtenditque ei omnes habitationes eius, quomodo aut qualiter adeſſent: qui cum eum reliquiſſet, cœpit ipſe ſanctus Dei intra ſemetipſum voluere quid hoc eſſet qui memorans in Sancto Euangelio mandatum, Chriſto dicente: Niſi quis reliquerit omnia quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, & qui vult poſt me venire abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me, adimplens Domini præceptum ſurgens reliquit omnia accipiens ſecum tres puerulos cum aſello, alijs neſcientibus exiuit de terra ſua & de cognatione ſua, & de domo patris ſui & ambulabat neſciens qua viaticum duceret, ſed Dominus per ſuum Angelum demonſtrabat ei quâ viâ pergere deberet, perueníteque ad prædictum locum vbi ei demonſtratum fuerat. Cum autem introiſſet & vidiſſet omnes habitationes Monaſterij certiſſimè cognouit quod antea Dominus in extaſi ei dicto demonſtrabat & conuerſatus eſt ibi aliquantum temporis. Qui cognouerunt omnes quia hic vir Dei athleta erat, & eius deuotio atque origo omnibus in notitiam aduenit & multas conditiones ei Dominus ibidem reuelare dignatus eſt. Ipſe autem ſemper cupiens habere ſecretũ vt virtutes eius non eſſent manifeſtatæ hominibus, ſed placitæ Domino quia cauebat illud quod Dominus dixit ad falſos ſeruos. Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus, Dominus autem nouit corda, veſtra. congregabat in armarium cordis ſui virtutes Dei atquo ei placere cupiebat qui cotidie eum proſpiciebat ex alto & in remotiore loco volens inhabitare, & arctam & anguſtam viam; præſidere, diſpoſuit in Scotiam ambulare. Ardebat enim ex deſiderio Domini quia charitas Chriſti diffuſa erat in corde ipſius per Spiritum Sanctum qui datus erat ei.

Cum autem pergeret veniens per Monaſterium quod eſt conſtructum vltra Iuranenſes partes cognominatum Romanum petijt ibidem hoſpitium. Qui ipſe Abbas enim cum ſumma diligentia recepit vbi cum iuxta moris conſuetudinem mandatum Domini adimplentes ad lauandum pedes veniſſent, cognouit ipſe ſanctus Dei quod ibi erat illa via arta, quam ille per deſiderium Chriſti volebat ſectari & certius per ſpiritum Domini notum ei fuit quod ad hoc eum Dominus adduxerat, vt ſub religionis habitu conuerſari deberet, & ſe in obedientiam ibidem delegauit & multis diebus ibidem ſub inſtitutione regulari habitauit; nempe ipſe in virtutum culmina ſemper per humilitatem aſcendens & vanam gloriam cauens, manſuetudinem ſectans, timens ne ſi bonum aliquod videretur facere per ventum elationis diabolus obreperet, cuſtodiens ſe multúm etiam à minutiſſimis culpis, id eſt à ſermone ocioſo, excelſum riſum plerumque cauebat ſciens dictum eſſe quia ſtultus in riſu exaltat vocem ſuam, ſed rectus ſemper atque hilaris in mandatis Domini erat promptiſſimus. His virtutibus quaſi comitibus ſuis adiutus erat ceteris humilior, quietus in ſermone, hilaris in cultu, pius aſpectu, maturus in moribus, detrahere nec volebat, nec plerumque audire, non murmuroſus, ſed obediens, ea quæ à patris ore nunquam fuiſſent prolata quaſi diuino imperio cum omni velocitate faciebat tenens Domini mandatum & ſemper in lego eius meditatio ipſius aderat, vbicumque eſſet ruminanda mandata Dei reuoluebat, & meditando cuſtodiebat. Taliter erat ſtudium eius quia mortificauerat membra ſua quæ erant ſuper terrã: nudus Mudam crucem portauerat atque mortuus iam mundo viuebat Domino & Dominus videns quia multum diligens eſſet ad exercendum ſeruitium eius plures conditiones ibidem per inſpectiuum oculum patefecit ſeu plurimos dormientes in ſomno inertiæ atque pigros ad opus Domini faciendum per ipſum excitauit atque ad opus fidei conſurgere fecit. Nec illud maximum miraculum prætetire audeo quod factum ipſo ſancto Domini narrante cognoui. Quadam nocte cum in oratione deuotiſſimè in cella ſua perduraret, adſtitit Angelus Domini ante eum in tam magna claritate fulgente, itavt habitaculum illud immenſa luce terribiliter reſplenderet & repleuit odore ſuauitatis tugurium illud & vox facta eſt ad eum dicens: Serue Chriſti in timore Dei promptiſſime, pax tecum, quia magnus es tu apud Dominum & magna ſunt opera tua quæ inceſſabiliter facis: perſeuera vſque in finem quia Dominus IESVS-CHRISTVS tibi habet paratam coronam &

amœnitatem paradiſi reſetaram; qualiter eum ipſo ſine fine exalteris, & ipſo loco ventura ei prædixit, & ait: Quia nepos tuus Godo ſequuturus erit te. Hæc audiens vir ſanctus proſternens ſe iterum cum gemitu in oratione magis ac magis incaleſcens non extollendo ſe eo quod per Angelum ſuum Dominus ei locutus eſſet, atque opera eius magnificauerit, ſed humilians ſe & peccatorem eſſe ſe plus fatebatur, quia non eſſet dignus, vt eum Dominus viſitaret. O Beata illa virtus & ipſe homo qui ore altiſſimi meruit eſſe laudatus! O Beata mortificatio quæ filium Dei facit eſſe participem! O Beata humilitas quæ apud homines eſt viliſſima, apud Deum excelſa! Hoc cuſtodiens Beatus Vvandregiſelus habet partem in regno Dei.

Veniamus ad illud tempus in quo iam Dominus ſeruum ſuum in vniuerſis gentibus demonſtrare voluit atque margarita pretioſa de theſauris ſuis profecta reſerabat, vt per eum multorum ſalus accreſceret, & ei gemina corona multiplicaretur. Veniens Rodomo in ſede beata in diebus Audoeni Orthodoxi, qui cum vidiſſet eum ipſe Pontifex, cognouit quia hic vir Dei magnus cultor eſſet & voluit eum ad onus Subdiaconatus benedicere, quem inſcium & pœne nolentem ad ipſum gradum inſtituit: exinde Leuita: deinde ad Sacerdotium per manus Domni Audomari conſcendere fecit: qui ipſe ſanctus Dei poſt acceptam benedictionem explebat officium ſuum: Erat enim decoratus ad ipſum miniſterium exercendum. Sed quia ſemper ille fontem humilitatis repetebat; nolebat enim in terrenis actibus occupari, quærebat locum vbi ei Dominus demonſtraret qualiter ſub ſanctâ regulâ degeret vitam. Cui Dominus talem dedit locum vbi plurimum gregis Chriſti bonus paſtor curam geſſit, aſſedit iuxta fontem vberrimum qui vocatur Fontanella in eremo quæ dicitur Gemeticus ex fiſco quem aſſumpſit Regali munere. Ibi Monaſterium fundauit atque ex multorum ſanctorum animorum pretioſis lapidibus eum inſtruxit. Ædificauit namque Baſilicas in honorem ſancti Petri, Beati Pauli, vel ſancti Laurentij, & alia oracula non multum diſtantia à Monaſterio quaſi milliario vno in honorem S. Amantij Rotiuenſis Præſulis, pro amore ipſius conſtruxit. Erat enim pro ſanctitatis ſtudio carus Dadoni Pontifici, cuius in Parochia eſt ipſum Cœnobium. Non fuit contemptor Canonum; ſed tantum erat humilis, vt etiamſi innere pergere conaretur Præſulis permiſſu ſuſciperet & ſine edicto eius non volebat pergere in itinere quia ſciebat ſcriptum eſſe: Omnia quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Porro voluit ſine portione mundi iſtius eſſe, vt de proprio ſudore ederet panem ſuum & fuit ſic multis temporibus, & Dominus videns quia electus ſuus multiplicabat talenti gratiam quam ei dederat, plures faciebat concurrere ad ipſum Cœnobium ſequentes Euangelium eius relinquentes patrem & matrem, domum & agros ſeu reliqua. Quod proſpiciens ipſe ſanctus Dei, qualiter multitudinem ſanctorum ibidem Dominus adgregaret, non præualuit eſſe ſine agris, niſi acciperet de eis qui illuminati Dei ſeruitio ſe ſubjugabant, quatenus eorum neceſſitates haberet vnde procuraret, hoc eſt tantùm victum & veſtitum iuxta præcipientem Apoſtolum, habentes autem tegumenta & quibus alamur his contenti ſimus. Erat enim veriſſimus paſtor iuxta Domini præceptum, quia animam ſuam ponebat pro ouibus ſuis. Per ſuam dulcedinem multorum amaritationes in liquorem vertebat, per ſuam humilitatem multi ſuperbi confuſi ad humilitatem reuertebantur. Per ſuam doctrinam multos aggregauit in regno Dei. Erat enim doctus ſcriba proferens de theſauro ſuo noua & vetera, dubios confortabat, imbecilles corroborabat, infimis auxilium præbebat, atque contra diabolum pro eis fortiſſimo prælio dimicabat: plurimas prædas de ore leonis rugientis abſtulit atque ad ouile dominicum vt bonus paſtor reduxit ſeu vulneratum verbi gratia curauit, & inſtruebat filios ſuos qualiter potuiſſent reſiſtere Satanæ inſidijs fluctuoſis, & qui poſuerant manum in opus Domini, non reſpicerent retro, & adnunciabat eis dicens, Retrorſum reſpicere, fili, nihil aliud eſt quàm in eo pœnitere quod cœperas exercere. Et iterum: Mundanis deſiderijs te obligate Cariſſime. Semper debet homo paratus eſſe ad humilitatem & ad altiora conſcendere: non debemus computare annos quos in Cœnobio degimus, ſed quod ſine querela in mandatis Domini viximus. Etſi nos aliqua elatio non inflat eo quòd non furamur cum furibus, & non iungimur cum homicidis ſeu periuris, recogitemus intra conſcientias noſtras quales ſint actus, ſi odium contra quemlibet non habemus, ſi detractionem

eum

cum omni velocitate eradicemus, ſi vos non inflat ſuperbia, ſi non debilitat ambitio, ſi luxuria non coinquinat, ſi ira non exaſperat; ſi vana gloria non præoccupat, ſi riſus immoderatus non rugat, ſi otioſus ſermo non præpedit; ſi charitatem, pacem, gaudium, benignitatem cum omni auiditate cuſtodiamus. Hoc nobis eſt neceſſarium, vt omni horâ Dominus paratos ad opus ſuum inueniat, gaudeat, & coronet, diabolus, vt decidat, & lugeat quia maximum mœrorem habet, quando quemquam viderit promptiſſimum in mandatis Domini cuſtodiendis. Filioli, cuſtodite vos ab omni inquinamento mundi: Hodiè viuimus, in craſtinum quid nobis contingat, neſcimus; reuoluatur ad noſtram ſedulitatem memoria, qualiter nos qui aliquando fuimus filij tenebrarum, modò miſericordiam Domini conſecuti, facti ſumus filij lucis. Itaque abjiciamus opus tenebrarum, & per Chriſti præcepta, tanquam per lucem ambulemus. Videte vt vos diabolus per zeli liuorem in muſcipula ſua non obliget, ſed ligati charitate inuicem in timore Domini ſeruite; & ſi hoc veſter aduerſarius conſpexerit, longè fugabitur à vobis; quia ad illum, quem in prœlio ei inimicus vnanimem viderit, appropinquare ad eum minimè poteſt: quia charitas Dei conglutinat, hoſtem teterrimum, proſtratum habent vnanimes. Hoc erat ſtudium, vel labor eius, quo contra diabolum dimicabat; quia filios ſuos, quos verbo Dei tanquam lacte enutriens ad bellum contra eum docebat, atque venenatas ſagittas eius, de qua parte peruenire poterant, demonſtrabat. Qui ipſas oues Dominicas in prædicto ſancto Cœnobio vſque in finem vitæ ſuæ ſine querela (vt puto) præcelſior ſuper omnibus Paſtor ſollicitudinem in omnibus geſſit. Tanta ei aderat veriſſima humilitas, vt propter filiorum educationem, in ſenectute, in labore manuum incipere renitebatur. O quàm magnum atque præclarum ſatellitem Chriſti, vt qui per contemplationis aciem cor ſuum in ſupernis eleuabat, pro fraternis dilectionibus detentus, in terreſtribus multis modis ſeruituti ſubiicieos, vt adinſtar Apoſtoli, omnibus omnia erat factus, vt omnes lucrum faceret, qui per ipſam multiplicem gratiam, quam ei Dominus dederat, irrigabat terram gentilium, & torrentem ſpinarum, & mare mortuum dulcorabat; ſicque de viro ſancto in longinquis ſpatiis terræ felix opinio peragrauit, ac ſi quis eum oculis corporeis non vidiſſet, fiduciam magnam habebat, vt per eius intercesſionem ſicut erat clementiam Domini haberet eſſe propitiatam. In hoc maximâ parte ſuâ prædicatio claruit, vt cùm in terra cum brutis vel ſeruis hominibus habitabat, in modicum tempus per eius deprecationem ſunt conuerſi, vt qui antè direptores fuerant poſteà ſua propria largiebantur. Quid dicam ampliùs, vt in tam feroci vel immani barbara gente nuper Chriſtiana, more monachili ſe cùm vellet leuiter increpari proſternebat ſe vſque ad terram, & veniam petebat. Nempe ipſe Sanctus Dei inter oues ſuas ſeu dominicum agrum verbi prædicatione exarabat, & dicebat: Non nobis, Domine, ſed ſancto nomini tuo da gloriam. Et deprecatio eius fiebat quotidiè pro ipſis, vt in tam nouella plantatione Dominus IESVS CHRISTVS radicem charitatis figeret, & fundamentum ſtabilitatis firmaret: cui non tantùm pro filiis ſuis oratio aſſidua erat, ſed etiam pro omni gente tam iuſtorum quàm & peccatorum, quorum carnes Rex Aſſyrius in olla fornicationis incendio bulliebat.

Mirum eſt valdè atque ſtupendum cogitare, ſi in huiuſmodi viro Dei prophetiæ ſpiritum habitaſſe non credamus, qui ſæpiùs aderat, vt dum quiſquam reatum ſuum minimè innoteſceret, diceret ipſe famulus Dei: Frater, quid tibi eſt vt tam toruo aſpectu corde contriſtatus incedas? Nonne tibi ſunt aliqua cordis machinamenta? Feſtinus ſis ad confeſſionem: noli dimittere reatum tuum in corde quieſcere, quia modicæ ſcintillæ adjectio magnum ignem congenerat. Surge, frater, ſta ſuper pedes tuos, & noli proſtratus iacere, ne ſis cum diabolo, ſed ſurge cum Chriſto. Porrò & ego abſque dubitatione loquor eum audiſſe ventura pronuntiantem, quod oculi mei poſteà apertiſſimè viderunt. Hæc minimè patitur breuitas huius texti diutiùs immorari. Sed inquantum diuinâ iuuatus fuero miſericordiâ, perſtringere nobis hoc conuenit, ne vt ſuperiùs longo proſcribente ſtilo faſtidium debeam generare, & hoc mihi ſic credo, quod fas ſit ad inquirendum quanta Dominus per ipſum Sanctum Dei, venerabilémque Patrem noſtrum operari dignatus eſt miraculorum certamina. Nec hoc poteſt inopia mea adprehendere, ſed ſoli Deo agnitum eſt, liquet hoc quòd humanis obtutibus apparet, inquirendum putaui, quia de ipſo Sancto Dei pauca perſtrinxi. Nam certiſſimè ſciamus, quòd per eum Dominus leproſos munda-

uit, claudos liberis greſſibus ambulare fecit, & interioris cordis tenebras, & mortuos iam penè ſepultos reſuſcitauit. Qui de huius miſeriis ſæculi ereptus, in cæleſtibus ſedibus hodiè cum Chriſto, & ſuis ſanctis Angelis militat, & erit gloria eius Chriſtus, & finem nunquam erit habiturus, gaudens amœnitate Paradiſi.

Veniamus ad illum locum, in quo Dominus inclytum ſuum de laboribus huius mundi in cæleſti quiete perducere voluit. Quadam & ipſe ætate longâ defectus, canebat ſæpiſſimè dicens: Heu mihi quia peregrinatio mea prolongata eſt, habitaui cum habitantibus obſcuritates, multùm peregrinata eſt anima mea, & deprecans Domino dicebat: O IESV bone, libera me, quia multùm deſidero videre te. Qui ipſe exaudiens vocem famuli ſui, immiſit ei modicam ægritudinem, qualiter animam ſanctam reciperet de corpore. Qui ipſe vir Dei fuit tribus diebus & tribus noctibus non loquens cum hominibus, ſed in extaſi eductus contemplabatur gloriam Domini, & per pauca aperiebat oculos ſuos, & proſpiciebat in cælo hilari vultu. Quod cognoſcentes diſcipuli qui ante eum adſtabant, eò quòd mens eius tranſlata erat in gloriam Domini; videntes autem Fratres, eò quòd iam volebat Dominus eum recipere, cõtriſtati ſunt valdè, dicẽtes: Quid facturi ſumus, cur nos tam citò relinquis, Pater? Verba tua audire vellemus, adſuetâ admonitione tuâ omnes deſideramus corrigi; & proſtrauerunt ſe cum gemitu & lacrymis, in oratione Dominum deprecantes, vt non permitteret eum de corpore recedere, antequam eis confortationis gratiâ famularetur. Porrò Dominus videns contritionem maximam, quam oues ſuæ patiebantur pro paſtore eorum, eò quòd iam minimè eis loqueretur, permiſit ipſum ſanctum Dei, vt multa prædicationis verba eis prædicaret. Qui conuocatis diſcipulis ſuis, plurima myſteria, ſecreta, & abſconſa, tam de ſe, quàm & de reliquis eis reſerauit. Tunc interrogauerunt eum Monachi iuxta moris conſuetudinem, quid poſt ſuum diſceſſum facere deberent? At ille aperiens os ſuum, reſpondit eis: Certiùs cognoſcatis, quòd ſi permanſeritis in ſermonibus meis, & cuſtodieritis quod ego prædixi vobis, vt in vnitate atque charitate, ſeu & humilitate fundati ſitis, vt inter vos nulla ſit diſſenſio, conditio veſtra manere habet in perpetuo rectè, & Dominus vobiſcum erit omnibus diebus, & veſter conſolator atque auxiliator in omnibus neceſſitatibus aderit. Pauca eis verba in breue expreſſit, eò quòd iam propè erat aduocatus ille, qui eum recipiebat in ſinum requiei ſuæ. Cùm autem conſpiceret diabolus, quòd per merita ipſius Sancti Dei eum Dominus ad beatam vitam de his tenebris vocaret, maximâ inuidiâ in eum ductus, eò quòd ſemper aduerſus eum fortiſſimus dimicator fuerat, & non tantùm ſemetipſum, ſed etiam plurimas oues de ore eius abſtraxerat, atque ad vitam æternam pius ductor extiterat, volebat eum per ſuas nigredines teterrimas, pauores animæ generare: ſed Dominus clemens iuſtum ſuum nunquam deſeruit, ſed ſemper in eo habitans percuſſit diabolum, & fugauit eum. Etiam diſcipuli prædicti Patris qui ante eum aderant, audierunt eum dicentem: In Spiritu Sancto baptizauit me Dominus in fonte lauacri, & occurrit mihi dæmon teterrimus, & percuſſit eum Dominus in fronte, & fugauit eum. Proſpiciens iſte ſanctus Dei multitudinem agminis ſanctorum, quos ibidem ad eius exitum Dominus miſerat ante eum adſtare, vocauit aliquem ſanctum, cuius vitam & mores ipſe beatus vir ſciebat, dicens: Agathon, Agathon, cum hilari vultu, & per ipſam ſuam vocationem certiores fuerunt Fratres quòd multitudo ibidem eſſet aggregata ſanctorum; & ego ipſe ab aliquo Fratre in Monaſterio narrante cognoui, cùm eſſet in cella ſua, audiuit choros excellentiſſimè pſallere, Exurgens autem Frater ille in pauimento, & currens feſtinus ad Eccleſiam, acceſſit, cogitauitque intra ſe vt Fratres iam decantarent ad exitum beati viri Dei, qui veniens in Eccleſiam, & nihil in ea inueniens, regreſſus cum terrore venit ad locum vbi venerabilis Pater erat, interrogauitque circumſtantes ſi aliquam rem audiſſent. Reſpondentes autem Fratres, dixerunt ei, quia neminem audierant. Et ipſe ſanctus vir ad illos Fratres, qui eum curabant interrogauit, dicens: Poteſtis decantare cum iſtis qui hîc pſallunt? Dixerunt ei: Domine, quinam ſint, neſcimus, tu ſcis. Ille autem ſplendidâ facie lætabatur in Domino, & cum ipſis corde pſallebat. Ad vltimum verò exitus ſui congregata eſt omnis multitudo Monachorum, & ipſa ſanctiſſima anima egreſſa eſt de corpore, & receperunt eum agmina Angelorum, qui ad eius exitum pſallebant, & Dominus IESVS CHRISTVS, cui ipſe in hac vita deuotiſſimè ſeruiuit, reſerauit ei amœnitatem Paradiſi. Tunc multitudo ad eius obitum decantabat cum

magno planctu: Illi fundunt lacrymas pro ſeparatione carnis: Angeli exultant pro inuentione: Illorum animus mœſtus eſt paſtorem obiiſſe; Angeli gaudent propter quod iam ſanctum Dei recepiſſent. Exultant ſenes, lætantur iuuenes, gaudent adoleſcentes, alacres ſunt Monachi, quia ſanctum Wandregiſillum recipiunt ſedes beatæ & æternæ; & poſt labores multos, quos propter Dominum gratanti animo in præſenti vita ſuſtinuit, in perpetuo coronam maximam recipiet. Sectemur hunc, Fratres, communi ſtudio, ſi volumus cum eo gaudere in perpetuo. Humiliemus nos propter Dominum, ſicut ille fecit, vt cum eo exultare mereamur. Mortificemus membra noſtra, vt ſpiritus floreat; concordes ſimus, vt diabolus fugiat; mites, vt Angeli gaudeant. Videat ille multiplicare ſemen Dei, quod exſparſit in cordibus noſtris, & lætetur Pater in filiis, & filij in Patre, vt in illo terribili examine venturi iudicij repræſentare nos ante oculos Dei valeat, dicens: Hæ ſunt oues, quas commendaſti mihi, Domine; nemo periit ex eis cuſtodientes mandata tua, quæ annuntiaui eis. Et dignetur vobis dicere Rex æternus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum eum dilecto veſtro, inclyto meo Wandregiſillo, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO, qui Confeſſorem ſuum in præſenti vita protexit, & poſt funus in ſanctorum gaudio copulauit, qui cum æterno Patre viuit & regnat Deus in Trinitate perfecta in ſæcula ſæculorum. Amen. Noſſe qui volet eiuſdem beatiſſimi obitum XI. Kalendas Auguſtas, cum opere perfecto conſummatum recepit eum Dominus.

SERIES ABBATVM FLAVINIACENSIS COENOBII,

Quantum deſcribi potuit ex ſchedis maximam partem vetuſtate detritis, quæ præmittuntur CHRONICO HVGONIS, MONACHI S. VITONI, ET ABBATIS FLAVINIACENSIS,

Quod excuſum eſt ſuprà à pag. 75. ad 269. huius primi Tomi, ex Codice MS. Collegij Pariſienſis Societatis IESV.

Quæ præcedunt, inueſtigare nullâ ratione valuimus.

GAYRUINVS Epiſcopus ſucceſſit, & in expeditione Imperatoris obiit II. Nonas Iulij DCCLV. Indict. XIII.

Manaſſes ordinatur Abbas dono Pippini Regis. Hic corpus ſancti Præiecti à Volouico relatum Flauiniac. Eccleſiæ intulit. Moritur anno DCCXXCVII. Ind. XV. & p.... Adalbertus ordinatur. θ. anno IV. & Zacho ſucceſſit, ordinatus Kalend. Maij, & hic quarto anno obiit VII. Idus Maij. Alcuinus poſt hunc ſucceſſit. VII. anno Apollinari ſedem reliquit dono Karoli Imp. Quantus hic, qualiſve fuerit, publica continent geſta. θ. tempore Ludouici Imp. Indict. IV. DCCCXXVI. & mort. Vigilius ſucceſſit. Huic anno DCCCXXXIX. Adreualdus ſucceſſit, & tertio anno θ. Marianus ſucceſſit DCCCXLV. Indict. VIII. & Wlfaldo ſedem reliquit. Quo migrante, Warinus Comes dono Imperatoris Karoli præfuit vice Abbatis, & ſub eo Sarulfus Diaconus, & poſt eum Gozſerus Abbas ſucceſſit. Quo defuncto, Hugo ſucceſſit XVI. anno Karoli, & ei ſucceſſit ſanctus Eygil, poſtmodum Senonenſis Archiepiſc. qui corpus S. Reginæ tranſtulit. Huic etiam Sigardus ſuccedit, & V. anno Wolfardo Ludouici II. Imp. ſororio dono eiuſdem ſedem reliquit. Cuius ordinationis anno 3. conſecratio Flauiniac. Eccleſiæ acta eſt à Ioanne Papa, & XVIII. Epiſcopis, anno DCCCLXXVIII. Ind. XI. Quo etiam anno moritur Ludouicus Imperator

& Karlomannus ſucceſſit. Poſthæc Adalgarius Epiſcopus Eduenſis à Karolo Simplice primo annò regni eius ſub Odone Abbatiam perquiſiuit, & obtinuit, & ab hoc à Papa Romam inuitatus, in itinere obiit Trenortij, anno eodem, ſcil. DCCCXCIII. & ſub eo Aquinas Præpoſitus fuit . . . .

. . . .

. . . .

. . . . Richardi Ducis ſucceſſore . . . . ordinari, quem ordinauit Argrimus à Ioanne Papa de Lingonenſi Epiſcopatu depoſitus, ſed à Formoſo reſtauratus in Lugduoenſi, cùm noo haberet pallium, nec reſtitutam dignitatem quâ poſſet Epiſcopum conſecrare, & contradiceret ordinationi ex parte Papæ Tetbaldus Lingooenſis Epiſcopus. Quamobrem Argrimum Formoſus irrecuperabiliter depoſuit, & Walonem cum fautoribus, id eſt, Richardo, Manaſſe, & reliquis, pro inuaſione Eccleſiæ Flauiniacenſis excommunicauit. Walo tamen ſæculari potentiâ fultus, Epiſcopatum obtinuit, & Abbas Flauiniacenſis factus à ſeipſo caſamentum ſuâ manu retinuit, & ſub ſe Otbertum Præpoſitum conſtituit. Sic per multa annorum curricula abſque Abbate fuit Flauiniacenſis Eccleſia. Sic etiam caſamenta Eccleſiæ dum ſibi viciſſim ſuccedunt Pontifices Eduenſes in ſua diuiſione obtinuerunt. Poſt Otbertum Prælatum, Girfredus de morte Adalgarij culpatus, ſed iudicio Epiſcoporum purgatus, prælationem obtinuit: cui ſucceſſit Raiogus magnæ vtilitatis & honeſtatis I. Idus Maij. Obiit etiam Walo anno Incarnationis Domini DCCCCXIII. Indict. XV. Herueus ſucceſſit, & ſic Abbatiam ſibi tenuit, & ſub ſe Gauſarium Prælatum conſtituit. Herueo nihilominus decedente, Romundus ſubſtitutus eſt. Hic curam Flauiniacenſis Eccleſiæ Rainoni Abbati Magabrenſi commiſit, tempore Rodulfi Regis filij Richardi Iuſtitiarij. Quo decedente, VVichardus ſuccedit, & ei Domnus Fulcherius tempore Ludouici filij Caroli Simplicis. Hic Hieroſolymam profectus anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLIV. Indict. II. partem claui Domini, & portiunculas crucis eius, zonæ, & ſudarij, baculi quoque apportauit ſuæ Eccleſiæ. Rexit etiam Diuionenſem Eccleſiam. Sanctam quoque Paſchaſiam Flauiniacenſi intulit Eccleſiæ, mediam ſcilicet partem corporis eius: obiit quarto Kalendas Maij, anno DCCCCLV. & ſucceſſit ei Milo Magabrenſis. Romundo migrante anno DCCCCLXVIII. Indict. XI. Gerardus ſucceſſit. Milo Abbas Romam profectus, priuilegium à Benedicto Papa obtinuit. Gerardo Pontifici Eduenſi Domnus VValterus ſucceſſit anno DCCCCLXXVIII. Ind. VI. Hic defuncto Milone, Roberto Flauiniacenſem tradidit Eccleſiam, qui totam eam, niſi cautum eſſet, peſſumdediſſet Eccleſiam. Expulſus enim de Abbatia, quia erat propinquus Landrici Comitis Niuernenſis, commiſſus eſt ei Prioratus Cellæ Corbiniaci, & Heldricus Cluniacenſis Monachus Abbas ſubrogatus eſt. Robertus verò Corbiniacum veniens, de eo ſe Abbatem vocari fecit. Ex eo Corbiniacus Abbatia dicitur. Obiit Heldricus annò Dominicæ Incarnationis MX. & Amedeus ſucceſſit, & Cellam Corbiniaci recuperauit. Colticenſem etiam, & Sinemurenſem, & Bellilocenſem Cellas inſtituit, & multæ authoritatis & dignitatis obiit, & Aymo ſucceſſit: ſed culpatus de ſimonia, in manu Leonis Papæ IX. virgam paſtoralem dimiſit, & Odo I. Aremati Monaſterij Monachus ſucceſſit, & poſt II. annos Odoni II. ſedem reliquit. Elmuino ſedem Eduenſem procurante, qui etiam Corbiniacum, quia tunc non habebat, noſtræ reddidit Eccleſię; vbi cùm proceſſione facta ſuſciperetur à Monachis, in proceſſione minùs cautè virgam paſtoralem, quam Robertus Diabolicus laqueus habuerat, ſuſcepit, à Fratribus noſtris id omninò calumniantibus, & ob id de proceſſionis ſtatione recedentibus. Hac igitur de cauſa inualeſcentibus mandatis Apoſtolicis, ne quis Abbas duas obtineat Abbatias, accuſatus ab eiſdem in Concilio Exoldunenſi, quaſi qui contra decreta Apoſtolica duabus præeſſet Eccleſiis, virgam reddidit, & requiſitâ iuſtitiâ de Cella ſua, id eſt fundo Flauiniac. Eccleſiæ, nihil obtinuit. Erruuino tandem Epiſcopo decedente, cùm in Aganonem communis proceſſiſſet electio, Curiam Regis Francorum Heinricus Abbas adiit, auribus regiis querimoniam ſuam propalauit, & procedente iuſtitiâ coactus eſt Epiſcopus ſacramento firmare, vt mox poſt conſecrationem ſuam ius ſuum reformaret Flauiniac. Eccleſiæ. Et quia Abbatis Flauiniac. eſt prima vox in electione Epiſcopi, quam omnes debent confirmare, in Capitulo Flauiniac. veniens electus Epiſcopus, fidem fecit in oſculo ſancto Fratribus puſillis & magnis de redintegratione Ec-

clesiæ Flauiniac. id eſt, de reſtitutione Cellæ Corbiniae. Sed quod promiſit delinirus obſequio Corbiniacenſium, non impleuit: ius tamen ſuum eſſe ſemper proteſtatus eſt priuatim & publicè. Odone ergo decedente, Rainaldus Ducis frater, eiuſdem loci Monachus, ſubſtitutus eſt. Hic corpus S. Præjecti recondidit in loculo aureo, gemmis, & argento, ſub ſtudio & labore compoſito, & ad tranſmurationem ipſam inuitauit Domnum Hugonem Cluniacenſem Abbatem. Eccleſiam quoque ſibi creditam honeſtauit palliis & cappis, & ornamentis diuerſis; ſtrenuitatem tamen animi ſui infirmitate præpediente, vt voluit, exequi non potuit: mortuus enim eſt in primæuo flore iuuenrutis, necdum ſeptem annis in prælatione perexpletis. Et poſt hæc ferè ſeptem annis abſque Rectore fuit Eccleſia, niſi quod Elmuinus ſolis duobus præfuit menſibus.

Sequitur poſt quatuor paginas in eodem noſtro Codice MS. Kalendarium, ſeu Necrologium Flauiniacenſis Abbatiæ, quod ſuo tempore cum aliis pluribus eiuſdem generis, Deo dante, publici iuris faciemus.

EPISCOPORVM MAGALONÆ INSVLÆ SERIES:

AVCTORE ARNALDO DE VERDALA.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen. Incipit Catalogus Epiſcoporum Magalonenſium per Reuerendum in Chriſto Patrem D. ARNALDVM DE VERDALA, *Dei prouidentiâ Magalonenſem Epiſcopum editus, & etiam publicatus. Et primò incipit prologus ſic.*

SANCTORVM Maccabæorum geſta referunt, & deſcribunt, quòd Matathias appropinquans morti ſuæ dixit filiis ſuis: Mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam & nomen in æternum. 1. Maccab. cap. 2. Et quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, ſicut legitur Iacobi cap. 1. Quia etiam cuius donum vel munus frequenter aſpicitur, huius memoria diſtrictiùs retinetur, prout in Concilio Viennenſi, tit. de Reliquiis, n. 2. circa medium continetur. Idcircò donum iſtud nobis in verbis præaſſumptis diuinitùs inſpiratum, debemus æternæ memoriæ commendare, &c. *quæ minùs ad hiſtoriam pertinent.*

Igitur nos Arnaldus de Verdala, vtriuſque Iuris Profeſſor minimus, Magalonenſium Epiſcopus, licet indignus, opera, geſta, ſeu facta Epiſcoporum prædeceſſorum noſtrorum Magalonenſium volentes colligere, vt inde nomen æternum & gloriam accipere mereamur, ipſa ad æternam rei memoriam authoritate noſtrâ ordinariâ duximus publicanda, & in Archiuis publicis noſtræ Magalonenſis Eccleſiæ conſeruanda; ne traditiones, quas antiquitùs à Patribus ſuſcepimus, violentur. Quare rogari à deuotis noſtræ Eccleſiæ, & vt otium euitemus, diuino auxilio inuocato, catalogum huiuſmodi duximus ordinandum.

Sanè quia poſt primum annum Caroli Magni & Imperatoris, qui circa annum Domini DCCC. imperauit XIII. annis, vel circa, Saraceni per mare decurrentes intrabant inſulam Magalonæ per gradus, & inde caſtra circumjacentia vaſtabant; ideò à dicta inſula per dictum Dominum Carolum Saracenis exactis, & ædificiis, ac Eccleſiâ funditùs dirutis, ne ibi Saraceni poſſent recipi, & Canonicis dictæ Eccleſiæ tunc ſæcularibus exiſtentibus expulſis, & ad Montem de Subſtantione muratis, priuilegia, regiſtra, & monimenta dictæ ipſius Eccleſiæ Magalonenſis perdita,

& deſtructa fuerunt, propter quod paucas ſcripruras anriquas runc præteritorum remporum potuimus reperire, quæ de ſtatu dictæ Eccleſiæ, ſeu Epiſcoporum præmortuorum facerent menrionem.

Illos autem quos reperire potuimus, duximus in præſenti caralogo regiſtrandos.

DE RICVINO EPISCOPO.

Ricuinus Epiſcopus

De iſto non reperi aliam cerritudinem, niſi quod Ludouicus, de quo infrà fit mentio, imperabat circa annum Domini DCCLXX. & quod in rabulario anriquo Magalonenſis Eccleſiæ ralis ſcriprura anriqua reperra eſt.

Cùm rerum geſtarum recordario admodum ſit neceſſaria, & humanæ naturæ vis ad ea quæ geſta ſunt, ſerioſiùs recolenda nequaquam ſufficiat, vtile plurimùm mortalibus fuit, vt actuum qualirates & modus ſcriprurâ promulgante memoriæ mandarentur. Menti ideò nobis extitit literis explicare, quanta fuerit olim diligentia, quanta deuorio in viris præclariſſimis, qui vniuerſæ carnis viam in Domino abierunt circa alodia ſua, pro æternæ remunerationis fructu Magalonenſis Eccleſiæ illi mancipanda. Placuit iraque retexere primordio, quonam modo Montiſpeſſuli, & Montiſpeſſulanuli villæ cum adjacentiis ſuis Magalonenſi Eccleſiæ ſunt acquiſitæ. Duæ quædam (vt in ſcriptis & fama pertinaci comparamus) fuerunt ſorores, altera quarum Montempeſſulanum, Montempeſſulanulum altera, in alodium poſſidebant.

Fulcranus.

Beatus namque Fulcranus à Subſtantionenſium Comitum ſtemmate maternum ſanguinem ducens, Magalonenſis Archidiac. glorioſiſſimus, poſtmodum Lodouenſis Epiſc. iſtarum frater fuiſſe comprobatur. Verùm iſtæ cum meliori conſilio reuoluiſſent, quàm inordinato & præcipiti excurſu tranſeat mundus & concupiſcentia eius, de terrena ac tranſitoria poſſeſſione ſtatuerunt efficere, quo poſſent cæleſtia in perpetuum poſſidere. Earum iraque fuit deliberationis conſilium, poſſeſſionem, & poſſeſſionis ius quod in iis villis, & in pertinentiis earum videbantur habere, ad Magalonenſem Eccleſiam iure perpetuo poſſidendum transferrent. Hoc ergo votum Domino perſoluentes, has villas cum adjacentiis ſuis Domino Deo, & beatis Apoſtolis Petro & Paulo, Magalonenſi ſedi, & Ricuino eiuſdem ſedis venerabili Epiſcopo donatione in perpetuum valitura deſtinauerunt.

Guido dominus de Mõtepeſſulo.

Erat autem in iis partibus tunc temporis vir nobilis quidam, nomine Guido, qui vt nobis traditum eſt, ex terris ſuis cum Melgorienſi Comite militabat. Hic quadam die venerabilem adiit Ricuinum Magalonenſem Epiſcopum; & vt ei prænominatum Montempeſſulanum ad feudum donaret, multùm precibus impetrauit.

Accepit ergo Guido à Ricuino Epiſcopo Montempeſſulanum ad feudum, & præſtitit ei fidelitatem & hominium, expoſitâ ſecuritate, vt ei & Magalonenſis ſedis Canonicis fidelis eſſet in omnibus.

Ludouicus etiam dictus miſerante diuinâ gratiâ Imperator Auguſtus, inter ſuæ largitatis donaria, Magalonenſem Eccleſiam non reliquit immunem. Inter cætera

Argimirus Epiſc.

ergo beneficia quæ eidem Eccleſiæ plurima contulit, ſanctiſſimo Argimiro Eccleſiæ præſulante, pro æternæ vitæ præmio capeſſendo, Villamnouam pleno dominio in perpetuum poſſidendam Magalonenſi Eccleſiæ reſtituit. Prętereà villam de Tertals, & villam de Benauiciis, villam de Vedaui, & villam de Montelio, villam de Caulet, & villam de Cocone cum omnibus pertinentiis ſuis eidem Magalonenſi Eccleſiæ delegauit.

Berengarius Comes Melgorienſis.

Berengarius autem illuſtriſſimus Comes Melgorienſis, per animum Giſlæ Comitiſſæ vxoris ſuæ, & Bernardi filij ſui, caſtrum de Gigano, quod ab Ricuino Magalonenſi Epiſcopo per donationem habuerat, eidem Magalonenſi Eccleſiæ reddere congruum duxit. Caſtrum verò de Veruna, cum omnibus quæ in eius termino Fredolus de iure poſſidebat, Ricuino Magalonenſi Epiſcopo in integrum recognouit, & tunc vſque in hodiernum diem, qui poſt eum loco eius hæreditario iure ſucceſſerunt, à Magalonenſi Epiſcopo in beneficium habuerunt.

Gerardus quidam nobilis vir, villam de Vico cum omnibus adjacentiis ſuis Magalonenſi Eccleſiæ donauit.

Bernardus Melgorienſis nobiliſſimus Comes, villam de Pruneto, quæ eſt in Biterrenſi territorio, villam Exundrio, & villam de Arboraris, & Murmuranegues, & in Vicaria Agonenſi Eccleſiam ſancti Baudellij, cum omnibus ad ipſam pertinentibus,

& villam de Aguſauieiis, & villam de Nouagetiis Magalonenſis Eccleſiæ dominio ſubjugauit.

Auſtraldus autem præclariſſimus quidam vir, villam quæ Viragur appellatur, Magalonenſi Eccleſiæ, & Ricuino eiuſdem ſedis Epiſcopo, pleno iure tradidit poſſidendam. Auſtraldus namque nobilis quidam vir, villam de Maſtalgo Magalonenſis ſedis præſidiis adſcripſit. Eccleſia namque de Rect, & villa de Perols, villa ſancti Dionyſij de Geneſtet, cum omnibus adjacentiis, Magalonenſis ſedis ab antiquo alodia nuncupantur. Villam autem de Lunello vetere, & villam ſancti Britij, villam de Pratis, & villam de Cocone cum pertinentiis ſuis nominatiſſimis quibuſdam viris eiuſdem Eccleſiæ partes ſuas deleganribus, Magalonenſis Eccleſia, vt alia multa in alodium poſſedit. Hæc autem ad hoc literis commendauimus, vt legentes quòd hæc procul dubio ſunt Eccleſiæ Magalonenſis alodia, de quibus, & à quibus, eidem Eccleſiæ tradita ſunt, recolentes ſint.

DE ARGEMIRO EPISCOPO.

De iſto non inueni certam narrationem, niſi quod in libris antiquis Eccleſiæ Magalonenſis legitur, & ſpecialiter in Lunario antiquo, quòd Ludouicus diuinâ gratiâ Imperator Auguſtus, inter alia ſuæ largitatis donaria, Magalonenſem Eccleſiam non reliquit immunem. Inter cætera ergo beneficia, quæ eidem Eccleſiæ contulit, ſanctiſſimo Argimiro Magalonenſi Eccleſiæ præſulante, pro æternæ vitæ præmio capeſſendo, Villam nouam prope Magalonem, quam Carolus Magnus eius proauus in odium Sarracenorum Eccleſiæ abſtulerat, provt in priuilegiis ſuis continetur, pleno dominio in perpetuum poſſidēdam reſtituit. Præterea villam de Tettalis, villam de Bejaniciis, villam de Vedatio, villam de Montelio, villam de Caueleto, & villam Cocane, cum omnibus pertinentiis ſuis eidem Epiſcopo donauit, & reperi in chronicis quòd Ludouicus iſte imperabat anno ab Incarnat. Dom. DCCCLXX. *Argemirus Episc.* *Ludou. II Imp. an. 870.*

Sciendum etiam quòd in Legenda beati Antonini Martyris Apamiarum, inter alia continetur, quòd cùm Theodoricus Apamienſis paganus ſanctiſſimum Antoninum fratrem ſuum in duro carcere intruſiſſet, & catenâ ferri maximi ponderis eius collum alligaſſet, contigit quòd quidam puer, nomine Almachius, cuiuſdam viri clariſſimi, & Patricij filius, Spiritus Sancti gratiâ roboratus, intrauit ad Antoninum in carcerem, & catenam in eius collo prehendendo ſuſtentabat ſuis brachiis, & miniſtrabat eidem. Sed Rex prædictus exiſtimans ſeruum Dei ferri pondere & fame defeciſſe, venit ad veſtibulum carceris, & vidēs Almachium puerū catenarum pondera ſuſtentantem, iuratus fecit eum ex alto præcipitari: ſed Angelus Dei illum ſeruauit illæſum. Tunc Theodoricus inueniens Almachium puerum illæſum, & conſtanter Chriſtianam fidem prædicantem, interrogauit eum, quomodo de tanto præcipitio euaſiſſet illæſus. Puer verò referebat, quòd per orationes magiſtri ſui Antonini Angelus Domini in eius præcipitio affuerat. & eum incolumem ſeruauerat. Regi quoque indicans prope eſſe, vt Dominus noſter IESVS CHRISTVS iniurias ſerui ſui Antonini vindicet, & cruciatus eius in te retorqueat ad prælium eius quod imminet in Peuctoniam ciuitatem accedes, in quo cum vniuerſo exercitu tuo interibis. Poſt paucos autem dies ſerui prophetiam Almachi pueri, Theodoricus Rex perrexit ad bellum Magalonenſis inſulæ contra Pipinum Imperatorem, patrem magni Caroli Chriſtianiſſimum, vbi victus in fugam conuerſus cum vniuerſo ſuo exercitu, extitit interemptus.

DE PETRO EPISCOPO, *huius nominis primò.*

De iſto Petro non inuenimus aliquam certam narrationem, niſi quòd vidimus inſtrumentū, in quo cauetur quòd Bernardus Comes Subſtātionenſis ſedente iſto Petro in Epiſcopatu Magalonenſi, donauit Monaſterio S. Michaëlis de Cluſa Eccleſiam ſanctæ Crucis, quæ eſt prope Melgotium; quæ donatio fuit facta anno Domini M V. regnante Roberto Rege. *Petrus Episc.*

DE ARNALDO, *eius nominis primo Epiſcopo.*

Arnaldus huius nominis primus, fuit electus anno Domini MXLVIII. vixit in Epi- *Robertus Rex.*

ſcopatu, annis triginta; obiit anno Domini MLXXVIII. videlicet quarto Calendas
Arnald. Epiſcop. an 1048 Iulij. Et in eius ſepulchro ſunt ſcripti verſus ſequentes.

Hic iacet Arnaldus ſedis Pater huius, & auctor,
Annis triginta præditus officio.
Qui poſtquam Hieroſolymam deuotus adiuit,
Vt redit, in villa fertur obiſſe noua.
Protinus hic Iulias tranſlatus quarto Kalendas
In foribus clauſtri ſub gradibus ſitus eſt.
Gothofredus Epiſc. *Nocte verò monitus Præſul iunior* Gothofredus,
Iſtuc condigno tranſtulit obſequio.

Præterea, de eius vita in archiuo tales verſus ſunt reperti.

Hic locus inſignis, fuit vrbs habitata malignis
Gentibus, vnde ruit, quòd ſcelerata fuit.
Karrolus hanc fregit, poſtquam ſibi marte ſubegit,
Ob Sarracenos, quòd tueretur eos.
Tunc Nemauſenſes exuri iuſſit arenas
Aptas præſidio perfidiæ populo.
Inde manens annis vrbs hæc deſerta trecentis,
Tandem Pontificem repperit artificem.
Præſulis Arnaudi ſic ſemper ſubdita laudi,
Cuius nacta vicem creuit in hunc apicem.
Hic muros iecit, hic turres vndique fecit,
Clerum diuinis contulit officiis.
Ipſe Gradum clauſit, quo prædo piraticus hauſit
Sæpè latrocinijs littora noſtra ſuis.
Nauibus introitus per eum gradus alter apertus
Non procul à terris eſt Magalona tuis.
Illicitumque thorum diſſoluit presbyterorum,
Pontem conſtituit; trans mare pòſt abiit.
Vt rediit, moritur; in ſede ſua ſepelitur,
A ſe compoſitum ſeruet vt ipſe ſitum.

Magalona per Carolũ deſtructa. Ad maiorem tamen euidentiam dicendorum ſciendum eſt quòd ciuitas Magalonenſis anteà famoſa, & opibus ditiſſima, apud veteres floruerat; erat enim ibi portus maris vocatus Portus-Sarracenus vſque in hodiernum diem, ad quem per Gradum Galeæ Sarracenorum liberum habebant ingreſſum, & inde frequenter aſportabant quæcumque inueniebant. Sed temporibus magni Imperatoris Caroli, ipſo iubente, deſtructa fuit, non in odium Eccleſiæ, ſed ideò quia Sarraceni ad ipſam per gradus habebant refugium, & caſtra ſeu oppida circumvicina, quæ tunc erant modica, pro eo quòd nondum Monſpeſſulanus conſtructus fuerat, deuaſtabant. Quâ ciuitate Magalonenſi per Carolum funditùs deſtructâ, nec Chriſtianis habitaculum, nec paganis effugium exhibebat: ſed quamuis priſtini decoris honorem perdiderit, nomen tamen retinuit, & caput eſſe Epiſcopij non reliquit. Deſtructio igitur huius ciuitatis cauſa fuit, quare libri, regiſtra, inſtrumenta, priuilegia, & antiqua alia monumenta fuerunt pro maiori parte perdita, & etiam diſſipata propter quod fundamenta huius ſacræ Eccleſiæ, ſeu geſta Patrum præcedentium minimè potuimus reperire. Tunc namque Canonici ſæculares, numero duodecim in eadem Eccleſia exiſtẽtes ad ciuitatem Suſtantionem, quæ tunc iuxta Caſtrum nouum, ſatis fortis exiſtebat, confugerunt, & ibidem trecentis annis permanſerunt. Pauci Clerici, ſeu Presbyteri, qui cantandi habebant officium in eadem Eccleſia apud Sanctorum reliquias, quæ multæ atque pretioſiſſimæ ibidem vſque hodiè ſeruatæ ſunt, ſua officiola celebrabant, & ibidem Magalonenſis rariſſimè Pontifex accedebat; quæ quidem deſolatio per multa ſuccedentium tempora, & Epiſcoporum curricula perdurauit: nec aliquis qui miſericordiam impenderit, extitit; ſed omnes ſicut Leuita & Sacerdos, qui hominem qui in latrones inciderat, & ſemiuiuus remanſerat, ſicut in Euangelio legitur, pertranſibant, & huic mœſtæ & deſolatæ ſuæ matri Eccleſiæ miſericordiam impendere negligebant; & quia clauſis oculis pertranſibant, demùm Deus de cælo hanc miſerabilem ruinam dictæ Eccleſiæ proſpiciens, & compeditorum gemitus audiens, ac ſoluens interemptorum filios, vt annuntiarent

nunciarent in ſæculo nomen Domini, & laudem in Ieruſalem, quia placuerunt ſibi lapides eius, dixit illud verbum quod legitur 1. Regum 2. ca. ſuſcitabo, inquam, mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet, & ædificabo ei domum fidelem, &c. Sacerdos enim iſte fuit Dominus Arnaldus, bonæ memoriæ primus huius nominis, de quo nunc agitur, Magalonenſis Epiſcopus, qui miſerabiles ruinas huiuſmodi, quaſi in deſertum poſitus reſpiciens, & ſe ad ſubleuandas neceſſitates iſtas impotentem attendens, cùm ſibi opes ad ſumptus tanti operis non adeſſent, præſertim quia poſſeſſiones & iura Epiſcopalia erant per nobiles & ſubditos occupata, ad reparationem huiuſmodi manus ſuas ſubitò apponere non eſt auſus, ſed ſuum cogitatum iactans in Domino, non abſque anxietate & paupertate nimia ad ſanctiſſimum Dominum Ioannem Papam XX. direxit ocyùs, pro conſilio & auxilio greſſus ſuos, & ei ſtatum miſerabilem ſuæ Eccleſiæ explicauit; dictus verò ſummus Pontifex neceſſitatem ipſam ſedulâ mente conſiderans, conſilium quod potuit, huic negotio exhibuit, & omnibus populis Magalonenſis diœceſcos, ac aliis audituris & intelligentibus tam propinquis quàm longè poſitis miſit epiſtolam, quam per omnes Epiſcopos confirmari, & ſubſcribi voluit in hunc modum.

Ioannes Papa XX.

Ioannes Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, omnibus bonum facientibus in Eccleſia Magalonenſi, ad honorem Apoſtolorum Petri, & Doctoris Gentium Pauli, dedicata, & dedicanda, ſalutem chariſſimam. Cùm benedictione Apoſtolicâ & abſolutione. Supradictam Magalonenſem Eccleſiam, peccatis exigentibus, ad nihilum redactam audiuimus, vnde valdè dolemus, quia Eccleſiarum deſolatio, Chriſtianorum detrimentum eſſe dignoſcitur. Ob hoc quidem, tam Eccleſiæ ſupradictæ, quàm & omnibus circumcirca degentibus ſuggerere volumus Chriſtianis, vt in reſtauratione huius Eccleſiæ laborent: peccatorum namque ſuorum veniam & indulgentiam prometeri à iuſto Iudice Apoſtolicâ authoritate ſpondemus, quicumq; de propria hæreditate, vel de propriis bonis offerendo, aut de beneficiis reddendo, Eccleſiam ſupradictam releuare niſus fuerit, nam vnam & ſimilem mercedem accipiet, qui propria offeret, & qui beneficia Eccleſiaſtica reddet in commune, & benedictione pariter & abſolutione Apoſtolicâ fruetur. Quòd ſi aliquis Epiſcopus, vel cuiuſcumque dignitatis honore, quod ibidem ablatum fuerit prauo ingenio alienare, vſurpare, vel vendere voluerit, maledictione anathematis percellatur, habeatúrque extraneus à Chriſtianorum conſortio, & regno Dei. Hoc verò decretum firmari ab omnibus volumus Epiſcopis, quos Arnaldus inuitauerit, ſicut nos feciſſe inferiùs cognoſcent ✠ benevalere. Aldericus Dei gratiâ Vercellenſis Epiſcopus. Reynaldus Dei gratiâ Papienſis Epiſcopus. Petrus, quem dicunt Epiſcopum ſanctæ Ruffinæ ſubſcribens firmauit. Iſmundus Archiepiſcopus Ebredunenſis firmauit. Odelricus Epiſcopus Aurelianenſis Eccleſiæ. ✠ Raymundus Epiſcopus de Mende. Deodatus Epiſcopus Cadorcenſis. Stephanus Anconenſis Epiſcopus firmauit. Aribertus Epiſcopus Lunenſis firmauit. Aluicus Aſtenſis firmauit, Vaudinus Taurinenſis firmauit, Bernardus Agennenſis firmauit, Deodatus Epiſcopus Tholonenſis firmauit, Petrus Epiſcopus Maſſilienſis firmauit.

Ioannis Papa epiſtola.

Hanc igitur epiſtolam, manu habens Arnaldus prædictus Epiſcopus ab vrbe Roma redit, & deinde iuxta dictum Apoſtoli: Dum tempus habemus operemur bonum, in cuncto labore non deficit, ſed ſumptibus Innumeris præparatis, diem dedicandi Eccleſiam conſtituit, & profectus circumquaque, Archiepiſcopos & Epiſcopos tam ex vicinis quàm longinquis partibus coouocauit, quod vt meliùs enucleemus, ſingulorum nomina, vrbes, & prouincias præſentialiter inſeramus, vt euidentiùs cognitâ eorum authoritate, & dignitate, fidelis quiſque & humilis dicta eorum cum gaudio legat, vel audiat: infidelis verò, vel ſuperbus ſi quis (quod abſit) fuerit timore percuſſus Domini, & ſi non ſpontè, ſaltem inuitus, ſuſcipiat, alioquin tanquam miſerrimus quicumque ſit, iuxta vocem Domini remaneat iudicatus. Hæc ſunt igitur nomina per ſedes & prouincias declarata: Gifredus Archiepiſcopus Narbonenſis, Leodegarius Archiepiſcopus Viennenſis, Raymbaldus Archiepiſcopus Arelatenſis, Gineminarius Archiepiſcopus Ebredunenſis, Auſtenchus Epiſcopus Auicienſis, Frontius ſeu Froterius Epiſcopus Nemauſenſis, Bernardus Epiſcopus Biterrenſis, Gonterius ſeu Gontharius Epiſcopus Agathenſis, Roſtangnus Epiſcopus Lodouenſis, Hugo Epiſcopus Entyenſis, Alphonſus Epiſcopus Aſtenſis, Gilebertus Epiſcopus Barſinonenſis, Arnaldus Epiſcopus Elnenſis, Petrus Epiſcopus Car-

Vulfredus Narb.

caſſonenſis, & Dominus Arnaldus Magalonenſis Epiſcopus; quibus in vnum congregatis, præfatus Pontifex Arnaldus epiſtolam præparatam Ioannis Papæ protulit, & cuius rei gratiâ conuocaſſet, ſerioſiùs intimauit. Tunc omnibus in commune placuit, vt & ipſa decreta Apoſtolica confirmarent, & ampliùs abſolutionem, & benedictionem populi, & ad honorem ſanctæ Eccleſiæ augmentarent. Decreuerunt ergo, vt ſi quis homo in vita ſua hæreditatem ſuam ad Eccleſiam ſupradictam poſt mortem ſuam conceſſerit, & de peccatis ſuis confeſſus fuerit, in cœmeterio Eccleſiæ memoratæ ſepultus fuerit, ab omnibus peccatis, & de quibus pœnitentiam ſuſcepit, abſolutus ſit, & particeps fiat vitæ æternæ, & regni Dei. Addiderunt etiam, vt quicumque homo cuiuſcumque prouinciæ, ad ſolemnitatem dedicationis huius Eccleſiæ, quæ per ſingulos annos celebratur, aduenerit, de iuſto labore ſuo, aut hæreditate oblationem ſanctam Deo fecerit, & peccata ſua eo die, vel infra octo dies confeſſus fuerit, ſi infra terminum illius anni mortuus fuerit, Apoſtolicam abſolutionem, & eandem habeat & remiſſionem peccatorum, & vitam æternam accipiat. Super hoc firmauerunt hæc quòd ipſa Eccleſia habeat legitimè, vt ſi quis pœnitens ad ipſam Eccleſiam venerit, & abſtinendi ab Eccleſiæ introitu in pœnitentiam præceptum habuerit, ipſam Eccleſiam libenter introeat, pacis oſculum liberè accipiat, & ſi qua ſint ſimilia, præterquam ſanctam Euchariſtiam, quam minimè accipiet. Quibus peractis, idem ſanctæ memoriæ Arnaldus Epiſcopus ponens manus ad fortia, gradum præfatum lapidibus & lignis ante omnia claudere & obſtruere feſtinauit; deinde anxietate nimiâ preſſus, vt tam ingredientibus quàm egredientibus à dicta inſula, ad quam nullum niſi nauale iter patere poterat, liber pateret acceſſus, iuxta verbum propheticum ſuum, iactans in Domino cogitatum, tam prece quàm pretio ratem conduxit, & artifices collocauit: ac per ſtagni latitudinem pontis ſtrauit longitudinem, ad vtilitatem hominum perpetuò permanſuram & ſui nominis memoriam perenniter duraturam. Subſequenter parochianos ſuos conuocat, eoſdémque ad eleemoſynas largiendas pro reædificatione dictæ Eccleſiæ facienda propriis, piiſque monitis inducere non obmiſit, adeò multi eius admonitione manſos, terras, prata, vineas, cenſus, alodia, pecunias, & alia bona ſua pro redemptione ſuorum peccaminum eidem Eccleſiæ contulerunt. Ex quibus eleemoſynis, & aliis bonis ſuis Eccleſiam Magalonenſem, turres, muros, & omnes officinas neceſſarias, & fortalitia alia, quæ vſque nunc patent cuilibet intuenti, ædificari ſolemniter fecit. Demùm attendens quòd duodecim Canonici ſæculares cum duodecim Præbendatis tunc in dicta Eccleſia exiſtentes, in dicta inſula reſidere ſolebant, ſe relegatos quodammodo reputantes, cogitauit quòd Regulares Canonici, vtpote magis vitæ ſolitariæ & contemplatione dediti, ibidem meliùs reſiderent, & Deo, ac beato Petro in diuinis meliùs deſeruirent, induxit eius ſalutaribus monitis Canonicos ipſos ſæculares, vt Religionis beati Auguſtini habitum vellent aſſumere. Qui ſibi reſpondebant, quòd puſillum eorum patrimonium minimè ſufficeret ad omnes expenſas Regularium Canonicorum huiuſmodi ſupportandas. Quibus vir Dei reſpondit: Deus & ego tantùm communiæ veſtræ de proprio largiemur quòd vobis & ſucceſſoribus veſtris ſufficiet abundanter. Et tunc idem Pontifex emit ſtagnum Magalonenſe à quadam Comitiſſa Melgorij, & ipſius pulmentum, retentis ſibi decimis & dominio, ac pratum de Villanoua, Condaminam, & hortum contiguum, necnon molendina de Tetragamedios ſua propria, Planteriũ de Cucone dedit liberaliter Communiæ Canonicorum prædictorum, & dum Communiam ipſam conſtitueret ad ipſos Regulares Canonicos ſuſtentandos, iuit vltra mare ad ſepulchrum Domini, & inde rediens apud Villamnouam viam fuit vniuerſæ carnis ingreſſus, & inde portatur Magalonem.

DE BERTRANDO *Epiſcopo Simoniaco.*

Bertrãdus. 1078

Fuit electus Epiſcopus anno MLXXVIII. ſed propter vitium ſimoniæ fuit ab Epiſcopatu amotus. quare non meretur inter alios Epiſcopos nominari: nec vt Epiſcopus huius Eccleſiæ in catalogo iſto ſcribi, vnde iſte non dicitur Domino Arnaldo ſucceſſiſſe, ſed potiùs Gothofredus.

DE GOTHOFREDO EPISCOPO.

Gothofredus ſucceſſit in Epiſcopatu Arnaldo, circa annum Domini M L X X X. vnde verſus: *Gothofredus 1080.*

Inde Deo fidus ſucceſſit et Gothofredus
Ante Simoniaco Præſule depoſito.
Hic penitùs munus virtutum contigit vnus,
Doctor veridicus, Pontificúmque decus.
Nos, hic, Apoſtolicæ fundauit in ordine vitæ,
Et libertatem reddidit Eccleſiæ.
Militibus tulit Eccleſias, Comitéſque coëgit
Se, verſis vitibus, ſubdere Præſulibus.
Pòſt mare tranſiuit, loca contemplatus obiuit,
Conditus in gremio, Mons Peregrine, tuo.

Vixit in Epiſcopatu annis XXVIII. obiit anno M C V I I I. Et eſt ſciendum quòd anno Domini circiter M L X X X. idem bonæ memoriæ Gothofredus Epiſcopus quòd eius prædeceſſor Arnaldus à Canonicis Regularibus inſtituēdis in Magalonenſi Eccleſia morte præuentus efficere non potuit, ipſe Gothofredus, Deo annuente, compleuit, & ibidem Canonicos Regulares de nouo inſtituit, & ad eorum ſuſtentationem vniuit omnes Eccleſias Villæ nouæ, Eccleſiam ſanctarum Virginum Eulaliæ, & Leocadiæ de Vico, & de Valle; Eccleſiam de Exindico, Eccleſiam de Maurino, Eccleſiam de Cocone, Eccleſiam de Montellis, & de Caulcto; Eccleſiam de Pruneto, Eccleſiam ſanctorum Coſmæ & Damiani, Eccleſiam de Imminiaco, & de Altrauitis; Eccleſias de Primano, Eccleſiam ſancti Ioannis de Vedraſſio, Eccleſiam ſancti Gregorij de Dortas, Eccleſias ſancti Ioannis de Muro-veteri, Eccleſiam de Montepeſſulaneto, omnes Eccleſias Montepeſſulani, Eccleſiam de Sentrayranet, Eccleſias de Salzeto, Eccleſiam de Nouigens, Eccleſias ſancti Petri & ſancti Ioannis de monte Arbezour, Eccleſias S. Michaëlis, & S. Vincenti de Saluiniato; & ſancti Saluatoris de Peytols, Eccleſias ſancti Ioannis de Fregonicis, Eccleſiam ſancti Marcelli de Frayres, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Ozotio, Eccleſiam ſanctæ Agnetis de Monriol, & ſancti Sepulchri de Salarone, Eccleſiam ſancti Romani de Melgorio, Eccleſiam ſancti Stephani de Geneſto, & ſancti Dionyſij; Eccleſiam ſancti Bricij, Eccleſiam ſancti Felicis de Subſtantione, Eccleſias de Caſtelnouo, & ſancti Siricij; Eccleſiam de Clapetiis, Eccleſiam de Cornone, Eccleſiam ſancti Iacobi de Pratis, Eccleſiam ſancti Bartholomęi de Albanhanicis, Eccleſiam ſancti Ioannis de Bodida, Eccleſiam ſancti Andreæ de Vodia, Eccleſiam ſancti Vincentiani, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Gornerio, & Eccleſiam de Exalchiato. Anno M L X X X V. Kalend. Madij Petrus Comes Melgorij, Domino Gregorio Papæ, & Romanæ Eccleſiæ donauit in perſonis Petri Albanenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati, & dicti Gothofredi Magalonenſis Epiſcopi Comitatum Subſtantionenſem, & ius quod habebat in Epiſcopatu Magalonenſi, & pro dicto Comitatu promiſit Eccleſiæ pro cenſu annuo dare vnam vnciam auri. Anno M L X X X V I I I. Vrbanus Papa confirmauit Domino Epiſcopo Gothofredo donationem de Epiſcopatu, & ſucceſſionem dicti Comitatus Subſtantionenſis ſibi factam. Anno X C. Guillermus de Montepeſſulano gurpiuit Gothofredo Epiſcopo Eccleſias beatæ Mariæ de Montepeſſulo, & de Montepeſſulaneto, & iurauit eidem Epiſcopo fidelitatem. Anno X C V. Vrbanus Papa II. confirmauit dictis Canonicis Magalonenſ. multas Eccleſias ſibi vt ſuprà per Epiſcopum Gothofredum donatas. Anno X C V I. in Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, Vrbanus Papa II. qui ad viſitandas, & confirmandas Galliæ Eccleſias, Alpes tranſiſſet ad preces dicti Gothofredi Epiſcopi; intrauit Magalonem, ibíque ſtetit per quinque dies, & tunc ſecundâ die aduentus ſui, ſcilicet Dominicâ, congregatio totius penè Magalonenſis Epiſcopatus Clero, & populo ſermone facto aſſiſtentibus Archiepiſcopis, Piſano & Tarraconenſi, ac Epiſcopis Albanenſi, Signenſi, Nemanſenſi, & Magalonenſi; præſentibus Comite Subſtantionenſi, Guillermo Montiſpeſſulani Domino, de terræ nobilibus totam inſulam Magalonenſem ſolemniter conſecrauit, & omnibus in ea ſepultis & ſepeliendis abſolutionem omnium delictorum conceſſit; & multa alia priuilegia eidem Eccleſiæ donauit, & ſecundo

Petrus Comes Melgorij.

Vrbanus II. Magalonam venit.

loco poſt Romanam Eccleſiam honorificandam decreuit, & vt ſe fideles de quibuſcumq; locis ibidem ſepeliri facerent, diligenter monuit; & tunc conſtitutum eſt ab ipſo Gothofredo Epiſcopo, vt in commemoratione, ac veneratione proceſſionis huiuſmodi ſingulis annis à Clero & populo hâc die in circuitu dictæ inſulæ proceſſio ſolemnis fiat, & duodecim pauperes reficiantur. Eodem anno XCVI. idem Papa Vrbanus apud Clarummontem in Aruernia generale Concilium tenens, auditâ querelâ dicti Epiſcopi Gothofredi, quia Monachi Anianenſes nolebant ſibi tanquam ſuo Ordinario obedire, eoſdem Monachos fortiter arguit, & dictas querelas pro parte Domini Epiſcopi declarauit. Anno MXCIX. Raymundus Comes Melgorij, propter naufragium & albergas, quas per vim in Villa noua & alibi in alodiis ſancti Petri, contra teſtamentum Patris ſui accipiebat, à Gothofredo Epiſcopo excommunicatus eſt, & ſtatim Epiſcopus iuit Romam, quem paulò pòſt Comes fuit ſecutus, & ambobus exiſtentibus coram Domino Papa Vrbano II. Epiſcopus de Comite eſt conqueſtus, videlicet de violatione teſtamenti ſui Patris Petri, qui honorem, quem dederat Eccleſiæ ſancti Petri in alodem perpetuum, auferebat. Et tunc in præſentia Cardinalium, & multorum nobilium, & Canonicorum Magalonenſium, dictus Comes gurpiuit dicto Gothofredo Epiſcopo, in manu Domini Papæ, iuxta teſtamentum patris ſui, omnes res Eccleſiaſticas, & albergas, quas in honore ſancti Petri exigebat, & facto homagio Domino Papæ, recepit Comitatum ab eo ſub cenſu annuo vnius vnciæ auri. Die verò natiuitatis ſanctæ Mariæ reuerſus de Roma habuit placitum cum dicto Epiſcopo in præſentia multorum Nobilium & Canonicorum, & gurpiuit omnes Eccleſiaſticas poſſeſſiones, omnéſq; malos vſaticos, & albergas, quas iniuſtè accipiebat, & Epiſcopo promiſit auxilium & defenſionem per fidem plenariam contra omnes homines. Et eodem anno iuit idem Comes ad ſanctum Iacobum, & dimiſit Eccleſiam ſancti Coſmæ, de qua erat quæſtio inter Canonicos Magalonenſes, & Monachos Anianenſes, de qua fuerat compromiſſum, & definitum per Bertrandum Narbonenſem Archiepiſcopum, Reu. Nemauſenſem Epiſcopum, & Abbatem ſancti Theofredi; & cartam, quam dicti Monachi de dicta Eccleſia habebant, comburi fecit, & elegit ſepulturam ſuam in Eccleſia Magalonenſi, iuxta patrem ſuum.

Concil. Claromont.

Raimūdus Comes Melgorij.

Anno MLXXXV. Kal. Maij Petrus bonæ memoriæ Comes Melgorij, dedit Eccleſiæ Romanæ, & beato Gregorio Papæ VII. Comitatum Subſtantionenſem, & totum ius quod habebat in Epiſcopatu Magalonenſi, quem anteà pleno iure, cùm vacabat, conferebat; poſteà recepit ipſum Comitatum Subſtantionenſem pro ſe & hæredibus ſuis in feudum, ab eodem Romano Pontifice, ſub ſacramento fidelitatis, & cenſu annuo vnius vnciæ auri optimi: quæ donatio fuit facta in manibus Domini Petri Albanenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati, & Gothofredi Magalonenſis Epiſcopi. Sequitur inſtrumentum.

Comitatus Subſtātionēſis Eccleſiæ Romanæ datus.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ego Petrus Comes Melgorienſis pro redemptione animæ meæ, necnon & parentum meorum, vxoris quoq; & filij, dono Domino Deo, & beatis Apoſtolis eius Petro & Paulo meipſum, & omnem honorem meum, tam Comitatum Subſtantionenſem, quàm Epiſcopatum Magalonenſem, omnémq; honorem eidem Epiſcopatui appendentem, ſicut ego & anteceſſores mei Comites, hactenus habuimus & tenuimus in alodium, ita vtrumque quantum iuris mei eſt, Dono & trado ego per alodium ſanctæ Eccleſiæ Romanæ & Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, necnon & Papæ Gregorio ſeptimo, & omnibus ſucceſſoribus eius, qui in ſede Apoſtolica per meliorem partem Cardinalium, & reliqui cleri & populi fuerint Canonicè & Catholicè electi, & conſecrati, vt prædictus Comitatus Subſtantionenſis Epiſcopatus Magalonēſis iure proprio ſit Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Ego autem prædictum Comitatum habeam per manum Romani Pontificis ſub illius fidelitate & ſingulis annis pro cenſu, perſoluam vnciam auri optimi, ſimiliter quoque & filius meus, vel quibet alius omnis, qui ex hæreditario iure mihi ſucceſſerit, prædictum Comitatum per manum Romani Pontificis ad fidelitatem illius teneat, & prædictum cenſum, id eſt, vnciam auri optimi, ſingulis annis perſoluat. Sit verò in poteſtate Romani Pontificis, in Epiſcopatu Magalonenſi, quem placuerit Epiſcopum iuſtè, & canonicè ordinare, & per eam authoritatem ei liceat Magalonenſi Eccleſiæ iuxta conſtitutiones & decreta ſanctorum Patrum, perſonam probabilem & ido-

neam ad regendum populum, & res Eccleſiaſticas; liceat, inquam, & ex hoc, & deinceps, qualem dixerimus probabilem ſcilicet & idoneam perſonam in Epiſcopum eligere abſque vlla mei, vel alicuius hæredum, aut ſucceſſorum eorum contradictione. Si qui autem hæredum, aut ſucceſſorum contra hanc donationis, & confirmationis noſtræ authoritatem, & priuilegium inſurgere præſumptuoſè, & obuiare (quod abſit) attentauerit, & de prædicto Comitatu Dominum ſuum Romanum Pontificem eſſe debere recognoſcere noluerit, & prænominatum cenſum de Comitatu, id eſt, vnciam auri ſingulis annis perſoluere recuſauerit, aut in libertate Eccleſiaſtica de ſubſtituendo canonicè Epiſcopo in Epiſcopatu Magalonenſi ei contradictor extiterit, non valeat vendicare quod iniuſtè repetit, & perſoluat mulctam, quam ſancta lex Romana per Theodoſium, Arcadium, & Honorium promulgata decreuit, & inſuper Eccleſiaſticæ ſubjaceat diſciplinæ, quam velut ſacrilegus, & ſanctæ Eccleſiæ deſtructor incurrit. Feci autem prædictam donationem de Comitatu & Epiſcopatu, Ego Petrus Comes dicti beati Petri, & Romani Pontificis, in manu Petri Albanenſis Epiſcopi, Romani Legati, & Gothofredi Magalonenſis Epiſcopi, per inueſtituram annuli mei, & Frocardi Abbatis Thomeriarum, anno Incarnationis MLXXXV. Indictione octauâ, quinto Kalendas Maij. Actum per manum Stephani. Signum ✠ Dalmatij. ✠ Signum Raimundi. ✠ Signum Pontij de Monlaur. ✠ Petrus ſignauit. Adalmodis Comitiſſa confirmauit. Signum Archidiaconi. Raimundus Comes filius eius firmauit: Iſti omnes ex præcepto Comitis firmauerunt ante Altare ſancti Petri: Teſtes Otgerius Archidiaconus, & Deodatus Canonicus, teſtis Gothofredus Epiſcopus, in cuius manu factum eſt.

Anno MLXXXVIII. Vrbanus Papa II. Pontificatus ſui anno decimo, conceſſit dicto Gothofredo, & eius ſucceſſoribus, totum ius quod dictus Comes Subſtantionenſis ſibi reſignauerat in Epiſcopatu Magalonenſi, conceſſit eidem etiam Epiſcopo, & eius ſucceſſoribus, inſiſtere vt Clerici ad canonicam & religioſam conuerterentur, arguendo, obſeruando, & increpando. Anno XC. dictus Gothofredus Epiſcopus dedit in feudum Monaſterio Gellonenſi, aliter vocato ſancti Guillermi de deſertis, caſtrum ſancti Martini de Londris, retentis quibuſdam iuribus: Iſte confirmauit Abbati & Monachis de Pſalmodio Eccleſias de Celeigo, de ſancta Columba, de Salginis, & de mutationibus, retentâ ſibi quartâ parte. Item anno milleſimo centeſimo primo Poncius Iordani dedit bona ſua ſibi & ſancto Petro. Anno milleſimo centeſimo primo dedit canonicè Eccleſiam de Caſtro nouo ſancti Martini de Cretio, ſanctæ Eulaliæ, & de Veyruna.

DE GALTERIO EPISCOPO.

Galterius ſucceſſit Gothofredo anno milleſimo centeſimo decimo; vnde verſus: *Galterius.*

Illi Galterius ſuccedit filius eius;
Filius obſequio, filius officio.
Doctus, & aſtutus, peruerſus, clarus, acutus;* * *Sic in MS alij ſubſtituunt percomis.*
Magnus conſilio, magnus & eloquio.
Corpore ſyncerus, & religione ſeuerus,
Impatiens ſceleris, compatiens miſeris.
Normæ cultores, & noſtros auxit honores,
Creuit theſaurus, fabrica, fama, domus:
Inde ſequens triſti veſtigia ſorte magiſtri
Interiit poſitus quo pater antè ſuus.

Vixit in Epiſcopatu annis viginti tribus, menſibus octo, diebus XXII. Obiit anno MCXXXIII. octauo Idus Decembris. Hic religioni, & ordini magnam operam dedit, caput Eccleſiæ Magalonenſis ruinoſum fulcinit, turrim ſancti Sepulchri, cellarium, refectorium, & dormitorium à fundamentis fecit; calicem aureum ponderis quatuor marcharum, crucem auream & argenteam, cappas, planetas, tunicas, dalmaticas, pallia ſerica & aurea, libros, & alia ornamenta pretioſa eidem Eccleſiæ contulit: Eccleſias de ſancto Brictio, & de Laureto communiæ donauit. Anno MCXVIII. Ademarius de Monte Arnaldo gurpiuit eidem Epiſcopo Eccleſiam de Seſtayramas. Anno CXXII. recepit gurpitionem Eccleſiæ de Caſa veteri. Anno CXXV. recepit recognitionem caſtelli de Gigano. Anno CXVIII. Kalendis

Madij confirmauit ædificationem Eccleſiæ de Murlis, conſtructam miraculosè per Ioannem quendam Preſbyterum ignotum, & Anniuerſarium pro ipſo Preſbytero annis ſingulis io dicta Eccleſia celebrari, provt in quadam ſcriptura antiqua dictæ Eccleſiæ continetur.

Nec plura reperi in exemplari meo quamplurimis mendis infecto, quæ harum rerum curioſus per otium conferet, emendabitque ad amuſſim Clariſſimi Domini Petri Gatielis, qui ante aliquot annos Toloſæ edidit ſeriem Præſulum Magalonenſium, & Monſpelienſium, vatiis Guillelmorum Monſpelij Dominorum, Comitum Melgorienſium, Regum Majoricenſium, Aragonicorum, & Gothorum hiſtoriis locupletatam, & per annorum ordinem digeſtam. Neque tamen ſic omnia adeo diligenter demeſſuit, vt non liceat ex hoc quamuis ſterili agello ſpicum aliquod non inutile, identidem colligere, ac leui manipulo ditare vel Monaſticam, vel Epiſcopalem Hiſtoriam. At de his iam ſatis.

Hoc eſt Priuilegium de Archiepiſcopatu de Terraçona.

STEPHANVS ſeruus ſeruorum Dei, Seluæ & Ermemiro, atque Frodoino Barchinonenſi. Noueris, inquam, noueris, Selua frater, ſi fas eſt fraterno te vocari debere vocabulo, quod ex præcepto glorioſiſſimi & Catholici Imperatoris Odonis nuper venerim Trecas, Concilium inibi de multis ac diuerſis celebraturus negotiis, cum reliquis Coëpiſcopis & Conſacerdotibus Pontificalibus iofulis inſignitis quinquaginta duobus, qui eidem oobiſcum interfuerunt Concilio. Nam cùm de quibuſdam Eccleſiaſticis cauſis à nobis ſollicitè tractaretur, ritéque qualiter ſe habere deberent, diſponeretur, inter cætera quæ à nobis iuſto decernebantur, atque ſtatuebantur iudicio, ventum eſt ad tuæ inſolentiſſimæ, nimiſque præſumptuoſæ arrogantiæ iodecentiſſimum dedecorum dedecus, quo inflato elationis tuæ ſtomacho rebellare, immò reſiſtere præſumpſiſti Dei omoipotentis perpetuæ diſpoſitioni, volens ipſius, ſanctorúmque Apoſtolorum eius inſtituta, ſpecialiter verò beati Petri Apoſtoli conuellere, ae penitùs euacuare. Denique vt eiuſdem rei cauſam tibi exponam diligenter. Ipſi olim à Domino noſtro IESV CHRISTO vniuerſalis Eccleſia, oon ſolùm generaliter vt cæteris, ſed etiam ſpecialiter præ omnibus Coapoſtolis eius commiſſa, & illius ſedi credita eſt, ſicut habes ſcriptum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et item cùm interrogaretur ab eo poſt reſurrectionem eius, an eum amaret, tertiò conteſtatus eſt ab eodem Domino, vt paſceret oues eius. Quâ authoritate idem fultus, & ſucceſſores illius poſt eum, ſemper Eccleſiaſtica negotia diſponunt, atque determinant. Tu autem adhuc perſeuerans in malitia tua, plenus inſaniâ, non vt ſapiens, ſed deſipieotis more exiſtimas Dei æterni conſtitutionem, qui, vt ſcriptum eſt, mutat tempora & ætates, transfert regna atque cooſtituit, atque etiam priſcorum decreta conuellere Patrum, dum Terraconenſis Eccleſiæ Archiepiſcopatum in tuum ius, Eccleſiæque tuæ ſubripere moliris, qui domioicâ diſpoſitione in Narbonenſis Eccleſiæ tranſit ditionem, non ſubreptione, vel violentiâ qualibet, ſed voluntate & electione: atque contradictione omnium eiuſdem terræ indigenarum, tam nobilium quàm & ignobilium; præcipuè quoque Epiſcoporum ac Comitum, atque etiam Regum Francorum, ad quos celſitudo principatus eiuſdem terræ ſpecialiter pertinet. Adeò enim & hâc coonditione ius Eccleſiæ Terraconenſis in obſequium ditioois Narbonenſis Eccleſiæ tranſiit, vt nunquam à ſubiectione illius vllo pacto, vlláve ratione recedere queat, etiam ſi Terraconenſis prouinciæ Metropolis Eccleſia in priſtinam reformetur ſtaturam, eò quòd Narbonenſis Eccleſia tutoris loco ſemper fuerit Eccleſiis prædictæ diœceſeos, quæ vaſtationem paganorum euadere vix potuerunt. Porrò ſi iam dicta Metropolis in antiquum redeat ſtatum, & cunctæ eiuſdem diœceſis Eccleſiæ, quæ priùs illi paruerant, reuertantur ad mancipatam obſequelæ illius iuxta Catholicorum Patrum determinationem: ipſa tamen Metropolis, ſecundùm Romanæ Eccleſiæ Pontificum inſtituta, atque Apoſtolica priuilegia; in hac ſemper Narbonenſis Eccleſiæ ditione ac perpetuo famulatu ſuccumbat, vt omnis qui Pontificatus illius arcem ſortitus erit, electione totius Eccleſiæ eiuſdẽ Cleri & populi non priùs vllâ ratione or-

dinetur., vel conſeratur, donéc prædictæ Narbonenſis Eccleſiæ Pontifex veniens, conſecret eundem qui electus fuerit in Archipræſulatus honorem. Quòd ſi aliquâ difficultate compulſus venite nequiuerit ad conſecrandum prælibatæ Metropoleos Epiſcopum, mittat vice ſuâ aliquem ex Suffraganeis ſuis Epiſcopis, qui diligenter eandem rem peragat, qui in ſolio pontificali collocare, & inthronizare ſollemniter ſatagat. Vnde & idem qui conſecratus fuerit, munus debitæ obedientiæ Narbonenſi Eccleſiæ ſemper in omnibus cedat, tantùm vt à Rom. Pontifice Pallium cum priuilegij authoritate ſuſcipiat. Semper enim Terraconenſis Pontifex, Clerus quoq; & populus omnis, ſi res ipſa effectum capiat, reminiſci debebunt, quòd illarum Parochiarum Eccleſiæ, quæ de poteſtate & iure Narbonenſis ditionis, ſub qua diuturnâ educatione nutricis more alitæ fuerant, poſtquam in maternum tranſierunt ſinum, ſi res eadem quandoque capiat illud agendi effectum nutricatus eiuſdem gratia rependere largifluas gratiarum actiones debet, & inſuper educationis prædictæ causâ, ac ſi matri mercedem impenderet ſubjectionis, atque honoris Quòd ſi redeamus ad antiquas priſcarum inſtitutionum à primatibus ſanctæ Eccleſiæ, haud dubium quin Petro & Paulo cauſas diuino nutu patratas, non ſolùm Terraconenſis Metropolis, verùm & Hiſpania omnis, in quantum ad ius Eccleſiaſticum ſpectat, Narbonenſi ſemper debet prælationi ſubjici, eiúſque patrocinio, ac ſi materno lacte ali. Nam ſacræ ſedis documenta primùm ab eadem accepit, & fidei lumine illuſtrata, ac ſi de mortis perpetuæ ſomno excitata, in æternæ euigilauit ſplendorem, prout hactenùs in beati Petri armario diligenter ſeruantur repoſita: quemadmodum & illa quæ à diſcipulo Apoſtolorum Petri & Pauli Sergio, nihilominus paulò pòſt geſta fuiſſe memorantur, quæ, vt videris, prorſus ignoras. Nam ſi ea profecto noſſes, æſtimo quòd non ad tam turgidæ inflationis væcordiam, animatus ſuſpirare vnquam auderes. Nunc quoque quia huc vſque te latuerunt, à nobis tibi, licet breui & compendioſo ſermone, veridico tamen intimanda ſunt, vt non deinceps talia agere præſumas. Vt enim quomodo eadem res ſe habeat, euidenter oſtendam cùm beatus Apoſtolus, & Doctor Gentium Paulus Româ egreſſus, Hiſpaniam prædicationis causâ proficiſceretur, iuxta quod idem in epiſtola ſua priùs Romanis qui crediderant, ſignificauerat, aſſumptis ſecum Trophimo Epheſino, necnon & prudentiſſimo viro Sergio Paulo, quos idem anteà lucratus fuerat Chriſto, Torquato quoque, Secundo, & Endalatio, & quibuſdam aliis, Ciſalpinam Eccleſiam poſtquam deuenit, Arelatem, quæ eſt Metropolis Prouincia, quantocyùs adiit: cúmque in eadem ciuitate aliquandiù moraretur, prædicans, & annuntians regnum Dei, & multi per eius doctrinam conuerterentur ad Chriſtum, reliquit ibi ad confirmandas eorum qui crediderant animas mentéſque, Trophimum à Petro Apoſtolo priùs ordinatum Epiſcopum. Ipſe verò cum cæteris Narbonam vſque pergens, inde prædictum Torquatum, ſexque alios illius comites & condiſcipulos Galliciam ad prædicandum, iuxta Petri Apoſtoli præceptum, illicò deſtinauit. Ipſe verò poſtquam multos non ſolùm ex eadem vrbe, ſed etiam ex nonnullis ciuitatibus vndique ad eum confluentibus, vnà cum prædicto Sergio euangelizans ſedulè docuit, & egregiè conuertit ad Chriſtum. Cùm autem iam fortes in fide, ac penitùs immobiles quod docuerat, agnouiſſet, miſit ex eis quoſdam prædicare per diuerſas Galliarum regiones Dominum Iesvm Christvm. Poſt hæc autem profectus inde vnà cum Sergio Paulo, ad vlteriorem ambo vſque peruenerunt Hiſpaniam, euangelizantes per ſingulas vrbes, vt prædiximus, futuri gloriam regni Dei. Peracto itaque prædicationis ſuæ non modico tempore, conteſtabantur eos qui crediderant, vt quam acceperant fidem, fideliter conſeruarent, & cęteris quibus nondú prędicata fuerat, magnoperè eam erogare ſtuderent. Igitur poſt hæc Romam deliberauit reuerti prædictus Apoſt. atque in conſolationem confirmationémq; credentium, ſecùm eis & Coeuangeliſtam ſuum Sergium Paulum miſſurum denuò repromiſit: quibus & præcepit, dicens, vt illi in omnibus & per omnia obſequium præberent, & monitis illius libentiſſimè parerent Cúmque his ac talibus per ſingulas ciuitates Apoſtolus fratres qui crediderant, hortaretur, commendans eos Domino, & valefaciens eis, Romam redire ſollicitè ſatagebat. Qui rediens, cùm veniſſet iterùm Narbonam, diſpoſitis omnibus quæ agi oportebat, reliquit ibi collegam ſuum nihilominus Paulus, præcipiens ei vt quos iam Domino per fidei gratiam ac ſi parturientes genuerant in diuerſis regionibus Hiſpaniæ, lacto eos conſolationis tamdiù nutrire ſtuderet, donec cibo ſolido per-

ſectæ credulitatis veſci indubitanter cognoſcerent. Vnde & totam regionem illam in Apoſtolatus eius officium, Domino cooperante, ipſi commiſit. Galliarum autem populos idcirco prædicandos illi credidit, quoniam ad hoc ipſum agendum beatus Petrus eum miſerat, & vice ſuâ huius rei gratiâ Eccleſiam conſecrauerat, atq; etiam prædictam Narbonam inſignem Metropolim Galliarum ſpecialiter ad docendos, euangelizandóſque tradiderat populos. Námque poſthæc conſummatis omnibus quæ communi vtriuſque egregii prædicatoris intentione agenda erant à ſe mutuò dilectionis cùm receſſiſſent, alternis exhortationibus atque amplexibus Domino commendare ſe ſtuduerunt, atque ſic ſibi valefacientes, poſt oſcula & fletus ab inuicem diuiſi, Apoſtolus Romam profectus eſt, Sergius verò Narbonæ reſedit. Neque enim officium prædicationis ſibi iniunctum adeò ſtrenuè exercuit, vt nullis terroribus vel pœnis illud relinqueret, quoad vſque per martyrium quiſque eorum ad ſe vocantem Chriſtum intrepidus accederet, vt talentum ſibi creditum quinquies duplicatũ offerret, & ab eo centies multiplicatum, perpetuæ mercedis recõpenſationem perciperet. Si autẽ noſſe vis quid poſt diſceſſum Apoſtoli Sergius Paulus commendato ſibi gregi, quem cum Apoſtolo Chriſto adquiſierat, Domino fecerit, notum ſit tibi & vniuerſis Hiſpaniarum vtriuſque ſexus indigenis, quoniam tam per ſeipſum quàm etiam per ſuos, quos in fide Chriſti iam nutrierat, docuerátque diſcipulos, omnes Hiſpaniarum regiones peragrando, carúmque habitatores indeſinenter docendo adeò quoſdam eorum in Chriſtianæ fidei culmen, cultúmque ſubuexit, quatenus nullius præterquam ſui indigerent, vel ipſi, vel quidam ſucceſſorum eorum ſanæ doctrinæ. Lege igitur beati Leandri, Iſidori quoque, necne Braulionis, itémque Iuliani, ac veterum eiuſdem prouinciæ Doctoris Catholicorum libros, & ſic forſitan me vera dicere comprobabis. Quòd ſi nec ita ſatis tibi factum eſſe crediderim, geſtorum illius volumina; ab eiuſdem Pauli diſcipulis tribus voluminibus comprehenſa diligentiſſimâ curioſitate recenſe, & tunc quæ priùs, niſi fallor, penitùs ignorabas, patulo poſtmodum recognoſces eiuſdem rei effectu. Quòd ſi nec ita conſultum tibi probare volueris, ſed ſemper obſtinatione peruerſâ, Romanorum Pontificum cenſuram, quorum decreto diuinâ authoritate firmatâ, omnis Chriſti Eccleſia toto perſiſtens orbe regitur ſemper, atque diſponitur; plenus inſaniâ, contemptibilem duxeris, in tantùm vt ab iniuria, quam impudenti facie, & immoderatâ capacitate prædicto Archipræſuli Theodardo irroges, recedere nullatenus patiaris, notum ſit tibi, & vniuerſis, qui aliquod ſuffragium adjutoriúmve præbent tibi ſuper his, quibus à nobis iure impeteris, quod anathematis vinculis iugiter colligati eritis, atque inſolubiliter innodati. Quocirca, ne iniuriam tibi facere videamur, conſtituimus ego & qui mecum ſunt, quinquaginta & duo Epiſcopi terminum tibi ſatisfaciendi, ei cui iniuriam facis, iugiter Narbonenſis Eccleſiæ Pontifici vſque in feſtiuitatem ſancti Michaëlis Archangeli. Quòd ſi vſque ad prædictum proximamque memorati Archangeli ſollemnitatem non ei ſatisfeceris, itavt in eius ius proprium, Eccleſiæque ipſius totum quod abſtuliſti ab eiuſdem Pontificis iure ac ditione integerrimè, & ſine qualibet reſeruatione vel redhibitione reſtituas, Dei omnipotentis authoritate, ſanctorúmque Apoſtolorum Petri & Pauli, necne cunctorum Romanæ Eccleſiæ Pontificum, mea quoque & omnium qui huic Trecaſinæ Synodo interſunt Epiſcoporum, excommunicando excommunicamus, & maledicendo maledicimus, ac perpetuò anathematis vinculo inſolubiliter colligamus, & te, & maledictum tuum Ermemirum, & Frodoinum perjurum & apoſtatam Antiepiſcopum, & omnes qui aliquod tibi adjutorium contra tam iniuſtam præſumptionem præbent, vt à ſtatuto vel præfinito à nobis tempore ab omni cœtu Chriſtiano ſemper extorres habeamini, & exortes.

Hoc eſt Priuilegium Domini Stephani Papæ factum Arnuſto Epiſcopo de honore Archiepiſcopi.

STEPHANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Reuerentiſſimo & Sanctiſſimo Confratri noſtro Arnuſto Archiepiſcopo primæ ſedis ſanctæ Narbonenſis Ec- eleſiæ

cleſiæ, & parte in eadem venerabili Eccleſia in perpetuum. Conuenit Apoſtolico moderamini piâ religione pollentibus beniuola compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri deuotione impertiri aſſenſum. Ex hoc enim lucri potiſſimùm præmium à conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportunè ordinata, ad meliorem fuerunt ſine dubio ſtatum perducta. Igitur reuerentia veſtræ fraternitatis poſtulauit à nobis, quatenus huius Apoſtolicæ noſtræ authoritatis priuilegio confirmare deberemus, omnes res immobiles eiuſdem ſanctæ primæ ſedis Eccleſiæ Narbonenſis conſtructæ in honore ſanctorum Iuſti & Paſtoris, vbi beatus Paulus Confeſſor Chriſti corpore requieſcit; hoc eſt, omnes domos, cellas, Eccleſias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, ſiluas, atque medietatem ſalinatum, & telonei, ſeu raficani, ac naufragij, Monaſterio ſancti Laurentij, & cellis, cum omnibus adjacentiis earum ac pertinentiis, vnà cum famulis vtriuſque ſexus, & alia quæ à piis Imperatoribus & Regibus, & ab aliis Deum timentibus in eadem ſancta Eccleſia Narbonenſi collata ſunt, & conſiſtunt, tam in ipſo Comitatu Narbonenſe, quàm & Reddenſe, ſeu Minerbenſe, atque Auſonenſe, necnon & Biterrenſe, ſiue etiam Nemauſenſe. Vnde ſalubribus petitionibus veſtris inclinati, decreuimus, vt à præſenti die quarta decima Indictione, per huius noſtræ Apoſtolicæ confirmationis priuilegium roboramus, ſtabilimus, & in perpetuum noſtrâ Apoſtolicâ authoritate confirmamus, in vſu & ſolatio eiuſdem ſanctæ primæ Eccleſiæ Narbonenſis, cui præeſſe dignoſceris, id eſt, omnes domos, cellas, Eccleſias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, ſiluas, atque medietatem ſalinarum, & telonei, ſeu raficani, atque naufragij Monaſterio ſancti Laurentij, & cellis, vel cum omnibus adjacentiis & pertinentiis earum, vnà cum familiis vtriuſque ſexus, & alia omnia quæ à piis Imperatoribus & Regibus, vel ab aliis Deum timentibus, in eadem Eccleſia collata ſunt, vel collatura erunt, tam in ipſo Comitatu Narbonenſi, quàm in Reddenſe, ſeu & Minerbenſe, atque Auſonienſe, necnon & Biterrenſe, ſiue etiam Nemauſenſe. Hæc verò omnia ita iure firmiſſimo à te tuiſque ſucceſſoribus poſſidere ac dominari volumus, ſicut olim poſſeſſum eſt à ſanctæ memoriæ deceſſore tuo Daniele Epiſcopo, ſed & reuerendo Sigebodo, eiuſdem primæ ſedis Narbonenſis Præſule, ſub tua tuorúmque ſucceſſorum ditione, poteſtate, ac vtilitate omnimodis confirmantes. Statuentes Apoſtolicâ cenſurâ ſub diuini iudicij obteſtatione, & anathematis interdicto, vt nulli vnquã magno vel paruo homini liceat quamlibet forciam, vel oppreſſionem in omnibus rebus eius facere, aut poteſtatem aliquam habere, vel aliquem diſtringere, aut qualecumque teloneum ab eis exigere, ſiue ad placitum eos vbicumque pro quibuſcumq; cauſis proprio iure præferunt, niſi in prouidentia Archiepiſcopi cauſa illorum audiatur, & regulariter finiatur. Illud quoque noſtrâ Apoſtolicâ authoritate iuxta canonicam ſanctionem vobis addere placuit, vt ſi quando diuinâ vocatione vos veſtrique ſucceſſores ex hac luce migraueritis, quamdiù in ipſa Eccleſia Narbonenſi repertus fuerit, qui dignus ſit officio Pontificatus ipſius fungi, nulli liceat in alio loco inibi ingredi, nec iam dictam ſibi præditus quacumque dignitate, aut regiâ authoritate vſurpare ſedem, ſed conuentu vicinorum Coëpiſcoporum occurrere volentium facto abſque alicuius poteſtatis interdicto, benedictionis Cleri vel plebis percipiat dignitatem. Si verò aliquem de ſuffraganeis Coëpiſcopis contigerit mori, perquirens Metropolitanus Epiſcopus electionem plebis ipſius eam viſitare ſtudeat, vtpote viduatam Eccleſiam. Quòd ſi fortè ibi talis non repertus fuerit, qui onus ſacerdotale ferre queat, per canonicam authoritatem, & noſtram Apoſtolicam permiſſionem licentia ſit illi abſque vlla retractatione de ſua Eccleſia talem inthronizare, qui Suffraganeæ ſuæ Eccleſiæ dignus præeſſe valeat Paſtor. Si quis, quod non optamus, contra hoc noſtrum Apoſtolicum priuilegium; piè à nobis ſtatutum, temerario auſu agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculis innodatum, & à regno Dei alienus exiſtat. Qui autem verus cuſtos & obſeruator extiterit, benedictionem & gratiam à Domino conſequatur. Scriptum per manum Nicolai Scriniarij, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Auguſto, Indictione XIIII. Benè valete. Datum XIII. Kal. Septembris, per manum Stephani Epiſcopi ſanctæ Eccleſiæ Nepeſinæ, Arcarij ſanctæ Eccleſiæ ſedis Apoſtolicæ, imperante Domino piiſſimo Papa Auguſto, Arnulfo à Deo coronato magno Imperatore anno primo.

EXEMPLAR TESTAMENTI à beato Remigio conditi.

In quo Lector attendat, quia ſolidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, ſicut tunc ſolidi agebantur, & in Francorum lege Salica continetur, & generaliter in ſolutione vſque ad tempora Karoli perdurauit, velut in eius Capitulis inuenitur.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Gloria Domino. ✠ Amen. Ego REMIGIVS Epiſcopus ciuitatis Remorum, ſacerdotij compos, Teſtamentum meum condidi iure prætorio, atque id codicillorũ vice valere præcepi, ſi ei iuris aliquid videbitur defuiſſe. Quandocumque ego REMIGIVS Epiſcopus de hac luce tranſiero, tu mihi hæres eſto, ſancta & venerabilis Eccleſia Catholica vrbis Remorum. Et tu fili fratris mei, LVPE Epiſcope (quem præcipuo ſemper amore dilexi) Et tu nepos meus AGRICOLA Preſbyter, qui mihi obſequio tuo à pueritia placuiſti, in omni ſubſtantia mea, quæ meâ ſorte obuenit antequam moriar, præter id quod vnicuique donauero, legauero, daríve iuſſero, vel vnumquemque veſtrûm voluero habere præcipuum. Tu ſancta hæres mea Remenſis Eccleſia, colonos, quos in Portenſi habeo territorio, vel de paterna maternáque ſubſtantia, vel quos cum fratre meo ſanctæ memoriæ PRINCIPIO Epiſcopo commutaui; vel donatos habeo, poſſidebis. Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Tenuaïcum, Maurilionem, Baudoleïfum, Projunciolum, Niuiatenam, Lautam, Suffroniam colonas, Amorinum quoque ſeruum tuo dominio vindicabis: necnon agros, quos poſſideo in ſolo Portenſi, cum pratis, paſcuis, ſiluis, ad te teſtamenti huius authoritate reuocabis. Futuro Epiſcopo, ſucceſſori meo, Amphibalum album paſchalem relinquo ſtragula columbina duo, vela tria, quæ ſunt ad oſtia diebus feſtis triclinij, cellæ, & culinæ. Vas argenteum decem & octo librarum, inter te, hæres mea, & diœceſim tuam Eccleſiam Lugdunenſem, factis patenis atque calicibus ad miniſterium ſacroſanctum, provt volui, Domino annuente diſtribui. Aliud argenteum vas, quod mihi Dominus illuſtris memoriæ HLODOVVICVS Rex, quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, donare dignatus eſt, vt de eo facerem quod ipſe voluiſſem, tibi hæredi meæ Eccleſiæ ſuprà memoratæ iubeo thuribulum, & imaginatum calicem fabricari; quod faciam per me, ſi habuero ſpatium vitæ, ſi antè clauſero vltimum diem, tu fili fratris mei, LVPE Epiſcope, ſpecies antedictas tui Ordinis memor efficies. Compreſbyteris meis & Diaconibus, qui ſunt Remis, viginti & quinque ſolidos æqualiter diuidendos in cõmune dimitto. Vitis plantã ſuper vineam meam ad ſuburbanum poſitam, ſimili modo communiter poſſidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco Eccleſiaſtici hominis Albouichij, vt Albouichius libertate pleniſſimâ perfruatur. Subdiaconibus ſolidos duos, Lectoribus ſolidos duos, Oſtiariis & Iunioribus ſolidos duos iubeo dari. Pauperibus in matricula poſitis ante fores Eccleſiæ expectantibus ſtipem, duo ſolidi, vnde ſe reficiãt, inferentur. De Vaculiaco Frunimium, Degalcifum, Dagaredũ, Ductionem, Baudouicum, Vddulfum, Vinofeïfam, liberos eſſe præcipio. Tennaredus, qui de ingenua naſcitur matre, ſtatu libertatis vtatur. Tu verò fili fratris mei, LVPE Epiſcope, tuo dominio vindicabis Nifaſtem, & matrem ſuam mutam: Vineam quoque quam Enias vinitor colit. Eniam & Monulfum eius filium iuniorem iubeo libertate perfungi. Mellouicum porcarium, & Paſchaſiolam coniugem ſuam; Vetniuianum cum filiis ſuis, excepto Vvidragaſio, cui tribuo libertatem, tuo iuri deputabis. Seruum meum de Ceſſurnico tuum eſſe præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus PRINCIPIVS Epiſcopus

In margine, oportet, Laudunenſem

tenuit, cum ſiluis, pratis, paſcuis reuocabis ſeruum meum, quem Mellonicus tenuit, Viteredum derelinquo. Teneurſolum, Capalinum, & vxorem ſuam Teudoroſenam, tuo iuri dominióque transferibo. Teudoniuia quoque ex mea præceptione ſit libera. Edoueifam, quæ homini tuo ſociata fuit, & eius cognationem tetinebis. Vxorem Aregildi & cognationem ſuam ingenuos eſſe iubeo. Partem meam de prato, quod Lugduni iuxta vos habeo, ad imitatem montium poſito, & quæ Iouia ſont pratella, quæ tenui, ad te reuocabis. Tibi autem, nepos meus AGRICOLA Preſbyter, qui intra domeſticos meos parietes exegiſti pueritiam tuam, trado, atque tranſcribo Merumuaſtem ſeruum, & vxorem ſuam Menatenam, & eorum filium nomine Marcouicum. Eius fratrem Medouicum iubeo eſſe liberum. Amantium & vxorem ſuam Daëro, tibimet derelinquo: eorum filiam eſſe præcipio liberam Daſouindam. Alaricum ſeruum, tuæ deputo portioni. Cuius vxorem, quam redemi, & manumiſi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum, & vxorem ſuam Moram tuo dominio vindicabis. Eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellanricum, & vxorem ſuam Placidiam ad tuum dominium reuocabis: Medaridus eorum filius ſit libertus, & vineam, quam Mellaricus Lugduni facit, tibi dono. Britrobaude ſeruum, necnon etiam Gibeticum. Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenùs derelinquo, vt diebus feſtis, & omnibus Dominicis ſacris Altaribus mea offeratur oblatio, atque annua conuiuia Remenſibus Preſbyteris & Diaconibus præbeantur: Delegóque nepoti meo PRÆTEXTATO Moderatum, Tottionem, Marcouicum, Innocentium ſeruum, quem accepi à Profuturo originatio meo. Coclearia quatuor de maioribus, acetabulum, lacernam, quam mihi Tribunus Friaredus dedit, & argenteam tabulam figuratam filiolo illius Paronis: Acetabulum, & tria coclearia, & caſulam, cuius fimbrias commutaui. Remigiæ coclearia tria, quæ meo ſunt nomine titulata: mantele ipſius, quod habeo, feriale tranſcribo. Hichinaculum quoque dono illi, de quo Gundobado dixi: Delegóque benedictæ filiæ meæ Helariæ diaconæ ancillam nomine Noram, & vitium pedaturam, quæ ſuæ iungitur vineæ, quam Cattuſio facit, dono. Et partem meam de Talpuſciaco tranſcribo pro obſequiis, quæ mihi indeſinenter impendit. Aëtio nepoti meo partem de Ceſſurnico, quæ mihi ſorte diuiſionis obuenit, cum omni iure quod tenui, atque poſſedi. Ambroſium quoque puerum ad ius illius dominiúmque tranſmitto. Vitalem colonum liberum eſſe iubeo, & familiam ſuam ad nepotem meum Agathimerum pertinere, cui vineam dono, quam poſui Vindoniſſæ, & meo labore conſtitui, ſub ea conditione, vt à partibus ſuis omnibus diebus feſtis ac Dominicis pro commemoratione mea ſacris Altaribus offeratur oblatio. Et Lugdunenſibus Preſbyteris atque Diaconibus annua conuiuia, concedente Domino, præbeantur. Dono Eccleſiæ Lugdunenſi ſolidos decem & octo, quos Preſbyteri & Diaconi inter ſe æquali diuiſione diſtribuant. Partem meam de Secia ex integro ad ſe reuocet Eccleſia Lugdunenſis. Commendo ſanctitati tuæ, fili fratris mei, LVPE Epiſcope, quos liberros eſſe præcipio, Cattuſionem & Auliateuam coniugem ſuam; Nonnionem, qui meam vineam facit; Sunnoueifam, quam captiuam redemi, bonis parentibus natam, & eius filium Leuberedum; Mellaridum & Mellateuam; Vaſantam coquum, Ceſariam, Dagaraſcuam, & Baudoroſeuam Leonis neptem, & Marcoleifum filium Tottionis; hos totos, fili fratris mei, LVPE Epiſcope, ſacerdotali authoritate liberos defenſabis. Tibi autem hæredi meæ Eccleſiæ Flauianum & vxorem ſuam Sparagildem dono: eorum filiolam paruulam Flauaraſetiam liberam eſſe conſtitui. Fedaniam vxorem Melani, & eorum paruulam, Remenſes Preſbyteri & Diaconi poſſidebunt. Ciſpiciolum colonum liberum eſſe præcipio, & ad nepotem meum Aëtium e[illegible] familiam pertinere, ad vtrumque, id eſt, ad Aëtium & Agathimerum peruenire colonicam Paſſiacum. Pronepoti meæ Prætextatæ dono Modoroſeuam; Profuturo, Leudocharium puerum trado. Profuturæ dari iubeo Leudoueram; Lugdunenſibus Subdiaconibus, Lectoribus, Oſtiariis, & Iunioribus quatuor ſolidos derelinquo. Pauperibus in matricula poſitis ſolidus dabitur ad eorum refectionem; delegóque octo ſolidos Eccleſiæ Sueſſionum pro commemoratione nominis mei; Catalaunenſi Eccleſiæ ſolidos ſex, Moſomagenſi ſolidos quinque, Vongenſi agrum apud officinam molinarum, quæ ibi eſt conſtituta; Catarigenſi Eccleſiæ ſolidos quatuor, totidémque Porrenſi pro commemoratione mei nominis inferentur. Vrſi Archidiaconi familiatibus vſus obſequiis, dono ei domitextilis caſu-

lam ſubtilem, & aliam pleniorem; duo ſaga delicat/. Tapete quod habeo in lecto, & tunicam, quam tempore tranſitus mei reliquero meliorem. Hæredes mei, LVPE Epiſcope, & AGRICOLA Preſbyter poreos meos inter vos æqualiter diuidetis, Friaredus, quem ne occideretur, quatuordecim ſolidis comparaui, duos conceſſos habeat: duodecim det ad Baſilicæ Domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris cametam faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita teſtor. Cæteri omnes, exhæredes eſtote, ſuntote. Huic autem teſtamento meo dolus malus abeſt, aberítque. In quo, ſi qua litura, vel charaxatura fuerit inuenta, facta eſt me præſente, dum à me relegitur, & emendatur. Actum Remis die & Conſule ſupraſcripto, intercedentibus & mediis ſignatoribus.

✠ Remigius Epiſcopus teſtamentum meum relegi, ſignaui, ſubſcripſi, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Domino adjuuante compleui.

V. C. PAPPOLVS interfui, & ſubſcripſi.
V. C. RVSTICOLVS interfui, & ſignaui.
V. C. EVLODSVS interfui, & ſignaui.
V. C. EVTROPIVS interfui, & ſignaui.
V. C. EVSEBIVS interfui, & ſignaui.
V. C. DAVVEVS interfui, & ſignaui.

Poſt conditum teſtamentum, imò ſignatum, occurrit ſenſibus meis, vt Baſilicæ Domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris miſſorium argenteum ſex librarum ibi deputem, vt ex eo ſedes futura meorum oſſium componatur.

Prodiit nuper Teſtamentum hoc in noua diſquiſitione de Ampulla Remenſi, ſed aliquot mendis deforme, quas ope ſanioris apographi ſuſtulimus, vt ex vtriuſque collatione facilè quiuis intelliget.

INDEX
RERVM AC VERBORVM:
QVÆ IN HOC I. TOMO
Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum continentur.

A

Aliæ filia Bartholomæi de Roya. 661
Aanor de Moote Barri. 479. 480
Abbicomes, vide Hugo Autiſſiodorenſis Epiſcopus.
Abbo ex Abbate S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſ. 433. 434
Abbo Floriacenſis Abbas. 286
Abbo S. Martialis Lemou. Abbas. 833
Abbo Metenſis Epiſcop. 783
Abbo Sueſſiooenſis Ep. 441
Abbo Virduoenſis Ep. 103
Abconar filius Regis de Bennamarin. 388
Abrincateoſes. 277. 349
Abſtineotia à vino ſexta feria & à carnibus Sabbato. 184
Abondiacus villa pagi Autiſſiodorenſis. 533. 573
Acca Epiſcopus. 322
Accaron. 397
Acconenſis ciuitas, ſiue Acoo. 341
Achaiæ Princeps. 504
Achantia Cynegij matrona. 14
Achardus Arelatenſis ſedis iooaſor. 206
Achardos S. Germani Autiſſiodoreoſis Abbas. 448. 572
Achardos Liogonenſis Epiſc. 270. 271
Acolius Præfectus Regalis Cubiculi. 416. 417. 539.
Adalardus Rotomagenſis Archiepiſcop. 363
Adalbero Diuionenſis Abbas. 199. 294
Adalbero Laudunenſis Epiſc. 157
Adalbero Leodienſis Epiſ. 339
Adalbero II. Leodieoſis Epiſ. ex Primicerio Metenſi. 405. 406
Adalbero I. Metenſis Epiſc. 116. 129. 130. 131. 224. 345 670. 739. 740. 750. 752. 758. 768. 771.
Adalbero II. Metenſis Ep. 345. tom 670. vſque ad 681.
Adalbero III. Metenſis Ep. 345
Adalbero IV. Metenſis Ep. 346
Adalbero Remenſis Archiep. 357. 362
Adalbero Virduneoſis primùm, tum Metenſis Ep. 158. 161. 167.
Adalbertus capite plectitor. 124
Adalbertus Flauiniacenſis Abbas. 116. 118
Adalbertus Virduneoſis Ep. 159
Adalaidis domina de Logia. 580
Adaldochus Hammaburgenſis Ep. 130
Adalgarius Augoſtod. Ep. 271
Adalgarius Flauioiacenſis Abbas tum Epiſc. Aug. 122
Adalgiſus Deſiderii R. Lang. filius. 117
Adalricus Senonicus. 5[illegible]
Adalſadus Andegaueoſis ex vico Baſilicas. 562
Adam Diuionenſis Abbas. 295
Adam frater Vvalliæ Principis. 381
Adamanous. 667
Adela Andegaoenſis Comitiſſa. 275. 330
Adela filia Fulconis Nerræ mater Bocardi Comitis Viodocinenſis. 661
Adelardus Abbas S. Vitoni. 159
Adelais Cooradi Imp. Iorenſis Regis ſoror, vxor Lotharii R. Italiæ, deinde Othonis I. Imp. 131. 157. 671
Adelais ſeo Adheleis Conradi Maioris vxor filia Lod. Pij Imp. 336. 337
Adelais mater Hugoois Autiſſiodorenſis Epiſ. & Comitis Cabillonenſis. 448
Adelais Rainaldi Comitis Niuernenſis vxor. 395. 396
Adelais ſeu Adheleida Richardi Normanoorum Ducis ſoror, vxor Rainaldi Comitis Burgundiæ. 174
Adelaya Vvillelmi II. Niueroeoſis Comitis vxor. 458
Adeleis Comitiſſa. 217
Adelbertus Comes frater Bernuini Virdunenſis Epiſ. 350
Adelbertus Vormatieoſis Ep. 223.
Adelberga Chriſti famula, cognomento Ava. 173. 174
Adelgerus Monachus. 737
Adalgiſus qui & Grimo. 101
Adelmarus Diaconus Virdunenſis. 126. 127
Adelmarus S. Vitoni Abbas. 136. 159
Ademarus Diuionenſis Abbas. 294

INDEX

Adeodatus Latiniacenſis Abbas, 589
Adreualdus V. Arauualdus.
S. Adelphus Montis Romarici Abbas. 683
Adizilinus Abbas. 270
Ado Lugdonenſis Archiep. 112
Ado Vtennenſis Arcbiep. S. R. E. Vicarins. 120. 122. 285
Adolſus Leodienſis Ep. 407
Adolſus Naſſanius Imp. 382
S. Adorator Ep. & Martyr. 635
Adraldus S Nicolai Andeg. Abbas. 287
Ademarus Pictauinus Gomes Emenonis filius. 592. 325.
Adremarus S. Martialis Lemouicenſis Abbas. 635
Adrianus v. Hadrianus.
Adſo Dernenſis Abbas. 598
Adueouins Metenſis Ep 110. 345. 673. 735. 736
Aduerada Comitiſſa. 167
S. Ægidij oppidum. 231
Ægidins Aſſelini de Aroernia Archiep. Roromag. & Narbonenſis. 383. 384
Ægidius Ebroicenſis Ep. 368
Ægidius Romanus Magiſter Militum Dux & Patricins. 63 83. 332
Ægil, v Egil.
Ælia Hieruſalem dicta. 665
Ælicia Abbatiſſa mon. Villarij. 375
Ælius Hadrianus Imp. 665
Ælfricns Archiep. Eboracenſis. 323
S. Æmilius. 84
S. Æpletins Metenſis Ep. 682
Æquiliſina. 324. vide Engoliſma.
Æquinoctium vernale. 309
Æra, ſiua Era. 62. & deinceps.
Ætherius Autiſſiodorenſis Ep. 419. 519
Ætherius Virdunenſis Ep. 85
Æthicus in Coſmographia ſiua Itinerario Mundi. 79
Aëtius Dux & Patricius. 65. 538
Aëtius Epiſcopus. 424
Africanus Hiſtoriographus. 314
Agano, vide Hagano.
Agano Auguſtod. Ep. longæuus. 187
Agano. 405
Agarcios Ep. Frater Aredij Ruthenenſis Epiſcopi. 703
Agapetus II. Papa. 129. 130. 133. 755
Agapitus de Columna. 356
Agareni. 606. vide Saraceni
Agatho Papa. 102
Agaunenſe Monaſterium. 107. 269. 695.
Agannenſes Martyres. 563
Agedunum. 635
Agelmarus Arnernenſis Ep. 122
S. Agericus Virdun. Ep. 83. 90. 91. 93. 95. 96. 99. 120
Agia ſoror S. Aunarij. 419
Agila Rex Gothorum. 67
Agilfridus Leodienſis Ep. 335
Agilmarus Archiep. Viduneoſis. 118
Agilmarus Cancellarius. 270
Agira fluuius. 117
Agmanilia f. Aquamanilia. 424. 423
Agnes Augnſta vxor Henrici III. Imp. 187. 192. 206
Agnes Comitiſſa Pictauenſis, dein Andegauenſis. 350
Agnes Comitiſſa. 276
Agnes Branæ & Drocarum Gomitiſſa. 327
Agnes filia Guidonis Comitis Autiſſ. Niuern. & Turon. 475. 476
S. Agnes Virgo & Mar. 535
Agnus Dei. 318
Agobardus Lugduni Archiep. 118. 120. 293
Agon reſtitutus. 53
Agrippinus Comes. 650
Agronius Ep. Virdunanſis. 104. 105
Aiax Galata Arianus. 73
Aidanus Lindisfarnenſis Ep. 322
Aidulfus ex Cantore Autiſſiodor. Epiſ. 430. 431
Aigrimus Lingonenſis Ep. 271. 657
Airiacenſe Concilium. 449. 450
Airiacus villa S. Germani in pago Autiſſiodor. 449. 450
Aiſtulfus Longobardorum Rex. 104
Aiſtulfus Noniomenſis Ep. 134
Alagus ſcriptor. 434
Alamannica gens. 35
Alamoni Monaſterium. 358
Alani. 64. 70. 71
Alanus Autiſſiod. Epiſ. & Abbas Riparorii. 465. 577
Alanus Britonum Dux. 281. 283. 287. 348
Alaricus Gothorum Rex. 63. 64. 85. 86. 87
Alaricus iunior Rax Gothorum. 66
Alaſſarum. 632
Alannus locus propa Nanoetenſem vrbem vbi Cartuſia. 659
Albanenſis Cardinalis. 342
Albaneoſis Ep. in Angliam legatus. 241
S. Albanus Martyr. 336
Albanus Ep. Gregorii VII. Legatus. 218
Albericus Patricius. 127. 128
Albericus Italiæ Rex. 755
Albericus Ciſtercienſis Abbas. 641. 643. 644. 646
Albericus Lingonenſis Ep. Miſſus Regius. 270
Albericus Vezeliaceoſis Abbas. 397
Albertus I. Imperator. 382. 383
Albertus Leodienſis Ep. 406
Albertus Lingonenſis Ep. 293
Albertus Lotharingiæ Dux. 337
Albertus Pilerius. 574
Albienſe territorium. 426
Albigenſes hæretici. 291. 571. 471
Albige ciuitas Galliarum eiuſque territorium. 699.
Albingana ciuitas. 354. 355
S. Albinus Andeg. Ep. 633. 275. 277 286
Albinus Catalaunenſis Ep. 84
Albinus Prætearatorum decus. 688
Alcuinus Abbas S. Martini Turonenſis. 284
Adelbertus ſiue Hildebertus Arch. Bituricenſis & Dolenſis Abbas. 316
S. Aldegundis. 335
Aldſridus Rex Angliæ. 322
Aldredus Eboracenſis Arch. 323
Aldricus Senonenſis Archiep. Miſſus Regius. 270. 432. 433. 656.
Alduinus Flauiniacenſis Abbas. 118
Aldulſus Eboracenſis Archiep. 323
Alenconis caſtrum. 277

Alerios fluoius. 400. v. Elauer.
Aleſia, ſiue Alexia. 121
Aleſienſis, ſeu Alexienſis pagus. 564
Alexander Imp. 305
Alexander ſacri lateris Protector. 411. 412
Alexander II. Papa. 194. 195. 206
Alexander III. Papa. 278. 279. 280. 295. 317, 466
Alexander IV. Papa. 378
Alexander Leodicenſis Ep. 339. 406
Alexia. v. Aleſia.
Alfanus Salernitanus Ep. 234
Alfonſus Præliator Rex Aragonenſis, & Comes Barcin. 340. 341. 343
Alfonſus, ſiue Ildefonſus Toloſæ Comes. 340
Alfonſus Aragonum Rex, & Comes Prouinciæ. 353
Alfonſus Aſtenſis Ep. 797
Alfridus Rex Angliæ. 322
Algeſir caſtrum. 388
Alicherius miles. 399
Alienor, ſeu Alienora, aut Alienoriſſa filia Vuilhelmi X Ducis Aquitaniæ, & Regina Franciæ & Angliæ. 278. 290. 316. 397
Aligeris fluuius. 508. v. Elauer.
Alleluia. 536
Almaria. 340
Almodus S. Michaëlis Abbas. 348
Almodus Cæſarij Abbas. 355
Aluanæ Carruſia. 639
S. Alodius Antiſſiodorenſis Epiſc. 417. 532 565
Aloſtum caſtrum. 367
S. Alpinianus diſcipulus S. Martialis Lemouic. Epiſcopi. 631. 637
Alpium viæ obſeſſæ. 126
Alſenſis pagus & Comitatus. 269. 271
Alſtannus Rex Angliæ. 127
Altare Miraculorum B. Mariæ Dolenſis. 318
Alteriacum caſtrum. 675
Amadeus Flauiniacenſis Abbas. 159. 186. 270. 271. 272. 792
Amalaricus Gothorum Rex. 88. 666
Amalbertus Chorepiſcopus Virdunenſis. 117
Amalricus Rex Hieroſolymitanus. 279. 280
Amalricus Ebroïcenſis Comes. 364
Amalmacher Dux Saracenorum, qui erant Beneuenti. 285
Amalſindus perilluſtris vir ſigillat ſigillo Regio. 269
Amaluuinus de Roca Laura Abbas ſancti Victoris Maſſilienſis. 343
S. Amandus Traiectenſis Epiſc. 335
S. Amandus diſcipulus S. Sori. 636
S. Amandus præceptor S. Iuniani. 633
S. Amandi Abbatia. 169
S. Amandi villa in d. Petracoricenſi. 636
Amanſenſis pagus. 564
S. Amantij Abbatia in Ruthenis. 133. 136. 185
S. Amantij Monaſt. in pago Cadurcenſi. 422. 426. 566
S. Amator Autiſſiod. Ep. 413. 414. 415. 421. 422. 431. 562
S Amator maritus Veronicæ. 629. 630
S. Amatus. 684. 685. 781. 782. 783
Ambaldus Tuſculanenſis Ep. 388. 390
Ambaſacum. 614
Ambaſium caſtrum. 281. 287
Ambaxatores. 382. 386
Ambiani. 13
S. Ambroſius Arch. Mediol. 252
Amelius Albienſis Epiſcopus 334
Amelius de Bauſſo. 343
Ammoniæ in Aualinſi, ſeu Niuernenſi Comitatu, vbi Corbiniacum. 272
Amicus Præpoſitus. 573
Amilingus. 117
Amolo Lugdunenſis Archiep. 118. 293
Anacletus Papa. 85
Anactea coliuellata, graoellata, &c. 423. 424
Anaſtum. 423
Anagnia. 383
Anaſtaſis in loco Reſurrectionis Hieroſolymis. 665
Anaſtaſius Imperator. 87
Anaſtaſius IV. Papa. 297
Anaſtaſius Martyr. 633
Anaſtaſius Senonenſis Archiepiſc. 447
Anaſtaſius Bibliothecarius. 271
Anatolus Engoliſmenſis Epiſc. 324
Anatolus laicus. b. m. 324
Andagium, ſiue Andaïnum. 335
Andana. 408
Andebotos Romanus Dux. 72
Andegauæ vrbis incendia. 275. 276. 287
Andegauenſis pontia combuſtio. 277. 280
Andelij rupes & caſtrum. 369. 370
S. Andochius Martyr Sedeloco. 269. 412
S Andreæ reliquiæ. 12
S. Andreæ Monaſterium ad pedes montis Sirapiis. 639
S. Andreæ Bordegalenſis Eccleſia. 630
Andreas Brito. 747. 754. 755
Andreas de Calueniaco Dolenſis dominus. 317
Andreas de Calueniaco II. huius nominis Dolenſis dominus. 318
Andreas de Calueniaco huius nominis vltimus Dolenſis dominus. 319
Andreas S. Maglorij Pariſienſis Abbas. 655
Andreas de Monte Barti. 479
Andreas Siciliæ & Neapolis Rex. 343
Anexonium. 632
Angelelmus Autiſſiodorenſis Epiſc. ex Abbate SS. Geruaſij & Protaſij. 432
Angelonus Preſbyter. 737
Angelus apparet Ep. Baſilienſi. 590
Angilrannus Metenſis Epiſcopus. 344
Angilrannus Tullenſis, tum Metenſis Primicerius. 755. 757. 772
Angli Saxones. 126
Anguerrandus de Syuae Epiſcopus Autiſſiodorenſis. 517
S. Anianus Ep. Aurelianenſis. 534. 538
S. Annæ mamilla. 636
Anna Pleſſæa, ſiue à placida ſede. 519
Anna Ruſſorum Regis filia, Regina Franciæ. 396
Anno Colonienſis Archiepiſc. 192. 224. 338
Annona pluit de cælo. 360
Annulus B. Mariæ Virginis. 356
Anſa prunellata. 424
Anſanum Concilium. 297
Anſanum Concilium II. ſub Hugone S. R. E. Legato. 254
S. Anſbertus Rotomag. Arch. 102. 365
Anſbertus. 94
Anſealdus de Barbanſo. 319

Anſebertus Marciliacenſis Abbas. 707
Anſegiſus ſeu Anchiſiſus Dux. 94. 102. 114
Anſegiſus Senonenſis Archiep. 434. 435
Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, eiuſque Epiſtola ad Pontium Abbatem. 195. 215. 232
S. Anſelmus Cantuariæ Archiep. 241. 254
Anſericus Montisregalis dominus. 584
Anſericus Præpoſitus. 244
Anſerulus. vide Fulco.
Anſtens Abbas S. Arnulfi Metenſis. 740. 757. 758
Anſtranus Cantor Caroli-Magni electus Virduni Epiſcopus. 117. 119
Anſillæ portus. 642
Aoſoldus filius Odonis de Chalo. 655
Antiochenum Concilium. 199
Antiochia. 281
Anthemius Imp. 15
Antiphona de mandato. 183
S. Antonini mon. Placentiæ. 285
S. Antonius Martyr. 685. 686. 688
S. Antoninus Sanctini Meldenſis Ep. ſocius. 78. 79. 80. 81. 82.
Antonius Bohier Archiep. Bitur. Cardinalis. 329
Antonius de Prato Arch. Senonenſis Cardinalis. 518
Antros inſula. 285
Apamia oppidum. 686. 687
Apogniacum ſeu Epogniacum. 455. 472. 488
S. Apollinaris Valentinenſis Ep. 689. 690. 692. 693
Apollinaris Flauiniacenſis Abbas. 118. 119. 120
S. Apri Monaſterium Tulli. 127. 754
Aprocaſius. 695
Apratus Metenſis Epiſcopus. 682
Aptenſis ciuitas. 358
Aqua fontis in vinum verſa. 176
Aquæ ſextiæ. 344
Aqualeſina ciuitas. 533. vide Engoliſma.
Aquaria Andegaui. 277. 289
Aqua-pendens vrbs. 355
Aquaſparſa in Aruernia. 317
Aquenſe ſeu Aquiſgranenſe palatium. 337
Aquiſgranenſe Concilium. 119
Aquiſgrani capella. 117
Aquina 632
Aquinus ante Vvalonem electus Ep. Auguſtodunenſis. 122. 792
Arator S. R. E. Subdiaconus. 334. 668
Arator Virdunenſis Ep. 83
Archæ. 371
Arcadius Imp. 14
Archanaldus ſcriptor qui vitæ S. Maurilii nonnulla addidit. 285
Archebaudus S. Albini Abbas. 276
Archembaldus Borbonii Princeps. 395
Archembaudus Senon. Archiep. 445
Archerii. 283
Archiclauus Eccleſiæ. 433. 437
Archidiaconia. 261
Archidiaconus Maior cor Epiſcopi. 731
Archimetropolitani apices tenet Bituricenſis Archiep. 704
Arcolfus Gallus Epiſcopus. 667
Arcutamia Seoatrix. 692
Ardentes ſanati potu aquæ benedictæ. 187
Arduennæ ſaltus. 450
Arduinus Archidiaconus. 451
Arduinus Cartuſianus. Lotharingus. 640
Arduinus S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 577. 581.
Arduinus Italiæ Rex. 573
Arduinus Lingonenſis Ep. 573. 578
S. Aredii villa. 631
Aredius Rothenenſis Ep. 713
Areiæ ſiue Aregia fluuius. 688
Arelatenſis vrbs. 353
Aremari Monaſterium. 194. 520
Aremburgis Comitiſſa. 277
Arenualdus Flauiniacenſis Abbas. 120. 121. 792
Aretinus ex-Epiſcopus. 226
Argentiæ in d. Bajocenſi. 318
Argentolium. 285. 395
Argentomagum. 277
Argentonium. 320. 633
Argonna ſaltus. 747
Aribertus, vide Charibertus frater Dagoberti Toloſæ Rex. 101. 102
Aridius Ep. Brunichildæ Reginæ familiaris. 781
S. Arigius Vvapincenſis Ep. 695
Arlia locus q. 564
Armentio fluuius. 443
Armorica ſeu Minor Britannia, in quam venerunt Britanni. 349
Arnacenſes Monachi. 634
Arnaldus Elnenſis Ep. 797
Arnaldus Lemouicenſis Ep. 288
Arnaldus Magalonenſis Ep. 297
Arnaldus de Verdala Magalonenſis Epiſc. 793
Arnaldus Petracoricenſis Ep. 334
Arnaldus Rutheneſis Ep. 334
Arnaldus Lamberti Vicecomitis frater. 314
Arnaldus Vaſconum Princeps. 633
Arnoldus Anſberti filius. 44
Arnulfus Abbas. 314
Arnulfus Aurelianenſis Ep. 158
Arnulfus Flandriæ Comes. 325
S. Arnulfi Eccleſia Metis. 120
S. Arnulfus Metenſis Ep. 94. 101. 602. 700. 707. 728. 729. 783
Arnulfus Remenſis Archiep. ex nobili puella filius Lotharij Regis Francorum, dictus Traditor. 157. 158. 163. 362
Arnulfus Turonenſis Archiepiſcop. 286
Arnulfus Treuirenſis Archiep. 347
Arnulfus Imperator. 123. 124. 805
Arnulfus Comes de Pembroc. 661
Arnuſtus Archiep. Narbonenſis. 804
Arpinus ſiue Harpinus qui Bituricas Regi Franc. vendidit. 396
Artaldus de S. Baudelio. 242
Artaldus de Monte S. Baudelij. 271
Artaldus Remenſis Archiep. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 134. 362. 364
Artanum Monaſterium S. Aredii. 631
Artaudus Florte ex Abbate S. Medardi Vezeliacenſis Abbas. 398
Arturus Comes Britanniæ. 290. 317. 327
Artus Britonum Rex. 349
Aruanus ſolitarius de gente Scotorum. 710
Aruernæ Concilium, vide Claromontanum.
Aruerna vrbs ſeu Clarus mons. 630
Aſcalon vrbs. 278

Aſcelinus S. Victoris Pariſienſis Abbas. 655
Aſſiſium. 356
Aſtorgius de Canhaco S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 341
Aſtures deuicti. 69
Arax Rex Alanorum extinctus. 64
Araulfus. 64
Athanagildus Gothorum Rex. 67
Athanaricus Gothorum Rex. 14. 62. 63
Athelbaldus Eboracenſis Archiep. 323
Attila Hunnorum Rex. 65. 84
Attiniacus villa. 103. 126
Atto Mediolani Archiep. Card. 235
Attoarienſis pagus. 271. 272
Aua, vide Adelberga.
Aualenſis pagus & Comitatus. 271. 424. 423
Aualum. 397
Auario fluuius. 688
Aubertus Monachus. 618
Auctoritas iudicandi de criminibus. 633
Anda, ſiue Anda fluuius limes medius Franciæ & Normanniæ. 723
Audica tyrannus Suenorum. 73
S. Audoënus Rothomágenſis Archiep. 315. 350. 365. 634. 700. 788
Audomarus Morinenſis Epiſ. 778
Audouera Regina. 339
Audoynus Nouiomenſis, Pariſienſis, Autiſſiodor. & Magalonenſis Ep. Cardinalis nepos Innocentij Papæ. 312. 313
Audura flumen. 440
Auellini Comes. 341
Auenio. 341. 601
Auenionenſe Concilium ſub Hugone Dienſi Legato. 206
Auennacum Mon. 128. 129
S. Auentinus Trecenſis Ep. 84
Auerſa vrbs. 343
Auganno de Narbona. 377
Augienſis Abbas. 212
Auguſtenſis Ep. 212
Auguſtodnuenſia Concilia. 198. 203. 206. 240. 294. 396
Auguſtodunenſis quidam in loco Aſcenſionis Dominicæ mortuus. 173
Augum caſtrum. 126. 574
Auicianus Rotomag. Archiep. 364
Auicium, ſiue Anitium. 630. vide Podium.
Auis inſtrumentum cæmentariorum. 164
Auita ſoror S. Deſiderii. I. 699
Auiti Bracarenſis Preſbyteri Epiſtola. 13
Auitus Claromontenſis Ep. 94. 543
S. Auitus Abbas. 89
S. Auitus Viennenſis Archiep. 86. 690. 693
Auitus Imperator. 63
S. Aunarius Autiſſiod. Ep. 100. 419. 420 421. 485. 528. 329. 530. 366
S. Aunarii epiſtola ad Stephanum Preſbyterum Africanum. 411
Aupertus Langobardorum Rex. 104
Aureæ vallis Mon. 277
Aureliacum. 157
Aurelianenſes Hæretici. 292
Aureliani imago plorauit. 158
Aurelianus Lugdunenſis Archiep. 212
Aurelianus Imperator. 10. 411
S. Aurelianus Confeſſor. 632
Aurifrizium. 167
Auriolum caſtrum. 343
Auſtenchus Anitienſis Ep. 797
Auſterius Petracoritenſis Ep. 707
Auſtrenius ſiue Auſtreuus Aurelianenſis Ep. 100. 419. 485
Auſtraſius Tullenſis Ep. 707
S. Auſtriclianus. 631
Auſtrobertus Viennenſis Archiep. 107
Autbertus Abrincenſis Ep. 348. 351
Autiſſiodorenſe Concilium. 405. 421
Autiſſiodorenſis Eccleſiæ mos in deſcribendis Geſtis Pontificum. 507
Autricum ſeu Mons Autricus. 412. 516. 527
Aymericus Guenaud Ep. Autiſſiod. tum Rotomag. Archiep. 387. 389. 510. 311
Aymericus Caſæ Dei Abbas. 269
Aymo Bituricenſis Archiep. 313
Aymo Borbonienſis dominus. 396. 400
Aymo de Bordis Monachus S. Germani Autiſſiod. ſcriptor vitæ Guidonis Abbatis. 586
Aymo Brunus de Grimone. 871
Aymo Cæſar-Auguſtæ Rex. 429
Aymo Comes adminiſtrator Reipublicæ Comitatus Alſenſis atque Duſmenſis. 272
Aymo Dinionenſis Abbas. 295
Aymo Vezeliacenſis Abbas. 395
Axia. 632
Axona fluuius. 124. 128

B

BAbolenus Foſſatenſis Abbas. 656
Bacchonica aurata. 423. 424. 425
Bagerna, vide Salinenſis caldaria.
Bajo. 270
Bajocæ & Bajocenſis ciuitas. 282. 722
Balatores Leodienſes. 408
S. Baldricus patronus Montisfalconis. 129
Baldricus Lauduni Ep. 360
Baldricus Leodienſis Ep. 168. 336
Baldricus II. Leodienſis Ep. 337
Baldricus Traiectenſis Ep. 130
Balduinus I. Rex Hieroſ. 339
Balduinus II. Rex Hier. 277. 278. 279. 339
Balduinus Imp. CP. 370 327
Balduini Flandriæ Comites. 167. 169. 190. 337
Balduinus Hanoniæ Comes. 406
Balduinus Cancellarius. 271
Balduinus Nouiomenſis Ep. 364
Balduinus Turonenſis Archiep. 271
Balduinus Vezeliacenſis Abbas. 397
Balnearis porta. 414
Baltildis ſeu Baldechildis Regina Franciæ. 102
Bambergenſis vrbs Epiſcopatu inſignita. 173 vide Bauenberga.
Banni & Scarritiones mercati. 343
Barbeſlutum 348. 367
Barcinona. 339. 771
Barganaticum. 136
Baro. 103
Barones IV. Epiſcopatus Autiſſiodorenſis. 509. 515
Barrenſis Comitatus. 131. 136
Barrum. 134. 185. 345. 346
S. Bartholomæi corpus & reliquiæ de Lipari Beneuentum tranſlatæ. 120. 359. 638

Bartholomeus Belvacenſis Ep. 361
Bartholomæus Catalaunenſis Ep. 297
Bartholomæus de Roya. 370. 661
Bartholomæus Trecenſis Ep. 580
Bartholena Syagrii vxor. 700
Baſilii poſtconſulatus tertius. 668
Baſilius Imp. Græcus. 292
S. Baſolus. 636
S. Baſoli Eccleſia & Abbatia. 117. 128. 129
Baſonis villare. 108
Baſtonea'villa in Arduennæ ſaltu. 430
Baudonus Domicellus. 382
Baueberga ſeu Bauenbergenſis vrbs. 346. vide Bamberga.
Baugiacus locus. 527
S. Baumardus. 632
S. Bauo. 335
Beatrix Hugonis Magni filia vxor Friderici Ducis. 159. 670. 671
Beatrix Comitis S. Pauli filia. 661
Beatrix vxor Caroli Comitis Andegauenſis ac Siciliæ Regis. 341. 354
Beatrix filia Delfini Comitis Alboni vxor Hugonis Burgundiæ Ducis. 295
Bebius mons perpetuo vapore fumans, ſeu Veſuius aut Veſuuius. 747. 750
Becci Abbatia. 349
Becco Canonicus Virdunenſis. 117
Becherellum munitio. 495
Beda Ven. Doctor Anglorum qui obiit Gyruum. 538. 322. 730
Bedæ Ven. Presbyteri Cycli. 353. 358. 360
S. Begga. 335
Belca fluuiolus. 441
Beliſarius Dux Iuſtiniani. 72
Bellæ perticæ caſtrum ſuper fluuium Aligeris in partibus norbonienſibus. 508
Bellegrada vrbs in confinio Bulgarorum & Hungarorum. 180. 186
Bellilocenſis cella. 159
Belliloci Abbatia, iuxta Dordoniam fluuiũ. 631
Belliſmenſis pagus. 661
Bellozanenſis Abbatia. 522
Belna in Vaſtino. 779
Belnenſe Concilium. 450
Belnenſis Comitatus. 270
Belſa patria vbi putei alti. 745
S. Benedictus pater Monachorum. 315. 339
S. Benedicti manu regula ſcripta. 304
Benedictus III. Papa. 120
Benedictus V. Papa. 134
Benedictus VI. Papa. 323
Benedictus VIII. Papa. 133
Benedictus IX. Ioannis XIX. nepos. 186. 190
Benedictus XI. Papa. 383
Benedictus XII. Papa. 318. 343. 386. 388. 511
Benedictus Legatus Papa. 254. 258. 259. 260. 261. 643
Benedictus Foſſatenſis Abbas. 656
Benedictus Maſſilienſis Ep. 342
Benedictus S. Petri Catalaunenſis Abbas. 296
Benedictus Monachus S. Germani Autiſſiodorenſis fundator Monaſterii Selebienſis in Anglia. 574. & à pag. 597
Beneuentum. 359
Beneuenti Monaſterium. 638
S. Benignus Martyr. 412
S. Benigni Martyris corpus. 123. 125. 324
Bennamarim Rex. 388
Benno Metenſis Epiſcopus. 126. 739. 751
Beraldus Sueſſionenſis Ep. 270. 272
Berardi Monaſterium. 572
Berardus ſeu Bernardus Matiſconenſis Ep. 241. 254. 255. 256. 257. 642
Berardus Virdunenſis Ep. 115. 122. 123
Bereius Turonenſis Archiep. 334
Berengarius Italiæ Rex. 123. 125
Berengarius iunior Rex Italiæ. 131. 133
Berengarius Hæreticus. 214. 215
Berengarius Barcinonenſis Comes. 339
Berengarius Dulciæ filius Comes Barcinonis duxit Petronillam hæredem regni Aragonenſis. 353
Berengarius Raymundus vltimus Comes Prouinciæ Catalaunus. 341. 342. 344. 353
Berengarius Virdunenſis Ep. 128. 129. 130. 131. eius chartæ 132. 133. 134. 135. 136. 137. eius corpus incorruptum. 265
Bergenſis in Flandria Abbas Simoniacus. 205
Bernacer Clericus. 747. 750. 751. 752. 760
Bernardus Pipini filius Rex Italiæ. 119
S. Bernardus Claræuallis Abbas. 278. 397. 462. 479
Bernardus Bruni ex Morinenſi Autiſſiodorenſis Ep. 511. 585
Bernardus Biterrenſis Ep. 797
Bernardus Leodienſis Epiſcopus. 317
Bernardus S. Michaëlis Abbas. 349
Bernardus Rotomagenſis ac deinde Narbonenſis Archiep. 383. 384
Bernardus Sacerdus. 315
Bernardus de Serliaco Autiſſiodorenſis Ep. 495. 496. 497
Bernardus Viennenſis Archiep. 118
Bernardus S. Victoris Maſſilienſis Abbas Gregorij VII. Legatus. 258. 259. 233. 340
Bernardus Romanæ Eccleſiæ Diaconus eiuſdem Gregorij VII. Legatus. 218
Bernerius Tullenſis Diaconus. 744. 745. 746
Bernerius Virdunenſis Eccleſiæ Præpoſitus. 135
Berno Cluniacenſis Dolenſis, Gigniacenſis &c. Abbas. 315
Berno Comes Palatinus pater Popponis Ep. Vltraiectini. 753
Berno Metenſis Ep. 345
Berno Vezeliacenſis Abbas. 396
Berno Vindocinenſis Abbas. 288. 289
Bernuinus Virdunenſis Ep. 126. 128. 751
Berta Regina Franciæ à viro Philippo Rege repudiata. 259
Berta vxor Gerardi de Roſſilione Comitis. 394
Berta ſoror Theobaldi Turonenſis Comitis vxor Comitis Britonum. 350
Berta Conradi & Mathildis filia vxor Odonis Comitis Campaniæ. 134. 157. 183
Bertaldus Leucenſis ideſt Tullenſis Ep. 675. 682
Bertaldus Dux. 211. 218. 223
Bertarius Sanctorum Virdunenſium Pontificum acta replicauit. 113
Bertharius Preſbyter Canonicus Eccleſiæ Sancti Vitoni in eius cœmeterio requieſcit. 513

Bertefredus. 96
Bertericus Viennenſis Archiep. 108. 116
Berthalamius Virdunenſis Ep. 103
Bertherius Virdunenſis Ep. 109
S. Bertini Abbatia. 199
Bertrada Montisfortia concubina Philippi I. Regis Francorum. 259. 283.
Bertrannus Metenſis Ep. 346
Bernardus de Monte Fauentio Card. 386
Bertulfus Treuirenſis Archiep. 736.
Bethleem. 665
Bethſaida. 665
Bettiliniaca villa. 113
Betto Amanuenſis. 784
Betto Antiſſiodorenſis Ep. ex Abbate S. Heraclii & S. Columbæ. 441. 442
Betto Abbas. 117
Betuna caſtrum Flandriæ. 639
Biſuntium ſeu Byſuntium. 187
Biterrenſis vrbs. 341
Bituricæ. 216. 394
Biturim venit Boamundus. 283
Bituricenſe concilium. 379
Bituricis Parlamentum ſub Philippo Audace Galliæ Rege. 380
Blanca neptis Ioannis Regis Angliæ vxor Lud. VIII. & mater S. Ludouici. 157. 327. 378
Blazonium. 278
Blenetus Vezeliacenſis Abbas. 398
Blidulfus ex Metenſi Archidiacono Gorzienſis Monachus. 758. 759
Biſacenſis pagus. 673
Bliſmorus, aliâs Sedunum caſtrum. 243
Boamundus Dux Antiochiæ. 276. 281. 282. 283. 289
Bobienſe Monaſterium. 787
Bobila Senatrix Romana. 709
Bocardus frater Gauterij Arch. 441
Bodo Landrici Comitis filius. 272. 399
Bodo de Montibus. 399
Boëtius. 334. 358
Bolanus Flonicenſis. 407
Bonar a. 127
S. Bonifacius Moguntinus Archiepiſcop. 104. 331. 335
Bonifacius Marchio. 158
Bonifacius IV. Papa. 114
Bonifacius VIII. Papa. 381. 383
Bonifacius Vezeliaci Abbas. 396
S. Bonitus Clarom. Ep. 94
Bonus radius Abbatia Ordin. Ciſter. 461. 462.
Bonno de S. Florentino. 592
Borrellus Citerioris Hiſpaniæ Dux. 557
Borrellus Comes Barcinonenſis. 339
Boſan Eboracenſis Ep. 322
Boſelenus Subdiaconus. 269
Boſo Rex Prouinciæ. 122
Boſo Rex ſuperioris Burgundię quæ comata dicitur filius Ricardi Iuſticiarij. 124. 125. 126. 127. 768. 769
Boſo S. Benedicti Floriacenſis Abbas. 270
Boſo Catalaunenſis Ep. 297
Boſo Prior S. Germani Autiſſiod. 574
Bottalia villa. 564
Bouo de Bar ſuper Albam Baldrici filius. 246
Bouo S. R. E. Cardinalis. 320
Bracenſes negotiatores. 117
Bracenſis centenaria. 133
Braccus Saccus. 277
Brana olim Brannacum. 327
Brandis forte Brindis. 381
Braulio Epiſcop. 804
Bretulienſe cœnobium. 169
Brianſonium. 357
S. Bricij villa. 293
Briderium. 638
Brigandi & homines armorum. 514
Brignola ſeu Brinonia. 354
Brilhacum ſeu Briliacus villa. 292. 324. 633
Brictius Nannetenſis Ep. 277
Brioderus. 421. 422. 428
Brioletum. 276. 281
Britones. 120. 122
Britones ſubdidit Dagobertus. 102
Britonum Romam pergentium Xenodochium. 430
Brito Maſſilienſis ciuis. 342
Briuaraci cœnobium. 633
Briuenſis villa. 632
Brixienſe conuenticulum. 226
Brolium mon. Ordin. Ciſter. 376
Brugæ. 339
Brunelli clauſum. 494
Brunichildis Regina. 94. 95. 100. 101. 422. 424. 425. 566. 695. 699. 781.
Bruno Andeg. Ep vide Euſebius.
Bruno Colonienſis Archiep. frater Othonis Imper. & Dux Lotharienſis Regni. 129. 133. 136. 770
Bruno Lingonenſis Ep. 157. 174. 272. 294. 657
Bruno Metenſis ſedis inuaſor. 237. 238
S Bruno Cartuſiani Ordinis Fundator. 638. 639
Brutus & Collatinus primi Romæ Conſules. 3
Bucerellus Toparcha de Sacy à ſecretis & Epiſtolis Regiis. 522
Buchardus de Seligniaco. 479
Bullientis aquæ caldaria. 664
Buchardus Rodulfi Ignaui Burgundiæ Regis frater Conradi ex concubina filius Archiep. Lugdunenſis. 157. 186. 294
Burcardus de Monte Morenrio. 367
Burcardus Vindocinenſis Comes. 290. 291. 661
Burcardus Vitulus Comes. 661
Burcardus filius Fulconis Anſeruli Comitis Vindocinenſis. 288
Burchardus Auguſtanus Ep. Burcardi Lugdunenſ. Archiep. nepos. 186
Burchardus ſubſtitutus illicitè in locum Abbatis S. Remigij. 260
Burdigala. 292. 324
Burgundus Vvirtzburgenſis Ep. 104
Burnacenſis ager. 269
Buticula in modum flaſconis. 739
Butioualdus Abbas. 99
Buxeium. 367
Buxerium Monaſti in territorio Tullenſi. 754
Buxudis obſidio. 336

C

CAballicans homo. 424. 425
Cabilonenſe Concilium. 194

Cæcilia Abbatiſſa Montis Romarici. 781
Cæleſtions II. Papa 277
Cæleſtinus III. Papa. 281. 317
Cæleſtinus IV. Papa. 377
Cæleſtinus V. Papa. 382. 384
Cæſar-Auguſta. 340
S. Cæſarius Arelatenſis Archiep. 691
Cadriacus in pago Cenomanenſi. 550
Cadurcenſis Epiſ. Hugo excoriatus. 510. vide Caturcenſis, Carurca vrbs. 706. 707
Caino caſtrum. 278
Calaus mons, vide Callau.
Calabrum vicus. 637
Calceia. 380
Caldaria Salinenſis. 241. 270
Callau mons. 395
Callixtus II. Papa ex Archiepiſc. Viennenſi. 277
S Calminius Dux Aquitaniæ. 632
Calmontis villa. 104
Caluomootenſis pagus. 673
Caluus mons. 278 279. 190
Cambonum Monaſt. 631
Cambuca ſiue Cambucia. 503. 714
Cambuca S. Germani Autiſſiod. Ep. in pago Tullenſi. 535
Cathelianos Trecenſis Ep. 413
Camilla Virgo. 540
Camiſia B. Mariæ Carnotis 325
Campellorum halæ. 434
Campus Alamannus. 452
Campus-Sigillarum. 272
Canayus celebris cauſarum in Senatu Pariſienſi Patronus. 511
Caodeium. 176. 283
Canes oocto congregari ſoliti ante domum Maioris Eccleſiæ S. Pauli. 262. 263
Canonici Regulares. 432
Canonizationis B. Roberti Moliſmenſis proceſſus. 648. 649
Cantabrum. 18
Cantantis ranæ molendina. 574
Capilli B. Virginis Mariæ. 630
Capræ mons caſtrum Giſleberti. 124
Capſa argentea reliqoias continens. 270
Capotiari B. Mariæ de Podio habentes capuria telarom cum ſignaculis plumbeis. 477. 478.
Carameres ex Refereodario Virdoneoſis Epiſcopus. 99
Carbonaria ſilua. 332
Cardiaca paſſio. 635
Carceria caſtellum. 82
Cardioalirium Collegium. 521
Cardioales vice Metropolitani electum Papam ad Apoſtolici culminis apicem prouehont.
S. Carilephus Monachus. 89
Carinus Imp. occiſus. 11
Cariſtia magna. 318
Caritatis ſuper Ligerim Monaſterium. 275. 326. 396. 454. 461
Carnaria ad ſepulturam. 183
Carnicapium. 377
Carniſpriuium. 354
Carnotum. 285. 325. 365
Caroſum vel Karroſum. 334
Caroſianæ Thermæ. 13
Carpi ſe Romanis tradunt. 11
Carteri Marchiones Saonæ. 355
Carthago libertatem recepit. 7
Carthago Spartaria. 71
Carrhuſia. 638. 639
Carthoſia Villænoaæ prope Aneoionem. 513. de Belloloco. 490
Carolomannos Major domus, frater Pipini Regis, dein Monachus. 104. 116
Carolomannus Rex frater Caroli-Magni. 110. 118. 293
Carolomanous Caroli calui filius. 285
Carolomannus Ludouici Ragis filius Rex Francorum. 113
Carolomaoous filius Ludouici Germaniæ Regis. 113
Carolus Martellus. 103. 104. 106. 107. 108. 109. 114. 283
Carolus Magoos Rex & Imp. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 283. 284. 295. 314.
Carolus filius Caroli-Magni. 284
Carolus Caluus Rex & Imper. 119. 120. 121. 122. 123. 285. 293. 560. 736
Carolus filius Caroli Calui. 285
Carolus Lotharij Imp. filius Rex Prouinciæ. 121
Carolus Craſſus Imp. 122. 123
Carolus Simplex ſiue Inſipiens, follus ac minor. 122. 123. 124. 125. 126 287. 752
Carolus Lotharieoſiom Dux filius Ludouici Tranſmarini. 133. 134. 157. 275. 286
Carolos Valeſiæ Comes. 384. 385
Carolus Pulcher Rex Francorum. 383. 384. 385. 860
Carolus V. Rex Francorum. 386
Carolus IX. Rex Francorum. 522
Carolus IV. Imperator coronatus in die Paſchæ. 355. 356
Carolus Nauarræ Rex. 514
Carolos Siciliæ Rex frater S. Ludouici Galliæ Regis. 342. 344. 378. 381. 503. Eius literæ ad Petrum Aragoniæ Regem. 300
Carolus Claudus Princeps Saleroi, 381
Carolus II. Rex Siciliæ. 383
Carolus II. Prouinciæ Comes. 344
Carolus Flandrenſium Comes, 339
Carri lapidibus onuſti. 349. 368
Caros fluuius. 316
Caſa Dei. 197. 215
Caſameotum, id eſt ſaluamentum hominum. 246
Caſati Eccleſiæ. 456
Caſati & milites. 243
Caſſineoſe S. Benedicti cœnobium, 104
Caſſinus mons. 747
Caſſiodorus. 334
Caſtalium prope S. Aredium, 638
Caſtelletum. 635
Caſtellionenſe ad Seqoanam mon, 518
Caſtillionenſe oppidum, 575
Caſtillio. 295
Caſtellulum de paruo ponte. 494
Caſtra vrbs combuſta. 316
Caſtri locus, vide Mons ſeu Montes,
Caſtro Guntheriani. 276
Caſtrum de Malamorte. 318
Caſtrum Meillanom. 316

Caſtrum Nouum. 277
Caſtrum Radulfi. 315. 316. 317
Catalaunenſe S. Petri Monaſterium. 168. 169
S Cathatina apud Alexádriam martyrio coronata ab Angelo ad Sinai montem delata. Eius reliquiæ à ſancto Simeona Rotomagum deportatæ. 182
Catharina Clementis VII. neptis, Regina Franciæ. 520
Catilinæ bellum. 7
Caturicarum burgus. 357
Caturcenſis. v. Cadurcenſis.
Carurcum caſtellum. 705
Caoallonus Rex Maioris Britanniæ. 349
Ceadda Eboracenſis Ep. 322
Cellæ in agro Tricaſſino mon. 520
Cellenſis Abbatia Monialium prope Auriſſiodorum. 490
Celſum eaſtrum, ſeu caſtellum. 277. 279
Cenomaneoſis vrbs. 280. 281
Cenſita, ſeu cenſualis terra. 243
Cenſualitatis vſus. 243
Cenſurius Autiſſiodorenſis Epiſc. 418. 531. 532. 533. 565. 566
Centila Dux. 65
Ceoluolphus Rex Anglorum. 322
Chalcedonenſe bellum. 11
Chaluſium. 370
Chambaretum. 633
Charibertus, ſeu Caribertus. 94
Charitatis B. Mariæ fratres in Eccleſia bullientis aquæ ex Catalaunenſi diœceſi collocati. 664
Charitas ſuper Ligerim. v. Caritas.
Charitatis amator Vvillelmus Diuionenſis Abbas. 183
Chatoiacum caſtrum. 499
Charnicenſe Monaſterium. 632
Chatrolenſis pagus. 578
Charalacum. 636
Chebron, ciuitas Gigantum. 666
Chedroaldus Ep. 269
Cherindri. 654
Childebertus Rex Francorum. 66. 86. 88. 94
Childebertus II. ſeu Iuſtus Fràcorum Rex. 102. 103. 95. 96. 100. 348. 351
Childericus Rex Francorum. 85
Childericus II. Rex Franc. 101. 103
Childericus III. Rex Franc. ignauus. 103. 104. 428
Chilpericus Rex Franc. 94. 95. 99
Chilpericus II. v. Daniel Clericus.
Chilpericus filius Chariberti, ſeu Ariberti Toloſæ Regis. 102
Chiriaci curtis. 275. 286
Choïſiaci Prioratus in diœceſi Meldenſi. 518
Choræ, ſeu Coræ fluuius. 426
Chriſtus natus, & paſſus. 8
Chriſtianitatem auferre & quærere ab Epiſc. 243. 244
Chriſtianus Autiſſiodorenſis Ep. 414. 531
Chrodegangus, ſeu Chrodgandus ex Abbate & Referendario Caroli fit Metenſis Epiſcopus cum pallio. 106. 110. 344. 757
Chrodgandus qui rebellauit aduerſus Carolum M. in Italia. 117
Chronica Magna. 368
Chronologus Anonymos, qui ſub Alexandro Seuero Imp. vixiſſe dicitur circa annũ Chriſti 236. à pagina 298. ad 309. cuius ſi vellem accuratum Indicem texere, vix 30. aut 40. ſufficerent paginæ.
S. Chunibertus Colonienſis Arch. 335
Chuonradus. v. Conradus.
Cibalenſe bellum. 11
Cicero natus & mortuus. 6. 7
Cillianus Autiſſiodorenſis Ep. 430
Ciniſius mons. 461
Circam facere maturinis exactis. 248
Ciſtercienſis Abbatia, Ordo, eiuſque origines in diœceſi Cabillonenſi. 340. 461. 640. 641
Ciſterna Conſtantinopolitana. 13
Ciſtercienſis ciuitas. 358
Clameriacum, ſeu Clameciacum. 467. 518
Claperia cuniculorum. 518
Clarembaldus de Noëriis. 471
S. Clarentius. 634
Claromuntana, ſeu Aruernenſia Concilia. 197. 201. 240. 257. 281. 283. 294. 397
Claraualleníis Abbas occiſus Igniaci à Monacho. 361
Clarus mons. 393. v. Aruerna.
S. Clarus. 632
Claudius Abbas. 706
Claudius Chronologus. forte Taurinenſis Ep. à pag. 309. ad 315.
Claudius à Diotauilla dominus Commarieni cæſus in prœlio ad Nanciacum. 519
Claudius Recaredi Dux. 68
Clauorum vrbs Virdunum vnde. 79
S. Clemens Meteoſis Ep. 77. 238
S. Clementis Monaſterium Metis. 238
S. Clemens I. Papa. 77. 78
Clemens II. Papa ex Bambergenſi Ep. 286. 287
Clemens III. Papa. 280. 635
Clemens Antipapa. v. Guibertus.
Clemens IV. Papa. 378. 505
Clemens V. Papa. 378. 383. 384
Clemens VI. Papa. 378. 385. 386. 387. 388. 389. 390
Clemens Autiſſiodorenſis Ep. 430
Clementia filia Caroli Martelli Hungariæ Regis Francorum Regina. 384. 660
Clementinæ Conſtitutiones. 383
Clericorum caſtitas. 293
S. Clerus. 77
Clocarium. 317
S. Clodoaldus. 89. S. Clodoaldi villa. 495
Clodio Francorum Rex. 89
Clodomeres Rex Francorum. 86. 88. 89
Clodoueus Magnus I. Rex Francorum Chriſtianiſſimus. 66. 85. 86. 87. 88. 325
Clodoueus II. Rex Francorum. 100. 102. 711
Clodoueus III. Rex Francorum. 103
Cloſis villa. 316
Clotarius I. Rex Francorum. 86. 88. 94. 425
Clotarius II. Monarcha Francorum. 100. 101. 699
Clotarius III. Rex Francorum. 102. 105
Clotildis Regina, ſiue Crotefildis, aut Crochildis. 531. 542. 567
Cluniacenſe Monaſterium. 124
Cluſæ Alpium. 461
Cluſium. 356

Clufinum Monaſterium, ſeu S. Michaëlis de Cluſa. 397
Clydo Epiſcopus. 784
Clypeus aureus Claudio Imp. decretus ob Gothos deuictos. 62
Cœuoſturium. 10
Colatorium. 424
Colengiæ ſuper Icauuam. 474
Colimbriæ legatio. 230. 231
Collectarium. 166
Colmanus Lindiſſatnenſis Ep. 322
Colongiæ in retriiotio Turennenſi. 635
Colonienſis Ep. Legatus Conſtantinopolim pro Theophanone ſponſanda Othoni II. Imp. 166
Colticæ, Colticenſis cella, ſeu Abbatia. 127. 159. 245. 246. 248. 251. 255
S. Columbæ Virgo eiuſque baſilica. 333. 411
Columbæ de cœlo veniunt. 115
S. Columbanus Abbas. 100. 101
S. Columbani ſecta diſtinguitur ab iuſtituris S. Beuedicti. 707
Columnæ Eccleſiæ Ioannes & Beuedictus Legati. 260
Commarciacus villa in territorio Tullenſi. 119
Commarceij caſtri Dominus. 166
Commouonius Rothonenſis Abbas. 349
Communia Vezeliacenſis. 397
Communiam Eduenſis & Cabillonenſis Prouinciarum iuratam adducere. 244
Comnenus cœpit Petrum Comitem Autiſſiodoreuſem. 493
Comodohatenſes Canonici. 633
Compendium villa. 102
Conada, ſeu Coueda. 243. 451. 453. 457. 458. 461. 463. 472. 488
Couanus Britonum Comes. 275. 278. 288
Conanus Curuus filius Iohelli Berengarij Dux Minuris Britanniæ. 350
Conanus filius Gaufredi Dux Britanniæ capit Eudonem patrum ſuum. 350
Concubinæ Clericis non ducendæ. 193
Concurrum. 350. vide Conqueteticum.
Condatum caſtrum. 282
Condida. 422. 428. 433
Concilia, vide ſuis locis omnia diligenrer anuorata.
Concilia per Aqnitaniam, Burguudiam, Lugdunenſem & Arelarenſem Prouincias. 184
Concilia aduerſus Templarios ab Archiepiſcopis Senonenſi, Remenſi & Rtoomag. 383
Coudominieari campi. 458
Confeſſio B. Petri. 668
Congiarium Romanis datum. 14
Cono, vide Conradus Imp.
Conquerentium prælium. 275
• Conradinus Rex Neapolitanus. 398
Conradus Conſtantienſis Ep. 130
Conradus Metenſis & Spireuſis Ep. Imperialis aulæ Cancellarius. 346. 347
Conradus Imp. 184. 185
Conradus, ſiue Couo, aut Cuno Imp. 134. 157. 174. 285. 292.
Conradus filius Conradi Rex Berniæ. 365
Conradus Dux obiit. 124
Conradus Burgundiæ Rex. 128. 134. 157. 185
Conradus Burguudiorum Dux. 674
Conradus Comes Major ſub Carolo. Caluo Collega Regum. 531. 556. 557. 558
Conradus minor Comes. 558
Conradus Auſtraſiorum Dux. 674. 675
Conſtans Cæſar & Auguſtus. 12
Conſtantia Regina Franciæ. 158. 169. 174. 286
Conſtautia Boamundi vxor. 396
Conſtantia Couſtantini filia. 24
Conſtautiæ. 277
Conſtantinopolis capta à Francis. 295. 344
Conſtantinopolis dedicata. 12
Conſtantinopolitana IV. Syuodus Generalis VIII. 122
Conſtautinus Magnus Imp. 11. 12
Conſtantinus iunior Imp. filius Conſtautini. 11. 12
Conſtantinus tyrannus. 15
Conſtantinus Imp. cum Ireue matre iij. 116
Conſtantinus frater Baſilij Imp. 292
Conſtantinus S. Symphoriani Metenſis Abbas. 483
Conſtantinus Prior S. Germani Autiſſiodor. 580
Conſtantius Cæſar, deiu Auguſtus. 11
Conſtantius Cæſar frater Iuliaui Aug. 12. 13
Conſtautius Imp. pater Valentiniani tertii. 416. 537
Conſtantius Preſbyter ſcriptor vitæ S. Germani. 418. 532. 565
Conſtantius Remeuſis Canonicus. 160
Conſtanrius alius quidam Remenſis. 160
Conſulum paria, ſeu Faſti. conſulares. 53
Conſulum aduoratio in Chronico Proſperi. 25
Corbeiaceuſis S. Petri Abbatia à Richardo S. Vitoni Abbate reformata. 169
Corbetum alodum. 271
Corbiniacum & Corbiniacenſe cœuobium à Corbone Vvidradi patre dictum. 116. 118. 121. 159. 170. 271. 272. 405
Corboili caſtrum. 292
S. Corcodomus Archidiatouus. 526. vide Curcodomus.
Corduba Regia Saracenorum in Hiſpania. 771
Corylus humi defixa frouduit. 535
Corona ſpinea recepta à S. Ludouico. 377
S. Goronatus Britanuus Ep. 632
Corpus Dominicum è Pyxide onychina dependens ſuper altare. 166
Corticellæ. 245
SS. Coſmæ & Damiani Monaſterium. 415
Cotia ſilua. 427. 429
Coytoſium Monaſterium Monialium. 638
Cramous, ſeu Chramnus Clotarij filius. 94
Creſcentis ſeu Creſcentii turris. 227. 229
Creſcentius Rotomagenſis Archiep. 365
Creuennius vicus. 451
Criſinon ſeu Criſanuo Abbatia Virginum. 462. 469
Criſpus Cæſar occiſus. 1
Crociacum caſtrum. 405
Crotæ Ferratæ Monaſterium vbi Monachi Græci. 356
• S. Crotildis ſeu Clotildis Fraucorum Regina. 86. 89
Cruce ſignatorum Eccleſia. 664
Crux Dominica. 290
Crypta S. Vitoni. 320

Cunibertus Colonienſis Ep. 102
Curcodomus Archidiaconus. 412
Curſariorum Præfectus. 399
Curuifurnium. 636
Curulis magiſtratus. 4
Curtracum. 382
Cycli Decemnouales. 286
Cylinia. 870
Cynegius Præf. Orientis & Conſul. 14
S. Cyprianus paſſus 10. Eius oſſa. 119

DAbentrenſis Ep. 753
Dacbertus Dolenſis Abbas. 315
Dadalenus Abbas. 706
Dadaſtana. 13
Dado. 788. Vide S. Andoenus.
Dado Virdunenſis Ep. ex Abbate S. Vironi. 123. 125 126. 165. 744. 747.
Dagobertus I Rex Francorum. 101. 102. 700. 703. 704. 711.
Dagoberti Regis diploma cum Indiculo ad S. Sulpicium Archiep. Bitur. 703
Dagobertus filius Sigeberti Regis Auſtraſiorum. 102
Dagobertus II. Rex Francorum filius Childeberti Inſti. 103
Daimbertus de Seligniaco. 479. 578
Dalfinus Lugdunenſis Archiep. 102
Dalmatius Cæſar. 12
Dalmatius de Monte-acuto. 576
Dalona Ciſter. Ordin. Abbatia. 638
Dalona. 372
Dam portus. 372
Damaſus II. Papa. 190
Damaſus Legatus Stephani Papæ. 129
Damieta. 298. 341. 347. 373. 374
Dani, ſeu Daci, vide Normanni.
Daniel Clericus dictus Chilpericus II. Rex Francorum. 103
Darnacenſia Eccleſia. 633
Dauid Scotorum Rex. 386
Dauid Vindocinenſis Abbas. 288
Deæ Monaſterium. 292. 324
Debitorum inſtrumenta. 10
Decentius. 12
Decania. 161
Decemuiri creati. 4
Decima prouentuum Eccleſiaſticorum ad trientium conceſſa S. Ludouico. 378
Decretalium liber ſextus. 382
Declamare publicè Monetam. 301
Defunctorum memoria. 172
Deimbertus, vide Daimbertus ſupra.
Deodatus de Seueraco S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 140
Deodericus, ſiue Theodericus Metenſis Ep. 670. 673. 678 683
Deodericus [illegible] Metenſis Epiſcopus. 345. vide Theodericus.
Deoduinus, vide Theoduinus.
Derorum ſilua & monaſt. 322
Deruenſe Monaſterium. 518. 520
Deſideratus Virdun. Ep. 80 87. 90
Deſiderius Antiſſiodorenſis Ep. 422. 423. 331. 565. 366
Deſiderius Cabillonenſis Ep. 695
Deſiderius Cadurcenſis Ep. ex Theſaurario Regis à pag. 699. ad 716
Deſiderius Caſſinenſis Abbas. 206. vide Victor II. Papa.
Deſiderius Cauellicenſis Ep. 206. 240.
Deſiderius Rex Longobardorum. 116. 117. 283
Deſiderius Eduenſis Epiſcopus. 85
S. Deſiderius Viennenſis Archiep. 100
Deuſdedit Carnotenſis Ep. 334
Deuteria vxor Theodeberti Regis. 89
Dialogi S. Gregorij Papæ. 189
Diconnius Preſbyter. 198
Digitus S. Germani in Auſtriam deportatus. 395. & ſeq.
Dienſis vrbs. 194
Didymus Dux Rom. 70
Dido. 185
Dieppa. 371. 372
Digiæ villa. 576
Diocletianus deponit purpuram. 12
Diodorus Meſtaronenſis Ep. 707
Dionyſia Dolenſis domina vxor Andreæ de Calueniaco. 317
S. Dionyſius Pariſiorum Ep. 78. 79. 81. 82. 102. 411
S. Dionyſii brachium. 332
S. Dionyſii corpus Remos tranſlatum eique dicata Eccleſia. 359
Dionyſius Exiguus Abbas. 334
Dionyſius Lambinus. 522
Dionyſius Perronnetus Doctor Pœnitentiarius Antiſſiodorenſis. 326
Diploma Caroli-Magni. 270. aliorum variis locis deſignata.
Diuionenſia Concilia. 197. 295. 450
Diuionenſis Abbatia. 118
Doatum, ſeu Duarum caſtrum. 277. 278
Doddo Oſneburgenſis Ep. 130
Dodo de Comitis caſtro. 168
Dodo Comes. 103
Dodo Andegauenſis Epiſcopus. 284
Dolenſe Cœnobium. 315. 316. 317. 395. 397
Dolenſis caſtri obſidio. 276
Dolenſe caſtrum. 124
Domfrontis. 277
Domeſticorum Comes. 668
Dominicalis manſus. 272
S Dominius. 633
Dominium Conſtantinopoli dedicatum. 12
Dominica in Albis. 664
Dominica Palmarum, vide Oſanna
Dominicus dies ad conſecrationem Epiſcopalem à Patribus inſtitutus. 671
Domnolus Virdun. Ep. 85
Domitianus Tungrenſis Ep. 334
Domitius Modeſtus Præf. vrbi. 13
Dongiaci caſtrum. 293
Dongio caſtelli. 287
Donziaci ſeu Donzei Baro. 509. 515. 518
Dormientium vicus. 650
Dordonia fluuius. 712
Dracolenus Clericus. 710. 714
Draguiniacum. 354
Droco, ſiue Drocus, vide Drogo
Droctoaldus Antiſſiod. Ep. 419
Drogo Metenſis Ep. filius Caroli-Magni. 119. 120. 293. 345. 731. 735

Drogo Conſtabularius. 484
Drogo, ſeu Drocus Dux Campaniæ filius Pipini Heriſtallii. 331
Drogo de Melloto. 494
Drogo de Melloto Dominus ſancti Priſci. 579
Drogo Taruanenſis vltra 60. annos Epiſcopus 203. 204
Drogo Tullenſis Ep. 124
Ducatus Franciæ datus Hugoni Magno. 129
Dudo Paderboroenſis Ep. 130
Dudo Præpoſitus. 173
Dulcia Comitiſſa Prouinciæ. 353
Dulciſſimus Agennenſis Ep. 693
Dunelmenſe Cœnobium. 602
Duræ ſeu Duria villa. 339
Durannus ſeu Durandus Claromontenſis Ep. ex Abbate Caſæ-Dei. 197. 240
Durannus ſeu Durandus Leodienſis Ep. 181. 357
Durannus Selebienſis Abbas. 610. 612
Durandus S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 340
Durbonis Cartuſia. 639
Durancia ſeu Druentia fl. 699
Duſmenſis pagus. 270
Dyrrachium. 479
Dyſentericus morbus. 95

E

EAdgarus Eadmundi filius Rex Anglorum. 323
Eadgiua Regina. 126
Eadmundus filius Elfredi Regis Angliæ. 323
S. Eadmundus Martyr. 323
Eadredus frater Etbelſtani Regis. 323
Eaduuicus Rex Anglorum. 322
Eanbaldus Eboracenſis Ep. 713
Eardulfus Anglorum Rex. 382
Ebalus Pictauenſis Comes & Dux. 204. 325. 365
Ebalus Catalaunenſis Ep. 296
Ebargehenus Engolismenſis Ep. 707
Ebbanes Dux Theodorici Oſtrogothorum Regis. 66
Ebbo Remenſis Archiep. 219. 359. 362
Ebbo Dolenſis Dominus. 124. 595
Ebbo II. Dolenſis Dominus. 316
Ebbo III. Dolenſis Dominus. 317
Ebbo ſenior Dolenſis Dominus. 315
Ebbo filius Odonis ſenioris Dolenſis. 315. 316
Eberrudis ſeu Tetta Abbatiſſa. 684
Ebbo, ſiue Eblus aut Ebalus Engoliſmenſis Ep. 325
Ebraca ciuitas. 601
Eboracum eiuſque ciuitatis Archiepiſcopi. 322. 323
Eboregiſlus Tungrenſis Ep. 335
Ebredunenſis ciuitas. 357
Ebroinus Maiordomus. 102. 103. 115
Eburneæ tabulæ. 270
Eccleſiæ S. Petri apud Romam. 118
Ecbertus ſiue Egbertus Rex Anglorum. 313
Ecbertus Turinenſis Archiep. 671
Edeltrudis Regina. 730
Edeſſa ciuitas. 397
Edoardus vide Eduardus.
Eduæ ſepulta Brunichildis. 101
Eduenſe, vide Auguſtodunenſe Concilium.
Eduardus I. Rex Angliæ. 383. 378. 379. 660.
Eduardus II. Rex Angliæ. 381. 384. 385. 660.
Eduardus III. Rex Angliæ. 126. 194. 385. 386, 387. 390
Eduardus Vvalliæ Princeps & Dux Cornubiæ. 280. 343
Ega cuſtos palatij Regij. 105
Egil, ſiue Eggil, Eygil, aut Eygilus Archiep. Senonenſis Monachus Prumienſis & Flaniniacenſis Abbas. 221. 271. 275
Eginoldus, vide Einoldus.
Einoldus primus Gorziæ Abbas. 740. 748. 749. 750. 752. 754. 756. 759. 765. 766
Eladius, ſiue Helladius Autiſſiodorenſis Ep. 413
Elauer fluuius. 393
Eleemoſynæ zelus in Vvillelmo Abbate Diuionenſi. 185
Eleonora vxor Henrici III. Regis Anglorum. 353
Eleutherius Antiſſiod. Ep. 419
S. Eligius Noniomenſis Ep 330. 636. 700. 707
Elinandus ſiue Helinandus Landunenſis Ep. 203. 204
Eliſabeth Comitiſſa combuſta. 275. 350
Ella in Regem ſubſtitutos Anglorum. 323
Elna fluuius inter Normanniam & pagum Ambianenſium. 723
Elna fluuiolus. 133
Elpidius Lugdunenſis Diaconus. 695
Emeno Turpionis frater Engoliſmæ Comes. 292. 354
Emere manu ad manum. 246
S. Emerentiana collactanea ſanctæ Agnetis. 633
Emma vxor Radulfi Regis Francorum. 115. 127. 445
Emma Lotharii Italiæ Regis ex Adelaide filia vxor Lotharii Regis Francorum. 157
Emma filia Guidonis Domini de Laual. 661
Emmo Monachus curam hoſpitum gerens. 684
Engilbertus Colonienſis Arch. 406
Engilenheimenſis Synodus. 130
Entheca memoriæ. 668
Epiphania vrbs Syriæ. 666
Epiſcopalis dignitas per 83. annos in Gallis conculcata. 109
Epiſcopatus noui à Ioanne XXII. Papa creati cum Archiepiſcopatu Toloſano. 384
Epiſcopi Galli aliquot Hadriano II. Papæ reſpondent. 121
Epiſcopatus dati laicis à Carolo Martello. 107
Epiſtolæ Gregorij VII. Papæ. 197. 198. 201. 204. 205. 206. 210. 215. 216. 217. 218. 219 220. 221. 222. 225. 228. 250
Epiſtola Nicolai II. Papæ. 195
Epiſtola Vvillelmi Diuionenſis Abbatis. 175
Epitaphia Bernardi de Soliaco. 457. Petri de Bellapertica. 509. Roberti Autiſſiod. Epiſcoporum. 456. & aliorum variis locis reperies.
Epponiacus. 415. 536. vide Appogniacum.
Era prima, vel vt alii ſcribunt Æra. 7
Erardus de Liſigniis ex Ep. Autiſſiodorenſi Cardinalis Ep. Præneſtinus à pag. 504. vſque ad 507
Erbetſtein. 294

Erchem-

Erchembaldus ſeu Archembaldus de Borbonio. 318
Erchenoaldus Maiordomus. 102
Erchenraus Catalaunenſis Ep. 531. 565
Ericus Namurcenſis Comes. 406
Erimbertus Archidiaconus. 260
Eriſpotus. 324. vide Heriſpoius.
Ermanus Abbas. 336
Ermanus Vezeliacenſis Abbas. 395
S. Ermelandus Abbas. 285
Ermemburga Hecfredi conjux. 322
Ermemirus. 804
Ermenfridus Francus. 103
Ermenfridus. 184
Ermenfridus Virdunenſis Ep. 99. 101
Ermenfridus Virdunenſis Canonicus. 173
Ermengardis Comitiſſa Tornodorenſis vxor Guillelmi I. Niuernenſis Comitis. 454
Ermengardis vxor Rodulfi Ignaui Burgundiæ Regis. 134
Ermengardis Britanniæ Comitiſſa. 350
Ermengardis Comitiſſa. 277
Ermenoldus primus Comes pagi Autiſſiodorenſis. 431
Ermenoldus Brito mentis peruerſæ cum diabololoquens. 184
Ermenricus S. Vitoni Abbas. 259
Ermentio fluuius. 571. vide Armentio.
Ermentrudilla. 368
Ermenus Lemouicenſis Ep. 631
S. Erminus Ep. & Abbas. 335
Ernſius de Burum Eboracenſis Vicecomes. 603
Eroigius Archidiaconus. 314
Eſopus puer. 553
Eſtrepacium. 486
Ethelboldus Eboracenſis Archiep. 325
B. Etheldrita Hecfridi coniux. 322
Eua Comitiſſa. 767
Euariſtus Papa. 801
Euantius Virdunenſis Ep. 83
Euboricus Mironis filius. 73
Eucharius Treuirenſis Archiep. 77
Eucherius Aurelianenſis Ep. 108
Eucherij Epiſcopi Epiſtula de locis Sanctis. 665
Eudo Aquitaniæ Dux. 331. 419
Eudo Britanniæ Comes. 279
Eudo Gaufridi Comitis Britanniæ filius. 348. 350
Eudo Vezeliacenſis Abbas. 394
Eucrardus Franciæ Dux. 788
Eugenius Papa. 119
Eugenius II. Papa. 730
Eugenius III. Papa. 278. 295 297
Eugenius tyrannus. 14
Eulalius Antipapa. 414
S. Eulalia Martyr. 65
Eumenus Dolenſis Abbas. 315
S. Euodius Rotomag. Archiep. 365. 426
S. Euodii corpus. 328
S. Euphronius ſiue Eufronius Turonenſis Arch. 94. 335
Eurardus de Leron Dolenſis Abbas. 318
Eurardus de Nozerolis Dolenſis Abbas. 313
Eurardus Leodienſis Ep 336
Eurardus Vezeliacenſis Abbas. 395
Eurardus de Caſtro nouo miles hæreticus. 477
Euricus, ſiue Eoricus Gothorum Rex. 66
Euruinus. 183
Euſebius cognomento Bruno Andegauenſis Ep. 102. 276. 282. 287. 288
Euſebius Caturcenſis Ep. 701
Euſebius Hieroſolymitanus Patriarcha. 112
Euſebius Rotomagenſis Archiep. 634
Euſebius Vercellenſium Ep. & Martyr. 427. 539
S. Euſpicius Presbyter. 87. 88
Euſtachius de Rotomago Ep. Conſtantienſis. 380
Euſtochius Turonenſis Archiep. 334
Euſtochius Monachus decapitatus. 373
Euſtorgius Lemouicenſis Ep. 634
Euahonicum Monaſterium Diœceſis Lemouicenſis. 635
S. Euurtius Aurelianenſis Ep. 413. 654
Exandonium territorium. 632
Excambium. 369
Excommunicatio Henrici IV. Imp. 223
Excubiatum Cartuſia. 639

F

FAbius Placiades Fulgentius. 668
Factergium. 414
Faentia, Diœceſis Forojulienſis. 354
Falco parricida. 200
Falcones. 550
Faleſia vrbs. 277
Fames & peſtis horrenda. 283. & pluribus aliis locis. 183
Farabertus Tungrenſis Ep. 130. 396
Faramundus Francorum Rex. 85. vide Pharamundus.
Faſti Idatiani. 3
S. Fauſta Virgo & Martyr. 635
Fauſtinus ſeu Fauſtus Inſulanus Presbyter. 665
Federicus, vide Fridericus.
Federicus Morellus Regiorum Pariſiis Profeſſorum Decanus. 526
Felecam Princeps Normannorum. 350
S. Felicianus Martyr. 632
S. Felicitas Martyr. 632
S. Felicis Metenſis Cœnobium & Abbas. 159. 238
S. Felix Metenſis Ep. 682
Felix mons caſtrum Franciæ. 639
Ferrandus Alfonſi Aragoniæ Regis filius Monachus in Cœnobio Populeti. 353
Ferrandus Comes Flandriæ 317. 327. 372. 373. 406
Ferrariæ. 463
S Ferreola. 633
S. Ferreolus Lemouicenſis Ep. 632
Ferreolus vir illuſtris. 692
S. Ferreoli Baſilica 269
Ferricus Caſſineti Autiſſiodorenſis Ep. 517
Feruſculæ pennatæ. 424
Feſtus Princeps. 688. 689
S. Fides Agennenſis Virgo Martyr. 632. 633
S. Fidei Lungeuillæ conſtructio. 326
Fimes ſeu Fines. 328
Finanus Lindisfarnenſis Ep. 322
Finarium oppidum Diœceſis Saonenſis. 353
Fingenius Scotus S. Vitoni Virdunenſis Abbas.

159. 162. 163.
Fingenius nyrbernus S. Symphoriani Metenſis Abbas. 678
S. Firmini feſtum. 373
Firminus Virdunenſis Ep. 87. 163
Fiſcanenſe Cœnobium. 184
Fiſcanenſes Abbates ordine quemque ſuo reperies Lector pag. 328. & 329.
Fiſſa ſeu Fixa. 276, 282
Flandrenſis Comes. 510
Flanona inſula. 12
Flauiniacenſis Cœnobii conſtructio. 85
Flauiniacenſis Eccleſia conſecrata à Ioanne Papa VIII. & 18. Epiſcopis. 122
Flauiniacenſis Eccleſiæ deſolatio. 241
Flauiniacum captum à Normannis. 113
Flauiniacenſis Abbatis prima vox eſt in electione Eduenſis Ep. 243
Flauiniacum cella Monaſterii S. Vitoni Virdunenſis. 264
S. Flanius Rotomagenſis Archiep. 365
Flocoaldus Autiſſiod. Ep. 419
Flodoardus eiúſque Chronicon. 285. 286, 362. 364
Flonicon. 407
Floreſſia. 406
Florenges caſtrum. 347
S. Florentini in caſtro Monaſterium. 373
S Florentii Monaſterium. 292. 324
Florentius Seneſcallus Caſtri Radulphi. 321
Floriacenſe Cœnobium. 394
Florinæ. 337
Flos miſſus ab Alexandro III. papa ad Ludouicum iuniorem Regem Franciæ. 368
Foagium. 373
S. Foillanus. 335
S. Foillani templum. 406
Follus, ſeu inſipiens Carolus. 285
Fontanellenſe Monaſterium ſeu S. Vvandregiſili. 351. 788
Fontanetum ſeu Fontanidum. 120. 280. 735
Fonteius Paganus 568
Fontis Ebraldi Monaſterium. 277
Fontis humidi Monaſterium. 458
Fons B. Mariæ Rotomagi. 379
Fons ſanguinis olidi & putentis in Anglia. 262
Foratenſis ſeu Forenſis Comes. 400
Foratici decima. 133
Forcalquerium Ciſtaricenſis Diœceſis. 343. 353. 358
Foreſtanoua in Anglia. 367
Formoſus Papa. 122. 123. 124
Fornouum Diœceſis Parmenſis. 357
Forteriria. 485
S. Fortunata. 632
Fortunati Pictauenſis Ep. verſus. 97. 98
Forum vetus ſeu veneris Lugduni corruit. 120. 293. 394
Foſſenſis vrbs. 406. 407
Fraga. 310
Frambertus Dolenſis Abbas. 315
Franciſcus à Dintauilla Autiſſiod. Epiſc. 517. 518. 519. ex Ciſtarienſi.
Franciſcus à Dintauilla II. ex Regienſi Ep. Autiſſiodorenſis. 519. 520. 521
Franciſcus Turnonius Cardinalis. 522
Franci in Galliis victi à Conſtante, 12
Francorum Regum breuis Chronica à Faramundo ad annum 853. pag. 330. 331. 332
Franco Metenſis Ep. ex Abbate S. Vincentii. 346
Franco Rotomagenſis Ep. 285. 365. 366
Franco Epiſcopus. 336
Frantanes Rex Sueuorum. 73
Fraſindus villa. 201
Fraternus Autiſſiodorenſis Ep. 417. 532. 565. 566
Febrandus Abbas. 713
Freda corporis S. Germani ſuperpoſita. 425
Fredeburgis Religioſa. 745. 750
Fredegundis Regina. 94. 330
Fredericus, vide Fridericus.
Fremodo S. Vitoni Abbas. 117
Fredolus S. Victoris Maſſilienſis Abbas dein Ep. Foroiulienſis. 340
Freſonna. 337
Fridericus I Imp. 353. 295
Fridericus II. Imp. 318. 342. 372. 377
Fridericus Auſtrius Imperator. 384
Fridericus Gothorum Rex. 65
Fridericus Colonienſis Archiep. 338. 339
Fridericus Catalaunenſis Ep. 39
Fridericus Leodienſis Ep. 359
Fridericus Metenſis Ep. 346
Fridericus Moguntiæ Archiep. 229. 130
Fridericus Comes de Althenai. 406
Fridericus Comes filius Godefridi Ducis de imperiali ſanguine procreatus vir verè humilis Monachus S. Vitoni. 161. 162. 163. & ſeq.
Fridericus patruus Adalberonis I. Metenſis Ep. & Præpoſitus Mon. Gorziæ. 755. 760. 766
Fridericus Bauariæ Dux. 403
Fridericus frater Godefridi Ducis, vide Stephanus IX Papa.
Fridericus Lotharienſium Dux. 670
Fridigernus. 62
Frodo Clericus Autiſſiod. 456
Frodoinus primus Archiep. 804
Fromardus Vindocinenſis Abbas. 289
Frotarius Burdegalenſis Archiep. 122. 434.
Froterius Nemauſenſis Ep. 797
Fructuarienſe Cœnobium. 183
Fructuarienſis Abbas. 351
Frumarius Sueuorum Rex. 73
N. de Freauuilla Card. S. Euſebii S. R. E. Legatus. 384
Fucaldus Clericus. 564
Fugitiuorum bellum. 7
Fulbertus Cameracenſis Ep. 126. 128. 130. 131. 134
Fulbertus Carnotenſis Ep. 175. 275. 287. 315
Fulcaldus Engoliſmenſis Ep. 323
Fulcherius Flauiniacenſis Abbas. 128
Fulco Ambianenſis Ep. 203. 204
Fulco Antipolitanus Ep. 341
Fulco Comes de Arlonis. 204
Fulco Carcaſſonenſis Ep. 334
Fulco Sueſſionenſis Ep. 272
Fulco Remenſis Archiep. 359. 362. 363
Fulco Bonus Comes Andegauenſis. 350
Fulco Rufus Comes Andegauenſis. 275. 286
Fulco Netra dictus etiam Hieroſolymitanus Comes Andegauenſis. 186. 275. 276. 286. 287. 350. 661
Fulco Rechin, ſeu Richinus Comes Andega-

uenſis. 159. 276. 277. 281. 282. 289. 396.
Fulco Rechini filius Comes Andegauenſis & Rex Hieroſolymitanus. 277. 282
Fulco Anſerulus Vindocini Comes. 288
Fulda, ſeu Fuldenſe Monaſterium. 131. 759
Fulgeriæ. 279
Fulmarus Colonienſis Archiep. 336
Fulradus Pipini Regis Capellanus. 104
Furſacum. 634
Fuſtaneum. 646

G

GAalanæ curtis. 117
Gaalot fons Rothomagi. 370
Gabaræ. 423
S. Gabriëlis donatio. 326
Gachiliſſinda Regina. 94
Gaguinus Flauiniacenſis Abbas. 270
Gaguinus, vide Robertus Gaguinus.
Gaiacum Monaſterium in pago Vaſtinenſi. 535
Gajamarus Diaconus. 771
Galearum ſcolium. 343
Gallardi caſtrum ſuper Sequanam. 386
Gallenſes ſeu Vallenſes. 279
Gallicanæ Eccleſiæ vſus. 257. 258
S. Gallus II Aruernenſis Ep. 707
Galcherus, ſeu Galterus Cabillonenſis Ep. 241. 244. 254. 257. 258. 261. 642. 643. 644.
Galcherus de Pinguiaco. 495
Galcherius Vezeliacenſis Abbas. 398
Galterius Lingonenſis Epiſ. Hugonis Ducis Burgundiæ filius. 295
Galterus à Dintauilla Regius Oeconomus ſeu Regij Hoſpitij Magiſter Poliacei Dominus. 517. 518. 519
Galterus Gerardi S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 582. 574
Galterus Niuernenſis Ep. 483
Galtherus Senonenſis Archiep. 285. 286
Galtherus Stirpenſis Abbas. 631
Gaudenſis S. Petri Abbatia. 369
Garactum. 634
Garichtannus Abbas. 684
Garganus mons S. Michaëlis. 348. 747
Garinus Arelatenſis Archiep. ex Abbate S. Victoris Maſſiliacenſis. 340
Garinus S. Vincentij Metenſis Abbas. 347
Garmundus Viennenſis Archiep. & Abbas Dolenſis. 203. 204
Garnerius Comes. 395
Garnerus ſeu Vvarnerius S. Petri Catalaunenſis Abbas. 296
Garnerius Trecenſis Ep. 580
Garſenda neptis Comitis Forcalquerij. 353
Gartimpa ſeu Vvartimpa fl. 634
Gaucelinus Cardin. Legatus. 384
Gaucelinus Sancti Victoris Maſſilienſis Abbas. 340
Gauclinus Tullenſis Ep. 224
Gaucerannus Athanacenſis Abbas 642
Gaucherus ſeu Galcherus S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 589. 590. 591. 592
S. Gaudentius Ep. 633
Gaudentius Comes. 14
Gauderannus Abbas. 269
Gaufridus, vide Goffridus aut Godefridus.
Gaufridus S. Albini Abbas. 280. 282
Gaufridus Andegauenſis Epiſc. ex Decano S. Martini Turonenſis. 276. 280. 282. 283. 288
Gaufridus Autiſ. Ep. 293
Gaofridus Bajocenſis Epiſc. 176
Gaofridus Cabillonenſis Ep. 272
Gaufridus Carnotenſis Ep. 465
Gaufridus Catalaunenſis Ep. 297
Gaufridus de Ceris Dolenſis Abbas. 318
Gaufridus Eboracenſis Abbas. 608
Gaufridus de Maſſilia Biterrenſis Ep. 341
Gaufridus S. Michaëlis Abbas. 349
Gaufridus Pariſienſis Ep. 204
Gaufridus Rotomagenſis Archiep. 326. 367
Gaufridus Vezeliacenſis Abbas. 396 398
Gaufridus Grizagonella Comes Andegauenſis. 275. 286. 350
Gaofridus Martellus I. Comes Andeg. 275. 276. 286. 350
Gaufridus Barbatus Fulconis Rechini frater, 276. 287. 289
Gaufridus Martellus iunior. 281. 282. 283. 289
Gaufridus Fulconis Regis filius Comes Andegauenſis & Dux Normanniæ. 277. 278. 289. 349. 368
Gaufridus filius Gaufredi Ducis Normanniæ & Henrici Regis frater. 277. 278.
Gaufridus Henrici Regis filius & Britanniæ Comes ſiue Dux. 279. 280. 369
Gaufridus filius Conani Dux ſeu Comes Britanniæ. 348. 350
Gaufridus Nanetenſis Comes. 278
Gaofridus de Anho. 638
Gaufridus Bituricenſis Vicecomes. 315
Gaufridus Dominiacenſis. 573
Gaufridus Donziacenſis. 457. 578
Gaofridus filius Odonis fratris Heruei Donziaci Domini. 574
Gaufridus Exoldunenſis Dominus. 316
Gaufridus de Meſnillo. 371
Gaufridus de Pruliaco. 288
Gaufridus Roſtagni. 344
Gauſarius Præpoſitus Flauiniacenſis. 792
Gauſlenus, vide Gauzlinus.
Gaoterius, vide Galterius, ſeu Galtherius.
Gauterius Aurelianenſis Ep. 436
Gauzlinus Matiſconenſis Ep. 271.
Gauterius Senonenſis Archiep. 436. 437. 439
Gayroinus ſeu Gaytonius ſucceſſor Vvidradi in Flauiniacenſi Abbatia. 103. 104. 116. 269. 791
Gauzbertus Cenomanenſis Comes. 292. 324
Gauterius Cluniacenſis Monachus. 650
Gauzlinus Tullenſis Ep. 748. 754
Gebarmodus Gilimeris frater, 72
Gebehardi Salzburgenſis Archiep. Epiſtola ad Herimannum Metenſem Ep. 226. 227
Gebuinus Catalaunenſis Ep. 134. 158
Gebuinus ex Lingonenſi Archidiacono Lugdunenſis Archiep. 199. 200. 201. 205. 227
Geemon. 665
Geiſa ſeu Geliſa Monialis. 745. 750
Gelduinus Comes pater Hugonis Ep. Lingonenſis. 190
Gelduinus Senonenſis Archiep. 451
Gellonenſe Monaſterium. 801
Gemellum. 633

Iiiii ij

S. Gemma. 613
gemmeliacenſe Cœnobium. 398
Gemmeticenſis Abbas. 240
Gemmeticenſis eremus. 788
genesius Abbas Archicapellanus Clodouei II. Regis & Archiep. Lugdunenſis. 102
S. Genoueſæ Pariſienſis reliquiarum proceſſio. 662. 663
genſericus Vvandalorum Rex. 71
Geoſtredus Flauiniacenſis Cœnobii Prælatus. 271
S. Georgio dicatum Monaſterium Colchas. 272
Georgius de Ambaſia Archiep. Rotomagenſis & Cardinalis. 317
Georgius, de Ambaſſa Archiep. Rotom. & Abbas Dolenſis. 319
S. Georgii de Blanqueuilla ſeu Boqueruilla Cœnobium. 329. 379
georgius Lauſdunenſis. 285
S. georgii de Olerone Cœnobium. 290
geranuus Autiſſiodorenſis Ep. 438. 439, 445
S. geraldi Aureliauenſe Cœnobium. 157
Geraldus Eboracenſis Archiep. 323
Geraldus Dolenſis Abbas. 316. 321
Geraldus Lemouicenſis Ep. 314
geraldus ſeu geraudus Comes. 186
geraldus Cametacenſis Ep. 169. 198
gerardus primus Prior de Caritate. 396
gerardus de Dniſmo. 242
gerardus Lingonenſis Ep. 294. 792
gerardus de Parma Cardinalis. 382
gerardus de Spinolio Dolenſis Abbas. 317
gerardus S. Vincentii Metenſis & S. Symphoriani Abbas. 347
gerardus ex Virdunenſi Archidiacono Monachus S. Vitoni. 239
Gerardus de Roſſilione Comes. 394
gerardus Comes & Dux. 121
gerbaldus Engoliſmenſis Ep. 314
Gerberga Regina Franciæ. 133. 674
Gerbertus ex Archiep. Remenſi & Rauennatenſi Romanus Pontifex. 157. 258. 360. 362, 447. vide Silueſter II. Papa.
Gerberti tumba. 395
Gerebertus Virdunenſis Ep. 102. 103
gerinus frater S. Laodegarii. 103
Germanilla mater S. germani Autiſſiodot. Ep. 414. 415. 536
S. Germanus Autiſſiod. Ep 84. 334. 414. 415. 416. 417. eius Eccleſia & miracula pag. 531. & ſequentibus.
S Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 256
S. germanus Pariſienſis Ep. 95. 333
germanus Rotomagenſis Ep. 363
S. germanus de Rota Epiſcopus & Martyr à pag. 716. ad 723
Germanus Selebienſis Abbas. 620. 621
gerofredus Defenſor. 269
Gerſendis Henrici Ducis Burgundiæ vxor Hugonis Epiſcopi Autiſſiodorenſis ſoror. 449. 371
S. Gertrudis. 313
gerunda. 339
Gerundus Valentinenſis Ep. 648
Getuaſius Autiſſiodorenſis Ep. 461
geruaſius S. germani Autiſſidorenſis Abbas. 576. 577
Geruaſius de Caſtro Lidi ex Cenomanenſi Ep. Remenſis Archiep. 360
Geſalicus Gothorum Rex. 66
Geſſericus, vide genſericus.
Getæ qui & Gothi. 70
geylo ex Abbate Flauiniacenſi Ep. Lingonenſis Vvidonem Regem conſtituit. 122. 123
giacum villa. 478
Gibelinus Arelatenſis Archiep. 206
Gibuinus, vide gebuinus
Gichardus, vide Guithardus aut guichardus.
Giemum ſeu Giemus. 411. 418. 468. 474. 510 315.
Giſredus ſiue Viſredus Archiep. Narbonenſis 797
Gilbertus vide Giſlebertus.
Gilbertus Prouinciæ Comes Tiburgiæ maritus. 353
Gilbertus Berengarii & Petronillæ filius Prouinciæ Comes. 353
gilbertus Ebroicenſis Ep. 367
Gilbertus le Comte Canonicus Autioſſiodorenſis. 326
Gilebertus Barcinonenſis Ep. 797
S. Gildardus Rotomagenſis Archiep. 365
S. Gildas, 349
Gildo Tyrannus occiſus. 54
Gilebertus Selebienſis Abbas. 614. 626
Gilemer Rex Vandalorum. 72
Gimeninarius Archiep. Ebredunenſis. 797
Giraldus de Monaſterio. 288
Giraldus Moral Dolenſis Abbas. 317
Giraldus Oſtienſis Ep. 194. 195. 289
Giraldus Siluæ Maioris Abbas. 240
giraldus S. Albini Abbas. 276. 325
Girardus Colticeuſis Prior Flauiniacenſis Abbatiæ inuaſor. 262
Girardus Eboracenſis Archiepiſcopatu donatus à Rege Angliæ Vvillelmo Rufo. 263. 606
girardus S. Euodii Branenſis Abbas. 328
Girardus Flauiniacenſis Prior. 234
girardus S. Germani Pariſienſis Abbas. 458
girardus de Narbona. 465
Girardus Sinemurenſis. 272
Girardus Vezeliacenſis Abbas. 397. 469
Girardus Vindocinenſis Abbas. 290
gilbertus Dolenſis Abbas. 316
girfredi Monachi purgatio. 271. 295
Giſlebertus ſeu gilbertus Burgundiæ Dux. 127
Giſlebertus ſeu Gilbertus Lotharingiæ Dux. 124. 128. 766. 768
Giſla ſeu Giſila filia Pipini. 193
Giſla filia Caroli Simplicis. 365
giſla filia Conradi & Mathildis vxor Conradi Imperatoris. 154. 157. 174. 185
Giſla Comitiſſa Melgorienſis. 494
Giſloardus Viennenſis Ep. 101
Giſulfus Salernitanus Princeps. 230. à 31. 233
Giſortium ſeu gizortium. 327. 397
Glaber Rodulfus. 158
Glanderium. 635
glenno piſcina. 103. 270
S. Glodeſindis Virgo à pag. 724 ad 740
gloſſarium ſuper libris Codicis. 309
S. Goar Preſbyter. 636. 637
godezo. 265

Godila mater S. Glodeſindis. 724
S. Godious cum ſociis. 635
S. Godo frater S. Guërici Ep. Metenſis. 681
Godo nepos S. Vvandregiſili. 788
Godo Tulleoſis Ep. 106
Godomarus Rex Burgundiæ. 89
Godrados S. Benigni Abbas. 657
Godefridus Comes. 133. vide Gofridus, aut Gaufridus.
Godefridus Comes pater Adalberonis Ep. Virdunenſis, Godefridi, Gozelonis, &c. 158. 161. 167
Godefridus Dux filius Comitis Godefridi. 161. 165. 168
Godefridus Dux filius Gozelonis, accepta vxore Bonifacii factus Marchio. 158. 159 185. 190. 337
Godefridus filius nothus Hezeloois. 161. 167
Godefridus Barbarus Dux Lotharingiæ, 345
Godefridos Dux Lotharingiæ & Rex Hieroſolymitanos. 337. 338
Godefridus Liogonenſis Ep. 195
Godeſridus Louanienſis Dux & Comes. 338. 339
Godefridus Gibboſus. 338
S. Goericus Metenſis Ep. 673. 682
Goericus Rex Aquitaniæ. 100
Gosfredus, ſeu Gaufridus Vindocinenſis Abbas. 288 289
Goffredus ſeo Goffridus Martellus filius Fulconis Nerræ Andegau. Comes. 287. 665. vide Gotfredos Tudes.
Gosfredus ſeu Gofridus II. Martellus Comes Andegaoenſis. 396
Goffridus ſeu Gaufridos Autiſſiodoreoſis Ep. 405. 452. 453. 454. 574
Goffridus Carnoteuſis Ep. Apoſtolicæ ſedis Legatus. 650
Gofridus Moliſmenſis Abbas. 641. 642
Gofridus Vindocinenſis Comes. 289
Gofridus II. Vindoeiuenſis Abbas. 291
Golgatha mons. 665
S. Gonſaldus. 635
Gontherus ſeu Guntherus Colonienſis Archi. 736
Gotherius Agathenſis Ep. 797
Gornacenſes Canonici. 375
Gorzia Monaſterium. 110. 739. 750. 751. 755. 765
Goſlenus ſiue Gauzlenus Sinemurenſis. 244
Goſlenus Tullenſis Ep. 129. 130
Gotbertus Virduni claues tradit Regi Clotario. 158
Gotheſtedus Ep. Magalouenſis. 796. 799
Gotfiedus ſeu Gothifredus Burdegaleoſis Archiep. 314
Gothfredus Tudes filius Fulconis Com. Aodegau. 186
Gothia. 115
Gothelo Dux 337. vide Gozelo.
Gothorum origo & geſta. 61. laus. 70. Gothicæ literæ. 61. pulſi ab Hunnis recepti à Romanis rebellant. 13. ſuperati à Claudio Imp. 10. 62. à Conſtantino. 12
Gotfirus Flauiniacenſis Abbas. 122. 791
Gozelinus Baiocenſis Monachus Diuionenſis. 177
Gozelinus nobilis vir. 182
Gozelinus ſeo Gozilinus frater Adalberonis I. Metenſis Epiſcopi. 767
Gozelo Dux Lotharingiæ & Primæ Rætiæ filius Godeſridi Comitis. 161. 185
Gozlare ſeo Goxlaria. 192
Gozſerus. vide Gotſirus.
Granatæ Rex. 388
Grandimontenſis Ordo. 634
Granetarius Eccleſiæ. 581
Grangia Lugdunenſis Diœceſis. 329
Graſſa vrbs. 354
Gratia Dei dictus Richardus Abbas S. Vitoni. 173 & ſeqq.
Gratianus Auguſtus. 12. 13. 14
Greothingi. 14
S. Gregorius I. Papa. 697. Eius Epiſtola ad Deſiderium Ep. Autiſſiodorenſem. 423
Gregorius III. Papa. 304
Gregorius IV. Papa. 119. 730
Gregorius VI. Papa 187
Gregorius VII. Papa. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 204. 205. 206. 212. 213. 214. 216. 217. 218. 210. 221 222. 224. 225. 227. 218. 219. 230. 232. 331. 318
Gregorius VIII. Papa. 297
Gregorius IX. Papa. 377
Gregorius X. Papa. 379
Gregorius XI. Papa. 507
S. Gregorios Turonenſis Archiepiſcopus. 335. 543. 631
Gregorius Autiſſiod. Ep. 418. 566
Gregorius S. Martini Auguſtodunenſis Abbas. 272
Gregorius Notarius Regionarius & Scriniarius S. R. E. 172
Gregorius filius Hezeloois oblatus Monaſterio S. Vitoni in annis puerilibus. 161 167
Grimbertus. 110
Grimo Diaconus nepos Dagoberti Regis Francorum. 101
Grimoaldus ſeu Grimoardus ſubregulus, id eſt Maior palatii Auſtraſiæ. 101. 335. 782
Grimoaldus Dux filius Pipini Heriſtalli. 102. 103. 331
Grimoardus Engoliſmenſis Ep. 325
Grimoaldus S. Vitoni Abbas. 194. 195. 215. 294
Grippo Rotomagenſis Archiep. 365
Grodegandus, vide Chrodegandus.
Guaiferus, vide Vvaiſerus.
Gualerannus ſeu Vvaleranous Camerarius. 655
Guslo Eduenſis Ep. 271
Gualo filios Aymonis Comitis. 722
Gualterus Magalonenſis Ep. 81
Guarinos familiaris Clericus Regis Philippi Auguſti vices Cancellarii agens. 370. 484
Guarmundus ex Dolenſi Abbate Archiepiſc. Viennenſis. 316
Guaſconia, vide Vaſconia.
Guaſtio de Piſciaco Conſtabularios. 655
Guayrenus ſiue Guerinus Martyr frater S. Leodegarii Ep. Auguſtod. 777
Guibertus Antipapa. 226. 227. 228. 231. 234. 235. 254. 256. 639
S. Guibertus fundator Gemblacenſis Cœnobii. 338
Guichardus Rotomagenſis Archiep. 366

Guibertus S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 460. 574. 573. 576
Guicbardus Vezeliacenſis Abbas. 398
Guido, vide Vvido.
Guido Autiſſiodorenſis Ep. 444. 445
Guido S. Germani Autiſſiodorenſix Abbas ſcripſit vitas prædeceſſorum ſuorum. 570. 586. 587. 588. 589
Guido Bellouacenſis Ep. 203
Guido de Borbonio Decanus Rotomagenſis. 379
Guido Buticularius. 484
Guido II. Catalaunenſis Ep. 297
Guido III. Catalaunenſis Ep. 597
Guido Cenomanenſis Comes. 284
Guido de Claromonte. 367
Guido Forenſis & Niuernenſis Comes. 398
Guido Lauallenſis Dominus. 661
Guido de Leron Lemouicenſis Ep. 634
Guido de Ioinuilla. 664
Guido Melgorienſis dominus. 794
Guido de Melloto ex Virdunenſi Ep. Autiſſiodorenſis. 497. 498. vſque ad 504. tum 508. 584
Guido de Merula Cantor Rotomagenſis. 378
Guido de Monteforti. 381
Guido Comes Niuernenſis. 293. 466. 467. 475. 578
Guido I. Pontiui Comes. 661
Guido II. Pontiui Comes. 661
Guido Senonenſis Archiep. 478. 480
Guido Vangioniſriui dominus. 658
Guido Vezeliacenſis Abbas. 395
Guido Burguodio cognatus Vvillelmi nothi Normanniæ Ducis. 348
Guido frater Gualeranni Camerarii. 655
Guido filius Simonis Comitis.
Guido de S. Romano Prior quintus Cartuſiæ maioris. 639. 640
Guibardus Nannetenſis Ep. 349
Guilbodus Autiſſiodorenſis Ep. 333
Guinildidus Rothomagenſis Archiep. 365
Guillebertus ſeu giſlebertus Rothomagenſis Archiep. 365
Guillelmus, vide infra Vvillelmus.
Guipertus, vide ouibertus, aut Vvipertus, ſeu Vvibertus. 730
Guilfilas, ſiue Vvlphila Gothorum Epiſcopus. 62
Gumbaldus Engoliſmenſis Ep. 325
Gundebadus Gundouei filius Rex Burgundiorum. 86. 693
Gundebaudus Dux. 95
Gundebaudus Rex Vandalorum. 71
Gundemarus Rex Vviſigothorum. 69
Gundericus Vandalorum Rex. 64. 71
Gundeſadus ſeu potius Gundobadus Rex Burgundionum. 66
Gundiocus Rex Burgundionum. 86
Gundulfus Metenſis Ep. 345
Gunnordis Normanniæ Comes. 366
Guitardus Valentinus Ep. 854
Gunterius S. Albini Andegauenſis Abbas. 575
Gunibarius Colonienſis Archiep. 336
Gunthimer Gilimeris Vandalorum Regis frater. 72
Guntramnus Rex Francorum. 94. 95. 100
Guntramnus Boſo. 95. 96
Gurgitenſes ſiue Gorzienſes. 670. 677
Guriutniosi. 635

H

HAbindenſe Monaſterium. 684
Hadiuiſa Comiſſa Britanniæ. 348
Hadrianus I. Papa. 111. 116. 118. 283
Hadrianus II. Papa. 120. 121. 584. eius Epiſtola ad Bertherinm Vieonenſem Archiep. 109
Hadrianus III. Papa. 122
Hadrianus IV. Papa. 278. 577
Hadrianus V. Papa. 379
Hadrianus Gouffier Card. de Boiſy Legatus Abbas Dolenſis. 319
Hadrianopolinicum bellum. 11
Haëntenſe Monaſterium. 635
Haduinus Senonenſis Archiep. 396
Hagano Auguſtod. Ep. 241. 242. 243. 272. 792
Hagano Præpoſitus Nouiomenſis. 364
Haimo. vide Haymo, aut Aymo.
Hainmarus Autiſſiod. Ep. 429. 430
Hairicus Cameracenſis Epiſ. 134
Haito Hiſpanus Ep. in Mathematicis Gerberti præceptor. 157
Haito Pulterienſis Abbas. 394
Haldefredus Notarius. 269
Halinardus Lugduni Archiep. 190. 194
Hamelinus S. Albini Abbas & Epiſcopus Redonenſis. 277
Hamelinus Vindocinenſis Abbas. 290. 291
Hamedeus Palarii Comes. 769
Hametoniæ Vicecomitatus. 604
Harcarius Ep. 376
Haraldus. 348. 366
Harchinefreda mater S Deſiderii Caturcenſis Epiſcopi. 699. Treseius ad filium epiſtolæ. 702
Harduinus ex Nouiomenſi Archidiacono Lingonenſis Ep. 294. 363
Harduinus Turonenſis Archiep. 273
Haroaldus & Haroldus. 101. 356
Haſbania. 360
Haſdeu Iudæus. 792
Haſtingus Normannorum Princeps. 348
Hatto Virdunenſis Ep. 120. 122. 163
Hattonis caſtrum. 120
Hauidis Comitiſſa Britanniæ. 350
Haymo Catalaunenſis Ep. 297
Haymo Eduenſis Ep. 859
Haymo, ſeu Haimo Virdunenſis Ep. 675
Hebraicæ veritatis libri. 310. 314
Hecfridus Rex Anglorum. 355
Hecgbertus Eboracenſis Archiep. 312. 313
Hector Maſſilienſis Patricius 94
Hemardus Abbas Cluniacenſis. 559. vide Ademarus.
Heymo Virdunenſis Ep. 158. 159. 163. 173. 174
Hela vxor Vvillelmi Taluacii. 661
Heldebertus S. Audoëni Abbas. 366
Heldricus Flauiniacenſis Abbas. 159. 571. 572. 792. ex Monacho Cluniacenſi.
Heldricus S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 447. 450. 571. 572

Helias Cenomanenſis Comes. 277. 281. 282. 283
Helias Engoliſmenſis Ep. 324
Helias Engoliſmæ Archidiaconus. 325
Helias frater Goffridi Ducis Normanniæ. 289
Helias Paganellus ex Priore Sanctæ Trinitatis Eboraci Selebienſis Abbas. 613. 620
Heliodori hiſtoria. 522
Helionora, vide Eleonora.
Helmoinus Auguſtodunenſis Ep. 271. 272. 573. 792
Hemath. 666
Henricus I. Rex Francorum. 158. 185. 186. 272. 276. 286. 287
Henricus I Rex Germaniæ ſiue Imperator. 124. 126. 127. 751. 752 768
Henricus II. Imper. Germaniæ. 159. 163. 173. 274. 292. 674
Henricus III. Imp. 134. 157. 174. 183. 186. 187. 190. 192 276. 287
Henricus IV. Imp. 192. 196. 198. 208. 209. 213. 214. 215. 217. 218. 219. 220. 223. 225. 226. 227. 218. 232. 237. 287. Sacramentum. 217. Epiſtola ad Gregorium VII. Papam. 209
Henricus V. Imperator.
Henricus VI. Imperator. 346
Henricus VII. Imper. ex Comite Lucelemburgico. 383. 384
Henricus I. Anglorum Rex. 263. 277. 290. 348. 349. 367. 368. 607
Henricus II Rex Angliæ Dux Normanniæ & Aquitaniæ Comes Audegauenſis. 277. 278. 279. 280 289 349 368.
Henricus iunior Rex Anglorum. 369
Henricus III. Rex Anglorum. 278. 279. 280. 373
Henricus de Alemannia filius Ricardi Germaniæ Regis 379
Henricus Hugonis Magni filius Dux Burgundiæ qui obiit apud Poliacum. 158. 395. 447. 449 571. 572.
Henricus Roberti Veteli Ducis Burgundiæ filius qui obiit ante patrem. 158 294
Henricus Rex Nauarræ & Campaniæ Comes. 659
Henricus I Campaniæ Comes. 369. 578
Henricus Barrenſis Comes. 347
Henricus Brabantiæ Dux. 406
Henricus Lemburgenſis Dux. 338
Henricus Luceburgenſis Comes. 406
Henricus Namucenſis Comes. 406
Henricus Palatinus Comes. 240
Henricus frater Othonis I. Imp. Dux Lotharingiæ. 128
Henricus Saxoniæ Dux. 326
Henricus de Villanoua Autiſſiodorenſis Ep. 434 49 496
Henricus Bajocenſis Ep. 366
Henricus Eboracenſis Archiep. 620
Henricus I Leodienſis Ep. 338
Henricus II Leodienſis Ep. 406
Henricus Cornuti ex electo Niuernenſi Senonenſis Archiepiſcopus. 584
Henricus Archiep. Senonenſis 461. 576. 577
Henricus frater Ludouici iuuenis Regis Francorum ex Monacho Ciſterrienſi Ep. Bellouacenſis ac deinde Archiep. Remenſis 361. 390
Henricus de Brana ſeu Drocenſis Archiep. Remenſis. 327. 328
Henricus de Pictauia Trecenſis Ep. 524
Henricus de Feneſtranges Treuirenſis Archiep. 347
Henricus Vvintonienſis Ep. 326. 327
Henricus Diuionenſis Abbas. 294
Henricus Prior B. Mariæ Magdalenæ. 379
Heraclianus abolitus. 15
Heraclius Imperator Græcorum. 704
Herardus Turonenſis Archiep. 284
Herbergagium. 579
Herbertus Catalaunenſis Ep. 297
Herbertus Viromanduorum ſeu Peronæ Comes. 125. 126. 129
Herbertus II. Viromanduorum Comes. 395
Herbertus Meldorum & Trecorum Comes. 158. 185. 447
Herbertus filius nothus Hugonis Magni, Autiſſiodorenſis Ep 292. 446 571
Herbertus II. Autiſſiodorenſis Ep 451
Hermannus III Colonienſis Archiep. 338
Herbertus Selebienſis Abbas. 609
Heribaldus Autiſſiodorenſis Ep Archicapellanus Palatii Regis 4. 2. 431. 559
Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus. 337. 675
Hericus, ſiue Herricus Theoſophus & Poëta Monachus S. Germani Autiſſiodorenſis. 434. 511
Heribertus S. Arnulfi Abbas ab Adelberone I. Metenſi Ep. conſtitutus. 758
Heribertus ſeu Herebertus, vide Herbertus.
Herifridus ſeu Herfridus Autiſſiodorenſis Ep. 435. 436. 437. 439
Herilandus Virdunenſis Ep. 119
Herimannus, vide Hermannus.
Herimbertus Autiſſiodor. Clericus. 436
Herio ſiue Herus inſula. 291. 292. 323. 324
Heriſpeius Rex Britonum. 284 292. 349. 548
Heriueus Remenſis Archiep. 124. 364
Heriueus, vide paulo infra Herueus.
Hermannus Germaniæ Rex 338
Hermannus Colonienſis Archiep. 124. 336
Hermannus II. Colonienſis Archiep. 337. 338
Hermannus Metenſis Ep. 224. 225. 226. 227. 232. 237. 38 239 345
Hermannia fluuius. 573
S. Hermelandus. 331
Herminigildus Gothorum Rex. 67. 95
Hermenricus Sueuorum Rex. 72
Hermogenes tractus. 12
Heroldus tyrannus 194
Herueus Andegauenſis Ep. 275. 186
Herueus Auguſtodunenſis Ep. 424. 427. 792
Herueus Niuernenſis Ep. 459. 576
Herueus Theſaurarius S. Martini Turon. 285
Herueus filius Rainaldi Comitis Arbatilicenſis. 291. 324
Herueus Donziaci ſeu Donzeij dominus. 467. 474. 477. 484. 488 489. 492. 493. 574
Hexoldunenſe Concilium. 792
Hezel Vvirzburgenſis Ep. 675
Hezelo ſiue Hermannus Comes filius Godefridi. 161. 166. 167
Hicinatii. 413. 414

Hieremias Senonenſis Archiep. 333. 432
Hiericho. 665
S Hieronymus. 666
Hieroſolyma vmbilicus Terræ-ſanctæ. 667. 396. 397
Hieroſolymitana via. 254.
Hieroſolymitanus Patriarcha. 178. 179
Higellus Comes, fortè Hoel. 276
S. Hilarion. 730
S. Hilarius Pictauenſis Ep. 630
Hilbodus Abbas. 323
Hildebaudus Tranſihenenſis Ep. 129
Hildebodus diſcipulus Remigij Autiſſiodorenſis Grammaticæ Profeſſor. 744
Hildeboldus Mimogartenſis Ep. 130
Hildebertus Rex, vide Childebertus,
Hildebertus ſiue Aldebertus Bituricenſis Archiep. 240
Hildebertus S. Michaëlis Abbas. 348
Hildegardia vxor Caroli-Magni. 283
Hildegardis Comitiſſa. 276. 287
Hildegarius Gurziacenſis. 242. 243
Hildericus Vandalorum Rex. 72
Hildericus Francorum Rex, vide Childericus.
Hildegarius Auguſtodunenſis Ep. 399
Hildiuuardus Halberſtatenſis Ep. 682
Hildinus de Alemania Virdunenſis Ep. 119. 120 165
Hildradus Comes. 168
Hilduinus Colonienſis Ep. 338
Hilduinus Lugdunenſis Archiep. 118
Hilduinus Tungrenſis Ep. 114
Hildulphus Colonienſis Archiep. 222
Hildulfus Rotomagenſis Archiep. 365
Himmiltrudia Abbatiſſa. 739. 740
Hincmarus Remenſis Archiep. 336. 359. 736
Hiſpalia. 71
Hiſpaniæ laus. 61
Hithardus Leodienſis Ep. 337
Hlotharius & Hludouicus, vide Clotharius, Clodoueus & Ludouicus.
Hoel Namneticus Comes. 281. 287
Honoratus Præfectus vrbis CP. 12
Honorius Nobiliſſimus puer tum Cæſar atque Imperator. 14. 15
Honorius I. Papa. 322
Honorius III. Papa. 393. 647. 648. 649
Honorius IV Papa. 381
Hoſpitalarij S. Ioannis Hieroſolymitani. 383
Hoſpitij Regij Conſiliarius Magiſter Requeſtarum. 510
Hoſtia Pariſiis à Iudæo multis ignominiis affecta & in bullientem aquam proiecta. 663. 664
Hoſtienſis Cardinalis in ſumma. 353
Huard. 337
Hubaldus ſiue Hucbaldus Monachus. 252
Hubaldi tyranni manſio. 723
Hubertus S. Albini Abbas. 275
Hubertus Andegauenſis Ep. 275. 276. 287
Hubertus Lugdunenſis Archiep.
S. Hubertus Tungrenſis Ep. eiuſque Monaſterium in Arduenna. 169. 335. 355
Hubertus Vindocinenſis Abbas. 289
Hubertus de Brienna. 271
Hucbaldus Orbacenſis Monachus. 327
Hucbaldus & Hucbertus, vide Hubaldus & Hubertus, aut Humbaldus & Humbertus.
Hucbertus Agaunenſis Abbas. 563
Hugbaldus & Hugbertus, vide ſupra.
Hugo Albus & Abbas, vide Hugo Magnus.
Hugo Capito ſiue Capetus Rex Francorum. 134. 157. 158. 275. 286. 395
Hugo Rex Francorum filius Roberti Regis ante patrem mortuus. 186. 292. 396
Hugo Magnus ſiue Albus & Abbas pater Hugonis Capeti. 124. 125. 126. 127. 131. 234. 247. 286. 446
Hugo Abbas filius Conradi I. & Adheleidæ. 285. 558
Hugo Magnus Viromanduorum Comes frater Philippi I. Regis. 294. 396
Hugo Bertæ filius Rex Viennenſis & Italiæ. 125. 126. 127. 128. 129
Hugo Niger dictus etiam Capito Dux inferioris Burgundiæ. 124. 125. 127. 131
Hugo Dux Burgundiæ poſtea Monachus, filius Henrici, qui ante Robertum Vetulum patrem ſuum obierat. 158. 293. 294
Hugo II. Dux Burgundiæ. 394
Hugo Pacificus Dux Burgundiæ. 204
Hugo Dux Burgundiæ. 199. 200. 295. 576
Hugo filius Rainaldi Burgundiæ Comitis & Iudithæ. 270
Hugo de Bauceio. 341
Hugo de Brienna. 271
Hugo de Caſtello. 367
Hugo Dapifer. 655
Hugo Eboracenſis Vicecomes. 602
Hugo Frangens lupum. 576
Hugo Ganzfridi Maſſilienſis Vicecomes. 340. 341
Hugo Comes de Marchia. 318
Hugo de Meduana. 282
Hugo de Monteforti. 367
Hugo Niuernenſis Vicecomes. 452
Hugo de Pert.ponte. 406
Hugo de Sinemuro. 576
Hugo Trecenſis Comes. 576
Hugo Aurelianenſis Epiſcopus. 486
Hugo Autiſſiodorenſis Ep. & Comes Cabilonenſis dictus Abbicomes. 158. 174. 270. 271. 272. 292. 396. 448. 449. 450. 451. 572. 573.
Hugo de Monte-acuto nepos S. Hugonis Cluniacenſis Abbatis ex Abbate S. Germani Ep. Autiſſiodorenſis. 460. 461. 575. 576
Hugo de Noëriis Autiſſiodorenſis Epiſc. ex Theſaurario 380. 405. 470. 471. 472. & ſeq. 483. 495
Hugo ex Pontiniacenſi Abbate Epiſc. Autiſſiodorenſis. 405 458. 463. 464. 577
Hugo Biſuntinus ſeu Veſontienſium Archiep. 203. 288. 859
Hugo Catalaunenſis Ep. 296
Hugo Engoliſmenſis Ep. 325
Hugo II. Engoliſmenſis Ep. 315
S. Hugo Gratianopolitanus Ep. 206. 240. 639
Hugo Leodienſis Ep. 406
Hugo de Chalon Leodienſis Ep. 407
Hugo Lexouienſis Ep. 367
Hugo Lingonenſis Ep. 270. 293. 294. 451
Hugo frater Vvaleranni Abbatis S. Vitoni Lingonenſis Ep. in Concilio Remenſi à S. Leone IX. Papa depoſitus. 190

Hugo de Monte Regali Lingonenſis Epiſcop. 648
Hugo ex Dienſi Epiſcopo & S. R. E. Legato per Gallias, Archiep. Lugdunenſis. 194. 195. 196. 197. 198. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 215. 227. 232. 233. 240. 241. 242. 253. 254. 257. 258. 259. 261. 641. 642. 643. eius Epiſtolæ ad Gregorium VII. 202. ad Mathildem Comitiſſam. 231. ad Haganonem Heduenſem Ep. 242. ad Robertum Moliſmenſem Abbatem & ad Robertum Lingonenſem Epiſc. Paſchalem II. Papam. 640. 641. 643
Hugo Niuernenſis Ep. 272. 454. 574
Hugo Herberti Comitis filius Remenſis Archiep. 128 129. 130. 131. 134. 362
Hugo I. Rotomagenſis Archiep. & Pariſienſis ac Bajocenſis Ep. 326. 350. 365. 367. 368
Hugo II. Rotomagenſis Archiep. 366. 367. 368
Hugo, Senonenſis Archidiaconus, nepos Guillelmi Autiſſiodorenſis Ep. 470
Hugo Archiepiſcopus Turonenſis. 286. 466. 469. 653
Hugo Virdunenſis Ep. 115. 158
Hugo S. Albini Andegau. Abbas. 278
Hugo de Baſnches Monachus. 351
Hugo S. Petri Catalaunenſis Abbas. 296
S. Hugo Cluniacenſis Abbas. 197. 198. 204. 205. 217. 239. 257. 460. 793
Hugo Dolenſis Abbas. 315
Hugo II. Dolenſis Abbas. 316
Hugo S. Martini Eduenſis Abbas. 247. 261
Hugo Flauiniacenſis Abbas alius à Chronographo. 791
Hugo ex Monacho S. Vitoni Abbas Flauiniacenſis, Chronici Virdunenſis Auctor. 75. 121. 236. 237. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 263. eius Epiſtolæ nonnullæ ibidem leguntur. Eius Chronico præmiſſi Flauiniacenſes Abbates habentur pag. 791. & 792
Hugo Grammaticus Rotomagenſis Eccleſiæ Diaconus. 161
Hugo Abbas Selebienſis. 606. 607. 608
Hugo S. Trinitatis Rotomagenſis Abbas. 190
Hugo S. Valerij Abbas. 246
Hugo de Auxeio Vezeliacenſis Abbas. 398. 399
Hugo de Capella Vezeliacenſis Abbas. 398
Hugo S. Victoris Pariſienſis Canonicus dictus Didaſcalus. 397
Hugo Virdunenſis Abbas. 291
Hulgerius Præpoſitus Eccleſiæ Autiſſiodorenſis 460
Humbaldus ſiue Humbaudus Autiſſiodorenſis Ep. ex Decano. 293. 436. 457. 458. 460. 575. 576
Humbaudus S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas 578
Humbaldus Lemouicenſis Ep. 634
Humbaldus Card. Ep. Syluæ Candidæ. 193
Humbertus Prænestinus Ep. 209
Humbertus Lugdunenſis Archiepiſcopus Simoniacus. 199
Humbertus Meldenſis Ep. ex Præcentore Palatij Regij. 119
Humbertus primus Abbas S. Vitoni Virdunenſis. 132. 133. 136. 291
Humbertus Dux inter Iuram & Montem Iouis. 521
Humbertus Bajocenſis. 576
Humbertus Virduni Recluſus & Monachus Gorzienſis. 746. 747. 748. 749. 754
Humilitatis Religioſæ exempla ſingularia in Frederico Comite, Monacho ſancti Vitoni Virdunenſis. 164. 165
Humularienſe Cœnobium. 169
Hunaldus Dux Aquitaniæ. 634
Hunericus Vandalorum Rex. 71
Hungari & Hunni. 63. 65. 124. 125. 126. 127. 129. 133. 247. 315. 345

I

Iacobus Amyotus Autiſſiodorenſis Epiſc. Magnus Franciæ Eleemoſynarius, Præceptor Ord. S. Spiritus. 521. vſque ad 526
Iacobus Aragoniæ Rex. 342
Iacobus Borbonius Conſtabularius Franciæ. 514
Iacobus Colinus S. Ambroſii apud Bituriges Abbas, Lector Regius. 521
Iacobus Columna Cardinalis. 382
Iacobus à Dintauilla Magnus Franciæ Venator. 517
Iacobus de Dintauilla Commarieni Dominus. 517
Iacobus Ducſa, vide Ioannes XXII.
Iacobus Hurault Auguſtodunenſis Ep. 518
Iacobus le Roy Archiep. Bituricenſis & Abbas Dolenſis ex domu de Chauuigni Diœceſis Turonenſis. 319
Iacobus Loubé Abbas Dolenſis. 319
Iacobus Metenſis Ep. Ducis Lotharingiæ frater. 347
Iacobus de Rauigneio ſcripſit ſuper Digeſto veteri. 509
Iacobus Tuſanus Regius Profeſſor. 521
Iamniſii pons ſuper fluuium Sequanæ. 508
Ianuarius Nepotianus. 669
Ianuenſis vrbs. 354. 355
Iaquelinus S. Albini Andegauenſis Abbas. 280
Iarento ex Priore Caſæ Dei Abbas S. Benigni Diuionenſis. 197. 199. 200. 201. 224. 229. 230. 231. 234. 237. 239. 240. 241. 242. 245. 252. 154. 255. 256. 257. 294. 642. 658. 659
Iargolium ſuper Ligerim. 487
Icauna fluuius. 425. 426. 501
Ida filia Lancelini de Balgentiaco. 400
Ida Vezeliacenſis Comitiſſa. 397
Igniaci Monaſterium. 361
Ignis aut aquæ iudicium. 244
Ignis diuinitus accenſus Hieroſolymis in Sabbato ſancto. 178
Ignis Sacer. 650
Ildefonſus, vide Alfonſus & Hildephonſus.
Ilduinus Comes. 324. vide Hilduinus.
Illus ſeu Iſlo Santonenſis Ep. 334
Immo Gorzienſis Abbas. 678
S. Imperia. 632
Incaſtratura. 343
Indiculus Dagoberti Regis ad Sanctum Sulpicium Bituricen. Archiep. 704
Indulgentia generalis. 382

Inferni porta Pariſiis olim dicta de Ferto. 508
Ingeburgis Daca Regina Franciæ. 290
Ingelbodus Dolenſis Abbas. 316
Ingofridus Luxouienſis Abbas. 684
Ingundis Regina Franciæ. 425. 572
SS. Innocentes. 631. 632
S. Innocentius Legionarius Thebææ. Legionis. 563. 565
S. Innocentius Rotomagenſis Archiep. 365
S. Innocentius I. Papa. 364
Innocencius II. Papa. 277. 397. 639. 646
Innocentius III. Papa. 280. 371. 478. 479
Innocentius IV. Papa. 377
Innocentius V. papa fundator Cartuſiæ prope Auenionem. 379. 513
Inſtituta Ciſtercienſium. 645. 646
Inſula Barbara. 105
Inſulæ caſtrum. 277
Interdictum Autiſſiodorenſe temperatum. 475
Interdictum vrbis Rotomagenſis & Eccleſiæ. 390. 372. 376
Interferculum. 379
Inueſtitura Regia. 196
Iocerannus Lingonenſis Ep. 294
Ioanna filia Henrici Regis Nauarræ vxor Philippi Pulchri Regis Franciæ. 659
Ioanna filia Ludouici Hutini Regina Nauarræ. 385
Ioanna filia Comitis Burgundiæ Regina Franciæ & Nauarræ. 660
Ioanna Regina Siciliæ. 343
Ioanna de Balma filia Comitis Montis-Reuelli. 517
Ioanna filia Roberti de Guirchia. 661
S Ioannis in Caſtaneido Eccleſia prope ciuitatem Matiſconenſem. 182
S. Ioannis in Grauia Pariſiis Eccleſia. 664
S. Ioannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus. 763
S. Ioannes I. Papa. 418
Ioannes VI. Papa. 637
Ioannes VIII. Papa. 122
Ioannes IX. Papa. 124
Ioannes X Papa. 126
Ioannes XI. Papa. 126
Ioannes XII. Papa. 133. 134
Ioannes XIII. Papa. 134. eius Epiſtola ad Berengarium Ep Virdunenſem. 135
Ioannes XVII. Papa. 350
Ioannes XIX. Papa. 174. 186. 190
Ioannes XX. Papa. 630. eius Epiſtola 797.
Ioannes XXI Papa. 506. 379
Ioannes XXII. Papa. 308. 343. 384. 385. 386
Ioannis Papæ ſcriptum de pœnitentia Hugonis Antiſſiodorenſis Ep. 449
Ioannes Tuſculanus Card. Legatus. 154. 258. 259. 260. 261. 609. 643
Ioannes de Noentel S. Cæciliæ Cardinalis Legatus. 381
Ioannes Auſtfunæ Abrincenſis Epiſcop. 387
Ioannes Autiſſiodorenſis Ep. 447 448
Ioannes de Auxcio Autiſſiodor. Ep. ex Tracenſi. 513. 514
Ioannes Baill et Autiſſiodorenſis Epiſcop. 5·7
Ioannes de Blangiis Autiſſiodorenſis Epiſc. 511
Ioannes de Corbeia Autiſſiodor. Ep. 517
Ioannes Germani Antiſſiod. Ep. ex Cabilonenſi. 515. 516
Ioannes de Thoiſy Autiſſiodor. Ep. 517
Ioannes Eboracenſis Archiep. 322
Ioannis Hieroſolymitani Patriarchæ epiſtola. 15
Ioannes de Erche Leodienſis Epiſcop. 406. 407
Ioannes Metenſis Ep. frater Comitis Flandriæ, 347
Ioannes Rotumagenſis Archiep. 326
Ioannes Rotomagenſis Archiep. ex Abrincenci Ep. 366. 367
Ioannes Tungrenſis Ep. 315
Ioannes Diuionenſis Abbas. 294. 295
Ioannes de Hybernali Dolenſis Abbas. 318
Ioannes de Monte Dolenſis Abbas. 318
Ioannes Loubet Dolenſis Abbas. 319
Ioannes Pictaoenſis Dolenſis Abbas. 316
Ioannes de Rocha I. Dolenſis Abbas. 317
Ioannes de Rocha II. Dolenſis Abbas. 317
Ioannes Fiſcaoenſis Abbas. 326
Ioannes de Iocenalle S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 583. 584. 585. 586. 587
Ioannes Gorziæ Abbas ſcriptor vitæ S. Glodeſindis 724. 727. & à pag. 741 ad 776
Ioannes Autiſſiodorenſis Vezeliacenſis Abbas. 398
Ioannes de Confluentia Vezeliaci & S. Medardi Sueſſionen. Abbas. 398
Ioannes Senius Monachus. 435
Ioannes Monachus. 165
Ioannes da Thieugiis Prior Leuenſis in Anglia, 587
Ioannes Tuſcus Prior Cartuſiæ. 639
Ioannes Franciæ Rex, prius Dux Normanniæ. 280. 318. 386
Ioannes Infans Rex Franciæ. 384
Ioannes Angliæ Rex. 290. 291. 370. 371. 372. 373
Ioannes Bohemiæ Rex. 386. 387
Ioannes de Brena Hieroſolymorum ſeu Acconis Rex. 295. 296. 371
Ioannes de Acon. 380
Ioannes Brabantiæ Dux. 406
Ioannes de Brana Drocanſis Comes, 328
Ioannes de Aurelianis miles. 486
Ioannes Alencheii Comes. 663
Ioannes de Barris. 581
Ioannes de Cabilone Comes Autiſſiodorenſis. 506. 585
Ioannes de Caluiniaco Dominus de Leproſo. 318
Ioannes Cocardi Legum Profeſſor, 589
Ioannes Creſcentius. 157
Ioannes Defenſor. 213
Ioannes Euagrius Rhemenſis, Græcorum Scholæ Pariſiis Profeſſor. 511
Ioannes Comes de Haricuria. 387
Ioannes Namurcenſis Comes. 407
Ioannes Niuernenſis Comes filius S. Ludouici. 398
Ioannes Patricius. 202
Ioannes de Routeio Caſtellanus de Archis. 370. 371
Ioannes Vindocinenſis Comes. 290
Iocundus Princeps Lemouicæ ciuitatis. 631

Iodoinus Prior de Maſiliis. 581
Ionas Auguſtodunenſis Ep. 271. 272
Iordanes Hiſtoriographus. 334
Iordanis fluuius. 665
Iordanus Princeps. 233
Iordanus Proconſul. 333
Iordanus Lemouicenſis Ep. 334. 618
Ioſaphat vallis. 665
Ioſbertus Capellanus. 578
Ioſbertus de Guirchia. 661
Ioſcerannus ſeu Iocerannus Vezeliacenſis Abbas. 396
Ioſephus Hiſtoricus. 666
Iosfredus Abbas S. Saluatoris. 334. vide Gaufredus aut Gozfridus.
Iouianus Imp. 13. 716
Iouianus Comes. 14
Iouianus Subdiaconus. 412. 526
Iouiniacenſis Comes. 458
Ioninianus Lector. 526
Iouinus occiſus. 15
Ionis Minoris mons. 554
S. Irenæus Lugdunenſis Archiep. 364
Irene Auguſta. 111. 116
Iſaac Lingonenſis Ep. 271. 656. 657
Iſaac Virdunenſis Canonicus. 759
Iſabella Angliæ Regina. 66. 383. 385
Iſambardus S. Vincentii Metenſis Abbas. 346
Iſambertus ſeu Iſembertus Pictauenſis Ep. 203. 334
Iſara flunius. 116
Iſanricum bellum. 7
Iſsurus S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 339
Iſicius Gratianopolitanus Ep. 698
Iſicius Viennenſis Archiep. 693
Iſidorus Hiſpalenſis Archiep. 335. 804
S. Iſilus magiſter S. Galteri. 633
Iſraël Brito Præſul. 129
Iſlo ſacer. 314
Itetia Abbatiſſa Cœnobii puellarum apud Sueſſiones. 778
Iterius. 405
Iterius de Iſtoſſa Autiſſiod. Ep. 514
Iudæi ad fidem compulſi. 69
Iudæorum exterminatio vno die facta. 241
Iudæi ſignum circulare iuſſi in pectore baiulare. 373
S. Iudicael. 349
Iudicium villa Metis vicina. 734
Iudith Auguſta. 119. 291. 323
Iudith Normannorum Duciſſa. 348. 350. 366
Iudith Rainaldi Burgundiæ Comitis vxor. 270
S. Iudoci ſeu Iodoci Abbatia. 169
Iuhellus Berengarii. 350
Iugurthinum bellum. 6
Iuliacum oppidum. 407
S. Iuliani Monaſterium Turonis. 637
Iulianus Imperator. 12. 13
Iulianus Toletanus Ep. 804
Iulius Cæſar occiſus. 7
Iulius Præfectus. 414
S. Iunianus Eremita. 633
Iuo Carnotenſis Ep. ex Præpoſito ſiue Abbate S. Quintini Bellou. 289. 390
Iuo Siluanectenſis Ep. 203
Iuo Rotomagenſis Archiep. 369
Iuo de Belliſmo. 661
Iuſa mons. 185
Iuſiurandum per Stolas Epiſcoporum. 209
S. Iuſtinus Martyr. 634
Iuſtus Cantuarienſis Archiep. 322
S. Iuſtus Martyr. 175

K

Kalendario in quo nomina benefactorum notabantur B. Roberti ſermo præfixus. 171
S. Kariſſima ſeu Cariſſima. 631
Karofenſe Monaſterium. 282
Karolus vide Carolus, ſiue Karlus.
Kaſſinogilum ſeu Caſſinogilum palatium. 286
Kinſitis Eboracenſis Archiep. 323

L

Laban pater S. Sacerdotis. 637
Labicannus, vide Lauicanus.
Lac B. Virginis Mariæ. 630
Ladriacus fundus. 546
Lætus Neptenſis Ep. 71. 72
S. Lambertus Tungrenſis ſeu Traiectenſis Ep. 103. 335
Lambertus Leodienſis Ep. 406
Lambertus Lingonenſis Ep. 272
Lambertus Lugdunenſis Archiep. 294
Lambertus S. Petri Catalaunenſis Abbas. 296
Lambertus Abbas S. Vitoni. 159
Lambertus Cabilonenſis Comes. 448
Lambertus Montenſis Comes. 337
Lambertus Namnetenſis Comes. 284. 291. 292. 323. 324
Lambertus Vicecomes. 324
Lambertus ſolitarius. 747
Lambeſcum caſtrum. 341
Lampagia Endonis filia vxor Aimonis Cæſaraugustæ Regis. 429
Lancea quâ Domini I. C. corpus perforatum. 281
Lancea S. Mauritii. 185
Lancelinus Dienſis Ep. Simoniacus. 194. 257. 258. 261
Lancelinus de Balgentiaco. 400
Lancelinus filius Ioannis Vindocinenſis Comitis. 290
Landæ de Bourdiaus. 380
Landebertus Fontanellenſis Abbas & Archiep. Lugdunenſis. 102. vide Lambertus.
Landricus Matiſconenſis Ep. 240. 241
Landricus nepos Hildegarii Auguſtodunenſis Ep. 399
Landricus filius Bodonis, Comes Niuernenſis à Duce Burgundiæ factus. 399. 400
Landricus filius Landrici. 272
Landricus Niuernenſis Comes. 174. 271. 272. 395. 396. 572. 573. 791
Landricus Santonicus Comes. 292. 324
Landulfus de Columna Carnotenſis Canonicus.
Landulfus S. Vincentii Metenſis Abbas. 346
Landuinus Prior Cartuſiæ. 639
Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi reſponſum ad Virdun. Monachos. 236
Langobardi & Langobardia, vide Longobardi.
Lantelmus Eboracenſis Archiep. 106

Lantfredi curtis. 676
Lantbertus, vide Lambertus.
Lateranenſe Concilium ſub Nicolao II. 192. ſub Gregorio VII. 207. ſub Alexandro III. 280. 295. ſub Innocentio III. 291. 375
Laticenſis pagus in Diœceſi Lingonen. 546
Latinus Oſtienſis Cardinalis. 387
Latona in Burgundia. 502
Lauallenſes. 276
Laudaticum. 516
S. Laudus Conſtantienſis Ep. 365. 632
Lauicanus ſeu Labicanus Ep. idem cum Tuſculano. 281
S. Laurentij in Leodienſi ſuburbio Cœnobium. 168. 337
S. Laurentius Dublinenſis Archiep. ab Honorio III. Papa canonizatus. 374
Laurentius Pyoon Autiſſiod. Ep. 517
Laurentius Notarius Papæ Metenſis Ep. 347
Lanſia vicus pagi Eduenſis. 101
S. Lazari caput. 341
S. Leander Hiſpalenſis Ep. 95. 804
Lecia de Vinſernoncel Abbatiſſa Montis-villaris. 376
Leduinus qui B. Richardum Virdunenſem Abbatem occidere voluerat, rexit S. Vedaſti Eccleſiam. 171. 175
Leiceſtrenſis Comes. 279
Leidradus Archiep. Lugdunenſis. 118.
Lemouicæ. 116
S. Leo I. Papa 632
Leo III. Papa. 118. 119. 28. 284
Leonis IV. Papæ Epiſtola. 118. 120
Leo V. ſeu VII. Papa. 127
S. Leo IX. Papa. 190. 192. 210. 276. 287. 396
S. Leo Britannos Ep. 632
Leo Senonenſis Archiep. 419
Leo Scriniarius S. R. Sedis. 136
Leobenum Monaſterium. 633
S. Leobonus. 634
S. Leodegarius Auguſtodunenſis Ep. & Martyr. 102. 103. 427. 331. 633. eius ad matrem Epiſtola 777. eius Concilium. 571. 572
Leodegarius Bituricenſis Archiep. 254. 316
Leodegarius Viennenſis Archiep. 797
Leodolenus Clericus periurus. 710
S. Leonardus. 631
S. Leonardi de Corbiniaco. 317
Leo[illegible]na Roma. 318
Leothericus Senonenſis Archiep. 373
Leproſi combuſti. 383
Leproſum oppidum. 318
Leſtingaen Monaſterium. 322
Leubaredus Archidiaconus. 692
S. Leogerus Epiſ. Capellanus Caroli Magni Franc. Regis. 365
Leuitarum & Pontificum Patriæ, id eſt familiæ. 317
Leuuigildus Rex Gothorum. 67. 73
Leutgardis vxor Caroli Magni. 283
Lex Sumptuaria. 373
Leges Gothorum ſub Enrico Rege. 66
Libanus mons. 667
Liber communis Rotomagi prope majus altare catena firmatus. 156
S. Liberalis Confeſſor. 632
Liberius Præfectus Prætorio. 691
Licinius Imp. 11
Licinius ſeu Licinianus Cæſar. 11
S. Licinius Andegauenſis Ep. 175. 286
Lidi caſtrum. 360
Lietbardus Comes de Marcecio. 268
Ligeris amnis. 399
Limozia. 327
Lincolnia. 373. 604
Lingones ſuper Moſellam gens ferociſſima. 720
Lingonum vrbs. 127
Linguis abſciſſis loquuti. 71
S Linus Papa. 77
Lipara inſula. 359
Liricantus. 780
Lirinenſe Mon. 269
Liziardus Sueſſionenſis Ep. 361
Liſtra & Liſtella. 423. 424
Litaniæ per 12. menſes. 421
Littorius Dux. 65
Liuba I. Gothorum Rex. 67
Liuba II. Gothorum Rex. 68
Liutulfus filius Othonis I. ex priori coniuge. 131. vide Luidulfus.
Loberciacum. 631
Lobienſe Cœnobium. 268. 185
Longauilla. 326. 329
Longobardicum bellum. 136. 317
Longi de Daphne pœmenica. 522
Loſdunum. 278. 281
Lotharingia. 115. 121
Lotharienſes. 124. 123. 126. 128
Lotharius, vide Clotharius.
Lotharius I. Imperator. 115. 119. 123. 284. 292. 294. 735
Lotharius II Imperator ex Duce Saxonum. 339
Lotharius Lotharingiæ Rex. 120. 121. 122. 259. 285. 735
Lotharius Francorum Rex. 133. 134. 157. 158. 185. 275. 186
Lotharius Abbas filius Caroli Calui. 580
Lotharius filius Hugonis Italiæ Rex. 159. 134. 157
Lotbenuardus Eboracenſis Archiep. 325
S. Lucæ reliquiæ. 12
Lucas Ebroicenſis Ep. 374
Lucas Vindocinenſis Abbas. 290. 295
Luciani Preſbyteri Epiſtola. 15
Lucianus Preſbyter. 325
Lucifer ſtella. 186
Lucionum oppidum. 292. 324
Lucius II. Papa. 277
Ludgardis Heriberti Trecorum Comitis ſoror, vxor Tetbaldi Triccatoris. 134. 185
Ludouicus Pius Imperator. 119. 120. 284. 314. 362. 729. 730. eius filij. 247
Ludouicus II. Balbus Rex Francorum. 122. 791
Ludouicus III. Rex Francorum Balbi filius. 112, 123. 182
Ludouicus IV. Vltramarinus Rex Francorum. 126. 127. 128. 129. 130. 133. 247. 286
Ludouicus V. Rex Francorum qui duxit Blanciam vxorem. 157. 158
Ludouicus VI ſiue Craſſus. 277. 289. 296
Ludouicus VII. ſiue iuuenis, aut iunior. 277. 278. 27[illegible]. 270. 289. 297. 363
Ludouicus VIII. Rex Francorum. 290. 295. 296. 317. 373. 374

S. Ludouicus XI. Rex Francorum. 317. 318. 347. 374. 375. 377. 378. 501. eius canonizatio à Bonifacio VIII. Papa. 382
Ludouicus X. Hutinus Rex Francorum. 382. 383. 384. 387. 860
Ludouicus filius Lotharii coronatus Imperator à Sergio Papa. 120. 111. 122. 113
Ludouicus Germanniæ Rex filius Ludouici Pij. 119. 122. 185. 560
Ludouicus Ludouici Regis Germaniæ filius. 121. 285
Ludouicus Arnulfi filius Germanniæ Rex. 124
Ludouicus Boſonis filius Prouinciæ & Italiæ Rex. 122
Ludouicus filius Rodulphi Regis & Emmæ. 127
Ludouicus Bauarus Imperator. 384. 385. 386. 387
Ludouicus Siciliæ Rex & prouinciæ Comes. 344. 358
Ludouicus Ebroicenſis Comes. 384. 385
Ludouicus Comes. 168
Luduuicus Belliioci Dominus de Monte-Ferrandi. 318
Ludouicus de Combornio Dolenſis Abbas. 319
Ludouicus Meledunenſis Senonum Archi. 780
Ludouicus S. Petri Catalaunenſis Abbas. 297
S. Ludouicus Toloſæ Epiſcopus. 384
Luſaus in Tulleuſi pago. 430
Lugdunenſe Concilium I. Gener. 318. 342
Lugdunenſe II. Generale. 379. 398
Lugdunenſe Concilium ſub Hugone Legato. 205. 206
Lugdunenſes Scholæ ſeu Gymnaſium. 532
Lugdunum datum in dotem Mathildi. 134. 185
Luido Lingonenſis Ep. 122
Luidulfus filius Othonis I. Imper. 194. 758. vide Liudulfus.
Luidulfus Treuirenſis Archiep. 679
Luitprandus Longobardorum Rex. 104. 657
Lunæ curſus inuentus 7. Eclipſis Lunæ. 281. Luna mortua. 340.
Lunarium. 795
Lunellum vetus. 794
Lupæ fluuiulus. 425
Lupi comedunt capita hominum. 183
S. Lupus Senonenſis Archiep. nepos ex ſorore S. Aunarij. 100. 419. 529
S. Lupus Trecenſis Ep. 83. 84. 416. 538
Lupus Epiſcopus ex ſuperioribus partibus Burgundiæ. 531. 542. 567
Luſidius proditor. 73
Luxouienſe Monaſterium. 269. 684. 781
Lux de nocte apparens quid portendat. 247

M

MAbiliæ Domina de Belliſmo. 661
S. Macarius Martyr ex Legione Thebæa. 635
Macedonum Alexandrinorum Reges. 308
S. Machuti Paruchia Rotumagi. 371
S. Madalgodis. 632
S. Madalueus ſeu Madelueus Virdunenſis Ep. 103. 104. 105. 106. 107. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 165. 190.
Madelulfus Siluanectenſis Ep. 100
Maers caſtellum in territorio Niuernenſi. 399
Magalonenſium Epiſcoporum ſeries ab Arnaldo de Verdala. 793. & ſeqq.
S. Magdalenæ Monaſterium Bajocis. 176
Magdunum caſtrum ſuper Ligerim. 487
Maginfredus Brito. 754
Maginarus Presbyter. 563
Magiſter maior Ordinis Templariorum combuſtus cum ſocio in parua inſula ante Auguſtinianos Pariſiis. 383
Magnentia Virgo. 540
Maguntius tyrannus. 12
Magog filius Iapheti. 70
Magoaldus primus Flauiniacenſis Abbas. 85. 102. 269
Maigniaci Prioratus. 316
Mainardus I. Abbas S. Michaëlis de Monte Tumba. ſiue in periculo maris. 348
Mainardus II. eiuſdem loci Abbas. 348. 350
Mainfredus Marchio. 175. vide Manfredus.
S. Maiolus Cluniacenſis Abbas. 158. 315. 447. 571
Maiores domus ſeu Palatii Franciæ 105. 115. 332
Maiorianus Imperator. 15. 71
Maiorica inſula. 340. 341. 342
Malaſpinæ Marchio. 357
Maldias Sueuorum Rex. 72. 73
Maleſtrictum Prioratus B. Magdalenæ Diœceſis Venetenſis. 390
Malginus Rothomagenſis Archiep. 306
Malliaci caſtrum. 405
Malmundarienſe Cœnobium. 169
Malſonus Rotomagenſis Archiep. 165
S. Mammæ Martyris Eccleſia. 696
Mammo Cadurcenſis Ep. 424
Manaſſes de Seliniaco Aurelianenſis Ep. 482. 483. 485. 488. 494
Manaſſes Lingonenſis Ep. 295
Manaſſes Remenſis Archiep. 199. 203. 204. 205. 206. 360. eius Ep. ad Gregor. VII. 263
Manaſſes Trecenſis Ep. 158. 295
Manaſſes Flauiniacenſis Abbas. 104. 116. 118. 270. 272. 791
Manaſſes Comes. 185
Manaſſes potens apud Ricardum Burgundiæ Ducem. 439
Manerium. 375
Manfredi Friderici Imp. filius nothus Rex Siciliæ. 342 378. 398. 503
Manichæi Hæretici Aureliæ combuſti. 292
Manſellus cepit Vvillelmum Comitem Niuernenſem. 460
S. Manſuetus Scotus Tullenſis Ep. 77
S. Manſueti Tullenſis Abbas. 265
Manſus Sanctarum Puellarum Diœceſis Carcaſſonenſis. 318
Mantuæ Sanguis Chriſti repertus. 119
S. Manuæus Bajocenſis Ep. 779
Maomelinus Rex Marroc. 341
Marbodus Redonenſis Ep. 258. 277
S. Marcellianus Autiſſiod. Ep. 412
S. Marcellini Papæ & Martyris corpus. 349
Marcellinus Rothomagenſis Archiep. 364
Marcellinus Dux aduerſus Vandalos. 35
S. Marcellus Pariſienſis Ep. 415
S. Marcellus Martyr. 633
S. Marcelli Cabilonenſis Eccleſia. 100. 695
Marcenniacum villa. 546

Marcianus Imp. 65
Marciliacenſe Cœnobium. 707
Marcomauni victi. 11
Marcus Britanniæ Ep. exercens Anachoreticam vitam apud Beatorum Medardi & Sebaſtiani Sueſſionenſe Cœnobium. 555
Mare mortuum. 666
Mareſcalliæ conſuetudines. 572
Margarita Regina vxor S. Ludouici. 353
Margarita Dux Sabaudiæ. 522
Margarita ſoror Franciſci I. Regina Nauarræ. 521
Margarita Flandrenſis Comitiſſa. 406
Margarita de Melloto. 504
Margarita Abbatiſſa Monaſterii Montis-Villaris. 376
B. Maria Virgo apparet Berengario Virduneñſi Epiſcopo. 235
B Mariæ Virginis tunica. 365
B. Mariæ Dolenſis Miracula. 319. 320. quædam alia eiuſdem Virginis miracula. 650
B. Mariæ de Vallibus Eccleſia. 297
B. Mariæ Monaſterium Londoniæ, 262
B. Mariæ Magdalenæ reliquiæ Vezeliaci. 398
Maria Alamannorum Regina. 292
Maria Abbatiſſa filia Stephani Regis Angliæ. 326
S. Marii Abbatia. 183
S. Marianus recluſus in territorio Bituricenſi venit ad Monaſterium S. Germani Autiſſiodorenſis. 415. 417. 425. 635
S. Mariani Abbatia. 469
Marianus Flauiniacenſis Abbas. 121
Marinus Papa. 212
Marinus II. Papa. 129
Marinus Ep. Legatus Agapiti II. Papæ. 230. 131.
Marinus S. Sedis Bibliothecarius. 136
Marinus Diaconus. 566
Marleia villa prope Metas. 133. 738
Marrennum 374. 375
Marſonis obſidio. 275. 286
Marſus Preſbyter. 526
Martellum caſtrum. 369
Marta ſponſa S. Amatoris. 413
S. Martialis Galliarum Apoſtolus Ep. Lemouicenſis. 411. 619. 630. 636
S. Martialis Lemouicenſe Monaſterium. 333. 334
S. Martinus Turonenſis Archiep. 334. 654. eius miracula. 97. Tranſlationis dies feſtus, 654. Turonenſis Baſilica. 285. 189. Melundenſis Abbatia in Diœceſi Lingonenſi. 647
S. Martinus Martyr apud Briuam. 652
S. Martinus Vertauenſis 280
S. Martinus Dumienſis Antiſtes. 73
S. Martinus Capellanus Karoli. 632
Martinus Papa. 102
Martinus IV. Papa, ſiue Simon ſanctæ Cæciliæ Cardinalis. 380. 381
Martinus Prior Melredenſis. 578
Martyrium ſiue Baſilica Hieroſolymitana à Conſtantino Magno exſtructa. 655
Martyrium. 121
Maſcerelæ in territorio Moruennis. 272
Maſſiliæ vallis de manibus Iudæorum liberata. 341
Maſſilienſe Monaſterium. 339. 340. 341
Maſſola. 577
Maſſua. 412. 428
Materna fluuius. 134
Maternus Treuirenſis Ep. 77
Mathildis Comitiſſa Tuſciæ Marchiſa Longobardorum, eiuſque epiſtola. 217. 228. 229. 238. 319
Mathildis Regina Angliæ vxor Guillelmi nothi, ſoror Balduini Flandrenſis. 186. 326. 367
Mathildis Imperatrix filia Henrici I. mater Henrici II. Regum Angliæ, vxor Gaufredi Comitis Andegauenſis. 277. 279. 349. 368
Mathildis filia Henrici II. Regis Anglorum. 326
Mathildis ſoror Lotharii Regis Francorum & vxor Conradi Burgundiæ Regis. 134. 157. 174. 185
Mathildis filia Conradi Burgundiæ Regis. 6 4
Mathildis vxor Hezelonis. 161. 166. 167
Mathildis filia Ricardi Normanniæ Ducis. 366
Mathildis vxor Theobaldi Bleſenſis Comitis. 661
Mathildis Niuernenſis Comitiſſa filia Petri Comitis Autiſſiodorenſis. 398. 484. 500. 584
Matiſconenſis ciuitas. 183
Matriacenſis ager. 433
Matriacum. 424
Matricularii. 487
S. Matthæi Apoſtoli corpus. 349
Matthæus Andegauenſis Ep. ex Abbate S. Florentii. 278. 279
Matthæus Albanenſis Ep. S. R. E. Legatus. 351
Matthæus S. Dionyſii Abbas. 381
Mattheus Trecenſis Ep. 578 580
Matthæus Bononiæ Comes. 326
Matthæus Caliga laxa. 467
Matthæus Camerarius. 484
S. Maturinus Confeſſor. 780
Maturinus de Chauuigni Abbas B. Mariæ Exoldunenſis. 319
Matzilinus Cubicularius Adelberonis Metenſis Epiſcopi. 766
Maugiſus Abrincenſis Ep. 350
S. Mauricii lancea inſigne regni Burgundiæ. 185
Mauricius de Credonio. 279
Mauricius Rotomagenſis Archiep. ex Cenomanenſi Ep. 375. 376
S. Maurilii Andegauenſis Ep. vitæ inuentio, 285
Maurilius Rotomagenſis Archiep. 326. 366
Maurinius Comes. 205
Maurinus Autiſſiod. Ep. 431
Mauritania locus ad Scaldim. 373
S. Mauri Abbatis oſſa Foſſatum delata. 284
S. Maurus Virdunenſis Ep. 81. 82. 83
SS. Mauri Siluini & Aratoris reliquiæ. 120
Maurus Rex Normannorum 292. 324
Maxentius tyrannus occiſus. 11
S. Maxima Virgo. 540
S. Maximini villa in Prouincia. 354
S. Maximini Monaſterium Treuiris, 755. 759
Maximianus ſenior leuatus Auguſtus deiu de-

ponit purporam. 11
Maximianus Præſectus. 719. 720
S. Maximinus Abbas frater S. Vitoni. 89
Maximinus Cæſar. 11
Maximus Tyrannus neciſus. 14
Mayſa villa. 636
Maymacenſe Monaſterium. 633
Maynardus Trecaſſinus Ep. 573
Mazo caſtellum. 281
S. Medardus Nouiomenſis Ep. 334
S. Mederici Eccleſia. 663
Mediana Gallia. 670. Francia, 336. Burgundiæ. 423
Megranæ vicum. 462
Meinardus Rotomag. Archiep. 365
Melanthius Rotomagenſis Archiep. 365
Meleredenſe Cœnobium. 546. 573
Melgorienſes Comites. 794. 795. 796
S. Mellonus Rotomagenſis Archiep. 364
Melodunum. 521
Melondenſe monaſterium. 248
S. Memmius Catalaunenſis Ep. 77. 411
S. Memorius Presbyter. 418. 419. 567
Menate monaſterium in Aruernis. 89
Meroueus Francorum Rex. 85
Meroueus filius Chilperici Regis. 95
Merouingi Reges. 104
Meſtea. 370
Meſſana. 346. 381
Metullum. 425
Metenſes Epiſcopi quidam dicti Archiepiſcopi & functi officio Metropolitani 106
Metiscum. 284
S. Michaëlis crypta. 344
S. Michaëlis apparitio. 348
S. Michaëlis in periculo maris. 347
S. Michaëlis ſuper Muſam monaſterium. 266. 744
S. Michaëlis de Cluſa mon. 795
S. Michaëlis de Cermeria in Anglia. 352
Michaël Abrincenſis Ep. 367
Michaël de Creocio Autiſſiodorenſis Ep. 517
Michaël Senonenſis Archiepiſc. 478. 482
Michaël Radiſponenſis Ep. 130
Michomer Hibernus diſcipulus ſancti Germani Autiſſiod. Ep. 533
Miciacenſe Cœnobium. 89
Miliacum prædium. 711
S Milicius Rhedonenſis Ep. 633
Milarenſe ſeu Melerenſe Cœnobium. 450. 573
Milo Legatus Vrbani II. Papæ ex Monacho S. Albini Andegauenſis. 262. 283
Milo Clericus poſſidens Archiepiſcopatus Remenſem & Treuirenſem. 107
Milo de Nantolio Beluacenſis Ep. captus à Saracenis. 374
Milo Prior de Charitate. 506
Milo Flauiniacenſis prælatus. 271
Milo Magabrenſis. 128. 792
Milo de Columbariis Vezeliacenſis Abbas. 398
Milo & Ioannes de Autiſſiodoro fratres. 506
Milo Conſtabulus. 246
Milo de Carreniaco. 400
Milo Filonis miles. 489
Milo Nemorum dominus. 581
Milo Noeriorum dominus. 471
Milo Iunior dominus de Noeriis 473
Milo de Pruuino miles. 579
Mimas Gabalenſis ciuitas. 630
Mina Miſtiloni. 379
Minerbenſis Comitatus. 805
Mirabellum. 277. 278
Miracula Dolenſia. 317
Mirapicenſis Ep. 522
Miro Sueuorum Rex. 73
Miſſale. 166
Miſſas faciens Richardus Abbas ſaxis impetitur à Saracenis, ſed non vulneratur. 177. 178
Miſſorium. 423
Moderannus Ep. 269
Moabitæ id eſt Saraceni. 340. 341
S. Moderatus puer Martyr. 565. 567
Moduinus Auguſtodunenſis Ep. Miſſus Regius. 270
Mogilini portus. 722
Moiſiacenſe Cœnobium. 240
Moliſmenſes inter & Ciſtercienſes pax ſtatuta. 642
Moncellis caſtellum in territorio Niuernenſi. 399
Moneta noua. 327. 500
Moneta valde bona. 385
Monogramma in rota. 423
Mons acutus monitio ante Laudunum. 138
Mons acutus caſtrum in territorio Cluniacenſi. 460
Mons Argi ſiue Argiſius. 475
Montis Budelli, forte Dubelli caſtellum. 286
Mons Caſtri locus. 336. 337
Montis Dei Cartuſia in Archiepiſcopatu Remenſi. 639
Mons Falconis. 356. 747. 786
Montis Falconis Canonici. 329
Montis Falconis monaſterium. 551
Mons Ferrandi. 318
Montis Ferrati Marchio. 337
Mons Gaudii. 333
Montis S. Ioannis Domini. 498
Mons Iouis. 185
Montis Kattæ Saltus. 564
Montis S. Michaëlis de Tumba, ſiue in periculo maris Abbates, eorúmque Hiſtoria pag. 350. & ſeqq.
Mons Pancerius. 317. 374
Mons Peſſulus & mons Peſſulanolus. 794
Mons Politianus. 356
Montis Sion monaſterium. 177. 182
Muluius pons. 12
Mundana mater S. Sacerdotis Lemouicenſis Epiſcop. 637
Murellum. 372
Muretum. 634
Muſcin. 553
B. Muſtiolæ monaſterium. 356
Muraticum. 116
Murinenſis ex Epiſcopus. 226
Myſſiac monaſterium. 218

N

NAeolienſium campi. 13
Namnetenſis vrbs. 278. 281. 284
Namtildis Regina. 356. 709

Nantoade in Monaſterio SS. Petri & Pauli ſe-pultus Carolus Caluus. 122
Narbonenſis Metropolis. 802. 803. 804
Naulfus Leodienſis Ep. 406
Nazareous Archiep. 496
Nećteria mater Deſiderii Autiſſiodorenſis Ep. 422. 413. 566
Neſingus Andegaoenſis Ep. 275. 286
Nemaoſeoſe Concilium. 458. 575
Neruiocus villa in Epiſcopatu Nouiomenſi. 363
Neomagi palatium. 337
Nepotianus Dux. 65
Nero non comparuit. 8
Nenius fluuiulos ſeu Neueris. 399
Neuſtriæ gens nolens recipere treoam Dei ſæuiente igne, peſte & fame punita. 187
Nicæa. 186. 281
Nicæa euerſa. 13
S. Nicaſius Remenſis Archiep. 358
S. Nicaſius Rotomagenſis Archiep. 364
Nicænum I. Coocilium. 196. II. Coocil. 116. 196
S. Nicetius Treuirenſis Archiep. 334
S. Nicolai corpus Barium tranſlatum. 296. 360. 654
Nicolaus I. Papa. 120. 121. 122. 184. 563. 736
Nicolaus II. Papa. 192. 193. 194. 206
Nicolaus III. Papa. 379. 380. 506
Nicolaos IV. Papa. 381
Nicolaus V. Antipapa. 343
Nicolaus Scriniarius S. R. E. 805
Nicolaus de Autolio Ebroicenſis Epiſcopus. 380
Nicolaus de Arceis Autiſſiodoreoſis Ep. 507. 517
Nicolaus Abbas S. Vincentii Metenſis. 347
Nicolaus de Stoteuilla. 326
S. Nicolai Andegaueoſe Cœnobium eiúſque Cartolarium. 183. 286
Nicomedia euerſa. 12
Nigiualdus Abbas. 405
Niottum. 317
Niuardos Diuionenſis Abbas. 295
Niuedunum caſtrum ſiue Niuernis. 399
Niueroeoſis Comitatus. 272
Noëtius. 473. vide Milo.
Nomeooius Britoaum ſobregulus. 284. 291. 292. 349
Nomenarus S. Audoëni Monachus. 367
Norgodus Abrincenſis Ep. 351
Normaoni. 120. 122. 123. 124. 285. 291. 192. 365
Normannus Aodegaueoſis Ep. 278
Northgaodus Auguſtodunenſis Ep. 243. 244. 245. 246. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 261. 642
Northanymbri. 312
Norvvici puer crucifixos à Iudæis. 316
Noſerinæ. 634
Notgerus ſeu Notkerus Leodienſis Ep. 336. 337. 675
Nouaria. 357
Noua villa. 114. 116
Nouum Monaſterium. 642. vide Ciſtercium.
Nouum Monaſterium Pićtauis. 396
Nuclearorium. 424
Numeriacum. 679. 680
Nuooinus Tribunus ex Aruerno. 543

O

OBaſium Ciſtercienſis Ord. Abbatia. 638
Obbo Hungariæ Rex. 337
Obedientiæ Monachorum. 244
Obelbertus Gorzienſis Abbas. 306
Obolenos ſponſus B. Glodeſindis. 724
Obrege ſioe Albige ciuitas. 699
Obſidatus. 228
Octaoianus Papa, vide Ioannes XII.
Octauianos Antipapa. 278
Octauianus Cardinalis Legatus. 477
Odalricus Præpoſitus Remenſis. 364
Odalricus Aqoenſis Ep. deio Archiep. Remenſis, vide infra Odelricus.
Oddo cognomento Alamannus Ianouenſis Ep. ex Abbate S. Victoris Maſſilienſis. 340
Odelricus ex Aqueoſi Ep. Remeoſis Archiep. 129. 134. 362
Odelricos Lugdunenſis Archiep. ex Archidiacono Lingonenſi. 187
Odelricus Patauienſis Ep. Gregorii VII. Papæ Legatus. 221
Odericus Auguſtenſis Ep. 130
Odericus Vindocinenſis Abbas. 288
Odilardos S. Petri Catalauneoſis Abbas. 188. 189. 296
Odilia Hezelonis filia Abbatiſſa in Monaſterio S. Odiliæ, cuius mors prædicta à Richarchardo Abbate S. Vitoni. 161. 167
S. Odilo Cluniacenſis Abbas. 158. 162. 163. 173. 174. 175. 316. 572. recuſat Logdunenſis Eccleſiæ Præſulatum. 187
Odilo Monachus Srabolaeoſis Cœnobii reformator. 755
S. Odo Cloniacenſis Abbas. 129. 315. 637
Odo Oſtienſis Ep. 232. 233. 234. 238. vide Vrbanos II. Papa
Odo Adam Rotomageoſis Archiep. ex Abbate S. Dionyſii. 377
Odo Rigaut Rotomagenſis Archiep. 377. 378. 379. 390
Odo de Lorrez Bajoceoſis Ep. 378
Odo Bajocenſis Ep. 367. 604. 658. 859
Odo de Soliaco Pariſienſis Ep. 662
Odo Tuſculanus Ep. Sedis Apoſtolicæ Legatus io Francia. 291. 318
Odo I. Flauioiaceoſis Abbas è Monacho Aremarenſi. 792
Odo II. Flauiniacenſis Abbas. 792
Odo S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 573. 574
Odo S. Dionyſii Remenſis Abbas. 361
Odo S. Remigii Abbas. 639
Odo de Vaucemani Prior S. Germani Autiſſiodorenſis, auctor vitæ Gauberti Abbatis. 589
Odo Caotor Remenſis. 364
Odo Pigenatius Societ. Ieſu. 525
Odo filius Roberti Fortis Franciæ Rex. 122. 123. 124. 285
Odo Aurelianenſiom Comes. 284. 291. 323
Odo Belnenſis filius Henrici Ducis Burgundiæ. 158
Odo Dux Burgundiæ. 295. 390. 395. 397. 574. 641

Odo filius Ducis Burgundiæ Comes Autiſſiodorenſis & Niuernenſis ratione vxoris. 500. 501. 502
Odo I. Carnotenſium Comes. 124. 158. 185. 447
Odo II. Carnotenſium & Campaniæ Comes qui apud Barrum cæſus eſt. 134. 157. 274. 185. 286. 287. 292.
Odo ſenior Dolenſis dominus. 315
Odo frater Henrici Donziacenſis. 574
Odo Exoldunenſis dominus filius Radulfi Prudentis domini Dolenſis. 316
Odo Lemouicenſis Vicecomes. 292
Odo Maior de Chalo ad ſepulcrum Domini perrexit. 653
Odo Rubei montis Vicecomes. 242
Odo Ruffinus. 275. 286
Odoacer Rex Herulorum. 66
Odolbertus Abbas. 759
Odolricus Boëmiæ Rex. 337
Odouna flumolus in pago Vvaſtinenſi. 575
Odylardus, vide Odilardus.
Oebalus, vide Ebalus.
Ogo Leodienſis Epiſcopus ex Abbate ſancti Maximiani Treuirenſis. 759. 766
Ogonis Monaſterium. 759
Olricus ſiue Otricus inſignis apud Saxones. 157
Oleronis inſula. 290. 318
Oliba Engoliſmenſis Ep. 322
Ollegrius Tarraconenſis Ep. 340
Olmeti mons. 665
Ologicus vrbs. 69
Olus flumen. 104
Olympiades. 306
Olyſippona vrbs. 73
Onoulfus Odoacris frater. 66
S. Optatus Autiſſiodorenſis Ep. 418. 419. 567
Or mons in quo Monaſterium. 359
Orandi forma Laicis tradita. 177
Orba vrbs. 563
Ordinis S. Spiritus inſtitutio ab Henrico III. 522
Orgiacus villa. 364
Orientalis & Occidentalis Francia. 336
Ornamenta pretioſa Eccleſiæ S. Vitoni 166. 167
Orontius Finæus Regius Pariſiis Profeſſor. 522
Oroſa fluuius. 437
Oſca vrbs. 340
Oſcarenſis pagus. 364
Oſcytellus Eboracenſis Archiep. 323
Oſeriuilla. 271
Oſmundus de Caluomonte. 367
Oſvvaldus Eboracenſis Archiep. 323
Oſvvinus Anglorum Rex. 312
Oſtienſis ſiue Hoſtienſis Ep. 317
Otbertus Leodienſis Ep. 338. 339
Otbertus Flauiniacenſis Præpoſitus ſub Vvalone Auguſt. Ep. 792
Otbrannus Abbas. 276. 282
Otho ſeu Otto I. Imp. filius Henrici Aucupis. 124. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 153. 134. 136. 674. 751. 752. 758. 768
Otho II. Imp. Rufus. 135. 136. 157. 275. 286. 670
Otto III. Imperator. 157. 159. 163. 671. 674. 678
Otto IV. Imperator, dictus Comes Pictus, id eſt Pictauenſis. 295. 327. 346. 571. 572
Otho Hugonis Magni filius frater Capeti Dux Burgundiæ. 158. 395
Otho Dux Lotharienſium. 129
Otto-Vvillelmus Burgundiorum Comes. 294. 657
Otto Conſtantienſis Epiſcopus. 210
Otto Comes nepos Hugonis Ep. 272

P

Pacis baiulus. 497
Padaborna ſeu Patriſbrenna. 118
Paduanus Ep. Gregorii VII. Papæ Legatus. 258
Pagani ſe fingunt Chriſtianos. 64
Paganus Aurelianenſis Regis Franciæ Buticularius. 655
Palatini Oratorii Abbas. 699
S. Palladia Virgo. 540
Palladius Autiſſiodorenſis Ep. ex Abbate ſancti Germani. 425. 426. 427
Paneas. 666
Panis ex argilla mixta farinæ. 183
Pandulfus Agaunenſis Abbas. 273
Pandulfus Subdiaconus Cardin. Legatus in Angliam. 571
S. Pantaleonis brachium. 166
Papa quomodo eligendus. 592
Papia eiúſque palatium. 125. 131. 173
Papienſis & Vercellenſis Epiſcopi igne necati. 125
S. Papolus Metenſis Ep. 682
S. Pardulfus Abbas. 634
Paredum Monaſterium. 448
Pario ex marmore ſepulchrum. 542
Pariſienſia Concilia & Conuentus. 374. 578. 381. 382. 477
Pariſienſis obſidio. 125
Pariſienſe Palatium à Philippo Pulchro exſtructum. 660
Partheniacum. 277
Parthenius, V. I. 692
Patrona ſeu Perſona. 125. 126. 336
Partenſis pagus. 565
Paſchale Victoris Aquitani. 286
Paſchalis I. Papa. 119
Paſchalis II. Papa. 247. 262. 316. 458. 459
S. Paſchaſia Flauiniacum delata. 792
Paſtor pater S. Aunarii Autiſſiod. Ep. 419. 528
Paſtorum cohors ſeu proceſſio. 291. 378
Paſtorales repreſſi. 384. 385
Paſcuaticum cenſum porcorum. 272
Paſſagium generale vltramarinum. 386
Paſſiones Dominicæ. 189
Paterini dicti qui Gregorio VII. Papæ adhærebant. 228
S. Patiens Lugdunenſis Archiep. 418. 552. 565
Patriciaca cella. 574
S. Patricius Hiberniæ patronus. 537
S. Pauli Abbatia Virduni à Vigfrido Ep. fundata. 157
S. Pauli Monaſt. Romæ. 755
Pauliacus villa ruris Senonici. 547
Paulinus Aquileienſ. Patr. 212. 253
S. Paulinus Eboracenſis Archiep. 322
S. Paulus Narbonenſis Ep. 633. 805. 804
Paulus I. Papa. 116

Paulus Rotomagenſis Archiep. 365
S. Paulus Virdunenſis Ep. frater ſancti Germani. 101.102.108
Paulus Abbas Caſtulienſis. 638
Pedibus nudis ſatisfacere. 289
Pelagii papæ Epiſtola ad S. Aunarium Autiod. Ep. 420
Pelegrinus Colonienſis Archiep. 337
Pelagiani in Britannia. 416
Pelliparius. 616
B. Pelagia mater S. Aredii. 631
Pelagius Papa. 212. 283
Penninarum Alpium iuga. 554
Peppo Virdunenſis Ep. 104. 107
Perdonare ſeptimam partem peccatorum. 289
S. Peregrinus Autiſſiodor. Ep. & Martyr. 411. 412. 526. 527. 528
S. Perpetuus Turonenſis Archiep. 285. 334
Perrona, vide Parrona.
Perſarum regum nomina. 305
Perſicum bellum nocturnum. 12
Perſecutiones Chriſtianorum. 9.10.11
Peruſium. 356
Peſtis horrenda. 183
Petronax Dux. 104
SS. Petrus & Paulus Romæ paſſi. 8
S. Petri ad Vincula Eccleſia. 668
S. Petri reliquiæ. 630
S. Petri Carnotenſis Cœnobium. 288
S. Petrus diſcipulos mittit in Gallias. 77
Petrus Leonis Antipapa. 277. 294
Petrus de Corbario ſeu Nicolaus V. Antipapa. 385
Petrus Albanenſis Gregorii VII. Legatus. 221
Petrus Capuenſis Card. Legatus. 295
Petrus de Caſtronouo Sedis Apoſtolicæ Legatus. 341
Petrus Columna Cardinalis. 382
Petrus de Columbario Cardinalis Oſtienſis Romæ coronat Carolum IV. Imperatorem. 354
Petrus de Cruſo ex Decano Pariſienſi & Epiſcopo Silvanectenſi & Autiſſiodorenſi Cardinalis. 390
Petrus de Murrhone, vide Cæleſtinus V.
Petrus Igneus Cardinalis. 230. 231
Petrus Præneſtinus Ep. Card. S. R. E. Cancellarius. 390
Petrus titulo S. Praxedis Cardinalis. 386
Petrus Rogerij Lemouicenſis, Ep. Atrebatenſ. Archiep. Senonenſis, tum Rotomagenſis Card. & Papa Clemens VI. 329. 385
Petrus Aquenſis Archiep. 253
Petrus Aymonis Autiſſiod. Ep. 516. 517
Petrus de Bellapertica Ep. Autiſſiodorenſis Decanus Pariſienſis & Cancellarius regis. 508. 509. 588
Petrus de Greſſio vel de Greſſibus Ep. Autiſſiodorenſis & Cancellarius Franciæ. 509. 588. 590
Petrus de Longolio Autiſſiodor. Ep. 517
Petrus de Mornain Autiſſiodor. Ep. & Cancellarius regis, vſque ad mortem. 508. 588
Petrus de Mortuomari Card. Ep. Autiſſiodor. compater regis. 509. 510
Petrus Oſtienſis Card. 593
Petrus de Villaris Autiſſiod. tum Bajocenſis Epiſc. 125
Petrus Bituricenſis Archiep. 316. 317
Petrus Carcaſſonenſis Ep. 797
Petrus Gerundenſis Ep. 334
Petrus Lemouicenſis Ep. 634
Petrus Magalonenſis Epiſcopus. 795
Petrus Pariſienſis Ep. 492
Petrus Rotomagenſis Archiep. 364
Petrus de Colle medio Rotomagen. Archiep. 376. 377
Petrus de Corbolio præceptor Innocentii III. papæ Senonenſis Archiep. 476. 478. 483. 485
Petrus Taruiſinus Virdunenſi Epiſcopatu donatus à Carolo M. 117
Petrus Daneſius regius profeſſor Vaurenſis Ep. 521
Petrus Ticinenſis Ep. 104
Petrus Camerarius Papæ. 642
Petrus Clericus de Capella regis Angliæ. 263
Petrus Viel Theologus. 522
Petrus Cluniacenſis Abbas. 397
Petrus Belnenſis Diuionenſis Abbas. 295
Petrus de Graceio Diuionenſis Abbas. 595
Petrus Trenorchienſis Abbas. 642
Petrus Vezeliacenſis Abbas. 398
Petrus S. Victoria Maſſilienſis Abbas. 340
Petrus Flaminchi S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 343
Petrus Salomonis S. Victoris Maſſil. Abbas 340
Petrus S. Vincentij Metenſis Abbas. 347
Petrus Franciſcus Prior Cartuſiæ. 639
Petrus Alfonſi filius Rex Aragoniæ. 341. 353
Petrus Aragoniæ & Siciliæ rex eiuſque literæ. 380. 381
Petrus de Curtiniaco Autiſſiodorenſis & Niuernenſis Comes & Imp. CP. 474. 475. 476. 482. 484. 489. 493. 578. 579
Petrus de Brochia. 379
Petrus Alenconienſis Comes. 381
Petrus de Auxeio. 514
Petrus de Bullaro. 494
Petrus de Corcione. 474. 476
Petrus Dignon miles. 590
Petrus Drocenſis Comes ſiue Dux Britanniæ. 327
Petrus Borbonij Dux. 399
Petrus de Ceruala. 343
Petrus Hungariæ Rex. 337
Petrus Melgorii Comes. 399. 800. 801
Phaleratæ Sermonum ſpumæ. 668
S. Philibertus Abbas 323. 365
Philippus Imperator Rom. 346
Philippus I. Rex Franciæ. 259. 276. 281. 282. 283. 296. 655
Philippus II. Auguſtus rex Francorum. 280. 295. 297. 320. 321. 369. 370. 371. 372. 373. 374. eius diploma. 484
Philippus III. Audax rex Francorum. 380. 381
Philippus IV. Pulcher Rex Francorum. 381. 382. 383. 384. 659. 660. 664
Philippus V. Longus rex Francorum & Nauarræorum. 383. 384. 385. 860
Philippus VI. Valeſius rex Francorum. 385. 386 387. 390

Philippus Rex filius Ludouici Craſſi. 297. 360
Philippus filius Philippi Valeſii Dux Aurelianenſis. 386
Philippus Bononiæ Comes. 317. 328
Philippus Ebroicenſis Comes & rex Nauarræ. 385. 386. 387
Philippus vltimus Dux Burgundiæ gener Comitis Flandrenſis. 315
Philippus de la Bourdaiſiere Autiſſiodor. Ep. 521. 523
Philippus de Eſſartis Autiſſiod. Ep. 517
Philippus de Lenoncourt Autiſſiod. Ep. 521
Philippus Belluacenſis Ep. 327
Philippus Catalaunenſis Ep. 254. 296
Philippus Ebroicenſis Ep. 380
Philippus de Florenges Metenſis Ep. 347
Philippus Trecenſis Ep. 259
Philippus Virdunenſis Ep. 85
Philippus Diuionenſis Abbas. 295
Philippus de Ambleuilla Decanus Rotomagenſis. 379
Phrygia Salutaris. 13
Phylacteria. 167
Pibo Tullenſis Ep. 215
Pictauenſia Comitia ſub Hugone Dienſi & ſub Ioanne & Benedicto Legatis. 202. 206. 255. 256. 257. 260. 282
Picti & Saxones. 416
Piletus Alemannus Comes. 373
Piminiola S. Hilarii Arelatenſis vxor. 84
S. Pionius paſſus. 9
Pippinus Maiordomus. 101. 269
Pippinus ſenior ſeu Heriſtallius Maiordomus Franciæ. 113. 114. 283
Pippinus Breuis ex Maiore Rex Franciæ 104. 105. 107. 114 115. 116. 180. 283. 293. 728
Pipinus filius Caroli-Magni Rex Italiæ. 117. 119. 284
Pipinus Aquitaniæ Rex. 119. 291. 321
Pipinus iunior eius filius. 120. 292
S. Pipio Leuita. 779
Piſarum vrbs. 355
Piſciculi pluunt de cœlo. 360
Piſtoria vrbs. 356
Pitaruilla. 389
Pithiueris caſtrum. 486
Pius V. Papa. 522
Pius cognominatus S. Odilo. 173
Placentinus Ep. 316
Placidia Auguſta. 64. 414 416. 537. 553
Plauſtra, vide carri.
Plectrudis vxor Pipini Heriſtallii. 331
Plutarchus Chæronenſis. 522
Podium. 630. vide Anicium, ſiue Anicium.
Pœnitentia Petri Comitis Autiſſiodorenſis. 476
Poëneiacum caſtrum. 615
Poiſſiacenſe Monaſterium. 660
Poliacum ſuper Ararim. 158
S. Polycarpus Smyrnenſis Ep. 9. 412
Polycarpus Senonenſis Archiep. 780
Polychronius, vide Pulchronius.
Pompegiacum prædium. 714
Pompeianis villa. 554
Pons Albiæ. 241
Pons-Audomari. 385
Pons Vrſonis. 352
Ponteleneuſe prælium. 275. 286
Pontiniacenſe Cœnobium. 458. 461. 465. 480
Pontius ſeu Poncius Comes. 371
Pontius Bellicenſis Ep. 642
Pontius Anicienſis ſeu Podienſis Ep. ex Abbate Caſæ-Dei. 269
Pontius Fraxinenſis Abbas. 215
Pontius Grimeuſis Comes. 245
Pontius de Rubeo monte. 271
Pontius Vezeliacenſis Abbas. 397
Poplicani hæretici. 397
Poppo Metenſis Ep. 240. 346
Poppo Traiectenſis ſeu Dabentrenſis hoc eſt Vltraiectinus Ep. 753
Populetum Monaſterium. 353
S. Porcaria Virgo. 540
Portagium Trecenſe. 504
Portarum Cartuſia. 639
Portus-Saracenus. 796
Portuenſis Ep. 229
S. Poſſeſſor Virdunenſis Ep. 85
Præcentura. 261
Præfecti prætorio, vide Maiores-domus.
S. Præiectus Ep Aruernenſis Martyr, eiúſque corpus Flauiniacum delatum. 94 116. 118. 248. 269. 635. 791. 793
Præmonſtratenſis Ordo. 397. 465
Præpoſitus Sinemurenſis. 246
Præſtaria. 117. vide Precaria.
S. Prætextatus Rotomagenſis Archiep. 365
Pratum-belli. 366
Prateuſe Monaſterium. 368
Pratellenſe caſtrum. 368
Pratum indominicatum. 245
Precaria ſiue præſtaria. 117. 285. 769
Primaldus S. Albini Abbas. 275
Primicerius Scholæ Notariorum. 668
Primiſcrinius. 248
S. Primus Martyr. 632
Prior de Boniaco. 510
B Priſcæ tit. Cardinalis. 291
Priſcianus Grammaticus. 334
S. Priſcus Martyr. 412. 416. 535
Priuatarum Comes. 668
Priuilegium de Regalibus datum Eccleſiæ Autiſſidorenſi. 484
Probus Imperator occiſus. 11
Proceſſiones puerorum & puellarum. 372
Procopius latro nocturnus. 13
Pronicius Meldenſis Ep. 413
Prophetarum nomina. 306
S. Proſper Aquitanus S. Leonis Magni Papæ Notarius. 637. eius Chronicon integrum ab orbe condito ad annum. 455. à pag. 16. ad 60
Protadius Majordomus Burg. 100
Protector ſacri lateris. 411
Prouincia. 343
Prumienſe Monaſterium in Diœceſi Treuirenſi. 111. 284. 292. 735
Pruitinum. 380
S. Pſalmodius. 635
Puella naſcitur habens vbera lacte plena. 398
Pueri pupillæ inſcriptæ. 397
S. Pulchronius ſeu Polychronius Virdunenſis Ep. 83. 84. 85. eius ciborium. 166
Pulpitum ex laminis æreis deauratis ornatum

varîis imaginibus. 165
Pulueraricum. 116
Pulteriæ & Pulrerienſe Monaſterium. 594. 395
Putei alti tri Belſa. 745
Puyſaia. 509. 515

Q

Quadruuium. 105
Quaternunculi. 119
Quintianus ex Abbate S. Germani Autiſſiodorenſis Ep.. 430
S. Quintinua Veromandis cœſus eiúſque oppidum. 126. 127. 734
S. Quintini de Monte. 169
S. Quintini Bellouacenſis Canonici Regulares. 261
Quiriacus Namuetenſis Ep. 288. 516

R

Rabanus Moguntinus Archiep. 3:6
Radagaiſus Scytha. 63
Rado Notarius Regins. 270
S. Radegundis S. Martialis hoſpita. 655
Radicoſannm. 355
Radulſus Andegauenſis Ep. 280
Radulfus Dunelmenſis Ep. 608
Radulfus de Chierre, Cheuri, aut Cheuriers Ebroicenſis Ep. 376. 378 579
Radulſus Orcadnm Ep. 608
Radulfns Turonenſis Archiep. 202. 258
Radulfus de Podio Dolenſis Abbas. 317
Radulfus S. Michaëlis Abbas. 348
Radnlfus S. Petri Caralaunenſis Abbas. 296
Radulfus S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 340
Radulfus S. Vitoni Abbas. 294
Radulfus Angi Comes Conſtabularius Franciæ. 387
Radulfus Largus Dolenſis dominus. 515
Radulfus Caluus Dolenſis dominus. 315
Radulfus Prudens filius Odonis Senioris Dolenſis domini. 316
Radulfus Senex Dolenſis dominus. 316
Radulfus Infans Dolenſis dominns. 316
Radulfus Adoleſcens filius Ebbonis III. Dolenſis domini. 317
Radulfus Exoldunenſis dominns filius Odonis Dolenſis. 316
Radulfus Comes frater Ricardi I. Ducis Normanniæ. 366
Radulfus Viromandenſis Comes. 396
Radulfus miles. 634
Rafica ſeu Raficanum. 805
Raganfredus ſeu Rainfredus Major-domus Franciæ. 103. 104. 107. 359. 331
Ragenfredus Rotomagenſis Archiep. 365
Ragenfredus Archidiaconus. 429
Ragenardus, vide Rainardus.
Raginaldus, vide Rainaldns.
Raginerus, vide Rainerus.
Ragnoata mater S. Aunarii. 419. 518
Ragoardus Rotomagenſis Archiep. 565
Raherei ſeu Ratherii curtis. 117
Rainaldus ſeu Raginaldus Comes Burgundiæ filins Othonis-Vuillelmi. 158. 174. 270
Rainaldus Arbatilicenſis Comes. 284. 291. 324
Rainaldus Barri Comes. 346
Rainaldus de Caſtro Guntherii. 288
Rainaldus de Granciaco. 243
Rainaldus de Narbona. 576
Rainaldus Comes Niuernenſis & Autiſſiodorenſis filius Landrici Niuernenſis Comitis. 270. 395. 396. 400. 573. 574
Rainaldus de S. Valerico. 352
Rainaldus Andegauenſis Ep. 275. 276. 277. 280. 283. 286
Rainaldus Pariſienſis Ep. 661
Rainaldns Cumanus Ep. 206
Rainaldus Remenſis Archiep. 240. 277. 361
Rainaldus S. Albini Andegauenſis Abbas. 275
Rainaldus Flaniniacenſis Abbas frater Ducis Burgundiæ affinitate iûnctus Philippo Francorum Regi. 241. 242. 272. 792
Rainaldus Vezeliacenſis Abbas. 396
Rainaldus I. Vindocinenſis Abbas. 291
Rainaldus II. Vindocinenſis Abbas. 291
Rainaldus S Mauricii Andegauenſis Archidiaconus Chronicæ anctor. 282
Rainardus ſeu Reginardus Autiſſiodorenſis Vicecomes. 439. 440. 442
Rainardus Leodienſis Ep. 357
Rainardus cognomento Hugo Lingonenſis Ep. 199. 294
Rainardus Dolenſis Abbas. 515
Rainerus ſeu Raginerus Longicollus Hanno-niæ Comes. 136. vide Raynerius.
Raingaria mater Heriberti Autiſſiodorenſis Ep. 446
Raingus Prælatus Flauiniacenſis. 792
Rainaldus Rotomagenſis Archiep. 365
Raino Andegauenſis Ep. 285
Raino Magabrenſis Abbas. 792
Raino ſeu Ramo propinquus Ranulfi Pictauenſis Comitis. 292. 324
Rainogala ſcriptor. 434
Rambertus Virdunenſis Ep. 174. 186
Ranconia caſtrum. 292
Randinus Preſbyter. 750. 752. 753
Ranemirus ex Monacho Rex Aragoniæ. 355
Ranulfus ſeu Ramnulfus Comes Pictauenſis. 292. 324. 325
Ranulfus Engoliſmenſis Ep. 325
Ranulfus Dolenſis Abbas. 515
Ranulfus S. Michaëlis Abbas. 348
Ranulfus S. Vincentii Metenſis Abbas. 546
Rathcrius Archicancellarius. 271
Ratherius Leodienſis Ep. 356
Ratherius Niuerni Comes. 399
Ratholdus Noniomenſis Ep. 203
Rationale diuinorum officiorum. 514
Rauenna. 416. 417
R. Rutenenſis Comes. 193
Raimbaldus Arelatenſis Archiep. 797
Raymundus S Ægidii Comes. 341
Raymundus Berengarii Barcinonenſis Comes. 340
Raimundus Borrelli Comes Barcinonenſis. 339
Raymundus Berengarii Prouinciæ Comes & Marchio, frater Alfonſi Regis Aragoniæ & Comes Barcinonenſis. 341
Raimundus Barcinonis & Prouinciæ Comes.

340
Raimundus Bereugarius Barcinonæ Comes Cap d Eſtoupes dictus, Maritus Dulciæ. 353
Raymundus Comes Prouinciæ qui in obſidione Nicienſi interiit. 353
Raimundus tertius filius Raymundi Berengarii & Petronillæ. 353
Raymundus Raymundi, Bereugarii tertio geniti filius duxit nepiem Friderici I. Imperatoris. 353
Raymundus Barralus Maſſilienſis Vicecomes. 341
Raymundus de Bauxio. 353
Raymundus Toloſæ Comes. 281
Raymundus vltimus Toloſæ Comes. 342
Raymundus Melgorii Comes. 800
Raymundus Dolenſis Abbas. 316
Raynerius Flamingus Pariſienſis ciuis. 664
Raynerius Normannus. 394
Recapolis Celtiberiæ vrbs 68
Recaredus Vviſigothorum Rex. 68
Recentarium. 424
Rechiarius Alanorum Rex. 538
Rechiarius Sueuorum Rex. 65. 72
Rechila ſeu Rechilanus Sueuorum Rex. 72
Recemmundus inter Palatina officia Regis Saracenorum. 774
Reddenſis Comitatus. 805
Regalia ad Epiſcopum pertinentia. 460
Regennarum caſtrum. 513. 525
S. Reginæ Alſenſis corpus & Baſilica. 121. 122. 269. 272. 791
Reginaldus, vide Raginaldus & Rainaldus.
Reginaldus Bononiæ Comes. 371. 372. 373
Reginaldus de Porta Lemouicenſis Ep. 635
Reginaldus de Siligniaco Autiſſiodorenſis Ep. 497. 499
Reginaldus Vindocinenſis Abbas ex Priore. 491
Reginaldus Martinus Secretarius Iacobi Amyoti Ep. Autiſſiod. 523
Regium ciuitas Lombardiæ. 637
Regnaudus Pariſienſis Epiſ. vide Raginaldus. 95
Regnaudus Autiſſiodorenſis Decanus. 582
Regnaudus de Iqceualle Abbas S. Germani Autiſſiodorenſis ex Priore. 581
Regnaudus Rongeſer miles. 494. 499. 500
Regnerus S. Vincentii Metenſis Abbas. 347
Regniacum Ciſtercienſis Ordin. Abbatia. 461. 462
Regulæ Monaſterium 286
Reimboldus Spirenſis Ep. 130
Reliquiæ de Ligno Crucis Domini & corporibus Sanctorum pendebant è collo Richardi S. Vitoni Abbatis. 179
S. Remaclus ex Solemiacenſi Abbate Tungrenſis Ep. 637. 335
S. Remacli Cœnobium. 169
Remenſia Concilia ſub Leone IX 293. 396. ſub Innocentio II. 361. 397. ſub Eugenio III. 297. 361
Remenſis Campania. 95
Remenſis Eccleſia præeminet omnibus Belgicæ Eccleſiis. 160
Remiecha locus in Littore Moſellæ. 736
S. Remigius Remenſis Archiep. 86. 358. 359. 360. 549
S. Remigii Abbas. 360
Remigius Lugdunenſis Archiep. 120. 122
Remigius Rotomagenſis Archiep. 365
Remigius Autiſſiodorenſis plurimorum Magiſter. 744. 758
Remigius Notarius. 270
Remiſmundus Sueuorum Rex. 66. 73
Remundus Auguſtodunenſis Ep. 135
Renaldus Malliaci Dominus filius Vvillelmi I. Niuernenſis Comitis. 400
Renaldus filius Vvillelmi II. Comitis Niuernenſis. 400
Renatus du Pleſſis ex domo de Richelieu Infirmarius Dolenſis Monaſterii. 319
Renatus de Pria Card. Ep. Bajocenſis & Dolenſis Abbas. 319
Renoldus de la Bonbloniere Ep. Pariſienſis ex Canonico. 380
Reomum ſeu Reomenſis Abbatia. 118. 572
Reſeruario Dolenſis Abbatiæ. 318
Reſterenſis ſeu Regiſterenſis Comes. 407
Reſurrectionis Dominicæ locus. 665
Rerrobandum. 387
Rhegienſis in Calabria Archiepiſcopus à S. Brunone recuſatus. 639
Rhinocorura. 666
Ricardus ſeu Richardus Iuſticiarius Dux Burgundiæ tutor Ludouici Orbi cum Regina. 122. 123. 285. 365. 399. 439. 440. 442. 792
Ricardus I. Normanniæ Dux ſeu Vetus. 129. 158. 325. 348. 366
Ricardus II. Normanniæ Dux. 158. 174. 176. 177. 182. 184. 315. 348 366. 449. 572.
Ricardus III. Normaniæ Dux. 184. 326. 348. 366
Ricardus Angliæ Rex. 278. 279. 280. 290. 317. 310. 369. 370
Ricardus filius Henrici Angliæ Regis. 367
Ricardus Comes de Ceſtria. 367. 373
Ricardus Cornubiæ Comes deinde Rex Germaniæ. 342. 377. 378
Ricardus de Muſca. 349. 352
Ricardus Albanenſis Ep. ex S. Stephani Metenſis Decano Legatus in Franciam. 265. 269. 576
Ricardus S. Auguſti Diaconus Card. 583
Ricardus Abrincenſis Ep. 349. 352
Ricardus Autiſſiodorenſis Ep. 446
Ricardus Narbonenſis Archiep. ex Abbate S. Victoris Maſſilienſis. 340
Ricardus Rotomagenſis Archiep. 658
Ricardus filius Hildradi Comitis, B. Ricardi Abbatis S. Vitoni filiolus, Ep. Virdunenſis. 158 186. 188. 189. 190. 194
Ricardus Abbas Belliloci. 188. 189
Ricardus de Monte S. Michaëlis de Tumba Abbas. 349
Ricardus S. Victoris Maſſilienſis Abbas. 340.
B. Ricardus S. Vitoni Virdunenſis Abbas primùm Præcentor & Archidiaconus Remenſis à Crucifixo benedicitur, fit Monachus abſque conſenſu Remenſis Archiepiſcopi, pauperibus familiaris, prædixit mortem Odiliæ, gratus in benefactores, memor defunctorum, dictus Gratia Dei, petit Hieroſolymam, redit, moritur, &c. quæ fusè reperies

paginis 159. 160. 162. 163. 166. 167. 168 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. vſque ad 189. dein 269. 294
Ricardus Decanus Rotomagenſis. 364
Riccimirus filius Svvinthilæ Regis. 69
Riceianum Sacerdotium in finibus Lingonum. 519
Richarius ſeu Richetius Leodienſis Epiſc. 336. 755
S. Richarii Abbatia. 169
Richardus, vide ſupra Ricardus.
Richerus Virdunenſis Ep. 240
Richizo vitricus Adalberonis I. Metenſis Ep. 768
Richilanes, vide Rechila.
Richoo Vormacenſis Ep. 530
Riecnini I. & II. Magalonenſes Ep. 794
Riculſus fraudulentus. 366
Ridelenus Ep. 269
Rigobertus Remenſis Archiep. 359
Riperia Ianuæ. 354
Riquinusſeu Ricuinus Comes. 744
Rithnerus Auguſtæ Tricorum ſeu Tricaſſinus Epiſc. 437
Riuipollenſe Cœnobium, eiuſque primi Abbates ab ingreſſu Maſſilienſium. 340
Robertus Fortis Andegauenſis Comes. 122
Robertus eius filius & Odonis Regis frater inuaſor regni. 124, 125. 285. 286. 315
Robertus Pius Francorum Rex. 158. 168. 272. 275. 286. 449. 572
Robertus Alenchei Comes. 661
Robertus filius Philippi Pulchri Regis Francorum. 660
Robertus de Beleſma ſeu Belliſmo. 281. 283 661
Robertus Bernardi Mareſcallus Franciæ. 387
Robertus Verulus Dux Burgundiæ, frater Henrici I. Regis Franciæ eiuſque quidam cognomines poſteri. 158. 186. 199. 293. 294. 296. 452, 573
Robertus II. Drocenſis & Branæ Comes 327
Robertus III. Drocenſis Comes. 327. 328
Robertus Hieroſolymitanus Flandriæ Comes. 338
Robertus Flandriæ Comes. 211. 241
Robertus Gloceſtriæ Comes. 277. 326. 368
Robertus Landrici Comitis filius. 573 574
Robertus Pictauinus Comes Lancaſtriæ. 661
Robertus ſeu Rotbertus, vide Rollo.
Roberti turris magna Rotomagi. 370
Robertus Dux Normanniæ. 184. 186. 241. 326
Robertus Corteheuſe Dux Normannorum. 326. 348. 349. 367
Robertus Apuliæ Dux. 229
Robertus Siciliæ Rex. 383
Robertus I. Attrebatenſis Comes, frater S. Ludouici. 377
Robertus II. Artebatenſis Comes. 382
Robertus Comes de Cortenaio. 373. 377
Robertus Hardirus. 349
Robertus & Ludouicus Namurcenſes fratres. 407
Robertus de Storeuilla. 317
Robertus filius Ducis Burgundiæ Auguſtodunenſis Ep. 294
Robertus Autiſſiodorenſis Ep. 293. 405. 454. 455. 456
Robertus de Lenoncourt Autiſſiodorenſis Ep. 521
Robertus de Lenoncourt Cardin. Abbas Dolenſis. 319
Robertus de Ableges Baiocenſis Ep. 370
Robertus de Aria præpoſitus electus Cameracenſis Ep. 361
Robertus de Thorota Lingonenſis Ep. dein Leodienſis. 393
Robertus Lingonenſis Ep. 294. 642. 657. 658
Robertus Metenſis Ep. 345. 673
Robertus Pullus Rotomagenſis Archiep. 365. 366. 371. 372. 374
Robertus Sagienſis Ep. 367
Robertus Treuirenſis Archiep. 529. 530. 531. 534
Robertus de Arbriſſellis fundator Ord Fontiſebraldi. 2[illegible]
Robertus S. Albini Andegauen. Abbas. 277. 278
Robertus Caſæ-Dei Abbas, 197. vbi m[illegible]tio libelli de eius vita.
Robertus de Torinneio S. Michaëlis de Monte Abbas. 349
B. Robertus Moliſmenſis Abbas fundator Ord. Ciſtercienſis. 640. 641. 642 647. 648. 649. 650
Robertus Vezeliacenſis Abbas. 395
Robertus S. Vincentii Metenſis Abbas. 346
Robertus Vindocinenſis Abbas. 290
Robertus Nouiomenſis Decanus. 364
Robertus de Nouoburgo Rotomagenſis Decanus. 369
Robertus præpoſitus Andegauenſis. 288
Robertus de Ordine Prædicatorum Inquiſitor Hæreticæ prauitatis. 581
Robertus Flauiniacenſis Abbas. 791
Robinus Caprarii. 500
Roccones populi montani. 69
Roccæ Marinæ caſtrum. 341
Rocho Dolenſis Abbas. 315
Roclenus Cabillonenſis Epiſcopus. 194
Rodobeccæ porta Rotomagi. 370
Rodohinus Sueſſionenſis Ep. auunculus Geraudi Autiſſiodor. Ep. 441
Rodomum. 129. 161. 781. vide Rotomagus.
Rogationes in Eccleſia Autiſſiod. 410
Rodulſus, vide Radulfus & Rudolfus.
Rogerius Eboracenſis Archiep. 327
Rogerius Catalaunenſis Ep. 185. 168
Rogerius I. Abbas S. Michaëlis. 348
Rogerius II. Abbas S. Michaëlis. 348
Rogerius de Monte Gommerici Comes Arundelli. 661
Rofridus Comes. 111
Rohaldus Abbas S. Vitoni. 159
Roho Engoliſmenſis Epiſcopus. 334
Rolandus Scholæ Cantorum in domo S. Stephani Metenſis præſidens. 746
Rollo dictus deinde Robertus Normannorum primus Dux. 126. 285. 325. 348. 365
Rollo ſignum in Abbatia Montis ſancti Michaëlis ad Britones arcendos. 352
Roma capta à Gothis. 63 64
Romani proceres dicti. 3
Romania. 10
Romaniola. 381

Romana Concilia ſub Agapeto II. 131. ſub Alexandro II. 316. ſub Gregorio VII. 196. 214
S. Romanus Rotomagenſis Archiep. 365. eius brachio aqua ſiſtitur. 382. Redditus S. Romano in die Aſcenſionis reus Richardus de Montibus. 377
S. Romani caſtrum Valentinenſis Epiſcopatus. 639
Rumanum Monaſterium vltra Iurenſes partes. 787
Romanus Cardinalis Legatus. 374. 375
Romanus Autiſſidorenſis Ep. 419
S. Romaricus Abbas. 781
Romarici montis Cœnobium. 185
Romuodus ſiue Rormondus Auguſtodunenſis Ep à S. Georgio flagellatus interiit. 127. 272. 792
Rombechus. 185
Roncelinus Vicecomes. 341
Roquamora ſeu Rocamaura ſuper Rhodanum. 384
S. Roricius ſeu Ruricius Lemouiceoſis Epiſ. 633
Roſtagnus Lodouenſis Ep. 797
Rorico Laudonenſis Ep. 134
Rotaticum. 116
Rotella ſeu Rotelliuncula nigellata. 423. 425
Rotbertus, vide Robertos & Rullo.
Rotgerius, vide Rogerius.
Rotgerius I. Catalaunenſis Ep. fundator Cœnobii ſancti Petri. 296
Rotgerius II. Catalauneoſis Ep. 296
Rotgerius III. Catalaunenſis Ep. 296
Rotgerius Monachus tempore ſancti Bernardi. 638
Rothardus à Leodio S. Vitoni Monachus. 169
Rothonenſe Monaſterium & pagus. 349. 350. 426
Rutblannos Abbas S. Germani Autiſſiodorenſis. 574
Rotlindis Monialis. 725
Rotmundus, vide Romoodus.
Rotomagus. 120. 182. 186. vetus Rotomagus. 723. Turris Rotomagenſis. 349. Concilium Rotomagenſe contra Monachos S. Audœni. 367
Rotrodus Rotomagenſis Archiep. 368
Rualis Abbas Hildenſis. 351
Ruardus Ebroicenſis Ep. ex Abbate Beccenſi. 376
Rudolphus, ſeu Rodulſus, aut Radulſus Rex Francorum ex Duce Burgundiæ. 124. 125. 126. 127. 286. 315. 795
Rodolfus Iurenſis ſeu Ciſalpinæ Galliæ rex 152. 124. 125. 116 157. 158
Rudolfos Ignauus vltimus Burgundiæ Rex. 134. 154. 185
Rudolſus ex Duce Germaniæ rex electus. 218. 219. 220. 223. 224. 226. 298. 338
Rudolſus Imperator. 382
Rudolſus Theobaldus Dolenſis dominus. 316
Rudolſus Fulgeriarum dominus. 279
Rudolſus Seneſcallus. 290
Rudolſus Laudonenſis Ep. 130. 131
Rudolſus Remenſis Archiep. 361
Rudolſus S. Vitoni Virdunenſis Abbas. 190. 197. 215. 225. 226. 227. 235. 236. 239. 240. 243. 247. 264. 265. 266. 267. 268. 269
Rodulſus de Hoſpitali ſancti Victoris Pariſienſis Abbas. 495
Rudolfos Monachus, vide Glaber Rudolfus. 158
S. Ruffina Virgo & Martyr. 634
Roſus de Caſtronouo. 344
Ruminienſe caſtrum. 407
Ruorpertus ſeu Rorbertus Metenſis Epiſcop. 737
Rupella. 317
Rupes Abbatia Ord. Ciſtercienſis. 461. 462
Rupes Amatoris. 650
Rupes Cauardi. 633
Rupilius ciuis Autiſſiodorenſis. 414. 535
Ruſticiagus villa. 707
Ruſticus ex Abbate Palatini Oratorii Cadurcenſis Ep. frater S. Deſiderij. 699. 701. 702
Ruſticus pater S. Germani Autiſſiodorenſis Ep. 414. 415. 536
Ruthenenſis Comes. 183
Rutilij viri illuſtris domus. 531

S

SAbaudi Ducis filia. 353
Sabbato ſancto ignis in Templo Hieroſolymitano diuinitus accenſus. 178
Salinæ Comitatus. 356
Sabolium ſeu Sablolium. 279
S. Sacerdos Lemouicenſis Ep. 637
Sacirclus Martyr. 67
Sacri-Cæſaris caſtrum. 293
ſanctus Sagittarius. 633
Sagimen. 634
Saiguiacum. 400
Saladinus. 295. 297
Salaniacom caſtrum. 634
Salariolæ. 423. 424
Salecho Clericus. 750. 752
Salernum. 158 eò ſe confert, ibique moritur Gregorius VII. Papa. 229. 232
Saleſbyria. 598. 599
Salicoſa. 376
Salina villa in qua fit ſal. 278
Salinæ apud Vicum in Lotharingia. 764
Salinarum mare. 666
Salinæ vrbs & Salinenſis Caldaria. 242. 270. 564
Sallaumnes Gothorum legatus. 66
Sallia fluuios, ſeu Salia. 734
Salluſtius Agenenſis Ep. 707
Salluſtius Hiſtoricus natus & mortuus. 6. 7
Salluſtius occiſus. 15
Salmorum caſtrum. 275. 287. 350
Saloco Dolenſis Epiſcopus ex Flauiniacenſi Monacho. 122
Salocon Ionæ Auguſtoduoenſis Ep. Coëpiſcopus. 272
Salomon Dux ſeu Rex Britonum. 280. 284. 285. 349. 350
Saluam firmantiam offerre. 244
Saluamentum. 246. 372
Saluatoris ſignum in Oriente apparens. 52
Saluatoris Lemouicenſe Monaſterium. 291. 335
Saluinus Virdunenſis Ep. 83
Saluius pater ſancti Deſiderii Cadurcenſis Ep. 699. 700. 701

Senator Presbyteri. 538
Seueem amnis. 473
Senia Rex Saracenorum. 339
Senonenſis Synodus. 485
Senonienſe Monaſterium in partibus Voſagi. 757
Sepra oppidum. 67
Sepulchrum Domini Hieroſolymis. 122. 178. 315
Sequanæ inundatio. 662
S. Serena. 633
Sergius Paulus, vide S Paulus Narb. Ep.
Sergius II. Papa. 120
Serlo S Petri Glouceſtrenſis Abbas. 351
Seruii Centimetrum. 668
S. Seroulus. 681
Serzana Diœceſis Lunenſis. 355
Seſanna in Campania. 327
S. Seuerinus Colonienſis Archiep. 630. 720
Seuerinus Senonenſis Archiep. 413
S. Seueri Monaſterium. 368
Seuerus Cæſar occiſus. 11
Seuerus Imperator obiit. 15
Seuerus Roromagenſis Archiep. 364
Seuerus Treuirenſis Archiep. 84 416
Seulfus Remenſis Archiep. 124. 125. 116. 362. 364
Seuſia. 375
Senerinus, vide Seguinus.
Siagrius, vide Syagrius.
Sibiliæ ciuitas. 342
Sigalouiæ ſeu Secaloniæ Archidiaconatus. 486
Sigalum ſeu Secale. 285
Sigardus Flauiniacenſis Abbas. 121. 791
Sigebertus Rex Franciæ. 64. 94. 95
Sigebertus Dagoberti filius Rex Auſtraſiæ. 102. 711
Sigeberti Theoderici Regis filii cædes. 101
Sigebertus Gemblacenſis Monachus. 390
Sigebodus Narbonenſis Archiep. 805
Sigefridus Moguntinus Archiep. 210
Sigifridus Comes. 157
Sigilla curiarum Regiarum. 386
Sigillum Papæ Gregorii. 229
Sigiſmundus Rex Burgundiæ. 86. 89. 690. 695
Siginaldus. 89
Sigloardi Remenſis Canonici Rythmus de Fulcone. 362. 363
Signius Archidiaconus Eduenſis. 261
Sigrada mater ſancti Leodegarii Auguſtodunenſis Ep. 777
Siguinus Colonienſis Archiep. 338
Siguinus Sanctonenſis Comes. 291. 324
S. Sigulena ſeu Segolena. 613
Silingi Vandali. 64
Siloa fons. 665
Siluæ Majoris Cattuſia. 639
S. Siluanus Martyr. 635
Siluerius Papa. 339
Silueſter II. Papa. vide Gerbertus.
Silueſter III Papa. 190
Silueſter Rotomag. Archiep. 365
Silueſter Redonenſis Ep. 202
Siluiniacum. 396
Simon Ageunenſis Ep. 316
Simon S. Cæciliæ Cardinalis Legatus. 378. 379. 380. 501. vide Martinus IV.
Simon de Seris Dolenſis Abbas. 318
Simon Montisfortis Comes. 341. 371. 372
Simon Montisfortis Leyceſtriæ Comes. 342. 378
Simon filius Comitis de Leyceſtria. 379
Simoniam Epiſcoporum exeeratur in publico conuentu Henricus III. Imp. 187
Simoniaci ſeruare non debent dignitatem. 194
Simpronia. 695
Singilis Bæticæ fluuius. 72
Sinemurus. 159. 249. 269. 792
Sinicius ſocius S. Sixti Rituenſis Ep. 77
Sion mons Hieroſolymis. 665
Siria Eboraci id eſt Comitatus Eboracenſis. 601
Siriandus ſancti Symphoriani Metenſis Abbas è Gorzienſi Cœnobio adductus. 678
Siſebutus Gothorum Rex. 69
Siſenandus Colimbriæ Princeps. 219
S. Sixtus II. Papa. 411. 412. 526
S. Siatus Remenſis Epiſcopus. 77
Societatis IESV Patres. 525
Sodornenſes. 339
Soffredus Card. ſedis R. E. 310
Solaeum. 630
Solarium dormitorii planis deficientibus ruit. 248
Solemnis Carnotenſis Ep. 413
Solemniacenſe Monaſterium. 631
Soldarii milites. 107
Solis eclipſis. 186. 285
Sombornonis caſtrum. 255
Soractis mons. 104
Soſtantia, vide Subſtantionenſes.
Sotulares B. M. Virginis. 630
Spalis & Spania, vide Hiſpalis & Hiſpania.
Sparnacum. 327
Speratus & ſocii Martyres. 119
Spinalium in Caluimontenſi pago. 673
Spinarii currus. 286
Spira. 319
Strabiliacus ſocer Chrorgandi qui contra Carolum Magnum rebellauit in Tharauſa ciuitate. 117
Stabulum ſeu Stabulaus Monaſterium in Diœceſi Leodienſi. 637
Stallum ad portam fiſcalem. 581
Stampæ. 655
Stephadium. 425
Stephana vxor Raymundi de Bauxio. 353
S. Stephani ſanguis allatus in Galliam à ſancto Martiali. 629
S. Stephani reliquiarum reuelatio. 15. 325
S. Stephani Cœnobium Niuernis. 400
S. Stephanus de Mureto fundator Ordinis Grandimontenſis. 634. 635
S. Stephanus I. Papa. 104. 107
Stephanus II. Papa. 116. 634
Stephanus IV. Papa. 119
Stephanus V. Papa. 122
Stephanus VI Papa. 124
Stephanus VIII. Papa. 129
Stephanus IX. Papa. 192
Sephanus Aruernenſis Ep. inuaſor ſedis Podienſis à Papa excommunicatus. 197. 101

Stephsous Bituricenſis Archiep. 317
Stephauus de Languetona Cantuarienſis Archiep. 371. 372
Stephanus Eboracenſis Abbas. 605. 606
Stephsnus Eduenſis Ep. 871
Stephsnus Metenſis Ep. 346
Stephanus Poncherius Senonenſis Archiep. 518
Stephanus de Mornayo Cancellarius Franciæ. 510
Stephanus de Caſtro Auuri Decanus Rothomagenſis. 376
Stephanus Nepeſinus Ep. Arcarius S. R. E. 805
Stephanus Africanus Preſbyter Poëta, eiúſque Epiſtola ad S. Aunarium Ep. Autiſſiodorenſem. 421 488
Stephanus Anglicus Ciſtercienſis Abbas. 646
Stephanus S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 591. 592
Stephsnus Præpoſitus Cœnobii ſancti Laurentii Leodienſis. 168. 181. 182
Stephanus Obaſinæ fundator. 637. 638
Stephanus Vezeliscenſis Abbas. 396
Stephsnus Sancti Victoris Maſſilienſis Abbas 343
Stephanus S. Vrbani Abbas. 188. 189
Stephsnus famulus S. Simeonis. 188
Stephsnus Angliæ Rex. 277. 278. 290. 326. 346. 349. 368
Stephanus Hungriæ Rex. 174
Stephanus de Baſſo. 494
Stephsnus filius Odonis II. Carnotenſis Comes. 186
Stephanus Carnotenſis & Campaniæ Comes. 341. 575
Stephanus Saeri-cæſatienſis Comes. 193. 578
Stephanus Turonenſis cuſtos Turris de Chinone, vbi theſaurus Henrici II. Angliæ Regis. 290
Stephanus ineeſtus. 690. 693
Stirpum & Stirpenſis Abbatia. 633
Suauius Abbas S. Benigni Diuionenſis. 617
Subienſe caſtrum. 188
Subſtantionenſes Comites. 793. 794
Suenenſis pagus. 661
Sueſſionicum bellum. 336. Sueſſionenſis Synodus 119. Sueſſionenſe Monaſterium. 108
Sueuorum Hiſtoria eorumque regnum in Hiſpania deletum. 70. 71. 72. 67
Suicherus, vide Clemens II. Papa.
S. Sulpitius Bituricenſis Archiep. 703. 704. 707. 731
Sulpicius ſeu Supplicius Ambaſiæ Caſtellanus Clericus & S. Martini Turonenſis Theſaurarius. 287
Suouericus Dux. 65
Somma ſeu Somona fluuius. 342
Summeuræ caſtrum. 518
Suppo S. Michaëlis Abbas. 348
Suppoſtoriom. 424
Supra-regulam dictus Vvillelmus Diuionenſis Abbas. 173. 183
Surgentius Primicerius Scholæ Notariorum. 668
Suſanna mater S. Valeriæ. 631
Suuan Princeps Iſtronum 603
Svuinthila Gothorum Rex Spaniæ Monarcha. 69
Syagrius Ægidii filius Rex Sueſſionenſis. 85. 86
Syagrius frater S. Deſiderii Cadurcenſis Epiſcopi Albigenſis Comes & apud Maſſiliam Iudex. 699 700 701
Syagrius Auguſtodunenſis Ep. 419. 420. 413. 589. 566
Syagrius filius Deſiderati Epiſcop. 89. 90
S Symeon Monachus Treuirenſem Eccleſiam corpore & virtutibus adornat. 177. 180. 181. 182. vbi memoratur libellus vitæ eius.
Symmachus Papa. 114
Symmachus ſocer Boëthii. 334
S. Symphorianus Martyr. 418. eius Monaſterium Metis. 678
S. Syriæ corpus. 513
Syrualdus. 89. 90

T

TAbellici munitio. 279
Tacitus Imp occiſus. 10
Talerandus filius Perracoricenſis Comitis Ep. Antiſſiodor. deinde Card. 510
Tapetiolum. 246
Taphnes vrbs Ægypti. 374
Tarnis fluuius. 688
Tarouiſa vrbs Italiæ. 116 117
Tealdus S. Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 450. 573
Tebaldus & Tebaudus, vide Theobaldus.
S Tecla ſeu Thecla. 135
Teloneum de hoc quod homines portate ad dorſum ſolent. 116
Templarij, eorumque damnatio. 318. 383. 502. 660
Tencehebraium. 348. 367
S. Terentius Metenſis Ep. 673
Terracona ſeu Tarraco. 802
Teſtamenta Vetus & Nouum in Gothicam linguam conuerſa. 62
Teſtamentalia edicta. 735
Tethaldus & Tetbaudus, vide Theobaldus.
Tetgaudus Treuirenſis Archiep. 736
Tethardus Hildeſeimnenſis Ep. 130
Tetricus Autiſſiodorenſis Epiſc. ex Abbate S. Germani. 427. 428
Tetra ſeu Ebedrudis Abbatiſſa. 684. 685
Teudechilda Regina. 543
Teudericus & Teudebertus, vide Theodebertus & Theodericus.
Teudiſclus Gothorum Rex. 66. 67
Teudix ſeu Teodis Gothorum Rex. 66
Temberga Regina. 111. 539. 735. 736
Teuthardus ſeu Teutgardus. 113
Teutineus & Teutherus Monachi. 752
Tenthoniei. 818
Teuto S. Martini Turonenſis Abbas. 284
Teuzo. 203
Thehaudus. vide Theobaldus.
Thenæ in Haſbania. 407
S. Theubaldus. 633 vide Theodebaldus.
Theobaldus I. Carnorenſis & Bleſenſis Comes Tricator ſeu Fallax dictus. 127. 129. 183. 185. 198. 278.

Theobaldus bonus Bleſenſium Comes. 278. 290
Theobaldus Turonenſis Comes filius Odonis Comitis Carnotenſis. 586
Theobaldus Campaniæ Comes. 573
Theobaldus Trecorum Comes. 390. 405
Theobaldus Nauarræ Rex & Comes Campaniæ. 342. 398. 504. 584
Theobaldus Barri Comes. 347
Theobaldus de Domina petra. 271
Theobaldus Comes nepos Hugonis Episcop. Autiſſiodorenſis & Comitis Cabillonenſis. 270. 272
Theobaldus Archidiaconus Leodienſis, vide Gregorius X. Papa.
Theobaldus Bajocenſis Ep. 376
Theobaldus Cantuarienſis Archiep. 620
Theobaldus de Barro Leodienſis Ep. 407
Theobaldus Lingonenſis Ep. 792
Theobaudus Niuernenſis Ep. 469
Theobaldus de Ambianis Rotomagenſis Archiepiſcupus. 374. 375
Theobaldus Sueſſionenſis Ep. 203. 204
Theobaldus S. Genoueſæ Pariſienſis Abbas. 655
Theobaldus S. Germani Antiſſiodorenſis Abbas. 581
Theodahadus Oſtrogothorum in Italia Rex. 90
Theodaldus Grimoardi filius. 103
Theodardus Trajectenſis Ep. 103
Theodardus Narbonenſis Archiep. 804
Theodebertus ſeu Theobaldus Rex Francorum. 94
Theodebertus Francorum Rex. 88. 89. 90
Theodebertus Auſtraſiæ Rex Childeberti filius. 94. 100. 699. 781
Theodericus Sueuorum Rex. 73
Theodericus Oſtrogothorum in Italia Rex. 64. 65. 66. 338
Theodericus iunior Gothorum Rex. 65. 66
Theodericus I. Rex Francorum. 86. 88. 89. 325
Theodericus Burgundiæ Rex filius Childeberti. 100. 101. 699. 781
Theodericus Rex Francorum. 102. 103. 325
Theodericus filius Regis Dagoberti. 103
Theodericus frater Adalberonis II. Merenſis Ep. Dux eorum qui cis citráque Moſam Moſellámque reſideot. 675. 679. 680. 682
Theodericus frater S. Antonini Martyris Apamiarum. 795
Theodericus Dux. 158
Theodericus Comes. 168. 337
S. Theoderici corpus & villa. 359. 361
Theodericus Aurelianenſis Ep. 271
Theodericus Baſilienſium Ep. 190
Theodericus Merenſis Ep. eiuſque vita 159. 346
Theodericus Virdunenſis Ep. 190. 203. 223. 225. 226. 234. 237. 239. 294
Theodericus S. Albini Andegauenſis Abbas. 276. 181
Theodericus S Huberti Abbas. 188
Theodericus Gemeticenſis Abbas. 351
Theodorus Papa. 124
Theodoſius Cantuarienſis Archiepiſc. 322
Theodoſius Magnus Imperator. 13. 14. 63
Theodoſius Autiſſiodorenſis Episcop. 418. 566
Theodramnus Autiſſiodorenſis Ep. 430
Theoduinus Leodienſium Ep. 337. 338
Theodulfus Aurelianenſis Ep. & Floriacenſis Abbas. 270. 394
Theodrada Regina. 571
Theologium Monaſterium. 101. 120. 123
Theophilus Alexandrinus Ep. 14
Theſaurarius Regis Sanctus Deſiderius 699. 703
S. Thomas Cantuarienſis Archiep. & Martyr. 279. 326. 327. 374
S. Thomas de Aquino canonizatus. 385
Thomas ſenior Eboracenſis Archiepiſc. 604
Thomæ Eboracenſes Archiepiſcopi. 323
Thomas Herfurdonenſis Ep. 384
Thomas Regienſis in Italia Ep. 637
Thomas de Freanuilla Bajocenſis Episcop. ex Decano Rotomagenſis Eccleſiæ. 375
Thomas S. Petri Catalaunenſis Abbas. 297
Thomas Perticenſis Comes. 373
Thomas Naugnet Major vrbis Rotomagenſis. 181
Thoreii Dominus. 509. 515
Thorineium Normanniæ caſtrum. 278
S. Thyrſus Martyr. 412. 635
Tiberiadis mare. 665. 666
Tiburgia Prouinciæ Comitiſſa. 353
Tiburtina ciuitas. 356
S. Tiburtius Martyr. 565
Ticinenſis Comitatus. 122
S. Tillo Monachus. 631
Tilpinus Remenſis Archiep. 364
S. Timothei reliquiæ. 12
Tiro, vide Proſper.
Toarcium caſtrum. 278. 281
Toarcii Vicecomes. 278. 279
Tociacum & Tociacenſes. 412. 416. 453. 457. 471. 488. 535
Tolonenſis vrbs. 341
Torchiæ. 389
Tornacum. 337. 373
Tornetrinſus pagus. 270
Tornodorenſis Comitatus & pagus. 285. 400. 414
Toriſmundus Gothorum Rex. 65
Tortoſa vrbs. 340. 771
Traſamundus Vandalorum Rex. 71
Trecenſe Concilium ſub Paſchale II. 294. ſub Stephano. 802. niſi ſit mendum pro Terracinenſi.
Tremoniæ ſeu Tremuriæ Rex. 388
Trenorchenſes Monachi. 578
Trenortium. 122. 792. Trenortii in foro carnes humanæ venundatæ. 182
Treua ſeu Treuia Dei. 187
Treuirenſis Eccleſia. 106
Tricennalia Conſtantini Magni. 12
Tricator ſeu fallax, vide Theobaldus.
S. Trinitatis Monaſterium, vide Vindocinenſe.
S. Trinitatis Andegauenſe in Aquitia Monaſterium. 289. 276
S. Trinitatis Monaſterium in monte vicino Rotomagenſi ciuitati. 182
S. Trinitatis in Sanctonico Cœnobium. 288
Tripolis à Soldano capta. 382
S. Trophimus Arelatenſis Ep. 803

Troſlelana Synodua. 124
Tnda Lindisfarmenſis Ep. 322
Tudertina ciuitas. 356
Tudes ſiue Tudites, vida Carolus Martellus.
Tudinium. 337
Tumba mons S. Michaëlis in periculo maris. 348
Tunenſis Regis filia. 388
Tunetorum terra. 378
Tunica inconſutilis Domini nostri Ieſo Chriſti. 100
Turbia caſtrum. 354
Turegi vaſta ſolitudo. 751
Turennenſe territorium. 633
Turnella in Comitato Niuernenſi. 513
Turoldi burgus. 367
Turonica vrbs data Gaufrido Comiti Andegauenſi. 186
Turonenſes ſolidi. 379
Turonenſia Concilia. 279. 184. 287. 397
Turpio Lemouicenſis Ep. 333. 634
Turpio Engoliſmenſis Comes. 292. 314
Turres. reclines in ſeſe reſiliunt. 168
Turris Calabriæ eremus. 639
Turſtinus Eboracenſis Archiepiſcop. 607. 610. 612
Tutela. 632

V

VAbra. vide Vapra.
Valatouius Vvapinnenſis Archidiaconus 698
Valens Imperator. 13. 63
Valentia. 342
Valentinianæ. 337
Valentinianua I. Senior Auguſtus. 13
Valentinianus II. Ionior Auguſtus. 13. 14
Valentinianus III. Imperator Conſtantii & Placidiæ filius. 416 537
Valentinum Concilium quod apud Eduam fuerat deſignatum. 254. 256. 260
Valentinus Papa. 119. 750
S. Valeria Virgo & Martyr. 631
S. Valeriannus Autiſſiodorenſia Ep. 413
Valerianus Imperator captus à Perſis. 10
S. Valericus Valens. 634
Valerius Autiſſiodorenſis Ep. 412
Valerius Treuirenſis Præſul. 77
Valerii Maximi Epitome. 669
Vallia Rex Gothorum. 64
Valles dunæ. 348. 366
Vallis-callium ſeu cautium fratres. 490.
Vallis-Scholarium Ordinis primordia. 391
Vallis-Rodolii Ballinus. 375
Vallis nobilis. 688
Vandalorum Hiſtoria & perſecutio. 70. 71. 72. 693
Vangionis riuus. 658. 659
Vapincum vrbs. 357
Vapra ſeu Vabra. 133
Varus fluuius. 353
Varziacum ſeu Varſiacenſe Monaſterium 453. 454. 457. 472. 474. 572
Vaſcones. 68. 69
Vaſconia domita ab Ariberto & Dagoberto Regibus. 101. 102
Vbogo Leodienſis Ep. 336
Vdo Treuirenſis Archiep. 220. 221. 222
S. Vedaſti Cœnobium Atreb. 169
S. Vedaſtus Atrebatenſis, ſeu Cameracenſis Ep. 334. 335 336
Vegetiores tempore horrendæ famis ſeruati vt colerent terram. 183
Vegetius Renatus ſcriptor. 471
Velletrenſis ciuitas. 356
Velliii campus villa pagi Amanſienſis. 564
Vendopera ſita in Caluimontenſi pago. 676
Ventilabra argentea. 166
Ventus vehemens ſiluas euertens. 269
Veranus ex Abbate Lugdunenſis Archiepiſ. 693
S. Verani in Puyſaia dominus. 509. 515
Vercellæ. 357
Vergiacum. 295
Vergilius ſeu Virgilius Poëtarum Princeps. 7
Vernolium caſtrum. 279
Verodunum, vide Virdunum.
Verolus, vnde Verolidunum & Verodunum. 79
S. Veronica ſeu Berenica familiaris B. Virginis vxor S Amatoris. 629. 630
Verunianus Dux Romanus. 70
Verus Rothenenſis Ep. 707
Verus Virdunenſis Ep. 85
Verranio. 12
S. Vetuli Monaſterium. 571
Vetus domus in pago Rotomagenſi. 548
Vexillum Romanæ vrbis. 283
Vezeliacum & Vezeliacenſe Monaſteriom. 394. 395. 397. 467
Vicarius in Imperio conſtitutus à Ludouico Bauaro Eduardus Angliæ Rex. 387
Vicennalia Conſtantini Magni. 11
Victor II Papa. 192. 287. 633
Victor III. Papa. 233. 214
Victor Maximi tyranni filius occiſus. 14
Victor Camus Canonicus Autiſſiodorenſis. 516
S. Victoris Fratres iuxta Pariſios. 393
Victoris inſula Niuerni. 399
Victoriacum Campaniæ caſtrum. 368
S. Victricius Rotomagenſis Archiepiſc. 364. 365
S. Victurnianua. 633
Vicus vbi Salinæ in Lotbaringia. 764
Vidiliacum. 253
Vienna ad Rhodanum ſita. 126. Eadem ab Odone obſeſſa. 185
Viennenſe Concilium. 295. 383
Vigfridus Colonienſis Archiep. 130. 133
Vigilius Papa. 250 668
Vigilius Autiſſiodorenſis Ep. 427
Vigilius Flauiniacenſis Abbas. 118. 120. 121. 791
S. Vigoris Monaſterium extra portam Baiocenſis vrbis. 658
Villa Catuli. 511. 512
Villa noua prope Bellamperticam. 509
Villa-noua prope Magalonem. 795
Villa-noua Giuardi. 582
Villa-noua Maugeri. 581

Villani Preſbyteri. 123
Villare Monaſterium Diœceſis Rotomagenſis. 375. 376
Villare vinoſum. 573. 580
S. Vincentianus. 632
S. Vincentii Cabilonenſis Eccleſia. 695
Sancti Vincentij Metenſis inſulæ Cœnobium. 169
Vincentius ex Cæſar-Auguſtano Ep. apoſtata. 68
Vineiacenſis pugna. 204
Vindalonius Magnus P. V. 13
Vindeniſſa villa. 129. 362
Vinderia villa. 743
Vindex caſtrum. 407
Vindocinenſe S. Trinitatis Monaſterium. 287. 289. 350. 661
Vindocinum 290
Vinio filius Sanxii Comitis Prouinciæ. 353
Vintimillia. 354
Vnbertus Clericus. 325 vide Humbertus.
Virdunum ſeu Virodunum vrbs Clauorum in confinio Neuſtriæ & Auſtraſiæ. 79. 87. 115. 117. 129. 190. Synodus. 129. defectio. 87. Templum incenſum. 190
Viridunenſe Concilium in Comitatu Cabilonenſi. 449
S. Vitonus Virdunenſis Ep. 89. eius ciborium. 166. Abbatia. 110. 113. 114. 135. 165. 400
Vitriacum. 296. 297
Vltienſe Monaſterium. 357
Vltrajectinus conuentus. 225
S. Viuentiolus Lugdunenſis Archiep. 693
Viuianus Dux & Princeps. 292. 324. 550
Vmbertus, vide Humbertus.
Vncti à Stephano Papa. Pipinus & eius filij. 115
Vngri, vide Hungari & Hunni.
Vodolionis Eccleſia. 316. 317
Volchiſus Virdunenſis Ep. 104
Volonicus. 116 118
Volrbenetum. 398
Volumen de Geſtis pontificum. 452
Vormatienſe Concilium. 214
Voſagus mons. 757
Voſienſe Monaſterium. 632
SS. Vrbani & Tiburtii Martyrum reliquiæ 563. 565
S. Vrbani Cœnobium. 169
Vrbanus II. Papa. 232. 238. 240. 247 262. 276. 281. 289. 799. 800. eius epiſtola ad Hugonem S. R. E. Legatum pro reditu Roberti Moliſmenſis Abbatis. 641
Vrbanus III. Papa. 297 578
Vrbanus IIII. Papa. 378
Vrbicus fluuius Hiſpaniæ 65
Vrbs Clauorum Virdunum. 117
Vrbs vetus. 382
Vribaldus Autiſſiodorenſis Ep. 435
Vro villa. 530
S. Vrſinus ſiue Vrſicinus Bituricenſis Archiep. 411
Vrſicinus Caturcenſis Ep. 701
Vrſicinus Abbas. 706
Vrſicinus S. Germani diſcipulus. 426
Vrſio S. Dionyſii Remenſis Abbas. 361
S. Vrmatus. 335
Vrſus Autiſſiodorenſis Ep. 418. 565. 566
Vrſus Viennenſis Archiep. 118
Vrſus trahit corpus S. Arigii Vapincenſis Ep. 699
Vſa fluuius ad cuius ripam Selebria, id eſt Marini vituli villa, fuit extructa. 601. 610
Vſerchenſe Cœnobium. 632
Vvaldelinus Cabilonenſis Ep. 424
Vvaiferus ſeu Guaiferus. 374
Vvala Autiſſiodorenſis Ep. 414
Vvala, vide infra Vvalo.
Vvalciodorenſe Cœnobium. 169
S. Vvalderendis Eccleſia. 338
Vvaldrada pellex Lotharii Regis. 259. 735
Vvalerannus S. Vitoni Virdunenſis Abbas. 189. 190. 195. 294
Vvalerannus Mellentis Comes. 368
Vvalerannus Comes. 585
Vvallemare Abbatia S. Mariæ. 326
Vvallia Gothorum Rex. 37[illegible]
Vvalo Auguſtodunenſis Ep. inuaſor Cœnobii Flauiniacenſis. 122. 124. 792
Vvalo Metenſis Ep. 345. 735. 736
Vvalo S. Arnulfi Abbas Epiſcopatum Metenſem inuadit. 237
Vvalo Sarmatienſis. 242. 244
Vvaltcaudus Epiſcopus. 335
Vvaltelius Carnotenſis Ep. 365
Vvalterius, vide Gualterius & Gualterus.
Vvalterius Auguſtodunenſis Epiſcop. 271. 272. 792
Vvalterius Meldenſis Ep. 259
Vvalterius Eduenſis Archidiaconus. 256
Vvalterius S. Albini Abbas. 276
Vvalterius Diuionenſis Abbas. 295
Vvalterius Monachus. 229. 230
Vvalterius Spirenſis Ep. 678
Vvaltherus de Conſtantiis Rotomagenſis Archiep. ex Lincolnienſi Ep. 369. 370. 371
Vvaltherus ex priore Ponte-fractenſi Selebienſis Abbas. 612. 613
Vvaltho Leodienſis Ep. 337
Vvaltherus Camerarius Regis Franciæ. 574
S. Vvandregiſilus ſiue Vando Fontanellenſis Abbas. 365. & à pag. 784. ad 791. eius Cœnobium. 169. dictum Fontanellenſe.
Vvanilo Rotomagenſis Archiep. 365
Vvaratto Majordomus ſeu princeps palatii Regis. 332. 427
Vvarchiacum in pago Senonico. 415
Vvarimbertus vir pius. 746. 750
Vvaringis villa. 767
Vvarinus illuſtris Comes Prouinciæ Rector Monaſterii Flauiniacenſis. 121. 272. 291. 791
Vvarnerius Comes. 286
Vvarnerius Lingonenſis Ep. 657
Vvaſquelinus Carnotenſis Ep. 325
Vvaſtanenſis ſeu Vvaſtinenſis pagus, Vvaſtinetum, &c. 422. 535
Vvateuillæ turris. 367
Vdalricus Autiſſiodorenſis Ep. 442. 444. 445. 451
Vveſaldingi. 291. 324
Vvelfo Dux. 211
Vveſtilinus Dux Brabantiæ. 407
Vveſtmonaſterium. 368. 370
Vvezelo Comes. 590

Vvibertus ſeu Vvicbertus, vide Guibertus.
Vviefridus Colonienſis Archiep. 336
Vichardus Baſilienſis Epiſcopus. 130
Vvichardus Flauin. 791
Vvideradus Corbonis filius, ſeu vvidradus fundator Flauiniacenſis & Abbas. 83. 102. 103. 269. 272
Vvido, vide Guido.
Vvido ſeu Guido Imperator. 122. 113
Vvido frater Hugonis Italiæ Regis Ioannem IX. papam retrudit in carcerem. 116
Vvido de Lueiniaco frater Rainaldi de Granciaco. 243
Vvido Remenſis Archiep. 364
Vvido Catalaunenſis Ep. 297
Vvido Sueſſionenſis Ep. 134
Vvido S. petri Catalaunenſis Abbas. 296
Vvido eacucullatus. 771
Vvido Siluanectenſis Comes. 363
Vvido ea caſtro Tilii. 272
Vvifredus Sancti victoris Maſſilienſis Abbas. 339
Vvigfridus virdunenſis Epiſcop. 134. 157. 138. 162
Vuigericus ſeu vvidricus Metenſis Ep. 123. 126. 343. 739. 731
vvileneus pilans-porcum. 271
Vvilfridus Eboraeenſis Archiep. 322
Vvilfridus II. Eboraeenſis Archiep. 322
Vvilfridus aliâs vvlfardus Ludouici Balbi ſororius Flauiniacenſis Abbas. 322
Vvillebrordus Friſiæ Apoſtolus. 102
Vvillebertus Colonienſis Archiep. 336
Vvillelmi ſeu Vvillermi, aut Guillelmi ſeu Guillermi Abrincenſes Epiſcopi. 376
Vvillelmus de Oſtillon Abtineenſis Epiſc. 351
Vvill. Andegauenſis Epiſc. 280
Vvill. ſedis Aruernenſis innaſor. 187
Vvill. ex Præpoſito Senonenſi Autiſſiodorenſis Ep. 405
Vvill. de Narbona Autiſſiodor. Ep. 405
Vvill. Tueiaeenſis Autiſſiodor. Ep. 465. 466. 467. 468. 469. 470
Vvill. de Seignlaco ex Autiſſiodorenſi Pariſienſis Epiſcopus à pag. 479. ad 495.
Vvill. de Greſſibus ſeu Greſſio Autiſſiodorenſis Epiſc. 507. 508
Vill. de Totauilla Autiſſiodorenſis Epiſcop. 517
Vill. Bertrandi Bajocenſis Ep. 387
S. Vvillelmus Bituricenſis Archiep. 317 416. vbi dicitur auunculus Petri Comitis Autiſſiodoren.
Vvillelmus Catalaunenſis Ep. 296
Vvill. Cenomanenſis Ep. 280
Vvill. de Baſia Claramontanus Ep. 240
Vvill. Lemouicenſis Ep. 634
Vvill. Lingonenſis Ep. 294
Vvill. de Ioinuilla ea Lingonenſi Ep. Remenſis Archiep. 392
Vvill. Metenſis Ep. 347
Vvill. de Grandiprato ex Theſaurario Senonenſi Niuernenſis Ep. 584
Vvill. Remenſis Archiep. 295. 361
Vvill. Rotomagenſis Archiep. ex Abbate S. Stephani Cadomenſis. 367
Vvill. de Flauacuria Rothomagen. Archiep. 379. 381. 383
Vvillelmus de Duraforti Rotomagenſis Archiep. 384. 385
vvill. Pot Tornacenſis Ep. 317
Vvill. vhrajectenſis Epiſcop. à Deo punitus. 225. 226
Vvill. Sancti Albini Andeganenſis Abbas. 278. 280
Vvill. Abbas S. Bonigni Diuionenſis Fiſcanenſis & aliorum Cœnobiorum, ſupra regulam vulgo dictus. 158. 173. 183. 184. 294. 325. 366
Vvill. de Ceris Dolenſis Abbas. 318
Vvill. ſancti Germani Autiſſiodorenſis Abbas. 580. 581
Vvill de Agorn Tornelienſis Abbas. 351
Vvill. Vezchaeenſis dein Moliſmenſis Abbas. 398
Vvill. Ponteſiæ dein Vezeliaci Abbas. 397
Vvill. de Lacu S. Victuris Maſſilienſis Abbas. 343
Vvill. S. Vincentij Metenſis Abbas. 346
Vvill. de Fontibus ex Abbate S. Vvandregiſili Monachus Ciſtercienſis. 376
Vvill. Baiocenſis Decanus. 658
Vvill. de Martiz Canonicus Remenſis. 370
Vvill. Theſaurarius Rotomagenſis. 379
Vvill. Monachus filius Ricardi Comitis Normanniæ. 366
Vvill. Richardus, Eurardus, & Manaſſes inſtituerunt Ordinem vallis Scholarium. 391
Vill. Grandis ſeu Magnus Selebienſis Monachus. 608. 612. 619. 620
Vvill. Rea Romanorum. 406
Vvillelmus Longaſpatha Dux Normannorum. 126 128. 134. 185 148. 162. 165
Vvill Nothus Dux Normanniæ, Conquæſtor & Rex Angliæ. 189 191. 194. 270. 288. 325. 343. 366 596. 600. 602. 603. 604
Vvill. Rufus II Rea Angliæ 141. 262. 281. 348. 367. 605, 606
Vvill. filius Roberti Ducis Normanniæ & Comes Flandriæ. 326. 349. 367
Vvillelmus filius Henrici I Regis Angliæ. 326. 348. 367
Vvill. Longa-ſpata iunior Henrici II. Regis Angliæ filius primogenitus., 277. 278. 368
Vvill. Sareſburiæ Comes frater Ioannis Regis Angliæ. 372. 373
Vvillel. Princeps Vvalliæ. 380
Vvill. filius Gaufridi Comitis Andegauenſis, frater Henrici II. Regis Angliæ. 273
Vvillelmus Pius Dux Aquitaniæ I. 313. 315
Vvill. VIII Dua Aquitaniæ. 396
Vvill. IX. Dux Aquitaniæ. 397
Vvill. X. Dux Aquitaniæ. 397
Vvillelmi Pictauenſis Comites & Duces Aquitaniæ. 158. 124. 260. 276. 277. 278. 281. 287
Vvill. Niuernenſis Comes I. nepos Henrici Regis Franciæ. 397 400. 454 465
Vvill. filius Vvillelmi I. Niuernenſis Comitis Comes Tornodorenſis. 400
Vvillelmus II. Niuernenſis, Autiſſiodorenſis & Tornodorenſis Comes qui Cartuſianus obiit. 397. 400. 458. 460. 464
Vvill. III. Niuernenſis Comes qui Hieroſolymis mortuus eſt. 400. 465

Vvill. Niuernen. Comes. 593. 326. 397. 576. 577
Vvill. de Caluiniaco dominus Dolenſis ſeu Caſtri-Radulfi. 317
Vvill. de Calueniaco II. Dominus Dolenſis. 317. 318
Vvill. de Caluiniaco III. dominus Dolenſis. 318
Vill. Saeri Cæſaris Comes. 489
Vvillelmus aduena Burgundiæ Comes priuignus Henrici Burgundiæ Ducis ex ſorore Brunonis Lingonenſis Ep. pater Rainaldi Comitis. 158. 174. 175. 570
Vill. Rainaldi Burgundiæ Comitis & Iudithæ Normannæ filius. 270
Vvill. de Barris. 373. 581
Vvill. de Belliſmo. 661
Vvill. Bleſenſium Comes. 284
Vvill. de Chamlemis miles. 489
Vvill. Criſpinus. 367
Vvill. Vicecomes S. Florentini. 580
Vvill. Iouiniaci Comes. 580. 581
Vvill. de Liſignis Mareſcallus Campaniæ 504
Vvill. Louel. 367
Vvill. Groſſus Maſſilienſis Vicecomes. 344
Vvill. Montiſpeſſulani dominus. 341. 799
Vvill. Mellenitous Comes. 367
Vvill. de Melloto dominus caſtri S. Priſci, dictus Pacis baiulus. 497
Vvill. Moritonii Comes. 348
Vvill. de Nogareto. 383
Vvill. Sodornenſium Comes. 339
Vvill. Thalauacius I. 661
Vvill. Thalauacius II. 661
Vvillelmus Comes. 355
Vvilliarius Viennenſis Archiep. 107
Vvilligiſus Moguntinus Archiep. 675
Vvimundus Eboracenſis Archiep. 353
Vvinematus ſeu Guinemarus ſatelles Balduini Flandriæ Comitis. 359. 363
Vvinidi. 102
Vvintonia vrbs. 262. 278. 368
Vvintro Dux clariſſimus. 724
Vvitharius Dux. 332
Vvitmundus Monschus. 233. 234
Vvittericus Gothorum Rex. 68. 69
Vvittichindus Saxonum Rex. 283
Vvitzeburgenſis Synodus. 218
Vvlcania olla. 505
Vvalfadus Flauiniacenſis Abbas. 121. 795
S. Vvlfardus. 632
Vvlferi Eboracenſis Archiep. 325
Vvlferi Bauarus Viennenſis Archiep. 118
Vvlſius Eboracenſis Archiep. 323
Vvlfridus Eboraceoſis Archiep. 502
Vvlfridus Corbiniacenſis Decanus. 272
Vvlgerius Andegauenſis Ep. 277. 278
Vvlgrinus Bituricenſis Archiep. 316
Vvlgrinus Lemouicenſis Ep. 288
Vvlgrinus Petracoricenſis Comes. 292. 524
Vvlſtanus ſiue Vltanus Eboracenſis Archiep. 323
Vvlterra ſiue Volaterra. 563
Vvolbodo ſiue Vlbodo Leodienſis Ep. 181. 337
Vvolfardus, vide Vulfadus.
Vvormatia Vangionum. 671

X

XYſtus II. vide Sixtus.

Y

YOlandis ſiue Iolandis ſoror Balduini & Henrici Imper. CP. & vxor Petri Comitis Autiſſiodorenſis. 476
Yuo Cluniacenſis Prior. 575. vide Iuo.

Z

ZAcharias Papa. 504. 115
Zacho Flauinlacenſis Abbas. 118. 791
Zagarolum caſtrum. 356
Zendeboldus ſeu Zuenteboldus Arnulfi Imp. filius nothus Rex Lotharingiæ. 123. 124. 336
Zeno Imperator Orientis. 363

FINIS.

CORRIGENDA NONNVLLA.

PAg. 26. Cæſaræ II. *lege* Cæſare.

Pag. 45. Cathaphryges. *lege* Cataphryges. Verùm hæc atque his ſimilia noli, quæſo, Lector, præcipiti damnare cenſura: Pleraque ex MSS. codicibus bona fide expreſſimus, quæ ſi libuiſſet genio indulgere, poteramus vbique emendata *ὀρθογραφικῶς* tibi repræſentare. Hoc nonnumquam præſtitimus, ne turpibus papulis infectæ paginæ nauſeam legenti mouerent. In numeris quoque annorum dierúmque interdum peccatum reperies, non noſtra aut Typothetarum culpa, ſed vt MSS. codices eorúmue apographa, in quibuſdam haud dubiè corrupta, fideliùs exhiberemus. Quædam tamen virgulis hinc inde munita reperies: quæ currente calamo obiter emendauimus: nam ſi id quoties neceſſe fuerat, quotiéſque conjectura ſuadebat, factum fuiſſet, caſtigationibus ἐς *πλῆθος* abundarent pleræque pagellæ.

Pag. 52. Intricus *ex MS. editum* non Vitricus, vt Tomo primo Ducheſnianæ Collectionis.

Pag. 55. ad Proſperi Chronicon, *dele virgulam*: connulinus, *lege* continuimus.

Pag. 88. Clodoueus Aurelianis: *lege* Clodomeris Aurelianis, Childeberti Pariſius.

Pag. 100. Deſiderium Virdunenſem, *lege* Viennenſem.

Pag. 103. DCXXII. *lege* DCLXXII. Pag. 116. pridia Kal. *lege* Nonas.

Pag. 118. Virdunenſem tunc temporis, *lege* Viennenſem.

Pag. 119. Epiſcopum Meldenſe, *lege* Epiſcopium.

Pag. 120. Leoni III. *lege* IV. & DCCCLXXIV. *lege* DCCCLXIX. *ſeq.* anno Kal. Oct. *adde* pridie.

Pag. 122. à Silueſtro Papa *ſubſtituendum* Formoſo: Monachis, *lege* Monachus: cognomen Carolus, *lege* Caluus.

Pag. 123. Galonem, *lege* Geylonem. Pag. 129. ad S. Martinum *lege* Iulianum.

Pag. 133. Adriano *lege* Agapeto. Pag. 157. Sax. In peratur, *lege* Imperatori.

Pag. 184. Pater ſuum Clerieus. *lege* ſuus. 192 MLI. *lege* MLIV. 268. IV. Nonas *lege* II.

Pag. 275. *ſcribe* Rufus dictus eſt, ſub Epiſcopo Herueo.

Pag. 277. exercitus Valcſiæ, *lege* Faleſiæ. 279. Surgeriarum, *lege* Fulgeriarum. 297. IV. Idus Aprilis. *lege* Nonas. 292. MCCCLXXIII *lege* DCCCLXIII.

Pag. 295. quod eſt menſe Septembri, *lege* Decembri.

Pag. 298. & ſeqq. in Chronologo Anonymo multa videntur corrigenda: ſed nos MSS. membranas expreſſimus.

Pag. 314. permiſſus, *lege* percuſſus, tum DCCCLXVI Emeno, &c.

Pag. 335. DCXXCIX. obiit S. Berga. tum Carolus regnum Italiæ.

Pag. 337. filiam Regis Anglorum *emendandum arbitror* Ruſſorum.

Pag. 350. DCCCCLXXII. *lege* DCCCCLXXXXII. à filiis Iuhelli *fortè legendum* filius. *Ibidem* Hauidis, *lege* Hauidem. Pag. 377. Gregorius Papa quartus, *lege* nonus.

Pag. 384. Ludouicus nonus, *lege* nouus. 294. L. poſt X. non ante, bis in fine collocari debet.

Pag. 401. inſigis, *lege* inſignis. 404. *lege* Claudij Hardy Sebaſtiani F. 411. LVGDVNENSI QVINTA, *lege* QVARTA. 418, Saturnus, *lege* Saturninus. 484. fractum de Grandimonte, *lege* Fratrum. 500. non de qua, *lege* non modica de qua. 594. MCLXXXI. *lege* MCLXXIV. 669. *ſcribe* Nepotianus linea 3. 755. Humberti, *lege* Huberti. 779. febris, *lege* febres.

Reliqua ſi quæ ſuperſunt, errata Lector facile emendabit, cui fauſta omnia adprecamur.

P

A01 1470446

Digitized by Google

gle